BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
C
NAPOLI

Digitized by Google

XIVII
C
78

Digitized by Google

Digitized by Google

IOAN. FRANCISCI BVDDEI

THEOL. D. ET P. P. O.

HISTORIA ECCLE-SIASTICA VETERIS TESTAMENTI

AB ORBE CONDITO VSQVE AD CHRISTVM NATVM

VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATA

TOMVS POSTERIOR

A SAMVELE VSQVE AD CHRISTVM NATVM

EDITIO TERTIA



HALAE MAGDEBVRGICAE

IMPENSIS ORPHANOTROPHEI

M DCC XXIX.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO S.

TAndem itaque promiſſorum exſoluere licet fidem, dum alter hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti tomus in conſpectum orbis eruditi prodit; operi ſimul vniuerſo, qua vetus teſtamentum, finem impoſiturus. Cumque plurimos viros eruditos, harumque rerum intelligentes, priorem ſuo comprobaſſe calculo, haud incertis compertum habeam documentis, fore, vt non minus poſteriorem huncce eadem excipiant ratione, non tantum ſpero, ſed plane confido. Eadem quippe non tantum vſus ſum methodo, eandemque, ſi non maiorem, in rebus difficilioribus expediendis, & obſcurioribus illuſtrandis, adhibui diligentiam, ſed & nihil plane, quibus eorum, qui hocce litterarum genere delectantur, commodis conſulerem, praetermiſi. Longe maior etiam rerum variarum

Digitized by Google

mihi ſeſe obtulit copia, ſiue chriſtianae religionis hoſtibus in hacce ſacrae hiſtoriae parte vel maxime, ea ſe inueniſſe, exiſtimantibus, quibus ſacri codicis diuinam labefactent auctoritatem, obuiam eundum; ſiue vera a falſis diſcernenda, aliorumque ſimul errores refellendi; ſiue temporum impeditae admodum rationes in ordinem redigendae; ſiue profanorum, quos vocant, ſcriptorum narrationes cum ſacrarum litterarum fide conciliandae, aut alia eiusdem generis peragenda eſſent.

Prima equidem atque praecipua ſemper cura fuit, vt rerum geſtarum ſeriem, ex ipſis fontibus hauſtam, rite exhiberem; tum vero, vbi diſcrepantes aliorum deprehendi ſententias, non ſatis fuit, eas indicare, ſed rationes etiam adducere, atque in eas inquirere, conſultum duxi, vt eo rectius quilibet, iſta legens, de hisce omnibus ſtatuere poſſet. Experiundo hinc etiam didici, longe difficiliorem eſſe, quem ſuſcepi, & per fauorem Numinis propitium ad finem perduxi, laborem, ac initio exiſtimaueram. Aliorum equidem de rebus antiquis commentarios legere, nullius non tantum eſt difficultatis, ſed iucunditatis quam plurimum habet, magnamque adfert voluptatem; at in veritatem, magnis ſubinde tenebris inuolutam, inquirere, & aliorum diſſentientes admodum conferre inter ſe ſententias, &, quaenam alteri praeferenda ſit, ponderatis, quae in vtramque ſe offerunt partem, rationibus, definire, hoc opus, hic labor. Idque licet de omni hiſtoriae parte, ſiue antiquior, ſiue recentior ſit, longe ſit veriſſimum; eam tamen, quae a Samuele per Saulis, Dauidis, ceterorumque

que

Digitized by Google

que Iſraeliticorum & Iudaicorum regum, perque Babylonicae captiuitatis, principumque & ſacerdotum ſummorum, qui poſt eam genti Iudaicae praefuerunt, ad Maccabaeos, & per horum denique, vt & Herodicae gentis tempora ad Chriſtum natum vsque decurrit, prae reliquis omnibus, dubiis & difficultatibus longe grauiſſimis premi, nemo temere, niſi qui hoſpitem ex hocce litterarum genere retulit animum, infitiatus fuerit. Et licet alii quoque eandem ante me ingreſſi viam ſint, horum tamen, tantum abeſt, vt ſemper mihi profuerint labores, vt noua potius impedimenta ſubinde attulerint, denſiorique caligine ea inuoluerint, quibus adfundere lucem voluerunt. Hisce omnibus vero tandem ſuperatis, id me effeciſſe credo, vt longe planiori, quam hactenus, via, in hacce hiſtoriae parte progredi queant, quibus in eam ſe dare conſtitutum eſt.

De vtilitate, quam litterarum, ſacrarum praeſertim, cultores ex hocce opere capere queant, vt denuo aliquid moneam, ſuperuacaneum foret, cum & alibi hoc a me factum ſit, & neminem quoque temere fore, credam, qui hac de re dubitet. Ipſa praeterea vtriusque tomi inſpectio quemlibet condocebit, non tantum Iſraeliticae gentis, in qua praecipua verae eccleſiae ante Chriſtum natum ſedes fuit, hiſtoriam iuſta ſerie a prima eius origine ad Chriſtum natum exhiberi, ſimulque viros omnes ſapientia, ſanctitate, aliisque virtutibus, qui in hocce populo floruerunt, illuſtres, in ſuis quosque temporum interuallis commemorari; ſed eadem quoque methodo, quae doctrinae ſacrae, quae cultus externi, ri-

Digitized by Google

rituumque & ceremoniarum eo ſpectantium, quae matrimoniorum, quae ſtatus ciuilis in haccce gente, per omnem huncce temporis tractum ratio fuerit, ita exponi ediſſerique, vt integram cuiuslibet partis hiſtoriam; leuiſſimo negotio, hinc animo complecti liceat. Cum praeterea neminem fugiat, hiſtoriam, quam vocant, litterariam eccleſiaſticae lucem vberrimam copioſiſſimamque affundere, vt haec ſine illa ſibi non conſtet; & illam adeo non neglexi, vt a prima origine iuſto ordine, ſerieque minime interrupta, hic exhibeatur. De idololatria, ſuperſtitione, falſoque & erroneo quouis Numinis cultu, quo vera eccleſia nunquam non turbari ſolet, idem res ipſa docebit; eius ita hic ſiſti hiſtoriam, vt eorum, quae ſcitu obſeruatuque digna ſunt, vel ad eccleſiae ſtatum accuratius cognoſcendum faciunt, nihil temere ſit praetermiſſum.

Cumprimis & quae ſacrae litterae de populo Iſraelitico, eiusque fatis tradunt; profanorum quoque ſcriptorum teſtimoniis per omnia temporum interualla rite ſunt confirmata, vt vniuerſam fere gentis Iſraeliticae hiſtoriam ex gentilium ſcriptorum teſtimoniis concinnatam, iuſtoque ordine diſpoſitam, debitaque cenſura caſtigatam, aut vindicatam, hinc haurire, pronum ſit. Hocce vero argumentum, quemadmodum & reliqua hactenus commemorata, licet & ſeorſim ab aliis, iisque doctiſſimis viris ſit pertractatum, quorum etiam commentationes, vbi res id poſtulare videbatur, laudaui; ſingulis tamen lucis aliquid & ornamenti, ſiue ſelectum & ordinem methodumque, ſiue rerum ipſarum diiudica-

ca-

Digitized by Google

cationem ſpectes, acceſſiſſe, ex ipſa operis huius lectione conſtabit. Vt vero reliquarum etiam gentium, quae celebritatem quandam eo, quo noſtra commentatio circumſcribitur, tempore conſecutae ſunt, hiſtoriam ſimul ſubiungerem, non tam aliorum exemplo, quam grauiſſimis inductus feci rationibus. Iudaicarum enim rerum faciem accurate nemo intellexerit, niſi Aegyptiorum, Babyloniorum, Perſarum, Graecorum, gentiumque Iudaeis vicinarum, immo ipſorum Romanorum fata resque geſtas cognitas atque exploratas habuerit. Sed haec quidem aliaque, quae iſtius neceſſitatem euincunt, vt alibi iam ſunt allata, ita nunc id ſaltem monere liceat, hac ratione ſcriptis etiam propheticis veteris teſtamenti lucem prorſus egregiam conciliari. Ita enim exiſtimo, prophetarum non aliunde magis, quam ex hiſtoriarum monumentis recte & explicari, & illuſtrari poſſe vaticinia. Siue enim de ſui temporis rebus loquantur, ſiue futura canant, hiſtoria vtramque fere faciet paginam. Ad priorem enim claſſem ſi pertineant, quae apud eos leguntur, in tenebris ambulabis, niſi ſtatum & reipublicae & eccleſiae, qui eo tempore fuit, accurate cognitum perſpectumque habeas. Quae vero ad poſteriorem ſpectant, non vnius iterum ſunt generis; partim enim ad regnum ſpirituale Meſſiae, partim etiam ad fata, tum Iudaeorum, tum gentium aliarum ſpectant. Quae de Meſſia eiusque regno praedixerunt, ſi noui teſtamenti hiſtoria conferatur, recte demum intelligi poſſunt; quae nunc in cenſum non venit. Sed quae de aliarum gentium, imperiorumque

ac

Digitized by Google

ac rerum publicarum mutationibus, euerſionibus, incrementis, decrementis, variiſque fatis cecinere, explicari rite a nemine mortalium poſſunt, niſi iſtarum gentium fata in ſubſidium vocentur. Cuius rei ipſa haecce hiſtoria noſtra eccleſiaſtica exempla luculentiſſima ſuppeditabit Nec enim de Iudaeorum ſaltem, ſed & Aegyptiorum, Babyloniorum, Perſarum, Syrorum, Moabitarum, Edomitarum, Tyriorum & Sidoniorum, aliarumque gentium rebus prophetas ſaepiſſime locutos, conſtat, & res ipſa docet.

Miſſis autem, quae hac de re, & de toto noſtro inſtituto adhuc dici poterant, reliquis, illud potius indicandum, cum prioris tomi nulla amplius, quae vendantur, exſtent exempla, bibliopolam iam in eo eſſe, vt recudatur, propediemque, vt ſpero, is lucem iterum adſpiciet, vt illorum, qui poſteriorem huncce tomum ſibi comparauerint, commodis atque votis conſulatur, Seorſim quoque vterque tomus ſemper & imprimetur & recudetur, ne incommodum aliquod illi ſentiant, qui alterutrum poſſident. Ego vero, vti Deo praepotenti & immortali gratias, quas mente concipere poſſum, pro viribus, vt hocce etiam labore defungi poſſem, benigniſſime conceſſis, ago maximas deuotiſſimasque; ita eundem quoque ſupplex veneror, vt tum in lectores quosuis, tum in eccleſiam vniuerſam, ex qualicunque hocce conatu meo commoda quamplurima redundent.

Vale, beneuole lector, meiſque laboribus porro faue.

Scribebam Ienae die X. Septemb.

M DCC XVIII.

)o(

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
VETERIS TESTAMENTI

PERIODI SECVNDAE

A MOSE VSQVE AD CHRISTVM

SECTIO TERTIA ET QVARTA

A SAMVELE AD TEMPLI SALOMONEI
EXSTRVCTIONEM, ET A TEMPLI HVIVS EXSTRVCTIONE
AD CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

Digitized by Google

Digitized by Google



PERIODI SECVNDAE
A MOSE VSQVE AD CHRISTVM
SECT. III.
A SAMVELE VSQVE AD TEMPLI SALOMONEI EXSTRVCTIONEM.

Σύνοψις.

Eccleſia pariter ac respublica Iſraelitica a Samuele reſtauratur, §. I.

Victis fugatisque Philiſtaeis, libertas & quies Iſraelitis redditur, & Samuel iudicis rite fungitur munere, §. II.

Iſraelitae regem a Deo extorquent; Saul a Deo deſtinatus vnctusque eligitur, §. III.

Saul, victis Ammonitis, denuo in regno confirmatur; Philiſtaei profligantur, auctore victoriae Ionathane, qui a populo poenae capitali, quam incurrerat, ſubducitur; aliae quoque gentes a Saule in ordinem rediguntur, §. IV.

Saul, quod voluntati Numinis morem, vt decebat, non geſſiſſet, reprobatur; Dauid in regem a Samuele vngitur, §. V.

Dauidis cithara Saul triſtitia liberatur; idem vero ob Goliathi caedem laudatus, Saulis in ſe concitat iram, vitaeque non ſemel periculum ſubit, §. VI.

Hinc fuga ſibi conſulit, cognitoque ex Ionathane regis in ſe animo, ad Achiſum Gathi regem ſe recipit, apud eum quoque vitae periculum ſimulato furore euadens, Achimelecho interea cum octoginta ſacerdotibus, iuſſu Saulis caeſo, §. VII.

Digitized by Google

Ex vrbe Kebila in ſolitudinem Ziphenſem ſe confert, cingendus ibi a Saulis militibus, ſed inopinato de Philiſtaeorum irruptione, nuntio, liberandus, §. *VIII.*

Sauli, quem interficere commode poterat, parcens, pietatem ſuam demonſtrat, eumque ſimul de innocentia ſua conuincit, §. *IX.*

Dum mortuo Samuele in Pharanis ſolitudine verſatur, de Nabale, a quo grauiter offenſus erat, vltionem ſumſiſſet cruentam, niſi Abigailis prudentia placatus eſſet, §. *X.*

A Ziphenſibus iterum proditus, haſta & ſcypho Saulis noctu ablato, ſaluo rege, denuo pietatem & innocentiam ſuam demonſtrat; hinc ad Achiſum Gathi regem iterum ſe recipit, & Ziklagi habitans, ab Amalekitis, aliisque gentibus, praedam agit, §. *XI.*

A Philiſtaeis in belli ſocietatem aſſumtus, ſed mox dimiſſus, Amalekitas, qui Ziklagum diripuerant, fundit, &, quae abduxerant, recuperat, §. *XII.*

Saul, imminentia fata a Samuelis vmbra edoctus, commiſſo infeliciter cum Philiſtaeis proelio; ſe ipſum interficit; eius, vt & filiorum cadaueribus ex Bethſanis muris ſuſpendendis, ſed ſepeliendis a Iabeſitis, §. *XIII.*

Dauid cum Hebronem ſe contuliſſet, a tribu Iudae pro rege agnoſcitur; tandem & a reliquis tribubus, conciliatore Abnero, poſtquam is ex proelio cum Ioabo inferior diſceſſerat; Abnerus ſubdole a Ioabo interficitur, facinus iſtud, vt & alia eiusmodi, aegerrime ferente Dauide, §. *XIV.*

Redacta ad eam ſortem Saulis familia, vt nemo ex ea ad regiam dignitatem adſpirare auderet, tranquillam tandem regni Iſraelitici poſſeſſionem adeptus, imperii ſedem Hieroſolymam transfert, arca federis in arcem Sionis deducta; inita hinc cum Hiramo amicitia, Philiſtaeos duplici proelio vincit, Moabitas aliasque gentes ſubiugat, Ammonitas acriter caſtigat; ſed templum, quod volebat, Deo exſtruere prohibetur, §. *XV.*

Tot proſpera tandem aduerſa quaedam excipiunt; adulterio & homicidio Deum grauiſſime offendit, ſerio tamen ob admiſſa crimina dolens; Rabba expugnata & direpta, Ammon ob ſtuprum ſorori oblatum, a fratre Abſalomo interficitur, §. *XVI.*

Abſalomus patri conciliatus, mox contra eum inſurgit; Dauid fuga ſibi conſulit; Abſolomus, fugato ipſius exercitu, interficitur, §. *XVII.*

Modum luctui ob mortem Abſolomi cum poſuiſſet, Iſraelitae velut certamen in rege reducendo inter ſe ineunt; reſtitutus, clementiae ſingularis, benignitatis, animique grati varia dat documenta, §. *XVIII.*

Repreſſo Seba, & fame, poena a Saulis poſteris ſumta, ſedata, Philiſtaei denuo victi ſub iugum mittuntur, Dauide ob haec aliaque beneficia laudes Numinis celebrante: idem vero mox ob numeratum ex ambi-

bitione populum, immiſſa peſte, grauiſſime caſtigatur, §. *XIX.*

Salomone ſucceſſore conſtituto, & monitis neceſſariis inſtructo, rex ſanctiſſimus maximusque, etſi humanae imbecillitatis non immunis, moritur, §. *XX.*

Initia regni Salomonis; ſapientiae ſummae diuinitus ſibi conceſſae documentum ſingulare edit; Aegyptii regis filiam in matrimonium ducit; renouataque cum Hiramo Tyriorum rege amicitia, templum magnificentiſſimum Deo exſtruit, §. *XXI.*

De reliquis viris ſapientiae & ſanctitatis laude conſpicuis, qui in hocce temporis interuallo in gente ebraea floruerunt, §. *XXII.*

Religionis, qualis hac aetate fuerit, ſumma, §. *XXIII.*

Cultus Numinis externus, §. *XXIV.*

Matrimoniorum ſtatusque domeſtici, itemque regiminis ciuilis ratio, §. *XXV.*

De litterarum ſtudiis, librisque hac aetate editis, §. *XXVI.*

Idololatriae in gente ebraea veſtigia, apud reliquas gentes incrementum, §. *XXVII.*

Profanorum ſcriptorum de rebus in populo Iſraelitico hac aetate geſtis, teſtimonia: gentiumque aliarum hoc tempore ſtatus §. *XXVIII.*

§. I.

Miſera ſub Eli, eiusque filiis, & foeda prorſus eccleſiae pariter ac reipublicae Iſraeliticae erat facies. * Ad vtramque corrigendam ac reſtituendam, iam a prima natiuitate diuinitus deſtinatus erat Samuel, Leuita primum, tum propheta Dei ad populum, tandem iudex & gentis Iſraeliticae aſſertor.** Is in ſolenni concione cauſam omnium malorum, idolorum cultum, vitaeque improbitatem expoſuit, & ad mutandos mores populum ſerio adhortatus eſt. Quo eius ſermone permoti Iſraelitae, abiectis idolis; ſolum verum Deum colere ſecum conſtituerunt. Mitzpamque mox congregati, ieiuniis, precibus, aliaque ratione, admiſſorum ſe pœnitere, teſtati, veniam eorum a Deo expoſcunt. ***

* Vt pluribus ſupra ad §. *XII. ſectionis praecedentis*, expoſitum.

** Pater Samuelis Elkana fuit, qui in montanis Ephraimi habitabat, in oppido, cui nomen רמתים צופים. Hoc nonnulli ex ebraeae gentis doctoribus ita capiunt, ac ſi duae vrbes Ramoth dictae fuerint, quarum altera e regione alterius poſita fuerit, cum duali numero *Ramathaiim* dicatur; vt adeo ſenſus ſit, in altera iſtarum vrbium Elkanam habitaſſe. Ita R. DA-

VID KIMCHI, R. SALOM. IARCHI, & ex chriſtianis FRANCISCVS VATABLVS, aliique. Aliis veroſimilius videtur, vnam fuiſſe vrbem, ſed in duplici colle poſitam, quod haud eſt infrequens. Nec forte aliud quid ebraei doctores antea laudati, ſibi voluerunt. Vnam etiam vrbem voce dualis numeri deſignari poſſe, vel exemplo vocis *Ieruſchalaim* conſtat. Eadem vrbs etiam *Ramah* dicta fuit, cuius nominis & aliae vrbes in Iudaea fuerunt, de quibus vid. IOANNES LIGTFOOTVS, in *centuria chorographica Matthaeo praemiſſa*, *cap. XLIII. pag. 103.* EVSEBIVS atque HIERONYMVS, in *locis ebraicis*, Ramah vrbem, de qua hic ſermo, eandem eſſe, putant, cum Arimathia, ex qua Ioſephus fuit, qui in hiſtoria euangelica celebratur; ſed ſine certo fundamento. Vox צופים cum *ſpeculatores* ſignificet, nonnulli ſpeculatores ſpirituales, hoc eſt, prophetas, intelligunt. Hunc in modum IONATHAN paraphraſtes explicat: *de Ramatha* (hoc eſt, excelſis) *ex diſcipulis prophetarum*. Quod lubricum eſt. Alii, צופים nomen gentile eſſe, exiſtimant, certae ſcilicet familiae ex tribu Leui, eo quod inter ipſius Elkanae maiores hic Zuph ſiue Zophai connumeretur, ſimulque vocem *Zophim* cum Ramathaim, non vt ſubſtantiuo, ſed adiectiuo coniungendam, contendunt, vt ſenſus ſit, ex *Rama Zophaea*, ſeu ex *Ramathis Zophaeis*. At huic rurſus ſententiae illud ab aliis opponitur, quod vrbs haecce inter Leuiticas *Ioſ. XXI. 20.* non numeretur, nec probabile ſit, a Leuitis, qui tantum vt inquilini ibi vixerint, vrbem illam nomen accepiſſe, ideoque per צופים ſpeculatores intelligere malunt, quia forte in altero colle ſpecula fuerit, in qua ſpeculatores conſtituti fuerint, indicaturi, ſi forte hoſtes aut latrones ex improuiſo Ephraimitidem inuaſuri eſſent: hinc & *Ramathaim Zophim* per compendium dictum putant pro *Ramathaim* אשר בה *in qua erant Zophim*, *ſeu ſpeculatores.* Poſſet nihiloſecius ad dubium priori ſententiae oppoſitum reſponderi, non a Leuitica, ſed Ephraimitica quadam familia, cui itidem Zophaeorum nomen haeſit, vrbem hanc appellatam, aut a Leuitica etiam, cum Leuitae iſti Zophaei, etſi inquilini, tantam nominis eo tempore celebritatem conſecuti ſint, ut non ſine ratione vrbs ab illis fuerit denominata. Familia & genealogia Elkanae tum *I. Sam. I. v. 1.* tum *I. paral. VI. 26. ſeqq.* deſcribitur, ſed ut inſignis utrobique diſcrepantia occurrat. Vt itaque haec inter ſe concilient, interpretes, nonnullos ex iſtis viris duo pluraue nomina habuiſſe, contendunt. Eſtque hoc non adeo inſolens. Interim recte etiam ad *h. l.* obſeruat B. SEB. SCHMIDIVS, *apud Ebraeos multos fuiſſe genealogicos catalogos, & diuerſis locis conſignatos, vnde tanta differentia. Non enim dubitamus*, inquit porro, *quin ipſe auctor chronicorum congeſſerit ex diuerſis catalogis genealogias ſuas. Quae namque cauſa alioqui dari poſſet, quare in eodem capite adeo variaret in nominibus?*

Digitized by Google

bus? vt non habeant h. l. Iudaei, quod euangeliſtis, Matthaeo & Lucae, merito obiiciant: qui & ipſi ex diuerſis catalogis ſumſerunt genealogiam Saluatoris. Idem Elkana, de quo verba facimus, dicitur אפרתי *Ephrataeus.* Ad eum enim, non ad Zuphum, quae quorundam eſt ſententia, hoc ſpectare, res ipſa docet. Ephrataeus autem vocatur, non quod ex tribu Ephraim fuerit, (Leuitam enim fuiſſe, conſtat) ſed quod in tribu Ephraim, ſeu montanis Ephraim, vt antea ſcriptor ſacer indicauerat, habitauerit. Bis hoc dici, non eſt ſuperuacaneum, cum unum per alterum explicetur. Fuerunt Elkanae duae vxores, Channa & Peninna, quarum haec foecunda, illa ſterilis, marito nihiloſecius gratior. Quae inter haſce mulieres intercedebat aemulatio, praecipue ſe exſerere ſolebat, cum Siluntem quotannis vna cum marito ad ſacra Deo facienda adſcenderent. Tum enim Elkana in ſacro conuiuio Peninnae & liberis eius partes pro liberorum numero dare ſolebat, at Channae adponendam dabat מנה אחת אפים *partem vnam facierum*, hoc eſt, partem, quae non plutibus, ſed vni apponi ſolebat. Repetenda vero vox מנת in ſtatu regiminis, hunc in modum: *partem vnam, partem facierum.* Chaldaeus habet: בחיר *partem electam*, quem & R. SAL. IARCHI, aliique ex ebraeis pariter ac chriſtianis ſequuntur. Idque adfectui Elkanae eſt ſatis conueniens: at ex verbis iſtis non ſequitur. Alii, vt vulgatus & B. LVTHERVS, vocem אפים de ira capiunt, qua quidem ratione vox איש aut ſimilis ſubintelligenda fuerit, & praeterea per iram triſtitia intelligenda, vt ſenſus hic reſultet, Elkanam triſtem fuiſſe, cum Channae portionem ſuam daret. At longius id mihi petitum videtur, nec exemplo probari poteſt, אפים ſignificare *triſtitiam.* Peninna autem cum occaſionem hanc Channae inſultandi non praetermitteret, Elkana contra eam ſolatus eſt, bonoque animo eſſe iuſſit, quod ipſe tanto amore eam proſequens, multorum inſtar liberorum illi eſſet. Idem cum toties fieret, quoties ſacra Deo, more recepto, facerent, contigit aliquando, vt Channa dolore ſummo perfuſa ad tabernaculum, in cuius limine Eli ſacerdos ſummus ſedebat, accederet, precibus lacrymiſque Deum obteſtatura, vt foecunditate conceſſa, infamiae & calamitatis ſuae finem faceret, ſimulque voto ſe obſtrinxit, ſi puerum paritura eſſet, ſe eum daturam Domino, per omnes vitae eius dies, neque nouaculam capiti eius admouendam. Nimirum, etſi Leuita eſſet Samuel, atque adeo iam ceteroquin Domino ſacer, cum Leuitae primogenitorum loco Deo conſecrati eſſent, nihil tamen inepti Channa dixit, dum ſe Deo eum daturam promiſit: addidit enim, *per omnes vitae eius dies.* Leuitae autem, ex legis praeſcripto, ſaltem ab anno aetatis trigeſimo, vel vigeſimo quinto, vſque ad quinquageſimum, miniſterio tabernaculi admouebantur. conf. *Num. IV. 2. VIII. 24.* Quod de nouacula ca-

capiti eius non admouenda additur, haud dubie ad votum naſireatus ſpectat, etſi ipſimet hac de re inter ſe diſputent iudaei; conf. *Num. VI. 7. Iud. XIII. 5.* Nec vero ad reliqua, quae naſiraei obſeruare ſolebant, eum hoc voto quoque obſtrictum fuiſſe, inde colligas. Quod enim Ebraeorum quidam tradunt, ex abſtinentia a nouacula reliqua quoque naſireatus iura fluere, certo fundamento deſtituitur. Romanenſes vero ex hoece Channae exemplo nihil concludere poſſe, quo vota ſua monaſtica defendant, theologi iampridem demonſtrarunt. conf. GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Samuelis*, *cap. VI. pag. 32. ſeqq.* vbi plures auctores laudat, qui de naſireatu Samuelis egerunt.

Ceterum, cum Channa, ita ante oſtium tabernaculi orans, labia moueret, ſed verba ſono externo non proferret, Eli, ebriam eſſe ratus, eam increpuit, illa modeſtiſſime hanc imputationem deprecante, ſuamque demonſtrante innocentiam. Quod ſecundum textum ebraeum de ipſo Eli dicitur, quod Channam ceu ebriam increpuerit, id LXX interpretes de puero ſeu famulo eius intellexerunt: *καὶ εἶπεν αὐτῇ τὸ παιδάριον* Ἠλί. Ita quoque PHILO iudaeus, qui haud dubie LXX interpretes ſecutus eſt: *διὸ λέγεται πρὸς αὐτὴν ὑπὸ παιδαρίου τινὸς, οὐχ ἑνὸς, ἀλλ' ὑπὸ παντὸς τοῦ νεωτερίζειν καὶ τὰ καλὰ χλευάζειν ἀκμὴν ἔχοντος. ἕως πότε μεθυσθήσῃ. idem dicitur ad eam a quodam puerulo, non vno, ſed a quolibet iuueniliter petulante: quouſque temulenta es? &c.* de *temulentia*, *p. m. 261.* Quod ſi verba apud LXX interpretes corrupta non ſunt, quae quorundam eſt ſententia, at certo fundamento deſtituta, facile quis exiſtimare poſſet, data opera eos ſenſum ita reddidiſſe, vt honori ſummi pontificis conſulerent. A grauitate quippe & prudentia eius alienum erat, tam praecipitanter de Channa iudicare, eamque, priusquam rem accurate cognouiſſet, reprehendere. Nec ab ingenio Alexandrinorum iudaeorum, vt aliis pridem obſeruatum, abhorret, in ſcripturae ſacrae interpretatione operam dare, ne gentis ſuae apud alias exiſtimatio imminuatur. Quicquid huius ſit, ipſum Eli, non famulum, Channam reprehendiſſe, textus ebraeus aperte docet; idque etiam ex eo conſtat, quod, innocentiam ſuam demonſtrans, ipſum Eli adlocuta ſit, & ab eo iterum reſponſum acceperit. Haec omnia enim per famulum acta, quis ſibi perſuaſerit? Et Eli quidem, cum agnito errore, fauſta quaeuis ei apprecaretur, Channa, velut oraculo diuino in fide confirmata, ſpei ac fiduciae plena abiit, cumque poſt aliquod temporis ſpatium filium peperiſſet, nomen Samuelis ei, impoſuit, *quia*, inquit, *a Iehoua* שאלתיו *eum petii.* Dicendus itaque fuiſſet, שאול מאל, ſed in nominibus propriis analogiam grammaticam non ſemper obſeruari, ſaepiusque alluſionem quandam ſufficere, viri doctiſſimi iam pridem docuerunt.

Aliu-

Aliorum itaque ſententiis de nominis huius origine & compoſitione, magnam partem ineptis ac ridiculis, recenſendis aut refellendis, non immorabimur. Quae de infantia & pueritia Samuelis ſciri poſſunt, ex *I. Samuel. I. verſ. 22. ſeqq.* ſatis conſtant. Iungendus CHRISTIANVS SCHOTANVS, *bibliothec. hiſtoriae ſacrae. veter. teſtament. tom. II. pag. 521.* vbi & iudaeorum, ſi quis iis delectetur, commenta legere licet. Nos id ſolum addimus, cum Channa puerum ablactatum ſecum duxiſſe, & Domino, vt ei miniſtraret, cum ſacrificio obtuliſſe dicitur, id cum latitudine quadam intelligendum, vt poſt ablactationem anni illi includantur, qui requirebantur, vt miniſterio quodam fungi poſſet. Hoc enim ſi obſeruetur, omnis euaneſcet difficultas, nec neceſſe eſt, vt cum quibusdam inter ablactationem propriam & metaphoricam diſtinguamus, aut alia interpretum commenta vocemus in ſubſidium. Omnibus autem rite peractis, Channa egregio cantico ſummam Numinis potentiam, qua humiles & abiectos euehat, ſuperbos ex loco excelſo deiiciat, praedicat, ſimulque praeclarum de Meſſia vaticinium edit, *I. Sam. II. 1. ad 11.* Quae ibidem de Eli, eiusque filiis ſequuntur, iam ſupra ad §. *XII. ſect. praeced.* attigimus.

Dum vero Samuel Domino coram Eli miniſtrabat, prima illi obtigit viſio, ſimulque adeo ad munus propheticum vocatio. Dicitur, quod eo tempore verbum Domini fuerit יקר *pretioſum*, hoc eſt, rarum. Quod enim pretioſum eſt, rarum etiam eſſe ſolet. Ratio additur אין חזון נפרץ *non erat viſio multiplicata*, ſiue *frequens.* Chaldaeus: *& verbum Domini fuit occultatum in diebus illis, non erat prophetia aperta.* Eum ſequitur R. SALOM. IARCHI, aliique ex iudaeis, & nonnulli ex chriſtianis. Alii vero aliter. Sed cum פרץ ſignificet *copioſum eſſe*, planiſſimum eſt, verba ita reddere, vt antea fecimus. Tollitur ita etiam dubium, quod nonnulli ex eo mouent, quod capite praecedenti vir Dei, hoc eſt, propheta, ad Eli acceſſiſſe, & imminens familiae eius exitium ei denuntiaſſe dicitur. Non enim id innuitur, ac ſi nulla viſio, nulla prophetia eo tempore fuerit, ſed quod rara fuerit, minimeque frequens. De Eli autem porro dicitur: *quod oculi eius coeperint caligare, nec videre potuerit,* quod documento eſt, aetatem Eli ingraueſcere coepiſſe, etſi nihil obſtet, quo minus adhuc aliquot annos, poſtquam haec contigerant, viuere potuerit. Qui de caligine mentis verba haec accipiunt, quod & R. DAVID KIMCHI facit, ſine neceſſitate a propria verborum ſignificatione diſcedunt. Licet hinc etiam coniecturam capere, quo circiter tempore prima haecce viſio Samueli obtigerit: certo enim hoc definiri nequit. Sunt equidem iterum & hac de re variae doctorum virorum ſententiae. Iudaeorum ſcilicet quidam doctores in *ſeder olam cap. XIII.* quadraginta iam annorum fuiſſe Samue-

muelem, putant, cum prima haecce viſio ei offerretur. At FLAV. IOSEPHVS duodecim eum fuiſſe annorum, pronuntiat: *Σαμουῆλος δὲ πεπληρωκὼς ἔτος ἤδη δωδέκατον, προεφήτευε, Samucl exacto anno aetatis duodecimo prophetam agere coepit; antiqu. iudaic. libr. V. cap. XI. pag. 165.* Prior ſententia eo maxime nititur fundamento, exiguo ante mortem Eli tempore viſionem hanc Samueli obtigiſſe. Quod tamen ex eo, quod oculi Eli caligare coepiſſe dicuntur, colligere non licet, vt antea obſeruauimus. Poſterior ſententia ſupponit, reuelationem hanc Samueli factam ſtatim contigiſſe poſt prophetiam viri Dei, cuius in capite praecedenti mentio iniicitur. Sed illud quoque nullibi dicitur, immo multa ſuadent, inter reuelationem Samuelis & prophetiam illam, aliquod intercesſiſſe temporis ſpatium. Id certe loquendi iſta ratio, in *diebus illis*, cum dicitur, *verbum Domini fuit rarum in diebus illis*, innuit; nec probabile, Samueli adhuc puero Deum ſe iam reuelaſſe. Veroſimile itaque eſt, iam adultum fuiſſe Samuelem, cum viſio iſta illi offerretur; aliquot tamen ante Eli mortem annis hoc contigiſſe, quia inter vaticinium & eius complementum, temporis aliquod interuallum intercedere debebat; poſtea etiam *verſ. 19* dicatur, quod poſt primam hanc viſionem alia quoque Deus per eum praedixerit, quibus euentus accurate reſponderit, idque adhuc ante mortem Eli, cum eo tempore, quo Eli obiit, tanta iam Samuelis eſſet auctoritas, vt iudicis munus ſuſcipere potuerit. De prima vero haece, de qua dicere incepimus, Samuelis viſione, vlterius obſeruandum, quod Samuel dicatur cubuiſſe in *templo Iehouae*, h. e. tabernaculo, *vbi erat arca federis*; nimirum in atrio, quod vocatur Leuitarum. Vt enim vocem *templum Domini* in latiori hic accipiamus ſignificatione, par eſt. Additur, ea noctis parte id contigiſſe, *cum lucerna Dei nondum exſtincta eſſet*, hoc eſt, poſt mediam noctem, cum tempus matutinum adpropinquaret. Solebant diuerſae lucernae accendi in tabernaculo & templo, & inter has quaedam, quae tempore veſpertino accendebatur, & ita praeparabatur, vt ad matutinum vsque tempus lucem praebere poſſet. LXX interpretes plane contra ſenſum textus ebraei habent: *καὶ ὁ λύχνος τοῦ Θεοῦ πρὶν ἐπισκευασθῆναι.* Vnde, qui hos ſequuntur, tempore veſpertino Samueli reuelationem hanc contigiſſe, putant. Dum autem Dominus Samuelem vocauit, ab arca federis, ſeu ſancto ſanctorum, vox prodiiſſe videtur. Vnde non ſine ratione, cum Samuel in templo cubuiſſe dicitur, additur: *vbi erat arca Dei.* Quo minus Eli eandem vocem audiret, varias ob rationes fieri potuit. Samuel ab Eli ſe vocari exiſtimans, ad eum accurrit, ſed rem ſecus ſe habere edoctus, iterum cubitum iuit. Idque cum tertia vice contigiſſet, tum demum Eli, Deum eſſe, qui Samuelem vocaret, intellexit, cumque, quo pacto ſe gerere deberet, in-

Digitized by Google

inſtrexit. Quod vero Samuel, *Deum nondum cognouiſſe*, dicitur, de prophetica reuelatione eſt intelligendum, vnde nodum in ſcirpo quaerunt, qui magnas ſibi hic difficultates fingunt. Tandem cum Samuel ſe ad auſcultandum paratum dixiſſet, Deus fata, quae Eli eiusque poſteris, ob ſummam eius erga filios indulgentiam imminerent, ei reuelauit, quae Samuel, cum ſurrexiſſet, ab Eli non interrogatus modo, ſed & adiuratus, ei indicauit. Cum ſtetiſſe Dominus, & vocaſſe Samuelem, & cum eo locutus dicitur, dubium non eſt, quin in externa viſione haec contigerint; erratque CHRISTIANVS SCHOTANVS, in imaginatione haec Samueli oblata, adſerens, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtament. tom. II. pag. 527.* Samueli autem ſaepius deinceps Deus futura reuelauit: quod cum vniuerſus populus Iſraeliticus intelligeret, magna inde eius coepit eſſe auctoritas.

*** Quo pacto, exorto Iſraelitas inter & Philiſtaeos bello, hi ſuperiores euaſerint, victisque & fugatis illis, arcam federis ſecum abſtulerint; quo pacto etiam Eli, accepto de iſta clade nuntio, collapſus ex ſella, mortuus ſit, & reliqua huc ſpectantia, iam ex inſtituto ad §. *XII. ſectionis praecedentis*, ediſſeruimus. De fatis quoque, quae arca federis apud Philiſtaeos ſubiit, deque eius reſtitutione, itidem ad §. *XIV.* eiusdem ſectionis dictum. Dum Kiriat-Iearimis eſſet, Iſraelitae ſeruitutis a Philiſtaeis ſibi impoſitae incommoda magis magisque ſentientes, cauſamque iſtius calamitatis probe intelligentes, magno dolore perfuſi ſunt, quod Deum non ita, vt par erat, coluiſſent, iamque de mutanda mente, moribusque emendandis ſerio erant ſoliciti, *I. Sam. VII. 2.* Vigeſimo hoc contingit anno, ex quo arca federis Kiriath-Iearimis erat. Ita enim nonnulli capiunt, quod *l. c.* dicitur: *a die* (ex quo) *manſit arca Iehouae in Kiriath-Iearim, multiplicati ſunt dies, factique ſunt anni viginti.* Samuel itaque cum eam animi diſpoſitionem in Iſraelitis animaduerteret, liberationis a iugo Philiſtaeorum ſpem illis fecit, modo ſerio, abiecto idolorum omnium cultu, totoque animo ad Deum reuerterentur. Idque cum feciſſent, ſtatuasque ac imagines τῶν Baalim & Aſtaroth abieciſſent, Samuel vniuerſum populum, Mitſpham, quae in tribu Iudae fuit, congregari voluit, Deum pro illo ibidem deprecaturus. *Conuenerunt* itaque *Mitſpham, hauſtam aquam effuderunt coram Iehoua, ac ieiunarunt illo die, dixeruntque: peccauimus in Iehouam.* Vbi quid ſibi velit, quod *aquam hauſtam effudiſſe coram Domino* dicuntur, quaeri ſolet. Nonnulli, non in proprio, ſed metaphorico ſenſu haec verba capientes, ipſam poenitentiam iis deſignari, putant. Ita Chaldaeus: *& effuderunt cor ſuum per poenitentiam, ſicut aquam, coram Domino.* At alii, ſenſum proprium retinentes, actionem ſymbolicam fuiſſe, inter ſe conſentiunt, etſi de eius ſignificatione in diuerſas iterum abeant ſen-

ſententias. Alii enim ad animum humilem, & dolore ob peccata perfuſum, hocce ſymbolum referunt, vt R. SALOMO IARCHI; alii ad peccatorum expiationem, quod peccata ſua ita ſibi remitti expetierint, vt aquae diffluant; alii aliter. IOAN. HARDVINVS, Ieſuita, noui quid & plane ſingulare ſibi inueniſſe viſus eſt, dum ieiunii cauſa omnem aquam, quae ibi in puteis erat, exhauſtam & effuſam eſſe, exiſtimat, vt eo die non tantum a cibo, ſed & potu aquae ſe abstinerent. Quae eius ſententia ceu plane noua exhibetur dans *les memoires de Trevoux, anno MDCCXI menſ. Febr. p. 309.* & repetitur dans *le Iournal des ſçavans, anno MDCCXI. menſ. Iun. pag. 641.* Sed errat HARDVINVS, dum ſe primum huius ſententiae auctorem eſſe putat. Idem enim iam pridem in mentem venit B. SEBAST. SCHMIDIO noſtro. Cum enim inter reliquas ſententiam SALOMONIS IARCHII, antea & nobis commemoratam, calculo ſuo adprobaſſet, haec ſubiungit: *Addo tamen etiam aliam explicationem, ſi forte placeat. Nimirum filios Iſrael hauſiſſe aquas, quas in vaſis ſuis habebant in vſum potus, & effudiſſe coram Domino, hoc eſt, ſacrum feciſſe Domino, vt quisquam eo die non biberet vna cum ieiunio. Certe hoc videtur velle, quod mox additur:* & ieiunarunt, *q. d. non tantum effuderunt aquam, ne quisquam illo die biberet, ſed etiam a cibo abſtinuerunt.* Adfert deinde eundem locum *Ion. III. 8.* ad quem & HARDVINVS prouocauit: *Ita inuenimus Ion. III. 8. quod rex Niniues prohibuerit, ne quisquam vel guſtaret quicquam, vel aquam biberet, &c. comment.* ad *I. Sam. VII. 6.* conf. & in *quaeſtionibus* ad hocce caput *quaeſt. VII.* Et haec quidem mihi quoque reliquis omnibus praeferenda videtur ſententia. Praetermittendum vero non eſt, quod additur: *& iudicauit Samuel filios Iſrael Mitſphae.* Neque enim hoc ita capiendum, ac ſi tum demum iudicis munere fungi coeperit. Cum enim iam ante mortem Eli magna eius eſſet auctoritas, populusque vniuerſus Iſraelis noſſet, Deum per illum reſponſa dare, dubium non eſt, quin ſtatim poſt mortem Eli populus in rebus dubiis eum conſuluerit, quinue reſponſa omnibus dederit, adeoque iudicis munere functus ſit. Id itaque ſcriptor ſacer innuere videtur, quod nunc etiam de populo a iugo Philiſtaeorum liberando ſollicitus, dum eum in finem ad poenitentiam eum adhortatus fuerat, ea etiam parte, quae maxime inſignis erat, iudicis munere fungi inceperit. Iudicum enim vel maxime erat, oppreſſum populum a iugo hoſtium liberare, & adſerere, & contra horum inſultus eundem defendere. Subintelligendum etiam, quod Deum pro populo orauerit, quod & populo promiſerat, vt ex *verſ. 8.* recte colligitur.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Sed dum in eo erant, Palaeſtini, res nouas ab Iſraelitis agitari exiſtimantes, ſacris intentos ſubito inuadunt, inermes & imparatos oppreſſuri. Periclitantibus mox adfuit Deus, oblato ſacrificio a Samuele placatus. Horribili enim fragore intonans, fulmine & imbribus in Palaeſtinos immiſſis, ita eos perterrefecit, vt omnem ſalutis ſpem in fuga ponerent. Iſraelitae fugientes ac trepidantes perſecuti, magna clade eos adficiunt. Libertate & quiete hunc in modum Iſraelitis reddita, vrbibus quoque, quas Palaeſtini iis ademerant, reſtitutis, Samuel dirimendis componendisque litibus, & inteſtinis diſſidiis operam nauauit, ſanans & corrigens pro viribus, qui ſe ei offerebant, reipublicae defectus, iuſtitiamque ex aequo adminiſtrans. *

* Cum Philiſtaei audiuiſſent, Iſraelitas Mitspham conueniſſe, principes illorum contra hos expeditionem ſusceperunt. Veroſimile, exiſtimaſſe Philiſtaeos, conueniſſe Ebraeos, vt conſilia de iugo illorum excutiendo agitarent, etſi ſcriptor ſacer diſerte hoc non adſerat. Veroſimile etiam, conſtitutum fuiſſe Philiſtaeis, Ebraeos nihil eiusmodi opinantes, adeoque inermes & imparatos, opprimere. Recte id obſeruatum, FLAVIO IOSEPHO, *antiquit. iud. libr. VI. cap. II. pag. 172.* Ebraei magno metu perculſi ad Samuelem ſe conuertunt, ne pro ſe Deum orare deſineret, illum rogantes. Nec defuit illis Samuel; ſed agno lactante in holocauſtum oblato, preces ad Deum fudit, quas ei gratas fuiſſe, mox euentus docuit. Sunt qui ex eo, quod ſacrificium obtulit, Samuelem ſacerdotem fuiſſe, colligunt. Ita ex ipſis patribus CLEMENS Romanus, CYPRIANVS, CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS, quorum hac de re teſtimonia FAC. SALIANVS, in *annalibus p. 363.* aliique, adferunt. SVLPITIVS quoque SEVERVS, *ea tempeſtate*, inquit, *Samuel ſacerdos Ebraeis praeerat, quietis a bello rebus, populus in otio degebat; hiſt. ſac. l. I. c. XXXII.* Nonnullis etiam ex Romanae eccleſiae doctoribus eadem ſe adprobat ſententia. Immo auctori *conſtitutionum apoſtolicar. lib. VIII. circ. fin. p. 388.* edit. IO. BAPT. COTELERII, Samuel omninò ἀρχιερεὺς, *ſummus ſacerdos* vocatur. Sed longe rectius HIERONYMVS, ſacerdotem eum fuiſſe, negat. *Simulque*, inquit, *noscendum, quod Samuel Leuita, non ſacerdos, non pontifex fuerit. Vnde & faciebat illi mater ſua Ephod bad, ſuperhumerale videlicet, lineum, qui habitus proprie Leuitarum & minoris eſt ordinis. Vnde & in pſalmis non nominatur inter ſacerdotes, ſed inter eos, qui inuocant nomen Domini. Moyſes, inquit, & Aaron, in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius; contra Heluidium lib. I. cap. XIII.* Et

 res

res ſane ipſa dubio caret, cum vel genealogia Samuelis, quam ſtatim HIERONYMVS ſubiicit, doceat, Leuitam eum fuiſſe, non ſacerdotem. Ad reliquas enim rationes, quas HIERONYMVS adtulit, quod attinet, non deſunt, quae circa quasdam earum adhuc moneri poſſent, ſi hisce immorari vellemus. Nec obſtat, quod ſacrificium Deo obtuliſſe dicitur. Id enim, vt propheta, fecit, vt adeo non neceſſe ſit, cum nonnullis ſacerdotium aliquod extraordinarium fingere. Non etiam tam ſtricte obſeruabatur lex Moſaica, vt non ſubinde ab ea discederetur, conniuente aut tolerante, vel omnino adprobante hoc Deo, ſi animo conſilioue non malo hoc fieret. Hinc & tum a Samuele, tum aliis ſubinde alibi, quam in tentorio, ſeu tabernaculo conuentus, ſacrificia oblata, eaque Deo grata fuiſſe, legimus. Sed de ficto Samuelis ſacerdotio plura dabunt, quos magno numero laudat GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Samuelis*, *cap. VII. pag. 36. ſeqq.*

Dum vero Samuel ſacra faciebat, Philiſtaei ad dimicandum cum Israelitis adpropinquabant: ſed ingentibus, quae Deus edidit, tonitribus perterriti & conturbati, in fugam dati atque caeſi ſunt. FLAV. IOSEPHVS ex ingenio ſuo addit, terram iubente Deo ſub pedibus eorum intremuiſſe, & vacillante veſtigio nutaſſe, nonnullos etiam in improuiſos hiatus prolapſos; deinde fulminibus crebris attonitos, & ignitis fulguribus oculos ac manus ſemiuſtulatos, vt ne arma quidem retinere potuerint, in fuga ſpem omnem poſuiſſe, *loc. cit.* Ebraei Philiſtaeos fugientes perſecuti ſunt, *vsque infra Beth-Kar*, hoc eſt, vsque ad loca Beth-Kari ſubiecta. Parum accurate IOSEPHVS: *μέχρι κοῤῥαίων*, *vsque Corrhaeos.* Monumentum quoque victoriae Samuel, lapidem inter Mitspham & Schenem poſuit, eique nomen dedit, אבן־עזר *Eben-Eſer*, h. e. *lapis auxilii*, quod hactenus dominus illis auxiliatus eſſet. Perperam iterum IOSEPHVS: *ἰσχυρὸν αὐτὸν προσαγορεύει*, *fortem eum* (lapidem) *appellauit*. Nec enim luculentius ebraeae linguae ignorantiam prodere potuiſſet. Fructus victoriae iſtius dum ſcriptor ſacer commemorat, dicit, Philiſtaeos non amplius, quamdiu Samuel vixerit, in Israelitarum terram veniſſe, ſcilicet vt ſuperiores, ſeu victores, & vt Israelitas ſubigerent. Prorſus enim non rediiſſe, dici nequit: immo eos poſt haec tempora adhuc ſtationarios ſuos milites in terra Israelis habuiſſe, ex *I. Sam. X. 5. & XIII, 3.* conſtat. Redierunt itaque equidem Philiſtaei, ſed vt repellerentur, etſi non prorſus expellerentur, nec a ſtationariis eorum militibus Israelitae prorſus liberarentur. Isque rerum ſtatus fuit, quamdiu Samuel vixit. Hinc, & illis refragari nequeo, qui ſaepius Philiſtaeos a Samuele victos & repulſos putant, etſi ſcriptura ſacra hoc non commemoret. Praeterea Israelitae omnes vrbes, quas Philiſtaei illis eripuerant, recuperarunt, *ab Ekrone ad Gathum*, hoc eſt, vt fines ſuos vsque ad vrbes

iſtas

iſtas extenderent. Ipſas enim haſce vrbes in poteſtatem Iſraelitarum veniſſe, dici nequit. Ea vero populi Iſraelitici Samuelis aetate fuit felicitas, vt non tantum Philiſtaei inferiores, quoties illum laceſſere vellent, diſcederent, ſed reliquae etiam gentes vicinae, ſpeciatim Emorrhaei, conquieſcerent. Hoc enim ſibi vult ſcriptor ſacer, quando dicit: *fuit etiam pax inter Iſraelem, & Emorrhaeos.* At, cum porro addit: *Samuel vero iudicauit Iſraelem, per omnes vitae ſuae dies*, nonnulli hoc ita capiunt, vt excipienda ſint tempora regni Saulis, quorum propter breuitatem nulla habeatur ratio, cum eorum initio Samuel mortuus ſit. At alii, iſta exceptione hic opus non eſſe, rectius contendunt, cum Samuel, electo licet in regem Saule, iudicis fungi munere non deſierit. conf. ABR. CALOVIVS, ad *b. l.* Vt autem iudicis munere rite fungeretur, non tantum Ramae, vbi habitabat, ius dicebat, ſed quotannis etiam Bethelem & Gilgalem, & Mizpham eandem ob cauſam circumibat, vt illi etiam, qui forte a Rama paulo remotiores erant, copiam cauſas ſuas ad ſe deferendi faceret. Dicitur etiam Ramae exſtruxiſſe altare Domino. Qua de re in ſequentibus.

§. III.

Ingraueſcente tandem Samuelis aetate, nec filiis eius, Ioele & Abia, quibus vices ſuas demandauerat, patris veſtigia prementibus, quippe qui pecuniarum auidi, non ex aequitate, ſed pro munerum ratione ius dicebant, Iſraelitae iſta obtentui ſumentes, regem in poſterum, exemplo aliarum gentium ſibi praeeſſe, volebant. Ea res mirifice diſplicuit Samueli: ſed, quo minus refragaretur, voluntas Numinis obſtitit: cuius iuſſu & Iſraelitis, quinam regum mores futuri eſſent, expoſuit.* Tum Saulem, Kiſi filium, ex tribu Beniamin, variis animi corporiſque dotibus commendabilem, qui praeter opinionem de amiſſis aſinabus eum conſulturus ad illum venerat, Numinis mandato in regem vnxit: in ſolenni mox conuentu, Mizphae inſtituendo, ſorte rite deſignandum, & vnanimi conſenſu a populo adprobandum.**

* Cum Samuel conſenuiſſet, filios ſuos, Ioelem & Abiam, iudices Iſraeli praefecit. Quot annos tum Samuel natus fuerit, fruſtra quaeritur, cum nihil certi hac de re definiri queat, nec annus natiuitatis eius conſtet. Quae Iudaeorum doctores tradunt, fundamento deſtituuntur. Filios ſuos dum iudices conſtituiſſe Samuel dicitur, non ita hoc intelligendum, ac ſi ipſemet officio iudicis ſe abdicauerit, aut ſupremos iudices eos eſſe voluerit: ſed tantum, quod vices ſuas in quibusdam illis demandauerit, vt labore, qui

qui cum iſto munere coniunctus erat, ex parte ſubleuaretur. Qua in re mea ſententia non peccauit Samuel. Etſi enim ſupremos iudices conſtituere ſolius Dei eſſet, adſumere tamen, qui vicibus eius in quibusdam fungeretur, a poteſtate iudicis non alienum erat. Locus, in quo ius dicebant, Beerſeba erat. FLAV. IOSEPHVS Bethel addit, ac ſi Samuel duo ſumma tribunalia inſtituerit, iisque duos filios ſuos praefecerit; *antiquit. iud. libr. VI. cap. III. pag. 173.* IO. CLERICVS Beerſabae ideo filios ius dixiſſe putat, vt meridianae orae incolae conuentus iuridicos apud filios habere poſſent, ſeptentrionalis apud patrem; *ad I. Sam. VIII. 1.* Sed eiusmodi quid ex textu ſacro vix colligas. Quicquid huius ſit, filii Samuelis patris neutiquam ſecuti ſunt veſtigia. Auaritia enim excoecati, ius gratiae dederunt, iuſtitiaeque adeo nullam habuerunt rationem. Quamobrem non potuerunt non plurimorum ſibi attrahere odia. FLAV. IOSEPHVS, eos in luxum quoque ac laſciuiam prolapſos, auctor eſt, *loc. cit.* Sed ſcriptura ſacra ſolam illis exprobrat auaritiam. Iſraelitis iſti filiorum Samuelis mores non tolerabiles videbantur, hinc Ramam ſe conferentes, non tantum querelas ſuas de iniquitate filiorum eius ad Samuelem deferunt, ſed regem quoque ad aliarum gentium exemplum ſibi imponi volunt. Quod quidem Iſraelitarum poſtulatum peccato non carebat: tum, quod Samuelem innocentem, nec filiorum probantem crimina, reiiciebant; tum, quod proprio auſu regem ſibi exposcerent, ea quidem ratione, qua hoc minime fieri oportebat. Sed hac de re ad §. *XXV.* dicemus. Ea res Samueli valde diſplicuit; non quidem, quod aut ſe, aut filios ſuos, quorum neutiquam in ſe ſuſcipiebat patrocinium, reieciſſent, ſed quod abſque Numinis iuſſu & voluntate regem peterent. Id ſcriptor ſacer aperte innuit, cum diſplicuiſſe Samueli memorat, quod dicerent: *da nobis regem.* FLAV. IOSEPHVS auctor eſt, ideo Samueli hoc Iſraelitarum poſtulatum diſplicuiſſe, quod regium imperium neutiquam amaret: ἐλύπησαν δὲ σφόδρα τὸν Σαμουῆλον οἱ λόγοι διὰ τὴν σύμφυτον δικαιοσύνην καὶ τὸ πρὸς τοὺς βασιλέας μῖσος· ἥττητο γὰρ δεινῶς τῆς ἀριστοκρατείας, ὡς θείας, καὶ μακαρίους ποιούσης τοὺς χρωμένους αὐτῆς τῇ πολιτείᾳ· *Haec populi voluntas vehementer Samuelem contriſtauit, qui propter innatam iuſtitiam non amabat regiam poteſtatem vt nimiam. Valde enim optimatum gubernatione delectabatur, non aliam ad felicitatem populi conducibiliorem exiſtimans; antiquit. iud. libr. IV. cap. IV. pag. 173.* Verum haec rurſus ex ſuo ingenio fingit IOSEPHVS. Nullibi enim dicitur, quod regium imperium odio proſecutus fuerit Samuel, eidemque ariſtocraticum praetulerit. Ratio vero, cur Iſraelitarum petitum ei valde diſpliceret, haec erat, quod tempore alieno, & modo, quo non decebat, regem poſcerent, idque ea ratione, vt quodammodo ipſum Dei in hac gente regimen reiice-

te viderentur. Quod & Deus ipſe confirmat, cum ad Samuelem hac de re conquerentem, dixit: *neque enim te faſtidiuerunt, ſed me, ne in eos regnarem.* Hinc etiam Deus voluit equidem, vt voluntati populi morem gereret Samuel, ſed vt ſimul mores regum, ac incommoda in omnes inde redundatura, exponeret, quae ſi ſentirent, illud quidem pro poena iuſta promeritaque illis reputandum eſſe. Atque haec cum Samuel iis nomine Dei indicaſſet, omnes dimiſit, commodam occaſionem decreta Numinis exſequendi exſpectans. Reliqua, quae hic dici potuiſſent, infra ad §. *XXV.* ex inſtituto attingemus.

** Cum Deus Saulem primum Iſraelitis regem deſtinaſſet, non ſine eius directione ſingulari factum, vt ad Samuelem veniret, ſacro oleo ab eodem inungendus. Fuit is ex tribu Beniamin, filius Kiſi, viri ſtrenui. Kiſi pater *I. Sam. IX. 1.* Abiel, at *I. chron. VIII. 33. & IX. 39.* Ner vocatur: forte, quod duo habuerit nomina. Iudaeorum enim traditio, eum ab officio accendendi lucernas Ner dictum, inter reliqua gentis huius commenta referenda. conf. R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* Saul *iuuenis* & quidem *formoſus* vocatur, vt formoſior illo nemo ea aetate apud Iſraelitas exſtiterit, quemadmodum idem quoque corporis proceritate omnes ſuperauit. Vox בחור enim recte hic vertitur per *iuuenem*, quo nomine venire Saul potuit, ſi vel maxime quadraginta tum natus annos ſtatuatur. Ad vocem טוב quod attinet, nonnulli quidem de animi bonitate eam capiunt, adeo vt non dubitent inde colligere, hominem iuſtum & pium ita mutari in deterius poſſe, vt a Deo reprobetur. Ita ROBERTVS BELLARMINVS, *libr. III. de iuſtificat. cap. XIV.* Verum res ipſa docet, non ad animum, ſed ad corpus hanc vocem referendam, atque *formoſum* ſignificare. Hinc & IONATHAN vertit שפיר *elegans, pulcher*, & R. DAVID KIMCHI explicat טוב בתאר ובמראה *bonus forma & adſpectu*; conf. HVGO GROTIVS, ad *h. l.* Nec mirum, Deum formae externae quoque rationem habuiſſe, cum ea ad auctoritatem regibus conciliandam plurimum valeat. Q. CVRTIVS de Thaleſtri, habitum Alexandri haudquaquam rerum famae parem, oculis perluſtrante, verba faciens, addit: *hominibus barbaris in corporum maieſtate veneratio eſt; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt; lib. VI. cap. V.* At non barbarorum duntaxat, ſed cultiorum etiam hominum eſt, maieſtatem corporis venerari. ARISTOTELIS ſcitum eſt, ſi qui naſcuntur, tanto aliis corpore excellentiores, quanto ſimulacris hominum antecellunt Deorum imagines, dignos videri reliquos, qui his ſeruiant. Hinc εἶδος ἄξιον τυραννίδος, *forma imperio digna*, ſecundum EVRIPIDEM. Apud Romanos *aetas Galbae & irriſui & faſtidio erat, aſſuetis iuuentae Neronis, & imperatores forma ac decore corporis, vt eſt mos vulgi, comparantibus*, teſte CORNELIO TA-

CITO, *hiſtor. lib. I. cap. VII.* Iungenda, quae idem auctor de Ariobarzane habet, *annal. lib. II. cap. IV.* PLINIVS itaque & Traianum a proceritate corporis & dignitate oris commendat, in *panegyrico, c. VI.* Sed mitto reliqua. Saul, cui regium diadema Deus deſtinauerat, quaerendo cum ſeruo aſinas patris, inuenit regnum. Montana Ephraim transeunt, terramque Saliſae, nec eas inueniunt: ſed in terra quoque Saalimorum & agro Beniaminitico fruſtra eas quaerunt. Tandem, cum in Tſiphi tractum veniſſent, iamque in eo eſſet Saul, vt domum reuerteretur, a ſeruo admonitus, Samuelem vatem conſulere ſuper aſinabus ſecum conſtituit. Cunctabatur equidem initio Saul, quod, viatico abſumto, nihil haberent, quod muneris loco vati offerre poſſent: ſed cum intelligeret, ſeruo adhuc quartam ſicli argentei partem eſſe, iter ſuum ad Samuelem profecuti ſunt. Munuſculum enim aliquod, non mercedem, offerre vatibus, moris erat, quod & ad ſuam diſcipulorumque ſuorum ſuſtentationem acceptabant. conf. *I. reg. XIV. 3.* add. PETRI MOLINAEI, *vates, lib. I. cap. XV.* Interdum tamen, ampliora praeſertim munera, ob cauſas grauiſſimas recuſabant, vt exemplo Eliſae patet, *II. reg. V. 16.* Errat itaque FL. IOSEPHVS, dum ex errore profectum putat, quod munus Samueli offerre voluerint: *ἀπὸ γὰρ ἀγνοίας τοῦ μὴ λαμβάνειν τὸν προφήτην μισθὸν, ἐπλανῶντο. errabant enim: eo quod ignorarent, prophetam mercedem non accipere.* Non erat merces, vt iterum IOSEPHVS perperam, ſed munuſculum, in grati animi documentum offerendum, quod acceptare prophetis non inſolens erat. Hinc & mirum non eſt, quod Saul dixerit: *quid feremus viro illi, cum panis e vaſibus noſtris deſit?* Namque & panem aliquando vatibus eos obtuliſſe, hinc diſcimus. Poſſet vero & illud dubium alicui mouere, quod ſeruus Saulis de Samuele, ceu viro Sauli plane ignoto, loquatur, quod minus credibile videtur. *Ecce!* inquit, *virum diuinum in illa vrbe: vir eſt honoratus, & quicquid dicit, euenit.* Verum, ſi cogitemus, Saulem in domo patris ſui ita vixiſſe, vt ſuarum ſaltem rerum ſatageret, nec litem cum quoquam vllam habuiſſe, vt coram Samuele comparere neceſſe haberet, facile fieri potuiſſe, deprehendemus, vt Samuel Sauli adeo notus non eſſet. Haec dum ſcriptor ſacer commemorat, per modum *παρενθέσεως* obſeruat, ea aetate נביא *prophetam* dictum, qui antea ראה *videns* fuerit adpellatus. Eſt quidem vox נביא hac aetate longe antiquior, quippe quae iam in ſcriptis Moſaicis occurrit: ſed videtur in deſuetudinem abiiſſe, ſubſtituta voce ראה, tum vero iterum in vſum reuocata, vt vox ראה antiqua cenſeretur. Id ſubinde fieri, experientia docet. Sunt vero, qui hinc colligunt, Samuelem huius libri auctorem non eſſe, aut ad minimum parentheſin hanc a manu recentiori profectam, cum Samuel de vſu adeo recenti, tanquam de re, quae iam pridem contigerat, loqui non

non potuerit, etiamſi ſtatuatur, eum hunc librum paullo ante mortem ſcripſiſſe. Senex namque iam Samuel erat, cum Saulem vngeret. Verum hicce euaneſcet ſcrupulus, ſi obſeruemus, vocem ראה iam diu ante haec tempora in deſuetudinem abiiſſe, ſed in domo Kiſi, patris Saulis, antiqui moris forte tenaciori, fuiſſe retentam; vt adeo Saul & ſeruus eius praeter morem communem hac voce vſi fuerint: quae & forte ratio fuit, vt ſcriptor ſacer hanc obſeruationem hic insereret.

Cum itaque vrbem, in qua Samuel erat, quaeue Rama fuiſſe videtur, ingrederentur, a puellis, quae illis obuiae fuere, Samuelem in vrbe eſſe, ſed tantum, ut conuiuio intereſſet, edocti ſunt: feſtinandum itaque illis eſſe, ſi cum illo loqui prius vellent, quam ad conuiuium ſe conferret. Sacrum conuiuium fuiſſe, quod ſacrificio, vero Deo oblato, coniungebatur, probabile, etſi IM. TREMELLIVS, FRANCISCVS VATABLVS, aliique, hoc negent. Neque enim illicitum fuit, ſi Ebraeorum doctoribus credimus, in excelſis ſacra facere, poſtquam domus Dei in Siloh deuaſtata erat. Certe Deus talia quandoque tolerauit, etſi non ſecundum praeſcriptum legis Moſaicae fierent. Samuel autem conuiuio intereſſe debebat, vt *benediceret conuiuio*, hoc eſt, vt cibi capiendi cauſa preces ad Deum funderet. Id enim voce ברך εὐλογεῖν ſubinde indicatur. Saul ſine mora cum ſeruo urbem ingreditur, eodemque tempore aedibus ſuis egrediebatur Samuel, vt in locum excelſum adſcenderet, vnde factum, vt media in vrbe Sauli Samuel occurreret, qui ex indicio diuino ſtatim cognouit, hunc ipſum eſſe, de quo heri Deus ei praedixerat, quod huc venturus, & in regem Iſraelis vngendus eſſet. Saul rurſus domum vatis ſeu videntis quaerens, ex Samuelis reſponſo intellexit, ipſum Samuelem illum eſſe, quem quaereret, ſimulque & ad conuiuium inuitatus, & de aſinabus inuentis certior redditus, regnum a Deo ſibi deſtinatum non ſine magna admiratione, percepit. Dixerat enim Samuel: *Cui vero eſt, quicquid in Iſraele adpeti poteſt? annon tibi & omni familiae patris tui?* Nec tam obſcura haec verba ſunt, aut Saulem tam hebetis ingenii fuiſſe, exiſtimandum, vt non, quid Samuel ſibi vellet, intelligere potuerit. Vnde, vt iudaeorum commento de ſomnio, quo Saul de regia dignitate ſibi conferenda, diuinitus admonitus fuerit, locum relinquamus, neceſſe non eſt. Etſi autem, quid Samuel ſibi vellet, probe intelligeret, vix tamen, vt ſtatim verbis eius adhiberi & fidem, animum inducere potuit, eo quod ex tribu Beniamin eſſet, quae ex minimis tribubus Iſraelis erat, & familia, quae itidem minima erat, in tribu Beniaminitica. *Quare*, igitur inquit, *ita me adlocutus es?* Sed Samuel reſponſionem differens, eum ſecum ad conuiuium adſumſit, & primo praecipuoque inter reliquos conuiuas loco accumbere voluit. Eorum, qui vocati erant, circiter triginta erant. LXX interpretes, & FLAVIVS IOSEPHVS habent ἑβδομήκοντα. Forte ſynedrium in mente habuerunt. Sed ſine ratione

tione. Samuel autem vt Saulem, ceu futurum regem, vlterius honore proſequeretur, a coquo armum, & quod ſupra eum eſt, ei adponi voluit, & dixit: *ecce, quod reliquum erat, id ante te ponito, comede, quia in hoc praeſtitutum tempus tibi ſeruatum fuit, dicendo* (vel: *ab eo, qui dixit*) *nonnullos vocaui.* Fueritne dexter an ſiniſter armus, qui Sauli adpoſitus eſt, non dicitur. Siniſtrum fuiſſe, credibile eſt, cum dextrum ſacerdotes ex lege diuina ſibi vindicarent. Adeoque & ſuperuacanea prorſus ac vana eſt disceptatio, quo iure dextrum armum Sauli adpoſuerit Samuel? aut num diuina quaedam interceſſerit diſpenſatio? Qui magna myſteria in eo quaerunt, cur armum Sauli Samuel adpoſuerit, ſuo ingenio, mea opinione, valde abutuntur. Reliquorum, quibus Samuel vſus eſt, verborum, ſenſus hic eſt, Samuelem, qui diſſectioni membrorum victimarum interfuerat, iuſſiſſe, vt armus ille ſeponeretur, atque aſſeruaretur in hocce tempus, quo Saulem aduenturum ex Numinis reuelatione praeſciuerat, idque factum ab eo, qui dixit העם קראתי *populum vocaui*, h. e. aliquem ex populo, praeter reliquos, qui inuitati ſunt, vocaui, qui ſuo tempore adſit.

Finito conuiuio, Samuel Saulem ſecum in domum ſuam adſumſit, & cum eo על הגג *ſuper tecto* locutus eſt. Quod nonnulli συνεκδοχικῶς capiunt, vt per *tectum* tota pars ſuperior domus, quae ſub tecto eſt, intelligatur, ponentes, quod etiam Saul eodem in loco dormiuerit. Alii vero ſuperuacuum putant, ad ſynecdochen hic ſe recipere, cum in regionibus calidioribus in tectis aedium commorari & dormire, non adeo infrequens ſit. Rectius illi ſentiunt, qui Samuelem ſuper tecto, ſeu in ſolario, ceu loco ſecretiori, cum Saule locutum, contendunt, at ibidem Saulem dormiuiſſe negant. Neque hoc ex textu ſacro colligas. Immo in tecto ſeu ſolario Saulem non dormiuiſſe, inde patet, quod altero die, cum dimittendus eſſet Saul, Samuel eum in ſolarium euocaſſe dicatur. Quid Samuel cum Saule in ſolario locutus ſit, nobis equidem non conſtat. R. SALOM. IARCHI auctor eſt, quod *inſtituerit, & docuerit eum timere Dominum.* De rebus grauiſſimis eos inter ſe ſermones feciſſe, non eſt, quod dubitemus. Poſtridie, cum Saul a Samuele, quod magni momenti negotium inſtaret, excitatus ſurrexiſſet, comitante Samuele, itineri ſe accinxit, cumque ad extremam vrbis partem veniſſent, Saul, volente ita Samuele, ſeruum ſuum eos praeire iuſſit, vt ambo ſoli relinquerentur. Res ipſa namque poſtulabat, ne quiſquam ante electionem reſciſceret, Saulem regem deſignatum; cum ceteroquin variae diſſenſiones & machinationes hominum maleuolorum, hanc dignitatem Sauli inuidentium, oriri potuiſſent. Cum itaque ſoli eſſent, Samuel lenticulam olei ſumſit, atque capiti Saulis adfudit, eumque honoris & reuerentiae cauſa oſculatus, *annon*, inquit, *vnxit te Iehouah in ducem ſuae hereditatis?* hoc eſt, ne dubites, ſed hoc certo ſcias,

Digitized by Google

ſi, Dominum te in ducem ſuae hereditatis, ſeu regem Iſraelis, elegiſſe. De ritu vngendi reges, eiusque origine ad §. *XXV.* commodior erit dicendi locus. Nunc id ſolum obſeruamus, vnctionem hic tantum fuiſſe deſignationem regis, ſeu potius ſignum ac ſymbolum, ex quo Saul intelligere poterat, ſe a Deo regem populo Iſraelitico deſignatum; quemadmodum eadem ratione Dauid ab eodem Samuele, & Hazael ab Eliſaeo, deſignatus fuit. Ne vero Sauli, qui videtur hoc ſibi vix perſuadere potuiſſe, vllus dubitandi locus relinqueretur, certa ſigna addidit, ex quibus luculenter rei veritatem cognoſcere poſſet. Primum erat, quod ad ſepulcrum Rachelis in finibus Beniaminis, in loco, cui nomen Zelzach, duos viros obuiam habiturus eſſet, ex quibus aſinas inuentas, & patris de ipſo ſollicitudinem, eſſet intellecturus. Sepulcrum Rachelis in tribu Iudae fuiſſe videtur: fuit enim in *via Ephratah*, *quae eſt Bethlehem*, *Gen. XXXV. 19.* Bethlehem autem citra controuerſiam in tribu Iudae fuit. Hic vero ſepulcrum Rachelis ad tribum Beniaminis referri videtur. At dubium hoc euaneſcet, ſi obſeruauerimus, ſenſum eſſe, inuenturum eum duos viros e regione quidem ſepulcri Rachelis, ceu loci notiſſimi, at in loco, qui in tribu Beniaminis erat, & cui nomen Zelzach. Alterum ſignum erat, quod cum Elon-Thaborem veniſſet, occurrentes ſibi habiturus eſſet tres viros, quorum vnus tres hoedos, alter tres placentas panis, tertius vtrem vini ferret: eos Saulem amice ſalutaturos, daturosque duos panes, quos & acceptare debebat. Id quidem Sauli & ſeruo eius, quibus cibaria defecerant, peropportunum erat. Vox *Elon-Thabor* poteſt etiam verti *quercetum Thabor*, vt LXX habent: ἕως τῆς δρυὸς Θαβώρ; vel ſecundum chaldaeum, aliosque, *planities Thabor*. Hoc certum, non intelligi montem Thabor, qui fuit in terra Sebulon. Vocem *Bethel* nonnulli pro nomine proprio vrbis, quae olim Lus dicta, *Geneſ. XXVIII. 19.* capiunt. Copioſus in hac ſententia defendenda eſt R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* Alii autem locum intelligunt, vbi eo tempore erat arca Dei, eo quod dicatur: *ad Deum.* Deus autem erat, vbi arca eſſe ſolebat. Et licet tautologia quaedam eſſe videatur, *ad Deum*, *ad domum Dei*, haec tamen euitari poteſt, ſi priori voce cauſam adſcenſus, poſteriori locum denotari ſtatuamus. Quod enim alii Siluntem, vbi tabernaculum fuerit, & Bethelem, ob vicinitatem hic coniungi putant, vt ſenſus ſit, eos ad Deum Siluntem profectos, ſimulque adeo Bethelem iuiſſe, & longius petitum eſt, & alias quoque ob rationes admitti nequit. Tertium ſignum erat, quod, cum venturus eſſet ad Gibeam Dei, a qua non procul Philiſtaeorum erat praeſidium, vrbemque ingreſſurus eſſet, obuiam habiturus eſſet chorum prophetarum, quos viri inſtrumentis muſicis canentes praecederent, ipſi vero pſallerent, quo conſpecto, fore, vt ipſe Saul eadem

dem ratione vaticinaretur. Vocem גבעת אלהים nonnulli vertunt *collem Dei*, intelliguntque collem in Kiriath-Iearim, in quo habitarit Abinadab, in cuius domo fuerit arca federis. Alii autem alium quendam collem, in quo forte ſchola prophetarum fuerit, vnde *collis Dei* dici potuerit. Sed alii, & quidem rectius, גבעה nomen proprium vrbis eſſe contendunt, quae Kiriath-Iearimis adnumerata fuerit, & in qua fuerit domus Abinadabi, quae hoſpitium arcae federis praebuit. conf. SEB. SCHMIDIVS, ad *I. Sam. VII. 1. & X. 5.* Non procul ab ea vrbe fuiſſe נציבי פלשתים *praefectos Philiſtaeorum*, ſeu praeſidium militare, mirum non eſt, cum Philiſtaeos non penitus tempore Samuelis eiectos, ſupra obſeruatum ſit. Cur dicamus, non in ipſa vrbe Gibea, ſed non procul ab ea, fuiſſe Philiſtaeorum praeſidium, patebit ex iis, quae ad §. *IV.* diſſeremus. Voces חבל נביאים chaldaeus vertit סיעת ספריא, hoc nomine diſcipulos perfectiores prophetarum intelligens. Id hinc recte colligitur, prophetas eo tempore ſcholas habuiſſe, in quibus diſcipulos rerum diuinarum cognitione imbuebant, & ad vitae ſanctitatem erudiebant; qua de re in ſequentibus ad §. *XXVI.* ex inſtituto dicemus. Vocem חבל LXX interpretes recte χορὸν vertunt; quippe quod rei ipſi eſt conueniens. Minus placet, quod IOAN. CLERICVS addit: *Forte reſtim quis vertere poſſit, quod reſtim duceret aliquis eorum, quam reſtim reliqui tenerent, omnesque ſaltando canerent. Certe genus hoc fuit choreae apud veteres Italiae populos.* Iſtud enim nimis profanos ethnicorum mores redolet. De inſtrumentis muſicis, quorum hic mentio iniicitur, vid. SAL. VAN TILL, de *poeſi & muſica veterum, praeſertim Ebraeorum, pag. 427. ſeqq.* Muſica inſtrumentali animum excitari, notum eſt, nec tamen ad ſpiritum ſanctum recipiendum per ſe quicquam conferebat, quae erronea Ebraeorum quorundam eſt ſententia. Nec tam ad animum excitandum inſtrumenta haec muſica adhibita exiſtimo, vt HVGO GROTIVS, ad *h. l.* putat, quam quod alias vocalem inſtrumentalemque muſicam coniungere moris eſſet. Quo pacto vox מתנבאים hic intelligenda ſit, itidem res ipſa docet. Prophetarum namque erat, de rebus diuinis etiam verba facere, adeoque & laudes Dei celebrare, quod interdum pſalmis & canticis ſacris faciebant. Subinde itaque hymnos & pſalmos tales componebant, eosque diſcipulis ſuis canendo praeibant, quod dum fiebat, ſpiritus ſanctus quandoque veniebat ſuper diſcipulos, vt cum magiſtro harmonice & accurate canerent, quae antea non didicerant. Id certe exemplum Saulis hic aperte docet, qui diuino incitatus ſpiritu cum choro iſto ea canere incepit, quae antea ei ignota erant. Sed de prophetis, eorumque diſciplina, plura ad §. *XXVI.* dicemus. Dum vero ſpiritus Domini eum inuaſurus dicitur, id omnino de ſpiritu ſancto eſt intelligendum, cuius

vt

Digitized by Google

vt varia & multiplicia dona ſunt, ita iis praecipue equidem Saulem inſtruere voluit, quae ad regni adminiſtrationem erant neceſſaria. Sed vt ſignum quoque externum exſtaret, Saulem iam alium virum factum, & diuino ſpiritu repletum eſſe, dona etiam iſta prophetandi ad certum tempus illi contulit. Non enim manere inter prophetarum filios debebat: ſed ſignum ſaltem capiendum erat, diuino nunc inſtructum ſpiritu, qui eum ad regnum rite adminiſtrandum aptum facere poſſet & vellet. Et haec quidem ſigna cum Samuel indicaſſet, addidit porro, intelligere ex iis, poſtquam eueniſſent, Saulem poſſe, Deum ſibi adeſſe, adeoque, poſtquam regnum ſuſcepiſſet, promto alacrique animo adgredi poſſe, quicquid e re populi ebraei fore iudicaturus eſſet. Adiecit etiam: *Deinde ibis ante me Gilgalem, nam ego quidem ad te ibo, vt offeramus holocautomata, & ſalutaria ſacra faciamus; ſeptem dies exſpectabis, vsque dum veniam ego ad te, vt notum faciam tibi, quid facturus ſis.* Quod nonnulli ita capiunt, quod Saul non hac ſaltem vice, ſed ſemper ita ſe gerere debuerit, mandatum hocce Samuelis ad totam eius vitam referentes, indeque porro, quod Samuel iudicis officium, Saule licet iam rege conſtituto, retinuerit, colligentes, refragante tamen R. DAVID KIMCHIO, ad *h. l.* Sunt, qui *ſeptem dies* non ad tempus, quo Saul aduentum Samuelis exſpectare debebat, ſed ad ſacrificia referunt, cum moris fuerit, ſolemnio-ra feſta per ſeptem dies agitare. *Ita* & IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* Sed praeferenda illorum ſententia, qui ſeptem dies ad tempus aduentus Samuelis referunt, cum accentuum ratio his faueat, quam ſe neglexiſſe, ipſemet vir doctus fatetur.

Cum Saul a Samuele abiiſſet, eodem illo die omnia euenerunt, quae Samuel ei praedixerat. Cumque Saulem inter prophetarum diſcipulos ex inſtinctu diuino pſalmos canentem viderent, admiratione perculſi dixerunt: *Quid contigit Kiſi filio? an etiam Saul inter prophetas?* Alius vero, qui ibidem aderat, *quis vero*, inquit, *eorum pater eſt?* Quae verba aliquid obſcuritatis habent. LXX interpretes habent: καὶ τίς πατὴρ αὐτοῦ, ad ſolum Saulem haec referentes, eumque in quibusdam codicibus addatur: οὐ Κείς, nonnulli eos legiſſe putant: ומי אביו הלא קיש & *quis pater eius, nonne Kis?* Verum, cum nimis temerarium eſſet, ob tam leuem rationem textus ebraei, qualis hodie eſt, quandam mutationem non tam ſtatuere, quam ſuſpicari, hoc ſua ſponte corruit. Contortum quoque nimis eſt, quod nonnulli, verborum iſtorum hunc eſſe ſenſum, putant: *tantus eſt Saul, vt eorum magiſter eſſe poſſit;* etſi huic ſententiae ſubſcribat AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. II. loc. LXX. pag. 368.* Mihi, vt reliquas ſententias, quas apud eundem legere licet, praeteream, omnium rectiſſime ſentire videntur, qui haec verba ad Deum ipſum, vt donorum omnium, ita

ita & prophetiae auctorem referunt, vt ſenſus ſit: quis vero eorum pater eſt? nonne Deus? qui vt reliquis vaticinandi dona contulit, ita & facillime Sauli, etſi in prophetarum ſcholis non educato, idem conferre potuit. Quo ipſo generatim vir ille, pius haud dubie & ſapiens, cauſam iſtius mutationis, quae in Saule conſpiciebatur, reddidit, etſi rationem ſpecialem ignoraret. Factum autem inde, vt formula iſta, *an etiam Saul inter prophetas?* in prouerbium abiret, quo nouum quid & ſubitaneum ſignificabatur, cum aliquis praeter hominum opinionem mutaretur aut inclareſceret. Haec cum contigiſſent, patruus Saulis, quem FLAV. IOSEPHVS Abnerum fuiſſe putat, *antiquit. iudaic. lib. VI. cap. V.* qui haud dubie in Gibea Saulem vaticinantem viderat, aut aliquid hac de re inaudiuerat, Saulem in ipſo excelſo offendens, curioſitate ductus, vbinam fuiſſet? & cum intelligeret, apud Samuelem eum fuiſſe, quid Samuel dixiſſet? eum interrogauit. Singularem tantae mutationis cauſam eſſe, ſuſpicatus eſt, quam hac ratione ſe reſciſcere poſſe, exiſtimauit. Sed Saul, ſecretum illud de regno ſibi conferendo ſilentio premendum ratus, idemque a Samuele edoctus, nihil aliud, quam quod de aſinabus repertis dixerat, reſpondebat. Rectiſſime quidem, cum nullum ius patruus eius haberet, plura ab eo quaerendi, & intempeſtiuae eius curioſitati ſatisfacere, non neceſſe eſſet. Iam tempus aderat, vt Saul rite in regem eligeretur. Samuel itaque, conuocato Mitspham populo, commemoratisque primum beneficiis a Deo in hunc populum collatis, crimineque exprobrato, quod, repudiato Deo, inconſulto impetu regem poſtulaſſent, coram Domino ſecundum tribus & millia, ad regem ſorte eligendum, eos ſe ſiſtere iubet. FLAV. IOSEPHVS Samueli hanc orationem tribuit: ὅτι τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἐκείνου παρασχόντος, καὶ τοὺς πολεμίους δουλώσαντος, ἀμνημονήσειαν τῶν εὐεργεσιῶν· καὶ τὸν μὲν θεὸν ἀποχειροτονοῦσι τῆς βασιλείας, οὐκ εἰδότες ὡς συμφορώτατον ὑπὸ τοῦ πάντων ἀρίστου προστατεῖσθαι· θεὸς δὲ πάντων ἄριστος· αἱρεῖσθαι δ' ἔχειν ἄνθρωπον βασιλέα, ὃς ὡς κτήμασι τοῖς ὑποτεταγμένοις κατὰ βούλησιν καὶ ἐπιθυμίαν, καὶ τῶν ἄλλων παθῶν ὁρμὴν χρήσεται τῆς ἐξουσίας ἀφειδῶς ἐμφορούμενος· *ego vos* (Dei verba refert Samuel) *in libertatem vindicaui, primum Aegyptiorum ſeruos, deinde a vicinis regibus toties victos & ſubiugatos: pro quibus beneficiis hanc mihi gratiam reponitis, quod abrogato mihi, quantum in vobis eſt, imperio, quaſi neſciatis, vtiliſſimum eſſe homini, a Deo regi, vnum e veſtro numero digniorem exiſtimatis, qui vobis praeſit, qui, ſubditis tanquam pecudibus pro ſua libidine vtens, quidlibet in quemuis ſibi licere volet, antiquit. iud. lib. V. cap. VI. pag. 176.* Haec IOSEPHVS more ſuo. Admonitis itaque rite ſingulis tribubus, & tribuum familiis, Saul Kiſi filius ſorte deſignatus fuit. Sortis enim licet diſerte mentio non fiat,

fiat, ipſe tamen agendi modus & ordo, quem Samuel tenuit, eam adhibitam, ſatis docet; quemadmodum & ſortis vſus in gente ebraea non infrequens fuit, vt ex *Ioſ. cap. XV,* 1. conſtat. Idemque agnoſcit FL. IOSEPHVS, *loc. cit.* Non tamen ſine nutu & voluntate diuina hunc modum eligendi adhibitum, vt credamus, par eſt. Quod & inde intelligitur, quod denuo quaeſiuiſſe Dominum dicantur, num Saul venturus eſſet, cum ſe occultaſſet. Hoc enim licet haud dubie per vrim & thummim factum ſit, quod & ipſa loquendi ratio ſatis indicat, id tamen ſignificatur, electionem ipſam etiam quoad modum ex voluntate & conſilio Dei ſuſceptam fuiſſe. Reſpondit vero Deus, eum latitare אל הכלים *inter vaſa,* hoc eſt, inter impedimenta. Ita enim vox כלים capienda. Sub doliis eum ſe occultaſſe, hinc non colligas. Nec aliqua cum IOSEPHO apud impedimenta latebra cogitanda, in qua Saul ſe abdiderit, ſed ita haud dubie hoc eſt intelligendum, quod cuſtodibus impedimentorum ſe immiſcuerit, receſſeritque adeo a reliquis, vt, vbi eſſet, populus neſciret. Ex modeſtia ſcilicet honorem onusque regni declinaſſe videtur. FL. IOSEPHVS, cum dicit: *μὴ βουλόμενος οἶμαι δοκεῖν τὴν ἀρχὴν ἑκὼν λαμβάνειν, volens, vt arbitror, videri, quod nolens regnum ſuſciperet,* cum ſimulationis cuiusdam videtur arguere: ſed ſtatim tamen addit: *tanta fuit praeditus modeſtia, ſimul & temperantia, vt cum plerique vel modica felicitate potiti, vix ſui prae laetitia ſint compotes, & omnibus ſe ob oculos ingerant, hic tot populorum rex declaratus ac dominus, non modo non oſtentaret ſe, verum etiam e ſubditorum conſpectu ſubduceret; loc. cit. pag. 176.* Inuentus adductusque Saul in medio populo conſtitit, quem totum humeris ſupereminebat: τὸ ὕψος ἦν βασιλικώτατος, vt IOSEPHVS loquitur. Commendationem Samuelis, qua Saulem laudauit, & a Deo eum electum indicauit, ſimulque vel ob corporis maieſtatem dignum eſſe, qui reliquis imperet, praedicauit, ſecuta eſt populi adprobatio, per ſolemnem adclamationem facta. Quae omnia ad ritus inaugurationis pertinent, de quibus alibi erit dicendi locus. Tum Samuel *ius regni* populo recitauit, atque conſcriptum in libro coram Domino repoſuit. Fueritne hoc idem ius, ſeu conſuetudo, regum, cuius ſupra facta mentio, dubitari poſſet, eo quod hic dicatur: משפט המלכה *ius regni,* ibi autem משפט המלך *ius regis.* Quodſi vnum idemque ſtatuatur, dicendum fuerit, Samuelem hocce ius ſeu conſuetudinem ideo in libro conſignaſſe, non vt reges condoceret, quid facere poſſent, ſed vt monumentum perpetuum ſupereſſet, ſe inuito regem conſtitutum, populo quoque incommoda, quae regiam dignitatem comitentur, indicata, huncque adeo, ſi iis ſe premi ſentiat, nullam habere conquerendi cauſſam. Et hactenus admitti poteſt, quod IOSEPHVS dicit, praedixiſſe Samuelem in hocce libro, quae ſub regio dominatu euentura eſſent,

 tà

τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι κακά. Quibus omnibus rite peractis, Saul, fortibus quibusdam viris comitatus, in domum ſuam Gibeam ſe contulit, vitae rationem a priori non diuerſam tenens, nouaque adeo dignitate initio modice & temperanter vtens; parum etiam contumeliam ab iis ſibi illatam curans, qui eum deſpiciebant, nec vlla honoris cauſſa offerebant munera. Vtrumque prudentiſſime.

§. IV.

Victis atque profligatis Ammonitis, qui Iabeſum, Gileadis oppidum, obſidione cinxerant, & dedere ſe volentes, non alia lege, quam vt dextros ſibi oculos erui ſinerent, recipere volebant, denuo in regno Saul fuit confirmatus.* At Palaeſtinis, ob quosdam ſuorum a Ionathane occiſos, arma capientibus, magnamque vim equitum peditumque in aciem producentibus, Israelitae tanto terrore perculſi ſunt, vt omnes propemodum, quaeſitis latebris, diffluerent. Ionathan autem, ſolo comitatus armigero, ex improuiſo hoſtile praeſidium adortus, nonnullis occiſis, ceteros in fugam vertit, immiſſa diuinitus conſternatione perturbatos, & mutuis mucronibus ſe ipſos atterentes. Idque cum Sauli, iisque, qui cum illo erant, nuntiatum eſſet, tum illi, tum reliqui Israelitae ex latebris progredientes, fugientes perſecuti, magna eos adfecere clade. Triſte, quod Ionathani, qui inſcius patris edictum, exſecratione firmatum, transgreſſus fuerat, imminebat, fatum, iſtius diei laetitiam valde imminuiſſet, niſi populi, tam egregium iuuenem, eundemque victoriae auctorem, capite plectendum, iniuſtum exiſtimantis, interceſſione, irae Saulis atque exitio ereptus fuiſſet.** Saul vero rebus pluribus aduerſus reliquas quoque gentes vicinas, Ammonitas, Idumaeos, Zobaeos, feliciter geſtis, effecit, vt non temere quisquam Israelitas laceſſere auderet.***

* Optima haec fuit occaſio, qua Saul electionem ſuam diuinitus factam omnibus probare, maleuolorumque hominum animos ſibi prorſus conciliare potuit. Adſcenderat namque Nachaſus Ammonitarum rex; priusquam Saul in regem electus erat, & caſtra adhuc ad Iabeſum Gileaditidis poſita habebat, cum Iabeſitae ſe dedere vellent. Nullum enim eſt dubium, quin idem hocce bellum ſit, cuius Samuel *cap. XII. 12.* mentionem iniicit. Erratque adeo FLAV. IOSEPHVS, diuerſa haecce bella faciens: qui & in eo fidem non meretur, quod tempus determinare audeat, elapſo ſcilicet poſt Saulis electionem menſe, Nachaſum bellum hoc contra Israelitas ſuscepiſſe;

ſe; *antiquit. iud. libr. VI. cap. V. pag.* 177. Cauſſam, quae Nachaſum ad arma Israelitis inferenda permouerit, ſcriptor ſacer non memorat, vnde, num exemplo maiorum ſuorum, tempore Iephtae terram trans-Iordanicam, ceu inique olim genti Ammoniticae ab Israelitis ereptam, repetierit? an vero, quae aliorum eſt ſententia, odium erga Israelitas velut hereditarium, illorum ſanguine exſatiare, adeoque crudelitati ſaltem ſuae litare voluerit? dubitatur. Mihi haec ſine cauſſa ſibi opponi videntur, cum nihil obſtet, quo minus vtrumque coniungatur. Iabeſitae de auxilio a popularibus ſuis impetrando deſperantes, certis legibus Nachaſo ſe dedere, eiusque ſubmittere imperio volebant. Sed non alia lege Nachaſus in clientelam eos accipere voluit, quam vt dextrum oculum ſibi effodi paterentur, ingens toti genti Israeliticae dedecus hoc ipſo inuſturus. Dextrum, non ſiniſtrum oculum effodi voluiſſe Nachaſum, nonnulli putant, vt eos ad bellum inutiles redderet, cum ſiniſter oculus ſub ſcuto latere ſoleret. Ita FLAVIVS IOSEPHVS, *loc. cit.* quem & praeter alios HVGO GROTIVS ad *h. l.* ſequitur. Vtroque porro oculo eum Iabeſitas orbare noluiſſe, ne ad opera ſeruilia inutiles redderet. Sed hoc aliis parum probabile videtur, qui negant, hominem dextro oculo priuatum, olim ad res bellicas prorſus inutilem fuiſſe; vtroque autem oculo orbatum ad operas ſeruiles adhiberi poſſe, Simſonis exemplo comprobant. Nec ſane cauſſam video, cur a ratione, quam ipſe ſcriptor ſacer ſuppeditat, diſcedere debeamus, quae non alia fuit, quam vt dedecore vniuerſum Israelis populum adficeret, ignauiam & Iabeſitis & reliquis exprobrando, illis, quod non ad extremum potius vitae halitum ſe defenderint, his, quod fratribus ſuis ſuppetias non tulerint. Iabeſitae in iſtas anguſtias coniecti, ſeptem dierum ſpatium ſibi concedi petunt, vt interea nuntios ad reliquos Israelitas mitterent, num forte auxilia ab illis impetrare poſſent. Regis Israelitici Iabeſitae in hoc ſermone nullam mentionem faciunt, ſed tantum dicunt, ſe dimiſſuros nuntios per omnes fines Israelis, haud dubie, quia nondum reſciuerant, Saulem in regem electum eſſe, quod varias ob rationes contingere potuit. Eos enim erga Ammonitas hoc diſſimulaſſe, parum eſt probabile. Legati autem, quos miſerant, facile reſciſcere potuerunt, Saulem regem eſſe conſtitutum; eumque adeo recte primum adierunt. Quod enim FLAVIVS IOSEPHVS narrat, omnes Israelitarum vrbes legatos obiiſſe, non minus metus, quam moeroris, quocunque venirent, circumferentes, vnde nemo ſe mouere auſus ſit, & tum demum in vrbem Saulis veniſſe, ex ſcriptura non colligas. Gibeam autem dum veniebant legati, Saul in agro erat. Populo itaque, qui eo in loco erat, dum narrabant, in quo ſtatu res Iabeſitarum eſſent, ingens exortus eſt eiulatus, moxque Saul ex agro domum venit. Dicitur veniſſe אחרי הבקר i. e. מאחרי *a bobus*, non quod bu-

 bu-

bulcus eſſet, ſed quod arando agro operam nauaſſet, quod inter alia vel ex *verſ.* 7. conſtat, vbi, צמד בקר *iugum boum* commemoratur. Cum autem priuatam adhuc vitam ageret Saul, nec, qua erat modeſtia, ſtatim ab initio, quae ad regium ſplendorem pertinent, adſumere vellet, vt ſupra diximus, nemini mirum videbitur, quod ipſemet arauerit. Praeſertim, cum olim minime ignominioſum eſſet, aut cum dedecore coniunctum, ſi quis agro colendo manum ipſe admoueret. Vnde recte reiicitur illorum ſententia, qui, Saulem non araſſe, ſed, cum a regiis ſuis negotiis reuerteretur, forte factum putant, vt boues ante ipſum agerentur ab arantibus. Quod profecto nimis contortum eſt, vt praeter alios & 10. BRENTIVS, ad *h. l.* recte obſeruauit.

Cauſſam itaque eiulatus cum intellexiſſet, *inuaſit eum ſpiritus*, ſeu ſpiritus ſuper eum irruit, ſpiritus ſcilicet ſanctus, impetum illum ad liberandos Iabeſitas, cum zelo pio ſanctoque pro toto populo coniunctum, in eo operatus eſt. Etſi enim alii hoc de adfectu & impetu tantum interpretentur, cauſſa tamen iſtius ſimul recte intelligitur, quae voce רוח *ſpiritus* indicatur, a cuius propria ſignificatione non eſt, cur hic diſcedamus. Concitatus ita commotusque Saul captum par boum conſcidit in fruſta, iisque per omnes fines Iſraelis miſſis, ſimul edici iuſſit: *Quisquis non ſecutus fuerit Saulem & Samuelem, ſic fiet eius bobus.* Quae in oculos incurrunt, magis mouent. Vnde non ſine ratione ſymbolico hocce argumento, ad concitandos Iſraelitarum animos, Saul vſus eſt. Miſſa ſunt boum conciſorum fruſta per *legatos*, num Iabeſitarum, an alios, incertum, etſi hoc probabilius. Conuenerunt breui admodum temporis ſpatio Bezeki, quod loci nomen eſt, Iſraelitarum trecenta millia, atque ex tribu Iudae triginta millia virorum. Deus enim timorem quendam ſingularem atque reuerentiam erga regem, qua ad obſequium illi praeſtandum commouebantur, animis Iſraelitarum immiſit. Et haec ratio eſt, cur tam cito tantus conuenerit exercitus. Solius poenae metus hoc efficere non potuiſſet. Tribus Iudae ob dignitatem auctor ſpeciatim meminit. Non omnes autem Iſraelitae, qui arma ferre poterant, conuenere, ſed delecti ſaltem; ceteroquin enim longe plures, praeſertim ex tribu Iudae, conuenire oportuiſſet. Congregato Bezeki exercitu, dixit populus legatis: *cras vobis liberatio continget, cum ſol incaluerit.* Quis hoc dixerit, non exprimitur, ſed tantum dicitur: *& dixerunt.* De populo itaque intelligi poteſt: quanquam nihil obſtet, quo minus & de Saule ac Samuele capiamus. Samuelem enim in caſtris Bezeki fuiſſe, vt conſilio & monitis Saulem adiuuaret, non eſt, quod dubitemus, etſi illi errent, qui, eum Gibeae iam adfuiſſe, putant. Oportet autem Bezekum ea a Iabes fuiſſe diſtantia, vt altero die matutino tempore hoſtium caſtra attingere potuerint. Iabeſitae, re iſta ex legatis cogni-

Digitized by Google

cognita, magna perfuſi ſunt laetitia, dixeruntque Ammonitis: *cras ad vos egrediemur*, *facietisque per omnia*, *prout vobis videbitur*. Prudenter, quae a legatis de imminenti auxilio acceperant, diſſimulabant, cum e re Israelitarum eſſet, hoſtes ſecuros, & nihil eiusmodi metuentes, adgredi. Qua in re eos peccaſſe, dici nequit: cum ad ea, quae hoſtibus ſalutaria, nobis noxia eſſe queant, prodenda, non ſimus obligati. Poſtero die Saul populo in tria agmina diuiſo, *in vigilia aurorae*, hoc eſt, matutina, ſeu vltima, hoſtes ex improuiſo adortus, fudit fugauitque, & ad meridiem vsque pugnando magnam illis intulit cladem, reliquis ita diſperſis, vt ne duo quidem vna remanſerint. FLAVIVS IOSEPHVS hic varia fingit, quae in ſcriptura ſacra non exſtant, aut illi omnino repugnant; populo ſcilicet apud Balam oppidum recenſito, Israelitarum fuiſſe ἑβδομήκοντα μυριάδες, *ſeptingenta millia*, ex tribu Iudae ἑπτὰ μυριάδες, *ſeptuaginta millia*; qua in re, quod ad tribum Iudae attinet, LXX interpretes ſibi praeeuntes habuit; ipſum quoque Nachaſum Ammonitarum regem occiſum refert, quod in ſcriptura ſacra non exſtat, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Inſigni iſta victoria Saul totius populi animum mirifice ſibi conciliauit, adeo, vt illos, qui regem antea contemſerant, ad mortem depoſceret. At recte Saul interceſſit, prudentiae iterum & clementiae documentum edens. *Nemo*, inquit, *hodie morietur*, *cum hodie Dominus liberationem Iſraeli pepererit*. Nimirum non tantum illo die, ſed prorſus non mori quenquam illorum voluit, a quibus contemtim habitus fuerat, cum vere regiae clementiae ſignum ſit, iniurias ſibi illatas promte condonare, omnium autem minime eo id die conueniens eſſet, quo Deo ob tam inſignem conceſſam victoriam gratiae eſſent agendae.

Samuel, commoda hac occaſione vtendum, ratus, populum Gilgalem inuitat, qui, regno ibidem renouato, ſalutaria ſacra Deo fecit. Non aliter id capio, quam vniuerſum populum denuo fidem ſuam Sauli obſtrinxiſſe, quod neceſſarium erat ob eos, qui hactenus imperium eius non aequo ſatis animo ferre videbantur, & ita regnum ei fuiſſe confirmatum. FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, Saulem iterum hac occaſione oleo ſacro unctum eſſe; idque & alii ſibi perſuadent: ſed ex ſcriptura ſacra id probari nequit. Peractis rite, quae ad regni confirmationem ſpectabant, Samuel iterum verba ad Ebraeos facit, exprobrans eis, quod ſine cauſſa ſe reieciſſent, cum iudicis munere innocentiſſima ratione functus eſſet. Voluitque, vt ipſimet coram Deo & rege palam profiterentur, an vnquam munus a quoquam accepiſſet, aut cuiquam intuliſſet iniuriam. Quod cum omnes vnanimi conſenſu negarent, Deum iterum, regemque huius rei teſtes eſſe voluit, populo idem comprobante. Falluntur, qui Samuelem virum ſanctiſſimum hic ambitionis cuiusdam arguunt, ſiquidem nihil aliud fecit, quam quod virum honeſtum, ad in-

Digitized by Google

nocentiam ſuam adſerendam, facere decet. Nec ſine ratione hoc faciebat, cum nonnulli rerum imperiti facile in eam ingredi ſententiam potuiſſent, Iſraelitas ob eius vitia abrogato, quantum in ſe erat, illi iudicis munere, regem petiiſſe. Tum vero beneficiis a Moſis tempore vsque ad iſtam aetatem a Deo in gentem Iſraeliticam collatis, ſtrictim commemoratis, ingratique animi crimine, quo regem petendo erga Deum ſe obſtrinxiſſent, denuo iis exprobrato, tandem tamen gratiam fauoremque Numinis iis promittit, ſi praeceptorum eius fuerint obſeruantes, grauiſſima contra quaeque duriſſimaque, ſin ſecus ſe geſſerint, iis comminatur. Dum vero iudices praecipuos enarrat, per quos Deus ab hoſtium poteſtate Iſraelitas liberauit, poſt Ierubbaalem, ſeu Gideonem, ante Iephtam, Bedanem commemorat, cuius in libro iudicum nulla fit mentio. Simſonem hoc nomine venire, recepta eſt Ebraeorum ſententia, vt iam ſupra ad *ſect. praeced.* §. X. obſeruauimus, etſi alii Iairum, alii alium quendam intelligant. Si probari poſſet, Iairum etiam Bedan dictum, res dubio careret. Quodſi ad coniecturas res redit, eadem facilitate, qua Iairus binominis fuiſſe dicitur, idem de Simſone adſeri poteſt. Temporis ordo Iairo fauet, ſed hunc adcurate obſeruare Samuelem voluiſſe, quis dixerit? Si rerum geſtarum celebritatem ſpectes, longe dignior erat Simſon, qui commemoraretur, quam Iairus. Sed res merito in medio relinquitur, cum hoc certum ſit, aliquem ex iudicibus etiam Bedan dictum, ſiue Iairus, ſiue Simſon, ſiue Barakus fuerit, ſecundum LXX interpretes, ſiue Abdon, quod alii volunt, ſiue alius. Vt librariorum culpa pro ברק exiſtimemus ſcriptum בדן, neceſſe non eſt. Quae Samuel dixerat, ſigno etiam confirmauit. Eo enim Deum inuocante, tonitrua venerunt & pluuia. Quod non ſine miraculo factum, vel inde intelligitur, quod tempore meſſis tritici hoc contigerit; qua anni tempeſtate ceteroquin in Palaeſtina pluuia cadere non ſolet. Ea re conſpecta, Iſraelitae, facti iſtius, quod regem petiiſſent, ſe poenitere, teſtati ſunt, ſimulque Samuelem rogarunt, vt precibus ſuis Numinis fauorem illis impetrare non deſineret: quod ille quoque promiſit, adiectaque iterum graui ad Deum rite colendum adhortatione, de ſuo erga eos animo illos certos eſſe iuber.

** Inter Saulis poſt regni confirmationem facta, primum locum tenet bellum cum Philiſtaeis geſtum. Eius tempus deſignaturus ſcriptor ſacer, *filius anni*, inquit, *erat Saul, cum regnaret, & biennio regnauit ſuper Iſrael. I. Sam. XIII. 1.* Quae verba non vna ratione exponuntur. Chaldaeus namque ita παραφράζει· *Sicut filius anni, in quo non ſunt reatus vlli, ſic fuit Saul, cum regnauit, & duobus annis regnauit ſuper Iſrael.* A litterali ſenſu nimirum diſcedens, ad innocentiam & ſimplicitatem Saulis refert, cum *filius anni* dicitur. Quae interpretandi ratio etſi omni funda-

mento

Digitized by Google

mento deſtituatur, veterum tamen Ebraeorum calculum haec expoſitio promeruit, vt R. SAL. IARCHIO, aliisque ad *h. l.* obſeruatum. Alii ex eadem gente verba haec ita capiunt, vt ſenſus ſit, ab vnctione regis vsque ad regni renouationem vel confirmationem, vnum effluxiſſe annum, ex eo vero tempore duos eum adhuc regnaſſe annos. Ita R. DAVID KIMCHI, qui addit, ſecundum alios Saulem in vniuerſum nonniſi duos regnaſſe annos, ſpeciatim ſecundum auctorem chronici, *ſeder olam*, dicti, quem plurimi ex gente ebraea ſequuntur. A KIMCHIO non multum abit R. LEVI BEN GERSON: R. SALOM. IARCHI autem ita explicat: *in ipſo anno primo, quo* (Saul) *rex factus eſt*, (*regnauit autem duobus annis*) *in primo inquam anno ſtatim elegit ſibi Saul 3000 &c.* At recte ex eiusdem gentis doctoribus R. IESCHAIAH obſeruauit, Saulem intra biennium omnia gerere non potuiſſe, quae illi tribuuntur, vnde biennium illud a tempore confirmationis regni vsque ad tempus, quo vnctus eſt Dauid, quoue adeo Saul ius regni amiſerit, extendit. Quae facilius equidem admitti ſententia poteſt, quam eorum, qui toti regno Saulis biennium ſaltem tribuunt, cum longe certiſſimum ſit, diutius Saulem regno praefuiſſe, vt in ſequentibus demonſtrabitur; interim, vt huc nos recipiamus, neceſſe non eſt, cum verba iſta aliter explicari & poſſint & debeant. Nonnulli equidem illud, *filius vnius anni*, ad antecedentia referunt, reliqua autem ad ſequentia, vt ſenſus ſit, Saulem filium vnius anni fuiſſe, hoc eſt, annum vnum in regno confeciſſe, cum ea, quae ſcriptor ſacer commemorauerat, contigiſſent, at cum iam per biennium regnaſſet, elegiſſe ſibi tria millia virorum ex Iſraele. Ita AVGVSTVS PFEIFFERVS, in *dub. vex. cent. II. loc. LXXI. pag. 370.* aliique, quos ibidem laudat. Sed planior adhuc expeditiorque mihi illorum ſententia eſſe videtur, qui verba haec ita explicant: *cum filius anni eſſet Saul in regnare ſuo, & iam altero anno regnaret ſuper Iſraelem*, hoc eſt, cum iam primum annum regni abſoluiſſet, & alterum annum ingreſſus eſſet. Suffragantur huic expoſitioni SEB. SCHMIDIVS, atque IOANNES CLERICVS, vterque ad *h. l.* Qui ad aetatem Saulis a tempore natiuitatis eius haec verba referunt, non poſſunt non textum corruptum adſerere, quod & praeter alios CHRISTIANVS SCHOTANVS facit, in *bibliotheca hiſtor. ſacr. vet. teſtament. tom. II. pag. 574.* Verum, id ſine ratione & nulla neceſſitate fieri, ex dictis abunde liquet.

Cum alterum itaque regni ſui annum Saul ingreſſus eſſet, elegit ſibi tria millia virorum ex Iſraele, quorum duo millia Michmaſi; & in monte Bethelis collocauit, non ac ſi Michmas & Bethel vnus idemque locus eſſet, ſed quod ex duobus iſtis millibus, quibus ipſemet Saul praeerat, pars Michmaſi, pars Bethele fuerit, mille vero Gibeae collocauit, iisque Ionathanem filium praefecit. Supra equidem

dem *cap. X. verſ. 5.* Philiſtaei Gibeae praeſidium habuiſſe dicuntur, vnde dubium oritur, quo pacto Saul ſub Ionathanis imperio ibidem praeſidium mille virorum collocare potuerit. Suntque nonnulli hanc ob cauſſam inducti, vt locum *I. Sam. X. verſ. 5.* commemoratum, diuerſum eſſe putarent ab eo, cuius hic mentio iniicitur. Poteſt tamen & ita haec difficultas tolli, ſi dicamus, Philiſtaeos non in ipſa vrbe Gibea, ſed circa illam, vel in regione iſtius vrbis caſtra, inque iis praeſidium habuiſſe; vrbem vero ipſam cum ſuis tenuiſſe Ionathanem. Eratque neceſſarium, vt praeſidium Iſraelitarum non remotum nimis a praeſidio Philiſtaeorum eſſet, vt illi horum cohibere inſultus poſſent. Eaque vtriusque praeſidii vicinitas bello quoque occaſionem praebuit. Percuſſit namque Ionathan *ſtationarium militem, qui in Gibea*, ſeu circa eam, erat. Vox נציב rectius per *ſtationarium militem*, quam per *praefectum*, hic redditur. LXX interpretes perperam pro nomine proprio habuerunt, vertendo: νάσιβ. Eſt autem admodum probabile, Saulem Ionathani in mandatis dediſſe, vt Philiſtaeis, ſi forte excurſiones in Iſraelitas facerent, aut alia ratione iniuriam iis inferrent, reſiſteret: quod cum faceret, res ad manus venit, praeſidiumque Philiſtaeorum a Ionathane percuſſum fuit. Hinc & Saul ſibi *verſ. 4.* hoc tribuit, dum Iſraelitis nuntiari iuſſit: *Percuſſit Saul ſtationarium Philiſtaeorum*, quia ſcilicet Ionathan ipſius mandato hoc fecerat. Nimirum cum Saul facile intelligeret, Philiſtaeos ex clade iſta ſibi illata belli occaſionem arrepturos, Iſraelitas Gilgalem conuocauit, vbi & conuenerunt. Nec defuerunt ſibi Philiſtaei, quorum inſuper adparatus bellicus ita comparatus fuit, vt non potuerit non ingentem terrorem Iſraelitis incutere. Habebant namque *triginta millia curruum, & equitum ſex millia, ceterae autem copiae aequabant multitudine arenam, quae eſt in littore maris.* Ingentem itaque eos habuiſſe exercitum, non eſt, quod dubitemus, etſi vltima verba ὑπερβολικῶς ſint intelligenda. Quod autem dicitur, eos habuiſſe *triginta millia curruum*, id nonnullis plane incredibile videtur, idque ideo, quod I) terrae, quam inhabitarunt Philiſtaei, tanta fuerit anguſtia, vt iſtum curruum numerum vix capere potuerit; II) nec facultates aut opes Philiſtaeorum tantae, aut tanta terrae illorum fertilitas, vt tot currus conducere aut conficere, aut tot equos, qui curribus iſtis iungendi, alere potuerint; III) quod ſi vel maxime ab aliis gentibus, praeſertim vicinis, auxilia Philiſtaeis ſubmiſſa contendas, quod tamen ſupponitur tantum, non probatur, eaedem occurrent difficultates, eum, vt reliqua taceam, ſaltem de commeatu illis proſpiciendum fuiſſet, qui tot equis, tot militibus, ſaltem per aliquos hebdomadas alendis ſuffecerit; accedit IV) quod longe maior hic ſit curruum numerus, quam equitum, cum curruum triginta millia Philiſtaei habuiſſe dicantur, equitum

Digitized by Google

tum autem ſaltem ſex millia; quod plane inſolens, cum alias apud veteres nunquam tantus curruum falcatorum numerus fuerit, quantus equitum. Haec aliaque, cum viri docti ſecum expenderent, nonnulli quidem in eam ingreſſi ſunt ſententiam, textum ebraeum hic corruptum eſſe, & pro שלשים *triginta* legendum שלוש אלף *tria millia.* Eoque hoc iis veroſimilius videtur, quod non tantum difficultates antea propoſitae hac ratione, ſi non tollantur, ſaltem imminuantur, ſed &, quod mutatio iſta, quae duarum litterarum adiectione facta, admodum leuis ſit, & in numeris facile contingere queat; quibus accedit, quod verſio ſyriaca ac arabica eidem ſententiae faueant. Ita ergo huncce nodum, ſi non ſoluunt, ſaltem ſecant LVDOVICVS CAPELLVS, in *critica ſacra lib. VI. p. 429.* SAMVEL BOCHARTVS, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. IX.* HVGO GROTIVS & IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* quibus & alii ſuffragantur. Alii vero, qui textum ſacrum corruptionis arguere merito religioni ſibi ducunt, difficultates iſtas ita tollere ſatagunt, vt recepta textus retineatur lectio. Nimirum obſeruant, I) cum Philiſtaei eo tempore longe fuerint potentiſſimi & late dominati ſint, non debere iſtas copias arctis illis Palaeſtinae proprie ſic dictae limitibus includi, ſed occupare potuiſſe regiones ad Palaeſtinam proprie ſic dictam non ſpectantes, imperio tamen eorum ſubiectas; vid. CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacr. veter. teſtament. tom. II. pag. 575.* II) Currus illos aliasque copias a gentibus vicinis magnam partem contrahi potuiſſe, quae cum alias Iſraelitas odio proſecutae ſint, in iis ſuppeditandis haud dubie non adeo difficiles fuerint; III) Neque ingenti pecunia, neque commeatu magno, ad copias iſtas conducendas aut alendas opus fuiſſe, cum quod ad prius attinet, ſpe praedae allici potuerint gentes variae, vt cum Philiſtaeis arma ſine ſtipendio iungerent; quod autem ad poſterius, apud veteres non inuſitatum fuiſſe, vt milites alimenta & pro ſe & pro iumentis ſecum adferrent. Denique IV) etſi plerumque maior equitum, quam curruum, numerus fuerit, non ſemper tamen idem obtinuiſſe, contendunt. His & alia adiungit vir clariſſimus, IOANN. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, qui omnium eruditiſſime receptam ſententiam defendit, in diſſertatione de *adparatu Philiſtaeorum bellico ad vindicandum locum I. Sam. XIII. verſ. 5.* Sed an ita omnibus dubiis plene ſatisfiat, aliis diiudicandum relinquo. Interim vir doctiſſimus celeberrimusque, idemque collega meus coniunctiſſimus, IO. ANDREAS DANZIVS, aliud quid excogitauit, quo hinc ſe expedire queat. Pro שְׁלֹשִׁים enim punctis vocalibus ſaltem mutatis שָׁלִשִׁים legendum putat, vt non *currus*, ſed *heroes mille curru pugnantes*, qui ne ducentos quidem currus poſtulant, intelligantur, *in corollario VII & VIII diſſertationi*

 de

de *antiquitate baptiſmi initiationis Iſraelitarum vindicata &c.* ſubiecta. Quae ſententia vt admodum ingenioſa eſt, ita hocce commodum habet, quod per eam non tantum difficultates antea commemoratae tollantur, ſed textus quoque ſacri integritati, qua litteras ipſas, conſulatur.

Iſraelitae ingentem illum Philiſtaeorum exercitum conſpicati, magnoque perculſi terrore, diffluebant, fuga ſaluti ſuae conſulentes, ſeque in ſpeluncas, ſaltus, rupes, aliaque loca munita & occulta abdentes, aut Iordanem etiam traiicientes, in Gaditidem & Gileaditidem ſe recepturi. Hoc fiebat, dum Saul aduentum Samuelis Gilgale per ſeptem dies exſpectabat. Id facere debebat, quotiescunque rem magni momenti ſuſcepturus erat, vt Samuel illi praeceperat *I. Sam. X. 8.* Ita namque verba iſta ſecundum nonnullos intelligenda eſſe, ſupra iam ad §. *III.* monuimus. Quodſi hoc non placeat, dicendum fuerit, Samuelem iterum, forte a Saule, de bello Philiſtaeis inferendo certiorem redditum, iuſſiſſe, vt ſe Gilgale per ſeptiduum exſpectaret. Nihil tamen video, quid obſtet, quo minus prior ſententia admittatur, quam & ſequentia confirmare videntur. Cum Samuel non ſtatim adeſſet, Saul, qui, populum diffluere, aegre ferebat, morae vlterioris impatiens, ſacrificia Deo obtulit. Nimirum, quod *verſ. 8.* dicitur: *& exſpectauit ſeptem dies ſecundum tempus conſtitutum,* &c. ita capiendum, quod ad ſeptimum vsque diem exſpectauerit. Cum vero die ſexto Samuel nondum adeſſet, & Saul ſeptimum adhuc exſpectare debuiſſet, morae, vt diximus, impatiens, ſeptimo ſacrificia obtulit. Quanquam nonnulli exiſtiment, quod ne ſeptimum quidem diem exſpectauerit, adeoque verba antea adlata ita explicant: *Incepit quidem Saul exſpectare ſeptem dies, ſecundum conſtitutum tempus, ſed exſpectare non perrexit.* Non obſtat, quod *verſ. 11.* Saul dicit: *& tu non veniſti ad conſtitutum tempus dierum,* id enim nec ſecundum priorem expoſitionem ſalua veritate Saul dicere poterat, cum ſecundum eam Samuel venerit, priusquam ſeptimus dies effluxiſſet: quanquam iterum alii, iſtorum verborum hunc ſenſum eſſe, exiſtiment: *& tu nondum veniſti ad me Gilgalem, quemadmodum & adeſſe iam ſecundum conſtitutum tempus dierum non debebas;* vid. SEBAST. SCHMIDIVS, *comment. ad I. Sam. XIII. qu. III. p. 402.* Quaecunque adſumatur expoſitio, illud conſtat, Samuelem intra tempus praefinitum, adfuiſſe, adeoque in eum culpam admiſſi criminis a Saule non potuiſſe conferri. Obtuleritne ipſe Saul ſacrificia, an per ſacerdotem, qui forte adfuit, offerri curauerit, viri docti inter ſe diſſentiunt. Verba textus illis, qui prius adfirmant, magis fauent. Dicit enim Saul ad populum: *adducite ad me holocauſtum &c.* Interea, dum iſtud fiebat, adueniebat Samuel, ſtatimque, prophetico forte ſpiritu rem omnem edoctus, quid feciſſet, Saulem interrogauit. Saul quidem factum vtcunque excuſauit,

Digitized by Google

uit; ſed quam parum vana iſta excuſatione profeciſſet, mox intellexit, cum Samuel regereret: *ſtulte egiſti, qui non obſeruaſti praeceptum Iehouae Dei tui, quod tibi dedit, quia nunc regnum tuum in Iſraelem in perpetuum confirmaſſet &c.* Praeceptum Dei non aliud intelligitur, quam quod Deus ei per Samuelem dederat, vt aduentum eius Gilgale per ſeptem dies exſpectaret. Eo magis vero in ea ſententia confirmor, verba *cap. X. 8.* vt antea obſeruauimus, de eo intelligenda eſſe, quod ſemper in rebus magni momenti Saul facere debebat. Nec enim alia huius praecepti mentio occurrit, ſimulque patet, non ſine grauiſſima ratione illud ibidem commemorari. Quaeri autem ſolet, quodnam peccatum Saulis fuerit, & num tam graue fuerit, vt ideo poſteritas eius regno fuerit priuanda? Peccaſſe equidem Saulem exiſtimo, quod ipſemet ſacrificium obtulerit, cum ſacerdotum hoc eſſet proprium: idque forte ad reliqua acceſſit: praecipuum tamen peccatum, quo Numinis iram in ſe concitauit, haud dubie hoc fuit, quod aduentum Samuelis non exſpectauerit. Nec leue illud peccatum cenſeri debet. Primo enim admodum probabile, hoc praeceptum de Samuele per ſeptem dies exſpectando, Deum ideo dediſſe, vt obſequium & patientiam Saulis exploraret: in quibus praeceptis exactum obſequium requiri ſolet. Deinde, dum Saul iſtud praeceptum inſuper habuit, non tantum animum immorigerum, ſed incredulum etiam, promiſſionibusque diuinis haud ſatis fidentem, demonſtrauit. Accedere & alia animi vitia potuere, quae plerumque cum incredulitate & diffidentia in Deum coniuncta ſunt, & quae, ſi iunctim ſpectentur, facile perſuadebunt, peccatum Saulis longe fuiſſe grauiſſimum. Comminationis autem a Samuele prolatae non hicce ſenſus eſt, quod ſtatim eo ipſo tempore regia dignitate exciderit Saul, vt nonnulli perperam ſibi perſuadent, ſed hoc ſaltem dicit: *regnum tuum non conſiſtet;* hoc eſt, non erit firmum, ſed a poſteris tuis auferetur. Decreuerat equidem Deus, regiam dignitatem in gente Saulis conſeruare, ſed ea lege, ſi praeceptis diuinis morem gereret; idque eſt, quod Samuel dicit: *quia nunc regnum tuum in Iſraelem in perpetuum confirmaſſet:* quia vero iam antea Deus vidit, Saulem praeceptis ſuis morem non geſturum, ſimul & decreuit, regiam dignitatem ab eo in Dauidem eiusque poſteros transferre, quod & *Gen. XLIX. 10.* praedixerat. Et hac quidem ratione haec inter ſe conciliari poſſunt. Interim Saul iſtam Samuelis comminationem parum curaſſe videtur. Non enim legimus, quod eum rogauerit, vt Deum pro ſe precaretur. Nec vero Samuel ideo Saulem deſeruit, ſed potius auctor fuit, vt ſecum vna cum populo, qui reſtabat, Gibeam Beniaminis adſcenderet, animos eorum per diuinas promiſſiones haud dubie ibi confirmaturus; vbi cum Saul copias recenſuiſſet, ſexcentos circiter adeſſe viros, deprehendit.

Philiſtaei autem tria e caſtris ſuis emiſerunt agmina, quae longe lateque Iſraelitarum regiones in conſpectu Saulis deuaſtabant. Eoque minus Sauli iſtos hoſtium inſultus cohibere licebat, quod non ſexcentos tantum circiter viros ſecum haberet, ſed his ipſis quoque iuſta deeſſent arma. Fabros enim ferrarios Philiſtaei ex terra Iſraelitica abſtulerant, qui arma conficere poſſent: vt etiam, ſi inſtrumenta colendis agris neceſſaria cudenda eſſent, ipſi Philiſtaei Iraelitis adeundi eſſent. Nec quisquam inuentus eſt, qui gladio & haſta inſtructus eſſet, praeter Saulem & Ionathanem. Nec inſolens apud veteres fuit, ademtis armis ſimul nocendi vim hoſtibus adimere. Porſena namque in federe cum Romanis poſuit: *ne ferro, niſi in agricultura, vterentur.* Tacent id hiſtorici, vt pudendum victori poſtea gentium populo, at PLINIVS ingenue fatetur, *hiſtor. nat. lib. XXXIV. cap. XIV.* obſeruante HVGONE GROTIO, ad *h. l.* Qui de toto populo Iſraelitico hoc intelligunt, in magnas ſe coniiciunt difficultates. Quis enim credat, Iſraelitas ingenti victoria contra Ammonitas ſine gladiis aliisque armis potitos? Quare probabile, de certo tantum tractu, qui ſub ditione Philiſtaeorum fuit, hoc adſeri: ex quo cum haud dubie ſexcenti iſti fuerint, qui apud Saulem remanſerant, de his tantum intelligendum, quod gladiis & haſtis fuerint deſtituti. Poteſt inſuper hoc & ita intelligi, quod inter ſexcentos illos nemo fuerit, qui gladio vna cum haſta inſtructus fuerit, excepto Saule & Ionathane, etſi non defuerint, qui aut gladio aut haſta inſtructi eſſent. In eo rerum ſtatu dum res Ebraeorum erant, Ionathan ſingulari Numinis inſtinctu concitatus, ſolo comitatus armigero ſuo, Philiſtaeorum adgredi praeſidium ſecum conſtituit. In extremis nimirum Gibeae, cuius iam aliquoties mentio facta, quaeue Beniaminis dicebatur, finibus Saul conſederat, ſub *malo punica*, aut potius in *planitie Rimmon*, cum Rimmon ſcopuli nomen fuiſſe, ex *Iud. XX. 45.* conſtet, in tractu ſiue agro, cui nomen *Migron* fuit. Adfuit in caſtris & Achia, pronepos Eli, qui & alias Achimelech dictus, pater Abiatharis, qui, quod ſummus ſacerdos eſſet, ephodum gerebat. Vnde, & arcam federis adfuiſſe, colligas, quae ex Gibea, vbi alias erat, ceu vrbe vicina, facile eo transferri potuit, niſi dicere malis, manſiſſe arcam Gibeae, vbi erat, Saulemque eo miſiſſe, ad conſulendum Iehouam. Ita ſane ratio reddi poteſt, cur Saul reſponſum Dei exſpectare noluerit, cum temporis aliquod ſpatium, dum hinc inde iretur, requirebatur. Sed hac de re deinceps.

Ionathan itaque, vt ad eum redeamus, ſpe & fiducia plenus, per viam anguſtam & aſperam intra duas rupes cum armigero ad Philiſtaeorum praeſidium enititur, hocce ſibi & armigero conſtituto ſigno, ſi Philiſtaei dicturi eſſent, *adſcendite ad nos*, inde ſe intellecturos, victoriam ſibi a Deo deſtinatam. Non ſine Numinis inſtinctu

Digitized by Google

ctu & hoc quoque factum, vt credamus, par eſt. Ceteroquin enim nec temeritate, nec ſuperſtitione vacat, ſi quis eiusmodi omen ſibi conſtituat. Falluntur que adeo Ebraei quidam doctores, qui hinc diſputant, quando licitum aut illicitum ſit, omen aliquod ſibi conſtituere. vid. R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* add. CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. vet. teſtamenti tom. II. p. 580.* Cum itaque Philiſtaei, haud dubie illi, qui excubias in vertice montis agebant, Ionathanem cum armigero ad ſe adſcendentem viderent, primo contemtim ad ſe inuicem dixerunt, ex antris, in quae timidorum animalculorum inſtar ſe abdidiſſent, Ebraeos egreſſos; mox Ionathanem cum armigero adlocuti, *adſcendite*, inquiunt, *& aliquid vobis patefaciemus.* Per ironiam hoc dictum, nemo forte dubitabit, etſi fieri potuerit, vt ingens terror diuinitus immiſſus illos occupauerit, quem diſſimulare thraſonicis iſtis verbis voluerint. Vltima enim verba hoc ſibi volunt, efficiemus, vt intelligatis, quod ignorare videmini, quantae temeritatis ſit, ſi duo viri integrum exercitum laceſſere audeant. Signo iſto confirmatus Ionathan, cum armigero intrepide adſcendit, Philiſtaeosque, qui conſpectum eius ferre non poterant, metu quippe perculſos, cum armigero percuſſit, vigintique viros occidit. Non eſt, vt cum FLAVIO IOSEPHO, &, qui eum ſequitur, HVGONE GROTIO ad *h. l.* ſtatuamus, Ionathanem noctu dormientes obruiſſe & occidiſſe, aut vt aliud quid comminiſcamur, quo probabile reddatur, viginti viros a duobus interfici potuiſſe. Non enim ſine miraculo quodam haec omnia geſta eſſe, res ipſa aperte docet. Magna tum inter omnes Philiſtaeos orta eſt trepidatio, ingensque terror non eos tantum, qui in caſtris erant, ſed reliquos etiam, qui in excubiis erant, aut pabulatum, vel ad praedam agendam exiuerant, inuaſit. Dicitur etiam ותרגז הארץ *& commota eſt terra*, quod licet tropice intelligi queat, de ingenti tumultu, qui inter Philiſtaeos ortus eſt, nihil tamen obſtat, quin & proprie de terrae motu capiatur; ſane ita accepit IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* FLAV. IOSEPHVS haec ita deſcribit, vt more ſuo multa de ſuo addat, *antiquit. iud. libr. VI. cap. VII. pag. 181.* Nec verum eſt, quod idem refert, tumultum Philiſtaeorum per exploratores Sauli adnuntiatum: per ſpeculatores, qui in parte quadam edita aut turri Gibeae collocati erant, hoc factum, ſcriptura adſerit. Saul cum recenſitis ſubito copiis, Ionathanem cum armigero abeſſe, cognouiſſet, cum incertus haereret, num occaſione hacce vti, & adgredi Philiſtaeos deberet, Deum per vrim & thummim conſulere ſecum conſtituit. Ad Achiam itaque ſacerdotem, *admoue*, inquit *arcam Dei.* Arcam federis aut in caſtris, aut Gibeae potius fuiſſe, iam antea obſeruauimus. Hanc proferri & in loco publico poni Saul voluit, vt Deus rite per vrim & thummim conſuleretur. Ebraeorum doctores

non arcam federis, ſed aliam quandam, in qua veſtes ſacerdotales adſeruabantur, intelligunt. Sed iſtud illorum de duplici arca commentum iam ſupra exploſimus. FLAVIVS IOSEPHVS, vt alias, ita & hic demonſtrat, ſe neſciuiſſe, quid ſit vrim ac thummim, aut illud dicere noluiſſe, dum ita verba facit: *κελεύει τὸν ἀρχιερέα λαβόντα τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν προφητεύειν αὐτῷ περὶ τῶν μελλόντων· iubet pontificem ſumto ſacerdotali habitu de futuris vaticinari, l. c. p. 281.* Dum vero ſacerdos ſummus in eo erat, vt ad conſulendum Deum ſe praepararet, Saul cum intelligeret, tumultum in caſtris Philiſtaeorum augeri, nihil amplius ſibi cunctandum, nec occaſionem clade hoſtes adficiendi praetermittendam, ratus, *retrahere manum* ſacerdotem iubet, hoc eſt, ab inſtituto Deum conſulendi deſiſtere, cum hoc tempus non permitteret, aut, ſtatu Philiſtaeorum iam cognito, ſuperuacaneum putaret. Qua in re cum animum leuem, profanum, temerarium, Numinis parum reuerentem Saul prodiderit, grauiter iterum eum peccaſſe, non eſt, quod dubitemus. Hinc ſine mora cum copiis, quas ſecum habebat, ad hoſtes properat, qui in ſummam confuſionem coniecti, mutuis caedibus ſe inuicem conficiebant, Ebraeis inſuper, qui in caſtris Philiſtaeorum erant, & quos contra populares militare coegerant, in eos inſurgentibus, ſimul iis, qui in montanis Ephraimi latebant, prorumpentibus, & ita iunctim perſequentibus hoſtes. His omnibus occiſi hoſtes haud dubie arma praebuerunt, ſi forte illis fuerint deſtituti.

Dum autem Iſraelitae hoſtes perſequebantur, Saul laetitia exſultans, & nimia vlciscendi cupidine abreptus, ne occaſio elabendi hoſtibus praeberetur, adiurauit populum, ne quis ad veſperam vsque aliquid comederet, aut cibum vllum deguſtaret. Populumque hoc iusiurandum acceptaſſe, ſeu in illud conſenſiſſe, oportet: ceteroquin nullam vim obligandi habuiſſet. Ex inconſulto animi impetu iſtud profectum, adeoque & Saulem hac in re ab imprudentia & temeritate, hinc & a nominis diuini profanatione excuſari non poſſe, res ipſa demonſtrat. Idque euentus docuit; cum longe maius incommodum, quam commodum inde exſtiterit. Populus enim fame defatigatus, viribusque exhauſtus, tam ſtrenue hoſtes perſequi non potuit, quam ceteroquin facturus fuiſſet, ſi ſumto cibo corporis vires reficere ei licuiſſet. Vnde haud obſcure hocce Saulis iusiurandum improbauit vir ille, qui Ionathanem de eo certiorem reddens, addebat: *quamobrem defeſſus eſt populus*, ac ſi diceret vellet, ob ieiunium iſtud populus defatigatus eſt, & hoſtes vlterius perſequi nequit. Apertius id improbauit Ionathan ipſe, dum *perturbauit*, inquit, *pater meus terram, videte quaeſo, oculos meos acutius videre, quia aliquantulum huius mellis deguſtaui: vtinam etiam hodie populus paſtum cepiſſet, ex ſpoliis hoſtium ſuorum, quae inuenit! Etenim nunc non magno vulnere adfecti ſunt Philiſtaei.* Interim

etſi

etſi Saul inconſulta iſta & temeraria adiuratione peccauit, populus tamen, quia in iſtud iuſiurandum conſenſit, recte fecit, quod accurate illud ſeruauit, neque quidquam mellis, quod in ſilua erat, quam ingreſſi fuerant, vt illud deguſtaret, attigit. Mel autem intelligitur ſilueſtre, quod in truncis arborum, aut cauernis, apes facere ſolent: de quo plura SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. II. libr. IV. cap. XII.* SALOM. IARCHI, *cannam ſacchari* intelligit, refutatus ideo a R. DAV. KIMCHIO ad *h. l.* conf. CHRISTIANVS SHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. p. 583.* Ionathan autem quiadiurationem patris non audiuerat, aliquid mellis deguſtauit, vnde *illuminati ſunt oculi eius*, ſeu acutius viderunt oculi eius. Vt enim fame corporis vires minuuntur, ita oculi hebeſcunt, quibus robur ſuum iterum conciliatur, ſi quis aliquid cibi capiat. Neque peccauit hac in re Ionathan, qui patris *iuſiurandum* ignorabat, nec in illud conſenſerat; immo improbabat potius, cum illud intelligeret. Interea, cum veſpera adpropinquaſſet, & populus defatigatus eſſet, e praeda pecudes feſtinanter rapit, humique mactat, & carnem cum ſanguine, ſeu non ſatis a ſanguine purgatam, vorat, quod contra legem Moſaicam erat. Qua re intellecta Saul ingens ſaxum ad ſe aduolui iubet, populoque per praecones edici, vt in iſto ſaxo pecudes mactarent. Nimirum commodius in ſaxo ſeu ſuper ſaxum exprimi ſanguis poterat, quam ſi in terra pecudes mactarentur. Haud dubie etiam nonnullos Saul conſtituit, qui modum mactationis obſeruarent, diſpicerentque, vt caro ab omni ſanguine quam adcuratiſſime purgaretur. Recte id ita a Saule conſtitutum eſſe, nemo temere dubitauerit: etſi nonnulli hic quoque hypocriſin eius notent, quod de rebus leuioris momenti adeo ſollicitus fuerit, cum in grauioribus praecepta diuina migrare ſibi non duceret religioni. Referunt huc etiam, quod mox additur, eum altare domino exſtruxiſſe. Cum enim ſatis manifeſtum ſit, non ideo hoc factum, vt in eo ſacrificia offerrentur, relinquitur, quod in ſignum ac monumentum victoriae hoc factum fuerit. Adeoque de ſua magis gloria memoriaque ad poſteros propaganda, quam vlla alia re ſollicitus fuiſſe videtur. Populus cum cibo recreatus eſſet, Saul eum per integram noctem perſequi Philiſtaeos voluit. A ſacerdote autem admonitus, cum ipſe de Numinis voluntate parum ſollicitus videretur, per vrim & thummim Deum conſuluit, an perſequi vlterius Philiſtaeos deberet; at ex ſilentio intellexit, iratum Deum eſſe, idque haud dubie ob ingens, quo aliquis ſe obſtrinxiſſet, crimen. Et hactenus non errabat: potuiſſetque, ſi ſeipſum explorare voluiſſet, cauſſam iſtius ſilentii facile cognoſcere. Ipſi enim Sauli Deus iratus erat, ob varia, quae in iſta Philiſtaeorum clade commiſerat, peccata. Ipſa quippe illa temeraria populi adiuratio vitio non carebat, vt iam diximus. Sed & dum antea ſacerdotem,

qui

qui Deum interrogare volebat, pergere in hoc inſtituto noluit, animum leuem & profanum ſatis prodidit. Nunc etiam Deum non conſuluiſſet, niſi admonitus fuiſſet, a ſacerdote. At Saul, qui mos eſt hypocritarum omnium, ſe innocentiſſimum ratus, culpamque in alio haerere credens, ſtatim in eam deuenit cogitationem, forte quendam contra adiurationem ſuam cibum ante veſperam cepiſſe, hinc ſorte explorare voluit, quis nocens eſſet, addito iterum iureiurando prorſus temerario, moriturum, qui peccaſſet, quicunque demum eſſet. Sorte Ionathan deprehenſus eſt, qui & ingenue, quid feciſſet, faſſus eſt. Nimirum non ita hoc eſt intelligendum, ac ſi ſors diuina Ionathanem peccatorem deſignaſſet, vel peccati redarguiſſet, ſed, quia Saul reſciſcere ſaltem volebat, quis contra adiurationem ſuam egiſſet, non alius ſorte diuina deſignari poterat, quam Ionathan. Inde autem non ſequitur, peccaſſe Ionathanem; quem nullo ſe obſtrinxiſſe crimine, eo quod patris adiurationem ignoraret, ante iam pronuntiauimus. Interim cum factum ſuum confeſſus eſſet Ionathan, addidit: *Ecce ego morior.* Quae verba nonnulli ita capiunt, ac ſi Ionathan ſe ad moriendum paratum dixerit: hinc & obedientiam eius laudant. Ita FLAV. IOSEPHVS, apud quem Ionathan magno & generoſo animo, praeſenti ne quidquam territus periculo, ita patrem adloquitur: *οὐδ' ἐγώ σε ἱκετεύσω φείσασθαί μου πάτερ· ἥδιστος δέ μοι ὁ θάνατος, ὑπέρ τε τῆς εὐσεβείας γενόμενος, καὶ ἐπὶ νίκῃ λαμπρᾷ· μέγιστον γὰρ παραμύθιον τὸ καταλιπεῖν Ἑβραίους Παλαιστινῶν κεκρατηκότας·* *Nihil deprecor, pater. Libenter enim hanc mortem fero, quae te religione ſoluat, dum prius tam magnificam victoriam videre contigit. Maximum enim mihi fuerit ſolatium, Palaeſtinorum inſolentiam ab Ebraeis eſſe perdomitam; antiquit. iud. lib. VI. c. VII. pag. 182.* At alii interrogatiue verba Ionathanis accipiunt, *ecce! ego moriar?* ego, qui nihil, quod morte dignum, commiſi: vt ita & innocentiam ſuam Ionathan demonſtrauerit, & patrem temeritatis ſuae in adiurando populo redarguerit. Saul vero, cum nouo, eoque itidem valde temerario iureiurando adfirmaſſet, Ionathani moriendum eſſe, populus interceſſit, eumque, qui tantae victoriae poſt Deum auctor exſtitiſſet, morti tradi noluit. Et ea quidem ratione liberatus eſt, maximumque periculum euaſit Ionathan.

*** In compendio iſta Saulis geſta indicantur *I. Sam. XIV. 47. ſeqq.* Bella namque geſſiſſe dicitur cum Moabitis, Ammonitis, Idumaeis, regibus Zobae, plures enim forte eiusdem gentis eo tempore fuere reguli, atque Palaeſtinis, gente potentiſſima atque feroeiſſima; quacum perpetuum ei certamen fuit. Vnde & exercitum quendam ex fortiſſimis viris collectum, quem iis opponeret, in promtu eſſe voluit. Reliquae enim gentes armorum eius felicitate perterritae conquieuiſſe videntur. Amalekitas itidem de-

le-

Digitized by Google

leuit, de quibus ſequenti capite ſcriptor ſacer ex inſtituto agit. LXX. interpretes his gentibus addunt: τὴν Βαιθαιώρ, *Baeth-eor*, ſeu *domum aeor*. Sed ſine ratione. Nec conſtat, quid iſta voce ſibi voluerint. De liberis & familia Saulis, quae notatu digna ſunt, *ibid. verſ. 29. ſeqq.* exponuntur.

§. V.

Interim Saul talia commiſit, quibus indignum ſe tanta felicitate, ipſoque regno redderet. Praeterquam enim, quod animum leuem & profanum, mandatisque diuinis non ita, vt decebat, morem gerentem, ſubinde demonſtrauerat, nouo mox ſe obſtrinxit crimine, bello, quod iuſſu Numinis contra Amalekitas ſusceperat, non ex eius voluntate atque praeſcripto, geſto. Intempeſtiua enim miſericordia ductus, & auaritia excoecatus, non tantum Agago regi pepercit, ſed pretioſa quaeuis, & quicquid in iumentis & pecoribus praeſtans erat, ſibi in praedam ſeruauit, viliſſima ſaltem ferro & igne conſumſit. Et licet grauiter ideo a Samuele increpitus peccatum agnoſceret, obtinere tamen, vt mutaretur, quod ſemel iuſtiſſimis de cauſſis decretum erat, non potuit, eo quod minus ſincere ea in re ſe gereret.* Immo Samuel Dauidem filium Iſai, natu minimum, iuuenem corporis animique dotibus praeſtantem, in futurum Iſraelis regem, diuini Numinis iuſſu, vnxit.**

* Quo pacto Saul non vnum animi leuis & profani documentum dederit, ex iis, quae ad §. *praecedentem* diximus, abunde patet. Nunc nouo eoque enormi peccato id effecit, vt reprobatione eius ei iterum ſignificata, Dauid rex futurus, eiusque ſucceſſor deſignaretur. Occaſionem praebuit bellum cum Amalekitis geſtum. Ad quod dum Numinis mandato Saulem Samuel excitat, ſermonem his verbis orditur: *miſit me Iehoua ad te inungendum regem in populum ſuum, in Iſraelem: nunc autem audi vocem Iehouae.* Non ſine cauſſa ſingulari factum videtur, vt officii regii ſimulque beneficii a Deo accepti cum admoneret; & hoc ipſo ad accuratius obſequium mandatis diuinis praeſtandum eum adhortaretur. Cum enim Samueli animus leuis & inconſtans Saulis perſpectus eſſet, hoc neceſſarium videbatur. Nec ſine Numinis directione ſingulari id contigit. Eo minus enim Saul de iniuria per reprobationem ſibi illata deinceps conqueri poterat, quo accuratius ſui admonitus erat officii. Cauſſa belli erat, quod Deus peccata Amalekitarum, ſpeciatim iniuriam genti Iſraeliticae olim illatam, per gentis iſtius exſtirpationem, punire voluerit. Vnde, quin licitum illud bellum fuerit, dubitare non licet. Verum quidem eſt, quod

vni-

vniuerſitas non ſemper puniri queat, vt recte HVGO GROTIVS docet, de *iure belli & pac. lib. II. c. XXI. §. VIII.* & maiorum delicta poſteris imputari nequeant: cum autem Deus Amalekitas, qui tranſitum Iſraelitis denegauerant, ſtatim punire potuiſſet, hanc poenae dilationem poſteri eorum pro ſingulari Numinis gratia reputare debuiſſent. Ea vero cum ad emendationem ſuam, quorſum ſpectauit, non eſſent vſi, ſed nouis potius iisque grauiſſimis peccatis Deum irritaſſent, iam merito vim iuſtitiae diuinae experiebantur, nec vlla iis fiebat iniuria. Iungenda, quae ad *per. II. ſect. I. §. XVII.* dicta ſunt. Dicit Deus: פקדתי *viſitaui*, quod de viſitatione, quae animo fit per recordationem, nonnulli interpretantur, vt ſenſus ſit: *ad animum reuocaui.* Alii de adfectu capientes, praeteritum pro futuro poſitum exiſtimant. Saul vt voluntati Numinis morem gereret, exercitum congregauit, eumque recenſuit בטלאים *Telaimis.* Quin enim vox *Telaim* hic ſit nomen proprium loci, nullum eſt dubium. Nec repudianda illorum coniectura, qui eandem hanc vrbem eſſe dicunt, quae *Ioſuae XV. 24.* טלם *Telem* dicitur. Quare & audiendi non ſunt, qui hanc vocem per *agnum* vertunt: quae ſententia lepidis iudaeorum commentis occaſionem dedit. Chaldaeus namque paraphraſtes *agnos paſchales* intelligit, quia tum paſcha fuerit: regemque hos agnos numerare iuſſiſſe, vt numerum populi intelligeret. Alii, iique haud infimi ordinis ex eadem gente, ſupponentes, illicitum fuiſſe, numerare populum per capita, ſingulos adduxiſſe agnum e gregibus regiis, autumant, & ita numeratis in ſpatioſo campo agnis, populi quoque numerum regi innotuiſſe. Quae vt ſuperſtitionem iudaicam palam redolent, cum populum numerare, ſi absque ambitione, aut alio animi vitio hoc fiat, nullibi prohibitum ſit: ita ex eadem gente praeter alios R. DAVID KIMCHI recte agnouit טלאים eſſe nomen proprium. conf. IO. BVXTORFFIVS, *anticrit. pag. 778.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. II. loc. LXXI. pag. 371.* CHRIST. SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtament. tom. II. pag. 591.* Recenſito itaque exercitu, terram hoſtium ingreſſus, peruenit ad *vrbem Amalek* i. e. Amalekitarum. Vrbis enim cui hoc nomen haeſerit, nullibi fit mentio. Haud dubie itaque vrbs praecipua, forte & vnica Amalekitarum fuit, eaque regia ſedes. De Kenaeis, qui inter Amalekitas habitabant, & quos Saul emigrare iuſſit, ſupra dictum, ad *ſect. praeced. §. XVI.* Tum adgreſſus Amalekitas magna clade adfecit, eosque ab Hauilah vsque ad Sur cecidit, & omnem populum gladio ad internecionem deleuit. FLAVIVS IOSEPHVS addit, eum oppidatim circumtuliſſe bellum, alia machinis, alia cuniculis operibusque, alia fame ac ſiti, alia alia ratione oppugnaſſe, *antiqu. iudaic. lib. VI. cap. VIII. pag. 183.* Sed ſcriptura, vti dictum, vnius tantum vrbis meminit: eſtque probabile, gentem alendis paſcendisque gregi-

gi-

Digitized by Google

gibus intentam, in pagis & vicis habitaſſe, nec praeter regiam ſedem vrbes alias munitas habuiſſe. Saul autem, diuini praecepti immemor, & ſiue commiſeratione, ſiue alia quacunque cauſſa adductus, Agago regi, quem viuum ceperat, pepercit, non minus, ac optimis pecudibus, idque, vt credibile eſt, ob auaritiam. Quae vilia & nullius pretii fuerunt, deuouerunt. Populo equidem non minus, quam Sauli, hoc tribuitur; ſed, quia populus iuſſu & auctoritate Saulis hoc fecit, ſaltem facere non potuiſſet, ſi ille non permiſiſſet, in illum criminis illius culpa haud immerito praecipue redundauit.

Deus namque Samuelem in viſione ita adlocutus eſt; *poenitet me regem creauiſſe Saulem, quia a me deflexit, neque verba mea rata habuit.* Vt disquiramus, quo pacto poenitentia Deo tribuatur, neceſſe non eſt, cum nemo non intelligat, Deum humano de ſe ipſo loqui more. Legi interim poſſunt, quae hac de re differit AVGVSTINVS, *lib. II. ad Simplicianum, quaeſt. II.* De Samuele dicitur: ויחר לשמואל *& accenſa eſt ira Samueli*, ſeu *iratus eſt, & tota nocte inuocauit Deum.* Vulgatus vertit: *contriſtatusque eſt Samuel.* At nihil obſtat, quo minus receptam irae ac indignationis notionem retineamus. Iraſci enim Sauli ob facinus illud potuit, vt nihiloſecius eum conſeruatum vellet, adeoque per totam noctem Deum pro eo precaretur. Dum vero Samuel in eo erat, vt Sauli obuiam iret, hic Charmelum, quae vrbs erat in montanis Iudae, *Ioſ. XV.* 55. venerat, ibique dum erat: והנה מציב לו יד *& ecce! conſtituit ſibi manum;* quod LXX interpretes ad verbum reddunt; ἀνέςακεν αὐτῷ χεῖρα, at HIERONYMVS: *erexit ſibi fornicem triumphalem.* Nimirum monumentum aliquod intelligitur, ſiue columna lapidea, ſiue aliud quid fuerit, quod in ſignum & memoriam victoriae ab Amalekitis reportatae, Saul ſibi erexit. Nouoque adeo ſpecimine patuit, de ſua potius gloria, quam obſequio mandatis diuinis exhibendo, illum ſollicitum fuiſſe. Gilgalem cum veniſſet, occurrentem ſibi habuit Samuelem, ad quem quaſi re bene geſta: *benedictus tu Iehouae*, inquit, *perfeci verbum Iehouae.* Quam vero egregie verbum domini perfeciſſet, mox illi oſtendit Samuel, animumque immorigerum & voluntati Numinis parum obſequentem illi exprobrauit, cum tamen ex ea conditione, quam ipſemet olim pro humili & abiecta reputaſſet, ad regiam dignitatem, ex ſola Numinis gratia euectus eſſet. Hic enim planiſſimûs verborum: *nonne, cum paruus tu eſſes in oculis tuis, caput tribuum Iſraelis tu?* ſenſus eſt. Saul facinus ſuum excuſare conatus eſt, qui mos eſt improborum hominum, qui innocentes ſibi videntur, etſi vel maxime diuinas leges aperte violent. Primo dicit, *ſe adduxiſſe regem Amalekitarum*, Amalekitas vero internecione deleuiſſe. Videtur hoc innuere, ſe ideo adduxiſſe regem, vt, ſi Samueli videretur, interficeretur. Id vero vt haud dubie

ita fingit, ita peccaſſet nihiloſecius, ſi vel maxime res ita ſe habuiſſet; cum ex praeſcripto Numinis regi non magis, quam populo, parcere debuiſſet. Ad pecudes, quod attinet, culpam in populum coniicit: *populus tantum cepit ex praeda minores pecudes & boues;* cum tamen ſine eius conſenſu aut permiſſione hoc populus facere non potuiſſet. Tandem & religionem obtentui ſumit, ſeruatas pecudes, dicens, *ad ſacra Deo Gilgale facienda.* Quod cum ſpeciem quandam haberet, Samuel ad illud ita reſpondet, vt oſtendat, ſacrificia omnemque cultum externum tum demum Deo gratum eſſe, ſi cum interno animi obſequio coniunctus ſit: qui enim voluntati diuinae morem non gerit, eiusmodi eum committere crimen, quod cum diuinatione & idololatria, peccatis vtique grauiſſimis, comparandum ſit. Deſtinato enim conſilio, qui praecepta diuina migrat, ipſum Deum aeque repudiat, ac homines idololatriae & artibus diuinatoriis magicisque dediti. Repudiatum ergo Saulem dicebat, ne amplius rex eſſet, vt ipſe verbum Dei repudiaſſet. Et hic quidem peccatum tandem agnouit, ſed iterum excuſatione vſus eſt, in populi gratiam illud ſe feciſſe, obtendens, quo ipſo, ſeriam ſuam poenitentiam minime eſſe, demonſtrauit. Interim Samuelem rogat, vt ſecum reuerteretur ad adorandum Deum, ſperans, fore, vt Deus precibus ſe flecti pateretur, atque decretum de regno in alium transferendo mutaret. Renuens vero Samuel denuo eum a Deo repudiatum diſerte confirmauit, cumque ora pallii eius, quam Saul adprehenderat, laceraretur, Samuel, hinc ſymbolum eum capere poſſe, adiecit, quod Deus regnum eius diſcidiſſet, & in alium illud translaturus eſſet. Quae omnia vt & prima illa comminatio de poſteritate Saulis intelligenda ſunt, quod regnum a gente eius auferendum, & in aliam gentem transferendum ſit: ipſe enim Saul rex manſit, & a Dauide etiam pro tali agnitus eſt, quamdiu vixit:

Confirmatur itaque hic denuo, quod iam antea Samuel Sauli praedixerat, niſi dicere velis, hic ſimul innui, mortem eius accelerandam, per quam ab ipſo pariter ac gente eius regnum ſit auferendum. Qua de re ne amplius dubitaret, Samuel addidit: *Profecto victoria Iſraelis non mentietur, neque Deum poenitebit, nam non eſt homo vt eum poeniteat.* Vocat deum נצח ישראל *victoriam Iſraelis*, hoc eſt, eum, cui victorias contra hoſtes vnice imputare debebant: quanquam & *aeternitatis* notio hic in cenſum venire queat, quae decretorum diuinorum immutabilitati aptiſſime conuenit. LXX habent: *καὶ διαιρεθήσεται Ισραὴλ εἰς δύο*, quod plane alienum eſt. Quod autem hic dicitur, Deum nullius rei poenitere, cum antea ipſemet Deus dixerat, poenitere ſe, quod Saulem regem feciſſet, nullam difficultatem habet, cum interdum proprie & *θεοπρεπῶς*, interdum *ἀνθρωποπαθῶς* & more humano de ſe loquatur, & decreta diuina in ſe ſpectata immuta-

bi-

bilia ſint, ſalua tamen hominum libertate, ratione mutationis autem, quae in hominibus contingit, mutationem quandam ſubire videantur. Tum Saul iterum, *peccaui*, inquit, *ſed honorem hunc mihi exhibeto coram ſenibus populi mei &c.* Non veram, ſed hypocriticam Saulis fuiſſe poenitentiam hinc iterum intelligitur, cum non tam de placando Numine, quam conſeruanda & tuenda dignitate ſua coram populo, ſollicitus eſſet. Samuel vero hactenus petitis eius gratificari potuit, vt illum ſequeretur, quia iam ſatis aperte voluntatem Numinis de regno a gente eius auferendo illi indicauerat, adeoque ex eius praeſentia neque Saul, nec alius quis colligere poterat, Samuelem quicquam agere, quod decreto Numinis aduerſum eſſet. Cum etiam ipſi Sauli regia dignitas non ademta eſſet, quam retinere potius, quamdiu viueret, debebat, poterat vtique Samuel praeſentia ſua auctoritatem eius coram populo confirmare. Quodſi etiam pro ſua ſalute Saul Deum precari voluiſſet, hoc facere poterat, hisque intereſſe precibus Samueli licebat, qui hactenus de regno ſaltem ab eius gente auferendo, non autem de aeterna eius damnatione, decretum Numinis illi indicauerat. Sacris ergo peractis, Samuel Agagum Amalekitarum regem ad ſe adduci iuſſit, qui & ad illum venit מערנות hoc eſt, במערנות in *deliciis*, delicate & molliter incedens. Alii loco particulae ב vocem איש ſubaudiunt. Res eodem redit. A vocis vero ſignificatione diſcedunt LXX interpretes, qui habent τρέμων, etſi haud dubie vir mollis & effeminatus valde contremuerit: longius adhuc vulgatus; *pinguiſſimus & tremens.* Dixitque Agagus: *profecto receſſit amaritudo mortis.* Magno nimirum licet mortis terrore perculſus eſſet homo mollis & effeminatus, animum tamen fortem & intrepidum mortisque contemtorem prae ſe tulit. Quod enim nonnulli putant, ſerio & ex animi ſententia eum locutum, eo quod ſperauerit, a Samuele vitam ſibi conceſſum iri, admitti nequit. Sciebat enim ſine dubio cauſſam, ob quam in conſpectum eius producebatur. Samuel itaque crudelitate, qua erga Iſraelitas Agagus vſus erat, illi exprobrata, *eum concidit coram Iehoua in Gilgale*, id eſt, palam, coram Deo, qui in concione populi praeſens erat. Ipſum hoc feciſſe Samuelem, nec alterius vſum miniſterio, verba aperta docent. Errat itaque FLAVIVS IOSEPHVS, cum dicit: *κελεύει παραχρῆμα αὐτὸν ἐν γαλγάλοις ἀποθανεῖν, iubet ſtatim eum Galgalis mori, antiquit. iud. lib. VI. cap. IX.* Nec indignum hoc propheta fuit, quin zelum ſingularem pro gloria Numinis indicabat. Mortemque promeritus erat Agagus, ob crudelitatem, qua erga alios vſus erat; & quia ſub anathemate erat, nulla ratione illi erat parcendum. Eadem ratio ſuadet, vt credam, pecudes quoque ab Iſraelitis ſeruatas, itidem occiſas, etſi in ſcriptura hoc non commemoretur. Hisce peractis, Saul pariter ac Samuel quis-

quiſque domum ſuam reuerſus eſt, *nec poſtea amplius vidit Saulem Samuel*, vt hactenus eum viderat, ad inſtruendum ceu regem Deo gratum. Ceteroquin enim adhuc vidiſſe, ex *I. Sam. XIX. 24.* conſtat, vbi Saul coram Samuele prophetaſſe dicitur. Quae ſequuntur, de luctu Samuelis ob Saulis reprobationem, rectius connectuntur, ſi particula כִּי reddatur per *quamuis*, vt ſenſus ſit, etſi eum non amplius eo modo viderit, non tamen deſiiſſe ipſius cauſſa lugere.

** Reiecto Saule, Dauidem Deus regno deſtinauerat, eumque ideo a Samuele vngi volebat. *Quousque*, inquit, Samuelem adloquens, *lugebis Saulis cauſſa, quem ego repudiaui &c.* Non eſt exiſtimandum, Samuelem decreto & voluntati Numinis reluctatum, aut precibus ſuis impetrare voluiſſe, vt Deus regnum genti Saulis reſtitueret: ſed ob amorem, quo Saulem proſequebatur, cum primis, quod valde probabile, reipublicae etiam cauſſa, quod neſciret, quis eius tum ſtatus futurus eſſet, magna triſtitia adficiebatur. Si quis etiam exiſtimauerit, Samuelem hic aliquid humani paſſum, me non adeo repugnantem habuerit. Cornu itaque ſuum implere oleo, & ad Iſain Bethlehemitam proficiſci iuſſus eſt, vt aliquem ex eius filiis in futurum regem vngeret. Quod, quin de ſacro oleo intelligendum ſit, nullum videtur dubium, etſi nonnulli ſecus ſentiant. Samuel iram Saulis non ſine ratione metuens, *audiet*, inquit, *Saul, meque interficiet.* Etſi enim promtus erat, mandato diuino morem gerere, prudentiae tamen erat, non temere ſe aliosque in vitae periculum coniicere. Accedebat, quod in re tanti momenti mandato Numinis ſpeciali opus habebat, ne iure perduellionis reus peragi potuiſſet. Culpa itaque hunc Samuelis ſermonem vacare exiſtimo. Tantum itaque etiam abeſt, vt eum ideo reprehenderit Deus, vt iuuencam potius manu ducere iuſſerit, dicereque, ſe veniſſe ad ſacra Domino facienda: Nimirum, cum Saul a Deo iam reprobatus eſſet, ſimulatione iſta nec illi nec alii cuiquam fiebat iniuria, adeoque vitio carebat; eratque & neceſſaria, vt ſecuritati Samuelis, immo & ipſius Dauidis hac ratione conſuleretur. Vocare praeterea Iſain cum filiis ad conuiuium, quod ſacrificio ſubiungebatur, iuſſus eſt, tumque eum vngere, quem ei Deus patefeciſſet. Cum ergo Bethlehemum adpropinquaret, ſeniores vrbis, de aduentu eius certiores redditi, *trepidantes obuiam illi iuerunt, & pacatusne*, inquiunt, *venis?* Quae trepidationis iſtius cauſſa fuerit, non indicatur. Eſt autem haecce mortalium indoles, vt cum inuſitati quid aut inopinati illis accidit, variae ſtatim oriantur ſuſpiciones, hinc & adfectus varii; vnde mirandum non eſt, quod aliquando homines trepident, vbi nulla eſt cauſſa trepidandi. Inuitati itaque ad ſacra, riteque ſe praeparare iuſſi, ſeniores comparuerunt, vnaque Iſai cum filiis. Cumque omnes Iſai, qui aderant, filii coram Samuele tranſiiſſent, nemo tamen ex iis deſigna-

Digitized by Google

gnatus a Deo eſt, quem Samuel vngeret, eo quod natu minimus, Dauid, abeſſet. Eliabum initio eum eſſe, Samuel putauit, quem Deum regem Ebraeis deſtinaſſet, eo quod forma corporisque ſtatura conſpicuus eſſet, ſed mox, aliter ſe rem habere, a Deo edoctus eſt; ſuoque adeo exemplo demonſtrauit, falli homines quam facillime poſſe, ſi ex ſpecie externa de aliis iudicium ferant. Peccaſſe hac in re Samuelem, quod nonnulli volunt, non dixerim. Octo hic commemorantur Iſai filii, cum ſeptem coram Samuele, abſente adhuc Dauide, tranſiiſſe dicantur, quod & *I. Sam. XVII. 12.* confirmatur, vbi diſerte octo filii Iſai commemorantur; at *I. Chron. II. 15. 16. 17.* vna cum Dauide ſeptem ſaltem ei tribuuntur. Sed fieri potuit, vt in poſteriori loco non omnes filii Iſai fuerint enumerati; quanquam alii alias haec loca inter ſe conciliandi rationes ineant. Arceſſitum itaque Dauidem Samuel, qui negauerat, ſe ad menſam prius, quam aduenisſet, cum reliquis adſeſſurum, *in medio fratrum ſuorum vnxit.* Falluntur itaque, qui Dauidem ſolum in locum ſecretiorem abductum putant, vt nec fratres eius vnctionis iſtius conſcii fuerint. Secus enim ſe rem habuiſſe, ſcriptura diſerte tradit. Reliquos autem conuiuas vnctioni interfuiſſe, probabile non eſt. Nec tamen ideo dicendum, quod nonnulli faciunt, ſeniores vrbis ſacrificio ſaltem, non autem conuiuio, interfuiſſe. Nihil enim obſtat, quo minus ante conuiuium, cum Dauid aduenisſet, cum eo & patre eius, fratribusque, in locum ſecretiorem diſceſſerit, ibique eum vnxerit. Noueratque haud dubie Samuel, nullum Dauidi inde periculum creatum iri, etſi vel maxime fratres eius iſtius rei eſſent conſcii, qui & de euentu forte dubitantes, non magnopere iſtud curaſſe videntur. Commendat hac occaſione ſcriptor ſacer Dauidem a forma, eumque *rubicundum ac formoſum, decorumque adſpectu* fuiſſe, adſerit. Qua aetate Dauid tum fuerit, definiri nequit, licet probabile ſit, non multum ſupra annos viginti fuiſſe. vid. SEBAST. SCHMIDIVS, ad *I. Sam. XVI. quaeſt. V. pag. 545.* Contigiſſe hoc poſt Dauidis cum Goliatho pugnam, nonnulli exiſtimant, qua de re quid ſentiendum ſit, ex dicendis patebit. Vnctionis hic effectus fuit, vt ex eo *ſpiritus Dei* eum *inuaſerit*, hoc eſt, diuini ſpiritus donis magis magisque auctus & cumulatus, & ad munus grauiſſimum, quod ſuo tempore ſubiturus erat, idoneus redditus ſit. Sine omni ratione hic fluctuat IOANNES CLERICVS, dubitatque, an angelus intelligendus ſit, *qui ei comes & adiutor, incitatorque ad egregia facinora datus fuerit*, an *adfectio ſingularis animi a Deo illi immiſſa, qua ad virtutes artesque regias ſibi comparandas impellebatur;* ad *h. l.* Omnibus rite peractis, Samuel Ramam rediit. Ceterum cum Dauidis primum hic facta mentio ſit, de nomine & genealogia eius quaedam dici potuiſſent: ea vero cum aliunde ſatis nota ſint, iis non immorabimur. conf. GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Dauidis, cap. I. & II.* vbi

Digitized by Google

vbi varia hac de re congeſſit. Rabbinorum de patre Dauidis huiusque natiuitate commenta, illepida & prorſus impia, refert IVL. BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabbin. tom. II. pag. 42. ſeqq.* conf. & PETRVS BAELIVS, *dictiin. hiſtor. crit. voc. Dauid. pag. 1007.*

§. VI.

Mox etiam contigit, vt Sauli Dauid innoteſceret. Cum triſtitia enim vehementi, ſiue delictorum conſcientia eum agitaret, ſiue futuri cogitatio cruciaret, malignus ſpiritus animum eius inuaſit: vnde miniſtrorum conſilio Dauid arceſſitus, citharae pulſandae admodum peritus, qui moerentem oblectaret, animique leniret angorem. Qua ratione cum leuamentum aliquod regi adferretur, amore ſingulari Dauidem complexus, armigerum ſibi deſignauit. * Iſte autem amor mox in odium, immo furorem mutatus. Goliathum enim, mirae magnitudinis gigantem, cuius robore inuſitato Philiſtaei freti, Iſraelitas prouocabant, ipſo quidem Goliatho conuiciis eos laceſſente, cum fortiter maſculeque funda ſalteni inſtructus proſtrauiſſet, & ipſius iugulaſſet gladio, laudibus in coelum euectus, & mulierum quoque canticis celebratus, Saulis animo tantam inuidiam, tantumque furorem iniecit, vt eum ferre amplius non poſſet. Vitae itaque cum aliquoties incurriſſet pericula & inſidias, etiam per matrimonium cum Michala regis filia ſibi ſtructas, easque euaſiſſet, tandem fuga ſaluti ſuae conſulere, e re ſua eſſe duxit. **

* Cum ſpiritus Domini, vt antea dictum, a Saule receſſerat, *exagitauit eum ſpiritus malus a Iehouah*, hoc eſt, a Deo iuſto iudicio ei immiſſus. Nonnulli hoc de morbo quodam melancholico capiunt, quibus praeter alios & vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS ſuffragatur, qui eum ita forte deſcribi putat, quod *Ebraei exiſtimarent, paroxyſmos, quales patiebatur Saul, effectus fuiſſe ſpiritus malefici, qui ſic regem Iſraelis vexaret, vt furioſum ageret, ad h. l.* Verum, ſi cogitemus, quod ſpiritus malus hic diſerte opponatur ſpiritui Dei, amplius quid, quam morbum aliquem, deſignari, deprehendemus. Haud dubie itaque genius aliquis malus & infernalis fuit, qui, permittente Deo, animum Saulis, poſtquam ſpiritus ſanctus ab eo receſſerat, inuaſit. Morbum tamen ſimul quendam melancholicum acceſſiſſe, vel coniunctum cum iſta agitatione fuiſſe, nullus dubito. Plerumque enim, qui eiusmodi morbis laborant, agitationibus malignorum ſpirituum maxime ſunt obnoxii. Idque eo facilius euenire potuit, quod haud dubie grauiſſimae illae comminationes Samuelis, quibus regni a poſteris eius ablatio-

nem

nem Sauli denuntiauit, vehementiſſimas animi perturbationes in eo excitarunt. Id recte quoque R. ISAACO ABARBANELI, ad *h. l.* obſeruatum. Concurrente itaque cum animi melancholia infernali genio, ſubinde in furorem actus eſt, & talia deſignauit, quae vim maligni ſpiritus ſatis demonſtrarunt. Huc & illud pertinet, quod *cap. XVIII. 10.* dicitur, veniſſe ſpiritum Dei malum ſuper Saulem, ויתנבא *& prophetauit in medio domus.* Furore nimirum daemoniaco concitatus, ea ſibi agere viſus eſt, quae alias prophetae facere ſolent. Proxime ad noſtram ſententiam accedit FLAV. IOSEPHVS, etſi nonnulla, vt ſolet, ex ingenio ſuo addat: *Σάυλον δὲ περιήρχετο πάθη δεινὰ καὶ δαιμόνια, πνιγμοὺς αὐτῷ καὶ στραγγάλας ἐπιφέροντα: Saulem vero circumuenerunt adfectus graues & daemoniaci, qui ſuffocationes illi & ſtrangulationes creabant*; *antiquit. iud. libr. VI. cap. IX.* De remedio Sauli regi adferendo ſerui eius ſolliciti, ei conſulunt, vt virum quaeri iuberet, qui cithara canere poſſet, leniri hac ratione iſtum regis adfectum poſſe, exiſtimantes. Quae & eos non fefellit prorſus opinio, vt euentus docuit; etſi ſingularis ſimul hac in re Numinis agnoſcenda ſit directio. Non vtique id voluerunt, ac ſi daemones muſica pelli & eiici queant, quae nonnullorum ſuperioris aeui ſcriptorum ſatis inepta fuit opinio, ſed quod exiſtimarent, ex triſtitia quadam atque moerore animi prouenire, quae regi eueniebant. Et hactenus non fallebantur, quod exiſtimabant, in eiusmodi animi adfectibus curandis vim ſingularem & efficaciam muſicae eſſe. Poſſet hoc pluribus veterum pariter, ac recentiorum, cum primis THEOPHRASTI, in libro *περὶ ἐνθουσιασμῶν* apud APOLLONIVM, *hiſtor. mirab. cap. XLVIII.* AELIANI, *hiſtor. var. libr. XIV. cap. XXVII.* CENSORINI, de *die natali, cap. XII.* aliorumque, teſtimoniis comprobari; ſed ea, cum iam ab aliis, SAM. ſcilicet BOCHARTO, *hieroz. part. I. lib. II. cap. XLIV.* HVGONE GROTIO, *ad I. Sam. XVI. 10.* & IOAN. CLERICO, ad *eundem locum*, item HENRICO LINDENBROGIO, ad *Cenſorini loc. cit.* adlata ſint, ea repetere ſuperuacaneum ducimus. Dixi & ipſe hac de re in *diſſert. de ruina muror. Hierichuntin.* quae exſtat in *parerg. hiſtorico-theolog. §. III. ſeqq. pag. 234. ſeqq.* Iungenda, quae CHRISTIANVS SCHOTANVS, & GEORGIVS SERPILIVS, hac de re collegerunt; ille in *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſt. tom. II. pag. 599. ſeqq.* hic in *perſonalibus*, quae vocat, *Dauidis cap. IV. pag. 26. ſeqq.* Vt vero daemonis maligni agitationes ſimul ceſſarent, id muſicae ſoli tribui nequit, ſed aut preces ſimul interceſſiſſe oportet, aut dicendum, cum infernalis ille genius naturae diſpoſitione ad eiusmodi agitationes plerumque vti ſoleat, ceſſante per vim muſicae illa, has quoque tantiſper deſiiſſe. FLAVIVS IOSEPHVS incantationi cuidam, cuius efficacia in hymnis fuerit, hoc tribuit, non ſatis, credo, quid ſcriberet, ſecum perpendens: *ἐξῄδετο δὲ ὑπ᾽ αὐτοῦ καὶ πρὸς τὴν ἀπὸ*

τῶν δαιμένων ταραχὴν, ὁπότε αὐτῷ ταῦτα προσέλθοι, μόνος ἰατρὸς ἦν, λέγων τε, τὲς ὕμνες καὶ ψάλλων ἐν τῇ κινύρᾳ, καὶ ποιῶν ἑαυτῦ γίνεσθαι τὸν Σάελον· excantabatur vero ab illo, & contra perturbationem a daemonibus illatam, cum haec ei contingerent, ſolus erat medicus, recitans hymnos & citbara pſallens, vt Saul ſui compos fieret, efficiens. Arceſſitus itaque eſt Dauid, quem ſerui Saulis commendarunt, tum a peritia citharam pulſandi, tum quod vir fortis eſſet, & bellicoſus, prudensque in verbis & cui Dominus adeſſet. Quae ipſa commendatio nonnullos inducit, vt credant, quae in hocce capite XVI narrantur, poſt proelium Dauidis, cum Goliatho, contigiſſe. At alii hocce argumentum inuertunt, adſeruntque, tot ambagibus ad eum commendandum tum opus non fuiſſe, ſed paucis dici potuiſſe, hunc eum eſſe, qui Goliathum interfeciſſet. Addunt, etſi adoleſcens, adhuc eſſet Dauid, nec dum illuſtre illud fortitudinis ſpecimen edidiſſet, potuiſſe nihiloſecius a fortitudine & reliquis virtutibus, quae hic commemorantur, commendari. Confirmant hoc inde quoque, quod mox addatur, Dauidem toties a Saule arceſſitum, quoties ſpiritus malignus eum inuadebat, ceſſante autem iſta agitatione, domum rediiſſe, cum tamen poſt deuictum Goliathum eum ſemper in aula Saulis manſiſſe conſtet. Eum, a quo commendatus Dauid, Doegum Edomitam fuiſſe, nonnulli tradunt; addunt, iam tum maligno eum in Dauidem fuiſſe animo, idque quaeſiuiſſe, vt hac ratione eum perderet. Quae ſine omni ſcripturae teſtimonio adeoque & ſine omni fundamento, adſeruntur.

** Quo tempore bellum hocce, adeoque & pugna ſingularis Dauidis cum Goliatho contigerit, non conſtat. Veroſimile, contigiſſe haec poſt ea, quae ex *cap. XVI.* hactenus enarrauimus. Ita ordo a ſcriptore ſacro obſeruatus ſibi conſtat. Ad dubia autem, quae opponi poſſunt, quid reſpondendum ſit, ex dicendis patebit. Philiſtaei caſtra habebant, inter Sochuntem, quae in tribu Iudae ſita erat, & Hazekam, ad Ephes Dammim, qui locus *I. paral. XI. 13.* פס דמים *Phas Dammim* vocatur; Iſraelitae autem in valle Elae. Ad praelium itaque dum res vtrinque ſpectare videbatur, prodibat e caſtris Philiſtaeorum אש הבינים *vir medietatum*, cui nomen Goliatho, Gathenſis patria. Voces אש הבינים LXX reddunt *ἀνὴρ δυνατὸς*; at vulgatus interpres, *ſpurius*, quem vt defendant nonnulli ex Romanenſibus multa comminiſcuntur, quae tamen valde coacta ſunt. Mirum eandem interpretationem ſe probaſſe HVGONI GROTIO, ad *b. l.* Probanda vero omnino ſententia illorum, qui Goliathum *virum medietatum* dictum putant, quod quotidie medium ſe inter duo caſtra ſiſteret, ſeu in locum vel ſpatium medium inter duo caſtra prodiret. Hanc ſententiam quoque doctiſſimi Iudaeorum R. SALI IARCHI, R. DAVID KIMCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique, calculo ſuo adpro-

probant. De familia Goliathi & genealogia nonnulli varia obſeruant: quae lubentes praetermittimus. Statura eius prorſus gigantem referebat, erat enim *ſex cubitorum & ſpithamae*, h. e. vndecim pedum & trium pollicum. LXX habent τεσσάρων πήχεων, quos & FLAVIVS IOSEPHVS ſequitur, *antiquit. lib. VI. cap. V.* forte, ne gentibus incredibile videretur, quod de ſtatura Goliathi ſcriptura refert. Armatura eius, ocreae, clypeus, haſta, magnitudini viribusque corporis erat conueniens; de qua R. SALOM. IARCHI, aliique ad *h. l.* multa tradunt diſputantque. Ex eo, quod armiger eum praeceſſerit, nonnulli colligunt, Goliathum non fuiſſe infimae ſortis hominem, ſed ex illuſtri apud Philiſtaeos proſapia oriundum. FLAVIVS IOSEPHVS, vt in armatura eius deſcribenda a ſcriptura diſcedit, ita in eo quoque errat, quod multos armigeros illi tribuit: εἵποντο δὲ πολλοὶ βαστάζοντες τὰ ὅπλα· *ſequebantur & multi ferentes arma; l. c.* Hic itaque Goliathus, cum in medium produſſet, ad Israelitarum aciem conuerſus, magna voce clamauit: *cur egredimini, vt aciē inſtructa pugnetis? Eligite vobis virum, qui contra me deſcendat; ſi quidem potuerit pugnare mecum, meque occiderit, vobis ſeruiemus; ſin vero ſuperior ego fuero illo, eumque occidero, eritis ſubditi & ſeruietis nobis.* Quibus verbis monomachiam Israelitis offerre videtur, & hoc ſibi velle, non opus eſſe, vt vterque exercitus confligat, breuiori via rem confici poſſe, ſingulari ſcilicet duorum certamine, ſi modo quis inter omnes Israelitas ſit, qui ſecum deſcendere in arenam audeat. Conſentientibus Philiſtaeorum principibus haec eum dixiſſe, inde colligitur, quod idem per dies quadraginta fecerit. Nec tamen inde ſequitur, certamen Dauidis & Goliathi fuiſſe monomachiam, ſeu bellum, vt loqui ſolent, repraeſentatiuum; cum Israelitae hanc conditionem a Philiſtaeis ſibi oblatam non acceptauerint, nec in eam conſenſerint: quanquam & non deſint, qui verba Goliathi per iactantiam aut oſtentationem prolata contendunt, non autem vt ſerio hanc conditionem Israelitis offerret. Ita ſane ea R. ISAAC ABARBANEL, ad *h. l.* interpretatur: qui & ipſe recte negat, certamen Dauidis & Goliathi fuiſſe monomachiam ex vtriusque populi conſenſu initam, qua de re deinceps. Quodſi vel maxime Philiſtaeorum conſenſus adfuit, ipſimet tamen ea conditione, quam Israelitis obtulerant, ſtare noluerunt, quanquam nec ad hoc obſtricti fuerint, eo quod hi iſtam conditionem non acceptauerant. Cum ergo nemo Israelitarum cum Goliatho deſcendere in certamen vellet, hic inſolentior factus, conuicia in Israelitas iecit, idque ea ratione, vt in Deum ipſum opprobrium redundaret; vt ex *verſ. 45.* diſcimus. Haud dubie homo impius & inepte ferociens, Deum Israelis conuiciis inſectatus eſt, quod tantae molis tantaeque virtutis homines producere non poſſet, ac Dagon, vel aliud quodcunque Philiſtaeorum

nu-

numen, ad quod ex gentilium conſuetudine, gigantes originem ſuam referebant.

Haec dum fiebant, magnusque omnium animis terror iniiciebatur, quoties Goliathus prodibat, contigit, vt Dauid quoque aliquando accederet, eo tempore, quo more ſuo Goliathus Iſraelitas ad certamen prouocabat. Solebat vltro citroque commeare, vt fratribus tribus natu maximis, qui in caſtris erant, commeatum adferret, & patrem Iſai, qui ſenio iam confectus erat, de filiorum incolumitate certiorem redderet. Dum Iſai mentionem ſcriptor ſacer iniicit, octo ei fuiſſe filios, diſerte adſerit; quod, quo pacto cum *I. Chron. II. 15. 16.* vbi ſeptem filii ei tribuuntur, conciliandum ſit, iam ſupra diximus. Verba *verſ. 12.* ודוד בן האיש אפרתי הזה nonnullis aliquid negotii faceſſunt. Sed ſenſus planus erit, ſi per ebraiſmum ita explicentur: & *Dauid*, *hic* inquam *fuit*, *filius viri Ephrataei*, *&c.* conf. SEBAST. SCHMIDIVS, *ad h. l.* Nec minus & illud aliquid difficultatis habet, quod *verſ. 18.* Iſai pater ad Dauidem dicit: את ערבתם תקח *pignus eorum ſumes.* LXX enim haec verba vertunt: καὶ ὅσα ἂν χρήζωσι γνώσῃ, vulgatus autem: *& cum quibus ordinati ſunt*, *diſce.* Quos quidem interpretes qui defendere adnituntur, aut eo vsque procedunt, vt textum ebraeum corruptum adſerant, aut ad minimum hosce interpretes aliter legiſſe, quam nos hodie legimus, contendant, vt LVDOVICVS CAPELLVS, *crit. ſacr. libr. IV. cap. XII.* aut in conciliandis his verſionibus, praeſertim vulgata cum textu originali, oleum operamque perdunt. Secundum textum ebraeum ſenſus apertus eſt, quod pignus ſeu teſſeram, vel ſignum aliquod, a fratribus ſecum adferre debuerit, ex quo pater eos ſaluos adhuc atque incolumes eſſe, intelligere poſſet. Dum ergo Dauid, quid Goliathus iſte ſibi vellet, ex aliis cognoſcit, & ſollicite, quodnam eum, qui iſtum interfecturus eſſet, praemium maneret, inquirit, ſimulque haud obſcure, quid ſibi animi eſſet, indicat, & a fratre licet maiore Eliabo acriter reprehenſus, erga alios idem repetit, res illa Sauli nuntiatur, ad quem adductus Dauid, palam ſe cum Goliatho pugnaturum profitetur. Saul equidem hoc ei diſſuadebat, quod adoleſcens adhuc cum viro forti & ab ineunte aetate bellis innutrito, non eſſet feliciter pugnaturus. Dauide autem commemoratis nonnullis, roboris ſui & fortitudinis contra feras beſtias demonſtratae, exemplis, ſimul tamen in ſolo Deo omnem ſe fiduciam collocare, profitente, Saul tandem conſenſit, eumque armis ſuis induit, quae ad defendendum maxime corpus neceſſaria erant, vt galea atque lorica; addito gladio, ſi forte eo opus eſſet. Haſtam non dedit, quia haud dubie illi conſtabat, quod funda adgredi Goliathum vellet. Cum vero arma iſta grauiora iis non adſueto impedimento eſſent, abiectis iis, baculo ſolo & funda inſtructus, & quinque laeuibus ſilicibus in pera paſtoritia poſitis, magna

gna fiducia ad Goliathum acceſſit; a quo cum contemtim haberetur, ille vero, ſolius Dei auxilio fretum ſe ad eum accedere profeſſus eſſet, iamque Philiſtaeus ad eum adpropinquaret, Dauid ſine mora ei recta obuiam iuit, lapideque ex funda emiſſo, frontem Goliathi ita percuſſit, vt pronus in terram concideret. Tum Dauid ipſius Goliathi gladio caput ei truncauit, hominemque interfecit. Inſigne hoc & ad omne aeuum memorabile fuiſſe Dauidis facinus, nemo inficiatus fuerit. Rectene autem fecerit, in certamen iſtud ſingulare deſcendendo, diſputari inter viros doctos ſolet, lectuque digna ſunt, quae hac de re diſſerit R. ISAAC ABARBANEL, ad *h. l.* Et ille quidem recte monet, non fuiſſe hoc certamen ex illorum genere, quae olim apud Germanos, aliosque populos, ad explorandam cauſſae iuſtitiam ſuſcipiebantur, quaeue *iudicia Dei* adpellitabantur. Talia enim, vtpote ex ſuperſtitione profecta, impietate non carebant: eaque apud Ebraeos aut alios orientis populos in vſu fuiſſe, non conſtat. Iſraelitae etiam, quin recte Philiſtaeis ſe adgredientibus arma opponerent, nullo modo dubitabant. Sed nec ex illorum genere hoc certamen fuiſſe, recte ABARBANEL docet, quae ad litem per compendium finiendam ex vtriusque partis conſenſu ſuſcipiebantur, & *bella repraeſentatitia* a nonnullis vocari ſolent, de quorum iuſtitia diſputat HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis*, *libr. III. cap. XIII.* §. *XLIII.* Quodſi enim vel maxime Philiſtaeorum conſenſus adfuit, vt ex verbis Goliathi ſequi videtur, qua de re antea diximus, Ebraeos tamen in iſtas conditiones conſenſiſſe, nullibi dicitur. Nihil aliud igitur ſupereſt, quam vt dicamus, Dauidem in eo rerum ſtatu id feciſſe, quod accedente principis conſenſu, quilibet miles, cui gentis ſuae ſalus curae cordique, facere, ſi modo vellet, poterat. Hoſtium enim publicorum, arma inique nobis inferentium inſultus, quacunque poſſumus ratione, infringere atque repellere licet. Nec alia tum erat ratio, populum Iſraeliticum praeſentiſſimo periculo eripiendi. Omnibus copiis adgredi Philiſtaeos non audebat: Goliathus vnius viri poſcebat certamen. Facile intelligebatur, Goliatho proſtrato, animum rediturum Iſraelitis. Hoc ergo agebat Dauid, non vt ipſe de fortuna vtriusque populi ex conuentione pugnaret, ſed vt Goliatho deuicto ad fortitudinem accenderet Iſraelitarum animos, vel potius ſuo exemplo eos condoceret, fiducia in Deum non minus, quam armis, ad profligandos hoſtes, opus eſſe. Et ita quin recte egerit, nulla ratione dubitari poteſt. Plura hac de re dixi, in *ſpecimine iurisprudentiae hiſtoricae*, quod exſtat in *ſelectis iuris nat. & gent.* §. *XXIX. p. 803. ſqq.* Goliatho proſtrato & interfecto, Philiſtaei fugam arripiunt: Iſraelitae autem eos perſequuntur, magnaque clade adficiunt: hinc reuerſi caſtra eorum diripiunt. FLAV. IOSEPHVS triginta millia hominum cecidiſſe, ſcribit. Sed ſcriptura hoc non indicat. De Daui-

Digitized by Google

de autem dicitur, quod *caput Goliathi Hieroſolymam tulerit, & arma eius in tentorio ſuo poſuerit.* Cum vero Hieroſolyma eo tempore nondum eſſet in poteſtate Iſraelitarum, manifeſtum eſt, ſcriptorem ſacrum hoc ſibi velle, quod poſtea illud fecerit. Non enim infrequens eſt ſcriptoribus ſacris ea coniungere, quae argumenti ratione connexa ſunt, etſi diuerſo tempore contigerint. De *armis Goliathi* quod dicitur, hoc ita intelligendum, vt gladius excipiatur, quem Nobi fuiſſe, ex *cap. XXI. 9.* conſtat, niſi potius dicere velis, & hoc de ſequenti tempore intelligendum, quo omnia Goliathi arma domum ſuam transtulerit, in perenne tam illuſtris victoriae monumentum. Sunt &, qui tentorium de eo, quod pro arca federis Dauid deinde erexit, capiunt, in quod omnia Goliathi arma, quae Nobi hactenus adſeruata erant, fuerint translata. Nec praetermittendum, quod ſcriptor ſacer addit, cum Dauid obuiam Philiſtaeo egrederetur, interrogatum, a Saule Abnerum cuius filius adoleſcens hicce eſſet? Qui cum ſe hoc ignorare profiteretur, alios hac de re eum quaerere iubet, tandemque cum poſt victum Goliathum ab Abnero ad Saulem, caput Philiſtaei manu tenens, adductus eſſet, ipſemet Saul eum interrogauit, & ex eo didicit, Iſai eum eſſe filium. Hinc namque nonnulli colligunt, quae capite praecedenti ſcriptor ſacer narrauerat, de Dauide furorem Saulis cithara curante, poſt hocce Dauidis & Goliathi certamen contigiſſe, cum fieri vix potuerit, vt Dauid Sauli adeo ignotus eſſet, ſi iam antea ei innotuiſſet, ita quidem, vt ſingulari amore etiam eum proſequeretur, & armigerum ſuum eum conſtitueret. Verum, ſi cogitemus, Saulem ſubinde melancholia & furore fuiſſe vexatum, mirum non videbitur, quod earum rerum oblitus quandoque fuerit, quae ceteroquin ei poterant & debebant eſſe notiſſimae. Ad Abnerum quod attinet, cum is ſupremus militiae praefectus eſſet, parum curaſſe videtur, cuiusnam filius adoleſcens aliquis eſſet, qui coram rege cithara caneret. Vnde, & illum hoc ignoraſſe, mirum non eſt. Vt ergo ab ordine, quem ſcriptor ſacer ſeruat, diſcedamus, neceſſe non eſt. Alii aliter adhuc hocce dubium ſoluunt; quibus non immorabimur.

Poſt illam a Philiſtaeis reportatam victoriam Dauid in aulam Saulis adſumtus eſt, vt ſemper in ea maneret. Fuitque tum aliis, tum maxime Ionathani, regis filio, ita gratus, vt eorum animi in ſanctiſſimum amicitiae fedus coaleſcerent. Immo Ionathan armis veſtibusque ſuis Dauidem donauit. Cumque in omnibus, quae ei committebantur, negotiis prudenter ſe gereret, omnium ſibi conciliauit animos, & militibus aliquot a Saule praefectus eſt. Contigit autem aliquando, cum ab expeditione quadam, feliciter contra Philiſtaeos ſuſcepta, rediret, vt mulieres ex omnibus vrbibus Iſraelis ei & Sauli obuiam egrederentur, canentes, & choros celebrantes, pulſantesque inſtrumenta muſica, carmineque

vtrum-

vtrumque euchentes, ſed ita, vt Sauli praeferrent Dauidem, dum dicebant: *Saul occidit mille homines, ſed Dauid decies mille.* Errant, qui putant, hoc ſtatim poſt Goliathi caedem contigiſſe; cum ordo narrationis a ſcriptore ſacro obſeruatus ſatis doceat, tum demum hoc contigiſſe, cum & aliis praeclaris facinoribus Dauid omnibus innotuiſſet, etſi non negem, in verbis cantici adductis praecipua quadam ratione ad caedem Goliathi reſpici. Ad ſenſum autem iſtorum verborum quod attinet, non hoc ſibi volunt, quod Saul mille, & Dauid decies mille homines interfeciſſet, ſed proportionem inter Dauidis & Saulis res geſtas indicare volunt, quod illius facinora praeclara tantum huius facinora ſuperent, quantum diſcrimen inter decies mille & mille deprehenditur. Vox נשים generatim mulieres, tum virgines, tum maritatas, aut etiam viduas denotat. Quod autem FLAV. IOSEPHVS *ſcribit*, choros duos fuiſſe, partim virginum, partim mulierum, mulieresque de Saule, ac virgines de Dauide ceciniſſe, friuolum eſt. Etſi vero mulieres ex omnibus vrbibus Iſraelis canticis & Saulem & Dauidem celebrauerint, non tamen aeque de omnibus intelligendum, quod de Dauide Sauli praelato additur: nec per omnes Iſraelis ciuitates Saul ac Dauid iuerunt, vt ab omnibus hoc audire potuerint; ſed ſenſus eſt, cum mulieres in omnibus Iſraelis vrbibus Saulem & Dauidem canticis celebrauerint, audita eſſe alicubi haecce verba; niſi potius dicendum, mulieres ex variis vrbibus congregatas in loco conueniſſe, per quem Sauli & Dauidi transeundum erat. Quicquid huius ſit, cum Saul iſtud audiret, vehementer iratus eſt, aegreque ferebat, mulierum iſtarum iudicio multis modis ſibi praeferri Dauidem, iamque nihil aliud ſupereſſe, dixit, quam vt ipſum quoque regnum Dauidi cederet. Suoque deinceps exemplo comprobauit, quod C. SALLVSTIVS CRISPVS dixit: *Regibus boni, quam mali, ſuſpectiores ſunt: ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt*, de *bello Catilinar. p. m. 17.* Immo eo vsque ſe abripi paſſus eſt, vt Dauidem haſta in illum coniecta, interficere vellet. Idque contingebat, cum malignus ſpiritus eum inuaſiſſet. Dicitur: ויתנבא & *prophetauit*, ſeu *vatem egit in media domo*, hoc eſt, ea egit, quae alias vates agere ſolebant, quod furoris erat argumentum. Qui furor non obſtabat, quo minus conſcius eſſet eorum, quae ſibi & Dauidi contigiſſent, & adfectui prauo contra Dauidem indulgeret. Immo accedente furore eo magis ad occidendum Dauidem incitabatur. Dauid autem cum bis ictum declinaſſet, & Saul ſuſpicione & timore ne regnum Dauidi cederet, agitaretur, hic ad conſuetas tyrannorum artes ſe recepit, atque illum mille militibus praefecit, ſub honoris ſpecie maioribus eum exponens periculis. Tantum vero abeſt, vt Sauli ex voto conſilium iſtud cederet, vt Dauidi potius occaſio omnium animos ſibi magis magisque conciliandi inde enaſceretur.

Hinc

Hinc ad alias artes ſe conuertit, & filiam Merabam ei in matrimonium promiſit, ſi fortiter contra Philiſtaeos ſe gereret, ſperans, quo pluribus periculis ſe expoſiturus eſſet Dauid, eo certius aliqando eum periturum. Filiam equidem ſuam iam antea ei, qui Goliathum viciſſet, promiſerat. Sed promiſſi huius immemor fuerat homo de nulla re minus, quam de ſetuandis promiſſis, ſollicitus. Quare nec Merabam Dauidi dedit, etſi tempus, quo hoc ſe facturum promiſerat, adpropinquaſſet, quam Adrieli potius Mecholathitae conceſſit. Mox cum alteram filiam Michalam amore Dauidis flagrare intellexiſſet, nouam perdendi Dauidem occaſionem auide arripuit. Dixit enim: *eam illi collocabo, vt ſit ei laqueo, ſitque manus Philiſtaeorum contra eum*; & ad Dauidem: בשתים, תתחתן בי היום *in duabus adſinitatem ambies in me hodie*, hoc eſt, *duabus vicibus*, vel, vt alii volunt, in *duabus filiabus*. Senſus eodem redire videtur; cum hoc ſibi velit, iam altera vice, ſeu per alteram quoque filiam illum generum ſuum fore. Etſi vero prima vice matrimonium non conſummatum ſit, potuit tamen ob matrimonii promiſſionem eum generum ſuum vocate. Niſi cum aliis dicere velis, Saulem vtramque filiam Dauidi obtuliſſe, adeoque ſignificare, ſe Merabam a marito, cui nupſerat reuocaturum, ſi quidem hoc Dauid vellet, eamque vna cum Michala ei daturum. Mihi prae reliquis chaldaeus paraphraſtes IONATHAN placet, qui diſtributiue haecce verba accipit: בחרא מתרין תתחתן *ex duarum altera gener fies*; quam expoſitionem & R. SAL. IARCHI, aliique Ebraeorum calculo ſuo adprobant. Dauid regis calliditatem probe intelligens, modeſte ſe erga eius miniſtros, qui voluntatem regis illi indicabant, excuſauit, humilem conditionem, tenuesque opes obtendens, quo minus regis gener fieri auderet: quod cum Saul audiret, nunc demum opportunitatem perdendi Dauidem ſibi commode oblatam ratus, dotis loco, quam more eo tempore recepto, parentes, qui filias aliis in matrimonium dabant, accipiebant, centum praeputia Philiſtaeorum poſtulauit. Nec reſpuit conditionem Dauid, ſed cum viris, quibus praeerat, non credo omnibus, ſed paucis, cum prius Saul vix conceſſurus fuiſſe videatur, cum hac ratione eo minus voti ſui compos fieri potuiſſet, ad Philiſtaeos iuit, ducentisque eorum interfectis, totidem praeputia ad regem adtulit, plusque adeo praeſtitit, quam rex poſtulauerat, & ita Michalam regis filiam in matrimonium accepit. Cur praeputia, non capita Philiſtaeorum ſibi adferri Saul voluerit, quaeri ſolet. Eorum non moramur commenta, qui Philiſtaeos non interfectos, ſed circumciſos volunt: quos verba aperta ſcripturae ſacrae refellunt. Nec audiendi ſunt, qui, non capita, ſed praeputia Saulem poſtulaſſe, exiſtimant, ne forte capita Iſraelitarum pro capitibus Philiſtaeorum adferrentur. De Dauide ſcilicet illud praeſumendum erat. In ma-

Digitized by Google

maiorem Philiſtaeorum id factum contemtum puto, & vt eo acrius forte contra Dauidem irritarentur. Cum etiam praeputiorum abſciſſio maius temporis ſpatium requireret, haud dubie maiori etiam periculo Dauidem Saul hoc ipſo exponere voluit. FLAVIVS IOSEPHVS praeputia in capita mutauit, ne gentilibus illud Saulis poſtulatum nimis barbarum videretur, *antiquitat. iudaic. libr. VI. cap. XI.*

Licet autem Dauid hac ratione Saulis gener factus eſſet, huius tamen erga eum odium, cum ſuſpicione coniunctum, adeo non imminutum eſt, vt in dies potius augeretur, quemadmodum & Dauidis gloria, rebus aliis contra Philiſtaeos fortiter & praeclare geſtis, aucta eſt. Ea re commotus Saul, *cum Ionathane filio omnibusque ſeruis ſuis, de occidendo Dauide*, collocutus eſt. Non equidem vt ipſi Dauidem occiderent, ſed vt conſenſum eorum impetraret. Palam enim & aperte mortem Dauidi moliri ſecum coſtituerat, cum inſidiis euentus non reſponderet. Nec tamen ſine conſenſu praecipuorum miniſtrorum ſuorum, ipſiusque Ionathanis, hoc audebat homo timidus; diuina Numinis prouidentia cuncta ita diſpenſante, vt conſilia iſta Dauidi innoteſcerent. Quod dicitur cum omnibus ſeruis ſuis collocutus, de iis haud dubie intelligendum, qui aderant. Nec enim probabile, eum voluiſſe, vt populo, cuius gratia Dauidem florere, non ignorabat, hoc innoteſceret. Ionathan itaque Dauidi rem omnem renuntiauit, eumque altero die in agro quodam, in quem Saulem iturum ſciebat, ſe occultare voluit, vt perciperet an rationibus pro innocentia & meritis eius a ſe proponendis ad meliora animus regis flecti poſſet: & ſi non poſſet, ſtatim fuga ſibi conſuleret. Eaque res, vti conuenerat, geſta eſt, rationibusque ſuis id effecit Ionathan, vt Saul iureiurando confirmaret, ſe non interfecturum Dauidem. Vnde ſummam hominis in iurando leuitatem, ſupra iam a nobis notatam, animumque profanum ac parum religioſum, iterum intelligere licet. Dauid itaque hac de re certior redditus, in aulam Saulis ad conſueta officia rediit. Saul autem mox maligno iterum ſpiritu agitatus, denuo Dauidem haſta in eum miſſa interficere voluit, hoc iterum ictum declinante, & cum noctu iſtud gereretur, in domum, in qua ceteroquin cum familia ſua habitabat, euadente. Qua re intellecta, Saul multo iam ferocior factus, ſatellites miſit, qui domum iſtam cuſtodirent. Putauit enim forte, ſi ſtatim eum in domo ſua capere aut interficere vellent, facile eum, quia nox eſſet, occultari poſſe, conatumque fore irritum. Quod FLAVIVS IOSEPHVS tradit; voluiſſe Saulem poſtremo die a iudicibus eum damnari & interfici, fundamento deſtituitur. Michala, cum haec omnia reſciuiſſet, patris conſilium Dauidi indicat, qui ab ea per feneſtram demiſſus, abiit atque euaſit. Neue pater ſtatim fugam intelligeret, & Dauidi temporis aliquod ſpatium

ad euadendum concederetur, Michala ſimulacrum in lecto collocauit, villosque caprinos ad puluinar addidit, & veſtibus id texit. De voce הרפים, quae hic nihl aliud, quam ſimulacrum aliquod, humanam formam referens, ſignificat, abunde ſupra dictum, ad *period. I. ſect. III.* §. *XXII.* Quid LXX interpretibus in mentem venerit, vt vocem iſtam hic redderent per κενοτάφια, vix dici poteſt. PETRI IVRIAEI hac de re coniecturam *loc. cit.* retulimus. Cum porro dicitur; כביר העזים שמה מראשתיו vox כביר itidem interpretibus negotium faceſſit. Vulgatus enim habet: *pellem piloſam caprarum*; PAGNINVS: *puluinar e pilis caprarum*; AQVILA: ϛρογγύλωμα τριχῶν, alii aliter. SAM. BOCHARTVS, vocem כביר *magnum* ſignificare, contendit, vt ſubaudiatur vox שער *pilus*, hoc modo: *& magnum pilum caprarum poſuit.* Quod admodum coactum eſt. Mihi illorum placet ſententia, qui, כביר *expanſum quid* denotare, contendunt; vt aliquid fuerit ex pelle caprina confectum, quod aut caloris cauſſa, aut ad arcendas muſcas expandi potuerit. LXX interpretes vocem כביר cum כבר *iecur* confundentes, transtulerunt ὕπαρ τῶν αἰγῶν, vnde FLAVIO IOSEPHO ridiculi erroris occaſio data fuit, de iecinore caprino adhuc ſub ſtragula palpitante, ſatellitesque Saulis eo motu fallente. Michalam enim lectum ſtrauiſſe, quaſi propter aegrum, dicit, teraphim nulla iniecta mentione, ſtragulisque ſubieciſſe ἧπαρ αἰγὸς, orto vero die cum pater eius ad Dauidem miſiſſet, laboraſſe eum per noctem, dixiſſe, τοῖς παρȣ̃σιν ἐπιδείξασα τὴν κλίνην κατακεκαλυμμένην καὶ τῷ πηδήματι τȣ̃ ἥπατος σαλεύοντι τὴν ἐπὶ τὸ ἐπιβόλαιον πιϛωσαμένη τὸ κατακείμενον τὸν Δαβίδην ἀσθμαίνειν· *praeſentibus oſtenſo lecto operto. & motu iecinoris commouente ſtragulam, fide facta id, quod iacebat, eſſe Dauidem reſpirantem.* Non turpius ſe IOSEPHVS traducere poterat. Hac ratione cum Saul, qui miſſis aliquot vicibus nuntiis, Dauidem ad ſe adferri volebat, ſe deluſum intelligeret, filiae quidem vehementer iraſcebatur: hac ſe excuſante, quod a marito ad eum per feneſtram demittendum coacta eſſet, omnique laude digna ob fidem in re iuſtiſſima ei contra patris tyrannidem praeſtitam, nec ob ſimulationem illam in re itidem licita, ad ipſius quippe ſecuritatem vnice comparata, reprehendenda. Dauid autem, qui hac ratione euaſerat, ad Samuelem ſe recepit.

§. VII.

Fuga Dauidis, qui ad Samuelem ſe receperat, intellecta, rex primo per nuntios, tum ipſemet retrahere eum in animum induxit, at conatu irrito, animis quippe tum regis, tum nuntiorum per ſpiritum propheticum, qui eos inuaſit, aliorſum conuerſis. * Dauid autem, cum ex Ionathane, quocum aeternum amicitiae fedus pepi-

ge-

Digitized by Google

gerat, obfirmatum in ſui necem regis animum cognouiſſet, acceptis ab Abimelecho, ſummo ſacerdote, panibus & enſe Goliathi, ad Achiſum, Gathi regem ſe recepit, a quo cum itidem vitae ſibi imminere periculum animaduerteret, ſimulato furore, ſaluti ſuae conſulere neceſſe habuit, ad Moabitas ſe recipiens, eorum mox, monitu Gadi vatis relicturus regionem, & in Iudaeam reuerſurus, Saule interim omnem iram in Achimelechum effundente, quem cum octoginta quinque ſacerdotibus per Doegum interfecit, vnico Abiathare, Achimelechi filio, ſaluo, qui ad Dauidem cum ephodo incolumis effugit. **

* Cum ad Samuelem ſe recepiſſet Dauid, narrauit ei, quaecunque ſibi fecerat Saul: ſimulque conſilium eius, vt credere par eſt, quid ſibi faciendum eſſet, expetiit. Nec dubium, quin Samuel Dauidem, quo pacto ſe gerere deberet, inſtruxerit, ſimul tamen relicta Ramah, forte, ne vrbi huic periculum crearetur, vterque & Samuel & Dauid בנוית habitarunt. Vocem בנוית vel בניות nonnulli pro nomine proprio vrbis habent, *Naioth*, vel *Nauoth* dictae, vnde & LXX interpretes habent Ναυὰθ, IOSEPHVS per miram metamorphoſin, Γαλβαὰθ. Alii vt adpellatiuum vertunt: *in tuguriis*. Scholam propheticam ibi fuiſſe, Ebraeorum magiſtri tradunt, vnde IONATHAN reddit: בבית אלפנא *in domo diſciplinae*. Id vero vt in ſcriptura non dicitur, ita a vero non abhorret, diſcipulos, ſeu filios, vt vocantur, prophetarum, Samuelem & Dauidem in eum locum, in quem ſeceſſerant, & qui non procul a Ramah fuit, comitatos. Saul cum cognouiſſet, Dauidem ibi commorari, nuntios ad eum capiendum miſit, qui cum in coetum prophetarum, moderatore Samuele vaticinantium, incidiſſent, a ſpiritu correpti & ipſi vaticinari coeperunt. Quod *coetum prophetarum* diximus, in ebraeo per להקת נביאים exprimitur. Vbi quidem plerique להקה per transpoſitionem litterarum pro קהלה poſitum putant. Eſt enim vox להק apud Ebraeos inuſitata. Quanquam alii aut ex aethiopica aut ſyriaca lingua eam vocem deriuare malint. In ſignificatione fere conueniunt, quod *coetum* aut *congregationem*, aut ſimile quid ſignificet. LXX habent τὴν ἐκκλησίαν. Prophetae iſti haud dubie erant diſcipuli Samuelis, & vna vixerunt, ad minimum certo tempore conuenerunt, hymnis, ex adflatu diuino effuſis, & decantatis, Dei laudes celebraturi. Vnde de ſcholis prophetarum, in quibus inſtituebantur, argumentum ducitur, de quibus deinceps ex inſtituto agemus. Cum ergo, quos altera tertiaue vice miſit, nuntiis, idem contingeret, ipſe tandem Saul eodem abiit, ſed idem quoque fatum expertus eſt. Dum enim non procul ab eo lo-

loco, in quo Samuel erat, aberat, a ſpiritu diuino correptus, vaticinari coepit, cumque eo veniſſet, *depoſitis etiam veſtibus, prophetauit quoque ipſe coram Samuele, iacuitque nudus, toto die & tota nocte illa.* Quod veſtes depoſuiſſe dicitur, id R. SALOM. IARCHI de veſtibus regiis, alii de militaribus, intelligunt. Alii, prophetis diuino ſpiritu correptis id quandoque contigiſſe, contendunt, vt, dum ſpiritualibus vnice intenti eſſent, veſtes deponerent. Probabilius, prophetis peculiare fuiſſe veſtium genus, ephodum ſcilicet, quod & exemplum Dauidis docere videtur, *II. Sam. VI. 14. 20.* Saulemque adeo exutis veſtibus, quibus alias vti ſolebat, veſtem eiusmodi propheticam induiſſe. Cumque haud dubie veſtes iſtae leues admodum atque tenues eſſent, dici potuit, quod nudus coram Samuele iacuerit. Forte idem ſibi voluit FLAV. IOSEPHVS, dum hac de re verba faciens, *Saul*, inquit, *multo ſpiritu actus alienatus a mente*, καὶ τὴν ἐσθῆτα περιδύσας, *& veſte inuolutus ac in humum collapſus iacuit per totum diem ac noctem; antiqu. iudaic. lib. VI. cap. XIV.* Aliter enim ſi capiatur, cum ſcriptore ſacro aperte pugnat, qui, Saulem potius nudum fuiſſe, adſerit. Quod vero in terra iacuiſſe dicitur, id nonnulli furori, alii eccſtaſi, alii virium defectui tribuunt. Forte ad exemplum reliquorum diſcipulorum hoc fecit, qui in terra iacentes, & ſic vaticinantes, ſuam erga Deum hoc ipſo declarare voluerunt venerationem. Id certum, ſine Numinis prouidentia hoc non contigiſſe, cum Dauidi hac ratione tempus concederetur, vt fuga ſaluti ſuae conſulere poſſet. Confirmatum etiam hac occaſione prouerbium fuit, quod iam antea in vſu erat: *etiamne Saul inter prophetas?* Quo pacto autem, quod hic dicitur, Saulem coram Samuele prophetaſſe, cum eo, quod *cap. XV. 35.* dicitur, vbi negatur, ab eo tempore viſum a Saule Samuelem, conciliari queat, iam ſupra a nobis expoſitum.

** Dum Saul apud Samuelem vaticinabatur, Dauid primum Ramam aufugit, & hinc ad Ionathanem ſe contulit, rationes haud dubie illi expoſiturus, cur in aulam patris non ſit rediturus. Id namque amicitiae inter eos initae ratio poſtulare videbatur. Nec a vero abhorret, a Samuele edoctum Dauidem, quo pacto impoſterum ſe gerere deberet: omni opera ſcilicet illi adnitendum, vt Saulis conſpectum vitaret, ne in manus eius veniret, interim hoſtibus populi Israelitici damnum inferendo eum poſſe fortitudinis ſuae documenta dare. Valde enim veroſimile, quaecunque deinceps Dauid geſſit, ex Numinis voluntate, per Samuelem illi indicata, eum geſſiſſe. Cum vero Ionathan neſciret, quae hactenus, poſtquam ad Samuelem Dauid ſe receperat, geſta erant, verbis Dauidis, de crudelitate & inſidiis patris apud eum expoſtulantis, vix adhibere fidem voluit; patrem, ſi quid contra Dauidem moliretur, hoc ſibi indicaturum, firmiter ſibi perſuadens.

Da-

Digitized by Google

Dauid autem non tantum regeſſit, mirandum non eſſe, quod pater nihil illi indicaſſet, eo, quod non ignoret, quanto amore Ionathan ſe proſequeretur, ſed, vt omne dubium Ionathani eximeret, conſilium ei ſuppeditauit, qua ratione denuo Saulis animum explorare poſſet; ſi ſcilicet Saul in conuiuio die nouilunii more conſueto inſtituendo, abſentiae ſuae cauſſam rogaturus eſſet, & Ionathan reſponderet, ſe conſentiente Dauidem Bethlehemum ad anniuerſarium familiae ſuae ſacrum celebrandum abiiſſe, tum facile ex reſponſo, quod daturus eſſet Saul, eum, quo erga Dauidem eſſet animo, intellecturum. Hic vero mirari quis poſſet, qui Saul ſibi perſuadere potuiſſet, praeſentem in conuiuio fore Dauidem, quem aufugiſſe ſciebat, & apud Samuelem fruſtra quaeſiuerat? & qua ratione Dauid, quod abſentiae ſuae cauſſam exquiſiturus eſſet, dicere potuerit? Nonnulli quidem, vt hinc ſe expediant, Dauidem Sauli, forte opera Samuelis, iterum conciliatum fuiſſe, putant, vt adeo Saul non dubitare potuerit, quin in conuiuio iſto praeſens futurus eſſet Dauid. Ita praeter R. DAVID KIMCHIVM, aliosque, ALPHONSVS TOSTATVS, Abulenſis, ad *b. l.* Sed, cum reconciliationis iſtius nulla in ſcriptura mentio fiat, fruſtra id ſupponitur. Alii alia ratione hocce dubium ſoluere conati ſunt, vt apud CHRISTIANVM SCHOTANVM videre licet, *bibliotb. hiſt. ſacr. vet. teſtament. tom. II. pag. 617.* Sed mihi illorum probatur ſententia, qui exiſtimant, perſuaſiſſe ſibi Saulem, ſua ſponte reuerſurum Dauidem, cuius patientia illi non ignota erat, idque eo magis, quod putaret, Dauidem credere, non tam ex animo malo, quam paroxysmo furoris ſeu melancholia, pericula iſta, quibus hactenus expoſitus fuerat, fluxiſſe; cumque Dauidi iſta hominis, ſub furoris ſpecie talia molientis, calliditas non ignota eſſet, facile cogitare potuit, Saulem pro more ſuo diſſimulaturum, quae hactenus contigerant, tanquam in furore geſta, & abſentiae ſuae cauſſam exploraturum. Cum vero Dauid rationem ſcire vellet, qua reſciſcere poſſet, quid ſui cauſſa inter Saulem & Ionathanem actum eſſet, vterque in rus conceſſit, renouatoque ibi & iureiurando confirmato amicitiae federe, Ionathan ſignum conſtituit, quo patris erga ſe animum Dauid cognoſcere poſſet. Nimirum die tertio, ſeu eo, qui neomeniam ſequebatur, Dauidem eum ipſum in locum, in quo tum erant, ſe conferre ibique latitare voluit: in quo tum Ionathan tres ſagittas iaculaturus eſſet, ſique puero dicturus eſſet, *ecce ſagittae ſunt praeter te, hanc in partem cape eas*, ſignum hoc fore, quod omnia bene ſe habeant: ſin vero dicturus eſſet, *ecce! ſagittae ſunt praeter te vlterius*, ex eo, ſecus ſe rem habere, eum intellecturum, adeoque fuga ſibi conſulere poſſe. Tempus & locum, in quo haec gerenda ſint, his verbis indicat: *venies in locum, in quem te abdidiſti*, ביום המעשה *die operis*, *& conſiſtes* אצל האבן האזל *ad*

ad lapidem Ezel. Vocem ביום המעשה IONATHAN interpretatur יומא דחולא quem & R. SAL. IARCHI ſequitur; LXX interpretes habent: ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἐργατίμῃ, vulgatus: *die, qua operari licet.* Sed videtur potius hoc intelligendum de die negotii, ſeu quo hoc negotium inter Ionathanem & Dauidem agebatur, vt ſenſus ſit: *venies in locum, in quem te abdidiſti die negotii*, hoc eſt, in locum, in quem te abdidiſti hoc ipſo die, quo haec inter nos agimus. Adeoque ad loci potius, quam temporis, determinationem pertinebit. Tempus enim iam antea, tertii diei facta mentione, deſignauerat. De lapide *Ezel* paucis dicendum, fuiſſe eo in loco lapidem, cui id nominis haeſerit. Suntque omnia eum in modum peracta, quo inter eos conuenerat, at eo euentu, vt cum altero die Saul cauſſam abſentiae Dauidis ex Ionathane intellexiſſet, huic valde iraſceretur, & haſtam contra eum vibraret, vt eum interficeret. Cumque Ionathan die ſequenti, vt inter eos conuenerat, haec Dauidi indicaſſet, & vltimum ſibi inuicem multis cum lacrymis dixiſſent vale, Dauid quidem, vt ſaluti ſuae conſuleret, abiit, Ionathan autem in vrbem reuerſus eſt. Dum ordinem ſedendi in conuiuio Saulis ſcriptor ſacer deſcribit, *& ſedit quidem rex*, inquit, *vt ſolebat, in ſede ſua parietem verſus: cum ſurrexiſſet Ionathan, ſedit Abner ad latus Saulis, & vacauit locus Dauidis.* Vbi id quidem dubium videtur, quid ſibi velit, cum de Ionathane dicit; ויקום יונתן *& ſurrexit Ionathan.* Nonnulli quidem putant, Ionathanem Sauli aut ingredienti conclaue, aut mox ſeſſuro, honoris cauſſa adſurrexiſſe; quod tamen aliis praeter rem dici videtur, cum hic de ſedendo & ſedentium ordine ſermo ſit. LXX habent: καὶ προέφθασε τὸν Ιωνάθαν, vnde nonnulli colligunt, eos pro ויקום legiſſe, aut legendum cenſuiſſe ויקדם. Putatque vir clariſſimus IOANNES CLERICVS, aut ita legendum eſſe, aut aliud hic ſtatuendum corruptionis genus, ad *h. l.* Sed ſine neceſſitate. Nihil enim obſtat, quo minus dicamus, *& ſurrexit*, hic idem eſſe, ac: *& acceſſit*, ſcilicet ad ſedendum, ſeu locum ſuum occupauit. Qua quidem ratione omnis difficultas ſtatim euaneſcit. Diſcere hinc etiam licet, ſediſſe ad menſam cibum capturos, non adcubuiſſe, quem morem deinceps demum apud iudaeos introductum conſtat. Quod parum penſi habent R. SALOM. IARCHI, R. DAVID KIMCHI, aliique, de adcubitu hic verba facientes. Eſt vero & hoc addendum, non probabile videri, Dauidem eo in loco, vbi Ionathan patris conſilium illi indicauit, per integrum triduum latitaſſe, ſed credendum potius, cum die ante neomeniam hac de re inter eum & Ionathanem conueniſſet, Bethlemum eum profectum, vt ſuos de rerum ſuarum ſtatu certiores redderet. Hoc enim facere potuit, vt ſtatuto tempore iterum apud lapidem Ezel adeſſet, vt inter illum & Ionathanem conuenerat. Et ita Ionathan quoque pariter ac Dauid, a mendacii

aut

Digitized by Google

aut falſiloquii ſuſpicione eo facilius abſoluuntur, dum ille Sauli dixit, Dauidem Bethelemum ad ſacrum aliquod domeſticum iſtius vrbis, abiiſſe.

A Ionathane itaque cum diſceſſiſſet Dauid, Nobum ſe contulit ad Achimelechum ſacerdotem ſummum, qui & Achia, vt nonnulli putant, dictus eſt, vt ſupra ad §. *IV.* obſeruauimus, vt Deum de itinere ſuo per vrim & thummim conſuleret. Hoc enim facile ex omnibus circumſtantiis colligere licet, etſi diſerte non dicatur. Nobum vrbem ſacerdotalem fuiſſe, ex *I. Sam. XXII.* 19. conſtat; haud dubie tamen non adeo magna nec celebris fuit; vnde ratio patet, cur *Ioſ. XXI. & I. chron. VI.* inter vrbes ſacerdotales hoc ſaltem nomine non connumeretur. Eam in tribu Beniaminis ſitam fuiſſe, nonnulli ex *Nehem. XI. 32.* colligunt: alii autem eam pro ſuburbio quodam Kiriathicarimi habent. Pro Achimelecho *Marc. II. 26.* Abiathar ponitur, filius Achimelechi: quia ſcilicet mox patri ſucceſſurus erat, & notior quoque celebriorque patre erat. Achimelecho, quod Dauid praefectus militum, regisque gener, ſolus veniret, rei cuiusdam malae nuntium cum eſſe, ſuſpicanti, adeoque trepidanti, & cauſſam iſtius rei exquirenti, arcanum aliquod negotium a rege ſibi demandatum, reſpondebat, quod magna diligentia omnes clam habere oporteret. Addidit, iuuenibus ſeu viris, qui ſe comitarentur, qui ex fidis eius amicis fuiſſe videntur, certum a ſe locum conſtitutum, vbi ſe exſpectarent. Atque ita curioſitati ſacerdotis ſummi ſatisfecit, cauſſam indicans, cur veniret, & cur ſolus veniret, ſimul vero rationem reddidit, cur generatim Deum per vrim & thummim de itinere ſuo, an proſperum futurum eſſet, interrogare vellet, nulla cauſſa ſpeciali indicata. Licet autem Dauid ſolus Nobum veniret, in itinere tamen ſolus non fuit, ſed comites, vt diximus, certo in loco conſtitutos habuit. Vnde *Marc. II. verſ. 26.* recte dici potuit, quod comitibus ſuis de panibus propoſitionis aliquid ad comedendum dederit. Rectius equidem feciſſet Dauid, ſi rem omnem ſacerdoti ſummo, qui ingoraſſe videtur, quae inter illum & Saulem hactenus geſta erant, expoſuiſſet. Ita enim forte clades grauiſſima, qua octoginta quinque ſacerdotes perierunt, auerti aut euitari potuiſſet. Nihiloſecius excuſationem promeretur, quia iſtum euentum praeuidere non potuit, & ſimulatione iſta vſus eſt, non vt cuiquam noceret, ſed vt ſecuritati ſuae conſuleret. Cum porro viaticum a ſacerdote peteret, hic practer panem ſacrum quidquam ſibi ad manum eſſe negauit, eumque ſe daturum Dauidi, dixit, ſi modo ipſe & comites eius puri eſſent, hoc eſt, a conſuetudine coniugali ſe abſtinuiſſent. Reſpondit Dauid: *heſterno die & antecedente abſtinuimus a mulieribus, poſtquam egreſſus ſum, iamque erant vaſa iuuenem ſanctificata.* Vbi quid per *vaſa*, quae *ſanctificata* dicuntur, intelligendum ſit, quaeritur. Nonnulli, vt R. DAVID KIMCHI, de veſtibus haec

haec intelligunt, quod iis veſtibus, quibus in feſto nouilunii induti fuerunt, adhuc induti fuerint. Rectius ſentiunt, qui generatim de veſtibus, nulla impuritate commaculatis, praeſertim de ſarcinis, quibus cibus, quem ſecum portaturi erant, condebatur, hoc intelligunt. Longius petitum, nec admittendum vlla ratione, quod IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* commentatur: ***videntur intelligi non corpora ſummatim ſpectata*, *ſed ea praeſertim membra*, *quae polluere cenſebantur reliquum corpus.*** Addit porro Dauid: והוא דרך חל *& ipſe via profanus*, h. e. panis eſt inſtar communis habendus, (ita enim vocem דרך in eiusmodi praeſertim conſtructione ſumi conſtat) *& praeterea hodie ſanctificabitur in vaſe*, hoc eſt, in eiusmodi vaſis a nobis conſeruabitur, quae nihil impuritatis continent. Vulgatus interpres prorſus inepte haec verba reddit: *porro via haec polluta eſt*, *ſed & ipſe hodie ſanctificabitur in vaſis.* Quae vt ſenſum nullum habent, ita, qui ea defendere conantur, oleum, quod aiunt, operamque perdunt. Secutus autem vulgatus eſt LXX interpretes: *καὶ αὐτὴ ἡ ὁδὸς βέβηλος, διότι ἁγιασθήσεται σήμερον διὰ τὰ σκεύη μου·* Rationibus hisce auditis, ſummus ſacerdos Dauidi dedit, קדש *ſanctum*, hoc eſt, panem ſanctum, ſeu aliquot de panibus propoſitionis. Nec peccaſſe ea in re cenſendus eſt, cum leges quaedam diuinae, praeſertim ceremoniales, exceptionem habeant neceſſitatis. Nec ambagibus hic opus, quas Ebraeorum magiſtri ſibi ſine neceſſitate ſtruunt, vt vel ex R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* intelligere licet. Eo autem facilius partem iſtorum panum ſummus ſacerdos Dauidi dare poterat, quod eodem die remouendi erant panes veteres, & noui adponendi. Atque iſta dum gerebantur, ſpectator eorum aderat Doegus quidam אביר הרעים *potens paſtorum*, hoc eſt, praefectus paſtorum regis. Gente fuit Idumaeus. LXX habent *ὁ Σύρος*, haud dubie, quod pro האדמי *Edomaeus* legerunt הארמי *Aramaeus.* De eo dicitur, quod fuerit נעצר *concluſus* ſeu *detentus* coram Iehouah. Quod quo pacto intelligendum ſit, admodum interpretes diſcrepant. IOANNES CLERICVS putat, eius cuſtodiam commiſſam ſacerdotibus ad tabernaculum agentibus. Sed cur quaeſo ſacerdotibus? Num ſacerdotum erat, lictorum aut adparitorum munere fungi, aut cuſtodire eos, qui deliquerant? Per morbum aut daemonis vexationem, eum ibi detentum, alii putant. Sed vnde & hoc probabitur? Vt votum naſireatus exſolueret, eum ibi commoratum, alii exiſtimant. Omnia ad meras coniecturas redeunt. Praeter panem Dauid arma etiam a ſacerdote ſummo petiit, quibus hactenus deſtituebatur, forte, quod ob nimiam feſtinationem ea ſecum adſumere non potuit, accepitque Goliathi, quem interfecerat, gladium, qui in pugnae iſtius ſingularis & victoriae memoriam in tabernaculo adſeruabatur, veſte inuolutus; poſt ephodum ſeu veſtem

ſa-

Digitized by Google

ſacerdotalem, quae alicubi ſuſpenſa erat.

Hoc inſtructus Dauid ad Achiſum Gathi regem ſe recepit, facultatem in ditione eius commorandi ab eo impetraturus. Primum hic regis mentio in Philiſtaeis fit, cum ceteroquin principes ſaltem eorum commemorentur; vnde nonnulli exiſtimant, regiminis forte mutationem quandam paullo ante haec tempora apud eos contigiſſe. Qui Achis hic dicitur, *pſalm. XXXIV. 1.* Abimelech vocatur, ſcilicet, quia duobus gauiſus eſt nominibus, aut Abimelech nomen commune regum Philiſtaeorum fuit. Serui regis cum Dauidem viderent, *annon*, inquiunt, *iſte Dauid eſt rex terrae? annon de hoc in choris reſpondebant dicentes: occidit Saul mille, Dauid vero decies mille viros?* Eum *regem terrae*, ſcilicet Iſraeliticae vocant, aut regis nomine ducem militiae intelligentes, aut, quod probabilius, quod eum futurum regem, Saulisque ſucceſſorem deſignatum, per famam acceperant. Iudaeorum commenta de terra Philiſtaeorum, quam ex pacto ob interfectum Goliathum Dauid ſibi vindicare potuerit, ne digna quidem ſunt, quae referantur. Dauid, qui exiſtimauit, ſe tutum refugium apud Philiſtaeos inuenturum, praeſertim, ſi audirent, quanto odio ſe Saul proſequeretur, vnde putabat Philiſtaeos non poſſe non colligere, Dauidem auerſo plane a Saule & Iſraelitis eſſe animo, cumque ſibi maxime fidum fore, cum videret, apud Philiſtaeos recentem adhuc cladium a ſe illis illatarum memoriam eſſe, ſua ſe fefelliſſe ratiocinia; intellexit, adeoque non ſine ratione ſibi ab Achiſo vehementer timuit. Igitur *mutauit vultum iis inſpicientibus:* וישנו* את טעמו, quae verba alii de animo capiunt; cumque tum ad Deum, tum ad Dauidem referri queant, prius etiam admitti poſſe cenſent, ac ſi Deus reuera animum eius mutauerit, & per mirabilem prouidentiam furorem illi immiſerit, vt hac ratione praeſentiſſimo periculo illum eriperet. Quod ſi etiam ad ipſum Dauidem hoc referatur, poſſe nihiloſecius verum, non ſimulatum furorem intelligi, cum &, qui ab alio, aut per morbum mutatur, ſe ipſum mutare dici queat. Sed praeterquam, quod alii vocem טעם hic per *vultum* potius, quam per *mentem* aut *animum* vertendam cenſeant, quemadmodum & LXX habent: *καὶ ἠλλοίωσε τὸ πρόσωπον*, & vulgatus: *immutauit os ſuum;* id, quod ſequitur, *& inſanum ſe geſſit in manibus eorum*, vt de ſimulato furore hoc capiamus, ſuadet. Dicitur autem porro: ויתו על דלתות השער, quod LXX reddunt: *ἐτυμπάνιζεν ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς πόλεως*, & vulgatus: *impingebat in oſtia portae.* Vnde nonnulli colligunt, eos legiſſe ויתף *a* תפף *pulſauit tympanum.* Sed hic ſenſus etiam ſecundum receptam, quae & vera eſt, lectionem locum habere poteſt, ſi dicamus, tanta violentia eum in portam impegiſſe, vt eam velut *ſignauerit*, ſeu ſigna pedum aut manuum ei impreſſa reliquerit. Alii tamen vocem ויתו ita ex-

Digitized by Google

explicant, quod digito aut creta in valuis ianuarum figuras ridiculas pinxerit, quod inſani homines, mentisque non ſatis compotes interdum facere ſolent. conf. AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. LXXV. pag. 375. 376.* Qui furorem Dauidi a Deo immiſſum ſtatuunt, eum facile ab omni vitio liberant: at, qui, ſimulaſſe furorem, contendunt, eum aliquid humani paſſum, fateri neceſſe habent, etſi excuſationem ob praeſentiſſimum, in quo conſtitutus erat, periculum, mereatur. Quae in *pſalmo XXXIV.* & *LVI.* hac de re proferuntur, ad rem ipſam potius, liberationem ſcilicet Dauidis ex hisce anguſtiis, quam ad modum, furoris ſimulationem, referenda ſunt. Et ſane ea res feliciter Dauidi ceſſit. Tantum enim abeſt, vt aliquid mali ei adferret Achiſus, quod miniſtri eius, qui Dauidem apud eum detulerant, ſpectabant, vt eos reprehenderet potius, quod hominem mentis non ſatis compotem, ad ſe adduxiſſent.

Dauid itaque relicto Achiſo, & magno ſimul periculo liberatus, in ſpeluncam Adullami ſe recepit; quod cum cognouiſſent fratres eius, ipſi cum omni patris eius familia illuc ad eum ſe contulerunt. Maxima enim ob Dauidem ſibi a Saule imminere pericula videbant: vnde ſua ſponte eos hac ratione ſaluti ſuae conſuluiſſe credibile eſt, etſi FLAV. IOSEPHVS exiſtimet, eos feciſſe hoc monitos a Dauide. Congregati porro ad illum ſunt כל איש מצוק *omnis vir anguſtiae*, hoc eſt, qui in anguſtiis verſabantur, & quicunque aere alieno premebantur, & omnes denique, *quibus aeger erat animus*, hoc eſt, qui cum paupertate aut alia quadam calamitate colluctabantur, aut, vt alii volunt, qui iniquitatem crudelitatemque Saulis aegre ferentes, comites Dauidis eſſe in rebus aduerſis, quam Saulis frui gratia, malebant. Hosce homines, etſi maximam partem miſeros, tamen & honeſtos fuiſſe, vt credamus, par eſt, cum ceteroquin Dauid, vt ſe comitarentur, non paſſurus fuiſſet. Comparatio itaque, quam inter hosce & eos, qui in bello ciuili Caeſaris aut Pompeii caſtra ſecuti ſunt, aut omnino Catilinae partibus acceſſerunt, vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS, ex SALLVSTII *ep. I. de republ. ordinanda*, itemque *de bello Catilinar. cap. XXVIII.* inſtituit, minus recte procedit. Eorum erant circiter quadringenti, qui Dauidem ducem ſuum conſtituerunt. Hosce comites cum nactus eſſet Dauid, in locum munitum, cui nomen מצפה מואב *Mitſpeh Moab* ſe contulit. Mitſphen hanc diuerſam fuiſſe ab illa, quae in terra Iudae ſita eſt, vel inde conſtat, quod deinde in terram Iudae remigrare a Deo iuſſus ſit. Nec in regione Moabitarum collocanda, cum inde parentes ſuos ad regem Moabitarum ſecuritatis cauſſa miſerit, quos tuto ſecum retinere potuiſſet, ſi hoc propugnaculum in terra Moabitica ſitum fuiſſet. Supereſt, itaque, vt concludamus, id ſitum fuiſſe in terra Iſraelis, ſed non procul a finibus Moabi-

tarum, vnde forte *Mirſpheh Moab* dictum eſt. Dum parentes Dauidis apud regem Moabitarum commorabantur, ipſe, a Gade propheta monitus, in Iudaeam reuerſus eſt, inque ſiluam Chereth venit. Gad hicce, cuius prima hic mentio, forte ex diſcipulis Samuelis fuit, cumque munere prophetae iam fungeretur, ad Dauidem miſſus eſt, vt Numinis voluntatem ei ſignificaret. Credibile etiam, eum ex eo tempore manſiſſe in comitatu Dauidis, ne Saulis vindictam experiretur.

Eodem vero tempore Saul audiuit, nonnullis ex miniſtris ſuis innotuiſſe, vbi Dauid fuiſſet, nec tamen eos hoc ei indicaſſe: quamobrem eum Gibeae ſub arboribus in loco excelſo ſederet, more conſueto haſtam manu tenens, ſiue pro ſceptro ea eſſet, ſiue in ſignum, quod vir bellicus & dux ſupremus militiae eſſet, acri ſermone eos, qui aderant, increpuit, quod nemo hoc ſibi indicaſſet, nec Ionathanis ac Dauidis coniurationem contra ſe initam detexiſſet, ſimulque animum ingratum, & beneficiorum a ſe in illos collatorum immemorem, illis exprobrauit. Ceteris, vtpore de innocentia Dauidis certis, tacentibus, Doegus Edomita, hanc occaſionem, infenſum Dauidi animum demonſtrandi, arripuit, & quid Nobi vidiſſet, audiuiſſetque, regi exponit. Eum non Saulis ſermone permotum, aut innocenti conſilio, ſed animo peſſimo, vt Achimelechum & reliquos ſacerdotes in ſuſpicionem initae cum Dauide conſpirationis adduceret, & hinc Saulem contra ipſum quoque Dauidem magis irritaret, hoc dixiſſe, vel inde intelligitur, quod ipſemet Dauid *verſ. 22.* dicat: *Sciui in die iſta, cum ibi eſſet Doegus Edomita, quod adnuntiando adnuntiaturus eſſet Sauli.* Hisce enim aperte ſignificat, animum malignum Doegi, ſibique infenſum, iam tum perſpectum ſibi fuiſſe, adeoque ſe non dubitaſſe, quin omnia, quae Nobi vidiſſet, audiuiſſetque, Sauli proditurus eſſet. Achimelechum ergo cum reliquis ſacerdotibus cum Saul aduocari iuſſiſſet, initam cum Dauide conſpirationem, ob panem & gladium illi datum, & quod pro eo Deum conſuluiſſet, exprobrat. Achimelech ingenue & cordate, quae facta erant, fatetur, ſed id ſibi vitio verti poſſe negat, cum Dauidi, bellico duci, regisque genero, illud denegare non potuerit, ignarusque porro eorum omnium, quae geſta erant, eum gratia regis excidiſſe, prorſus neſciuerit. Aperte hic indicatur, quod Deum per vrim & thummim pro Dauide conſuluerit, quod ex circumſtantiis antea memoratis colligi poſſe, itidem ſupra obſeruauimus. Tantum vero abeſt, vt regi furibundo ſummus ſacerdos iuſtiſſima ſua ſatisfecerit defenſione, vt potius eum cum reliquis ſacerdotibus ſtatim contrucidari iuſſerit, eodem Doego, qui proditor eorum fuerat, carnificis munere fungente, quod reliqui Saulis ſerui recte detrectabant, cum, ſi principes, quae palam iniuſta & impia ſunt, iubeant, Deo magis, quam

i 2 illis

Digitized by Google

illis, obediendum ſit. Immo non tantum recte hocce officium detrectabant ſed rectius adhuc acturi fuiſſent, ſi hominum innocentum caedem impediuiſſent, ſimulque Dauidis innocentiam regi demonſtraſſent. Veroſimile, non ſolum Doegum hanc caedem perpetraſſe, ſed cum quorundam impiorum illique ſimilium opera vſum; quae etiam eſt ſententia FLAV. IOSEPHI: καὶ παραλαβὼν ὁμοίους αὐτῷ πονηροὺς ἐκεῖνος ἀποκτείνει τὸν Ἀχιμέλεχον καὶ τὴν γενεὰν αὐτοῦ *illeque adſumtis malis viris ſibi ſimilibus, occidit Achimelechum, eiusque ſtirpem.* Eo facilius autem Doegus ad hoc induci potuit, quod non tantum homo impius eſſet, ſed & alienigena; ideoque non ſine ratione patria eius ſemper additur, quod fuerit Edomita. Occiſi viri octoginta quinque, vt in textu ebraeo dicitur. Falluntur itaque LXX interpretes, qui, vt in quibusdam codicibus legitur, habent τριακοσίους καὶ πέντε, itemque FLAVIVS IOSEPHVS, qui habet: ὡς πέντε καὶ ὀγδοήκοντα καὶ τριακόσιοι, *circiter trecenti octoginta quinque.* Neque hic Saulis crudelitas ſubſtitit, ſed ipſam quoque vrbem Nobum gladio deleuit, omnibus eius incolis, nulla nec ſexus, nec aetatis ratione habita, immo & pecudibus omnibus interfectis, tanquam חרם ſeu *vrbs deuota* eſſet. Qua in re forte Doegi, certe hominum ei ſimilium, opera vſus eſt Eos enim, quibus adhuc aliquis Numinis ſenſus ſupererat, tam horrendum facinus ſummopere deteſtatos fuiſſe, vix eſt, quod dubitemus. Diſcere hinc Iſraelitae, qui regem tantopere flagitauerant poterant, quam facile reges in tyrannos degenerent, & quid tum ab illis exſpectandum ſit. Deleta ergo hunc in modum etiam eſt magna pars Ithamaridarum, eorum ſcilicet, qui Nobi fuerunt, excepto Abiathare, Achimelechi filio, qui fuga ſibi conſulens, ad Dauidem peruenit, eique, quae geſta eſſent, expoſuit. Magnum ea res haud dubie Dauidi dolorem adtulit. Etſi enim illud, quod contigit, praeuidere non potuerit, quamuis Doegum regi omnia nuntiaturum ſuſpicatus ſit, adeoque a conſilio nocendi ſacerdotibus, aut eiusmodi calamitatem illis attrahendi, prorſus alienus fuerit; non omnis tamen culpae expers fuit, cum diſſimulatione ſua occaſionem caedi iſti ſacerdotum dederit. Quod & ipſemet haud obſcure indicat, dum, *ego quidem cauſſa fui*, inquit, *cur omnis anima domus patris tui periret.* Interim Abiatharem ſecum retinuit, eique confirmauit, ſaluum eum fore, quamdiu ipſemet ſaluus futurus eſſet.

§. VIII.

Liberata hinc Keila vrbe, quam Philiſtaei obſidione cinxerant, cum ibi non ſatis ſe tutum fore diuinitus edoctus eſſet, cum viris ſex-

ſexcentis, qui ad eum confluxerant, in ſolitudinem Ziphenſem abiit, collem Hachilae natura munitum occupans. Mox & Saul adfuit, a Ziphenſibus monitus, iamque eo res peruenerat, vt Dauidi vndique militibus circumdato, nec pugnandi, nec euadendi locus concederetur, cum nuntius aduolaret, de Philiſtaeorum irruptione regem certiorem reddens. Hac re inductus, cum feſtinandum ad captiuos a Philiſtaeis abductos, liberandos, ſibi putaret, ſubito a coepto deſtitit. *

* Dum iſta, quae diximus, a Saule gerebantur, Philiſtaei irruptione facta, non tantum Keilam vrbem oppugnabant, ſed areas etiam, ſiue horrea diripiebant. Circa meſſis enim tempus ſeu paullo poſt eam, hoc factum videtur. Quae belli iſtius occaſio fuerit, nobis ignorare licet, cum ſcriptori ſacro hoc indicare non placuerit. Res ipſa ſatis docet, nunquam eo tempore pacem firmam inter Ebraeos atque Philiſtaeos fuiſſe; vnde & mirum non eſt, inuaſiones ſubinde vtrinque ad praedam agendam, aut damnum aliquod inferendum, factas. Neque exiſtimandum, totam Philiſtaeorum gentem cum iuſto exercitu vrbem Keilam oppugnaſſe; tum enim temerarium admodum fuiſſet, ſi Dauid cum viris ſexcentis illos adgredi voluiſſet: ſed manum tantum, etſi ſatis validam, ad praedam agendam egreſſam fuiſſe, arbitror, eamque ſimul vrbem iſtam oppugnaſſe. Dauid autem eo tempore haud dubie in finibus tractus iſtius, in quo vrbs Keila ſita erat, cum ſuis commorabatur, vnde nuntium de iſto Philiſtaeorum conatu, prius accipere, quam Saul, & citius ad vrbem liberandam aduolare potuit. Eum a Keilenſibus vocatum, quae nonnullorum eſt ſententia, non credo, cum id ſcriptor ſacer non commemoret. Deinceps etiam patuit, Keilenſes non adeo propenſo in illum fuiſſe animo. Nec peccauit, quod ſua ſponte ad ſuppetias illis ferendas properauit. Nihil enim aliud hac in re fecit, quam quod boni ciuis officium poſtulat. Vt oppreſſis & in anguſtiis verſantibus ſuccuramus, praeſertim, ſi ciues noſtri ſint, nec mandato nec vocatione humana opus eſt. Ne vero temere quidquam ſuſcipere videretur Dauid, Deum prius conſuluit, ſcilicet per vrim & thummim. Nonnulli, qui putant, Abiatharem eo tempore nondum apud Dauidem fuiſſe, per Gadem prophetam eum Dominum conſuluiſſe, & reſponſum accepiſſe, contendunt. Sed licet ſcriptor ſacer deinceps occaſione data aduentum Abiatharis cum ephodo & vrim ac thummim, commemoret, inde non ſequitur, Abiatharem iam antea apud Dauidem non fuiſſe. Neque enim ibi ſcriptor ſacer de tempore aduentus Abiatharis agit, quod iam in fine capitis praecedentis fecerat, ſed occaſione data ſaltem indi-

dicat, quod Abiathar adfugiens veſtes ſacras, adeoque & vrim ac thummim, ſecum abſtuliſſet. Nec obſtat, quod Abiathar Keilam ad Dauidem veniſſe dicatur; hoc enim de finibus tractus, in quo ſita Keila vrbs fuit, intelligi poteſt, & in quibus Dauid verſabatur, cum nuntium de oppugnatione vrbis iſtius acciperet. Diſplicuit vero conſilium Dauidis de liberanda vrbe Keila, viris, qui cum eo erant. *En! ſumus*, inquiunt, *hic in Iudae tractu, & quidem timemus; an vero etiam ibimus Keilam, ad aciem Philiſtaeorum.* Keilam vrbem in tribu Iudae ſitam fuiſſe, conſtat ex *Ioſ. XV.* 44. adeoque hoc ſibi volunt: hic in tribu Iudae, vbi nulli ſunt Philiſtaei, & inter fratres ac cognatos verſamur, nobis non ſatis tuti eſſe videmur, adeoque timemus, magna itaque erit temeritas, ſi Philiſtaeis ad vrbem Keilam obuiam ire velimus. Quo ipſo non tantum puſillanimitatem ingentem, ſed & incredulitatem viri iſti produnt. Diuino enim oraculo, quo Dauid de voluntate Numinis certior factus erat, non adhibebant fidem, ſiue illud non ſatis clarum eſſe crederent, ſiue ob aliam quamcunque cauſſam. Qua re inductus Dauid denuo Dominum conſuluit; cumque hic diſerte ſignificaſſet, ſe Philiſtaeos in manus eius traditurum, ſine mora Dauid cum ſuis eo profectus, proelioque commiſſo eos vicit, & profligauit. Cum primum dicatur, *pugnauit cum Philiſtaeis*, tum porro, *pecudes eorum abduxit*, praeterea, *magnum vulnus iis impoſuit*, & tandem, *incolas Keilae liberauit*, nonnulli inde colligunt, hoc ordine cuncta geſta; primum, proelio commiſſo fudiſſe Philiſtaeos Dauidem, tum fugientes in ditionem eorum perſecutum, & pecudes eorum abduxiſſe; praedam vero iſtam cum recuperare voluerint, rem denuo ad manus veniſſe, magnamque Philiſtaeos iterum accepiſſe cladem: & ita demum plene liberatam fuiſſe Keilam. Ita ad quaeſtionem, quam R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* proponit, reſponderi poteſt, quaenam & vnde pecudes iſtae, quas Dauid abduxiſſe dicitur.

Hic ſcriptor ſacer, priusquam ad ea pergat, quae Keilae contigerunt, de Abiathare praemittit, quae antea iam adtulimus. Nec temporis eum obſeruaſſe ordinem, itidem iam monuimus. Id modo, ὡς ἐν παρόδῳ, addere liceat, cum *verſ. 6.* dicitur: *Ephod deſcendit in manum*, non ita hoc eſſe intelligendum, ac ſi caſu aut fortuito veſtis ſacra cum vrim & thummim in manus eius inciderit: ſummam enim hoc ſacerdotum in rebus ſacris cuſtodiendis negligentiam argueret, quam vix praeſumere licet: ſed iſta loquendi ratio generatim hoc ſibi vult, quod veſtes ſacras ſecum ſumſerit: quod data opera & deliberato eum feciſſe conſilio, non eſt, quod dubitemus. Dum ergo Keilae Dauid commorabatur, nuntiatum id Sauli eſt, qui, *tradidit*, inquit, *eum Deus in manum meam: nam incluſus eſt, cum ingreſſus ſit vrbem, portis & vecti-*

Bibm clauſam. Vocem סִגַּר, quae alias *alienauit*, ſignificat, hie per *tradere*, *concludere*, chaldaeus interpres, R. SAL. IARCHI, aliique explicant. At R. LEVI BEN GERSON ita exponit: *Deus abalienauit mentem ab eo, vt caderet in manum meam.* Res eodem tandem redit. Quod vero Deo ipſi Saul hoc tribuat, non mirabitur, qui ſecum cogitat, improborum hominum, praeſertim hypocritarum, huncce morem eſſe, vt per ſummam ſtultitiam, Deo ſe non displicere, credant, eiusque adeo in peſſimis etiam facinoribus ſibi promittere propitium fauorem audeant. Saul itaque vniuerſum populum congregauit; & licet addatur: *vt contenderet Keilam*, vix tamen videtur hoc populo ſignificaſſe; ſed probabile potius, eum bellum in Philiſtaeos, aut aliud quid, obtentui ſumſiſſe. Dauid autem ea re intellecta, Dominum iterum conſuluit; cumque cognouiſſet, vera non tantum eſſe, quae de Saule nuntiata eſſent, ſed Keilenſes perfidiam ingrato animo addituros, ſeque, ſi ibi maneret, tradituros Sauli, eum ſuis inde discesſit. Dicitur: ויתהלכו באשר יתהלכו *& iuerunt, in quo iuerunt*, hoc eſt, iuerunt, quo ire licuit, ſcilicet ad locum certum, in quo ſe ſatis tutos fore putarunt: vt recte chaldaeus id exprimit. Perperam itaque vulgatus: *huc atque illuc vagabantur incerti.*

Licet autem Saul, fuga Dauidis ex vrbe Keila intellecta, iſtam expeditionem intermiſerit, non tamen deſiit perſequi Dauidem, qui ſecuritate ſuae conſulturus במצרות in locis natura munitis, vti ſunt ſaltus, rupes aditu difficiles, ſimilesque, commoratus eſt. Cum ergo in ſolitudine Ziph eſſet, Saulem denuo ad ſe perſequendum egresſum eſſe, intellexit. Cumque haud dubie non procul ab iſta ſolitudine abeſſet, occaſione iſta vſus videtur Ionathan, dum clam ad Dauidem in ſiluam iſtam venit. Eſtque veroſimile, Dauidem ſubinde Ionathani per ſeruum fidelem indicaſſe, quo in loco commoraretur, quippe de cuius in ſe animo non dubitabat, tum, vt de ſuo rerum ſtatu eum certiorem redderet, tum vt ipſemet, num ſaluus adhuc ac incolumis Ionathan eſſet, cognoſceret. Dicitur de Ionathane, quod *manum* Dauidis באלהים *in Deo confirmauerit*, hoc eſt, eum adhortatus fuerit, vt Deo confideret; fore enim, dicebat, vt non ſaluus tantum & incolumis euaderet, ſed vt patri ſuo in regia dignitate ſuccederet; idque ſe adeo non aegre laturum, vt nihil aliud, quam ſecundum ab eo locum ſibi expeteret; a Deo vero illi regnum deſtinatum, nec ipſi Sauli ignotum eſſe. Vnde intelligere licet, omnibus iam tum innotuiſſe, quod Dauid a Samuele in regem futurum vnctus eſſet. Forte a cognatis & conſanguineis Dauidis hoc propalatum, vt Iſraelitarum fauorem eo magis illi conciliarent, cum nulla ſpes animum Saulis erga Dauidem mitigandi, ſupereſſet. Renouato hinc confirmatoque amicitiae federe, Ionathan domum rediit, at Dauid in ſilua Ziphenſi

phenſi permanſit. Id cum a Ziphenſibus Sauli indicatum eſſet, adcuratius eos, certiusque loca, in quibus latitare conſueuerit, explorare iubet, idque ſibi ſignificare, ne denuo fruſtra illum perſequatur. Idque diligenter praeſtiterunt proditores, Sauli indicantes, quod Dauid cum ſuis in deſerto Maonenſi eſſet, in campeſtribus ad dextram Ieſimonis. Huc ergo cum Saul ſe conferret, Dauid in rupem in ſolitudine Maonenſi ſe recepit: Sauleque vlterius inſiſtente, factum eſt, vt ab vno montis latere Saul, ab altero Dauid cum ſuis incederet. Dauid itaque maximo periculo ita ſe exponi videns, diſcedere e conſpectu Saulis feſtinauit. Id enim ſignificat hic vox ebraea; נחפז. Perperam vulgatus: *porro Dauid deſperabat, ſe poſſe euadere a facie Saul*, aliis de deſperatione illa Dauidis, qualis fuerit, diſputandi occaſionem ſuppeditans. Quantumuis autem feſtinaret, impedire non potuit, quo minus cum ſuis a Saule cingeretur. In ſummis itaque anguſtiis conſtituto adfuit Deus. Eius enim haud dubie directione ſingulari factum, vt eodem tempore Philiſtaei in terram Iſraeliticam irruptionem facerent; cuius rei nuntium cum Saul accepiſſet, vt eo celerius Philiſtaeis obuiam iret, ſubito ab inſequendo Dauide deſtitit. Pro iſta liberatione Dauid Deo gratias egit *pſalm. LIV.* & ſecundum nonnullos etiam *LXIII.*

§. IX.

Praeſentiſſimo iſti periculo Numinis prouida cura ereptus Dauid abiit inde, & in locis munitis Engedi manſit. Ibi cum rurſus Saul, ab expeditione contra Philiſtaeos reuerſus, tribus electorum virorum millibus ſtipatus, cum quaereret, opportuna occaſio in ſpelunca, quam ad ventrem exonerandum Saul ingreſſus erat, Dauidi in ea latitanti, ſe offerebat, regem interficiendi. Quod quo minus faceret, pietas eius obſtitit. Oram autem pallii in ſpelunca abſciſſam deinceps illi e longinquo oſtendens, regi pudorem incuſſit, quod tam pertinaciter hominem perſequeretur, qui tanta erga illum eſſet pietate, vt nulla opportunitate ad eum opprimendum vti vellet. Commemorata & liquido oſtenſa innocentia ſua, regis ita flexit animum, vt fide ab eo accepta, fore, vt poſteris ſuis parcat, pacatus conciliatusque Dauidi, abiret. *

* Cum poſt Saulis diſceſſum Dauidi abeundi copia facta eſſet, in *locis munitis Engedi* manſiſſe dicitur. Engedi vrbs haud ignobilis fuit in tribu Iudae, quae ſuas etiam villas habuit, *Ioſ. XV. 62.* Ab eaque circumiacens regio, hinc & ſolitudo vicina nomen accepit. Coniungitur ei *Ioſ. loc. cit.* vrbs

vrbs ſalis, vnde non procul a *mari*, quod vocatur, *falſo*, eam ſitam fuiſſe, colligunt. Deſertum itaque Engedi ad tribum Iudae ſpectauit, aeque ac vrbs ipſa, quae nomen ei dedit. Idque aſperum, & montibus collibusue inuium fuiſſe, nonnulli obſeruant, indeque probant, quod capreae ſeu damae ibi habitauerint, ſiquidem *verſ.* 3. Saulis viri Dauidem per *rupes caprearum* quaeſiuiſſe dicuntur. Vox יעלים *capreas* ſeu *ibices* potius, genus ſcilicet caprearum, quibus maxima ſunt cornua, denotat, vt pluribus demonſtrat SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. I. libr. I. cap. XXIII.* In iſto deſerto cum latitaret Dauid, idque Saul cognouiſſet, hic adſumtis ſecum virorum electorum ex omni Iſraele tribus millibus, Dauidem ibi quaeſitum iuit. Illos puto innui viros, quos iam ſub regni ſui initium delegerat, vt ad omnes caſus parati eſſent. conf. *I. Sam. XIII. 2.* Contigit autem, cum ad caulas ouium veniſſet, vt ad aluum exonerandum ſpeluncam, in qua Dauid cum ſexcentis viris ſuis latitabat, ingrederetur. Fuiſſe in Palaeſtina ſpeluncas, quae tot homines caperent, conſtat. conf. *I. Maccab. II. 32. ſqq.* Vnde vt miracula hic fingamus, neceſſe non eſt. Saul autem eo minus ſuſpicabatur, Dauidem in iſta ſpelunca eſſe, quod prope eam caulae ouium eſſent: quo in loco eum verſari non credebant, quia paſtores eum prodere potuiſſent. Cum ergo ſpeluncam iſtam Saul ingreſſus eſſet, viri Dauidis, *en*, inquiunt, *diem, de quo dixit tibi Iehouah, tradam inimicum tuum in manum tuam, eumque habebis, vt tibi videbitur.* Quodnam illud verbum Dei ſit, ad quod viri iſti prouocant, quaeri ſolet. Mea opinione fieri potuit, vt per Gadem, aut alium prophetam, eiusmodi quid Dauidi, ne animum in iſtis anguſtiis abiiceret, ſignificatum fuerit, idque etiam comitibus eius indicatum. Alii tamen interpretatiue, vt loquuntur, hoc capiunt, ac ſi ex ipſa illa opportunitate, quae Dauidi ſe offerebat, Saulem interficiendi, viri iſti collegerint, non ſine Numinis nutu hoc contingere, eiusque voluntatem eſſe, vt Saulem interficeret. Priorem ſententiam, quam praeferendam puto, eo, quod planior ſit, etiam calculo ſuo adprobat vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* At perperam addit: *Eo videntur reſpicere, quae pſalmo II. poſtea a Dauide compoſito, continentur, & eo ſpectant hic verba comitum Dauidis.* Pſalmum enim iſtum ſecundum non de Dauide, ſed de Chriſto agere, conſtat, lucucentiſſimeque noſtrates demonſtrarunt. Licet autem Deus per prophetam Dauidi liberationem certiſſimam promiſerit, nondum tamen tempus liberationis aderat, nec per caedem Saulis ab ipſo Dauide perpetrandam hoc Deus fieri volebat, vt perperam ſibi perſuadebant Dauidis comites.

Dauid itaque id iam ſecum conſtitutum habens, quod poſtea fecit, ad Saulem clam acceſſit, oramque pallii eius abſcidit. Sunt, qui exiſtimant, Dauidi conſtitutum fuiſſe, Saulem inter-

Digitized by Google

terficere: ſed ſubito poenitentia ductum, oram ſaltem pallii eius abſcidiſſe. Immo R. LEVI BEN GERSON eo vsque progreditur, vt, iam in eo fuiſſe Dauidem, contendat, vt Saulem percuteret, ſed fruſtrato ictu oram pallii abſcidiſſe: mox autem propoſiti ſui eum poenituiſſe. Sed haec omnia a veritate prorſus abhorrent, nec cum pietate ea, qua erga regem Dauid fuit, ſatis conueniunt. In errorem autem viri docti inducti ſunt, quod verba, quae ſequuntur, ויך לב דויד אותו *& percuſſit cor Dauidis illum*, non recte intellexerint. De conſcientiae enim dictamine cum ea exponant, concludunt, commiſiſſe aliquid Dauidem, cuius eum poenitere potuit, & hinc porro inferunt, conſtitutum illi fuiſſe, Saulem interficere. Alii, quam alienum hoc a genio Dauidis ſit, perſpicientes, interim verba: *& percuſſit cor Dauidis illum*, eadem ratione explicantes, religioni ſibi duxiſſe Dauidem, putant, quod oram pallii Saulis abſciderit. Verum, cum id ad innocentiam ſuam eo luculentius demonſtrandam fecerit, quod ea in re peccauerit, aut religioni hoc ſibi ducere debuerit, videre prorſus nequeo. Sed cum percuſſio ſeu palpitatio cordis generatim cum adfectibus vehementioribus coniuncta eſſe ſoleat, non neceſſe eſt, vt ſpeciatim inde colligamus, Dauidem commiſiſſe aliquid, cuius eum poenituerit. Ex metu enim aut conſternatione quadam, idem fieri potuit. Ad ordinem, quo cuncta geſta ſunt, quod attinet, non neceſſe eſt, vt ab eo, quem verba ſcriptoris ſacri aperte indicant, diſcedamus. Nimirum, cum Saul ſpeluncam ingreſſus eſſet, comites Dauidis, vt eum interficeret, illi auctores fuerunt. Dauid, cum periculum in mora eſſet, tum quidem nihil reſpondit, ſed oram pallii Saulis, in documentum innocentiae ſuae, abſcidit, idque cum non ſine metu & animi quadam conſternatione feciſſet, eo magis laetatus eſt, quod ſuorum non ſecutus eſſet conſilia, atque, cur illud non feciſſet, oſtendit, quod Saul & dominus eius & vnctus Iehouae eſſet, cui violentas inferre manus ſummum ſit nefas. Videntur autem comites Dauidis nondum plane conquieuiſſe, ſed ipſimet impetum in Saulem facere voluiſſe. Dicitur enim: וישסע *& ſeparauit eos, nec paſſus eſt, eos in Saulem inſurgere.* Verbum וישסע diuerſimode equidem redditur. Chaldaeus: *perſuaſit;* vti & LXX interpretes: ἔπεισε· R. LEVI BEN GERSON: *diuiſit cor eorum verbis;* alii aliter. Certum eſt, verbum שסע de *ſeparatione* vſurpari, adeoque ſenſus eſt: *ſeparauit*, ſeu *remouit*, eos, qui necem Saulis cupiebant, hoc eſt, compeſcuit, obiurgando forte eos, ſaltem rationibus demonſtrando, nefas eſſe, ſummumque piaculum, violentas regi inferre manus. Dauidem cum comitibus haec loqui potuiſſe, vt Saul nihil iſtorum perciperet, non mirabitur, qui, ſpeluncam illam tam amplam fuiſſe, cogitat, vt ſexcentos viros caperet.

Cum ergo ex ſpelunca iſta Saul egreſ-

Digitized by Google

greſſus eſſet, Dauid eum ſecutus clamauit a tergo eius: *Domine mi, rex.* Cumque Saul reſpexiſſet, Dauid inclinato venerationis cauſſa in terram corpore, eum adloquitur, ſuamque innocentiam pariter ac magnanimitatem vel inde eluceſcere dicit, quod, cum opportunitas maxima, regem interficiendi, ſibi oblata eſſet, idque alii ſuaſiſſent, nihiloſecius eidem pepercerit. In eius rei ſignum oram pallii abſciſſam ei oſtendit, additque, poſſe eum vel inde intelligere, quod nihil mali erga illum moliatur: hoc enim ſi eſſet, occaſionem iſtam eum interficiendi non praetermiſſurum fuiſſe: & licet rex ſibi homini innocenti vitam eripere cupiat, ſe tamen nihil mali adlaturum regi, ſed rem omnem Deo potius commiſſurum, cum ſecundum vetus prouerbium non niſi improbi hominis ſit, vltionem ſuam atque vindictam quaerere. Dicitur: משל הקדמוני *prouerbium antiqui*, id eſt, per *συνεκδοχήν*, *antiquorum.* Chaldaeus vertit: *prouerbium, quod eſt ab antiquo:* alii, *prouerbium ab homine antiquo;* ſcilicet inuentum: ſed noſtra planior eſt explicatio. Senſum ipſum recte exprimunt LXX interpretes: *παραβολὴν ἀρχαίαν*, & vulgatus: *prouerbium antiquum.* Coactum & longe nimis petitum eſt, quod habet R. SAL. IARCHI, *prouerbium antiqui mundi*, h. e. *Dei*, ad legem diuinam hoc referens. Ipſum autem prouerbium ita ſe habet: מרשעים יצא רשע *ab impiis exibit impietas.* Senſus eſt, eos, qui impia facinora edant, vt ſe vlciſcantur, aut vindictae cupiditati indulgeant, homines eſſe impios, quibus Dauid adnumerari nolit. Prudenter etiam addit, indignum regis faſtigio eſſe, hominem non tantum innocentem, ſed & humilem & abiectum, qui adeo nec velit nec poſſit regi nocere, & inſtar canis mortui, aut pulicis, reputandus ſit, tanto ardore perſequi, quippe quod ad iram regis leniendam, & inuidiam a ſe amoliendam, plurimum conferre poterat. Et ſane ex iſto Dauidis & facinore & ſermone, Saul innocentiam eius ac magnanimitatem ſatis intellexit, cumque eo ita commotus eſſet, vt nec a lacrymis ſibi temperare poſſet, innocentiae & magnanimitati eius ipſemet teſtimonium perhibuit, ſimulque adiecit, cum non dubitaret, regnum Iſraelis ad eum peruenturum, de vnctione Dauidis a Samuele facta, haud dubie certior redditus, hoc ſaltem ſe velle, vt Dauid, ſe proli eius parciturum, nec deleturum nomen eius e patris ſui familia, ſeu genealogia (hoc namque olim in more poſitum; vt nulla improborum hominum memoria ſupereſſet) iureiurando ſibi confirmaret. Quod cum Dauid feciſſet, vterque abiit, Saul in domum ſuam, Dauid vero cum ſuis in locum quendam munitum. Laudabile eſſe illud, de quo hactenus diximus, Dauidis facinus, nemo dubitauerit. Sitne vero tantum ex magnanimitate profectum, an vero & ex officio, de eo quaeri ſolet. Sunt enim viri docti, qui ita cenſent, etſi ob magnanimitatem laudandus ſit Da-

uid, non tamen peccaturum fuiſſe, ſi regem, qui non tantum ſibi vitam eripere quouis modo cupiebat, ſed & innoxios ſacerdotes trucidauerat, adeoque nullum iuris aut aequitatis habere rationem videbatur, interfeciſſet. Ita praeter alios IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* Mihi vero prorſus probatur ſententia HVGONIS GROTII, ex officio id feciſſe Dauidem, pronuntiantis, dum Sauli pepercit, adeoque peccaturum fuiſſe, ſi non peperciſſet. Cum enim monuiſſet, ſi alicui neceſſitas contra ſummum imperantem, ſe defendendi imponatur, in tali periculo perſonae regis parcendum eſſe, recte addit: *Quod qui factum a Dauide putant, non ex officii neceſſitate, ſed ex ſubliniore propoſito, falluntur. Ipſe enim Dauid aperte dixit, inſontem neminem eſſe poſſe, qui manus regi inferret. Nimirum ſciebat ſcriptum in lege, Diis, id eſt, iudicibus ſummis, non maledices, & principi in populo tuo non maledices. In qua lege mentio facta ſpecialis eminentium poteſtatum, oſtendit, aliquid praecipi ſpeciale. Quare Optatus Mileuitanus, de hoc Dauidis facto loquens, obſtabat, ait, plena diuinorum memoria mandatorum, & verba Dauidi haec tribuit: Volebam hoſtem vincere, ſed prius eſt, diuina praecepta ſeruare: de iure bell. & pac. lib. I. cap. IV. §. VII. num 6.* Non autem peccaſſe Dauidem, vitam ſuam contra Saulis inſultus defendendo, idem recte demonſtrat, *ibid. num. 4.*

§. X.

Mortuo eodem tempore Samuele, * Dauid, vt ſecuritati ſuae conſuleret, in ſolitudinem Pharanis ſe contulit. Quo in loco dum verſabatur, a Nabale, de quo bene meritus erat, graui adfectus eſt iniuria, dum pro viatico, quod pro ſuis expetebat, conuicia retulit. Acriter itaque hominem ſui nominis, hoc eſt, ſtolidum, caſtigare ſecum conſtituerat: ſed Abigail, Nabalis vxor, prudentia ſua atque precibus effecit, ne admitteret, cuius poſtea eum haud dubie ſubiiſſet poenitentia. Hinc & mortuo Nabale eam vxorem duxit. **

* Poſtquam per annos XXX ſolus rem Iſraeliticam adminiſtrauerat, & vna cum Saule rege, per annos VIII. Saule namque licet in regem electo, non tamen intermiſit, publicam rem curare, vsque ad finem vitae ſuae, vt diſerte *I. Sam. XII. 15.* dicitur. Attigimus hoc iam ſupra ad §. *II.* In ſequentibus autem ad §. *XXI.* plenius temporum rationes, prout ad hocce interuallum ſpectant, expediemus. Fuit Samuel citra controuerſiam vir ſummus, cuius opera Deus in rebus maximi momenti peragendis vſus eſt, vt ex hactenus dictis abunde conſtat. Illibatae integritatis, ſanctitatiſque idem exemplum praebet. PHILONI iudaeo audit, βασιλέων καὶ προφητῶν μέ-

μέγιςῳ regum & prophetarum maximus; lib. de temulentia; p. m. 261. At parum adcurate regem vocat, quem iudicem tantum fuiſſe conſtat: ſed id ſolenne eſt Philoni, vt propriae vocum ſignificationis rationem non adeo habeat. In bibliotheca caeſarea Vindobonenſi vitam Samuelis graeca lingua ſcriptam exſtare, docet PETRVS LAMBECIVS, in *biblioth. Vindobon. part. VIII. pag. 202.* & ex eo CAROLVS IOSEPHVS IMBONATVS, in *biblioth. rabbin. pag. 308. ſeqq.* In eius titulo Samuel non tantum προφήτης, ſed & ἱερεὺς vocatur. Sed ſacerdotem non fuiſſe, iam ſupra ad §. *II.* euicimus. Iungendus GEORG. SERPILIVS, qui & plura de Samuele dabit, in *perſonalibus*, quae vocat, *Samuelis*, & *cap. III. pag. 17. 18.* magno numero eos laudat, qui de vita & rebus geſtis Samuelis egerunt, quemadmodum *cap. IV.* elogia eius exhibet; *capite* autem *XI.* de morte eius differit. Sepultum Samuelem in domo ſua, quae in Ramah erat, ſcriptor ſacer adſerit, *I. Sam. XXV. 1.* qui & addit, congregatum eum in finem vniuerſum Israelem, h. e. principes ex vniuerſo populo viros, qui eum luxerint & ſepeliuerint. Oſſa eius deinde Conſtantinopolin translata, ex HIERONYMO, *contra Vigilantium*, & NICEPHORO, *hiſt. eccleſ. lib. XIV. cap. X.* tradit CASPAR SANCTIVS ad *I. Sam. XXV. 1.* & NIC. SERARIVS, ad *eundem locum.* Quae ſi vel maxime vera ſint, nihil aliud tamen euincunt, quam iam eo tempore magnam hominum circa oſſa ſanctorum fuiſſe ſuperſtitionem. De libris, qui Samueli tribuuntur, deinceps dicemus, ad §. *XXVI.*

** Eodem, quo Samuel mortuus erat, tempore, Dauid in deſertum Pharan ſe contulit. Illud ad auſtrum tribus Iudae erat, & ad arabicas ſolitudines pertinebat. Sunt, qui contendunt, deſertum hoc ad ipſam tribum Iudae adhuc ſpectaſſe, indeque concludunt, Dauidem hac vice mandatum Numinis, quo in regionibus tribus Iudae manere iubebatur, neutiquam migraſſe. Falluntur itaque, qui, eum in Arabiam vsque receſſiſſe, autumant. Nec ex *pſalm. CXV. verſ. 5.* hoc probari poteſt, vbi dicitur: *peregrinatus ſum cum habitantibus Kedar*; cum ſenſus horum verborum etiam eſſe poſſit, quod inſtar Scenitarum Kedarenorum ex vno loco in alium migrare neceſſe habuerit, nec vllibi fixam habuerit ſedem. Non procul eum a ditionibus tribus Iudae diſceſſiſſe, ſequentia etiam oſtendunt. Carmelus enim, in quo negotia ſua habuiſſe dicitur Nabal, mons erat auſtralis tribus Iudae, quemadmodum Maon, vbi habitabat, vrbs erat eiusdem tribus. Falluntur enim, qui *Maon* hic vt nomen adpellatiuum capiunt. Nabal hicce, cui Abigail vxor obtigerat, femina forma & prudentia conſpicua, opulentiſſimus equidem erat, ſed peſſimis ſimul moribus praeditus, nominisque ſui ſignificationem implebat. Idem Nabal dicitur כלבי hoc eſt, ex gente, ſeu familia Calebi, vt cum chaldaeo recte vulgatus transfert. LXX vero vocem כלב pro cane accipientes, vertunt: ἄνθρωπος

π𐅀 κυνικὸς, vnde FLAVIVS IOSEPHVS errore plane ridiculo ex eo Cynicum philoſophum fecit: *ἐκ κυνικῆς ἀσκήσεως πεποιημέν𐅀 τὸν βίον, ex cynica exercitatione vitam inſtituens.* Cum ergo Nabal hicce oues ſuas tonderet, Dauid ex comitibus ſuis decem ad illum miſit, qui eum humaniſſime compellarent, & viaticum aliquod ab eo pro Dauide eiusque comitibus peterent. Ab homine opulento, & cui in cuſtodiendis eius pecoribus operam vtilem nauaſſent, eiusmodi quid petere, non iniquum erat. Commodam etiam captabant occaſionem, cum apud Ebraeos in more poſitum eſſet, eo tempore, quo tondebant pecora, vocare amicos, celebrare conuiuia, pauperibus etiam aliquid elargiri, & alia hilaris animi ſigna edere. Atque hoc innuitur, cum legati Dauidis ſe על יום מוב *die bono*, ſeu *die feſto*, veniſſe dicere iuſſi ſunt. Et legati quidem iſti, quae Dauid illis in mandatis dederat, expoſuerunt, וינוחו & *conquieuerunt*, hoc eſt, vt ego quidem exiſtimo, nihil addiderunt, ſed ea tantum, quae Dauid mandauerat, expoſuerunt. Indicare, ni fallor, ſcriptor ſacer voluit, a viris iſtis nihil dictum aut factum, quo Nabal irritari potuerit. Nabal autem humaniſſime licet compellatus, magno impetu reſpondit: *Quis eſt Dauid, & quis filius Iſai? Multi ſunt hodie ſerui, quorum vnusquisque e conſpectu heri ſui fugit.* In ebraeo dicitur: רבו *multiplicati ſunt.* Quod cum vulgatus transtulerit: *increuerunt*, nonnulli hoc de ſeruis ſe efferentibus, contra dominos inſurgentibus, & plus, quam decet, ſibi arrogantibus, capiunt. Sed a propria & genuina vocis ſignificatione, vt diſcedamus, nulla nos cogit neceſſitas. Grauiſſima itaque erat contumelia, qua Nabal Dauidem adficiebat, dum eum pro ſeruo fugitiuo habebat, quo conuicio non temere atrocius vllum cogitari poterat. Nec hoc ſatis erat, ſed negauit inſuper, ſe illis viaticum daturum, cum cibum pro ouium tonſoribus paratum, hominibus ignotis dare non poſſet. Nunquam enim temere auaritiae, quod obtentui ſumat, deeſt. Dauid, cum ex legatis ſuis, quo pacto excepti eſſent, intellexiſſet, ira vehementiſſima commotus, ad grauiſſimam iſtam iniuriam vlciscendam ſeſe accinxit.

At Abigail Nabalis vxor, a ſeruo quodam, qui & haud dubie de conſilio Dauidis aliquid acceperat, de his omnibus certior reddita, ſimulque, quodnam commodum Dauidis comites Nabali in gregibus pecorum eius cuſtodiendis praeſtitiſſent, edocta, adſumto ſecum viatico, inſcio Nabale, obuiam it Dauidi, ſeruis ſuis praemiſſis. Cum ergo Dauidi occurriſſet, hic quidem, cum de ingrato Nabalis animo conqueſtus eſſet, quod fidei ſuae in cuſtodiendis eius pecoribus, nulla habita ratione, tanta ſe adfeciſſet contumelia, & malum pro bono reddidiſſet, *ſic*, inquit, *ſe gerat Deus erga inimicos Dauidis, & ſic ſe gerere pergat, ſi vllum reliquero ex omnibus, qui eius ſunt, ad matutinum tempus, qui* min-

Digitized by Google

mingat in parietem. Inconſiderate profecto nimis iureiurando Dauid, ea ſe facturum, confirmat, quae facere nefas erat, haud leui ſe hoc ipſo peccato obſtringens; qua de re deinceps. Ad ipſam iurisiurandi formulam, *ſic faciet Deus hoſtibus Dauidis, & ſic addet*, quod attinet, etſi diuerſimode exponatur, ſenſus tamen eius alius, quam hic, eſſe nequit: Deus feliciter hoſtibus meis, atque ex voto cuncta euenire iubeat, maximaque adeo hoc ipſo me adficiat calamitate &c. Dum porro ſe relicturum negat ad matutinum tempus, *qui mingat in parietem*, locutione vtitur prouerbiali, ſenſusque eſt, ſe omnes ita deleturum, vt ne canis quidem eo loco ſupeſtes futurus ſit. Vbi enim homines nulli, ibi nec canes eſſe ſolent. A canibus hocce prouerbium deſumtum, res ipſa docet, pluribusque, ſi opus eſſet, rationibus confirmari poſſet: etſi me non fugiat, SAM. BOCHARTVM in eo totum eſſe, vt demonſtret, a viris hanc locutionem deriuatam eſſe, *hieroz. part. I. lib. II. cap. LVI.* Abigail, cum ex aſino, quo vehebatur, deſcendiſſet, ad pedes Dauidis proiecta, prudenti oratione animum eius demulcet: imprudenter nimirum Nabalem egiſſe, fatetur; at ſibi hoc vitio verti non poſſe, cum totius rei fuerit ignara; beneficium ingens Numinis fore, ſi a caede innocentum prohibeatur; viaticoque, quod ſecum adſumſerat, oblato, ſe non ignorare, ait, eum bella Domini gerere, & licet Saulis iram experiri cogatur; eius tamen innocentiam ſatis notam eſſe, vt omnino ſtolide egerit Nabal, ſerui fugitiui infamiam in illum coniiciendo: certum denique eſſe, eum ex omnibus hisce periculis & calamitatibus ereptum iri, regemque fore Iſraelis; tumque ingenti ſolatio hoc quoque fore, quod ſanguinem innocentem non effudiſſet; ſe vero petere, vt, ſi ad iſtam dignitatem euectus ſit, ſui quoque tum recordetur. Initium ſermonis Abigail hisce verbis facit: בי אני ארני העון *in me, ego, Domine mi, delictum;* vbi vox אני ſuperflua eſſe videtur, quam & latini graecique interpretes omittunt. Sunt, qui varias ſibi hic difficultates diſponunt, ſed plana ſunt omnia, ſi haec ita reddantur: *in me ipſa, Domine, &c.* Ad rem ipſam, quod attinet, non tam hoc ſibi velle videtur, quod Nabalis iniquitatem in ſe recipere velit, quam hoc, quod delicti rea eſſe velit, ſi eius, quod petitura eſſet, conceſſione peccetur. Dum de viro ſuo loquitur, eum vocat בליעל *hominem nihili*, immo talem eſſe, qualem nomen eius ſignificat, ſcilicet ſtultum. Prudenter quidem, ne facinus eius adprobare videatur. Dubitant nonnulli, an *Nabal* verum eius nomen fuerit, putantque, ob improbitatem ac ſtultitiam hoc ei datum. Sed nihil etiam obſtat, quo minus verum nomen fuerit, cum parentes eius ad aliam, quam ſtultitiae ſignificationem, per alluſionem quandam, reſpicere potuerint, cum hocce nomen illi imponerent. Difficultate quoque non carent Abigailis verba, cum *verſ. 26*, dicit: *Nunc ergo, domine*

Digitized by Google

mine mi, viuus Iehouah, & viuit anima tua, quod prohibuerit te Iehouah a veniendo cum ſanguinibus, & vlciſcendo manum tuam te. Nonnulli enim hoc de adiuratione accipiunt, qua per Deum atque Dauidis vitam, ipſum adiurauerit, ne iniuriam acceptam caede vlcisceretur. At alii hoc ita capiunt, quod iuramento per Deum & vitam Dauidis confirmet, ipſum Deum velle, ne ſanguine innocentum manus ſuas polluat, idque inde eum intelligere poſſe, quod non ſine Numinis directione contigerit, quod tam tempeſtiue illi obuiam facta ſit. In qua explicatione nullam difficultatem video. Recte autem in memoriam ei reuocat, hominis pii & prudentis non eſſe, ſe ipſum vlcisci: id enim ſolius Dei eſſe, qui & iniuriam, ab hoſtibus eius illi illatam, vindicaturus ſit. Hoc enim ſibi vult, cum ait: *ſint vero inimici tui, & qui tibi malum moliuntur, inſtar Nabalis.* Nihil enim grauius inimicis noſtris contingere poteſt, quam ſi ſtolide & imprudenter ſe gerant. Cum porro dicit: *anima domini mei colligata eſt in faſciculo viuentium, apud Iehouam Deum tuum*, nonnulli quidem, vt R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* itemque MENASSEH BEN ISRAEL, de *reſurrect. mort. lib. I. cap. XI.* de vita aeterna hoc capiunt; alii autem, vt THEODOR. HACHSPANIVS, in *not.* ad *b. l.* & WOLFGANGVS FRANZIVS, de *interpretat. ſcripturae, orac. LXIX.* de vita temporali. Mea opinione non errant, qui de vtraque hoc intelligunt. Cum enim dicit, *animam eius ligatam in faſciculo viuentium*, hoc ſibi vult, hoſtes Dauidis ei nocere aut vitam eripere non poſſe, cum anima eius ligata ſit, in faſciculo viuentium: ſed cum addit: *apud Iehouam Deum tuum*, ſublimius quid innuit, Dauidem ſcilicet in ea apud Deum gratia eſſe, vt de aeterna ſalute dubitare nequeat. Quod ita intelligendum, ſi quidem Dauid ita ſe geſturus porro eſſet, ne gratia iſta atque fauore Numinis ſe indignum redderet. Vnde eos falli manifeſtum eſt, qui ad praedeſtinationem, aut decretum aliquod Dei abſolutum, haecce verba trahunt. Loquendi autem iſta ratio inde deſumta eſt, quod res pretioſas, quas ſeruare volumus, in faſciculos colligere & in certo loco reponere ſoleamus. Vnde contra de hoſtibus Dauidis, hominibusque impiis, dicitur: *vitam vero inimicorum tuorum veluti e concaua parte fundae proiicit*, hoc eſt, repellit a ſe, & longiſſime remouet, vt, quia reſipiſcere nolunt, prorſus tandem pereant. Fructum autem, quem ex iſta animi moderatione reportaturus eſſet Dauid, indicatura Abigail, animum nullius criminis conſcium rectiſſime commendat. *Hoc*, inquit, *erit tibi in vacillationem, & offendiculum animi domini mei, effudiſſe nimirum ſanguinem ſine cauſſa.* Sunt equidem, qui eam hoc ſibi velle, contendunt, ne, rex factus, recordetur facti Nabalis, vt ſit ipſi titubatio & offendiculum, hoc eſt, incitamentum ad vindictam. Ita SEB. SCHMIDIVS, ad *h. l.* Sed cur a recepta explicatione diſcedendum ſit, nullam rationem

vi-

Digitized by Google

video; cum elegantiſſime, quae animi mali facinoris ſibi conſcii indoles ſit, his verbis exprimatur. Dicitur enim: hoc non erit tibi לפוקה *vacillationi*, aut potius *angori.* Ita enim vocem hanc reddi poſſe, oſtendit IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* Porro: & למכשול לב *offendiculo cordis*, hoc eſt, quod ſaepe in memoriam redeat, mentemque turbet, vt menti idem ſit, quod offendiculum aliquod pedibus. Additur: *effudiſſe nimirum ſanguinem ſine cauſſa*, ולהושיע *& ad ſeruandum* ſcil. te ipſum, ſeu, quod perinde eſt, ad te ipſum vlciſcendum. Qui enim ſe ipſum vlciſcitur, ſe ipſum hac ratione ſeruare ſtudet. Ita vulgatus interpres rectiſſime hoc expreſſit, nec abludunt LXX interpretes, & chaldaeus. Sic & difficultates, quas IOANNES CLERICVS hic mouet, ſua ſponte ceſſant. Iam ad Dauidem quod adtinet, is non tantum prudenti iſta Abigailis oratione ad mitiora conſilia ſe facile flecti paſſus *eſt*, ſed ingens etiam Numinis beneficium reputat, quod hac ratione a crudeli facinore perpetrando auerſus eſſet: ſeque ſingularem Dei prouidentiam in eo, quod tam tempeſtiue ſibi occurriſſet, agnoſcere, itidem iureiurando per vitam Dei concepto, confirmat. Accepto hinc viatico, Abigailem incolumem dimiſit, ſe eius cauſſa Nabali nihil mali facturum, denuo adſerens. Et Abigail quidem, cum virum domi ſtrenue genio indulgentem offendiſſet, ei, quod ebrius eſſet, quidquam eorum, quae geſta erant, aperire, minime conſultum duxit. Altero autem die, cum ſobrius factus eſſet, ei narrauit omnia, vt intelligeret, quantum periculum, quod ſua imprudentia ſibi adtraxerat, ab eo depuliſſet. Idque conſiderans Nabal, magnaque conſternatione perculſus, obſtupuit, & accedente apoplexia aut ſimili morbo, veluti obriguit, decemque deinceps praeterlapſis diebus, mortuus eſt. Cum dicitur: *Circiter vero decem diebus poſtea percuſſit Iehouah Nabalem, & mortuus eſt*, ſenſus eſt: iterum eum percuſſit, vt omnino moreretur. Namque etiam ante eum Deus percuſſerat, dum morbum iſtum ei immiſit. Dauid autem cum iſtud intellexiſſet, gratiis Deo, quod ſe prohibuiſſet, ne peccato ſe contaminaret, & poena iuſtiſſima Nabali inflicta, iuſtitiam ſuam, ſimulque benignum erga ſe fauorem, demonſtraſſet, actis, Abigailem, cuius prudentiam ſingularem aliasque virtutes perſpexerat, in matrimonium duxit. Duxit vero etiam Achinoamam Iizraelitidem: Michalam vero, quam antea duxerat, Saul praeter ius atque fas ei ademtam, Palthi, filio Laiſi, in matrimonium dederat.

Quodſi nunc ea, quae de Dauidis cum Nabale fatis narrauimus, paullo adcuratius conſideremus, non vnum humanae imbecillitatis documentum in viro ſanctiſſimo deprehendemus. Primo namque, quod vindictae cupiditate nimia accenſus, perdere Nabalem voluerit, & quidem non ſolum Nabalem, ſed omnem eius familiam, pluresque adeo homines innocentes, haud leue citra controuerſiam pecca-

Digitized by Google

tum fuit. Deinde non minus & illud cenſendum, quod iureiurando nimis profecto inconſiderate ſe ad eiusmodi quid obſtrinxerat, quod vel cogitare nefas erat. Nulla equidem iſtius iuramenti, vtpote in re illicita praeſtiti, vis erat & efficacia: vnde &, quod illud non ſeruauerit, laudi potius, quam vitio, Dauidi ducendum. Interim ipſum iuramentum tam temere conceptum peccato non vacat. Sunt equidem, qui Dauidem excuſare adnituntur, vt ex veteribus THEODORETVS, in *libr. I. reg. quaeſt. LVII. ſeqq.* quem & nonnulli ex recentioribus ſequuntur: putantque, cum Dauid cum ſuis Nabali inſignem operam, greges eius cuſtodiendo, nauauerit, hic vero non tantum denegauerit, quae ille iure poſtulare poterat, ſed inſigni etiam contumelia adfecerit, non poſſe vitio verti Dauidi, quod iſtam acriter vlciſci iniuriam, in animum induxerit. Verum, etſi non negemus, grauiſſimam Dauidi factam iniuriam, exinde non ſequitur, recte eum feciſſe, quod in tantam iram & vindictae cupiditatem exarſerit. Praeterquam enim, quod illi ignotum non erat, nemini mortalium fas eſſe, ſe ipſum vlciſci; per violentiam etiam a Nabale ea exigere non poterat, ad quae ſola caritate ac humanitate obligabatur. Multo minus fas erat, ideo non tantum Nabalem, ſed & tot homines innocentes interficere. Aliam viam ad Dauidem culpa liberandum, nonnulli ex iudaeis ingrediuntur. R. ISAAC ABARBANEL namque ad *b. l.* exiſtimat, cum Dauidi regnum Iſraelis deſtinatum eſſet, Nabalem criminis laeſae maieſtatis reum fuiſſe, poenamque capitalem promeruiſſe. R. DAVID KIMCHI, ad *b. l.* aliique ex eadem gente, vlterius progrediuntur, & Nabalem vnanimi ſapientum virorum & legisperitorum, quos Dauid in exercitu ſuo habuerit, ſententia, vt rebellem contra regem condemnatum fuiſſe, contendunt. Sed, vt illud, quod de viris ſapientibus & legisperitis, quos Dauid in exercitu ſecum habuerit, narrant, inter commenta rabbinica merito referendum; ita, quidquid de crimine laeſae maieſtatis, a Nabale admiſſo, adferunt, fruſtra dicitur, cum Dauid nondum rex fuerit, nec regiam ipſe ſibi dignitatem vindicauerit, etſi eam ſibi a Deo deſtinatam, ſciret. Conticeſcere intempeſtiuos hosce ſui defenſores ipſemet Dauid iubet, qui ingenue, ſe hac in re peccaſſe, agnoſcit, dum Deo gratias agit, quod impediuerit, ne deſtinata exſequeretur. Interim nec nimis iſta Dauidis peccata exaggeranda, quod PETRVS BAELIVS facit, qui hac de re ita diſſerit, vt parum abſit, quin Dauidem pro duce quodam latronum aut piratarum habeat, profanam hac ratione mentem luculenter prodens, in *diction. biſtor. crit. voc. Dauid. p. 925.* ſecundum primam editionem.

§. XI.

§. XI.

Exiguo temporis interiecto ſpatio a Ziphenſibus iterum proditus, quod in proxima ſolitudine commoraretur, noctu caſtra Saulis, quae ad collem Hachilae poſuerat, ingreſſus, haſtam eius & ſcyphum aufert, cumque iterum in montem ſe recepiſſet, regis cuſtodes magna voce excitat, oſtendens, quam facile ſibi fuiſſet, regem dormientem interficere, & ignauiam militibus, regi ipſi ſaeuitiam exprobrans, huius iterum ita emolliuit animum, vt agnita iniquitate ſua, beneque Dauidi precatus, diſcederet. * Experientia vero edoctus Dauid, quam parum regis, ſibi ipſi non conſtantis, verbis tribuendum eſſet, ad Achiſum iterum, Gathi regem, ſe recepit, a quo & Ziklagum oppidum, vt ibi habitaret, accepit, vbi dum commorabatur, ſubinde ab Amalekitis, aliisque gentibus vicinis, praedas egit. **

* Conſtant haec ex *I. Samuel. XXVI.* Ziphenſes malignum erga Dauidem animum ſatis prodebant; cumque prima vice proditio illorum ex voto non ſucceſſiſſet, nunc altera vice idem tentant. Licet autem Dauid Sauli conciliatus videri poterat, idque & Ziphenſibus forte non ignotum eſſet; facile tamen, idque non vna ratione a ſatellitibus Saulis, aut per alios, cognoſcere potuerunt, regem animum Dauidem perſequendi ſerio non depoſuiſſe. Saul hac ipſa forte Ziphenſium proditione magis incitatus, certiorque redditus, vbi Dauid latitaret, cum tribus millibus delectorum militum, quos, vt ſupra iam diximus, ad omnia paratos habebat, in ſolitudinem Ziphenſem ſe confert, & ad collem anteriorem montis Hachilae, vnde & totum deſertum nomen traxit, e regione Ieſimonis, ad viam caſtra poſuit. Mox & Dauidi, qui haud dubie inter ſtruos Saulis amicos quosdam habebat, qui de omnibus eum certiorem reddebant, innotuit, Saulem in deſertum, in quo commorabatur, ſe ſequi. Per exploratores itaque cum locum certum, in quo Saul cum ſuis ſubſtiterat, cognouiſſet, ipſo ad eundem acceſſit, & haud dubie in rupe quadam, non procul a caſtris Saulis remota, cuncta accuratius contemplatus, locum, in quo Saul, itemque Abner, dux exercitus, cubabat, obſeruauit. Dicitur autem: *Saul quidem cubabat* במעגל *in ambitu plauſtrorum: populus vero caſtra poſuerat circumquaque.* Vocem במעגל LXX vertunt: *ἐν λαμπήνῃ*, h. e. *in curru regio*, eosque HVGO GROTIVS, ad *h. l.* ſequitur: ſed ſine ratione. Nec rectius vulgatus vertit: *in tentorio.* Propius ad rem accedunt ebraei doctores, qui de caſtris, circuli inſtar circa Saulem poſitis, hoc capiunt, cum עגול *rotundum* ſignificet. Ita R. DAVID KIMCHI & R. LEVI BEN GERSON. O-

mnium optime IM. TREMELLIVS: *in ambitu plauſtrorum.* Satis enim probabile, eos currus ſiue plauſtra circa regem diſpoſuiſſe, vt a ſubitaneo inſultu tutus eſſet. Cunctis adcurate eminus perluſtratis, Dauid cum Abiſai, qui ſe promtum ad hoc declarauerat, noctu ad Saulem, in terra iacentem, quod circumſtantiae docent, nemine animaduertente, venit, cumque Abiſai, hac opportunitate vtendum, ratus, Saulem interficere vellet, Dauid id non permiſit, diſerte profeſſus, ſe violentas manus Sauli inferre nolle, ſed exſpectare liberationis tempus, dum alia ratione ex hacce vita diſcedere a Deo iuberetur. Satis itaque fuit, haſtam Saulis, quae ad eius ceruical terrae infixa erat, & ſcyphum aquae abſtuliſſe, quod iuſſu Dauidis Abiſai fecit. Per צפחת המים *ſcyphus aquarum* intelligitur, ſiue vas aliquod, in quo aqua tum ad bibendum, tum ad lotionem, pro rege adſeruabatur. In regione, vbi nulla aquae copia, pro rege ſpeciatim aquam adſeruare, neceſſarium erat. Non poterat NICOLAVS SERARIVS ingenio & tempore abuti turpius, dum tam operoſe de hocce aquae ſcypho ad *h. l.* diſputat: quanquam idem & CASPAR SANCTIVS faciat. Sunt, qui Dauidem temeritatis cuiusdam arguunt, quod ſolus cum Abiſai caſtra Saulis ingreſſus ſit. At non ſine inſtinctu quodam Numinis hoc factum, vel inde intelligitur, quod ipſe Deus ſoporem Sauli eiusque militibus immiſiſſe dicatur. Cum ergo Dauid iterum in rupem euaſiſſet, Abnerumque clamore excitaſſet, negligentiam in cuſtodiendo rege illi exprobrauit, eo quod illo dormiente ſcyphum & haſtam auferre potuiſſet. Id vero cum Saul quoque audiret, ſingulari ratione commotus, blandiſſime Dauidem compellat, num eius haec vox ſit, interrogans. Quod cum Dauid adfirmaſſet, querelam ſtatim ſubiunxit, quod rex ſe, hominem innocentem, perſequi non deſineret, additque: *Nunc autem audiat, quaeſo, dominus meus rex, verba ſerui ſui: ſi Iehouah incitauit te contra me, odoretur oblationem: quod ſi filii hominis, maledicti illi coram Iehouah.* Quae verba aliquid difficultatis habent. Priora HVGO GROTIVS ita explicat: *ſi iuſta eſt haec ira, non deprecor, quin morte mea, velut victimae, expietur.* Sed durum eſt, formulam: *odorari oblationem*, ita explicare, quod Dauid ipſe velut victima mori voluerit. Ad Dauidem tamen etiam hoc refert IM. TREMELLIVS. IO. CLERICVS ita hoc explicat: *Si Iehouah incitaret te*, hoc eſt, *ſi merito mihi perniciem molireris, ita vt conuenienter diuinae voluntati ageres, odoraretur munus*, hoc eſt, *exaudiret tuas preces, curaretque proinde, ne vnquam in manus meas incideres, &c.* Quae equidem priori praeferenda eſt explicatio. Propius tamen, ni fallor, ad rem accedunt, qui haec verba ita exponunt: ſi, permittente Iehouah, malus genius te incitat, *odoretur munus*, hoc eſt, oblatione quadam ira Dei placanda eſt, ne genio infernali vlterius id permit-

mittat. vid. SEBAST. SCHMIDIVS, ad *h. l.* Ad poſterius membrum quod adtinet: *quod ſi filii hominis*, ſunt nonnulli, qui ad Saulem ipſum hoc ſpectare putant, Dauidem autem ex modeſtia ac reuerentia erga regem ita locutum, ac ſi culpam in alios deriuaret. Nos vero vt facile concedimus, Saulem ipſum nec hic, nec in priori membro excludendum eſſe, qui peruerſa aemulatione ſua occaſionem infernali genio ad ſe exagitandum, & calumniatoribus Dauidis ad peſſima quaeuis ſuggerenda praebuit, ita nullam cauſſam videmus, cur ad Saulem tantum haec referenda ſint, cum reuera peſſimi quidam homines obtrectationibus ſuis animum eius erga Dauidem irritauerint, & a pietate Dauidis alienum ſit, quod de ipſo Saule dicere voluerit, quod *maledictus* eſſe debeat. Culpam autem illorum, qui ſe tantopere perſequebantur, eo grauiorem eſſe, Dauid oſtendit, quod expellendo ſe ex terra Canaan, quam *poſſeſſionem Dei* vocat, quod Deus eam Iſraelitis poſſidendam tradidiſſet, velut neceſſitatem, quantum in ſe eſſet, ſibi imponere vellent, inter ethnicos commorandi, Deosque alienos adorandi. Subiicit tandem, quae iterum ad inuidiam omnem ab illo amoliendam pertinent, indignum rege eſſe, quod ſe hominem humilem, & nullius poteſtatis, tanto feruore perſequatur: perinde hoc eſſe, ac ſi quis קורא *gallinaginem*, auem nullius pretii (alii perdicem intelligunt) magno labore per montes perſequi vellet. Sermone iſto & magnanimitate Dauidis iterum permotus Saul, peccatum ſuum & errorem agnoſcit, ac Dauidi incolumitatem promittit. Dauid, haſtam cum ſcypho per quendam ex ſeruis Saulis reſtituens, Deo iuſtitiam ſuam & innocentiam, quam tam luculento documento iterum demonſtraſſet, commendat, atque, vt eius intuitu tandem ex his anguſtiis eripiatur, orat. Saul vero fauſta quaeuis & felicia, non ſine futurae magnitudinis auguriis, illi adprecatur; & ita diſcedentes, ad ſuum quisque ſe conferebat locum.

** Cum Dauid ſecum expenderet, ſe nullibi in terra Iſraelitica ſatis tutum eſſe, ad Achiſum iterum Philiſtaeorum regem ſe conferre ſecum conſtituit. Non videtur dubitandum, quin Dauid aliquid humani hac in re paſſus ſit. Mandatum enim Numinis per Gadem vatem acceperat, vt in terra Iudae maneret: & licet magnis periculis ibi expoſitus eſſet, aliquot tamen experimentis iam didicerat, nunquam ſibi deeſſe Deum, ſed ex praeſentiſſimis periculis eum ſe eripere. Euentus etiam docuit, quod dum ſecuritati ſuae hac ratione conſulere voluit, in eas ſubinde redactus ſit anguſtias, vt inde ſine peccato ſe expedire non potuerit. Quod ad Achiſum, a quo antea tantopere ſibi timuerat, nunc iterum acceſſerit, nemo mirabitur, qui ſecum cogitat, Dauidem haud dubie de propenſo Achiſi erga ſe animo certiorem redditum, quemadmodum rurſus & Achis de implacabili Saulis erga Dauidem odio certior factus, nullas amplius de huius erga ſe fidelitate dubitan-

bitandi ſe habere rationes, exiſtimare poterat. Quanquam alii contendant, Achiſum hunc a priori eſſe diuerſum, idque inde colligunt, quod non ſine cauſſa Maochi vocetur filius. Non tantum autem Dauid ſecum familiam ſuam ſumſit, ſed idem fecerunt eius comites, haud dubie, vt ſuos crudelitati Saulis ſubtraherent. Saul vero poſtquam accepit, Dauidem Gathum aufugiſſe, eum inueſtigare deſiit. Et initio quidem Gathi commorabantur, forte rege ita volente, vt eo adcuratius ad eorum conſilia attendere poſſet: ſed cum Dauid intelligeret, quanto cum periculo ſuo hoc eſſet coniunctum, idemque non omnes ſuas actiones regi Philiſtaeo innoteſcere vellet, vt in alia quadam vrbe ſibi ſuisque habitatio concederetur, petiit. Nec difficulter illud impetrauit, rege illum Ziklago donante. Eam vrbem, quam LXX interpretes Σεκελάκ, FLAVIVS IOSEPHVS Σεκέλλα, vocant, Iraelitis a Philiſtaeis ereptam, probabile eſt, forte & incolis fuit vacua: quam cum dono accepiſſet Dauid, non tantum Philiſtaeis reſtituere neceſſe non fuit, ſed regum quoque Iudae deinceps propria fuit. Dicitur autem tempus, quo Dauid in agro Philiſtaeorum commoratus eſt, fuiſſe ימים *dies & quatuor menſes*; quod nonnulli ita capiunt, ac ſi per quatuor tantum menſes apud Philiſtaeos commoratus ſit. Eamque in ſententiam cumprimis ex ebreae gentis doctoribus illi ingrediuntur, qui prauo errore ducti, vel ſeducti potius auctoritate chronici, *ſeder olam* dicti, Saulem per duos ſaltem annos regno praefuiſſe exiſtimant; qua de re ſupra ad §. *IV.* dictum; conf. CHRIST. SCHOTANVS, *bibl. hiſt. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 638.* Nonnulli etiam ex Romanenſibus in gratiam vulgati interpretis, qui eundem errorem errauit, eandem defendunt ſententiam. Sed manifeſtum eſt, vt alias, ita & hic, ea voce *annum* ſignificari, vt ſenſus ſit Dauidem annum & quatuor menſes hac vice apud Philiſtaeos commoratum. Recte itaque & IM. TREMELLIVS & B. LVTHERVS verba haec eum in modum transferunt. Dum ergo Dauid Ziklagi commorabatur, ſubinde in Geſuraeos, Girzaeos, & Amalekitas irruptiones fecit, hominibusque omnibus interfectis, magnam ex his gentibus adduxit praedam. Ab Achiſo autem interrogatus, quam in partem irruiſſet, *in meridianam*, inquit, *Iudae*, *in meridianam Ierachmealitarum*, *& in meridianam Keneorum oram.* Quae quidem ita comparata ſunt, vt a grauiſſimis criminibus Dauid vix abſolui poſſe videatur: certe non deſunt, qui haec omnia adcuratius conſiderantes, eum & perfidiae, & mendacii reum facere non dubitant. Et ad perfidiam quidem quod adtinet, contendunt, eos populos, quibus damna iſta intulit, fuiſſe Achiſi amicos, quos, niſi ipſum Achiſum laederet, laedere non potuerit. Mendacium autem eum commiſiſſe, quod prae ſe tulerit, ac ſi ex Iudaeorum terris praedam ageret; idque omnino cum ſumma crudelitate fuiſſe

fuiſſe coniunctum, quia omnes homines interfecit; ne Achiſo, in quarum gentium terras irruptionem feciſſet, innoteſceret. Mirum in modum haec omnia exaggerat PETRVS BAELIVS, vt tantum non hominem omnium ſceleſtiſſimum ex Dauide faciat, in *diction. hiſtorico-crit. voc. Dauid pag. 925.* Nos vero, licet lubentes fateamur, non omnia quae hac in re geſſit Dauid, laudanda eſſe, nonnulla etiam vitio non carere, cuncta tamen aequa lance ponderanda cenſemus. A perfidiae crimine facile liberabitur, cum nullo indicio conſtet, gentes iſtas, in quarum terras irruptionem fecit, aut amicos aut foederatos Philiſtaeorum fuiſſe. Cum eaedem gentes idem haud dubie erga Iſraelitas, forte & ipſos Philiſtaeos, facerent, hactenus nihil, quod reprehendi debeat, commiſit. Amalekitas inſuper delere ipſe Deus iuſſerat; fueruntque iſti, quorum hic mentio iniicitur, haud dubie ex eorum numero, qui fuga ſe ſubduxerant, cum Saul contra eandem gentem expeditionem, ſuſciperet. Nec verum eſt, quod nonnulli dicunt, eum omnes homines contrucidaſſe, ne quis Achiſo, quid geſſiſſet, indicare poſſet. Hoc ſaltem dicitur, eum ex captiuis nullos conſeruaſſe, quos Gathum duceret: idque non eam ob cauſſam, quod putaret, Achiſum aegre laturum, quod irruptionem in iſtas gentes feciſſet, ſed vt in eam illum induceret opinionem, ſe in Iudaeorum terras irruptionem feciſſe, atque adeo eius gratiam eo magis ſibi conciliaret. Ambiguitate ſermonis, fateor, Dauid Achiſum deluſit; eaque in re eum peccaſſe, non prorſus infitiari nolim; at excuſationem promeretur, tum quod Achiſo, cuius non adeo referebat, veritatem hac in re ſcire, tum quod ſuae ſecuritatis cauſa, & vt Achiſi fauorem ſibi conciliaret, hoc fecerit. Nec ſpes iſta eum fefellit. Dixit enim Achiſus: *infamis factus eſt apud populares ſuos Iſraelitas, eritque mihi ſeruus in perpetuum.*

§. XII.

Dum id agebat Dauid, Philiſtaei in eo erant, vt iterum Iſraelitis bellum inferrent: volebatque Achiſus, vt Dauid quoque cum ſuis ſecum in bellum illud proficiſceretur, non dubitans, quin occaſionem iniurias a Saule rege ſibi illatas vlciſcendi, auide eſſet arrepturus. Mox vero monitus, homini ebraeo in bello, quod popularibus eius inferebatur, non fidendum nimis eſſe, eum dimiſit. Ziklagum itaque reuerſus, captam direptamque ab Amalekitis vrbem inuenit; vnde ſine mora, de felici euentu a Numine certior redditus, hoſtium veſtigiis haerens, eosque genio indulgentes adſecutus, inermes, nihilque eiusmodi metuentes, ad internecionem vsque cecidit, praedaque ingenti potitus, in vrbem rediit. *

* In

* In quantas anguſtias ſubinde Dauid conjectus ſit, dum apud Philiſtaeos commorabatur, vel hocce documento omnium luculentisſime patet. Cum Philiſtaei in eo eſſent, vt bellum Israelitis inferrent, Achiſus ad Dauidem, *ſcito*, inquit, *te cum tuis mecum in caſtra egreſſurum.* Quo ipſo dum ſingularem erga Dauidem fiduciam demonſtrabat, non poterat hic abnuere, ſed, reluctante haud dubie animo, ſe ita fidem ſuam erga regem demonſtraturum, reſpondebat, ne vlla ratione de ea dubitare poſſet. *Scies ergo*, inquit, *quid facturus ſit ſeruus tuus.* Quae verba nonnulli ita capiunt, ac ſi Dauid callide magis, quam candide, reſponderit, dataque opera ambigue locutus ſit, cum reuera illi animus non fuerit, contra Israelitas pugnare, nec tamen, quae mens ſua eſſet, aperte Achiſo indicare auſus fuerit. Ita praeter alios R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* Sed rectius alii a mendacio & perfidia Dauidem abſoluunt, eumque candide & ex animi ſententia locutum contendunt, etſi prae nimio ſtudio fidem & integritatem ſuam Achiſo demonſtrandi, peccatum admiſerit. Certe & verba Dauidis aperte ſatis hoc indicant; & Achiſus quoque non aliter verba eius accepit, dum iterum regeſſit, ſe de fide Dauidis adeo non dubitare, vt paratus ſit, eum capitis ſui cuſtodem in perpetuum conſtituere. conf. SEB. SCHMIDIVS, ad *I. Sam. XXVIII. verſ. 2. pag. 908.* it. *quaeſt. I. pag. 914.* Accedit praeterea, quod, cum Achiſus auctoritate principum Philiſtaeorum adductus, Dauidem dimittere cogeretur, Dauid illud aegre tulerit, ac ſi fidem ſuam ac integritatem in dubium vocaret. Cum enim Philiſtaei omnes copias ſuas prope Aphecam, tribus Iudae, vt videtur, vrbem, contraherent, principes Philiſtaeorum, dum exercitum luſtrabant, & inter Achiſi copias Dauidem cum ſuis offendebant, ut in caſtris permaneret, permittere nulla ratione voluerunt, quicquid de fide & integritate eius Achiſus diceret. Nimirum Philiſtaeis olim principes, ſeu ſatrapas, & quidem numero quinque praefuiſſe, conſtat. conf. *I. Sam VI. 4. 5.* Quia autem Achiſus rex vocatur, id aut ita intelligendum, quod ſolus ex reliquis ſatrapis hoc titulo venerit, aut, ſi in totam Philiſtaeorum gentem imperium tenuit, dicendum, quod magna nihiloſecius reliquorum ſatraparum adhue fuerit auctoritas. Hinc & Achiſus iis reſiſtere auſus non eſt. Nec ſpecie carebant, quae contra Dauidem proferebant, quod minus tutum eſſet, in exercitu tolerare hominem cum ſexcentis militibus, qui toties inſigni clade Philiſtaeos adfeciſſet, & perfidia ſua Saulis forte iterum ſibi conciliare poſſet animum.

Achiſus itaque cum ſancte adſeueraſſet, ſe de fide & integritate Dauidis neutiquam dubitare, vt cum ſuis e caſtris diſcederet, ei auctor fuit. Eſt vero obſeruandum, Achiſum & per Iehouam iurare, & alias ita loqui, vt a vera religione Israelitarum haud alienus fuiſſe videatur. Nec video, quid obſtet, quo minus ad veri Dei agnitionem

tionem a Dauide adduci potuerit: etſi me non fugiat, alios ita hoc capere, quod ſcriptor ſacer regem Philiſtaeorum more Ebraeorum loquentem, inducat. Tum vero Dauid: *quid feci, aut quid deprehendiſti in ſeruo tuo, a die, quo in conſpectum tuum veni, ad hunc vsque, quo veter ire, & pugnare contra hoſtes domini mei regis?* Quae quidem verba aperte ſatis docent, dimiſſionem iſtam Dauidem aegre tuliſſe, adeoque ſerio ei conſtitutum fuiſſe, fidem ſuam, quacunque ratione poſſet, demonſtrare Achiſo. Qua in re tamen quin itidem peccauerit, non eſt, quod dubitemus. Diuerſae equidem exſtant virorum doctorum ſententiae, an fas Dauidi fuerit, cum Philiſtaeis arma contra Ebraeos capere, quas videre licet, apud CHRISTIANVM SCHOTANVM, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſt. tom. II. pag. 643.* Suntque nonnulli qui exiſtimant, ſi ponatur, bellum, quod Philiſtaei contra Ebraeos geſſerunt, iuſtum fuiſſe, Dauidem vituperari non potuiſſe, quod illorum partes ſecutus fuerit. Verum, vt illud perperam ſupponitur, ita, ſi vel maxime iuſtum illud bellum ex parte Philiſtaeorum fuiſſet, ne tum quidem Dauidi, ciui Iſraelitico & futuro regi, contra gentem ſuam hoſtibus ſe adſociare fas fuiſſet. Id enim boni ciuis, multo magis futuri regis, officiis plane repugnat. Nec dubito, quin Dauid hoc agnouerit; ſed in hiſce anguſtiis conſtitutus, in quas tamen, ad Achiſum regem ſe conferendo, ipſemet ſe coniecerat, metuque praepeditus, aliter hinc ſe expedire non potuit. Quare & grato eum agnouiſſe animo prouidam diuini Numinis curam, vt credamus, par eſt, mirifice quod rem iſtam direxerit, vt ab ipſis Philiſtaeis diſcedere e caſtris iubetur, ne ciuium ſuorum caede animum manusque commaculare neceſſe haberet. Sed pietas quoque eius iubet, vt credamus, deuotisſimis precibus eum inuocaſſe Deum, vt ex hiſce anguſtiis ſe eriperet, quemadmodum & ISAACVS ABARBANEL, hac occaſione pſalmum CXXXIX. a Dauide compoſitum, auctor eſt; ad *I. Sam. XXVII. 2.* Nonnulli, vt ab omni peccato Dauidem liberent, nihil aliud eum Achiſo promiſiſſe, volunt, quam quod vitam eius, ceu corporis ipſius cuſtos, defendere velit. Verum, etſi Achiſus dicat, Dauidis fidem adeo ſibi perſpectam eſſe, vt non dubitet, eum corporis ſui cuſtodem conſtituere, inde non ſequitur, Dauidem corporis eius cuſtodem fuiſſe, aut hunc ſaltem in finem illum in caſtra Philiſtaeorum ſe contuliſſe. Tum etiam non neceſſe fuiſſet, vt ſexcentos comites ſuos ſecum adſumeret, quod iuſſu Achiſi fecit, non alium profecto in finem, quam vt cum iis contra Iſraelitas pugnaret. Agnoſcimus itaque, Dauidem & hic humani quid paſſum, non ex animi malignitate, ſed metu & diffidentia quadam in Deum. Non ergo acriorem illam PETRI BAELII in Dauidem cenſuram probamus, qua & hocce Dauidis factum perſtringit, qua ſi abſtinuiſſet, longe feciſſet rectius; in *diction. hiſt. crit. v. David, pag. 901.*

Dauid

Dauid ergo voluntati Achiſi morem gerens, ex caſtris Philiſtaeorum diſceſſit, vt Ziklagum reuerteretur, quam vrbem interea Amalekitae, nec a Saule, nec a Dauide, vt hinc intelligitur, omnes deleti, hominibus omnibus, qui ibi erant, abductis, diripuerant & incenderant. Haud dubie reſciuerant, Dauidem cum viris ſuis abeſſe, vnde iſta opportunitate vti conſultum duxerunt. Nec reiiciendam illorum ſententiam, puto, qui, Deum Dauidis diffidentiam, qua inductus, ad Philiſtaeos ſe contulerat, & omnino contra ciues ſuos pugnare voluerat, caſtigare hac ratione voluiſſe, contendunt, etſi cuncta ita ſimul direxerit, vt, quaecunque Amalekitae abduxerant, recuperaret. In his & ipſius Dauidis duae vxores, Achinoama & Abigail, fuerunt. Cum dicitur, *tertio die* Dauidem Ziklagum rediiſſe, de eo tempore hoc nonnulli intelligunt, quo Aphekam in caſtra Philiſtaeorum venerat, alii autem de tertio die poſt exercitus luſtrationem, a principibus Philiſtaeorum inſtitutam. Magno itaque non tantum dolore omnes perfuſi ſunt, quem & lacrimis copioſiſſimis teſtabantur, ſed in nouum ipſe Dauid adductus eſt periculum, quod comites eius ipſum tantae calamitatis auctorem ferebant, ſiue quod ad expeditionem iſtam nimis promptus fuiſſet, ſiue quod nullum Ziklagi reliquiſſet praeſidium, parumque aberat, quin illum lapidarent. Dauid vero fiducia in Deum confirmatus, deque euentu felici per vrim & thummim certior redditus, hoſtes perſequi inſtituit, tandemque eos adſecutus, cum per tractum, in quo conſederant, ſparſi, genio ſtrenue indulgerent, nihil eiusmodi metuentes, fudit, atque occidit, vt quadringenti ſaltem iuuenes camelorum, quibus vehebantur, opera euaderent; & ita omnia non tantum recuperauit, captiuis libertati reſtitutis, ſed ingentem inſuper praedam conſecutus eſt. Locum, in quo Amalekitae conſederant, indicio viri aegyptii, qui viribus deſtitutus & inedia fere confectus dominum ſuum, qui ex Amalekitis illis erat, ſequi non potuerat, Dauid cognouit. Hicce autem ſeruus ex domino ſuo, aut aliunde ſcire poterat, quo in loco commoraturi eſſent Amalekitae, vt quietem caperent, viresque corporis reficerent. Quod ad temporis ſpatium attinet, quo Dauid Amalekitis cladem iſtam intulit, ſacer ſcriptor dicit: *occidit vero eos Dauid, ab aurora ad veſperam* למחרתם *craſtini eorum*, hoc eſt, *diei ſequentis*. Quae vulgatus interpres ita reddit: *& percuſſit eos Dauid a veſpere vſque ad veſperam alterius diei.* Perperam quidem. Operamque & oleum perdunt, qui hancce verſionem cum textu ebraeo conciliare adnituntur. Ceterum, cum ducenti ex comitibus Dauidis viribus exhauſti ad torrentem Beſor ſubſtitiſſent, nonnulli ex reliquis hos in praedae participationem venire noluerunt, renuente Dauide, qui & hiſce praedae partem concedendam duxit: quod vt aequitati erat conueniens, ita in morem de-

inceps

inceps abiit. conf. HVGO GROTIVS, de *iure belli & pac. lib. III. cap. VI.* §. *XXIV.* Sed ſenioribus quoque tribus Iudae, ad animum gratum erga eos declarandum, praedae partem miſit.

§. XIII.

At Saul, conſpecto Philiſtaeorum exercitu, magno terrore perculſus, cum nihil reſponſi de proelii euentu a Deo acciperet, ad mulierem fatidicam ſe confert, triſtia, quae ſibi totique populo imminerent, fata, a Samuelis vmbra condocendus. * Conſerto itaque mox proelio, non tantum fuſi fugatique ſunt Iſraelitae, ſed ipſe quoque Saul, amiſſis tribus filiis, ſibi ipſi, ne viuus in hoſtium poteſtatem veniret, manus infert. Philiſtaei, agnito inter caeſos regis corpore, caput ei praeſcindunt, quod & filiis eius fecere, cadaueribus e muro Bethſanis ſuſpenſis, at rapiendis noctu a Iabeſitis, ſepeliendisque. Quae Iabeſitarum pietas ita Dauidi placuit, vt miſſis legatis eos hoc nomine collaudaret, & fauſta quaeuis adprecaretur. **

* Quae de Saule, pythoniſſam conſulente, *I. Sam. XXVIII. 3. ſeqq.* referuntur, deinceps ad §. *XXVII.* ex inſtituto ediſſeremus.

** Vt in his omnibus, quae de Saule eiusque fatis, itemque de Dauide, proelioque eius cum Amalekitis commiſſo, dicta ſunt, eo rectius ordo ſibi conſtet, nonnulli dies, quibus haec omnia contigerunt, hunc in modum diſponunt: primo die Philiſtaei caſtra, poſtquam copias omnes contraxerant, poſuerunt ad Aphekam, cum Iſraelitae caſtra ſua haberent ad fontem, qui eſt in Iizreel; quanquam hi ad montem Gilboa deinde retroceſſerint, Philiſtaeis Sunemum ſe conferentibus; conf. *I. Samuel. XXIX. 1.* & *XXXI. 1.* Secundo die principes Philiſtaeorum luſtrarunt exercitum, & cum Achiſo, quod Dauidem ſecum ſumſiſſet, expoſtularunt. Tertio die ex Philiſtaeorum caſtris Dauid proficiſcitur, vt Ziklagum reuerteretur. Quarto die Philiſtaei atque Ebraei ad proelium ſe praepararunt, ſed vt Saul, intellectis Philiſtaeorum viribus, magno metu percelleretur. Quinto die Saul pythoniſſam conſuluit. Sextum diem, diem caedium & ſanguinis fuiſſe, contendunt, cum eodem die Iſraelitae in monte Gilboa a Philiſtaeis, & Amalekitae in deſerto Pharan a Dauide victi, & magna clade adfecti ſint. Septimo die Dauid, cum recuperaſſet, quae Amalekitae abduxerant, praedam inter ſuos diuidit, & Philiſtaei cadauera caeſorum ſpoliant, &c. Ita IACOBVS SALIANVS, in *annalibus* ad *haec tempora;* item CHRISTIANVS SCHOTANVS, in *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 642. ſeqq.*

Verum non omnino certo fundamento haec dierum diſtributio nititur. Quod enim altero ſtatim die, poſtquam Saul pythoniſſam conſuluerat, proelium inter Philiſtaeos & Iſraelitas commiſſum ſit, nullibi dicitur. Etſi enim Samuelis vmbra ad Saulem, *I. Sam. XXVIII. 19.* dicat: *cras tu, filiique tui eritis mecum*, ex eo nihil probari poteſt, cum & vox מחר *cras*, generatim quodlibet tempus futurum ſignificet, & fieri potuerit, vt infernalis genius ad maiorem Sauli timorem iniiciendum, adeoque deſperationem eius augendam, eiusmodi quid finxerit. Ipſe itaque dies proelii incertus eſt, nec quidquam de eo definire licet. Id conſtat, Dauidem tertio die, ſiue poſtquam Aphekam venerat, ſiue poſt exercitus luſtrationem a Philiſtaeorum principibus inſtitutam, Ziklagum rediiſſe, *I. Sam. XXX. 1.* Hinc quarto die a crepuſculo vsque ad veſperam ſequentis diei percusſit Amalekitas, *cap. XXX. 17.* Poſt caedem Amalekitarum Ziklagi duos dies iam commoratus erat, cum tertio die nuntium acciperet de morte Saulis, & Iſraelitarum clade.

Quicquid itaque de die ſit, infelix illud ex parte Iſraelitarum fuiſſe proelium, conſtat. In fugam enim verſi ſunt, plurimis eorum in monte Gilboa interemtis. Tres quoque Saulis filii, Ionathan, Abinadab, & Malchiſuah occiſi. Quartus enim, ſiue Isboſethus, proelio non interfuiſſe videtur. Cumprimis circa ipſum Saulem acre commiſſum eſt proelium: cumque ſagittarii in eum incidiſſent, vulneratus eſt. Ita namque vocem ויחל vulgatus vertit, quem & alii ſequuntur. At alii cum chaldaeo de timore ac dolore accipiunt, vt ſenſus ſit, cum Saul ſagittarios adpropinquantes videret, animaduerteretque, ſe eos euadere non poſſe, metu ingenti perculſum, occupare mortem voluiſſe. Quod cum factum eſſet, ſagittarii iſti, haud dubie ignorantes, eum, quem cadere videbant, Saulem eſſe, aliorſum ſe conuerterunt: & ita factum, vt eo die corpus Saulis agnitum atque inuentum non ſit. Quod ſi relationi Amalekitae iſtius, qui Dauidi mortem Saulis nuntiauit, fidem habere velis, Saul ex vulnere, quod ſibi ipſi inflixit, mortuus non eſt; ſed ab Amelekita iſto, qui ornamenta regia ad Dauidem attulit, interfectus. Suntque, qui, Amalekitam non mentitum, putant, qua de re alii tamen dubitant. conf. R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* Qui prius adſerunt, ea quae *I. Sam. XXXI. 4.* narrantur, cum relatione Amalekitae ita conciliant, vt dicant, etſi Saul lethale ſibi ipſi inflixiſſet vulnus, non ſtatim tamen exſpiraſſe, eo quod lorica obſtaret, quo minus ipſum cor ferire potuerit, adeoque ſtatim efflare animam; quo in ſtatu, haſtae ſcilicet incumbens, dum erat, accesſiſſe Amalekitam iſtum, quem Saul rogauerit, vt mortem, quam euitare non poſſet, ſibi accelerаret; idque Amalekitam illum feciſſe. Quae ſi vel maxime concedantur, quanquam, ſi dicatur, Amalekitam illum mentitum, tot

tot ambagibus opus non ſit, Saul tamen a crimine αὐτοχειρίας abſolui nequit, cum lethale ſibi vulnus iam inflixerat, ipſeque ſi potuiſſet; mortem ſibi acceleraſſet. Simulque patet, grauiſſimo peccato in ipſo vitae exitu eum ſe obſtrinxiſſe, vnde &, quid de ſalute eius ſperandum ſit, intelligere licet. Sunt equidem, qui mitius de Saule ſentiunt, nec omnem αὐτοχειρίαν illicitam eſſe, ſibi perſuadent. Nonnulli namque Ebraeorum, vt ex HVGONE GROTIO, de *iure belli & pacis libr. II. cap. XIX. §. V.* iam ſupra, ad §. *XI.* ſectionis praecedentis, obſeruauimus, de lege ſe non interficiendi, vnam cauſſam excipiunt, tanquam εὔλογον ἐξαγωγήν, ſi quis videat, ſe deinceps victurum in probrum ipſius Dei. Atque huc non tantum Simſonis, de quo ſupra, *loc. cit.* dictum, ſed & Saulis exemplum, referunt, haud obſcure illorum ſententiam adprobante ipſo HVGONE GROTIO, qui & de Saule addit: *nam hunc reſipuiſſe volunt, poſtquam Samuelis vmbra mortem ipſi praedixerat, quam gnarus, ſibi imminere, ſi pugnaret, proelium pro patria & Dei lege non detrectauit, aeternam inde laudem meritus, Dauidis etiam praeconio, a quo & ii, qui Saulem cum honore ſepelierant, recte facti teſtimonium retulerunt.* Verum haec omnia fruſtra dici, facile intelliget, qui ea paullo adcuratius conſiderauerit. Qui aequo animo aduerſa quaeuis atque calamitates in ſe ſuſcipit, ille, quicquid etiam illi contingat, in probrum Dei viuere dicendus non eſt. Iudaicam ambitionem nimis haec ſententia redolet, ac ſi in Deum ipſum probrum aliquod redundet, ſi homo circumciſus a non circumciſo contumelia quadam adficiatur, etſi ille ob vitia ſua gratia Dei pridem exciderit. De reſipiſcentia Saulis quod dicitur, poſtquam ab vmbra Samuelis, mortem ſibi imminere, edoctus erat, omni itidem deſtituitur fundamento. Potuit quoque laudari Saul a Dauide, vt ideo αὐτοχειρία eius non probaretur, quemadmodum & recte fecerunt Iabeſitae, cum honore oſſa eius ſepelientes, regiae, quam geſſerat, dignitati hocce officiorum genus iure meritoque tribuentes. Ethnicorum quorundam, praeſertim Stoicorum, αὐτοχειρίαν licitam quandoque pronuntiantium placita, vtpote ratione omni deſtituta, hic in cenſum non veniunt: ipſeque IVSTVS LIPSIVS, magnus ceteroquin Stoicorum admitator, hanc illorum ſententiam impietatis, ſtultitiae & imprudentiae arguit, *manuduct. ad philoſ. Stoic. lib. III. diſſert. XXII. pag. 155. ſeqq.* Plura hac de re dixi, in *inſtitut. theol. mor. part. II. cap. III. ſect. III. ad §. XVI.* De armigero Saulis, qui haud dubie magnae dignitatis vir fuit, idem cenſendum. Quantumuis enim eius in Saulem fides laudanda ſit, non tamen haec eo vsque procedebat, vt, domino mortuo, ipſe quoque violentas ſibi inferre deberet manus. Ex ebraeae gentis doctoribus nonnulli, hunc Doegum fuiſſe, exiſtimant, qui mortuo Saule a Dauide ſibi timuerit. Quod ſi verum eſſet, ad facinus eius ex-

Digitized by Google

excuſandum nihil faceret. At in eo laudandus, quod Saulem, licet hoc ab eo expeteret, interficere noluerit. Vt enim Sauli fas non erat, hoc petere, ita armigero iſti multo minus fas erat, eiusmodi petitioni morem gerere. Dum vero Saul, ab armigero ſuo illud petens, rationem hanc addit: *ne forte veniant praeputiati iſti, & transfodiant me, & illudant mihi*, dubium videri poteſt, quid ſibi velit. Nam & ab armigero transfoſſo illudere poterant Philiſtaei. Nonnulli itaque de mortis genere hoc capiunt, ac ſi timuerit Saul, ne a Philiſtaeis eo mortis genere, quod cum cruciatibus atrociſſimis coniunctum eſſet, adficeretur. Probabilius, exiſtimaſſe Saulem, ſi ab alio potius, quam Philiſtaeis, interficeretur, fore, vt corpus eius inter cadauera ignotum maneret, nullaque adeo ignominia adficeretur; quod tamen ex iuſto Dei iudicio deinceps contigit.

Mortuo hunc in modum Saule, filiisque eius tribus, & viris fortiſſimis, qui circa eum erant, vt ex *I. chron. X. 6.* colligere licet, non tantum reliqui Israelitae fuga ſibi conſuluerunt, ſed &, qui in locis vicinis ei, in quo proelium commiſſum erat, *cis vallem & cis Iordanem* habitabant, relictis vrbibus ſuis, vtpote parum munitis, a Philiſtaeis mox occupandis, trans Iordanem aufugerunt, & in loca tutiora ſe receperunt. Res ipſa & locorum ſitus docet, vocem בעבר hic per *cis*, non per *trans* vertendam eſſe, vt perperam LXX interpretes, vulgatus, aliique faciunt. Philiſtaei autem cum Saulis filiorumque eius cadauera in monte Gilboa inueniſſent, caput Saulis abſciderunt, in ſignum victoriae vndiquaque circumferendum, *I. chron. X. 10.* armaque, exceptis ornamentis regiis, ab Amalekita iam ablatis, eundem in finem detraxerunt, per aedes deorum ſuorum, perque populum, bonum huncce nuntium deferentes. Praeterea arma Saulis appenderunt, in aede Aſtarthae, de qua ſupra copioſe actum, cadauer autem ſiue truncum ſine capite, itemque cadauera filiorum eius, fixerunt moenibus Bethſanis. Cranium Saulis aedi Dagonis adfixum, *ex I. chron. X. 10.* diſcimus. Crudelitatem iſtam, omnem modum excedentem, cum Iabeſi Gileaditidis incolae, quos Saul, Naaſum Ammonitarum regem, qui in ſummas anguſtias hanc vrbem redegerat, profligando, magno beneficio adfecerat, vt ex *I. Sam. XI.* ſupra obſeruauimus, intelligerent, ingens, ſed laudabile facinus auſi, noctu regis & filiorum eius cadauera e moenibus Bethſanis ablata, Iabeſum tulerunt, ibique cadaueribus combuſtis, oſſa ſepeliuerunt. Cadauerum concrematio ceteroquin apud Ebraeos non fuit in vſu: notumque illud C. CORNELII TACITI: *corpora condere, quam cremare, e more aegyptio*; *hiſtor. lib. V. cap. V.* Nonnulli itaque exiſtimant, Iabeſitas, qui & alias non ſemper cum reliquis Israelitis conſenſerint, hoc feciſſe ad imitationem gentilium populorumque vicinorum. Chaldaeus paraphraſtes verba ſacri ſcriptoris explicat: *& cremarunt ſuper illis, ſicut cremare ſolent*

ſu-

Digitized by Google

ſuper regibus illic loci; quod nonnulli ex gentis ebraeae doctoribus ita capiunt, quod more recepto lectum, aliamque ſupellectilem, vel etiam aromata ob regem mortuum cremauerint. Sed ipſa cadauera combuſta, ſcriptor ſacer diſerte perhibet. Mihi illorum maxime probatur coniectura, qui Iabeſitas haecce ideo concremaſſe cadauera putant, ne forte Philiſtaei, ea per vim repetentes, denuo ignominia adficerent. conf. MARTINVS GEIERVS, de *luctu Ebraeorum*, *cap. VI. §. II. III. p. m. 106. ſeqq.* WILHELM SCHICKARDVS, de *iure regio p. 165.* IO. ANDREAS QVENSTEDIVS, de *ſepultura veterum*, *cap. VII. p. 78. ſeqq.* AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. LXXIX. p. 381.* Quod Dauid hocce Iabeſitarum facinus laudauit, *II. Sam. II. 5. 6.* in eo animum generoſum vereque regium demonſtrauit.

§. XIV.

Defleta & Saulis & Ionathanis morte, vtroque etiam ſingulari elogio ornato, * Dauid iuſſu Numinis Hebronem ſe confert, anno aetatis trigeſimo in regem a tribu Iuda ibi vngendus. Abnerus autem Isboſethum, qui ex filiis Saulis adhuc ſupererat, ab Iſraelitis regem creari voluit, aegreque ferebat, tribum Iudae adhaerere Dauidi. Irruptione itaque in Iudaeam facta, cum res ad proelium veniſſet, victus a Ioabo, militum Dauidis praefecto, cum ſuis fugam arripere coactus eſt. ** Mox ab Isboſetho offenſus, ad partes Dauidis tranſiit, adducta ſecum Michala Saulis filia, quam Dauid repetierat, ſeniorumque ex reliquis tribubus animis eidem conciliatis. Benigne hinc a rege exceptus cum abiret, ad reliquos Iſraelitas ad obſequium Dauidis adducendos, a Ioabo, tum aemulatione incenſo, tum mortem Aſaelis fratris, ab illo occiſi, aegre ferente, ſubdole interfectus eſt. *** Quod Ioabi facinus, vt rex vehementer exſecratus eſt, ita ingentem quoque ei attulerunt dolorem, Rechobus atque Baena, tribuni militum, qui interfecto Isboſetho, praeciſum caput Hebronem ſecum deferebant, non praemio, quod ſperauerant, ſed grauiſſimo, eoque promerito ſupplicio adficiendi. *

* Cum Dauid a caede Amalekitarum reuerſus, iam per biduum Ziklagi commoratus eſſet, nuntium de Iſraelitarum clade & Saulis ac filiorum eius morte accepit. Is, qui hoc ei nuntiauit, Amalekita quidam fuit. Nonnulli ex ebraeae gentis doctoribus, Doegum Idumaeum fuiſſe, tradunt, qui hac ratione gratiam Dauidis ſibi conciliare voluerit: alii autem Doegi filium. Putantque vtrumque Amalekitam dici poſſe, quia Amalekitae ab Eſauo ſint oriundi. Sed vt Amalekitae a reliquis Eſaui poſteris, ſeu Idumaeis ſemper di-

diſtinguuntur, ita neutiquam veroſimile, Doegum aut eius filium tum Sauli, tum Dauidi ignotum fuiſſe, quod de nuntio hocce clare ſatis indicatur. Faceſſant itaque commenta iſta. Gente ergo, ſeu origine cum Amalekita eſſet, inter Iſraelitas tamen commorabatur, forte quod pater eius, quacunque demum occaſione, ſacra gentis ebraeae amplexus eſſet. Id ipſe haud obſcure indicat, dum *verſ. 14. Sum,* inquit, *filius viri peregrini Amalekitae,* hoc eſt, viri Amalekitae, qui inter Iſraelitas peregrinus erat. Atque inde rationem perſpicere licet, cur Amalekitae huic res Iſraelitarum non ignotae fuerint, vt etiam ſciuerit, Dauidi regnum deſtinatum, ad quem adeo, vt eius fauorem ſibi conciliaret, regia ornamenta pertulit. Venit autem nuntius hicce *laceratis veſtibus & inſperſo capiti puluere.* Etſi enim laetum nuntium ſe Dauidi adferre exiſtimabat, ſimul tamen decori rationem putabat poſtulare, vt ſignis eo tempore conſuetis luctum prae ſe ferret. Verane dixerit, dum Saulem a ſe interſectum retulit, an mentitus ſit, ſupra iam diſputauimus. Certe, dum Dauid, poſtquam eum percuti iuſſerat, dixit: *ſanguis tuus in caput tuum recidat, nam os tuum contra te reſpondit, &c.* hoc videtur in medio relinquere. Nec obſtat, quod Amalekita iſte, ad mortis poenam euitandam, faſſus non ſit, ſe mentitum eſſe. Conſternatio enim ſumma, in quam ſententia tam inexſpectata haud dubie illum coniecit, id forte non permiſit; dubitare etiam potuit, an fidem negationi iſti adhibiturus fuiſſet Dauid, cum priorem ſermonem ornamenta regia exhibita, ſatis probabilem redderent. Dum vero narrat, quo pacto res omnis geſta ſit, Saulem ad ſe dixiſſe refert: *Conſiſte quaeſo contra me, & me occidito; impedit enim me lorica, & tota adhuc eſt in me vita.* Vbi, quid verba אחזני השבץ ſibi velint, dubium videtur. LXX enim interpretes vertunt: *κατέχε με σκότος δεινὸν,* vulgatus: *quoniam tenent me anguſtiae,* chaldaeus: *apprehendit me tremor.* IOANNES COCCEIVS ita explicat: *quia corripuit me vertigo, quia adhuc eſt anima mea in me, hactenus viuo, vt luctter cum morte,* in *lexico, pag. m. 551.* Sed placet mihi illorum ſententia, qui per שבץ *loricam* intelligunt, cui etiam ex recentioribus SEBAST. SCHMIDIVS, átque IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* ſuffragantur. Senſusque adeo fuerit, cum Saul in haſtam incubuiſſet, vt ſe interficeret, lethale equidem ſibi inflixit vulnus; quo minus autem cor ipſum, quod haud dubie intendit, feriret, lorica obſtitit, vnde tam cito mori non potuit, ſed dixit, כל עוד נפשי בי *omnis adhuc anima mea in me,* id eſt, adhuc dum plena vita gaudeo, nec mori incepi. Ita enim & haecce verba omnium rectiſſime capiuntur: in quibus nonnulli ſine neceſſitate difficultates ſibi ipſis mouent. Vt tandem dictis fidem faceret, ornamenta regia Dauidi exhibuit, quae mortuo detraxerat, ſiue ex vulnere, quod ſibi inflixerat, Saul mortuus erat, ſiue ipſemet mor-

mortem ei accelerauerat. Ornamenta illa erant נזר *corona, & אצעדה armilla;* prius IONATHAN vertit per כלילא poſterius per טוטפתא. Dubitant nonnulli, an regi cum hoſtibus dimicaturo ornamenta iſta conueniant? occaſioque hinc ebraeae gentis doctoribus enata, commentum ſuum, quod Amalekita iſte Doegi filius fuerit, confirmandi; huic enim patrem inſignia regia, quae eius cuſtodiae concredita fuerint, tradidiſſe, vt ad Dauidem ea perferret, eiusque hac ratione ſibi conciliaret gratiam. Sed hiſce commentis opus non eſt, cum vox נזר non eiusmodi coronam, qua coronari reges ſolent, quaeue עטרה vocatur, denotet, ſed *coronulam*, ſeu inſigne aliquod, vel ornamentum, quod caſſidi etiam impoſitum eſſe potuit. Armatus namque licet haud dubie eſſet Saul, ſimul tamen certis ornamentis inſignitus eſſe potuit, quibus a reliquis diſcerneretur. Et haecce quidem ornamenta Amalekita iſte Dauidi exhibuit.

Hic vero, cum iſta intellexiſſet, laceratis veſtibus, lacrimis, atque ieiunio, magnum dolorem vna cum ſuis teſtatus eſt. Idque ſerio & ex animi ſententia eum feciſſe, non eſt, quod dubitemus, non tantum, quod Ionathanem amore tenerrimo proſequebatur, tantamque populi ebraei cladem non poterat non ferre quam aegerrime, ſed &, quod erga Saulem, etſi hoſtem ſuum, pietate eſſet ſincera, minimeque fucata. Eamque ob cauſſam & Amalekitam iſtum, poſtquam iterum, quis eſſet, eum interrogauerat, & quod Saulem interfeciſſet, aut ſaltem hoc iactitaret, ex ore eius denuo cognouerat, interfici iuſſit, eo quod vnctum domini occidiſſet. Quo vero iure Dauid virum iſtum interfici iuſſerit, quaeri ſolet. Primo namque Amalekita iſte nihil commiſiſſe videtur, quo mortis ſupplicium promeruerit. Si enim res ita ſe habuit, prout dixit, beneficio potius Saulem adfeciſſe cenſendus eſt, cum non tam eum interfecerit, quam mortem, quam euitare non poterat, accelerando, cruciatibus maioribus atque ignominiae ſubduxerit. Sin mentitus eſt, eo minus interfici potuit, quia homicidium non commiſerat, mendacium autem poenam capitalem non promeretur. Deinde, cum Dauid nondum rex eſſet, an facultate ſupplicio capitali aliquem adficiendi gauiſus fuerit, dubitari poſſet. Suntque haec eiusmodi, vt nonnulli, hocce Dauidis facinus vitio non caruiſſe, exiſtiment: ipſeque IOANNES CLERICVS inter *ea hoc numerandum* cenſet, *quae rationibus, vt loquuntur, politicis tribuenda ſunt, non iuri cuidam diuino aut humano.* Nimirum, partim hoc ſpectaſſe Dauidem, putat, vt regibus eo maior ſecuritas conciliaretur, ſi ne ea quidem ratione, quae omni culpa vacat, manus illis inferre liceret, partim illud, vt omnem ſuſpicionem, ac ſi percuſſorem Sauli immiſiſſet, aut mortem eius vlla ratione adprobaſſet, euitaret, vtque eo facilius populi Iſraelitici fauorem ſibi conciliaret. Ego vero, artes eiusmodi

n po-

politicas a viro ſanctiſſimo atque integerrimo longiſſime abfuiſſe, credo. Quin potius animo ſincero hoc eum feciſſe puto, quod reuera crederet, etiam in tali caſu nefas eſſe regem occidere, quia nimirum vnctus domini ſit. Qua in ſententia ſi vel maxime erraſſet, plurimum tamen hoc ad facinus eius excuſandum conferret. At non plane eum erraſſe exiſtimo, cum omnino tutius ſit, hominem, certiſſimo mortis periculo expoſitum, diuinae prouidentiae committere, quam manus violentas ei inferendo, mortem eius accelerare. Nec mea opinione, qui illud facit, ab omni homicidio abſolui poteſt. Accedebat vero, quod Saul rex eſſet, adeoque vnctus domini; regum autem ſecuritati cum ſatis proſpici nequeat, etiam hac ratione manus violentas illis inferre, merito nefas cenſetur. Idque praecipue vrget Dauid, non tam ex capite prudentiae, quam iuſtitiae. Denique, licet nondum rex eſſet Dauid, ius tamen ad regnum ex conceſſione diuina habebat, regeque iam mortuo, nulloque magiſtratu ſupremo exſiſtente, nemini rectius, quam illi, poteſtas facinus illud puniendi, conueniebat.

Lamentationem hinc quandam ſuper Saule & eius filio Ionathane compoſuit: *& dixit*, inquit ſcriptor ſacer, *ad docendum filios Iudae arcum: ecce ſcripta eſt ſuper libro recti.* Quae verba cum obſcuriora ſint, diuerſimode explicari ſolent. LXX interpretes ea ita reddunt: καὶ εἶπε τοῦ διδάξαι τοὺς υἱοὺς Ἰούδα· ἰδοὺ γέγραπται ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς· Arcus nullam mentionem faciunt, haud dubie, quod non intelligerent, quid ea vox hic ſibi vellet. Rectius itaque hanc vocem retinuit vulgatus: *& praecepit, vt docerent filios Iudae arcum: ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum.* Chaldaeus ita reddit: *& dixit ad docendum filios Iehudae iaculari arcu: ecce hoc ſcriptum eſt in libro legis.* Praecipua difficultas ex voce *arcus* oritur, quid ea hic ſibi velit. HVGO GROTIVS hunc ſenſum eſſe putat: *curauit, vt inter exercitamenta militaria verſus hi cantarentur.* Id vero vt ex textu vix exſculpas, ita recte reiicitur ab ABRAH. CALOVIO, ad *h. l.* Alii putant, ipſum hocce carmen *arcum* dictum fuiſſe, quia in eo laudetur arcus & fortitudo bellica Saulis & Ionathanis. Et hanc ſententiam CALOVIVS reliquis omnibus praefert. Receptior eſt ſententia, & praeeunte chaldaeo paraphraſte, plerorumque interpretum calculo adprobata, vocem *arcus* proprie accipiendam; Dauidem nimirum Ionathanem ob peritiam tractandi arcum laudaſſe, eiusque exemplum propoſuiſſe Iſraelitis ad imitandum. Nec abludit ab ea IOANNES CLERICVS, qui verba ſcriptoris ſacri ita reddit: *dixitque (eam ſe compoſuiſſe) vt Iudae poſteri arcu vti edocerentur.* Suffragatur & SEB. SCHMIDIVS, cuius cuncta connectendi ratio adhuc concinnior, adeoque reliquis mihi praeferenda videtur. Nimirum illud, *& dixit*, non ad Dauidem refert, ſed ad ipſum ſcriptorem ſacrum, vt ſenſus ſit: dixitque, ſeu compoſuit Dauid carmen aliquod ſequenti titulo: *ad docen-*

cendum poſteros Iudae, *arcu vti.* Eiusmodi titulos carminibus olim additos, vel ex pſalmis conſtat. Senſus autem tituli iſtius is eſt, quem antea expreſſimus. Vt vero indicaret ſcriptor ſacer, vbi iſtud carmen exſtaret, addit: *ecce ſcripta eſt*, ſcilicet lamentatio, *in libro recti.* Et tum ipſam lamentationem ſubiicit. De *libro recti* iam ſupra dictum, ad §. *XVI.* ſectionis praecedentis, vbi docuimus, hoc nomine collectionem quandam carminum, quibus illuſtrium virorum facinora egregia laudabantur, venire. Huic collectioni hanc lamentationem Dauidis ſuper mortem Saulis inſertam, ex hoc ipſo loco diſcimus. conf. SCIPIO SGAMBATVS. *archiuor. vet. teſtam. libr. II. tit. XX. p. 285. 286.* Licet autem Saul rex impius eſſet, quia tamen rex fuit, nihil, niſi quod officii ratio poſtulabat, Dauid fecit, quod etiam poſt mortem ſuam erga illum reuerentiam hac ratione teſtatus eſt. Nec ob pietatem erga Deum eum laudat, aut de ſalute eius aeterna quicquam dicit, ſed tantum ob fortitudinem bellicam illum celebrat. Huc illud pertinet, quod ſtatim ab initio dicit: הצבי ישראל quod vulgatus perperam reddit: *o! decus Iſrael*: cum potius vertendum ſit: *o! caprea Iſraelis!* Nimirum a celeritate curſus Saulem commendat, quae inter virtutes militares olim non vltimum locum tenebat, ſimulque ad montem, in quo cum Ionathane Saul periit, reſpicit: quia capreae in montibus verſari ſolent. Montibus autem Gilboae dum male precatur Dauid, id adfectus vehementioris eſt documentum, quem effectus non ſemper ſequitur, aut ſequi debet. Sunt etiam eiusmodi imprecationes, ex adfectu vehementiori profectae, cum conditione intelligendae, vt ex *Rom. IX. 3.* aliisque exemplis conſtat. Suum autem erga Ionathanem amorem non poterat luculentiori ratione deſcribere, quam cum eum *amori mulierum* praefert. Quae verba ſiue de amore, quo mulieres viros amant, ſiue quo a viris amantur, intelligantur, perinde eſt, cum ſufficiat, amorem coniugalem, de quo hic ſermo, ſecundum praeſcriptum Numinis & naturae inſtinctum, ſummum eſſe. Huic dum ſuum erga Ionathanem amorem Dauid praefert, maior vtique eſſe non potuit.

** Pietatis iſto, de quo diximus, officio erga Saulem & Ionathanem defunctus Dauid, de voluntate Numinis per vrim & thummim certior redditus, cum vxoribus & comitibus ſuis Chebronem ſe contulit, eaque in vrbe & locis vicinis conſedit. Iam antea, cum adhuc in deſerto verſabatur, & deinde, cum Ziklagi commorabatur, ex variis tribubus viri longe fortiſſimi ad illum ſe contulerunt, qui *I. Chron. XI. verſ. 1. ſeqq.* recenſentur. Chebrone itaque cum eſſet, reliqui etiam ex tribu Iudae ibi congregati ſunt, eumque illic in regem vnxerunt. De voluntate Numinis cum per vnctionem a Samuele factam certus eſſet, non peccauit, quod regnum, ſuperſtite licet Isboſetho, ſibi vindicaret. Eadem

demque Numinis voluntas cum nec Iſraelitis ignota eſſet, quippe quae nec ipſum Saulem latuit, Iudaei quidem recte fecerunt, Dauidem pro rege agnoſcendo, perperam autem egerunt reliqui Iſraelitae, huic Numinis decreto repugnando. Sine ratione itaque HVGO GROTIVS tribum Iudae redarguit, quod ſola regem facere auſa ſit. *Tribus eximia*, inquit, *ſed vna regem facit pernicioſo exemplo, niſi Dei voluntas cognita omnem legem perfringeret;* ad *h. l.* At nihil aliud fecit tribus Iuda, quam quod facere poterat & debebat. Immo aliis tribubus, quid facere deberent, ſuo exemplo oſtendebat. Vnde, quod diuiſio quaedam & ſchisma inde ortum, non tribui Iudae, ſed reliquis, diuinae voluntati repugnantibus, tribuendum. Praeterea, cum ſucceſſio in iſta gente, in qua theocratia non prorſus deſierat, non ab alia lege, quam a voluntate Numinis pendebat, dici non poterat, *voluntatem Dei omnem legem cognitam perfringere.* add. ABR. CALOVIVS, ad *h. l.* Hinc & patet, peccaſſe Isboſethum, quod regnum oblatum acceptauerit, quod ſibi non deberi, cum latere non poterat; peccaſſe & Iſraelitas, qui hoc ei obtulerunt, omnium vero maxime Abnerum, qui diuiſionis iſtius, hinc & rebellionis, praecipuus auctor exſtitit. Enim vero etſi forte ob fidem erga regem ſuum, eiusque gentem, laudandus videatur, potior tamen ei eſſe debebat voluntas Numinis, quam ſtudium erga regem: ne quid de eo dicam, quod haud dubie ſui praecipue commodi hac in re rationem habuerit. Nimirum Abner hicce ſumſit Isboſethum, & eum transduxit in vrbem trans Iordanem, cui nomen *Mahanaim;* cuius nominis ratio ex *Gen. XXXII. 2.* conſtat. LXX interpretes perperam habent, ἐκ τῆς παρεμβολῆς εἰς Μαναὲμ; vbi vox Μαναὲμ ab alio addita videtur, cum ipſi vocem מחנים pro nomine adpellatiuo habuiſſent, eam per παρεμβολὴν vertentes. Sic & vulgatus: *circumduxit eum per caſtra*, vnde NIC. SERARIO, & CASP. SANCTIO, ad *h. l.* multa congerendi occaſio. Sed eruditiſſimi interpretes conſentiunt, מחנים hic vrbis nomen eſſe, in quam Isboſethum Abner deduxerit. Cumque magna viri eſſet auctoritas, haud difficile illi fuit, reliquas tribus ad obſequium Isboſethi perducere.

Priusquam vero ſcriptor ſacer bellum inter Isboſethum & Dauidem geſtum exponat, de temporum rationibus haec praemittit: *Natus erat quadraginta annos Isboſethus, Saulis filius, cum regnare coepit in Iſraelem, & per duos quidem annos regnauit; nam familia Iudae tantum ſequebatur Dauidem. Numerum vero dierum, quibus Dauid fuit rex Chebrone, in familiam Iudae, fuit ſeptem annorum & ſex menſium.* Quae verba non vna ab omnibus ratione capiuntur. Nonnulli namque, ponentes, Isboſethum tot annos regnaſſe, quot Chebrone Dauid commoratus eſt, ea ita intelligenda, contendunt; Isboſethum duos annos iam regnaſſe, pacifice ſcilicet, cum

cum bellum inteſtinum inter eum & Dauidem oriretur. Ita ex Iudaeis R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* ex chriſtianis HVGO GROTIVS, ABR. CALOVIVS, vterque ad *h. l.* IACOBVS VSSERIVS, in *annalib. vet. & nov. teſtam. pag. 29.* aliique. Alii vero, Isboſethum duos tantum annos regno praefuiſſe, autumant, & quod de Dauide dicitur, eum ſeptem annos cum dimidio Chebrone commoratum, non ita intelligendum contendunt, ac ſi per illud temporis ſpatium ſoli tribui Iudae imperauerit, ſed tantum, quod Chebrone ſedem rerum ſuarum habuerit, Hieroſolymam deinceps transferendam. Vnde ſequitur, intra biennium iſtud poſt mortem Saulis, bellum hocce ciuile geſtum & confectum. Sententiae huius auctor ex Ebraeis eſt R. SAL. IARCHI, quam ex inſtituto defendit SEBAST. SCHMIDIVS, ad *II. Sam. II. quaeſt. V. p. 72. ſeqq.* ſuffragante & IOANNE CLERICO, ad *eundem locum.* Cui tamen inter alia hoc maxime obſtat, quod *cap. III. v. 1.* diuturnum inter familiam Saulis & familiam Dauidis fuiſſe bellum dicitur.

Quod ſi quaeras, quis belli huius inteſtini auctor fuerit, HVGO quidem GROTIVS, Dauidem fuiſſe, haud obſcure innuit. Isboſethum enim, ait, *regnaſſe ſuper Israelem duobus annis tranquille, priusquam Dauid ei bellum inferret.* At longe rectius NIC. SERARIVS, CASP. SANCTIVS, aliique, Abnerum belli auctorem fuiſſe, autumant. Idque haud obſcure ex *verſ. 12.* colligitur, vbi Abner cum ſuis ad Gabaonem ſe contuliſſe dicitur, vt bellum ſcilicet auſpicaretur. Quod contra iniquos Dauidis obtrectatores, de quibus deinceps, obſeruare operae pretium fuerit. Dum in conſpectu mutuo vterque exercitus verſabatur, Abner Ioabo, *ſurgant nunc*, inquit, *iuuenes & nobis proludant.* Cumque Ioabus conſenſiſſet, duodecim ex vnoquoque exercitu concurrerunt inuicem, & ſe transfoderunt, vt omnes ſimul caderent. Qui capiendi ominis cauſſa hoc factum putant, vt NIC. SERARIVS, ad *h. l.* magnae ſuperſtitionis vtriusque exercitus duces ſine neceſſitate reos agunt. Nec credibile, animi aut delectationis cauſſa ex vtriusque ducis conſenſu hocce certamen inſtitutum, quemadmodum HVGO GROTIVS, ad *h. l.* exiſtimat. Nimis hoc barbarum atque inhumanum fuiſſet. Longe rectius itaque ſentiunt, qui hocce certamen reuera proelii initium fuiſſe, & Abnerum hoc ipſo velut ſignum ad pugnam dediſſe, arbitrantur. conf. SEB. SCMIDIVS, ad *h. l. qu. VIII. pag. 81. ſeqq.* Proelii is euentus fuit, vt Abner cum ſuis inferior ex eo diſcederet. Reliqua, quae ſacer ſcriptor hac de re narrat, praeſertim de caede Aſaelis, cum is, monitus licet, Abnerum, pedum celeritate pollens, perſequi non defineret, cum ſatis perſpicua ſint, iis non immorabimur. Id ſaltem addimus, cum Ioabus Abnero illum hortanti, vt tandem Israelitas perſequi defineret, reſpondit: *viuit Iehouah, niſi (aliter) dixiſſes (ſic) a matutino tempore, reuocatus fuiſſet quis-*

quisquis e populo, ne fratrem ſuum inſequeretur; haud obſcure eum innuere, ab Abnero ſignum proelio datum; quod tum factum, vt credamus par eſt, cum *iuuenes illis proludere* iuſſit. Quo ipſo ea iſtorum verborum, quam antea tradidimus, explicatio mirifice confirmatur.

*** Licet in proelio antea memorato, qui cum Dauide faciebant, ſuperiores exſtitiſſent, non tamen ideo ſtatim, qui cum domo Saulis faciebant, ſe ſubmittebant Dauidi, ſed partium adhuc continuabantur ſtudia. Idque *cap. III. v. 1.* innuitur, cum ibi dicitur, *diuturnum fuiſſe bellum inter familiam Saulis & familiam Dauidis.* Hac occaſione ſcriptor ſacer ſex Dauidis filios, quos Chebrone, & durante tempore exilii, ex totidem vxoribus ſuſcepit, recenſet: de quibus multa ebraeorum doctores diſputant. vid. CHRIST. SCHOTANVS, *biblioth. hiſt. ſacrae vet. teſt. tom. II. pag. 665. ſeqq.* Abſalomi mater Maacha, filia Thalmai, Geſuritarum regis, fuiſſe perhibetur. Illi ſcilicet Geſuritae intelliguntur, qui ad meridiem Iudae erant; eo quod eam duxerit, cum iam Chebrone eſſet. Septentrionales namque Geſuritae longius inde remoti erant. Fueritne bello capta, an alia ratione in poteſtatem Dauidis venerit, non conſtat. A patre acceperam, ideo nonnullis minus credibile videtur, quod ille conſenſurus non fuiſſet, vt proſelyta fieret. Talem autem eam fuiſſe, extra dubium poſitum putant. Quaenam Egla, vltimo loco commemorata, cuius pater non indicatur, fuerit, operoſe NIC. SERARIVS, CASP. SANCTIVS, SEBAST. SCHMIDIVS, ad *h. l.* diſputant. Noſtra, vt ſciamus, quaenam illa fuerit, parum refert. Ad vtriusque familiae, Saulis & Dauidis, contentiones vt reuertamur, iis vt finis tandem imponeretur, reliquiue Iſraelitae Dauidi ſe ſubmitterent, Abner effecit. Is pellicem Saulis conſtuprauerat, quod pro inſigni contumelia reputabat Isboſethus. Regum enim mortuorum vxores aut pellices vel ducere in matrimonium, vel rem cum iis habere, ingens, ea aetate, vt videtur, cenſebatur crimen. confer. *I. Reg. II. 24. ſeqq.* Abner autem cum tanta auctoritate eſſet, vt Isboſethus illi fere ſoli regnum acceptum ferret, exiſtimauit, non debere ſibi eiusmodi quid ab eo exprobrari. *An*, inquit, *caput canis ego*, אשׁר ליהודה *qui Iudae?* Quae verba R. SAL. IARCHI ita explicat: *num ego reputor pro capite*, i. e. *cuſtode canum, qui Dauidis ſunt?* Conſentiunt & alii. Sed ſine ratione a genuina & ſimplici verborum ſignificatione diſcedunt. Per *caput canis* enim res viliſſima, nullius pretii, & maxime contemtibilis, indicatur. Hoc ergo ſibi vult, num me hominem adeo contemtibilem, & nullius pretii, & quidem, *qui ſit Iudae*, ſeu ſit hoſtis tuus, exiſtimas, vt illa mihi exprobrare audeas. Nec tamen contemnenda explicatio IO. CLERICI: *an putas, me a Iudae tribu, hoc eſt, a Dauidis partibus, non pluris fieri, quam caput canis, hoc eſt, contemni, vt ab aduerſariis*

Digitized by Google

riis non poſſim benigne excipi, ſi ad eos transfugere velim? Ceterum Abner in hocce negotio animum iactabundum, & thraſonicum, ſimulque admodum profanum, ſatis demonſtrauit. Stuprum enim pellici Saulis illatum ne pro peccato quidem reputat, certe pro tam leui habuit, vt illud ſibi ab Isboſetho exprobrari, aegerrime tulerit. Oratione porro prorſus inſolenti officia ſua, Isboſetho hactenus praeſtita, illi obiicit: tandemque ita ſe gerit, ac ſi penes ſe ſolum ſtaret, vt, quae Deus Dauidi promiſerat, implerentur, aut irrita fierent. Nec ſatis perpendiſſe videtur, quod ſane eiusmodi hominibus ſubinde contingit, quid loqueretur, dum dixit: *Sic faciet Deus Abnero, & ſic addet illi: quod, quemadmodum iurauit Iehouah Dauidi, quod, inquam, facturus ſim illi, &c.* Si enim ſciuit, Deum iuraſſe regnum Dauidi, cur voluntati diuinae ſe hactenus oppoſuit? An vero etiam Deus, quod Dauidi promiſerat, praeſtare non poterat, niſi hoc vellet Abnerus? Id quidem innuit. En! hominis prae ferocia & ambitione excaecati ſtultitiam! Cum Isboſethus, vir meticuloſus, omnisque conſilii expers, & qui adeo per ſummam imprudentiam Abnerum offenderat, illi nihil reponere auderet, Abnerus nuntios ad Dauidem miſit, pacem & amicitiam ei offerens, ſimulque Israelitas ſe ad obſequium eius adducturum, promittens; quod & Dauid acceptauit, at ea lege, vt Michalam ſimul, Saulis filiam, vxorem ſuam, quam Saul deinceps Palthieli dederat, ſecum adduceret. Recte fecerit Dauid, quod Abnerum in amicitiam receperit, vt eius opera Israelitas reliquos ſibi ſubiiceret, deinceps diſceptabimus. Ad Michalae repetitionem quod attinet, quo iure ea Palthieli nupſerit, quoue iure Dauid eam repetierit, Ebraeorum doctores anxie diſputant. conf. & CHRIST. SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſac. vet. teſtam. tom. II. pag. 667.* At omni res difficultate caret, ſi cogitemus, Michalam iuſtis nuptiis iunctam Dauidi, non potuiſſe ſine crimine dari Palthieli. Matrimonium itaque Palthielis cum Michala cum iniuſtum, immo reuera ipſo iure nullum eſſet, non peccauit Dauid, vxorem ſuam repetendo. Nec ſine praegnanti ratione hoc feciſſe videtur. Ad conciliandos enim ei Israelitarum animos faciebat, ſi in memoriam ſibi reuocarent, cum Saulis regis generum eſſe. Nec praetermittendum, quod ipſe Isboſethus Michalam Palthieli ademiſſe, atque adeo ad Dauidem miſiſſe, dicitur. Hinc enim haud obſcure colligitur, conſentiente Isboſetho facta eſſe, quae inter Dauidem & Abnerum acta ſunt. Abnerus nimirum, cum ſenioribus Israelitarum, ſpeciatim & cum Beniaminitis loquens, ea illis in mentem reuocabat, quibus vt Dauidem pro rege agnoſcerent, adduci poterant. Promiſſionis diuinae Dauidi factae meminit, quod Deus per Dauidem Israelitas a Philiſtaeis, reliquisue hoſtibus, liberaturus eſſet. Cuius promiſſionis licet alibi mentio non fiat, nullum tamen

men

Digitized by Google

men eſt dubium, quin reuera facta ei fuerit. Probabile admodum, cum a Samuele in regem vngeretur, ſimiles promiſſiones a Deo ſimul adiectas eſſe. Cum ergo intelligeret Abnerus, Iſraelitas haud alieno a Dauide eſſe animo, Chebronem viginti viris comitatus venit, vt hoc ei indicaret: ſplendidoque ibi conuiuio a Dauide exceptus & in pace dimiſſus eſt, vt Iſraelitas, Dauidi ſolemni ratione ſe ſubiecturos, congregaret.

Cum Abnerus disceſſerat, Ioabus cum copiis ſuis redibat מהגדוד *a turma ſeu globo latronum*, qui ſcilicet ex vicinis gentibus in terram Iudae inuaſionem fecerant, quosue Ioabus ceciderat; quanquam alii ipſum Ioabum cum ſuis in hoſtium terram excurſionem feciſſe, magnamque inde ſecum retuliſſe praedam, velint, qui verba ebraea ita reddunt: *veniebat a facere turmam &c.* Hic cum intellexiſſet, Abnerum apud Dauidem fuiſſe, & ab eo in pace dimiſſum, initio Dauidi perſuadere conatur, Abnerum minus ſincere cum eo agere, eumque obiurgat quod illum dimiſiſſet: cumque id regi perſuadere non poſſet, per nuntios Abnerum nomine Dauidis ex itinere reuocat, eumque vt בשלי *ſubdole, ἐνέδρευων*, vt LXX interpretes habent, cum illo colloqueretur, in medium portae ſeductum, interficit. Cauſſam, quae Ioabum, vt hoc faceret, induxerit, ſcriptor ſacer non aliam memorat, quam quod Abnerus Ioabi fratrem occidiſſet. Veroſimile tamen, acceſſiſſe & alias, inuidiam cum primis, aut aemulationem, quia Ioabus metuebat, ne Abnerus, hac ratione regi conciliatus, aut eodem, aut omnino potiori, quam ipſe, loco haberetur; praeſertim quia Iſraelitas reliquos ad Dauidem adducendo, magno eum ſibi beneficio obſtrinxerat. Non male id expreſſit FLAVIVS IOSEPHVS, dum de Ioabo verba faciens, *δείσας*, inquit, *μὴ τὸν μὲν ἐν τιμῇ καὶ τῇ πρώτῃ ποιήσηται τάξει, συνεργόν τε τῆς βασιλείας ἐσόμενον, καὶ τ' ἄλλα δεινὸν ὄντα συνιδεῖν πράγματα καὶ τοὺς καιροὺς ὑποδραμεῖν, αὐτὸς δ' ἐλαττωθείη, καὶ τῆς στρατηγείας ἀφαιρεθείη, κακοῦργον καὶ πονηρὰν ὁδὸν ἄπεισι. veritus, ne is primum inter amicos locum obtineret, auctor illi factus regii faſtigii, & alioqui vir prudens in conſiliis capiendis, & rerum momentis obſeruandis, ipſe vero deteriori conditione eſſe inciperet, & praefectura copiarum priuaretur, malum & iniquum conſilium concipit; antiqu. iud. lib. VII. c. I. p. 214.* Peſſimum Ioabi facinus aegerrime tulit Dauid. Nec ſine ratione. Praeterquam enim, quod perfidiam & crudelitatem Ioabi ex animo deteſtabatur, facile videbat, ſe in ſuſpicionem apud Iſraelitas venire poſſe, ac ſi ſuo iuſſu illud factum eſſet. Periculumque erat, vt hac ratione Iſraelitarum animi prorſus ab eo abalienarentur, in quibus illi conciliandis ſtudium operamque ſuam Abnerus collocauerat. Cum vero rebus regni ſui nondum ſatis firmatis, Ioabum, magnae auctoritatis virum, punire non poſſet, alia ratione, hoc eius vehementer ſibi diſplicere facinus, teſta-

teſtatus eſt. Immo temperare ſibi non potuit, quin ei malediceret, quod tamen praeſente Ioabo factum, vix crediderim. *Recidat*, inquit, *in caput Ioabi*, *& omnis familiae patris eius*, *neque deſit ex domo Ioabi fluxu laborans*, *aut leproſus*, *aut* מחזיק בפלך *tenens baculum*, morbi ſcilicet, aut infirmitatis cauſſa, *aut gladio cadens*, *aut panis egenus*. Iuſtane an iniuſta illa fuerit imprecatio, diſſentiunt, diſputantque inter ſe Ebraeorum magiſtri, vt apud R. DAVID KIMCHIVM, ad *h. l.* videre licet. Sunt &, qui haec verba praedictionem potius, quam imprecationem, continere, putant. Sed cum adfectus vehementior haec verba Dauidi expreſſerit, pro praedictione haberi nequeunt. Vitio autem imprecationem carere, facile iudicabit, qui ſcelus Ioabi ſummopere deteſtandum cogitauerit; add. SEB. SCHMIDIVS, ad *II. Sam. III. qu. XI. pag. 137. ſeqq.* Praeterea ipſum Ioabum, & vniuerſum, qui cum illo erat, populum, laceratis veſtibus, aliisque luctus ſignis eo tempore receptis, dolorem ob Abneri mortem Dauid teſtari voluit, quemadmodum & ipſe funeri interfuit, lacrimis ſuis reliquis omnibus lacrimas eliciens, & ſingulari encomio, quo ob fortitudinem eum laudauit, illum ornans. Quin immo, rogatus licet a populo, cibum capere noluit, ſed per integrum diem ieiunauit; eaque ratione effecit, vt omnes intelligerent, non tantum ſe inſcio, ſed & inuito, Abnerum interfectum; neque per ſe hoc ſtare, quo minus Ioabus ſceleris iſtius poenam daret, modo res ſuae nondum ſatis firmatae hoc permitterent. Hoc omnibus Iſraelitis innoteſcere, ipſius Dauidis vel maxime intererat.

Et ex hactenus quidem dictis haud difficulter colligitur, quid iniquis Dauidis obtrectatoribus reſpondendum ſit; qui, vt in reliquis ſanctisſimi viri actionibus, quod carpant, quaerunt, ita & in regni Iſraelitici adquiſitione ad artes politicas, eas quidem minime laudandas, eum ſe recepiſſe, contendunt. Haud vltimum inter eos locum tenet PETRVS BAELIVS, qui hac de re ita diſſerit: Dauidi, cum Saulis mortem intellexiſſet, nihil prius aut antiquius fuiſſe, quam vt ſucceſſionem in regno ſibi vindicaret. Eum in finem eum Chebronem ſe contuliſſe, vbi a tribu Iudae, cuius ſeniores muneribus ſibi conciliaſſet, pro rege fuerit agnitus. Eadem haud dubie ratione animos ſeniorum ex reliquis tribubus ſibi conciliaturum fuiſſe, niſi Abnerus obſtitiſſet. Hinc inter Dauidem & Isboſethum ea contigiſſe, quae inter reges, fidei parum memores, & ambitioni vnice inſeruientes, contingere ſolent. Id vtrumque egiſſe, vt tribus alteri fauentes in ſuas pertraheret partes, & ita ſolus regno integro potiretur. Dauidem vero vel hoc nomine reprehendendum eſſe, quod Abneri, perfidi hominis & proditoris, opera vſus ſit, vt voti ſui tandem compos redderetur. *Haeccine*, inquit, *ſunt actiones viri ſancti? Immo politices regulis*, *& prudentiae praeceptis*

 haec

haec conformia eſſe, *fateor*, *ſed ſecundum aequitatis doctrinaeque moralis leges hunc agendi modum veri Dei cultorem decere*, *nunquam probari*; in *dictionario hiſtorico-crit. voc. Dauid*, *pag. 627.* Verum haecce omnia, quantumuis ſpecioſa ſint, ita ſunt comparata, vt haud difficulter dilui queant. Dauidem ex praeda, quam victis Amalekitis acceperat, munera ſenioribus tribus Iudae miſiſſe, non diffitemur: quippe quod ex *I. Sam. XXX. 26.* conſtat. Id vero in grati animi documentum ab eo factum, ſupra iam obſeruauimus. Ideo hoc eum feciſſe, vt hac ratione regnum ſibi adquireret, probari nequit. Nec, vt ideo hoc faceret, neceſſe erat, cum ſciret, a Deo ipſo hoc ſibi deſtinatum. Inteſtini belli inter Dauidem & Isboſethum orti culpa non penes illum, ſed penes hunc erat; cum Isboſetho ignotum non eſſet, Numinis voluntate regnum ad Dauidem transferendum eſſe, quippe quod nec patrem eius latuit. Abneri autem opera quod vſus eſt, vel potius, quod eam ſibi oblatam non recuſauit, in eo peccaſſe Dauidem, alii quoque cenſent. HVGO GROTIVS de eo diſputans, an & quousque proditoris opera erga hoſtem vti liceat, ſubditos hoſtis ad proditionem occiſionemque principis ſui, ſimilesque actus, incitare, nefas eſſe, pronuntiat, cum, qui alteri peccandi cauſſam dat, ipſum quoque peccare, conſtet; at, ſi quis opera hominis, ſua officia ſponte ſua offerentis, vtatur, eum non peccare, contendit; de *iure belli & pacis*, *lib. III. cap. I. §. XXI. & XXII.* conf. & SAM. PVFENDORFIVS, de *iure nat. & gent. lib. VIII. cap. VI. §. XVIII.* item IOAN. GEORGIVS KVLPISIVS, *colleg. Grot. exercit. XX. pag. 128.* Quae ſi admittantur, nihil iniqui egiſſe Dauidem, operam, quam Abnerus obtulit, acceptando, palam erit. Cum vero iſtud HVGONIS GROTII adſertum nondum extra omne dubium poſitum ſit, rectius rem omnem ſequenti ratione expediri poſſe, exiſtimo. Primo, id conſtat, perperam egiſſe Isboſethum, regnum ſibi vindicando, quod ex decreto Numinis Dauidis erat. Idque Abnerus ipſe agnouit. Recte itaque etiam fecit, dum voluntati Numinis ſe tandem ſubmiſit, etſi cauſſa, ob quam hoc fecit, maxime ſit vituperabilis. Praeterea admodum probabile, conſentiente Isboſetho factum, quidquid Abnerus fecit. Cum enim Isboſethus videret, ſe Abnero reſiſtere non poſſe, videtur conſenſiſſe, vt Dauidi regnum conferretur, eamque ob cauſſam Abnerus ad Dauidem iret, ſperans, fore, vt hac ratione & ipſe aliquem dignitatis locum apud Dauidem obtineret. Idque inde haud obſcure colligitur, quod ipſe Isboſethus Michalam ad Dauidem remiſiſſe dicitur, vt ſupra iam obſeruauimus. Sed idem inde quoque colligitur, quod *II. Sam. IV. 1.* dicitur, audita Abneri morte *manus Isboſethi remiſſas eſſe*; non aliam haud dubie ob rationem, quam quod per Abnerum & ipſe gratiam ſe impetraturum exiſtimauerat. Quodſi ergo a cauſſa, quae Abnerum, vt partes

tes Dauidis amplecteretur, impulit, diſcedas, & rem in ſe ſpectes, nihil iniqui egit, quod Iſraelitas ad Dauidis obſequium adducere in ſe ſuſcepit; adeoque nec Dauid peccauit, quod opera eius vſus eſt.

* Morte Abneri intellecta, Isboſethus animum prorſus abiecit, ſeu, vt ſcriptor ſacer loquitur, *manus eius remiſſae ſunt*, magnoque terrore Iſraelitae perculſi ſunt. Hi enim ſpem conciliationis cum Dauide, Abnero interfecto, abruptam exiſtimantes, haud ſine ratione a Dauide & tribu Iudae ſibi timebant. Cur autem Isboſethus animum abiecerit, non conſtare videtur, ſiquidem mors proditoris, qualem Abnerum fuiſſe vulgo credunt, non adeo magnum ei dolorem adferre poterat. Mirifice hic ſe torquent interpretes, ſed ſine ratione. Expedita enim ſunt omnia, modo teneamus, quod antea obſeruauimus, ſperaſſe Isboſethum, vt & ipſe per Abnerum Dauidi conciliari poſſet. Eam ſpem cum irritam putaret, haud ſine ratione magno terrore perculſus, abieciſſe animum dicitur. Idque cum viderent duo praefecti militum, Baana & Rechabus, nihil obſtare amplius, rati ſunt, quo minus interfecto Isboſetho & ipſi gratiam apud Dauidem inire conarentur. Vocantur שרי גרודים *principes turmarum*, hoc eſt, copiarum, quae ſemper praeſto erant, vt hoſtium inuaſionibus obuiam irent, vel etiam excurſiones facerent. Vulgatus habet: *principes latronum*, quem nonnulli ita excuſant, quod olim milites interdum latrones dicti ſint. Et iſti quidem fuerunt filii Rimmonis Beerothitae e Beniaminitis, ex eadem, qua Saul fuerat, tribu, magnisque haud dubie ab eo beneficiis cumulati. Eo foedius itaque erat illorum ſcelus, quo magis animum gratum erga domum Saulis demonſtrare debuiſſent. Ne quis vero, illos Beniaminitas fuiſſe, ex eo dubitaret, quod Beerothitae deinceps Gitthaimis habitauerint, ſcriptor ſacer monet, eos illuc aufugiſſe. Quando, aut quam ob cauſſam hoc factum, non memorat: vnde latiſſimus coniecturarum variarumque opinionum ſe pandit campus, quae apud SEBAST. SCHMIDIVM, ad *II. Sam. IV. quaeſt. II. pag. 170. ſeqq.* legi poſſunt, quibus non immorabimur. Eo magis autem iſti ad facinus nefandum perpetrandum incitabantur, quo minus dubitabant, gratum id fore Dauidi: cum, Isboſetho e medio ſublato, nemo amplius exſtaret, qui regiam dignitatem ſibi adſerere auderet. Etſi enim Mephiboſethus adhuc Ionathanis filius ſupereſſet, hic tamen, vtpote vtroque pede claudus, ad regnum ineptus erat. Et hanc rationem eſſe, arbitror, cur Mephiboſethi mentionem hic ſcriptor ſacer faciat. Iam ad modum, quo peſſimi proditores Isboſethum interfecerunt, quod attinet, eos per calorem diei domum Isboſethi ingreſſos, ſcriptor ſacer refert, *cum hic cubaret cubationem meridiei*, hoc eſt, dum in conclaui frigidiori aut dormiturus, aut ad leuandum aeſtum, cubabat. IONATHAN, paraphraſtes chaldaeus, habet

שנת מלכיא *ſomnum regum*, innuens, regibus ea aetate in more poſitum, meridiano tempore ſomnum capere. Quanquam & de reliquis hominibus, mollius vitae genus ſectantibus, idem dici poſſit. Opportunum hocce tempus facinus illud perpetrandi, proditoribus peſſimis viſum: qui &, ne πρόφασις, cur domum ingrederentur, deeſſet, illud fecerunt, *quaſi accepturi frumentum*, vt ſcriptor ſacer ſecundum textum ebraeum diſerte dicit. Fieri enim potuit, vt in domo Isboſethi frumentum adſeruaretur, ſiue vt venderetur, ſiue, vt inter milites diſtribueretur. Neſcio, quid LXX interpretibus in mentem venerit, dum vertunt: καὶ ἰδὲ ἡ θυρωρὸς τῦ οἴκυ ἐκάθαιρε πυρὸς καὶ ἐνύςαξε καὶ ἐκάθευδε. Sic & vulgatus: *& oſtiaria domus, purgans triticum, obdormiuit;* & *verſ. 6. ingreſſi ſunt autem domum latenter adſumentes ſpicas tritici, &c.* Nihil eiusmodi in textu ebraeo legitur, cui cur verſiones haſce praeferre debeamus, nulla adeſt ratio. Operam itaque oleumque perdunt, qui eas defendere adnituntur. Interim LXX interpretes hic ſequitur FLAV. IOSEPHVS. Isboſetho ita interfecto caput auulſerunt, idque ad Dauidem Chebronem attulerunt, ne de caede ab illis perpetrata dubitaret. Cum vero ingens perpetrati facinoris praemium ab eo exſpectarent, res longe aliter cecidit. Dicebat enim, cum Amalekitae, qui nuntium, de Saule, quod mortuus eſſet, attulerat, non pepercisset, multo minus aequum eſſe, vt iſti tam immane facinus impune ferrent. Nimirum etſi Amalekita iſte, ſe mortem Saulis acceleraſſe, dicebat, ipſe tamen mortis eius cauſſa non exſtitit: nullo praeterea beneficio ſingulari a Saule adfectus erat, vt ad gratum animum demonſtrandum obſtrictus fuiſſet. At Baana & Rechabus, ipſimet Isboſethum, domi ſuae cubantem, inaudito ſcelere inuaſerant & interfecerant, crimine eo grauiori, quo maiora a domo Saulis acceperant beneficia, aut ab ipſo Saule, aut ab Isboſetho, copiis militaribus praefecti. Longe magis itaque eos poenam grauiſſimam, quam Amalekitam iſtum, promereri, recte concludebat Dauid. Dum autem Dauid Isboſethum *virum iuſtum* vocat, intuitu illorum, qui eum interfecerunt, hoc eſt intelligendum. Non itaque inde ſequitur, non peccaſſe Isboſethum, quod contra Numinis voluntatem regnum Israeliticum ſibi vindicauerit. Id quod contra PETRI BAELII cauillationes notandum, quas in *dictionar. hiſtorico-crit. loc. cit.* contra Dauidem profert. Supplicium, quo Baana & Rechabus adfecti, ſingulare, ſed iuſtisſimum fuit. Interfectis enim manus & pedes praeciſi atque ſuſpenſi ſunt. Non enim ad corpora, quod de ſuſpenſione dicitur, quae haud dubie terrae mandata ſunt, ſed ad manus atque pedes referendum. Hoc enim vero exemplo deterrendi alii erant, ne contra reges ſimile quid ſuſciperent. FLAVIVS IOSEPHVS, eos tormentis exquiſitis adfectos, & ſic morti datos eſſe, auctor eſt. At illud ſcriptura non memorat, nec poſitum

in more

in more erat in gente ebraea. Loquitur itaque IOSEPHVS, vt alias, ita & hic, ex more apud alias gentes ſua aetate recepto.

§. XV.

Iam nihil obſtabat amplius, quo minus Dauid regno in totum populum Iſraeliticum potiretur. Maſcula enim Saulis proles partim exſtincta erat, partim in eam redacta ſortem, vt nemo ex ea eſſet, qui ad regnum adſpiraret. Mephiboſethum etiam Ionathanis filium deinceps ad ſe arceſſiuit Dauid, in aula ſua liberaliter alendum.* Cum ergo hactenus ſoli tribui Iudae imperaſſet, a reliquis etiam tribubus vnanimi conſenſu pro rege agnitus, & tertia vice vnctus eſt.** Tum ſedem imperii Hieroſolymam transferre ei placuit, expugnata prius arce Sionis, quam adhuc Iebuſaei tenebant.*** Hiramus Tyriorum rex eodem tempore amicitiam eius ambiebat, oblatis lignis, ad domum tanto rege dignam exſtruendam.* Philiſtaei vero, bello Iſraelitas more conſueto laceſſere audentes, duplici proelio victi, fugatique, ſuae temeritatis poenas dedere iuſtiſſimas.** Idem fatum deinceps Moabitae, Zobaeque rex, & Syri, aliique experti ſunt, Edomitis itidem ſub iugum miſſis, Ammonitisque acriter caſtigatis, quod legatos ad ſe a Dauide amicitiae cauſſa miſſos, graui iniuria adfeciſſent.*** Non minus & rem publicam rite conſtituit, muneribusque ſingulis viros idoneos praefecit.* Priusquam vero iſta bella gereret, arcam foederis ex domo Abinadabi in arcem Sionis magna pompa & hilaritate aduexerat: at templum, quod cogitabat exſtruere, prohibitus, ampliſſimis tamen promiſſionibus, praeſertim de Meſſia ex ſemine eius naſcituro, de conſtanti Numinis in ſe fauore, certior redditus fuit.**

* Refert hoc ſcriptor ſacer *cap. IX.* adeoque poſtquam iam pridem Dauid rerum ſedem Hieroſolymam transtulerat, bellaque varia & res plurimas memoratu dignas geſſerat. Quanquam, an temporis hac in re ordinem obſeruauerit, dubitari poſſet. A pietate enim Dauidis nonnullis alienum videtur, quod beneficia, quae in domum Saulis conferre ſecum conſtituerat, tamdiu diſtulerit. Variae tamen rationes eſſe potuerunt, nobis quidem non ſatis perſpectae, quae eum hoc facere cogerent. Dum autem Dauid quaeſiuit, num aliquis ex domo Saulis ſupereſſet, in quem beneficentiam exerceret, & Ziba Mephiboſethum ſupereſſe, reſpondit, non ita hoc capiendum, ac ſi praeter eum alius ex domo Saulis non ſuperfuerit; ſuperfuiſſe enim, vel ex *II. Sam. XXI. verſ. 2. ſeqq.* conſtat; ſed cum antea Dauid Ionathanis mentionem feciſſet, & de eius etiam poſteris haud dubie maxime ſollicitus eſ-

eſſet, Ziba hac occaſione arrepta, Mephiboſethum ſpeciatim nominauit. Hunc ergo cum ad ſe arceſſiuiſſet Dauid, non tantum beneuole excepit, & bono animo eſſe iuſſit, ſed & vt agri, qui Saulis, aui eius, fuiſſent, illi reſtituerentur, mandauit, ipſum vero Mephiboſethum in menſa ſua cibum capere voluit. Nimirum ad agrorum reſtitutionem quod attinet, hi ex illorum numero fuiſſe videntur, quos ex regia poteſtate Saul ſibi vindicauerat, & quorum poſſeſſione domus Saulis poſt eius mortem exciderat, ſed quos in turbato iſto rerum ſtatu alii, forte ipſe Ziba, ſibi adſeruerant. Sane Zibam iſtum, quem bonorum Mephiboſethi adminiſtratorem rex Dauid conſtituit, hominem callidum & perfidum fuiſſe, qui agros Mephiboſethi ſibi vindicare per turpiſſimam calumniam conatus eſt, ex ſequentibus conſtat. Fieri itaque potuit, vt iam antea idem fecerit, ſed iuſſu Dauidis reſtituere, quae iniquo auſu ad ſe rapuerat, coactus eſt, adminiſtratione tamen bonorum illi relicta, vt Mephiboſethus vſum fructum inde caperet.

** Iam antea ad §. *praecedentem* obſeruauimus, eſſe nonnullos, qui, Isboſethum duos rantum annos regnum Israelis vſurpaſſe, contendunt, eoque interfecto, reliquas Israelis tribus imperio Dauidis ſe ſubmiſiſſe. Quod ſi admittatur, dicendum fuerit, duos annos Chebrone ſoli tribui Iudae Dauidem imperaſſe; & per reliquos quinque annos & ſex menſes, quos ibidem commoratus eſt, toti Israeli. Quod itaque *II. Sam. V. 4. 5.* dicitur: *triginta annos natus erat Dauid, cum regnare inciperet, & per quadraginta quidem annos regnauit: Chebrone regnauit in Iudam per ſeptem annos & ſex menſes: Ieroſolymae vero regnauit per triginta tres annos in totum Israelem & Iudam*; ita intelligendum fuerit, Chebrone eum regnaſſe per annos ſeptem & ſex menſes, initio quidem tantum ſuper tribum Iuda, deinceps & ſuper reliquas, Hieroſolymae autem ſemper ſuper totum Israelem. Sed cum hic diſerte dicatur, Dauidem ſeptem annos & ſex menſes Chebrone *in Iudam* regnaſſe, ſententia illorum, qui, Isboſethum totidem annos regnaſſe, contendunt, quod Chebrone commoratus eſt Dauid, haud contemnendum inde robur accipit. Cum etiam ſex menſes deficiant, vt integer numerus annorum XL, quibus regnaſſe Dauid dicitur, inde reſultet, hos quidem annis triginta tribus, quibus Hieroſolymae regnauit, includendos, recte viri docti cenſent. In honorem vrbis Hieroſolymae hoc factum, Iudaeorum commentum eſt. Haec ergo ſi ita ſe habeant, ſequetur, Dauidem, cum per ſeptem annos & ſex menſes ſoli tribui Iudae imperaſſet, a reliquis etiam tribubus pro rege agnitum. Nimirum interfecto & Abnero & Isboſetho, cum Dauidis, vtriusque caedem vehementer improbantis, innocentiam intellexiſſent, *venerunt omnes tribus Israelis ad Dauidem Chebronem*, vt *II. Sam. V.* 1. diſerte dicitur, hoc eſt, selecti ex ſingulis tribubus

bus viri, vt ex *I. Chron. XII. 23. ſeqq.* colligitur, vbi & ſpeciatim, quinam venerint, indicantur. Dubium equidem inde oritur, quod *verſ. 5.* ſeniores Iſraelis Chebronem veniſſe dicantur: vnde nonnulli multum ſibi faceſſunt negotii, vt haec inter ſe componant. Sed vno eodemque tempore cum reliquis Iſraelitis ſeniores quoque venire potuerunt: etſi horum deinceps ſpeciatim iniiciatur mentio, qui ibi foedus cum Dauide inierunt. Veroſimile autem eſt, Iſraelitas antea legatos ad Dauidem miſiſſe, qui eum de aduentu ſuo certiorem redderent; & horum haud dubie fuit ſermo, qui *II. Sam. V. 1. 2.* refertur: *En! oſſa tua & caro tua ſumus &c.* Poterat aliquis exiſtimare, haec verba rectius in tribum Iudae, quam reliquos Iſraelitas quadrare. Sed & in reliquos Iſraelitas optime quadrant; cum hoc ſibi velint: non eſt, vt ſolos Iudaeos pro cognatis, nos autem velut pro alienis aut hoſtibus tuis repute; namque & nos, qui a communi Iſraelis ſtirpe tecum deſcendimus, non minus cognati tui ſumus, quam tribus Iudae ciues. Dum autem porro commemorant, a Iehouah Dauidi dictum: *tu paſces populum meum*, non eſt, vt prolixe disquiramus, vbi & quando hoc Dauidi a Deo dictum ſit; cum non aliud ſibi hisce verbis velint, quam regnum Iſraelis Dauidi a Deo deſtinatum, quod vel ex vnctione, a Samuele facta, illis notum eſſe poterat. Percuſſerunt itaque ſeniores Iſraelis foedus cum Dauide coram Iehouah, & eum in regem Iſraelis vnxerunt. Eiusmodi ſcilicet intelligitur foedus, quo Iſraelitae ad obſequium, Dauid autem ad officia regum propria, forte & ad indulgentiam ante actorum, ſe obſtrinxit. vid. HVGO GROTIVS, ad *h. l.* Vnxerunt eum tertia vice, cum primum iam a Samuele, deinde a tribu Iuda vnctus eſſet. Id namque, vt ab omnibus Iſraelitis pro rege agnoſceretur, neceſſe erat, ſimulque prior vnctio, a tribu Iuda facta, confirmabatur. De ritu vngendi reges, eiusque origine, deinceps dicetur, ad §. *XXV.*

*** Si poſt biennium Chebrone exactum, ab vniuerſo Iſraele vnctum Dauidem ſtatuamus, expeditionem hanc quinquennio poſt vnctionem iſtam ſuſceptam, ſequitur. Septem enim annos cum ſex menſibus Dauidem rerum ſuarum ſedem Chebrone habuiſſe, conſtat. Sed cum probabilius ſit, vt antea docuimus, eum, quamdiu Chebrone vixit, ſoli tribui Iudae imperaſſe, ſequitur, ſtatim poſt vnctionem ab omnibus tribubus factam, hoc contigiſſe. Iuiſſe autem rex *cum ſuis* dicitur, *II. Sam. V. verſ. 6.* Cui non repugnat, quod *I. chron. XII. 4.* dicitur, Dauidem iuiſſe, & *omnem Iſraelem.* Haud dubie enim ſelecti ex omni Iſraele viri intelliguntur, quos Dauid optimo iure *ſuos* dicere poterat. Occaſionem expeditionis, aut quid Dauidem ad eam ſuſcipiendam impulerit, ſcriptor ſacer non memorat. Videtur autem mandato diuino de exſtirpandis Cananaeis ſatisfacere voluiſſe. Idque nonnulli ex eo

Digitized by Google

colligunt, quod de Iebuſaeis non ſine ratione dicatur: *qui tractum illum habitabant.* Dixerunt autem Iebuſaei, cum intelligerent conſilium Dauidis, non ingredieris huc כי אם הסירך העורים והפסחים, *niſi amoueris caecos & claudos*, vel, vt alii vertunt: *nam repellent te caeci & claudi.* Vbi primo, quinam per *caecos* & *claudos* intelligantur, valde inter ſe diſceptant viri eruditi. Iudaeorum fabulae de imaginibus patriarcharum, Iſaaci caeci, & Iacobi claudi, in ſignum foederis ab illis cum Hethitis, ex quibus Iebuſaei, initi, propoſitis, quae in *Pirke Elieſeris cap. XXXVI.* leguntur, & a R. SALOM. IARCHI, aliisque, paſſim repetuntur, dignae non ſunt, vt confutentur. Sunt haud infimi inter eruditos ordinis viri, qui caecos claudosue homines intelligunt, quos per conuicium Dauidi obiecerint Iebuſaei, aut ad munimenti defenſionem in muris diſpoſuerint, indicaturi, ſe Dauidis inſultus adeo non metuere, vt credant, caecos & claudos vrbem ſuam, ſeu arcem, defendere poſſe. Ita FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. VII. cap. II.* THEODORVS HACKSPANIVS, *not.* ad *h. l.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. II. loc. LXXX. pag. 382. ſeqq.* Nec multum abludunt hinc, qui per *caecos & claudos* homines imbelles & ignauos intelligunt, vt MATTHIAS FLACIVS, in *claue part. I. fol. 131.* Idemque, ni fallor, ſibi voluit SAM. BOCHARTVS, qui verba haec ita vertit: *non huc accedes, quin te arceant caeci & claudi, id eſt, ignauiſſimi quique, Phaleg. lib. IV. cap. XXXVI.* conf. & HVGO GROTIVS, ad *h. l.* Alii autem imagines ſeu ſimulacra deorum tutelarium intelligunt, quorum fiducia arcem ſuam inexpugnabilem crediderint, quosue ex mente Dauidis caecos & claudos dixerint. Ita poſt B. LVTHERVM noſtrum, MICHAEL WALTHERVS, *harm. bibl. pag. 229.* itemque ABR. CALOVIVS, SEB. SCHMIDIVS, IO. CLERICVS, ad *h. l.* aliique. Et praeferenda ſane haec ſententia priori vel ideo videtur, quia deinceps dicitur, *claudos atque caecos inuiſos fuiſſe animo Dauidis*, quod vt in idola eiusmodi optime quadrat, ita, cur claudi & caeci, vel homines imbelles & ignaui inter Iebuſaeos animo Dauidis inuiſi fuerint, vel eſſe debuerint, nulla reddi ratio poteſt. Quod ad verbum, הסירך attinet, rectius mea opinione faciunt, qui illud pro praeterito habent, quam qui infinitiuum eſſe exiſtimant, cum illis puncta ſubſcripta faueant. Senſus itaque erit: *ſed repellet, ſeu repellent* (praeteritum enim pro futuro ponitur) *vel remouebunt, caeci & claudi, ſeu iſti, quos tu pro caecis & claudis habes, & ignominioſe ita vocas.* Vt vero intelligeretur, quid Iebuſaeos ad eiusmodi ſermonem permouerit, addit ſcriptor ſacer *verſ. 8. Dixerat autem Dauid die illo: quisquis caedet Iebuſaeos, & attinget canalem, claudosque ac caecos, inuiſos animae Dauidis;* qui ſermo cum abruptus ſit, ſupplendum eſt ex *I. chron. XII. 6. caput atque dux erit.* Non inſolens eſt, vt ſermo non plene proponatur, adeoque, quod in vno

loco

loco deficit, ex altero ſupplendum ſit; vnde vt textum hic corruptum ſtatuamus, neceſſe non eſt. Ad vocem צנור *canalem* quod attinet, talem nonnulli intelligunt, per quem aqua in arcem deducta fuerit: alii autem de canalibus tectorum accipiunt. In ſuperiori parte arcis, & eo quidem in loco, vbi quam commodiſſime arx capi potuit, eum fuiſſe oportet; neceſſe quoque eſt, vt non procul inde conſtituta fuerint ſimulacra illa deorum tutelarium, qui *caecorum & claudorum* nomine hic veniunt. De iis dicitur, quod fuerint שנאי נפש דוד *inuiſi animae Dauidis:* vbi LXX interpretes perperam habent, *μισῦντας τὴν ψυχὴν Δαυίδ* & vulgatus: *odientes animam Dauid.* Additur, prouerbium hinc enatum: *nec caecus nec claudus domum ingredietur;* cuius ſenſus eſt, cum iſta deorum tutelarium ſimulacra impedire non potuerint, quo minus arcem Iebuſaeorum Dauid caperet, indignum eſſe, in domum quandam, ſpeciatim ſacram, ea cultus religioſi gratia inferre. Atque ita cuncta ſibi conſtant, & ſequenti ſerie geſta ſunt: cum Dauidi conſtitutum eſſet, arcem Iebuſaeorum expugnare, principatum ſeu militum praefecturam ei promiſit, qui primus eo in loco, vbi penes canales ſimulacra deorum tutelarium, quos caecos & claudos vocauit, conſtituta erant, arcem cepiſſet. Iebuſaei cum hoc intellexiſſent, reſponderunt, ſe non admodum hac de re ſollicitos eſſe, cum nulli dubitent, quin dii ſui tutelares, quos per contemtum Dauid caecos & claudos vocaſſet, eum repulſuri ſint. At repellere non potuiſſe, euentus docuit, vnde prouerbium, antea memoratum, ortum. Ioabum vero primum fuiſſe, qui arcem conſcendit, ideoque militibus omnibus praefectum, ex *I. chron. VII. 6.* diſcimus. Arcem hunc in modum occupatam Dauid, vt eam inhabitare poſſet, muniuit, &, muro a Millone introrſus ducto, vlterius extendit, vt iam vrbis ſpeciem praeberet; hinc & *vrbs Dauidis* in poſterum vocanda. Qualis locus Millo fuerit, incertum, & maximopere hac de re inter ſe viri docti diſſentiunt. Proxime ad verum accedere videntur, qui, locum in ipſo monte Zionis, natura ita munitum fuiſſe, contendunt, vt eum Dauid munire neceſſe non duxerit, quod tamen poſtea Salomoh fecit, *I. reg. IX. 15.* Dauid autem ab eo loco munimenta incipiens introrſum vrbem verſus ea duxit, totum ita illud ſpatium, quod *vrbs Dauidis* deinceps dictum, munimentis cingens. Quod denique *I. chron. XII. 8.* dicitur, *Ioabum viuificaſſe reliquam vrbem*, ita intelligendum, quod Ioabus curam reliquae vrbis reſtaurandae in ſe receperit, quemadmodum Dauid id operam dedit, vt ea vrbis pars, quae deinceps ab illo nomen retulit, reſtauraretur. Et ex hocce quidem tempore res Dauidis in dies magis magisque auctas, & incrementa ſumſiſſe, ſacer ſcriptor teſtatur, *II. Sam. V. 10.* & *I. chron. XII. 9.*

* De Hiramo, vrbeque & regno Tyriorum, cuius ceu iam potentia floren-

Digitized by Google

rentis, hic *II. Sam. V. 11.* prima vice mentio iniicitur, deinceps ad §. *XXVIII.* ex inſtituto dicetur. Non tantum autem ligna cedrina ex monte Libano, qui eo tempore in ditione Tyriorum fuit, ſed fabros quoque lignarios & lapidarios, Hiramus ſubminiſtrabat, quia artes mechanicae apud Tyrios, gentem commerciis deditam, magis colebantur, quam apud Ebraeos. Ex verbis ſacri ſcriptoris haud obſcure colligitur, Hiramum ambiiſſe amicitiam Dauidis; idque, vt puto, non tam ob potentiae Dauidis metum, quam ob virtutum, quae in Dauide exſplendeſcebant, admirationem. Nonnulli quoque hinc colligunt, Hiramum non adeo alieno a vera religione fuiſſe animo. Additur: *intellexit autem Dauid, Iehouam ipſum confirmaſſe in regem Iſraelis, eiusque regnum propter populum ſuum Iſraelem extuliſſe.* Intellexit nimirum hoc ex eo, quod videret, cuncta proſpere & ex voto fluere, adeo vt exteri quoque reges amicitiam eius ambirent, vt recte R. SALOM. IARCHI, ad *h. l.* explicat. Cumque hac ratione cognoſceret, quam adcurate promiſſionibus diuinis ſua conſtet veritas, in fide mirifice confirmatus eſt. Nec praetermittendum, quod dicitur: *propter populum ſuum Iſraelem.* Non enim ſui, ſed populi Iſraelitici cauſſa haec contingere, intellexit; probeque adeo perſpexit, non ſui commodi, ſed populi cauſſa reges conſtitutos, vt eius ſalutem quaerant, promoueantque. In fide itaque confirmatus, plures vxores pellicesque duxit; de qua Dauidis polygamia in ſequentibus ad §. *XXV.* erit dicendi locus. Recenſentur hic quoque *verſ. 14. 15.* nomina liberorum, qui Hieroſolymae ei nati ſunt: a quibus cum quodammodo diuerſa ſint ea nomina, quae in chronicorum libris occurrunt, obſeruandum, non tantum nonnullos duo habuiſſe nomina, ſed ſaepe etiam contingere, vt vnum idemque nomen per leuem quandam inflexionem, aut mutationem, diuerſimode efferatur. Qua quidem ratione cuncta inter ſe facile conciliari poſſe, oſtendit SEB. SCHMIDIVS, ad *h. l. quaeſt. XIII. pag. 224. ſeqq.*

** Cauſſa quae Philiſtaeos adduxerit, vt arma contra Dauidem caperent, haec indicatur, quod audiuerint, Dauidem inunctum fuiſſe regem in Iſraelem. Incrementa nimirum Dauidis, cuius virtus ac fortitudo ſatis illis perſpecta erat, aegro ferebant animo, iisque in tempore obuiam eundum eſſe cenſuerunt. Venerunt itaque ad *quaerendum Dauidem*, hoc eſt, vt pugnarent cum illo, &, quantum in ſe eſſet, illum opprimerent. Eo audito, Dauid אל המצודה ad *locum munitum* ſe contulit, hoc eſt, exercitum, in loco natura munito collocauit & diſpoſuit, ne Philiſtaei ex improuiſo eum adgredi poſſent. Falluntur itaque, qui hoc ita capiunt, ac ſi Dauid ex metu in locum quendam munitum ſe receperit. Nec enim temere locus magis munitus, quam arx Zion, in qua commorabatur Dauid, reperiri poterat. A Deo itaque, quem con-

Digitized by Google

conſuluerat, edoctus, confligendum cum Philiſtaeis eſſe, eos adgreſſus eſt, atque deuicit. Non ſine manifeſto Numinis auxilio hoc factum eſſe, vt credamus, par eſt; etſi non ſtatim miraculum aliquod proprie ſic dictum, quae nonnullorum eſt ſententia, ſtatuendum ſit, quippe cuius ſcriptura non meminit. Locus, in quo proelium commiſſum, nomen inde retulit, dictusque בעל פרצים *baal perazim*, h. e. *dominus diuiſionum vel rupturarum*, ſeu locus, in quo Deus Philiſtaeos diuiſit & disiecit, vt aqua vi ſua & impetu cuncta disiicere & rupturas facere ſolet. Mentio eius & *I. chron. XV. 11.* iniicitur. Philiſtaei etiam idola ſua ibi reliquerunt, quae Dauid non tantum ſuſtulit, ſed &, quod ex *I. chron. XV. 12.* conſtat, igne combuſſit. Philiſtaei, clade iſta licet accepta, nondum animum abiecerunt, ſed haud dubie vicinarum gentium copiis ſuffulti, iterum in eodem, quo antea conſederant, loco, valle ſcilicet Rephaim, caſtra metati ſunt. Dauid, non recta ad eos ire, ſed circumacto ad poſteriorem illorum partem agmine, e regione mororum eos adgredi iubetur, vt eo minus fuga euadere poſſent; ſimul & ſignum illi datum, quando eos adgredi deberet, cum auditurus eſſet ſtrepitum inceſſus per cacumina mororum; inde enim cum intellecturum, dominum ante eum exiuiſſe, vt concideret caſtra Philiſtaeorum. Vox בכאים iam olim ipſis Ebraeis non ſatis nota fuiſſe videtur; cum chaldaeus paraphraſtes generatim habeat: *in capitibus arborum*. LXX quoque interpretes a radice בכה *fleuit*, eam deriuantes, per κλαυθμὸν eam exprimunt. Sic & FLAV. IOSEPHVS, ἐν τοῖς ἄλσεσι τοῖς καλουμένοις κλαυθμῶσι, *in nemoribus, quae fletus dicuntur; antiquitat. iudaic. lib. VII. cap. IV.* Quid AQVILAE & vulgato in mentem venerit, vt *pyros* intelligerent, nemo temere dixerit. Plerique hodie ad ductum Ebraeorum in eo conueniunt, *moros* hac voce ſignificari. Videtur autem locus a multitudine mororum nomen ſortitus, quia dicitur: ממול בכאים *e regione Bechaim*. In cacuminibus iſtarum arborum auditus fuit ſtrepitus, ſeu ingens agitatio, vt inde intelligere Dauid poſſet, iam tempus eſſe hoſtes adgrediendi. Eumque ſtrepitum Iehoua ipſe excitauit, quia diſerte dicitur, *tunc enim Iehouah exibit ante te*. Vt itaque angelum, cum Ebraeorum doctoribus, intelligamus, quod & vir clariſſimus IOANNES CLERICVS facit, nulla nos cogit neceſſitas, niſi de increato, ſeu filio Dei, hoc capias, quorſum forte chaldaeus paraphraſtes reſpicit. Dauid itaque, cum, vt iuſſus erat, ſe geſſiſſet, Philiſtaeos fudit, fugauitque a Gebah ſeu Gibeah, ad Gazerem vsque, vrbem tribus Ephraim, *Ioſ. XXI. 21.* in qua Chananaei remanſerant, *Ioſ. XVI. 10.*

*** Quia de bellis a Dauide geſtis dicere incepimus, reliqua, quae *II. Sam. VIII. & X.* commemorantur, ſtatim ſubnectere viſum fuit. Temporum rationes deinceps expediemus. *Poſtea*, dicitur ibi, *etiam Dauid Philiſtae-*

liſtaeos concidit, & humiles reddidit. Diuerſum hoc eſt bellum a priori, adeoque tertia vice Philiſtaeos deuicit, iſtisque eripuit מתג האמה. Quid ea vox ſibi velit, obſcurum eſt, mirumque in modum hic ſe interpretes torquent. Ex *I. chron. XVIII. 1.* conſtat, quod Gathum vrbem cum filiabus iis eripuerit. Vnde colligas, eam hic מתג האמה adpellitari. Ipſae voces *frenum cubiti* ſignificant: ſintne autem hic vt nomen proprium capiendae, ita vt vrbs Gathum etiam *Metheg-haammah* dicta ſit, an vero vt adpellatiuum, & ſi hoc ſit, cur Gatho id nominis datum, non liquet. Aliorum ſententias, quae ad meras coniecturas redeunt, adducere, ſuperuacaneum fuerit. conf. CHRIST. SCHOTANVS, *bibliothec. hiſtor. ſacr. veter. teſtam. tom. II. pag. 697.* Sequitur bellum Moabiticum, cuius licet cauſſam & originem ſcriptura non exponat, non tamen dubitandum, quin Moabitae ei occaſionem praebuerint, & contra Ebraeos talia deſignauerint, quibus duriorem, qua Dauid eos adfecit, caſtigationem promeriti ſint. Quod enim Ebraeorum doctores de parentibus Dauidis a Moabitarum rege occiſis, tradunt, vt rationem, cur Dauid tanta erga Moabitas ſeueritate vſus ſit, reddant, vt apud R. DAV. KIMCHI, ad *h. l.* legere licet, inter commenta & fabulas referendum. Verba ſcriptoris ſacri haec ſunt: *& dimenſus eſt eos* השכב אותם ארצה *deiiciendo, vel deprimendo eos in terram: menſus eſt autem duobus funibus, quos morte adficeret, & integro fune, quos conſeruaret.* Quae verba vt diuerſimode a chaldaeo, LXX interpretibus, & vulgato, redduntur, ita non vna ratione ab interpretibus explicantur, vt apud NICOLAVM SERARIVM, CASP. SANCTIVM, SEBAST. SCHMIDIVM, aliosque, videre licet. Mihi recte illi ſentire videntur, qui primo verbis השכב אותם ארצה cauſſam, cur Moabitas dimenſus ſit, indicari putant, vt ſcilicet eos deprimeret humilesque redderet, & in eum ſtatum redigeret, ne arma iterum contra Ebraeos capere poſſent. Id enim iſta loquendi ratione: *in terram aliquem proiicere*, haud incommode ſignificatur. Deinde reliquis verbis id indicatur, Dauidem fune ducto Moabitas in tres velut partes diuiſiſſe, & interfectis partibus duabus, conſeruaſſe tertiam. Nimis equidem crudele hoc videri poteſt; vnde & nonnulli varia comminiſcuntur, vt crudelitatis notam a Dauide remoueant. Sed verba nimis aperta ſunt. Neque de exercitu tantum, quae aliorum, ſpeciatim & IOANNIS CLERICI, eſt ſententia, ſed de toto populo hoc intelligendum, res ipſa docet. Sine omni dubio autem Moabitae aliquid contra Ebraeos admodum crudele & inhumanum geſſerunt, etſi, quodnam illud ſit, nos lateat, quo ſecundum iſtius temporis mores promeriti ſunt, vt in vniuerſum omnes perirent. Dauid autem, humanitatis habens rationem, tertiam partem conſeruauit, & in ſeruitutem redegit. Quod vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* putat, Daui-

dem

dem erga Moabitas ita ſe geſſiſſe, quod iſti eadem ratione erga alias gentes ſe gerere ſoliti fuerint, non equidem repudiauerim: nec tamen ad excuſandum Dauidem hoc ſufficit, niſi alia cauſſa acceſſiſſet, quae eum tanta erga Moabitas vti ſeueritate coegiſſet.

Moabiticum bellum excepit Syriacum, cum Hadad-Ezero, Rechobi filio, rege Zobae geſtum. Hadadezer etiam Hadar-ezer vocatur. Litterae enim ד & ר ſubinde inter ſe permutantur. Syriae ceteroquin reges Adados dictos, ex NICOLAO DAMASCENO conſtat, apud FLAVIVM IOSEPHVM, *antiquit. iud. libr. VII. cap. VI.* Zobam Syriae partem fuiſſe, notum eſt, quam IOSEPHVS Σωφήνην vocat. Dicitur porro: *cum hic iret* לְהָשִׁיב יָדוֹ *ad reducendam manum ſuam ad fluuium Euphratem.* Quae nonnulli quidem ad Dauidem referunt, ſenſumque eſſe putant, quod Dauid limites regni ſui ad Euphratem vsque extendere voluerit. Sed cum ipſius Hadad-ezeri proxime ante haec verba facta mentio ſit, vt ad illum quoque referantur, par eſt. Eſt autem admodum probabile, Cananaeos olim regionem quandam non adeo longe ab Euphrate remotam Syris eripuiſſe, eamque deinde ceſſiſſe Israelitis: quam adeo Hadadezerus ſibi iterum vindicare voluit. Vnde ſimul cauſſa belli patet. Nec repugnat, ſed confirmat potius hanc explicationem, quod *I. chron. XIII. 3.* dicitur: לְהַצִּיב יָדוֹ *ad conſtituendam manum ſuam.* Indicatur enim, quod regionem iſtam in poſſeſſionem ſtabilem, firmam, perpetuam ſibi vindicare voluerit. conf. SEBAST. SCHMIDIVS, ad *h. l. quaeſt. IV. pag. 403. ſeqq.* Perperam itaque IOANNES CLERICVS, ad Dauidem iſta verba refert, eaque ita transfert: *cum iuiſſet* (Dauid) *ad repellendam manum eius, ad fluuium Euphratem.* Cepiſſe autem Dauid dicitur *mille ſeptingentos equites*, primarios ſcilicet, ſeu praecipuos, aut, ſi mauis, quos in vſus ſuos ſeruauit, *& viginti millia peditum.* Non repugnat itaque, quod *I. chron. XVIII. 4.* dicitur, cepiſſe Dauidem *ſepties mille equites.* Quanquam alii aliter haec inter ſe concilient, vt videre licet apud MICHAELEM WALTHERVM, *harm. bibl. pag. 234.* Ex curribus, quos mille fuiſſe, ex *I. chron. XVIII. 4.* conſtat, centum vna cum equis eo ſpectantibus Dauid ſibi retinuit, reliquos equos eneruauit, adeoque ad vſum militarem ineptos reddidit. Currus enim multos equosue, in belli vſum inſtructos, habere, Ebraeorum regibus nefas erat, vt ex *Deut. XVIII. 16.* conſtat. Cum Syri Damaſceni, qui ad auxilium Hadad-ezero ferendum veniſſent, itidem victi eſſent, imperio Dauidis ſe ſubmittere coacti ſunt, qui & praeſides illis praefecit. Ingentem quoque praedam ex hocce bello Dauid conuectauit, clypeosque aureos, qui ſeruis Hadadezeri fuerunt, Hieroſolymam attulit, cum primis ex Betacho & Berothai vrbibus, quae in chronicorum libro *Tiphchath & Choun* vocantur, forte, quod aliter ab Ebraeis, aliter a Syris adpellitarentur, magnam vim aeris coegit. Hae

auctae

auctae diuitiae ſunt ex muneribus Thoi, regis Chamatae, quae vrbs deinceps Epiphania dicta, quae per filium Ioramum ad Dauidem miſit, cum ob victoriam ab Hadad-ezero reportatam, fauſta quaeuis atque fortunata illi precaretur. Cum Hadad-ezero enim bella geſſerat, cumque haud dubie viribus illi impar eſſet, peropportune accidebat, vt Dauid quoque arma contra eundem caperet. Quidquid autem aeris, argenti & auri ab hoſtibus Dauid cepit, id Deo conſecrauit. Quod dum ſcriptor ſacer *verſ. 11. & 12.* commemorat, non id ſibi vult, ac ſi cum ſingulis gentibus eo ordine bella geſta ſint, ſed iunctim quas Dauid, ſiue ſigillatim ſpectatas, ſiue aliis ſociatas, deuicit, complectitur. Speciatim vero, Dauidem magnam ſibi ex bello Syro-Edomitico peperiſſe gloriam, addit. Vbi ſimul haud exigua occurrit difficultas, quod *II. Sam. VIII. 13.* ipſe Dauid, cum a Syrorum profligatione rediret, octodecim millia hominum percuſſiſſe dicitur, quod *I. chron. XVIII. 12.* Abiſchai, & *pſalmo LX. 2.* Ioabo tribuitur; porro, in loco priori Syros ſeu Aramaeos, in poſteriori & pſalmo citato, Edomitas percuſſiſſe perhibetur: denique, in pſalmo citato duodecim millia commemorantur, cum in reliquis locis octodecim millium fiat mentio. At non deſunt, quae ad haec reſponderi poſſunt, vt omnis pugna, quae ſubeſſe videtur, euaneſcat. Ad primum enim, quod attinet, fieri potuit, vt Abiſchai, cum copiis ſelectis exercitum reliquum praecedere iuſſus, ptimum in hoſtes impetum faceret, mox vero accederet Ioabus, & victoriam abſolueret. Vnde & Abiſchai & Ioabo victoria tribui poterat. Sed recte quoque ipſi Dauidi tribuitur, quia eius auſpiciis cuncta gerebantur. vid. MICHAEL WALTHERVS, *harm. bibl. pag. 278.* Maioris momenti alterum videtur. Sunt namque, qui, non aliter hoc expediri poſſe, putant, quam vt codicem ſacrum corruptum ſtatuamus. Pro ארם enim *II. Sam. VIII. 13.* legendum putant ארום. Ita praeter alios quoque IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* Verum tam violento remedio opus non eſt, ſi, quod & aliis iam obſeruatum, ſtatuamus, coniunctas fuiſſe Idumaeorum & Syrorum copias; adeoque & de Syris aeque ac Idumaeis recte dici, quod clade iſta adfecti ſint. Cumque forte ex octodecim iſtis millibus caeſorum 12000 fuerint Idumaei, reliqui Syri, Idumaeorum autem tantum in pſalmo citato habeatur ratio, quo pacto ad vltimum dubium reſpondendum ſit, facile patet. Vnde, vt & hic textus corruptionem ſtatuamus, quod itidem praeter alios IOANNES CLERICVS facit, neceſſe non eſt. Locus, in quo Idumaei & Syri hanc cladem acceperunt, fuit גי מלח *vallis ſalis*, quas voces Graeci vt nomen proprium efferentes, dixere: γημελά, vnde γεβελὲμ apud LXX interpretes ortum. Omnes hinc Idumaeos imperio ſuo ſubiecit Dauid, & praefectos, qui iisdem praeeſſent, conſtituit. Euentu tum comprobatum fuit, quod Deus

prae-

praedixerat, fore, vt frater natu maior, ſeu Eſauus, minori ſeu Iacobo, ſeruiret, *Gen. XXV. verſ. 23.* conf. quae ſupra dicta ſunt ad *period. I. ſect. III.* §. *VIII. it.* ad §. *X.*

Supereſt bellum Ammoniticum, quod *II. Sam. X.* deſcribitur. Nimirum, cum Nachaſus, Ammonitarum rex, mortuus eſſet, Dauid, vt animum ob beneficia a Nachaſo accepta gratum demonſtraret, legatos ad Chanunem eius filium & ſucceſſorem miſit, qui dolorem eius ob Nachaſi mortem teſtarentur, filiumque ſolarentur. Num Nachaſus hic idem ille fuerit, qui a Saule victus eſt, cum Iabeſitarum vrbem obſidione cinxiſſet, viri docti inter ſe non conueniunt, nonnullis adfirmantibus, abnuentibus aliis. Ego non video, quid magnopere obſtet, quo minus illis accedamus, quia & temporum & nominis ratio conſentit: & facile fieri potuit, vt, cum Sauli inimicus eſſet, Dauidem ob Saulis iram in exilio degentem variis beneficiis adficeret. Haec enim beneficia illa eſſe, ob quae Dauid gratum erga filium eius demonſtrare animum voluerit, nonnullis admodum probabile videtur, quibus exemplum praeiuit HIERONYMVS, *quaeſtionibus ebr. ad h. l.* Quanquam alii Ebraeos ſequi malint, Ammonitarum regem, tradentes, fratrem Dauidis, vel, vt alii volunt, alios cognatos, qui Moabitici regis crudelitatem euaſerant, beneuole & humaniter excepiſſe, & tutum apud ſe iis conceſſiſſe perfugium. Scriptura, quaenam beneficia illa fuerint, non indicat, vnde coniecturis tantum locus relinquitur. Tantum vero abeſt, vt Chanun Nachaſi filius pari humanitate legatos Dauidis exceperit, vt potius a gentis ſuae principibus in eam inductus ſuſpicionem, eos animo arcana ſua explorandi veniſſe, grauiſſima ignominia adfecerit. Dimidiam nimirum eorum barbam radi curauit, & veſtes dimidias ad clunes vsque reſecari, & ita eos dimiſit. Barbam alere, moris olim apud Iudaeos erat, eiusque curam curate gerebant, quemadmodum & veſtibus talaribus ſeu tunicis longis, vt reliqui orientis populi, vtebantur. Veſtibus itaque ad clunes reſecatis, & dimidia barbae parte raſa, incedere, non poterat non maximopere ignominioſum cenſeri. Ideo & Dauid, cum legati Hierichuntem veniſſent, eaque de re certior factus eſſet, eos vlterius progredi noluit, donec barba iterum creuiſſet, ſuam ob iſtud regis Ammonitici facinus indignationem grauiſſimam, ſed & iuſtiſſimam ſignificans. Nec leuis profecto illa erat iniuria, qua legatos ipſumque adeo Dauidem adfecerat, idque eo magis, ſi cogitemus, legatos & iure naturae & gentium moribus ſanctos eſſe & inuiolabiles. Agnoueruntque mox ipſi Ammonitae, eiusmodi hoc eſſe, quod rex illorum commiſiſſet, vt Dauid ſine ſeueriſſima caſtigatione hoc non eſſet praetermiſſurus. Vt ergo, quae metuebant, occuparent, Aramaeos, tum Bethrechobenſes, tum Zobaeos, Maachae quoque regem atque Tobenſes mercede conduxerunt, vt ſibi auxi-

auxilia ferrent, arma Dauidi illaturi, aut ſibi illata ſtrenue propulſaturi. Syri iſti, qui hic commemorantur, non videntur, ex illorum fuiſſe numero, quos Dauid ſibi tributarios fecerat. Etſi enim antea dictum ſit, Zobenſes Syros, ſeu Zobaeos, a Dauide victos, de Damaſcenis tamen ſaltem adſeritur, quod Dauid eos imperio ſuo ſubmiſerit, iisque praefectos dederit. Dauid, cum, quae Ammonitae & Syri agerent, cognouiſſet, non cunctandum ratus, Ioabum ואת כל הצבא הגבורים & *omnem exercitum fortium ſeu heroum*, hoc eſt, ſelectos milites, qui ſemper ad quosuis caſus parati erant, quiue reliquis fortitudine & peritia bellica praeſtabant, miſit, vt hoſtes adgrederetur. Ioabus cum duplicem hoſtium exercitum Ammonitarum & Syrorum, eumque numeroſiſſimum videret, ipſe quoque copias diuiſit, partemque earum fratri Abiſai tradidit, quibus in Ammonitas impetum faceret, contra Aramaeos ipſe pugnaturus. Aramaeis autem a Ioabo mox in fugam datis, Ammonitae quoque ceſſerunt Abiſai, & fuga ſibi conſuluerunt.

Quibus rebus geſtis dum Ioabus Hieroſolymam reuertitur, Hadadezer Syrorum rex bellum reſtauraturus ingentem congregauit exercitum, eique Sobachum praefecit, cui vt occurreret Dauid, totum populum Iſraeliticum congregauit, traiectoque Iordane Chelamum ſe contulit: vbi cum res ad proelium veniſſet, victi fugatique ſunt Aramaei, & quadraginta millia equitum occiſi, quibus *I. Chron. XIX. 18.* quadraginta millia peditum adduntur. Septingenti quoque currus in poteſtatem Dauidis in ipſo ſcilicet proelio venerunt, quibus cum deinceps alii accederent, numerus eorum ad ſeptem millia excreuit. Quae ſi obſeruentur, inter auctorem libri Samuelis & libri chronicorum, nullam eſſe pugnam, facile deprehendemus. Ea clade accepta, Syriae reguli, qui Hadadezero ſeruierant, pace inita, Dauidi tributarii facti ſunt, nec quisquam eorum Ammonitis auxilia amplius ferre auſus eſt. Nec enim bellum Ammoniticum prorſus finitum erat. Anno enim ſequenti, eo tempore, quo expeditiones ſuſcipere earum regionum reges ſolebant, Ioabus cum exercitu Ammonitarum regionem ingreſſus, non tantum omnia longe lateque deuaſtauit, ſed & Rabbam vrbem, ſedem regis atque gentis caput, obſidione cinxit. *II. Sam. XI. verſ. 1. 2.* Cumque *vrbem aquarum*, hoc eſt, partem vrbis, quae maxime munita erat, aut munimentum & propugnaculum, eo loco, vnde aquae in vrbem deriuabantur, ſitum, expugnaſſet, iamque vrbs ipſa facili negotio capi poſſet, ne gloriam tantae vrbis captae ſibi vindicare voluiſſe videretur, Dauidem hac de re certiorem reddidit, qui cum vniuerſo populo acceſſit, vrbemque illam cepit. Memoratu dignum eſt, quod Dauid rex coronam regiam capiti regis Ammonitarum detractam capiti ſuo impoſuerit, vt hocce ritu ſignificaret, regia dignitate Cha-

nunem

Digitized by Google

nunem exutum eſſe, omnemque poteſtatem in hanc gentem ad ſe tranſiiſſe. Coronae iſtius, quae gemmis ornata erat, pondus fuiſſe dicitur talenti auri, adeoque, ſi nonnullos audias, vncias ſesqui mille, ſeu libras circiter XLVII habuit. Cui oneri cum ferendo vix homo par ſit, varia viri docti, vt hinc ſe expedirent, commenti ſunt. Ebraeorum ſententiae apud R. DAVID. KIMCHIVM, ad *h. l.* legi poſſunt. Nonnulli non tam pondus, quam pretium coronae a ſcriptore ſacro referri putant: ſique ſtatuatur, eam lapidibus pretioſiſſimis fuiſſe ornatam, modicum auri pondus, quo conſtiterit, fuiſſe, inde concludunt. conf. SAM. BOCHARTVS, *bierozoic. part. I. pag. 380.* Cui ſententiae ſignificatio vocis משקלה obſtare videtur. Alii exiſtimant, coronam non capiti regis impoſitam, ſed ſuperne ſuſpenſam, vbi in throno ſub corona iſta ſederit: aut etiam eadem ratione a viris quibusdam ſuſtentatam. Quod licet fieri ad pompam & magnificentiam potuerit, dubito tamen, an exemplo aliquo eiusmodi quid olim factum, probari queat. Accedit, quod diſerte Dauid coronam hanc capiti ſuo impoſuiſſe dicatur. Probabilior itaque illorum ſententia, qui talentum non ebraeum, ſed ſyriacum intelligunt, quod ebraei quadrantem modo habuerit, adeo, vt coronae pondus duodecim ſaltem libras effecerit. De talento ſyriaco agit MATTHAEVS HOSTVS, de *re nummar. vet. libr. III. pag. 546.* add. AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. LXXVII. pag. 396.* Praedam praeterea ingentem Dauid ex vrbe iſta abſtulit; vtque ob legatos violatos Ammonitas poena adficeret, *populum eductum ſubiecit ſerrae, tribulis ac ſecuribus ferreis, & traiecit per fornacem laterariam: ſic ſe geſſit erga omnes Ammonitarum vrbes.* Quae verba ita vulgo capiuntur, ac ſi Dauid Ammonitas ſerris diſſecuerit, tribulis ſiue trahis, quae ab equis trahebantur, proterendos curauerit, ſecuribus interfecerit, & in fornacem laterariam, vt ibi comburerentur, miſerit. Quo ipſo inauditae crudelitatis notam rex Dauid incurrere videtur, quam & nonnulli eidem exprobrant, quod praeter alios & PETRVS BAELIVS facit, qui, vt omnia, quae Dauidi labem adſpergere poſſunt, diligenter conquirit, ita nec hocce, quo Ammonitas adfeciſſe creditur, ſupplicium praetermittit, in *dictionar. hiſtor. crit. voc. Dauid; pag. 928.* Sunt &, qui, reuera Dauidem grauisſime hac in re peccaſſe, cenſent: vt alii contra hocce eius facinus aut excuſare, aut emollire adnituntur, qui tamen & ipſi inter ſe non conſentiunt, ſed diuerſas vias ingrediuntur. Legenda, quae ex PETRO MARTYRE, aliisque, hac de re collegit GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Dauidis, cap. IX. pag. 200. ſeqq.* Accedit praeterea, quod vltimum ſupplicium, vbi eos per fornacem laterariam traieciſſe dicitur, in ebraeo ſecundum *το* כתיב ita exprimatur: והעביר אותם במלכן, vbi cum Maſorethae neſcirent, quid ſibi vellet, במלכן, legendum cen-

cenſuerunt במלבן, quod LXX transferunt, διὰ τοῦ πλινθίου, vulgatus: *in typo laterum:* vulgo autem de fornace lateraria accipiunt. Verum omnes, quae hic occurrunt, difficultates feliciter ſuperaſſe videtur vir doctiſſimus celeberrimusque IO. ANDREAS DANZIVS, qui & aliorum hac de re ſententias diligenter recenſet, & ſub examen reuocat, in peculiari commentatione, cui titulus: *Dauidis in Ammonitas deuictos mitigata crudelitas*, quae anno MDCCX prodiit. Verba etenim ebraea ita vertit: *& populum, qui in ea erat, exire coegit, & poſuit ad ſerram, & in ferri fodinas, atque ad ſcalpra ferrea, poſtquam transire feciſſet eos vna cum rege ſuo. Atque ita fecit omnibus ciuitatibus filiorum Ammon.* Senſum autem eſſe, putat, quod Dauid Ammonitas ad ligna & lapides ſecandos, itemque ad labores varios in metalli fodinis exantlandos adhibuerit, poſtquam vna cum rege illorum ex patria ad eiusmodi opera ſeruilia eos transire feciſſet. Atque haec omnia non tantum rationibus ſolidis confirmat, ſed & ad rationes, quae ei opponi poterant, ita reſpondet, vt vix quidquam, quod ſcrupulum mouere queat, ſuperſit. Et hactenus bella Dauidis enumerauimus, de quibus generatim adhuc obſeruandum, etſi de illorum iuſtitia nonnulli, ſpeciatim PETRVS BAELIVS, *loc. cit.* multa dubia moueant; his tamen facile occurri poſſe, ſi obſeruemus, quaedam a Dauide ſuſcepta, quod a gentibus vicinis laceſſitus eſſet, in aliis haud dubie mandatum diuinum acceſſiſſe; quandoque & moribus ea aetate receptis, quos tolerare, vt gentilium improbitas hac ratione caſtigaretur, Deo viſum, aliquid datum.

* Conſtat hoc ex *II Sam. VIII. 15. ſeqq.* Laudatur ibi Dauid primo ob iuſtitiam, cuius in regni adminiſtratione fuerit ſtudioſiſſimus. Deinde miniſtri eius praecipui commemorantur, quos inter primum locum tenet Ioabus, qui exercitui praefectus erat. Sequitur Iehoſaphatus Achiludi filius, מזכיר, *a commentariis*, vt vulgatus interpres habet, hoc eſt, qui res geſtas litteris conſignare, & in commentarios referre debebat; a quo סופר *ſcriba*, quo munere Seraiah functus eſt, diſtinguitur. Non eſt dubitandum, fuiſſe eo tempore homines, qui iuſſu regum res geſtas, quarum memoriam perire nolebant, litterarum monumentis conſignarent; nec tamen de ſcribis eiusmodi publicis, qui ſimul prophetae fuerint, quos ſibi RICHARDVS SIMON finxit, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. II.* cogitandum. Quo pacto intelligendum ſit, quod Zadokus Achitubi filius, & Achimelechus Abiatharis filius, ſimul ſacerdotes fuiſſe dicantur, magnopere viri docti inter ſe diſceptant. Sed hac de re deinceps ad §. *XXII.* dicemus. Seraiah, qui ſcribae munere functus eſt, *I. chron. XVIII. 16.* שושא *Schuſcha* vocatur, forte, quia duplici nomine gauiſus eſt. Hinc Benaiah memoratur Iehoiadae filius, cum Kerethaeis & Pelethaeis. Vbi primo quidem obſeruandum,

uandum, cum dicitur: *Benaiah autem filius Iehoiada, & Kerethaei ac Pelethaei*, ſubintelligendum: *erant inter miniſtros Dauidis*, aut ſimile quid, vt ſimul indicetur, Benaiam ducem fuiſſe Kerethaeorum & Pelethaeorum. De ipſis Kerethaeis & Pelethaeis variae exſtant virorum doctorum ſententiae, quas in compendio recenſet AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. LXXXV. pag. 392.* qui ipſe exiſtimat, Krethi & Plethi eſſe nomina gentilitia eorum, quos ex Philiſtaeis aut aliis gentibus vicinis, vt robore & fortitudine praeſtantes, ad corporis cuſtodiam conſcripſerat. Verum parum id probabile videtur, nec cum prudentia ac pietate Dauidis ſatis conuenit, quod hominibus peregrinis, ſpeciatim Philiſtaeis, quibus non poterat non maxime inuiſus eſſe, vitam atque ſalutem concredere voluerit. Quod ſi etiam vel maxime dicas, eos fuiſſe proselytos, non tamen tuto fidere hominibus poterat, qui non vno argumento ad fidem violandam induci poterant: ne dicam, quod cum ignominia quadam Iſraelitarum hoc fuiſſet coniunctum, ſi in peregrinis hominibus plus fiduciae, quam in illis collocare voluiſſet. Praeferenda itaque illorum ſententia, qui haecce nomina familiarum apud Ebraeos, forte ſpeciatim ex tribu Iudae fuiſſe putant, quibus corporis cuſtodiam Dauid commiſit, ſiue quod fortitudine praeſtarent aliis, ſiue quod fidem illorum ſingulari quadam ratione Dauid cognitam atque perſpectam haberet. conf. R. ISAAC ABARBANEL, ad *h. l.* add. IOAN. BVXTORFFIVS, *anticrit. p. 418.* Denique de filiis Dauidis dicitur, quod fuerint כהנים hoc eſt, *principes*, ampliſſimis muneribus aut certis prouinciis praefecti, & rebus maximi momenti gerendis admoti. Id enim vocem כהן ſignificare, pridem viris eruditis obſeruatum eſt. Reliqua munera & eorum praefecti, vna cum ordine aulae Dauidicae, recenſentur *I. chron. XVII.* Referri huc etiam poſſent heroes Dauidis, qui *I. chron. XI.* item *II. Samuel. XXIII.* commemorantur: de quibus multa moneri poſſent: ſed hiſce diutius immorari non licet. conf. CHRIST. SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 679.*

** Secundum auctorem libri poſterioris Samuelis, ſequenti ordine cuncta contigerunt. Regni ſede Hieroſolymis conſtituta, Hiramus, Tyriorum rex, legatos ad Dauidem mittit: hinc Philiſtaei duplici clade in valle Rephaim adfecti ſunt: tum arca foederis primum in domum Obed-Edomi, & tandem in vrbem Dauidis deducta eſt: Dauid de aede Deo exſtruenda cogitat, quod Salomoni filio reſeruatur: ab eo tempore vsque ad natum Salomonem variae expeditiones bellicae contra Philiſtaeos, Moabitas, Syros, Idumaeos & Ammonitas, ſusceptae, de quibus hactenus diximus. conf. IACOBVS VSSERIVS, in *annalibus vet. & noui teſtam. pag. 29. 30.* In priori chronicorum libro, *cap. XII. ſeqq.* haec alio, in quibusdam, ordine

Digitized by Google

referuntur. Praeterquam vero, quod liberum vnicuique ſit, ordinem, quem velit, ſequi, auctori libri chronicorum cumprimis conſtitutum, res eccleſiaſticas Dauidis perſequi, vnde mirum non eſt, quod, poſtquam deſcripſerat, quo pacto Hieroſolymis regni ſedem Dauid conſtituit, ſtatim arcae federis ſolennem in vrbem Dauidis deductionem ſubiunxerit, & tum demum reliqua attigerit. In eo plerique conſentiunt, ab auctore libri Samuelis ordinem temporis obſeruari. Iam quod ad ipſam arcae translationem attinet, *II. Samuel. VI. 1.* dicitur, Dauidem *ſelectiſſimos quosque ex Iſraele viros ad triginta millia*, vt arcam deducerent, coegiſſe: at *I. chron. XIII. 5.* dicitur, congregaſſe *vniuerſum Iſraelem, a Schichore, fluuio Aegypti, vsque dum venitur in Chamath.* Vbi in priori quidem loco LXX interpretes habent ἑβδομήκοντα χιλιάδας, *ſeptuaginta millia*, quos HVGO GROTIVS ita corrigit, vt legendum cenſeat, trecenta millia, cum hac ratione hoc cum eo, quod *I. chron. XIII.* dicitur, vniuerſum Iſraelem congregatum, conciliari queat. ABRAHAMVS autem CALOVIVS, vt haec loca in concordiam redigat, triginta millia electorum totum Iſraelem vocari, putat, quia totum Iſraelem, ex quo electi erant, repraeſentauerint. Praeferenda reliquis mihi videtur ſententia SEBAST. SCHMIDII, contendentis, totum quidem Iſraelem Hieroſolymas congregatum, ſed tum rurſus electa triginta millia virorum, quibuscum Dauid Gibeam, ad arcam federis inde deducendam, profectus eſt, in *comment.* ad *b. l. quaeſt. II. pag. 156. ſeqq.* Sed occurrit aliud, idque non leuioris momenti, dubium. In libro enim Samuelis, *loc. cit.* dicitur, ſurrexiſſe Dauidem & omnem populum, qui cum eo erat, מבעלי יהודה׃ *ex Baale Iehuda;* at in chronicorum libro dicitur adſcendiſſe ipſe & vniuerſus Iſrael *verſus Baalah ad Kiriath-iearim.* Accedit, quod arca nec in Baalah, nec Kiriath-iearimis, ſed Gibeae in domo Abinadabi fuerit. Et nihiloſecius dicitur, ſurrexiſſe Dauidem & populum, qui cum illo erat, *ex Baale Iehuda, vt* משם *illinc adduceret arcam Dei.* Vbi id quidem primo monendum, cum dicitur מבעלי יהודה vocem *Baal*, ſeu *Baalah*, hic eſſe nomen proprium vrbis: quod res ipſa docet. Vocatur locus ille *I. chron. XIII. 6.* Baalatha. Falluntur itaque LXX interpretes, dum habent: ἀπὸ τῶν ἀρχόντων Ἰούδα, & vulgatus: *de viris Iudah.* Iam quod ad ipſum dubium attinet, non aliter id ſolui poſſe, LVD. CAPPELLVS exiſtimauit, quam vt ſtatuatur, in loco Samuelis verba quaedam omiſſa eſſe, quae ex *I. chron. XIII. 6.* hunc in modum ſupplenda ſint: מבעלה אל קרית יערים אשר ליהודה *e Baalah ad Kiriath-iearimos, quae eſt vrbs Iehudae.* CAPPELLI ſententiam calculo ſuo adprobat IOANNES CLERICVS, qui & addit: *Contradicendi libidine laborabat Ioannes Buxtorffius, cum hic a librariis quidquam omiſſum eſſe negabat.* Verum, & hic aliam, vt hinc nos expediamus, ſupereſſe viam, intelliget,

telliget, qui cuncta paullo adcuratius conſideraverit. Et ad locum quidem, vbi arca fuit, quod attinet, Gibeam ad Kiriathiearimum pertinuiſſe, iam aliis obſeruatum. Dum ergo Gibeae fuit, etiam Kiriathiearimi fuiſſe recte dicitur. Quo pacto alii hoc dubium ſoluere laborent, videre licet apud MICHAELEM WALTHERVM, *harmon. bibl. pag. 229.* Baalah autem locus fuiſſe videtur, in campo late patente ſitus, non procul a Gibea ſeu Kiriathiearimo. Et in eo quidem loco triginta iſta millia virorum, cum commode ibi collocari poſſent, ſubſtiterunt. Cum ergo arca primum a paucis quibusdam Baalam deducta eſſet, משם *illinc* Dauid cum vniuerſo exercitu vlterius ad arcem Sionis eam deducere adgreſſus eſt: conf. SEBAST. SCHMIDIVS, *loc. cit. quaeſt. III. pag. 259.* De arca ipſa porro dicitur: אשר נקרא שם שם יהוה *ſuper qua inuocatur nomen, nomen Iehouah Zebaoth, inſidentis Cherubimis ſuper ea.* Ebraeorum, vt R. SALOMONIS IARCHI, aliorumque, item Socinianorum, quibus & HVGO GROTIVS, ad *b. l.* adſtipulatur, ſententiam, ac ſi ipſi arcae nomen יהוה hic tribuatur, iam ſatis profligarunt alii. Nec obſtat pronomen אשר; hoc enim ad nomen Dei, quod proxime praecedit, referri poteſt, hoc modo: *cuius* (Dei) *inuocatur &c.* aut etiam particula *ad* vel *ſuper*, aut ſimilis ſubintelligi poteſt, quemadmodum & LXX habent: ἐφ' ἣν, & vulgatus: *ſuper quam.* Verbum נקרא de *inuocatione* ſeu *adoratione* capi poſſe, notum eſt. Ad reliqua quod attinet, cum vox שם repetatur, nonnulli quidem primo loco שם legendum putant, vt IOANNES CLERICVS, ad *b. l.* cui exemplum praeiuerat HVGO GROTIVS, quem tamen ex inſtituto refutauit ABR. CALOVIVS, ad *b. l.* Et ſane nihil obſtat, quo minus receptam lectionem retineamus, cum ſenſus planiſſime hunc in modum fluat: *ſuper quam inuocatur nomen, nomen inquam Iehouah Zebaoth, &c.*

Arcam itaque ex aedibus Abinadabi translaturi, impoſuerunt plauſtro nouo. Idque ad exemplum Philiſtaeorum, cum arcam illam Israelitis remiſſuri eſſent, *I. Sam. VI. 7.* Sed perperam. Portari enim a Leuitis debuiſſet. Grauiter hac in re a Dauide atque Israelitis erratum, non eſt, quod dubitemus, idque haud obſcure ipſe rex Dauid agnouit, cum deinceps a Leuitis arcam portari voluit, *I. chron. XV. 12. 13.* Et hicce quidem error Vzae peccato deinceps occaſionem praebuit; quemadmodum fieri ſolet, vt vnum peccatum alterius aut cauſſa aut occaſio exſiſtat. Magna omnium laetitia arca deducebatur. Dauid enim & omnes Israelitae canebant coram Iehouah *omnis generis abiegnis inſtrumentis, citharis, nabliis, tympanis, cymbalis & ſiſtris.* Multa de hisce inſtrumentis muſicis dici poterant; ſed ea huius loci non ſunt. Legendus de iis, quem alibi iam laudauimus, SAL. VAN TILL, in libro de *poeſi & muſica veterum, ſpeciatim Ebraeorum, part. I. c.*

I. c. III. ſeqq. Et ea quidem ratione cum ad aream Nachonis vsque veniſſent, & boues declinarent, Vza arcam, ne in terram proiiceretur, manu extenſa adprehendit, eam ſuſtentaturus. Qua in re cum grauiter peccaſſet, non expendens, nefas eſſe, arcam attingere, a Deo percuſſus, mortuus eſt. Quod ad locum attinet, vbi hoc contigit, vocem נכון nonnulli pro nomine adpellatiuo habent, vt generatim certa quaedam area indicetur, quemadmodum & AQVILA vertit *ἅλωνα ἑτοίμην*; conſentit & verſio germanica B. LVTHERI; at plerique eam vt nomen proprium capiunt, quemadmodum & LXX interpretes, qui tamen perperam *ναχὼρ* habent. In chronicorum libro כידון vocatur. Vnde ſequitur, ſi nomen נכון in libro Samuelis pro adpellatiuo ſumendum, nomen viri hic exprimi, quod ibi reticetur: ſin ibi vox נכון vt nomen proprium capiatur, dicendum, duo eidem viro cum loco fuiſſe nomina. SAMVEL BOCHARTVS tamen, vtrumque pro nomine loci habet, per anticipationem a percuſſione Vzae ita dicti, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. XXXVII.* De declinatione boum dicitur: שמטו הבקר vbi vocem שמטו diuerſimode reddunt chaldaeus, LXX, vulgatus, alii: ſed, cum שמט alias ſignificet *remittere*, *laxare*, omnium rectiſſime, ni fallor, de declinatione accipitur, quia haud dubie factum, vt, poſtquam a recta via declinarunt, ſimul ſubſiſterent, forte ad lapidem, aut truncum currum impellentes, vnde Vza metu perculſus eſt, ne arca in terram effunderetur. Non ſine Numinis ſingulari directione id contigiſſe, vt exiſtimemus, par eſt. Per Vzae namque mortem conuincendi erant erroris Iſraelitae, quod currui, non autem Leuitarum humeris arcam impoſuiſſent. Ad peccatum Vzae quod attinet, ſcriptor ſacer generatim ſaltem illud exprimit, cum a Deo percuſſum dicens: על השל *propter errorem.* Hinc nonnulli, vt illud determinarent, in eo illum peccaſſe, cenſent, quod, cum neque ſacerdos, neque Leuita eſſet, nihiloſecius arcam attingere auſus eſſet; acceſſiſſe *ὀλιγοπιςίαν*, cum exiſtimaret, efficere Deum non poſſe, ne in terram caderet, niſi ipſe eam manu ſua ſuſtineret. Legenda, quae ex R. ISAAC ABARBANEL hac de re diſſerit ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *h. l.* Verum, Vzam Leuitam non fuiſſe, perperam ſupponitur. Nec enim credibile, aliis, quam Leuitis arcae cuſtodiam a Dauide & Iſraelitis commiſſam, licet hi aut ex ſuperſtitione, aut ignorantia, aut alia de cauſſa arcam curru vehere, quam baiulare, voluerint. Interim nec Leuitis, immo nec Kahatitis, quorum ceteroquin officium erat, portare arcam, ſemper & pro lubitu attingere eam licebat. Quod cum inconſiderate, & ſine debita Numinis reuerentia faceret Vza, ſuae temeritatis poenam haud iniuſtam merito dedit. A Deo namque percuſſus obiit. Idque nobis ſufficere debet. Superuacanea enim eſt quaeſtio, quo mortis genere perierit. Violentum & ſubitaneum mortis genus indicare & Dauid voluit, dum

dum locum, in quo illud contigit, *Perez-Vza*, hoc eſt, *ruptura* ſeu *ſciſſio Vzae* vocauit. Haud immerito autem magna triſtitia rex Dauid ob Vzae mortem adficiebatur, ſiquidem agnoſcebat, ſe vna cum populo Iſraelitico caſui huic occaſionem errore ſuo praebuiſſe, dum arcam foederis curru vehi, non autem portari a Leuitis voluerunt.

Et haec haud dubie etiam fuit ratio, cur in domum Obed-Edom, quae proxima erat loco, in quo illud contigerat, diuertere voluit. Putauit enim, non ſine periculo translationem arcae ad vrbem Dauidis ea ratione continuari: adeoque nihil aliud ſupererat, quam vt in locum proximum deduceretur, vt interea, an placatus Deus eſſet, experimentum caperet, & ita tandem eo, quo hoc fieri par erat, modo in vrbem Dauidis eam deduceret. Obed-Edom ille, quicquid alii dicant, haud dubie Leuita fuit, quippe quod ex *I. chron. XV. 18. 24. XVI. 5.* conſtat. Nec obſtat, quod Gittaeus dicatur. Inde enim non ſequitur, quod ex Gath, vrbe Philiſtaeorum oriundus fuerit, cum & alias ob rationes ita dici potuerit, forte, quia ex Gath Rimmone fuit, quae eſt vrbs Leuitica in dimidia tribu Manaſſeh, ad occaſum Iordanis, *Ioſ. XXI. 24. 25.* Nec enim vlla ratione credibile, Dauidem homini peregrino arcae cuſtodiam concredere voluiſſe. Quo in loco domus Obed-Edomi fuerit, non conſtat: non procul ab vrbe Hieroſolyma eam fuiſſe inde colligitur, quod ex ea ſtatim in vrbem Dauidis arca foederis deduci potuerit. Cum ergo arca apud Obed-Edomum eſſet, Deus ſingulari ratione viro huic benedixit, hoc eſt, non tantum aduerſa quaeuis ab eo auertit, ſed proſperos laboribus eius ſucceſſus largitus eſt, vt opes eius incrementa manifeſta caperent, hominesque adeo intelligerent, quemnam ex praeſentia Dei capere fructum queant, ſi modo recte ſe erga eum gerant. Iudaeorum de incredibili & portentoſa vxorum & pecorum Obed-Edomi foecunditate, fabulas, auctoribus ſuis relinquimus. Id cum Dauid, tribus iam elapſis menſibus, cognouiſſet, nihil amplius ſibi, ſi ea, qua par erat, ratione arcam in vrbem ſuam deduceret, metuendum eſſe, inde colligens, ſingulari pompa & magna hilaritate, quod cupiebat, perfecit. Errorem antea commiſſum iam correxit, dum a Leuitis ſecundum praeſcriptum Moſis arcam portari voluit. Quo vero ordine Leuitae & ſacerdotes, qui aut praecedebant, aut ſequebantur, aut comitabantur arcam, fuerint diſpoſiti, ex *I. chron. XV. 15. ſeqq.* conſtat. add. CHRIST. SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 686.* Praetermittiendum non eſt, quod *II. Sam. VI 23.* dicitur: *& factum eſt, cum progreſſi ſunt portantes arcam Iehouae ſex paſſus, immolauit bouem & ſaginatum.* Vocem מריא alii per *bubalum* vertunt; idque probare adnititur SAM. BOCHARTVS, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. XXXVII.* Sed plerique de *ſaginato* accipiunt. conf. IOAN. COCCEIVS, *lex. hac voce, pag. 447.* Quod

in

in libro Samuelis per ſynecdochen numeri ſingularis pro plurali generatim & indefinite dicitur, id in chronicorum libro determinate exprimitur, *ſacrificaſſe eos ſeptem iuuencos & ſeptem arietes.* Vnde & omnis, quae prima fronte ſubeſſe videtur, pugna, ceſſat. Solent vero plurimi; quos inter & NICOLAVS SERARIVS eſt, ad *h. l.* verba antea adlata ita capere, ac ſi ſingulis ſenis paſſibus ſacrificia obtulerint. Quod vt ab omni veri ſpecie abhorret, ita in textu ebraeo non dicitur. Ex eo enim nihil aliud conſtat, quam quod initio, cum ſex paſſus progreſſi eſſent, atque viderent, negotium ex voto ſuccedere, ſacrificia obtulerint, quod deinceps iterum factum, cum arca in locum ſuum deducta eſſet. LXX interpretes, vt deductionem hanc adhuc ſolemniorem facerent, ſeptem addiderunt choros, aut, ni fallor, ex ſeptem paſſibus, ſeptem fecere choros: καὶ ἦσαν μετ' αὐτοῦ αἴροντες τὴν κιβωτὸν ἑπτὰ χοροὶ καὶ θῦμα μόσχος καὶ ἄρνες· Eos ſequitur vulgatus interpres; *& erant cum Dauid ſeptem chori, & victima vituli.* Sed & FLAVIVS IOSEPHVS, vt ſubinde ſolet, ita hic quoque interpretes ſeptuaginta ſecutus eſt. Perperam vero id fieri, cum ſeptem chororum nulla in textu ebraeo fiat mentio, iampridem obſeruauit NICOLAVS LYRANVS, ad *h. l.* qui equidem IAC. SALIANO, in *annalib. ad haec tempora* male audit, ſed ſine ratione. Qui auctoritatem vulgati interpretis tueri conantur, multum ſibi negotii faceſſunt, vt, ſi non in textu ebraeo, ſaltem in ordine & diſpoſitione Leuitarum ac ſacerdotum, ſeptem choros inueniant. Sed iſto labore nobis, qui tantum textum ebraeum ſequimur, ſuperſedere licet. Concentu autem muſico laetitiam omnium excitatam, ex *I. chron. XV. 27. ſeqq.* ſatis conſtat. Ipſe inſuper rex Dauid, ephodo ſeu pallio licet accinctus, ad animi laetitiam ſignificandam ſaltauit, immo, vt deinceps dicitur, vehementer & totis viribus ſaltauit. Ephodo quod indutus fuerit, non eſt, quod miremur. Leuitis enim & prophetarum filiis cum proprium quodammodo hoc eſſet veſtimenti genus, vt ſupra iam obſeruauimus, Dauid in actu hocce ſacro, Leuitarum velut officio fungens, eodem vti voluit. Saltatio quoque, ex pio quippe ſanctoque adfectu profecta, omni vitio caruit, & ad exemplum profanarum libidinoſarumque ſaltationum, non niſi ab hominibus rerum omnium longe imperitiſſimis, trahi poteſt. Licet vero etiam apud gentiles in ſacris ſaltationes in vſu eſſent, ex enthuſiaſmo quodam aut naturali, aut ab infernali genio excitato, profectae, hae tamen cum ſaltatione Dauidis, longe aliam originem habente, minime comparari debebant; quod incaute admodum, ni fallor, facit vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS, multa ex STRABONE de eiusmodi ſaltationibus, ad *h. l.* adferens. Michala vero, Saulis filia, & Dauidis coniux, iſtam ſaltationem, ceu parum regi decoram, ei exprobrans, nihil aliud egit, quam vt animum elatum, & ambiti-

bitionis oeſtro percitum, proderet, rectiſſime hoc nomine reprehenſa a Dauide. Obiicit equidem ei, quod ſe *coram ancillis ſeruorum ſuorum denudauerit;* id vero non aliter intelligendum, quam quod, depoſito veſtitu regio, viliori, qualis Leuitarum eſſe ſolebat, indutus fuerit. Id vero rectiſſime a ſe factum adfirmabat Dauid, cum in actibus ſacris, vbi nobis cum Deo res eſt, veſtitu etiam & geſtibus animum humilem & ſubmiſſum profiteri, regibus prorſus conueniat, idque decori legibus adeo non repugnet, vt apprime potius conſentiat. Atque hinc patet, quid PETRO etiam BAELIO, qui Michalae cauſſam contra Dauidem perorandam in ſe ſuſcepit, *dictionar. hiſtor. critic. voc. Dauid. pag. 924.* reſpondendum ſit.

Cum arca in vrbem Dauidis deducta eſſet, collocata eſt in medio tentorio, quod ei tetenderat Dauid, & tum iterum holocauſta & ſalutaria oblata ſunt domino. Cur Dauid arcam federis non collocauerit in tentorio Moſaico, quod eo tempore Gibeone fuit, ſed nouum potius tentorium confecerit, dicere non licet. Cauſſae nobis ignotae ſunt, etſi, quin grauiſſimae ſanctiſſimaeque fuerint, non ſit dubitandum. Interim, cum experientia didiciſſet, arcam alio in loco, quam in tabernaculo Moſaico, non inuito Numine eſſe poſſe, nihil ſibi obſtare vidit, quo minus, relicto tabernaculo Moſaico, Gibeone, arcam Hieroſolymam transferret. Conueniens enim erat, vt arca eo in loco eſſet, vbi rex habitabat, vt ſtatim, quoties neceſſitas hoc poſtulabat, conſulere dominum poſſet. Cumque haud dubie rationes haud contemnendae eſſent, cur tabernaculum Moſaicum Gibeone relinqui vellet, nihil aliud ſupererat, quam vt ipſe tentorium aliquod conficeret, in quo collocaretur. De forma iſtius tentorii nihil conſtat: magnificum, ſplendidumque, & maieſtate diuina dignum fuiſſe, pietas Dauidis nos dubitare non ſinit. Cultum quoque publicum non minus in tabernaculo hoc Dauidico, quam Gibeone in Moſaico inſtitutum, ex *I. chron. XVI. 37. ſeqq.* conſtat, Indeque factum, vt duo eſſent ſacerdotes magni, Abiathar, qui Hieroſolymis manſit apud Dauidem, & Zadokus, qui Gibeonem ad tabernaculum Moſaicum miſſus eſt; *ib. verſ. 39. ſeqq.* Omnibus rite peractis, Dauid populo, quem iam dimiſſurus erat, in nomine Iehouae Zebaoth *benedixit*, hoc eſt, fauſta quaeuis ei adprecatus eſt, poſtquam ſacerdotalis benedictio haud dubie praeceſſerat; hinc & donaria populo iam diſceſſuro diſtribuit, ſingulisque dedit חלה *placentam*, cuius magnitudo voce ככר *orbis*, *I. chron. XVI. 3.* exprimitur: itemque אשׁפר quae vox equidem obſcura eſt, vnde non idem de ea interpretes ſentiunt, rectiſſime tamen, ni fallor, per *fruſtum carnis* vertitur; vt & IO. COCCEIO obſeruatum, in *lexic. hac voc. pag. 949.* & אשישה *lagenam vini;* ita enim hanc vocem capiendam, vel inde conſtat, quod probabile ſit, cibo, ſeu pani, & carni,

vini

Digitized by Google

vini etiam potum a Dauide additum. Perperam itaque LXX interpretes habent: λάγανον ἀπὸ τηγάνου, & vulgatus: *ſimilam frixam oleo.* Cantores, quos Dauid ex Leuitis ad arcam cônſtituerit, *I. chron. XVI. 4. ſeqq.* deſignantur, vbi & canticum ipſum, illis a Dauide ſuppeditatum, legere licet. Etſi vero ita rex ſanctiſſimus ſuo ſatis officio feciſſe videri poterat, nihiloſecius, qua erat erga Deum pietate, cum rebus vndique pacatis, res Iſraelitarum erant florentiſſimae, indignum ratus, ſe in aedibus e cedro fabrefactis habitare, arcam vero Dei tabernaculo ſaltem tegi, ſimulque haud dubie legem diuinam, de certo loco cultui diuino deſtinando *Deut. XII. 5.* in memoriam ſibi reuocans, de templo Numini aedificando cogitationes ſuſcepit. Et haſce quidem Nathan vates, vtpote ex pio animi propoſito profectas, initio adprobauit: at mox a Deo ipſo hac de re certior redditus, Dauidi ſignificauit, nolle Deum ab eo ſibi templum aedificari, eo quod, vt alibi exponitur, vir belli eſſet, ſanguinemque humanum ſaepius effudiſſet, adeoque hanc gloriam filio eius Salomoni reſeruatam: interim ampliſſimas benigniſſimasque promiſſiones, de Meſſia cumprimis ex ſemine eius naſcituro, adiecit, de quibus nihil addimus, cum in ſequentibus ad §. *XXIII.* de iis ex inſtituto dicere animus ſit.

§. XVI.

Poſt tot proſpera, etiam aduerſa quaedam Dauidem exceperunt, quorum ipſe, peccatis Deum irritando, praecipuus auctor ſibi exſtitit. Ioabo enim Rabbam Ammonitarum vrbem oppugnante, Bathſchebae, Vriae vxori, quam aliquando otio ſolutus ſe proluentem conſpexerat, ſtuprum infert, tandemque marito eius hoſtibus per Ioabum obiecto, illam in matrimonium ducit. Eam ob rem a Nathane, vate diuino, grauiter increpitus, ingenti dolore triſtitiaque perfuſus, ſerio, quod iſtius facinoris poenitentia animum ſubierit, teſtatus eſt.* Hinc Amnon filius, vitiata ſorore, ſtuprum cum inceſtu coniungens, & a fratre Abſalomo per dolum interfectus, haud leue vulnus animo eius inflixit. Initium hoc malorum, quibuscum deinceps regi conflictandum fuit.**

* Prima lapſus grauiſſimi occaſio fuit regis otium. Ioabo enim cum Iſraelitis Rabbam oppugnante, ipſe domi reſidebat, & cum more regum orientalium meridiano tempore quieuiſſet, e lecto ſuo ſurgens, ſub veſperam otioſus in ſolario regiae ambulauit. Primus ad peccata grauiſſima hic gradus fuit. Acceſſit mox alter. E tecto enim conſpiciebat mulierem, quae ſe abluebat, eaque erat longe formoſiſſima. Ab ea ſtatim auertere ocu-

oculos, & cupiditati, tam improuiſo ſpectaculo excitatae, reſiſtere debuiſſet. Sed tantum abfuit, vt hoc faceret, vt potius adſpectum continuando, cupiditatem prauam magis excitaret, aleret, foueret, donec eidem amplius reſiſtere non poſſet. Nomen mulieris Bathſcheba erat, quam graeci interpretes, & cum illis SVLPITIVS SEVERVS, *hiſtor. ſacr. lib. I. cap. XLVIII.* perperam Berſaben vocant. De ablutione eius quod dicitur, hoc de ſanctificatione ſeu purificatione a menſtruis, accipiunt ebraei doctores: & praeter alios quoque IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* Huc & referunt, quae *verſ. 4.* exſtant verba, quae in plusquamperfecto exponunt: *ea autem purgauerat ſe ab immunditia ſua.* Verum eius ſententiae nullum in textu ſacro fundamentum deprehendo. Quod enim, poſtquam cum Dauide conſueuerat, ſe *ſanctificaſſe* dicitur, de purificatione, quae poſt coitum inſtituebatur, intelligi poteſt. Qua in re ſimul Bathſcheba demonſtrauit, externae puritatis ſecundum legem ceremonialem ſe ſtudioſiorem eſſe, quam internae & moralis, quae caſtitate cumprimis abſoluitur. Id illi cum multis mortalium, ad hypocriſin & ſuperſtitionem pronis, commune eſt. Prioris ablutionis cauſſa non indicatur; adeoque aut more conſueto, aut refrigerationis cauſſa, vel aliam quamcunque ob rationem eam inſtituere potuit. Locum ablutionis aut atrium aut hortum fuiſſe oportet, vt rex Dauid ex ſolario regiae in illum deſpicere potuerit, vt nemo tamen id animaduerteret. Imprudentiſſima enim ceteroquin, aut impudentiſſima fuiſſet Bathſcheba, ſi in loco ſe abluiſſet, in quo credidiſſet, ſe ab vllo mortalium conſpici poſſe. Recte, ni fallor, de ea iudicat HVGO GROTIVS: *Videtur Bathſcheba fuiſſe femina non impudica, ſed quae ſpe dominationis, vt Agrippina, mater Neronis, nihil abnueret. Adeo cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior eſt, vt ait Tacitus annal. XV. 13.* ad *h. l.* Illis itaque, qui Bathſchebam accuſant, ac ſi peccato Dauidis occaſionem praebuiſſet, ſuffragari nequeo. Peracto adulterio, cum Bathſchebah ſe concepiſſe ſentiret, miſit ad Dauidem, qui hoc ei ſignificarent. Haud dubie ita inter illos conuenerat, vt Dauid cogitare poſſet, quo pacto adulterium tegeret, & tum ſuae exiſtimationi conſuleret, tum Bathſchebam mortis ſupplicio, quod in adulteras ſtatutum erat, ſubtraheret. Recte id obſeruatum FLAVIO IOSEPHO. Hunc in finem itaque Dauid Vriam ex caſtris ad ſe arceſſitum, inducere quouis modo voluit, vt in domum ſuam abiret, & cum vxore concumberet, vt illa dicere poſſet, ex marito ſe eſſe grauidam. Id vero cum illi ex voto non procederet, Vria mollis & effeminati animi ſuſpicionem quouis modo declinante, idque non ſine ſingulari Numinis directione, nihil aliud ſupereſſe Dauidi videbatur, quam vt hoſtium telis eum obiiciendo, e medio tolleret. Cum Vria dicit, *arca, Iſraelque & Iuda manent ſub tentoriis*, non ita hoc eſt capien-

Digitized by Google

capiendum, ac ſi arca federis in caſtris fuerit, ſed, cum arca ſemper eſſet in tentorio, eo quod templum nondum exſtructum eſſet, Iſrael autem & Iuda, hoc eſt, maxima pars, ſeu viri bellicoſi ex Iſrael & Iuda in caſtris verſarentur, concludebat inde Vria, indignum eſſe, ſi ipſemet in domo ſua apud vxorem commorari vellet. Dauid, quod cupiebat, per Ioabum effecit, qui adcurate, quae rex ſibi in mandatis dederat, exſecutus eſt. Etſi enim ex ſermone nuntii, quem Ioabus ad Dauidem miſit, ſequi videatur, non omnia ita geſta, prout Dauid iuſſerat, cuncta tamen ſibi conſtant, ſi obſeruemus, in relatione nuntii quaedam omiſſa, quae ex antecedentibus ſunt repetenda. Bathſchebah, cum, maritum mortuum eſſe, accepiſſet, eum luxit. Serio & ex animi ſententia eam luxiſſe, nonnullis parum credibile videtur, cum caedis, quam Dauid illi parabat, conſciam fuiſſe, exiſtiment. Id vero cum non adeo certum ſit, & ad amorem erga maritum per adulterium non prorſus exſtinctum, haud dubie conſcientiae ſtimulus acceſſerit, non videtur dubitandum, eam ſerio mariti luxiſſe obitum. Tempus luctus non indicatur: fuit tamen haud dubie breuiſſimum, vt ad adulterium occultandum eo citius eam Dauid in domum ſuam ducere poſſet.

Et ad ipſum quidem hocce Dauidis facinus quod attinet, grauiſſime eum peccaſſe, nemo forte dubitauerit. Fuerunt tamen nonnulli, praeſertim ex Ebraeis, qui eum aut excuſarent, aut omnino peccati immunem pronuntiarent. Referri huc ſolet, quod in *tract. talmud. ſchabboth, cap. V.* legitur: *Quisquis dicit, Ruben, filii Eli, & Samuelis, David item & Salomoh peccarunt, is grauiter errat.* Similia & ex aliis proferuntur. R. ISAACI ABARBANELIS & R. SAMVELIS LANIADO diſputationem hac de re refert IOAN. BVXTORFIVS, de *ſponſalib. & diuort. pag. 50. ſeqq.* quorum ille, Dauidem peccaſſe, agnoſcit, hic vero illud negat. Et LANIADO quidem ex mente ſententiaque talmudicorum, illud maxime vrget, quod eo tempore moris & iuris fuerit, vt in bellum profecturi vxoribus ſuis ſcriberent libellum repudii, quo eas abſolute dimittebant, & iuris ſui faciebant. Idque cum haud dubie Vrias fecerit, Bathſchebam a vinculo matrimonii fuiſſe liberam, nullumque adeo cum Dauide commiſiſſe adulterium. Et licet R. SALOMON IARCHI, quod veteres de libello repudii dicunt, cum conditione ea, intelligendum exiſtimet, ſi quis in bello occumbat, vt tum demum mulier dimiſſa cenſeatur, LANIADO tamen abſolute hoc intelligendum contendit, idque variis in medium illatis rationibus comprobare adnititur. Qua de re ſi dicendum, quod res eſt, primo quidem incerta eſſe & lubrico niti fundamento, conſtat, quae Ebraeorum magiſtri de libello repudii, vxoribus ab illis dato, tradunt, qui in bellum proficiſcebantur. Si enim vel maxime eiusmodi quid in gente ebraea obtinuit, vnde probabunt, iam tempore Daui-

Dauidis id obtinuiſſe? Quod ſi etiam hac ratione a crimine adulterii abſolui poſſet, non tamen poſſet abſolui a crimine ſcortationis & homicidii. Reliquae enim rationes, quibus LANIADO pro Dauide pugnat, adeo ieiunae & friuolae ſunt, vt reſponſionem non promereantur. Quaeri etiam ſolet, an recte fecerit Dauid, Bathſchebam ducendo in matrimonium? Diſſentiunt enim viri eruditi, an quis mulierem, quacum adulterium commiſit, in matrimonium ducere queat? Quidquid autem huius ſit, id certum, exemplum Dauidis illis, qui hoc adfirmant, parum prodeſſe, cum, quod rex impune, tolerante & conniuente Deo fecit, in exemplum trahi nequeat. Quodſi etiam legibus, contra adulteras, cuiusmodi Deus olim Ebraeis dedit, & quales hodie paſſim exſtant, locus relinqueretur, ſuperuacanea eſſet ea diſputatio. Recte etiam grauiſſimas ob cauſſas a magiſtratibus eiusmodi matrimonia prohibentur, etſi in ſe ſpectata nihil, cur valida eſſe nequeant, contineant. Legendi hac de re IOAN. GERHARDVS, *locor. theolog. tom. VII. pag. 195.* & IOAN. CONRADVS DANHAVERVS, *theolog. conſcient. tom. I. part. II. dial. IV. pag. 825. ſeqq.* Eo autem grauius fuit Dauidis crimen, quod non tantum cum adulterio coniuncta fuit caedes Vriae, ſed &, quod praeter alia illorum caedes acceſſit, qui vna cum Vria praeter omnem culpam ſuam perierunt. Intelligere hinc licet, quam facile plurima ſe inuicem ſequantur crimina, ſi ſemel a recto diſceſſeris tramite. Nec vltimum malorum fuit, quod per temporis ſpatium haud exiguum mens Dauidis ita excaecata manſit, vt tanti eum ſerio non poeniteret criminis. Cum enim Nathan vates diuinitus miſſus ad illum accederet, iam filius ex Bathſcheba illi natus erat. Dubium non eſt, quin interim ſubinde conſcientiae morſus ſenſerit, & in cultu Numinis externo perſeuerauerit; vt adeo audiendi non ſint, qui hocce temporis ſpatio plane impium, & tantum non atheum fuiſſe, volunt; ſerio tamen tum demum eum admiſſorum poenituit, cum a Nathane admonitus & velut ex ſomno profundo excitatus eſt.

Is vero prudenter non minus, quam cordate, munere ſibi a Deo demandato functus eſt. Propoſita enim parabola, in qua nonnulla ὑπερβολικῶς & παροιμιωδῶς dicta ſunt, v. g. quod ouicula viri pauperis e buccea eius comederit, e calice biberit &c. quam initio Dauid veram hiſtoriam eſſe credidit, effecit, vt inſcius contra ſe ipſum ſententiam pronuntiaret. Nec aliud iſta parabola ſibi voluit, quam vt oſtenderet, eo maiorem fuiſſe iniuriam, quam Dauid Vriae intulit, vxorem eius conſtuprando, & morti eum deinceps tradendo, quo minus quidquam, quod ſceleri obtendere poſſet, illi ſuppeteret, cum plures vxores vna cum rerum omnium abundantia, Deus illi conceſſiſſet. Nubes itaque & inania prenſant, & ad abſona varia dilabuntur, qui parabolam hanc, qua ſingulas partes ad Dauidem adplicare volunt,

ſunt, per viatorem, e, g. concupiſcentiam prauam, aut aliud quid intelligentes; & quae reliqua ſunt eiusdem generis, quae apud R. SALOM. IARCHIVM, R. LEVI BEN GERSON, aliosque legere licet. Ad ſententiam, quam Dauid tulit, quod attinet, ex lege quidem Moſaica diues ille ad quadrupli reſtitutionem tenebatur, vt & ipſemet iudicauit; quod autem eundem inſuper mortis poenam promeruiſſe, pronuntiauit, eo ſignificauit, quam deteſtanda ſit violentia, cum ſumma iniuſtitia coniuncta, quae adeo in ciuitate bene conſtituta non ſit ferenda. Ita in aliis delictorum foeditatem perſpexit, cum in ſuis adhuc coecutiret. Eleganter hac de re THEODORETVS: *ἑτέρως γὰρ ἐν ἄλλοις θεωροῦμεν τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ἄλλως θεωροῦμεν τὰ οἰκεῖα κακά·* *Aliter enim in aliis cernimus peccatum, & aliter noſtra mala adſpicimus, quaeſt. XXIV. in II. reg. pag. 277.* Nathan cum id, quod volebat, obtinuiſſet, iam cordate & aperte, vt prophetam decebat, Dauidem adlocutus, *tu*, inquit, *vir ille es.* Enumeratis hinc Dei in eum collatis beneficiis, criminisque inde foeditate demonſtrata, poenas, quae eum manerent, illi denuntiat. Inter beneficia & illud refertur, quod Deus *vxores Saulis in ſinum eius tradiderit*; hoc eſt, mulieres ad familiam Saulis ſpectantes, ei conceſſerit, quas ſecundum mores eius temporis, ſi voluiſſet, ducere in matrimonium potuiſſet. Ita enim ſi verba haec capiamus, difficultates omnes, quas alii hic ſibi deprehendere videntur, ceſſant. Nec neceſſe eſt, vt inter vxores Dauidis eas, quae antea Saulis vxores fuerunt, operoſe cum Ebraeorum doctoribus quaeramus, cum non de vxoribus Saulis, ſed generatim de mulieribus ad familiam eius ſpectantibus, ſermo ſit: nec dicatur, Dauidem eas duxiſſe, ſed ſaltem, quod eas, ſi voluiſſet, ducere potuiſſet. De conceſſione enim traditio iſta, & quidem ſecundum mores eo tempore receptos, intelligenda. Vnde & quod Deus aut iuſſerit, aut adprobauerit polygamiam, inde colligi nequit. Sed hac de re deinceps ad §. *XXV.* Ad poenae comminationem quod attinet, propheta dicit, non ſeceſſurum gladium a familia Dauidis, לעולם *in perpetuum*, hoc eſt, quam diu victurus eſſet. Hoc euentus docuit, cum Amnon, Abſolom, Adonia violenta morte perierint. Ad poſteros Dauidis hoc trahi nequit. Deinde dicit Deus: *excitabo malum in te & familia tua; ſumam vxores tuas coram te, ſeu in oculis tuis, daboque proximo tuo & cubabit cum vxoribus tuis intuente hoc ſole*, ſeu *in oculis ſolis huius.* Quo pacto haec omnia ita euenerint, conſtat. Ipſemet Dauid enim expertus eſt, quod Abſalom filius vxores eius acceperit; vnde in oculis eius hoc factum dicitur. Idem Abſalom etiam palam & aperte, adeoque in oculis velut ſolis, cum patris vxoribus concubuit. Significare autem Deus hoc ipſo voluit, eam poenam Dauidem promeruiſſe, eo, quod exiſtimauerit, ſi coram hominibus crimen,

men, quod commiſerat, occultaretur, occultum quoque idem **fore coram** Deo. Quod ſtudium delictum occultandi ad maiora, homicidium cumprimis, perpetranda, illum impulit. Ideo addit Deus per vatem: *quia hoc feciſti clam, ego id faciam coram toto Iſraele & coram ſole.* Quando autem Deus haec omnia ſe ipſum facturum dicit, & omnia ſibi tribuit, *excitabo malum in te, ſumam vxores, &c.* non ita hoc intelligendum, ac ſi Deus Abſalomum, ceterosque, qui mala illa Dauidi intulerunt, ad peccata iſta perpetranda induxerit aut permouerit, hoc enim ſanctitati & iuſtitiae diuinae prorſus repugnat, ſed, cum Deus, haec ita euenrura, niſi ipſe impediret, praeuideret, crimine iſto a Dauide perpetraro, ea permittere decreuit, vt eo modo fierent, quo euenerunt.

Iſta, quae Nathan dixit, cum audiuiſſet Dauid, *peccaui*, inquit, *in Iehouam*, paucis verbis ingentem animi ob peccata admiſſa dolorem, fiduciam ſimul de peccatorum remiſſione a Deo impetranda, exprimens. Ideoque & ſtatim Nathan gratiam Dei, remiſſionemque peccatorum ei adnuntiauit: *etiam Iehouah ignouit peccato tuo, nec morieris.* Id ebraeo eſt: העביר חטתך *transire fecit peccatum tuum*, quod idem eſt, ac, remiſit, condonauit. Remiſſa autem culpa, non poterat non ceſſare poena, ideo additur: *nec morieris.* Quod ad calamitates attinet, quae nihiloſecius Dauidem exceperunt, non tanquam poenae, ſed vt paternae caſtigationes conſiderandae, quas Dauidi, non ex ira aut poenae loco, ſed vt ſaluti eius eo magis conſuleret, immittere voluit. Idem etiam cenſendum de morte filioli, qui ex Batſcheba natus erat; quod ea itidem caſtigatus ſit. Ea vero eo iuſtior erat caſtigatio, quod, vt ipſe Nathan dicebat, hoſtibus Iehouae occaſionem ei conuiciandi praebuiſſet. Nimirum cum religionis ſuae ſanctitatem Ebraei, & ipſe cumprimis Dauid tantopere praedicaſſent; nunc ea conuiciis & ludibrio gentilium exponi videbatur, poſtquam adulterio & homicidio ipſe rex ſe commaculauerat, quod eius facinus eo tempore palam factum, omnibusque innotuiſſe videtur. Cum Nathan diſceſſiſſet, puer ille ſtatim in morbum diuinitus immiſſum incidit: quem precibus & ieiunio auertere, & vitam pueri obtinere, Dauid fruſtra laborauit, cum ſeptimo a partu die obiret. FLAVIVS IOSEPHVS refert, eum per ſeptem dies non potuiſſe induci a familiaribus, vt cibum caperet: at ſcriptura hoc non dicit, nec, quamdiu ieiunauerit, indicat. Probabile, tum demum eum ieiunare incepiſſe, cum morbus pueri ingraueſceret. Cur vero, aegrotante puero, ieiunauerit, fleueritque, eo vero mortuo, veſtes luctum indicantes depoſuerit, ſe vnxerit, & poſtquam coram arca Dei adorauerat, cibum ſumſerit, eius rei ipſe ſeruis ſuis, quibus hoc mirum videbatur, rationem reddit, quod aegrotante puero, nondum ſpem omnem abieciſſet, precibus ſe flectere Numen poſſe, vt vitam ei prolongaret: nunc vero,

Digitized by Google

to, cum mortuus ſit, nihil amplius ſupereſſe, quam vt in voluntate Numinis adquieſcat; nec enim puerum ad ſe reuerſurum, ſed ſe potius abiturum ad puerum. Nimirum, etſi Nathan morrem pueri Dauidi adnuntiauerat, ſciebat tamen, decreta Dei non ita eſſe irreuocabilia, vt non, ſi homines ipſi mores mentemque mutent, mutari poſſint; hinc & cum conditione quadam intelligenda eſſe; vnde mirum non eſt, quod & ipſe vitam pueri a Deo ſe impetratûrum ſperauerit: quamuis Deo, ob rationes haud dubie grauiſſimas ſanctiſſimasque, hac quidem vice precibus eius locum relinquere non placuerit. Cum vero dicit, ſe ad puerum abiturum, ſe minime dubitare, profitetur, quin vitae aeternae particeps factus ſit, etſi, quod ex circumſtantiis omnibus facile colligas, incircumciſus obiiſſet: ſimulque ad eandem ſe adſpirare, demonſtrat, cum ſpem iſtam efficaciſſimum ſibi adferre ſolatium innuit. Errant itaque, qui verborum Dauidis hunc ſaltem ſenſum fuiſſe, putant: *ibo ad mortuos, mortui ad me non venient.* Miſerum enim nimiſque ieiunium hoc fuiſſet ſolatium. conf. ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *h. l.* Poſtea, cum Batſchebam ſolatus, & ad eam iterum ingreſſus eſſet, Salomonem ex ea ſuſcepit, de cuius natiuitate & educatione deinceps dicemus.

** Amnon filius Dauidis fuit primogenitus ex Achinoama Iizreelitide. Iuuenem ferocis ingenii, & qui cupiditatibus imperare non potuerit, fuiſſe, ſororis conſtupratio, eiusdemque violenta expulſio, ſatis docent. Cum ſororis, cui nomen Thamar, quam deperibat, compos fieri non poſſet, eo quod per legem eam in matrimonium ducere, licet tantum ὁμοπάτριος eſſet, ei fas non eſſet, cupidinis furore ita adfligebatur, vt corporis vires conciderent, & quotidie macilentior fieret. Immoderati amoris eam vim eſſe, nemo neſcit. Facileque amor impurus eo vsque progreditur, ſi ad reliquas cauſſas, quae eum excitant, & augent, difficultas accedat cupitis potiundi. Tam inſano itaque amore cum arderet Amnon, Ionadabus, Simeae, fratris Dauidis, filius, איש חכם מאד *vir ſapiens valde*, ſed qui hac in re ſua ſapientia perperam vſus, ingenioſus inde potius aut callidus dicendus, viam, qua ſorore potiri poſſit, illi oſtendit. Morbum fingens Amnon decumbit, a rege illum inuiſente, incauto eodem ac nimis indulgente, vt ſororem ad ſe mitteret, facile impetrat. Cibi enim adpetitum omnem exſtinctum prae ſe ferebat, qui reſtitui forte poſſet, ſi ex ſororis manibus, quem ipſa paraſſet, acciperet. Cum ergo Thamar, nihil mali ſuſpicata, acceſſiſſet, & ex fratris voluntate placenras paraſſet, hic captata occaſione, cum ex conclaui interiori domeſticos omnes egredi iuſſiſſet, puellam, vt ſui copiam faceret, inducere conatus eſt, cumque illa reniteretur, vi illam compreſſit & conſtuprauit. Cum Thamar ad Amnonem dixit, ſi ſe in matrimonium peteret, regem ſe

ei non

ei non denegaturum, non ita hoc capiendum, ac ſi prorſus ignorauerit, fratrum & ſororum matrimonia lege diuina prohibita eſſe, ſed, vt FLAVIVS IOSEPHVS obſeruat, impetum iuuenis ſpe iſta infringere, atque periculum, cui ſe expoſitam videbat, euitare voluit; aut etiam, quod forte probabilius, etſi non ignorauerit, eiusmodi matrimonia prohibita eſſe, ex errore exiſtimauit, ea nihiloſecius, ſi conſenſus regis accederet, locum habere poſſe. Quae enim reliqui Iudaei, R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique, comminiſcuntur, matrem Thamarae bello fuiſſe captam, & ex Dauide filiam hanc concepiſſe, priusquam proſelyta fieret, adeoque Thamaram pro ſorore Amnonis non habendam, hinc & illum matrimonio eam ſibi iungere potuiſſe, digna non ſunt, quae in cenſum veniant. Crimini perpetrato, Amnonis ſubito erga ſororem mutatus eſt animus, grauiſſimumque erga illam concepit odium, vt ſtatim diſcedere eam a ſe iuberet: cumque illa oſtenderet, ita nouum eum priori additurum flagitium, vi eam expulit. Quae tam ſubiti odii cauſſa fuerit, anxie quaerunt interpretes, ſuntque hac in re more ſuo valde lepidi Ebraeorum magiſtri, vt apud R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliosque, videre licet. Non eſt inſolens, vt amor expleta libidine in auerſationem mutetur, quamuis hic cauſſae ſpeciales accedere potuerint, quae nobis ignotae ſunt. Cumprimis diuinam hic venerari fas eſt prouidentiam, quae, vt ſequentium rerum ſeries docet, mirabili quadam ratione hic ſe exſeruit. Recte namque THEODORETVS: *ἡ μέντοι κατὰ τὴν Θάμαρ ὑπόθεσις, ἀρχή τις ἐστι, καὶ ῥίζα τῶν τῆς βασιλικῆς οἰκίας συμφορῶν. Quod in Thamar autem eſt perpetratum, quoddam fuit principium & radix calamitatum domus regiae, quaeſt. XXVIII. in II. reg. pag. 280.* Thamar poſteriorem iniuriam grauius adhuc tulit, quam priorem, forte quod adhuc exiſtimaret, per matrimonium cum fratre ignominiam illam iterum a ſe auferri poſſe; hinc puluere capiti ſuo iniecto כתנת פסים *ſtolam polymitam*, qua induta erat, quaue filiae regis virgines indutae eſſe ſolebant, lacerauit, manuque capiti impoſita, lacrymis & vociferationibus dolorem triſtitiamque teſtata eſt. Eam hac ratione per mediam vrbem inceſſiſſe, quod FLAVIVS IOSEPHVS tradit, non eſt credibile; nec ſcriptura ſacra hoc docet. Breuiſſima potius, qua potuit, via, ad fratrem Abſalomum properaſſe, vix dubitandum, cum & deinceps apud eum manſiſſe dicatur. Idque forte fieri potuit, vt nemo temere id ſentiret: quanquam non deſint, qui tum demum, cum in domum Abſalomi veniſſet, haec eam luctus edidiſſe ſigna exiſtiment.

Et Abſalom quidem bono animo eam eſſe iuſſit, ferendam eſſe iniuriam, quam frater intuliſſet, a quo patrem poenam prometitam ſumturum, vix ſperandum: commodam itaque exſpectandam occaſionem, qua ipſe hoc facere

cere poſſet. Ita namque verba Abſalomi capienda exiſtimo. Dauid quidem, cum iſta audiuiſſet, valde contriſtatus & indignatus eſt. Eum vehementer Amnoni ſuccenſuiſſe, non eſt, quod dubitemus, idque ſcriptor ſacer innuit, cum dicit: ויחר לו מאד *& exarſit illi valde.* Interim non legimus, punitum ab eo ob tantum facinus Amnonem. LXX interpretes hic ſequentia addunt: *καὶ οὐκ ἐλύπησε τὸ πνεῦμα Αμνὼν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅτι ἠγάπα αὐτὸν, ὅτι πρωτότοκος αὐτοῦ ἦν·* Hos & vulgatus ſequitur: *& noluit contriſtari ſpiritum Amnon, filii ſui: quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Quod additamentum, licet in textu ebraeo non exſtet, adeoque merito reiiciendum ſit, a rei tamen veritate haud adeo alienum eſt, cum admodum probabile ſit, ob nimiam lenitatem & indulgentiam, Dauidem poenam promeritam a filio non ſumſiſſe. Nimiam erga liberos indulgentiam inter naeuos viri ſanctisſimi referendam, reliqua vitae eius momenta teſtantur. Idque & FLAVIO IOSEPHO obſeruatum, qui LXX interpretes hic ſequitur, itemque THEODORETO: *Φιλοστόργως δὲ ὡς περὶ πρωτότοκον υἱὸν τὸν Αμνὼν διακείμενος, τῆς πονηρᾶς πράξεως οὐκ εἰσέπραξε δίκας·* *Sed cum Amnon filium ſuum primogenitum valde amaret, de nefario flagitio non ſumſit poenas; quaeſt. XXVIII. in II. reg. pag. 280.* Biennio elapſo, Abſalom commodam occaſionem, pridem deſtinata exſequendi, quaerens, cum oues ei Baalchatſore tonderentur, regem cum filiis ad conuiuium inuitat. Rex iterum licet rogatus, venire noluit: conſenſit tamen, vt cum reliquis filiis Amnon eo iret. Idque haud dubie Abſalom voluit, cum praeſente rege non videtur iſtud facinus ſuſcepturus fuiſſe. Conuiuio ergo excepti, cum & Amnon bono animo eſſet, ſerui Abſalomi, vt iuſſi erant, eum percuſſerunt; reliquis regis filiis ea, qua potuerunt, celeritate, auffugientibus. Ab imprudentia Amnon vix liberabitur, quod conuiuio huic interfuit, cum fratris facile ſuſpicari inſidias potuiſſet. Rumor ſtatim ad Dauidem peruenit, omnes filios eius interfectos: Ionadabus autem, vir prudens, nec ignarus eorum, quae Abſalom agitauerit, ſtatim id, quod res erat, coniecit, ſolumque Amnonem interfectum adſeruit, quod & mox reliquorum regis filiorum aduentus confirmauit. Abſalom ad Thalmaium Geſuritarum regem, auum ſuum maternum, auffugit, apud quem per tres annos manſit. Quo tempore elapſo, Dauid conſilium poenas ab Abſalomo ſumendi intermiſit, vulnere ob Amnonis caedem ſanato. Id enim ſibi vult ſcriptor ſacer, quando dicit: *Rex interea ceſſauit egredi* (ſcilicet a conſilio egrediendi) *contra Abſalomum; admiſerat enim conſolationem ſuper Amnone, eo quod mortuus eſſet.*

§. XVII.

§. XVII.

Abſalomus enim, Ioabi artibus ex exilio reuocatus, patrique tandem conciliatus, & officii & beneficii quoque maximi, quo a patre adfectus erat, immemor, pertractis callide in ſuas partes plurimis Iſraelitarum, regnum inuadit. * Dauid vrbem Hieroſolymam relinquere coactus, cum ſuis fugam arripit, decipiendus eodem tempore per calumnias contra Mephiboſethum a Ziba confictas, & a Simei conuiciis atrociſſimis laceſſendus. ** Diſſipatis hinc per Huſſaium, quem Hieroſolymam remiſerat, Achitophelis conſiliis, praelium inter Abſalomi atque Dauidis exercitum committitur, in quo ille fuſus fugatusque, Abſalomus autem ipſe per ſyluam impeditam fugiens, caeſarie prominenti arboris ramo illigatus, ibique pendens, a Ioabo transfoditur, acerbe ab ipſo patre Dauide, quae eius pietas erat, deflendus. ***

* Cum Ioabus, homo callidus, & Abſalomi forte gratiam captans, animaduerteret, animum regis in Abſalomum iterum propenſum, nec tamen regi proponere rem iſtam auderet, feminam Thekoa arceſſitam, quam ad hoc negotium aptiſſimam credebat, ita inſtruxit, vt primo tecte per parabolam mentem regis exploraret, & tum, ſi ſententiam filio fauentem elicuiſſet, aperte & ſine ambagibus pro Abſalomo intercederet. Scopus parabolae huc tendebat, vt regi confeſſionem eliceret, homicidium in certo caſu diſpenſationem admittere, poenamque promeritam remitti poſſe. Hinc enim inferebat, ſi rege ipſomet fatente, poena homicidii remitti aliquando poſſit, nihil obſtare, quo minus & ipſe filium Abſalomum in gratiam reciperet. Dum ad adplicationem mulier tranſit, *quare vero*, inquit, *ſimile quidpiam cogitaſti, contra populum Dei?* Ita namque verba ebraea vulgo reddunt, ſenſusque eſt ſecundum R. SALAMONEM IARCHIVM: *& quare cogitaſti, ſicut hoc? quando ſuſpicatus es de Iſraele, quod venturi ſint ad occidendum ſecundum* (filium meum) *ſine teſtibus & praemonitione?* Sed recte monet SEBASTIANVS SCHMIDIVS, particulam על hic commode verti poſſe per *de*, vt ſenſus ſit: *Profecto, dum hanc ſententiam fers de populo Dei, vt putas, tu te ipſum reum facis & damnas &c.* ad *b. l. pag. 656.* item *quaeſt. VII. pag. 665. ſeqq.* Dum porro dicit: *nam morimur, & ſumus inſtar effuſae in terram aquae, quae non colligitur*, hoc ſibi velle videtur, reuocationem Abſalomi non diutius differendam, ſi quidem contingere poſſit, vt moriatur, quemadmodum omnes homines nunquam non mortis periculo obnoxii ſint, & non poſſe Dauidem, ſi vel maxime vellet, filium

 reuo-

reuocare. Quod argumentum, etſi parum ad rem, quam perſuadere Dauidi volebat, faciat, mortalitatis tamen recordatio ad animum non pertinacem emolliendum, & flectendum, vim ſingularem habet. Nec praetermittendum, quod ſequitur: ולא ישא אלהים נפש *& non tollet Deus animam, & cogitabit cogitationes, vt non expellat a ſe expulſum.* Haec enim verba vir clariſſimus IOANNES CLERICVS ita reddit: *annon princeps ignoſcere poteſt alicui, & excogitare rationem, ne exulem a ſe depellat?* Nimirum per vocem אלהים principem hic intelligit, hac demum ratione ſenſum rite in hiſce verbis fluere, exiſtimans. Verum cuncta ſibi etiam conſtant, ſi vox אלהים in recepta ſignificatione accipiatur. Senſus namque erit: annon Deus quoque ignoſcit hominibus, & cogitat cogitationes gratiae & miſericordiae, ne homines per peccatum ab illo ſeparatos in perpetuum repellat? Concludit hinc mulier, multo magis decere homines, vt aliis delictorum veniam concedant. Vocem ישא verti poſſe per *ignoſcet*, & נפש *animam*, pro homine quouis hic ſumi, recte vir doctiſſimus obſeruauit. Tandem cum eadem mulier *verſ. 17.* dicit: *erit verbum domini mei regis* למנוחה *in quietem*; ſenſus eſt: erit tale, in quo adquieſcere poſſim, clementiae ſcilicet ſingulari & lenitati regis conueniens. LXX interpretes haud dubie legerunt: למנחה dum vertunt: *εἰς θυσίας*, quemadmodum & vulgatus: *ſicut ſacrificium*; nullo ſenſu. Iam ad rem ipſam quod attinet, mulier illa a rege ad filii reuocationem iam ceteroquin ſatis propenſo facile, quod voluit, obtinuit, cum ſimul ab eodem rogata faſſa eſſet, a Ioabo omnem hancce ſcenam inſtructam eſſe. Ioabus quoque pro ingenti hoc agnouit beneficio, & Abſalomum Hieroſolymam reduxit, ea lege, vt domi ſuae ſe contineret, nec in conſpectum regis prodiret. Rectius vero rebus ſuis regem conſulturum fuiſſe, ſi Abſalomum non reuocaſſet, euentus docuit. Vnde & Dauid & Ioabus parum caute & circumſpecte ſe hac in re geſſiſſe cenſendi ſunt, ille quidem ex nimia lenitate & indulgentia erga liberos, hic vero ex animi leuitate, aut improbo conſilio, quo, ſuorum haud dubie praecipue commodorum habita ratione, Abſalomi ſibi conciliare fauorem adnitebatur. Quanti periculi res fuerit, reuocare Abſalomum, ſcriptor ſacer haud obſcure innuit, cum, eum corporis forma longe praeſtantiſſimum fuiſſe, ſubiungit. Id enim eo ſpectat, vt doceat, eo illum fuiſſe aptiorem ad res nouas moliendas, eoque imprudentius feciſſe Dauidem, illum ab exilio reuocando. Ad formae commendationem plurimum faciebat caeſaries, de qua notatu dignum, quod ſacer ſcriptor memorat: *cum tonderet caput ſuum (tondebat autem exactis ſingulis annis, praegrauabat enim eum caeſaries, eamque tondebat) pendebat caeſaries capitis eius ducentos ſiclos pondere regio.* Vbi initio notandus inſignis FLAVII IOSEPHI error, dum, ſingulis octo diebus

bus Abſalomum caput totondiſſe, auctor eſt, caeſariemque tam breui temporis ſpatio ita excreuiſſe, vt pondus ducentorum ſiclorum aequaret. Verba eius ſunt: *τοσοῦτο μέντοιγε ἦν τὸ βάθος τῆς κόμης αὐτῷ, ὡς μόλις αὐτὸν ἡμέραις ἀποκείρειν ὀκτὼ, σταθμὸν ἕλκουσαν σίκλους διακοσίους· tam denſa autem erat caeſaries ei, vt vix ille diebus octo tonderet pendentem pondus ducentorum ſiclorum.* Enim vero in ebraeo exſtat: מקץ ימים ימימה *a fine dierum in dies;* qua formula annuum denotari ſpatium, notum eſt. Quod vero dicitur, caeſariem aequaſſe pondus ducentorum ſiclorum, pondere regio, id multis neutiquam credibile videtur, vnde viri docti diuerſas ingrediuntur ſententias, vt oſtendant, hoc fidem neutiquam ſuperare. Nonnulli pro מאתים *ducentis*, legendum putant, ארבע *quatuor:* alii non pondus, ſed pretium caeſariei indicari putant; alii denique omnino ad neſcio quod miraculum hic confugiunt. Refert atque refellit haſce ſententias SAMVEL BOCHARTVS, peculiari epiſtola poſtuma; ipſe vero ſupponens, de ſiclo, non ſacro, ſed profano, verba ſcriptoris ſacri intelligenda eſſe, pondus caeſariei Abſalomi tres libras gallicas cum duabus vnciis aequaſſe, contendit, & hinc porro probare adnititur, ſine miraculo fieri potuiſſe, vt vnius hominis detonſi crines tantum pondus haberent. Multa, quae in hacce BOCHARTI ſententia deſideret, habet IOANNES CLERICVS ad *h. l.* qui, cum & aliorum hac de re placita retuliſſet, ac reieciſſet, ipſe tandem concludit, non aliter rem hanc expediri poſſe, quam vt fateamur, mendum hic in numeros irrepſiſſe. At cur non potius fatemur, pondus regium, cuius diſerte ſcriptor ſacer meminit, nobis non ſatis notum eſſe? Nec enim profecto quidquam obſtat, quo minus eiusmodi pondus ſcriptor ſacer intellexerit, ſecundum quod non fuerit prorſus *ἀδύνατον*, hominem vnum tantam caeſariem alere, etſi idem ſimul inſolens plane ac inuſitatum fuerit.

Ceterum Abſalomus, ferocis & inquieti ingenii homo, moleſte ferens, quod a regis conſpectu prohiberetur, cum iam per biennium Hieroſolymis commoratus eſſet, Ioabum ad ſe arceſſiuit; qui, cum ab eo, vt videtur, offenſus, venire nollet, Abſalomus hordeum eius in agro, qui penes ſuum erat, incendi iuſſit, exiſtimans, quod res erat, venturum tum Ioabum, vt hac ſuper re cum illo expoſtularet. Quod cum contigiſſet, ab eo impetrauit, vt apud regem pro ſe intercederet, vt ſibi iterum in eius conſpectum venire liceret. Nec abnuebat Dauid, nimiae lenitatis & indulgentiae ſuae erga filium improbum ſpecimen iterum edens. In gratiam receptus Abſalomus, breui & equos, & currus & ſatellitium armatorum quinquaginta ſibi comparauit. Cum inter filios Dauidis ſuperſtites maior natu reliquis eſſet, Chilabo haud dubie etiam mortuo, non dubitaſſe videtur, quin ſucceſſio in regno ſibi deberetur. Eam itaque vt ſibi adſereret, non tantum re-

regium adparatum ſibi comparauit, ſed &, cum habere regnum, quam exſpectare, mallet, palam in patrem Dauidem inſurrexit. Ambitione incitatum id feciſſe, non eſt dubitandum: fieri tamen potuit, vt intelligeret, regnum Salomoni deſtinatum, vnde magnam ſibi iniuriam inferri ratus, vi ad ſe rapere illud, patre deiecto, inſtituit. Mirum, Dauidem molimina filii non ſubodoratum, praeſertim cum praeter morem currus, & equos, & ſatellites, ſibi comparauit. Sed indulgentia & lenitas erga filios, regem optimum plane excoecaſſe videtur. Abſalom quoque conſilia ſua initio callide diſſimulauit; potuitque fieri, vt Dauid nihil mali ſuſpicans, exiſtimaret, dignitati regis eſſe conueniens, vt filii etiam curribus equisue vecti, & ſatellitibus ſtipati, incederent. Quo ipſo tamen, vt a nimia indulgentia excuſari nequit, ita prudentiae fuiſſet, Abſalomo, cuius ingenium illi ignotum eſſe non poterat, non nimis fidere. Et is quidem, vt populi ſibi conciliaret animos, nihil fecit reliqui. Ad viam portae ſtans, comiter excipiebat litigantes, quidnam negotii haberent, rogitans, cauſſam, quam quisque iuſtam habere putabat, adprobans, at a rege ſententiam iuſtam fruſtra exſpectari, per calumniam fingens, de ſe autem exactiſſimam iuſtitiae adminiſtrationem, ſi ſententiam ipſe laturus eſſet, promittens. Si quis praeterea ad illum accederet, eique, vt regis filio, proſtrato corpore honorem exhibere vellet, id minime admittebat, ſed iniecta manu hominem comprehendebat, & oſculabatur. Et hac quidem ratione magnam apud omnes, nemine animaduertente, ſibi parabat gratiam. Tandem, cum omnia ita diſpoſita crederet, vt deſtinata exſequi poſſet, Hebronem ſe contulit, ſignum ad apertam rebellionem ſublaturus. Factum hoc ſcriptor ſacer memorat מקץ ארבעים שנה *a fine quadraginta annorum.*

Qui, qua ratione computandi ſint anni, mirifice interpretes inter ſe diſſentiunt. Immo ſunt, qui textum hic corruptum arguunt, pro ארבעים *quadraginta*, legendum ארבע *quatuor*, contendentes. Ita praeter alios HVGO GROTIVS, ad *h. l.* Quae eo minus admitti ſententia poteſt, quod cum textu ebraeo conſentiat chaldaeus paraphraſtes, LXX interpretes atque vulgatus. FLAVIVS IOSEPHVS quidem & THEODORETVS habent annos quatuor, vnde nonnulli colligunt, eos apud LXX interpretes eadem ratione olim legiſſe, quemadmodum & nonnulli codices verſionis vulgatae ita habent: ſed hoc nondum eiusmodi eſt, vt ideo conſentiens omnium codicum ebraeorum lectio in dubium vocari queat. Ebraeorum doctores veteres pariter ac recentiores in eo fere conſentiunt, annos iſtos quadraginta incipiendos eſſe a tempore, quo populus Iſraeliticus regem petiit; vel, quod iudice R. LEVI BEN GERSON, eodem redit, quo Saul in regem vnctus eſt. Haec vero aliis ideo diſplicet ſententia, quod in calculo chronologico Ebraeorum non-dum

dum ſatis probato fundetur, Saulem cum Samuele vnum annum, ſolum, duos annos regnaſſe; tum &, quod nulla ratio adferri queat, cur in tempore rebellionis Abſalomi deſignando, epocha petiti ab Iſraelitis regis adſumi debuerit, praeſertim cum & alias epochae huius in ſcriptura ſacra nulla fiat mentio. Alii rurſus initium quadraginta iſtorum annorum a prima vnctione Dauidis repetendum cenſent; vt ABRAH. CALOVIVS, ad *h. l.* qui tamen nec priorem ſententiam repudiat, qua in epocha mutatae reipublicae, cum pro iudicibus rex conſtitutus fuit, annorum iſtorum initium figitur. Sed vtraque iisdem difficultatibus premitur ſententia. Nihil, mea opinione, planius, quam vt anni regni Dauidici intelligantur, adeoque initium eorum conſtituatur eo tempore, quo Dauid regnare incepit. Vſitatiſſima haec eſt in ſcriptura ſacra tempus deſignandi ratio, vt regum, quamdiu regno praefuerunt, anni numerentur. Obiiciunt equidem, qui ſecus ſentiunt, ſequi hac ratione, rebellionem Abſalomi in vltimum regni Dauidici annum incidere, cum, Dauidem quadraginta annos regnaſſe, conſtet, quod abſonum ſit, cum ad minimum inter rebellionem Abſalomi & mortem Dauidis ſeptem anni interceſſerint. Verum recte obſeruatum SEB. SCHMIDIO, nomen קץ *finis*, aeque ac nomen ראשית *initium*, cum latitudine etiam notabili quandoque accipi, vt adeo & hic ſenſus ſit, circa finem, aut vltimam circiter quadraginta annorum, quibus Dauid regno praefuit, partem, rebellionem hancce, Abſalomi contigiſſe. Vt facultatem Hebronem ſe conferendi a patre impetraret Abſalomus, votum, cum Geſure commoraretur, ſe concepiſſe, dicebat, quod ibi eſſet exſoluturus. Videtur id ſaltem prae ſe tuliſſe; patre id non animaduertente, forte, quod prope Hebronem excelſum eſſet, in quo ſacrificia offerre eo tempore non eſſet inſolens. Vtque eo magis patri fucum faceret, ducentos viros totius rei ignaros, & quorum haud dubie Dauidi explorata fides erat, ſecum adſumſit. Interea exploratores ſeu nuntios clandeſtinos per omnes tribus Iſraelis miſit, ſignificaturos, cum buccinae clangorem audituri eſſent, ex eo intellecturos, Abſalomum Hebrone regnare; ſed & Achitophelem, Gilonitam, conſpirationis haud dubie participem, ex vrbe ſua Gilone ad ſe arceſſiuit, vt ſibi a conſiliis eſſet, vt antea Dauidi fuerat. Hinc *valida fuit conſpiratio, populusque magno numero ſeſe ad Abſalomum conferebat.* Qui Abſalomi artes & calumnias, qui populi Iſraelitici ingenium, ad leuitatem & inconſtantiam, frenumque mordendum pronum, quod non ſemel Moſes expertus eſt, cogitat, non mirabitur, tam cito eum a Dauide defeciſſe. Fieri tamen etiam potuit, vt varias ob cauſſas nonnulli regimen Dauidis aegre ferrent, & hinc ad rebellionem eo proniores eſſent; qua de re lectu digna, quae HVGO GROTIVS, ad *h. l.* differit. Diuinam ſimul & hic ſpecialiori quadam ratio-

ne

ne interceſſiſſe directionem, nemo dubitauerit.

** Dauid de his, quae Abſalomus agebat, certior redditus, cum animaduerteret, eo vſque iam rem proceſſiſſe, vt cum ſuis tantae multitudini reſiſtere non poſſet, fuga ſaluti ſuae conſulere tutiſſimum duxit. Poterat equidem aliquis exiſtimare, rectius facturum fuiſſe Dauidem, ſi Hieroſolymae aut in arce Zionis, vtpote munitiſſima, aduentum hoſtis exſpectaſſet: ſed cum rerum ſtatus omnesque circumſtantiae ei longe notiores fuerint, quam hodie nobis eſſe poſſunt, non eſt dubitandum, quin conſilium hoc longe fuerit prudentiſſimum; feliciter id ei ceſſiſſe, euentus docuit. Quod decem concubinas, reliqua familia ſecum adſumta, ad cuſtodiam domus reliquit, eo ſignificaſſe videtur, ſe ſpem reditus neutiquam abieciſſe; eratque adeo fidei documentum. Haud dubie etiam exiſtimauit, ſexum imbecilliorem ab omni violentia immunem fore, quippe quem non niſi homines maxime barbari laedere ſoleant. Egreſſus dicitur rex cum omni multitudine ברגליו *in pedibus eius*, hoc eſt, ex mandato ſeu imperio Dauidis omnes eum ſequebantur. Non itaque inde colligere licet, omnes iuiſſe pedibus, cum probabile contra ſit, vxores liberosque regis mulis aut aſinis vectos. Cum egreſſi eſſent, conſtiterunt ad בית המרחק *domum remotionis*, hoc eſt, locum ita dictum, inter vrbem Hieroſolymam & torrentem Kedron, ſitum. Ibi ergo cum Dauid populum, qui ſe comitabatur, luſtraret, vt videret, quos retinere ſecum, quosue remittere domum deberet, praeter Krethaeos & Plethaeos, etiam Githaeos ſexcentos, qui ſe comitari volebant, deprehendit. Hos proſelytos ex Philiſtaeis fuiſſe, veterum Ebraeorum eſt ſententia, apud R. DAVID KIMCHIVM, ad *h. l.* at alii, & ipſe KIMCHIVS, Ebraeos intelligunt, qui Gathi aliquamdiu commorati erant, indeque iſtud nominis retulerant. Priori ſententiae SEBAST. SCHMIDIVS, poſteriori IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* ſubſcribit. Certe peregrini fuiſſe videntur, quicunque demum fuerint, cum ad Itthaium Gitthaeum, reliquorum, vt videtur, ducem, Dauid dicat: *heſterno die*, id eſt, non ita pridem, *veniſti*, *hodierno vero te ne abducerem, vt nobiscum ires?* Immo paullo antea diſerte, *reuertere*, inquit, *& mane cum rege, es enim alienigena &c.* Vbi cum dicit, quod *cum rege manere* debeat, ſenſus eſſe videtur, quod euentum rei exſpectare debeat, & tum illi parere, qui rex futurus eſſet, ſiue ipſe Dauid, ſiue Abſalomus. Haec omnia vero Dauid ideo dixiſſe videtur, quod hominibus peregrinis non ſatis fideret. Cum ergo Ithaius fidem ſuam regi iureiurando obſtrinxiſſet, permiſit, vt ſe comitaretur. Zadokum vero cum arca federis in vrbem reuerti voluit, ſiue quod eam periculo direptionis exponere nollet, ſiue aliam quamcunque ob cauſſam, ſimulque, quid ab illo eiusque filiis, dum ipſe abeſſet, fieri vellet, eum edocuit. הרואה אתה *num vi-*

Digitized by Google

videns tu? inquit; hoc eſt, num ſpeculator tu es? ſiue, annon rem gratam mihi facies, ſi in vrbem reuerſus, & ad omnia, quae ibi gerentur, attendens, me de iis certiorem reddideris? Ita haec verba capienda, res ipſa docet, falluntur que adeo multum, qui per *videntem* hic prophetam intellig unt, etſi eandem ſententiam, praeeunte chaldaeo, ſequatur FRANCISCVS VATABLVS, & B. LVTHERVS. Dum de Zadoko & Leuitis dicitur, quod cum arca federis adfuerint, additur: ויעל *& adſcendit Abiathar, donec abſoluiſſet omnis populus tranſire ex vrbe.* Quae verba nonnulli ita explicanda cenſent, vt negandi particula ſubintelligatur: *nec adſcendit Abiathar, niſi poſtquam omnis populus ex vrbe abſoluiſſet tranſire.* Innui namque putant, quod Abiathar fidem ſuam Dauidi ſuſpectam fecerit, exſpectando, donec omnis populus ex vrbe Hieroſolyma ad regem tranſiiſſet, vt videret, quasnam partes populus Hieroſolymitanus amplexurus eſſet. Ita IOANNES CLERICVS, ad *b. l.* At, vt durum admodum videtur, negandi particulam ſubintelligere, ita neſcio, annon illorum praeferenda ſit ſententia, qui verbum ויעל de ſacrificiorum oblatione intelligunt, ac ſi Abiathar, ſimulac arca federis in conſpectum Dauidis venit, ſacrificia quoque obtulerit. Hoc dum fiebat, montem oliuarum iam adſcenderat, & in verticem montis progreſſus, populum recenſuerat, lugubri quidem habitu, capite quippe operto, lacrymasque vbertim fundens, & hocce ſpectaculo omnes, qui aderant, ad lacrymas fundendas, doloriſque ſummi edendam ſignificationem, commouens. Et tum demum arcam, poſtquam coram ea adorauerat, remiſiſſe videtur. Eodem tempore, aut, vt nonnullis placet, in adſcenſu montis, nuntiatum illi, Achitophelem etiam eſſe inter coniuratos cum Abſalomo: quod cum audiuiſſet Dauid, Deum, vt eius conſilium irritum redderet, precatus eſt. Non minori impietate, quam prudentia erat Achitophel: vnde mirum non eſt, & effectu caruiſſe conſilia eius, etſi ceteroquin ſatis callida, & ipſi auctori vltimam attuliſſe perniciem. Cum ad montis verticem Dauid veniſſet, & coram arca adoraſſet, eamque remiſiſſet, Huſai Archita, amicus Dauidis, externo habitu ſummum dolorem prae ſe ferens, ad eum venit. Hunc vero reuerti in vrbem Dauid voluit, vt Achitophelis irrita redderet conſilia, & per Zadokum & Abiatharum, eorumque filios, de omnibus ſe certiorem redderet. Durum nimis eſt, quod ad *b. l.* de Dauide pronuntiat HVGO GROTIVS, *non deſeruiſſe eum in tantis malis ſuas artes, ſed, vbi leonina non proderat, adſumſiſſe vulpinam &c.* Prudentiae potius, & quidem inculpatae, id fuit documentum: etſi me non fugiat, eſſe, qui, hocce & Huſai & Dauidis facinus vitio non caruiſſe exiſtiment. Enimuero, cum ſtrategematibus hoſti nocere liceat, non video, cur hocce Dauidis magnopere vituperandum ſit conſilium, praeſertim cum Huſai hactenus Abſalomo non eſſet ob-

obſtrictus, & a perfidiae crimine immunis ſit, licet ſimulatio quaedam interceſſerit. Adplicanda huc, quae ipſemet HVGO GROTIVS, *lib. III. de iure belli cap. IV.* §. *XVIII.* alibique, hanc in rem diſſerit.

Cum e montis vertice Dauid deſcenderet, obuiam habuit Zibam, Mephiboſethi ſeruum, cum aſinis duobus, ſi quis forte ex regis familia illis opus haberet, res ad vitam neceſſarias adferentem. Hac ratione ſuam erga regem fidem demonſtrare, eiusque captare gratiam, homo callidus voluit. Eſt admodum probabile, Zibam a Mephiboſetho in praedium aliquod miſſum, vt aſinos cum alimentis ad ſe adduceret, vt ipſe regem ſequi & alimenta offerre poſſet, ſed Zibam, nebulonem peſſimum, herique bonis inhiantem, relicto in vrbe Mephiboſetho, ex praedio iſto recta ad Dauidem iuiſſe, ſuoque nomine iſta obtuliſſe munera. Hoc verba Mephiboſethi innuunt, dum deinceps de ſerui perfidia apud regem conquerens, *ſeruus meus*, inquit, *decepit me.* Et hinc etiam intelligitur, cur obuiam illi veniſſe dicatur. Quod dici non poſſet, ſi & Ziba ex vrbe Hieroſolyma veniſſet. De Mephiboſetho interrogatus calumniator turpiſſimus reſpondet, eum Hieroſolymae ſubſtitiſſe, an forte rebus turbatis regnum recipere poſſet. *Sunt quaedam*, inquit HVGO GROTIVS, ad *h. l. ita ſpecioſae calumniae, vt etiam prudentiſſimo regi poſſint imponere.* Sed iſtae calumniae non adeo ſpecioſae erant. Debilitas certe Mephiboſethi, & quod nullius auctoritatis eſſet, retinere Dauidem poterat, quo minus calumniae ineptae fidem adhiberet. Praeterea, cum omnis populus Abſalomum ſequebatur, qui miſer ille Mephiboſethus vllam ſpem regni recipiendi habere potuiſſet? Sed cum homines in calamitate conſtituti creduli eſſe ſoleant, nec omnia ita, vt decet, expendant, Dauidi etiam facile eiusmodi quid perſuadere potuit. Nec tamen excuſari prorſus poteſt, cum haud leue peccatum ſit, damnare hominem innocentem, eumque non auditum, calumniatorem vero praemio adficere, quem grauiſſime potius punire debuiſſet. Hac enim ratione aliis quoque ad audacter calumniandum animus additur. Recte C. CORN. TACITVS: *Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & poenis quidem nunquam ſatis coercitum, per praemia eliciebantur*, *annal. lib. IV. cap. XXX. 5.* Interim Ziba hac ratione obtinuit, vt Dauid domini eius bona illi largiretur, quorum tamen dimidiam partem illi deinceps reſtituere coactus eſt.

Cum Dauid Bachurimos veniſſet, Simei quidam, filius Gerae ex familia Saulis prodiit, conuiciis grauiſſimis eum proſcindens, & lapidibus pariter ac comites eius impetens. Ex tribu Beniamin eum fuiſſe, *verſ. 11.* diſerte dicitur, & inde etiam conſtat, quod ex familia Saulis fuerit. Ipſe quidem *cap. XIX. 21.* innuere videtur, quod ex domo Ioſephi fuerit. Sed aliis iam recte obſeruatum, iſtorum verborum hunc ſaltem ſenſum eſſe, quod prius,

quam

quam domus Ioſephi, ad regem recipiendum venerit. Grauiſſima autem fuere, quae in Dauidem coniecit, conuicia, dum eum virum ſanguinarium, virum nequam, vocauit, caedemque domus Saulis illi exprobrat, cum tamen iuſſu Dauidis non tantum nemo ex hac domo interfectus eſſet, ſed & Saulis ac Isboſethi interfectores poena grauiſſima adfeciſſet. Tam improbi itaque facinoris iniquitate permotus Abiſai, occidere Simei voluit; at prohibitus eſt a Dauide, qui iſtam calamitatem peccatis ſuis ſe promeruiſſe, nec ſine ſingulari Numinis cuncta ſapienter dirigentis permiſſione, iſta ſibi contingere, agnouit. Ita enim verba iſta: *ſic maledicat, quia Iehoua dixit ei, maledic Dauidi*, accipienda arbitror: quae ab aliis aliter explicantur, vt videre licet apud AVG. PFEIFFERVM, *dub. vex. cent. II. loc. LXXXVIII. pag. 697. ſeqq.* Addidit, cum a filio longe grauiora patiatur, quippe qui ipſam vitam ſibi eripere conetur, leuiora iſta patienter ferenda, ab homine inſuper Beniaminita profecta, qui regiam dignitatem e domo Saulis in ſuam translatam, non poſſit non aegre ferre; ſe etiam credere, fore tempus, quo Deus aduerſa, quae nunc patiatur, felicioribus fatis ſit compenſaturus. Et ita tandem, Simei, quamdiu poterat, lapides in regem conicere & puluerem excitare pergente, rex cum ſuis eum in locum peruenit, vbi paulisper reſpirare decreuerat. Interea Abſalomus cum ſuis Hieroſolymam peruenit, quorſum & Huſai ex Dauidis conſilio properauit, ad Abſalomi ſe tranſiiſſe partes, prae ſe ferens. Qua in re an peccauerit, diiudicandum ex iis, quae iam ſupra hac de re disputauimus. Achitophel autem conſilium Abſalomo dedit, vt cum pellicibus patris ſui, quas ad cuſtodiendam domum reliquerat, palam congrederetur. Quo quid ſpectauerit, ipſemet indicat, cum dicit: *intelligetque omnis Iſrael, te foetidum factum apud patrem.* Nimirum metuebat homo vafer, ne Iſraelitae in eam ingrederentur ſententiam, facile fieri poſſe, vt filius patri iterum conciliaretur, patremque poenas tum ſumturum ab iis, qui filii partes ſecuti eſſent. Quae opinio multorum animos ab Abſalomo auertere, aut ſaltem remiſſiores facere poterat. Grauisſima itaque quadam iniuria adficiendus Dauid erat, vt populo perſuaderetur, nullam amplius exſpectandam conciliationem. Nulla autem grauior, praeſertim ſecundum iſtius temporis mores, excogitari poterat, quam vxorum aut pellicum conſtupratio. Legenda, quae praeter alios; ad *h. l.* notauit HVGO GROTIVS. Abſalomus, quae Achitophel ſuaſit, perpetrauit, grauisſimo hoc ipſo ſcelere ſe obſtringens; ſimul vero fidem faciens illis, quae Nathan vates Dauidi praedixerat.

*** Cum de rei ſumma & ratione belli deliberatio inſtitueretur, Achitophel quidem auctor fuit Abſalomo, vt ſine mora Dauidem cum ſuis opprimeret, idque cum duodecim millibus delectorum ex Iſraele ſe effecturum pollicebatur. Quod conſilium, quin fue-

Digitized by Google

fuerit prudentiſſimum, dubitari nequit. Veroſimile enim admodum, eum hac ratione populum, qui cum Dauide erat, in maxima adhuc trepidatione conſtitutum, feſſum praeterea, & incompoſitum, adque bellum minime paratum, diſſipaturum fuiſſe, ſi Abſalomus conſilio huic locum reliquiſſet, adeoque ipſum Dauidem in ſuam redacturum poteſtatem. Et licet Abſalomo proceribusque Iſraelitarum, qui cum illo erant, hocce conſilium valde placeret, ſingulari nihiloſecius Numinis directione contigit, vt Huſaium quoque hac ſuper re audire, Abſalomus ſecum decerneret. Hic vero ei ſuaſit, vt totum populum Iſraeliticum congregaret, & contra Dauidem educeret, cum hac ratione, vbicunque locorum eſſet, facile & ſine periculo opprimere poſſet. Quod ſi cum delectis ſaltem viris eum adgrederetur, ſine neceſſitate in maximum diſcrimen rem omnem adduci. Quod ſi enim delecti iſti clade quadam adficerentur, quod facile contingere poſſet, cum Dauid vir fortiſſimus bellique peritiſſimus eſſet, & alios viros fortitudine praeſtantes ſecum haberet, fieri aliter vix poſſe, quam vt reliquis terror ingens iniiciatur, deſeraturue tandem Abſalomus ab omnibus. Quod quidem conſilium etſi Dauidi reuera ſalutare eſſet, eo quippe comparatum, vt tempus lucraretur, quo eo rectius hoſtium inſultibus ſe opponeret, ſpecie tamen non carebat. Minori enim periculo hac ratione ſe exponere Abſalomus videbatur, quam ſi Achitophelis conſilium ſequeretur. Licet & in ſermone Huſaii hyperbolicum quid & iactabundum deprehendere, quod Abſalomo, iuueni ferocienti, & incauto, haud dubie non ingratum fuit: vnde & eo facilius in ſententiam eius conceſſit. Non tamen excludenda hic Numinis prouidentia, cuius praecipuas in hoc negotio partes fuiſſe, & res ipſa docet, & ſcriptor ſacer diſerte innuit. Huſai Zadoko & Abiatharo ſacerdotibus, quid geſtum eſſet, indicat, vt Dauidem de omnibus certiorem redderent, & tum ſuum, tum Achitophelis conſilium illi indicarent. Nondum enim videtur ſciuiſſe, quodnam electurus eſſet Abſalomus. Factum id & a ſacerdotibus, quorum filii Ionathan & Achimaatſus extra vrbem ſubſiſtebant, ne ex vrbe egredientes ſuſpecti Abſalomo redderentur. His per ancillam ſignificatum, quae nuntiare Dauidi deberent: ſed per adoleſcentem quendam indicati Abſalomo, eaque de re certiores redditi, Bachurimos properarunt, ibique in puteo a muliere quadam occultati ſunt, donec reuerſi eſſent, qui ab Abſalomo miſſi erant, vt eos caperent reducerentque. Vocem הריפות, quae *verſ. 19.* exſtat, vulgatus non male *ptiſana* reddit. LXX non intelligentes retinuerunt: ἀφφαρὼθ. Forte plantae nomen eſſe putarunt, quae graeca lingua exprimi non poſſet. Dauid, ſimul ac intellexit, quae Ionathan ac Achimaaz nuntiabant, ſtatim cum ſuis Iordanem traiecit. Achitophel autem cum perſpiceret, conſilium ſuum ab Abſalomo exſecutioni non

non mandatum, domum ſuam reuerſus laqueo gulam ſibi ipſi fregit. Ita enim vox ויחנק capienda eſt, cum diſerte *ſuper domo ſua praecepiſſe*, ſeu mandata familiae ſuae, quid poſt mortem ſuam fieri vellet, dediſſe dicatur. Vnde audiendi non ſunt, qui eum aut per morbum, aut caſu quodam, ſuffocatum contendunt. Conſentiunt nobiſcum Ebraeorum doctores R. LEVI BEN GERSON, R. DAVID KIMCHI, aliique. Non tantum indignatio ob contemtum, & quod putaret, ſe in poſterum nullo apud Abſolomum loco fore, ſed metus etiam hominem ad iſtum furorem induxit, quia, ſi Dauidis partes ſuperiores futurae eſſent, quod haud dubie ſuſpicatus eſt, actum de ſe eſſe, facile colligere potuit. Occupare itaque mortem, quam exſpectare maluit. Idem obſeruatum FLAVIO IOSEPHO, qui tamen, ni fallor, τῇ αὐτοχειρίᾳ patrocinari videtur, cum Achitophelem inter alia ita loquentem introducit: ἄμεινον ἂν ἔφησεν εἶναι τοῦ ζῆν αὐτὸν ἐξαγαγεῖν ἐλευθέρως καὶ μεγαλοφρόνως, ἢ παρασχεῖν αὐτὸν εἰς κόλασιν Δαβίδῃ, ὃς καθόλου πάντα συνέπραττεν Ἀβεσσαλώμῳ· *Praeſtat igitur, inquit, magno animo, vt virum ingenuum decet, e vita exire, quam Dauidi ob filio nauatam contra eum operam, excarnificandum ſe praebere, antiquit. iudaic. libr. VII. cap. IX. pag. 233.*

Abſalomus, conſilium Huſai ſecutus, traiecto itidem Iordane, caſtra poſuit in terra Gileaditide: Dauid vero Machanaimos ſe recepit, vbi Sobi, filius Nachaſi, regis Ammonitarum, alter ſcilicet, qui Dauidi ſemper adhaeſerat, aut, quae aliorum eſt ſententia, Nachaſi, Iſraelitae cuiusdam in Rabbah Ammonitarum peregrinantis, & Barſellai, Gileadita, varia ad vitam neceſſaria attulerunt. De Abſalomo adhuc obſeruandum, quod Amaſam exercitui ſuo praefecerit: de quo dicitur, quod fuerit *filius viri Iſraelitae, cui nomen erat Iithrae, & qui congreſſus erat cum Abigala, filia Nachaſi, ſorore Zeruiae, matris Ioabi.* At *I. chron. II. 15. 17.* Abigalae iſtius pater, Iſai, pater Dauidis vocatur, vnde ſequitur, fuiſſe ſororem Dauidis. Praeterea Iether ſiue Iithra, hoc namque perinde eſt, ibidem Ismaelita vocatur. Hinc vt ſe expediant viri docti, varia comminiſcuntur. Quod ad prius attinet, recepta fere, imprimis & Ebraeorum eſt ſententia, Iſai patrem Dauidis etiam Nachas dictum. Nec tamen & illorum ſpernenda ſententia, qui, matri Dauidis duos fuiſſe maritos, putant, quorum alteri nomen Nachas, vt adeo Zeruiah & Abigal ſeu Abigail fuerint ſorores Dauidis, non ratione patris, ſed ratione matris. Ita ſane ratio reddi poteſt, cur *II. Sam. XVII. 25.* Abigala Zeruiae potius, quam Dauidis, ſoror, dicitur. Ad alterum vero quod attinet, non deſunt, qui & *II. Sam. XVII. 25.* ישמעלי *Ismaelita* legendum cenſent, vt CASP. SANCTIVS, HVGO GROTIVS, IOAN. CLERICVS, aliique. Sed nihil obſtat, quo minus Iether ſeu Iithra prima quidem origine fuerit Ismaelita,

 forte

forte ex familia Iethronis, idem tamen quia in gentem Iſraeliticam receptus eſſet, etiam Iſraelita diceretur. conf. SEBAST. SCHMIDIVS, ad *II. Sam. XVII. quaeſt. VIII. pag. 797. 798.* Cum ergo eo iam res veniſſet, vt proelium commitendum eſſet, Dauid populum luſtratum ſubiecit chiliarchis & centurionibus, deinde tripartito diuiſum Ioabo, Abiſchaio & Itthaio Githaeo. FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, quatuor bellatorum fuiſſe millia: quod in ſcriptura ſacra non exſtat. Probabile, maiorem fuiſſe eorum numerum, praeſertim, cum tres duces exercitui praefecerit, quorum imperio chiliarchi eſſent ſubiecti. Nec tamen & HVGONI GROTIO ſuffragatus fuerim, copias Dauidis non fuiſſe minores hoſtilibus. Cum enim plerique Iſraelitarum Abſalomo adhaererent, hoc fieri non potuit. Interim, quia inter eos, qui cum Dauide faciebant, viri erant longe fortisſimi, non dubitauit Dauid, Numinis cumprimis auxilio fretus, copias ſuas, etſi numero minores, tantae Abſalomicorum multitudini opponere. Quo minus vero ipſe Dauid in proelium iret, quod facere, de filii, vt videtur, ſalute admodum ſollicitus, voluit, populus prohibuit, ratione addita: *ſi moriatur dimidia pars noſtrum, hoc non animaduertetur,* כי עתה כמונו עשרה אלפים *quia nunc ſicut nos decem millia.* Quae verba nonnulli ita capiunt: tu es, ſicut decem millia ex nobis, vel quales nos ſumus. Ita LXX interpretes: ὅτι σὺ ὡς ἡμεῖς δέκα χιλιάδες, & vulgatus: *quia tu vnus pro decem millibus computaris.* Conſentit & R. SALOM. IARCHI, & B. LVTHERVS noſter. Qui ſenſus planiſſimus eſſet, ſi pro עתה legeretur אתה, quo pacto nonnulli LXX interpretes legiſſe exiſtimant. IOANNES CLERICVS ſecundum receptam lectionem vertit: *ſumus enim nunc circiter decem millia.* Sed hoc pacto nullus neruus, nullaque in his verbis eſt vis probandi. Rectius mea opinione alii vertunt: *quoniam adhuc* (erunt tibi) *ſicut nos, decem millia;* hoc eſt, facile tibi erit, pro quolibet noſtrum iterum decem millia virorum tibi comparare, cum tui iactura contra nobis futura ſit plane irreparabilis. Addunt, poſſe etiam regem, ſi quid aduerſi illis accideret, copiis aliunde contractis, ex vrbe illis auxilium ferre. Populi ergo voluntati rex obtemperans, cum copiae egrederentur, ducibus palam mandauit, vt leniter cum Abſalomo agerent. Vitae nimirum eius eos parcere voluit, de aeterna eius ſalute haud ſine ratione ſollicitus. Ceteroquin nulla cauſſa erat, cur ſeruari hominem impium vellet, quem e medio tolli publicae rei intererat. Dauidem vero & hic humani aliquid paſſum, & ſuae erga liberos propenſioni, vltra, quam par erat, indulſiſſe, non negauerim. Commiſſum eſt proelium ביער אפרים in *ſilua Ephraimi.* Quod quo pacto intelligendum ſit, cum Ephraimitis nulli ad ortum Iordanis agri fuerint, quaeri ſolet. Ebraeorum eſt traditio, ex conſtitutione quadam Ioſuae Ephraimitis

tis in ſilua iſta trans Iordanem pecora ſua paſcere licuiſſe; indeque ſiluam iſtam Ephraimi dictam. Legenda, quae hac de re R. SALOM. IARCHI & R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* obſeruant. Sed iſta incerta eſt traditio. Haud dubie ab euentu quodam ſingulari ad Ephraimitas pertinente, etſi nobis ignoto, aut, quod ſilua iſta in confinibus tribus Ephraim eſſet, ita adpellata eſt. Locus ita comparatus erat, vt pauciores pluribus reſiſtere poſſent, quod illis, qui a Dauidis partibus ſtabant, peropportunum erat. Euentus proelii is fuit, vt Abſalomi copiae in fugam verterentur, cum in ipſa acie vigeſies millies viri cecidiſſent. *Diſtractum*, inquit ſacer ſcriptor, *fuit proelium, per totum illum tractum, pluresque ſilua illo die in populo abſumſit, quam gladius.* Scilicet in ſilua hinc inde errarunt, & aut fame, aut paludibus immerſi, vel alia ratione perierunt, aut in ipſa ſilua in hoſtium poteſtatem venerunt. Fieri & potuit, vt quidam a feris beſtiis diſcerperentur, quamuis ideo Ebraeorum, quae hac de re habent, non ſint adprobanda commenta.

Abſalomus ipſe, qui mulo vehebatur, cum ramos perplexos magnae quercus ſubiiſſet, capite eidem adhaeſit, iumentoque in curſum effuſo, & diffugiente, ex arbore pependit. Capillitio ramis arboris implicitum FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, *antiquitat. iudaic. libr. VII. cap. IX. pag.* 234. quem & plerique ex ebraeis pariter ac chriſtianis ſequuntur. Nec adeo hoc improbabile, etſi diſerte ſcriptura ſacra non dicat. Si enim perpendamus, quae antea de caeſarie Abſalomi dicta, non video, quid obſtet, quo minus per agitationem quandam prominenti arboris ramo ita implicari potuerit, vt Abſalomum hac ratione ſuſpenſum teneret. THEODORETVS tamen exiſtimat, Abſalomum non capillis, ſed capite inter duos arctiores ramos ſuſpenſum haeſiſſe; quam ſententiam etiam IOANNES CLERICVS calculo ſuo adprobat ad *h. l.* Cum itaque vir quidam eum ita pendentem vidiſſet, Ioabo hoc nuntiauit, qui decem argenteos & cingulum vnum ei ſe daturum fuiſſe dixit, ſi Abſalomum interfeciſſet: negante viro iſto, ſe hoc facturum fuiſſe, ſi vel mille argenteos accipere potuiſſet, cum ſibi ignotum non eſſet, quam ſeuere David ducibus exercitus praeceperit, ne Abſalomum interficerent: idque ſi feciſſet, ſe non dubitare, quin ipſius Ioabi deinceps damnatus fuiſſet iudicio. Ioabus morae impatiens (לא כן אוחילה *non ſic*, inquit, *exſpectabo coram te*) ſumtis tribus ſpiculis, ſeu iaculis ferro praefixis, (ita enim vocem שבטים hic capiendam, res ipſa poſtulat) ea medio corpori Abſalomi infixit, cumque nondum animam efflaſſet, decem Ioabi armigeri acceſſerunt, percuſſeruntque, vt moreretur. Qua in re quin grauiter peccauerit Ioabus, nullum videtur eſſe dubium. Etſi enim Abſalomus rebellione iſta, aliisque flagitiis, capitis poenam promeritus erat, non tamen Ioabi erat, hanc illi infligere;

Digitized by Google

gere; idque eo minus, quia rex diſerte praeceperat, vt filio parcerent. Quo ipſo ſi vel maxime humani quid paſſus ſit Dauid, non tamen fas Ioabo erat, ſententiam eius corrigere, aut mandatum regis in minimis ponere. Accedit, quod non reipublicae cauſſa, ſed ex odio potius ſingulari erga Abſalomum, ad iſtam crudelitatem progreſſus videatur. Hinc & cum ſuae vindictae cupiditati ſatisfeciſſet, ſigno buccina dato, populum a perſequendis fratribus reuocauit, gratum id fore Dauidi, perſpectum habens, ne ſine neceſſitate Iſraelitarum ſanguis effunderetur. Abſalomi autem cadauer in foſſam ingentem, quae in ſilua erat, proiectum, & in rei memoriam ingens ſuper eo ſtatutus lapidum aceruus. Hoc documento & alii commonefieri poterant, vt tanto diligentius ab eiusmodi ſibi cauerent flagitiis. Dauidem aegerrime ignominiam iſtam, qua poſt mortem etiam filius adfectus eſt, tuliſſe, vt credamus, par eſt: mutare tamen, quod factum eſt, noluit, haud dubie, quod aeterna filii ſalus magis ſollicitum haberet, & de hac modo ſi certus eſſe potuiſſet, permittere tandem potuit, vt punitae grauiter a Deo rebellionis documentum perenne exſtaret.

Memorat hac occaſione ſcriptor ſacer, Abſalomum iam antea monumentum aliquod in valle regia ſibi ſtatuiſſe, in perennem nominis ſui memoriam, eo quod maſcula ſobole deſtitueretur, filiis, quorum antea facta erat mentio, haud dubie praematura morte exſtinctis, & ipſo, neſcio, quam ob cauſſam, de aliis procreandis deſperante. Eam columnam de nomine ſuo vocari voluit, & ad hunc vsque diem, inquit ſcriptor ſacer, dicitur: יד אבשלום *manus Abſalomi.* Illis, qui vocem יד per *area* vertunt, ſuffragari nequeo, quia locus, in quo monumentum hoc conſtitutum fuerit, antea iam fuit deſignatus. Rectius itaque de ſtatua quadam ad latus viae, ſeu in loco publico conſtituta, capitur: idque eo magis, quod idem monumentum etiam vocetur: מצבת *columna* ſiue *ſtatua.* FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. libr. VII. cap. IX.* hac de re ita loquitur: *ἔστησε δ' Ἀβεσσάλωμος ἐν τῇ κοιλάδι τῇ βασιλικῇ στήλην λίθου μαρμαρίνου, δύο σταδίους ἀπέχουσαν Ἱεροσολύμων, ἣν προσηγόρευσεν ἰδίαν χεῖρα, λέγων, ὡς καὶ τῶν τέκνων αὐτοῦ διαφθαρέντων, ἐν τῇ στήλῃ μένει τὸ ὄνομα.* Quae verba interpres ita reddit: *Porro Abſalom erexerat ſibi in valle regis columnam marmoream cum inſcriptione, duobus ſtadiis ab Hieroſolymis diſſitam, quam voluit vocari, manum Abſalomi, dicens, quod, etiamſi liberos eius perire contingat, in hac tamen nomen eius manſurum.* Hinc plurimi inducti in errorem, qui monumentum hoc Abſalomi columnam marmoream cum inſcriptione fuiſſe, ſibi perſuaſerunt. Verum inſcriptionis in textu graeco IOSEPHI, nulla mentio. Marmoream etiam dum hanc columnam dicit, id ſine ſcripturae ſuffragio facit: etſi probabile ſit, monumentum hoc Abſalomi ex tali mate-

materia fuiſſe, quae aetatem ferre potuerit. Sunt & variae aliorum de hocce Abſalomi monumento ſententiae, ex illis, qui terrae ſanctae aut vrbis Hieroſolymae deſcriptionem dedere, aut itineraria terrae ſanctae reliquere, hauriendae: quarum cum aliae ab omni veri ſpecie abhorreant, aliae fundamento non ſatis certo nitantur, resque tota tandem non magni momenti ſit, iis non immorabimur. Iis, qui plura hac de re cupiunt, legenda IOAN. ANDREAE SCHMIDII, theologi Helmſtadienſis clariſſimi, diſſertatio de *monumento Abſalomi*, anno MDCCII edita. Victoriae pariter ac Abſalomi interfecti nuntium ad Dauidem perferre voluit Achimaaz, Zadoki ſacerdotis filius: at Ioabus prohibuit, quod nuntium regi parum gratum adlaturus eſſet, idque Midianitae cuidam in mandatis dedit: inſtante autem rurſus Achimaazo, conſenſit Ioabus: tumque Achimaazus curſus celeritate Midianitam praenertens, de victoria regem primus certiorem reddidit, caede Abſalomi prudenter diſſimulata, quam mox Midianita, cum itidem adueniſſet, aperte ſignificauit, Dauide hinc in magnam triſtitiam coniecto, & flebili voce multisque lacrymis filii obitum deplorante.

§. XVIII.

Luctui ob filii interitum ne nimis indulgeret, a Ioabo monitus Dauid, populo ſe conſpiciendum praebuit, redeuntibus ſimul ad ſaniorem mentem Iſraelitis, qui Abſalomi partes ſecuti fuerant, deque rege reuocando conſilia agitantibus. Segniores reliquis, qui ex tribu Iudae erant, viſi, forte quod pro Abſalomo feruentiores fuiſſent, regisque indignationem metuerent. At de gratia atque fauore eius certiores redditi, reliquos anteuertunt, adnitente cumprimis Amaſa, Abſalomici exercitus duce, quem Dauid non tantum in gratiam receperat, ſed exercitus ſui praefectum conſtituerat. Ita regnum magno omnium adplauſu & congratulatione recuperauit, benignitatisque ſimul & clementiae ſingularis documenta edidit, veniam delictorum concedendo conuiciatori Simei, Barſillaio agendo gratias ob fidem ſingulari ratione erga ſe demonſtratam, & in filium eius varia conferendo beneficia. Mephiboſethus autem cum Ziba patrios agros partiri iuſſus eſt. *

* Rumor de ingenti regis ob mortem filii dolore apud populum vulgatus, victoriae gaudium corrupit. Triſtes enim omnes, nulloque laetitiae edito ſigno, vrbem ingreſſi ſunt, ac ſi clade ingenti ab hoſte adfecti fuiſſent. Tum Ioabus ad regem ingreſſus, eum acriter obiurgauit, quod luctu tam intempeſtiuo eos omnes, qui tam fortiter pro illo dimicando, ipſi eiusque fami-

familiae vitam conſeruaſſent, filio rebelli poſtponere, minimeque adeo curare videretur; ſimulque addidit, niſi egrederetur, & cum ſeruis ſuis ea loqueretur, quae illis grata eſſent, fore, vt omnes dilaberentur, rexque adeo ab omnibus deſertus, longe maioribus, quam hactenus vnquam factum, periculis exponeretur. Inſolens vtique & violenta erat oratio, qua Ioabus erga regem vtebatur, &, quae ſeruum cum domino loquentem minime decebat: quia tamen ſimul ſtudium ſaluti Dauidis conſulendi prae ſe ferebat, nec fundamento, quod Ioabus dicebat, omni deſtituebatur, non poterat eum Dauid adeo aegre ferre. Videtur vero etiam comminatio quaedam in verbis Ioabi eſſe, ac ſi ipſemet populo perſuaſurus eſſet, vt a Dauide deficeret, regnumque in alium transferret, niſi a luctu iſto deſiſteret. Ita ſane verba Ioabi exprimit FLAVIVS IOSEPHVS. Quare & licet luctus Dauidis, non tam mortem, quam aeternam perniciem filii dolentis, minime iniuſtus eſſet, neceſſitati tamen parendum eſſe, exiſtimauit, ne ea contingerent, aut ne forte ipſemet Ioabus efficeret, quae praedixerat. Dum ergo Dauid in conſpectum populi prodiens ſuorum iterum erigebat animos, Iſraelitae interea, qui cum Abſalomo fuerant, ad ſua ſe receperunt. Mox autem, qui propenſiori in Dauidem erant animo, de rege reducendo deliberare coeperunt. Quo minus enim non de omnibus Iſraelitis capi queat, quod hic dicitur, illud obſtat, quod *verſ. 40.* dimidia pars Iſraelitarum ad transducendum regem adfuiſſe dicatur: reliqui vero ſerius venientes, vt morae πρόφασιν haberent; cum tribu Iudae expoſtularunt, *verſ. 41.* Illi ergo ſaltem, qui bene Dauidi cupiebant, indignitatem rei, quod coram filio rex optimus, deque toto populo praeclare meritus, fugere coactus fuiſſet, perpendentes, de eo reducendo agitabant conſilia. Praetermittendum vero non eſt, quod dicunt, *Abſalomus, quem vnximus ſuper nos, mortuus eſt in proelio &c.* Innuere enim videntur, quod Abſalomus iam in regem vnctus fuerit. Quod & cur admitti nequeat, nullam cauſſam video, etſi diſerte, hoc ſcriptura non commemoret, cum haud infrequens ſit, vt, quod vno loco ſilentio praetermiſit, id alio velut in tranſitu indicet. Hoc ſi admittere nolis, dicendum, eos ſignificare, quid facere voluerint. Cum Dauid iſtam animorum propenſionem haud dubie per exploratores cognouiſſet, non tantum continuare bellum ſupernacaneum duxit, ſed hac etiam occaſione ad animos Iudaeorum per honeſtam quandam aemulationem ſibi conciliandos, vſus eſt, per Zadokum & Abiatharum illis ſuggerens, quam indignum futurum eſſet, ſi illi vltimi in rege reducendo eſſe vellent. Quo ipſo non tantum acriter eos incitauit, ſed quidquid ſupereſſe poterat diffidentiae, diſſipauit. Cumque inſuper Amaſae, qui Abſalomi copiis praefuerat, imperium in exercitum ſuum promiſiſſet, eo facilius totam tribum ad partes ſuas per-

pertraxit. Maximopere autem Dauidis intererat, tribum Iudae ſibi fauere, cum hac ratione regiam ſedem ſtatim recuperare poſſet. An aeque prudenter fecerit, quod Amaſae imperium in exercitum promittendo, Ioabum, cuius in ſe fidem tot documentis perſpectam habebat, offenderit, dubitari poteſt. Parum enim hoc tempeſtiuum fuiſſe videtur. Quin iuſtum fuerit, nullum eſt dubium. Vel eo enim nomine hoc promeruerat Ioabus, quod contra clariſſimum regis mandatum Abſalomum interfecerat; ne quid de eo dicam, quam inſolenter ſe erga regem geſſerit. Intellecta Iudaeorum voluntate, Dauid ad Iordanum acceſſit, vt eum traiiceret, quorſum & ex altera parte Simei, qui antea ei maledixerat, cum viris tribus Iudae & mille viris ex tribu Beniamin, properauerat. Fallitur FLAVIVS IOSEPHVS, dum Iordanem ponte iunctum putat, vt rex traiiceret. In ebraeo eſt ועברה העברה, quae verba perperam LXX interpretes reddunt: *καὶ διέβη ἡ διάβασις*, nec rectius vulgatus: *tranſierunt vada, vt traiicerent domum regis.* De nauicula enim ſeu pontone intelligenda ſunt, & ita vertenda: *tranſiuit vero nauicula ad traiiciendam familiam &c.* Dum vero rex in eo erat, vt Iordanem traiiceret, Simei ante eum procidit, & delictorum petiit veniam, quam haud difficulter a rege clementiſſimo impetrauit, fruſtra ex intempeſtiuo zelo ſe opponente Abiſai. Eaque in re prudenter ſe geſſit Dauid, cum non alia facilius ratione, quam clementia, omnium iterum ſibi conciliare animos poſſet. Licebat tamen regi, aut eius ſucceſſori, veniae, quam Simei conceſſerat, conditionem quandam adiicere, quod & a Salamone factum legimus, *I. reg. I. 36. ſeqq.* Deinde, cum rex ad vrbem Hieroſolymam adpropinquaſſet, obuiam ei venit Mephiboſethus, qui ab eo tempore, quo rex Hieroſolyma diſceſſerat, in luctu verſatus erat. Licet vero is ſuam contra Zibae, ſerui ſui, calumnias, innocentiam demonſtraret, nihil tamen aliud obtinuit, quam vt Ziba dimidiam agrorum partem ei reſtituere iuberetur. Qua in ſententia, etſi iniquiori, & non aliud fundamentum, quam peſſimi hominis turpiſſimam calumniam habente, Mephiboſethus etiam adquieuit. Priusquam vero hoc fieret, & Dauid adhuc circa Iordanem haereret, Barſillaium, qui maximis beneficiis regem cumulauerat, poſtquam ad Iordanem vsque eum comitatus erat, dimiſit. Hieroſolymam eum inuitauerat, vt tot in ſe ſuosque collata beneficia compenſare poſſet: ſed ob ſenectutem hoc recuſauit Barſillaius, filium potius ſuum Chimamum regi offerens, quem & ſecum Hieroſolymam adſumſit. Traiecto Iordane, cum Gilgalem veniſſet, a tribu Iudae & dimidia parte Iſraelitarum, ſeu illis, qui propenſiori erga eum animo erant, comitatus, tum vero & reliqui Iſraelitae aderant, inuiti quodammodo, vt videtur, & coacti; qui, vt animum diſſimularent, & motae *πρόφασιν* quaererent, cum tribu Iudae expoſtulare coepe-

coeperunt, quod velut furtim regem eiusque familiam traduxiſſent. Quo ipſo tamen nihil aliud agebant, quam vt animum malignum proderent. Nihil namque fecerant Iudaei, quod reprehenſione dignum eſſet. A Dauide enim moniti, ne omnium poſtremi in hoc officio eſſent, effecerant, quod & eo magis eos decebat, quo propinquiori cognatione regem attingebant. Non ergo dicere poterant Iſraelitae, hoc in ſui contemtum factum. Quorum licet in rege eligendo potiores partes eſſent, cum decem tribus efficerent, Beniaminitis forte Iudaeis adnumeratis, (quod innuere videntur) id tamen vbi de animo promto erga regem declarando ſermo erat, in cenſum non veniebat. Quare & haud immerito acriori ſermone repreſſi ſunt a Iudaeis. Interim hic aemulatio tribus Iudae, & reliquarum tribuum, haud obſcure ſe prodit, quae tandem poſt Salomonis tempora, ſub Rehabeamo & Ieroboamo, in neruum erupit.

§. XIX.

Tum Seba, qui res nouas moliri auſus eſt, haud difficulter oppreſſus, ſuae temeritatis poenas iuſtiſſimas dedit; occiſo hac etiam occaſione a Ioabo Amaſa, eo quod ille hunc regis exercitui praefectum, aegre ferret. * Fames autem a Deo immiſſa, poena poſterorum Saulis, qui Gibeonitas inſigni adficiendo iniuria, graui ſcelere ſe obſtrinxerat, ſedata eſt. Duo namque Saulis filii & quinque nepotes, Gibeonitis traditi, crucique ab iis adfixi ſunt. ** Philiſtaei etiam denuo victi atque repreſſi, quatuor ex Rephaeorum gente gigantibus interfectis, Dauide tum ob hanc, tum ob alias victorias, ab hoſtibus Numinis auxilio reportatas, laudes Dei carmine in pietatis gratique animi documentum, celebrante. *** Sed cum, neſcio qua ambitione ductus, populi vniuerſi numerum iniri iuberet, peſte grauiſſima populo immiſſa caſtigatur, quae, placato Dauidis poenitentia Numine, ceſſauit, cum ſeptuaginta hominum millia periiſſent. *

* Iſraelitas illos, qui cum tribu Iudae, quod in reducendo Dauide ſe praeueniſſet, expoſtularunt, maleuolo in Dauidem fuiſſe animo, iam ante obſeruauimus. Hos itaque cum facile ad rebellionem excitari poſſe videret Seba, filius Bichri, Beniaminita, adeoque ex amicis familiae Saulis, hac occaſione vtendum ratus, ſigno buccina dato, vt relicto Dauide, quisque ad ſua diſcederet, auctor fuit. Reuerſi nimirum ſunt ad domus ſuas, vt ſignificarent, nihil amplius ſibi negotii cum Dauide eſſe, ſimulque haud dubie, vt ad bellum ſe praepararent, congregandi iterum, ſi res poſtularet.

Dauid

Dauid autem in celeritate ſpem maximam haud ſine ratione ponens, opprimere prius Sebam decreuit, quam Iſraelitae iterum conuenire poſſent. Hinc cum Hieroſolymae res ſuas diſpoſuiſſet, &, quod pietas poſtulabat, ne inceſtum inceſtu cumularet, concubinas ab Abſalomo conſtupratas, in viduitate reliquum vitae tempus tranſigere iuſſiſſet, Amaſae, vt intra triduum vniuerſam Iudae tribum colligeret, in mandatis dedit. Amaſa autem vltra praeſtitutum tempus morante, Abiſaio mandauit, vt adſumtis ſecum militibus, qui ſemper praeſto erant, & ad quosuis motus parati, Sebam perſequeretur. Hic Ioabi nulla mentio: vnde FLAV. IOSEPHVS exiſtimat, eum magiſterio militum exutum fuiſſe; quod ſequentia refellunt. Nec probabilius, quod R. DAVID KIMCHI autumat, exiuiſſe cum reliquis Ioabum, etſi a rege mandatum non accepiſſet. Alii aliter hinc ſe expediunt. Fieri potuit, vt abſens eſſet Ioabus, & in itinere ad Abiſai exercitum accederet, eiusque imperium vt ſupremus militiae praefectus ſuſciperet. Aegre autem ferebat, Amaſam a rege miſſum, ad congregandam tribum Iudae: indeque haud dubie colligens, id regem agere, vt Amaſam ſupremum militiae praefectum conſtitueret, cum ei ad lapidem magnum, qui eſt ad Gabaonem, occurreret, ſubdole eum interfecit. Quod *verſ. 8.* dicitur, והוא יצא ותפול *& ipſe egreſſus eſt, & cecidit*, nonnulli ad Ioabum, alii autem ad gladium eius referunt. Dum autem ad perſequendum Sebam feſtinabat, vnum ex ſeruis ſuis apud cadauer conſtituit, qui proclamabat, *quicunque ſtat a partibus Ioabi, quicunque eſt Dauidis, poſt Ioab.* Significare his verbis voluit, etſi Amaſam interfeciſſet, ſe nihiloſecius Dauidi fidelem eſſe, nec deſinere, hoſtes eius perſequi. Inepte vulgatus haec ita transfert: *Interea quidam viri, cum ſtetiſſent iuxta cadauer Amaſae, de ſociis Ioab dixerunt: ecce! qui eſſe voluit pro Ioab comes Dauid.* Quia vero nihiloſecius omnes ad cadauer illud ſubſiſtebant, vir ille e media, in qua iacebat, via amotum ſtrato operuit, nec amplius remorae tranſeuntibus fuit. Ad Sebam autem quod attinet, is per omnes tribus Iſrael tranſiuiſſe dicitur, per quas ſcilicet illi tranſeundum erat, atque veniſſe אבל ובית־מעכה, hoc eſt, *in tractum Abelae & Beth-maechae.* IOAN. CLERICVS *Abela & Beth-Maecha* nomina vnius vrbis eſſe exiſtimat, particulam ו ideo per *ſeu* vertens; immo *non abſurde*, inquit, *quis crediderit, τὸ ו a librariis eſſe inſertum, quamuis ita etiam legerint veteres interpretes graeci & latini.* At rectius ſentiunt, qui, duarum vrbium vicinarum haec nomina fuiſſe, contendunt, cumque plures eſſent, quibus Abelae nomen haereret, diſcriminis cauſſa ab alterius vrbis vicinitate haec *Abela Maechae* etiam dici potuit, quemadmodum & FLAVIVS IOSEPHVS eam vocat. Quae de ſitu vrbis huius vir doctiſſimus diſſerit, recte ſe habere, puto. Venit itaque Seba in tractum Abelae & Beth-

 Maechae,

Maechae, & כל הברים, hoc eſt, *omnem terram Beraeorum.* Vbi, quinam ברים ſint, non ſatis conſtat, etſi nonnulli Beerothas in tribu Beniamin intelligant. Inepte LXX interpretes: πάντες ἐν Χαῤῥὶ; nec rectius vulgatus; *viri electi.* Nonnulli quoque hoc ad ſequentia referunt, ac ſi omnes Berim ſiue Berothae congregati ſint, vt Sebae auxilium ferrent. Ita R. LEVI BEN GERSON. Sed prior praeferenda ſententia. Quod enim ſequitur, ita capiendum puto, quod iſtius tractus incolae, congregati, Sebamque itidem perſecuti ſint, donec cum Ioabi copiis coniuncti, intra Abelae moenia ſe recipere eum compulerunt. Vrbem itaque eam obſidione cingere Ioabus conſultum duxit. Fecitque aggerem ad vrbem ותעמוד בחל, *& ſtetit in antemurali*, hoc eſt, eo vsque aggerem produxerunt, vt iam ipſam vrbis munitionem proxime attingeret. Ita enim haec verba intelligenda puto, etſi me non fugiat, diuerſimode ea ab aliis exponi. Tum vero mulier quaedam, ſapientiae laude inclyta, impetrata cum Ioabo colloquendi poteſtate, eum, ne quid funeſti in vrbem ſtatuat, admonet, cum vrbs iſta iam antiquo prouerbio ob ſapientiae laudem celebretur. Siue autem, quae porro profert, ex antiquo quodam carmine deſumta ſint, quae quorundam eſt ſententia, ſiue ipſa vrbis nomine loquatur, vel potius vrbem loquentem introducat, ſenſus alius non eſt, quam hic: cum vrbs iſta & ob fidem, & ob antiquitatem ſit notiſſima, vt reliquarum velut mater iure dici poſſit, aequum non eſſe vt aduerſi quid a Ioabo patiatur. Reſpondit Ioabus, ſe minime vrbem perditurum, ſi modo Sebam, hominem rebellem, qui in eam, forte inſciis ciuibus, ingreſſus erat, tradérent. Vocat Sebam virum e montanis Ephraim, haud dubie, quod ibi habitaret, licet ceteroquin Beniaminita eſſet. Cum itaque ex conſilio, vt credere par eſt, mulieris iſtius, ciues caput Sebae abſcidiſſent, & ad Ioabum proiceiſſent, hic ſigno buccina dato, Iſraelitas & Iudaeos, quos ſecum habebat, dimiſit, cumque perpetuo milite Hieroſolymam reuerſus eſt. Scriptor ſacer hic iterum praecipuos Dauidis miniſtros recenſet, haud dubie, vt indicaret, interfecto Amaſa, Ioabum munus ſuum retinuiſſe. Conueniunt fere haec cum iis, quae *I. Sam. VIII. 16. ſeqq.* exſtant, & de quibus iam ſupra verba fecimus. Speciatim de Adoramo hic dicitur, quod fuerit על המס *tributis praefectus.* De Ira Iairita commemoratur, quod fuerit כהן *princeps Dauidis*, hoc eſt, inter praecipuae dignitatis viros, & ſimili officio admotus, quali regis filii fungebantur; de quibus itidem ſupra dictum.

** Quando hoc contigerit, nonnullis non ſatis certum videtur, eo quod ſcriptores ſacri non ſemper temporis ordinem obſeruent. Immo cum vix probabile videatur, a Deo crudelitatis a Saule admiſſae vindicationem tamdiu dilatam, a vero non abhorrere putant, circa initia regni Dauidici hoc contigiſſe, a ſcriptore ſacro autem ideo hic

hic adnecti, quia in aduerſis, quae Dauidi euenerant, enarrandis, ſemel occupatus erat. At alii ab ordine ſacri ſcriptoris diſcedere ſibi religioni ducunt, quos & IAC. VSSERIVS ſequitur, in *annal. pag. 31.* Cum fames per tres annos continuos duraſſet, Dauid, vt cauſſam eius reſciſceret, Deum, haud dubie per vrim & thummim, interrogauit. Cur non prius interrogauerit, quaerunt Ebraeorum doctores, & eius rei rationes ingenio rabbinico dignas adferunt, vt apud R. DAVID KIMCHIVM videre licet. Sed planiſſimum initio exiſtimaſſe Dauidem, nihil contingere, quod non ſubinde ob hominum peccata euenire ſoleat; cum autem per tertium vsque annum fames duraret, ſuſpicatum, quod & res erat, cauſſam huius mali plane ſingularem ſubeſſe, ideoque Deum conſuluiſſe. Reſponſum autem tulit, propter Saulem & domum eius ſanguinariam, quia Gibeonitas interfeciſſet, hoc Iſraelitis euenire. Quamobrem arceſſiti Gibeonitae, & quanam ratione admiſſum in eos ſcelus expiari vellent, rogati, id non alia ratione fieri poſſe, reſponderunt, quam vt ſibi ſeptem viri ex poſteris Saulis traderentur, a ſe ſuſpendendi. Traditi itaque iis ſunt duo Saulis filii, & quinque nepotes, quos in monte coram Iehouah ſuſpenderunt. Multa, fateor, hic ſe animo offerunt, quae non poſſunt non eum dubium atque ſuſpenſum tenere. Poſſunt tamen, ſi non omnia, certe pleraque, expediri, ſi ſequentia obſeruentur. Quale illud facinus Saulis erga Gibeonitas fuerit, quod Deus etiam in poſteris eius puniri voluit, non conſtat. Quod enim Ebraeorum magiſtri tradunt, cum Saul Nobum, ſacerdotum ciuitatem, gladio percuteret, adfuiſſe etiam ibi Gibeonitas, vtpote ſacerdotum ſeruos, vt incertum, ita difficultates non minuit, ſed auget, cum rurſus quaeri queat, cur non ſacerdotum potius, quam Gibeonitarum, mortem, Deus tam ſeuere vindicauerit? Quae hic iidem Ebraeorum magiſtri regerunt, oppido lubrica ſunt atque ieiuna. Quaecunque itaque ſiue cauſſa ſiue occaſio caedis Gibeonitarum fuerit, id ex hac ipſa narratione haud obſcure colligitur, graui & prorſus inſigni iniuria a Saule eos fuiſſe adfectos, idque ex intempeſtiuo quodam atque praepoſtero zelo, conſentientibus haud dubie Iſraelitis. Vnde & mirum non eſt, quod ob hocce Saulis facinus, ipſis Iſraelitis famem Deus immiſerit. Quodſi etiam ſtatuamus, circa initia regni Dauidici hoc contigiſſe, fieri potuit, vt plurimi illorum, qui in hocce facinus Saulis conſenſerant, aut illud adprobauerant, adhuc in viuis eſſent, ſuaeque adeo impietatis poenas iuſtiſſimas darent. Differendo autem aliquantiſper poenam Deus locum poenitentiae dare voluit; quae dum ſecuta non fuit, filii quoque parentum veſtigia prementes, incommoda hinc ad ſe redundantia iure meritoque ferre debuerunt. Ad filios denique & nepotes Saulis quod attinet, qui ob patris & aui facinus ſuſpenſi ſunt, praeterquam, quod aliis peccatis idem promereri potuerunt, a veri non abhorret ſpecie, eos eiuſdem cru-

crudelitatis aut participes aut forte adminiſtros fuiſſe. Quod Gibeonitae eiusmodi quid rogarunt, crudele & inhumanum, & a vindictae cupiditate profectum videri poterat; quo nomine & Ebraeorum doctoribus male audiunt: ſed videtur illis aut per prophetam indicatum, aut alia ratione innotuiſſe, Deum aliter placari non poſſe. Idemque de Dauide dicendum, quod itidem Numinis voluntatem edoctus fuerit, cum ceteroquin Gibeonitarum poſtulatis non tam facile relicturus fuiſſet locum. Quinque iſtos Saulis nepotes, qui ſuſpenſi ſunt, Michal filia Saulis Hadrieli peperiſſe dicitur. At Michalam Phaltieli nuptam conſtat, *I. Sam. XXV. 44.* ea vero, quae Hadrieli in matrimonium data erat, Meroba vocabatur, *I. Sam. XVIII. 19.* Vnde pro *Merob* librariorum vitio hic *Michal* poſitum viri docti, IOANNES PISCATOR, HVGO GROTIVS, IOANNES CLERICVS, & ex noſtratibus LVCAS OSIANDER & WOLFGANGVS FRANZIVS, cenſent. Ebraeorum autem communis eſt ſententia, Michalam hos filios dici genuiſſe, quod eos educaſſet. Alii, Merobam binominem fuiſſe, & itidem Michalam dictam, putant, alii alia ratione hinc ſe expedire conantur. Ritſphah autem, ſingulari pietate mota, ſaccum aut cilicium ſumſit, tentorium, vt videtur, ex eo ſibi conſtruens, vt a cadaueribus ſuſpenſorum, beſtiarum arceret iniurias, idque *donec in eos effunderetur aqua e coelo*, hoc eſt, donec ex pluuia intelligeretur, Deum eſſe placatum. Ex ſiccitate enim & pluuiarum defectu, fames orta erat. Non enim dubitauit, ſepulturae committi cadauera poſſe, ſi modo certo conſtaret, Numinis expiatam iram eſſe. Quamdiu vero hoc ab ea factum ſit, non conſtat, niſi quod caro iam contabuiſſe videatur, cum cadauera ex ligno demiſſa ſunt, eo quod oſſa illorum cum Saulis & Ionathanis oſſibus ſepulta dicantur. Hoc vero eius facinus adeo non improbauit Dauid, vt eo potius exemplo incitatus, tum ſuſpenſorum, tum Ionathanis, atque Saulis oſſa, in paternum auitumque, Kiſi ſcilicet, ſepulcrum inferri curauerit. Prohibitum equidem erat lege diuina, *Deut. XXI. verſ. 23.* ſuſpenſorum corpora in ligno relinquere; ſed cum hoc plane extra ordinem factum ſit, & corpora tamdiu ſuſpenſa manere debuerint, donec conſtaret, iram Numinis placatam, legi iſti locus relinqui non potuit.

*** De tempore, quando bella haecce cum Philiſtaeis geſta, in quibus quatuor ex Rephaeorum gente gigantes periere, itidem viri docti non conſentiunt, dum nonnulli ante Abſalomi atque Sebae ſeditionem, ipſamque famem modo memoratam, alii, poſtea hoc contigiſſe, contendunt. Poſteriori ſententiae ordo ab ipſo ſcriptore ſacro obſeruatus fauet, etſi quoque non deſint, quae pro priori vrgeri queant. Res ipſa ex *II. Sam. XXI. 15. ad 22.* ſatis nota. Nec dubium hic occurrit, niſi quod ex interprete vulgato ortum, qui verba, quae *verſ. 19.* exſtant, ita reddidit: *Tertium quoque fuit*

fuit bellum in Gob contra Philiſtacos, in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethaeum &c. Nimirum, cum praeter alia perperam reddita, vocem אלחנן per *Adeodatum* transtuliſſet, nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, Adeodatum hunc non alium eſſe, quam ipſum Dauidem, & hinc porro collegerunt, Goliathum hunc eundem gigantem eſſe, quem Dauid proſtrauit, & proprio iugulauit gladio *I. Sam. XVII.* Verum haec quam illepida ſint, nemo non intelligit. Poterant etiam verſionis iſtius patroni rectiora diſcere ex *I. chron. XX. 5.* vbi is, quem Elchanan occidit, *Lachmi, frater Goliathi*, dicitur. Ceterum verba ebraea in Samuelis libro ita reddenda: *percuſſit Elchanan.* בן יערי אורגים בית הלחמי את גלית *Iaare-Oregimi filius, Bethlehemitis, Goliathum.* Vbi dubium equidem remanet, quod hic Goliathum percuſſiſſe dicatur, cum contra in chronicorum libro de Lachmi, fratre Goliathi, idem adferatur. Hinc vero breuiſſima via ſe expedire videntur, qui in priori loco pro את putant legendum אח *fratrem*; vt cum IO. PISCATORE, aliiſque, IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* Sed id cum aliis durum nimis atque violentum videatur, alia hinc ſe expedire ratione adnituntur; quos inter proxime, ni fallor, ad veritatem accedunt, qui Lachmium cognomento Goliath dictum putant, quod robore corporisque mole fratri eſſet ſimillimus. Ita ergo cum hocce dubium ſolui queat, multo minus neceſſe eſt, vt in reliquis verba, quae in Samuelis libro exſtant, ex libro chronicorum corrigamus, cum ex vtraque lectione ſenſus haud incommodus reſultet. Nimis itaque & hic vir clariſſimus IOANNES CLERICVS, praeeunte LVDOV. CAPPELLO, libertati ſuae criticae indulſit. Quod denique ad carmen attinet, quo Dauid ob victorias ab hoſtibus reportatas Numinis laudes celebrat, quodue *II. Sam. XII.* exſtat, id quo tempore a Dauide aut confectum aut recitatum ſit, non conſtat, niſi & hic ſacri ſcriptoris ordini ſtricte inhaerere velis. Multis certe magnisque periculis iam defunctus erat rex ſanctiſſimus, cum illud conficeret, iamque ſpes ei eſſe videbatur, vt quod reliquum vitae ſupererat, tranquille transigere poſſet. Exſtat idem carmen in pſalmorum libro, *num. XVIII.* paucis quidem mutatis; quod mirum non eſt, cum hiſtoricus ſacer, qui illud libro poſteriori Samuelis inſeruit, rerum ipſarum potius, quam omnium verborum rationem habuiſſe videatur. Falluntur itaque, qui ex hac diuerſitate aut textus ſacri in alterutro loco corruptionem arguunt, quod & IOANNES CLERICVS facit, aut in *pſalmo XVIII.* carmen hoc ab ipſo Dauide correctum ac emendatum exhiberi volunt, vt Ebraeorum magiſtri. De ſenſu eius, aut locorum, quae in eo occurrunt, obſcuriorum explicatione, nihil addimus, cum id huius loci non ſit.

* Praemittuntur *II. Sam. XXIII.* vltima verba Dauidis, nominaque & fa-

facta heroum, qui in exercitibus eius fuerant. Cur verba haecce *vltima* dicantur, quaeri ſolet: nec deſunt, qui, ea comparate ita dici, putant, intuitu carminis, cuius capite praecedenti facta eſt mentio. Ita R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* Sed rectius, mea opinione, ſentiunt, qui *vltima* haec verba dici volunt, quod circa vltimum vitae Dauidis tempus, non diu admodum ante mortem eius, ab eo pronuntiata ſint. Ad ipſa verba haecce quod attinet, cum ſecundum nonnullos elegans Dauidis de Meſſia confeſſio in iis contineatur, commodior in ſequentibus ad §. *XXIII.* de iis erit dicendi locus. Heroes illi, ſiue viri fortes, qui in exercitibus Dauidis fuere, etiam *I. chron. XI.* circa initium regiminis Dauidis enumerantur, vti ſupra iam ad §. *XV.* obſeruauimus. De difficultatibus, quae hic occurrunt, praeter reliquos interpretes, conferendus SEB. SCHMIDIVS, ad *h. l.* itemque, quem ſupra iam laudauimus, CHRISTIANVS SCHOTANVS, *bibliotb. hiſtor. ſacr. vet. teſtament. tom. II. pag. 674.* ſpeciatim de *Ioſcheb boſchebet*, qui in chronicorum libro Ioſchobam vocatur, & aliis quibusdam eodem ſpectantibus, itemque de deſiderio Dauidis, bibendi aquam ex ciſterna Bethlehemi, quod hac occaſione memoratur, AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. II. loc. XC. & XCI. pag. 401. ſeqq.* Nos miſſis hisce, de peccato Dauidis, numerantis populum, & poena illud ſecuta, ſeu fame triennali, commentabimur. De tempore, quando hoc contigerit, variae itidem atque diuerſae exſtant virorum doctorum ſententiae: cum, qui ab ordine ſacri ſcriptoris diſcedunt, vbi pedem figant, non inueniant: eos contra, qui ordini iſti inſiſtunt, non vna premat difficultas. Qui temporis ordinem a ſcriptore ſacro non obſeruatum contendunt, ideo hanc hiſtoriam hocce loco poſitam putant, quod ſcriptor ſacer indicare voluerit, qua occaſione area Araunae, templo a Salomone aedificando deſtinata ſit. Certe in priori chronicorum libro *cap. XXI. ſeqq.* cum eadem hiſtoria narrata eſſet, oſtenditur, non tantum, quo pacto area Araunae templo deſtinata ſit, ſed ſimul additur, quo pacto Dauid reliqua, quae ad templi exſtructionem neceſſaria erant, comparauerit. Nihiloſecius aliis tutius videtur ordini ſacri ſcriptoris inſiſtere; quod ſi faciamus, circa vltimum vitae Dauidis tempus hoc contigiſſe oportet. Vt ad rem ipſam accedamus, obſeruatu omnino digna ſunt ſacri ſcriptoris verba: *Ceterum addidit ira Iehouae exardeſcere in Iſraelem: ideo incitauit Dauidem contra eos, dicendo, abi numera Iſraelem & Iudam.* Vbi initio quaeri ſolet, quis ille fuerit, qui Dauidem incitauerit? cum in textu ſacro hoc non exprimatur. Sunt, qui omnino hic aliquid ſubintelligendum credunt, idque ex *I. chronic. XXI.* ſuppleri poſſe, vbi dicitur: *Et ſtetit ſathan contra Iſraelem & concitauit &c.* Sathanam itaque fuiſſe, qui Dauidem in Iſraelitas concitauerit. IOANNES CLERICVS, vir clariſſimus, vlterius progreditur, & per

per *ſathan* ſeu *aduerſarium*, conſilia-rium quendam Dauidis intelligit, qui maiorem fiduciam in multitudine, quam in vlla alia re ponendam duxerit, idque perſuaſerit Dauidi. Verum, cum vox *ſathan* abſolute & ſine vlla determinatione ponatur, longe rectius in chronicorum libro ille intelligitur, qui κατ᾽ ἐξοχὴν ita vocari poteſt, hoc eſt, infernalis genius. Hinc & THEODORETVS grauiter errat, qui per aduerſarium λογισμὸν, ſeu ipſam cogitationem de populo numerando intelligit, *qu. XLV.* in *II. reg. p. m. 294.* In verbis autem, quae ex libro Samuelis attulimus, vt diabolum aut aliud quid ſubintelligamus, neceſſe non eſt, cum longe rectius ad ipſum Deum, cuius ira in Iſraelem accenſa dicitur, verba haec referri queant, quod Dauidem in Iſraelitas concitauerit. Nec obſtat, quod in chronicorum libro hoc infernali genio tribuatur. Poſſunt enim & Deus & diabolus ad vnum idemque facinus concurrere, ſed diuerſa ratione: hic impellendo & concitando, ille permittendo, idque ex iuſto iudicio, cauſſisque grauiſſimis. Vnde ſimul patet, quid illis reſpondendum ſit, qui hinc concludunt, Deum peccatorum auctorem eſſe, eo quod homines ad ea perpetranda inſtiget atque impellat. Res ipſa enim & locus ex chronicorum libro adlatus aperte docet, vocem ויסת de permiſſione ſaltem atque conceſſione, intelligendam eſſe. conf. WOLFGANGVS FRANZIVS, de *ſcripturae interpretat, orat. VI. pag. 228.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. CXII. pag. 405.* Cum vero dicatur, iratum fuiſſe Deum Iſraelitis, & hinc inductum, ſathanae vt permitteret, vt Dauidem ad numerandum populum concitaret, quaeri rurſus ſolet, quam ob rem Dei ira in populum Iſraeliticum accenſa fuerit? Peccaſſe ſpeciali quadam ratione Iſraelitas, vt ira Domini aduerſus eos accenſa fuerit, non eſt, quod dubitemus, etſi, quale iſtud peccatum fuerit, ignoremus. Multae quidem interpretum hac de re exſtant coniecturae, ſed ſuam ingenue profiteri ignorantiam praeſtat, quod ex ebraeis doctoribus facit R. SAL. IARCHI, aliique. Verba: *abi, numera Iſraelem & Iudam*, nonnulli Deo, alii ſathanae, alii denique Dauidi tribuunt. Vltimam ſententiam ſequitur interpres vulgatus: *commouitque Dauid in eis dicentem: vade, numera Iſrael & Iuda;* conſentit quoque verſio germanica B. LVTHERI. Sed prima mihi ſententia praeferenda videtur. Cum enim ſcriptor ſacer Dauidem permittente Deo ad aliquid concitatum dicat, ob quod Iſraelitae puniri poſſent, explicandum profecto erat, quodnam illud eſſet, idque hisce verbis facit: *ito, enumerato Iſraelem & Iudam*, quibus cogitationes, quae in corde Dauidis exſtiterant, exprimit.

Ceterum, cum Dauid mentis cogitata Ioabo aperuiſſet, eique in mandatis dediſſet, vt populum vniuerſum numeraret, hic quidem regis minime probauit conſilium, eamque rem quouis modo disſuadere conatus eſt: rege autem

tem in ſententia perſiſtente, voluntati eius morem geſſit. Quo ordine ſingulas tribus peragrauerit, ſcriptor ſacer diſerte memorat, additque, peragraſſe eum nouem menſium & viginti dierum ſpatio, *omnem terram Iſraelitidem* excepta ſcilicet tribu Beniamin, vt ex *I. chron. XXI. 6.* ſupplendum. Dicitur enim ibi, Ioabum taedio tandem correptum, quod ea res vehementer illi diſpliceret, tribum Beniamin atque Leuitas non numeraſſe. Leuitae autem, vtpote per omnes tribus diſperſi, propriam regionem non tenebant. Numerati ſunt, ſecundum auctorem libri Samuelis in Iſraele octingenta millia, & in Iuda quingenta millia; ſecundum auctorem libri chronicorum, in Iſraele millena millia, & centena millia, ex Iuda vero quadringenta & ſeptuaginta millia. Quae quo pacto inter ſe concilianda ſint, viri docti diſputant. Refert aliorum hac de re ſententias in compendio AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. III. loc. XIII. pag. 462.* ipſeque exiſtimat, in libro Samuelis omitti legiones Dauidis ordinarias, quae contra in chronicorum libro connumerentur. Eadem eſt ſententia SAM. BOCHARTI, qui, *nihil apparet magis obuium*, inquit, *quam quod nonnulli adſerunt, hunc numerum aut maiorem aut minorem fuiſſe, prout legionarii vel ad cenſum addebantur, vel ex cenſu eximebantur. Legionarios enim viginti quater mille ex ſingulis tribubus habuit Dauid, I. paral. XXI. 1. qui ſimul iuncti faciunt hominum paene trecenta millia. Hos ſi addas octingentis Iſraelitarum millibus, ex quorum tribubus plerique erant, fient vndecies centena millia.* Porro quod ad tribum Iudae attinet, *rurſus*, inquit, *ſi quadringentis ſeptuaginta millibus, ex tribu Iuda deſcriptis, addas viginti quatuor legionariorum millia ex eadem tribu, proxime accedes ad quingenta millia; hierozoic. part. I. lib. II. cap. XXXVII.* Eandem fere haec loca conciliandi rationem ineunt HVGO GROTIVS atque ABRAH. CALOVIVS, ad *h. l.* quam & reliquis omnibus praeferendam quidem cenſet SEBASTIANVS SCHMIDIVS, ad *h. l. qu. VIII. pag. 1089.* vt tamen non diſſimulet, nonnulla adhuc ei, ſaltem prout ab ABR. CALOVIO exponitur, obſtare dubia. Cum enim totus iſte legionum ordinariarum & earum ducum numerus, nempe trecentorum millium virorum, decem tribubus Iſraelis tribuatur, mirum eſſe, quod tribui Iudae, quae numeroſiſſima ceteroquin fuit, & tribui Beniamin, nulli legionarii relinquantur. Quod ſi vero legionarii ex tribu Iudae additi ſint decem tribubus, dubium rurſus oritur, qui factum, vt numerus tribus Iudae in libro Samuelis eum ſuperet, qui exſtat in libro chronicorum. SAM. BOCHARTVS quidem legionarios tribus Iudae, decem tribubus non videtur adnumerare, (ſi modo mentem eius recte capio) ſimulque ſtatuere, in libro Samuelis eos tribui Iudae adnumerari, omitti in libro chronicorum. Sed ita dicendum eſſet, auctorem libri Samuelis in decem tribubus omittere legionarios, ac in tribu Iudae eos connume-

merare; rurſus auctorem libri chronicorum connumerare legionarios decem tribuum, omittere eos in tribu Iudae. Quod annon durum ſit, aliis diiudicandum relinquo. Placet itaque ſententia SEBASTIANI SCHMIDII, trecenta millia fuiſſe, inter decem tribus, peregrinorum, qui in chronicorum libro octingentis millibus Iſraelitarum fuerint additi: ad tribum Iudae autem quod attinet, in libro Samuelis eidem adnumerari exercitum ſeruorum Dauidis, ſeu perpetuorum militum, qui in tribu Iudae ſemper cum rege erat, & facile ad numerum triginta millium accedere potuerit. Facilius etiam, ni fallor, hac ratione dubiis grauiſſimis IO. CLERICI, ad *h. l.* an terra Iſraelitica tantam hominum multitudinem capere aut alere potuerit, ſatisfieri poterit. Saltem ſecundum priorem ſententiam, ſi ipſorum tantus fuerit numerus, ac praeter eos & peregrini plurimi inter eos fuerint, numerus incolarum terrae iſtius longe maior erit. Confirmant id & aliae rationes, ab eodem auctore in *adnotationibus*, ad *h. l. p. 1074.* adlatae, quas repetere nihil attinet.

Numeratione populi, excepta tribu Beniamin & Leui, peracta, Dauidem magna huius rei ſubiit poenitentia, eo, quod ſecum reputaret, ingens ſe hac ratione commiſiſſe peccatum. In quo hoc conſtiterit, quaeri ſolet. FLAVIVS IOSEPHVS, eum oblitum eſſe, dicit, praeceptorum Moſis, qui praedixerat, quoties cenſeretur populus in ſingula eius capita, pendendum Deo ſemiſiclum, *antiquit. iudaic. libr. VII. cap. X. pag. 244.* Verum, quod ſemper ſemiſiclus Deo pendendus fuerit, quoties populus numerandus erat, Moſes nullibi conſtituit. Alii ex eadem Ebraeorum gente, alia comminiſcuntur, quae apud R. ISAACVM ABARBANELEM legi poſſunt, cuius hac de re diſſertationem in linguam latinam tranſtulit IOANNES BVXTORFIVS, quae addita eſt eiusdem *diſſertationibus theol. philolog. pag. 477. ſeqq.* Res ipſa docet, Dauidem totum hoc negotium ex arrogantia quadam & vana ambitione, ad potentiae ac virium oſtentationem ſuſcepiſſe: idque cum ſecum expenderet, facileque intelligeret, hoc Deo placere non poſſe, grauiſſima animum eius poenitentia ſubiit. Qua ratione vt Deum haud dubie propitium ſibi reddidit, ita caſtigationem tamen paternam, vt rectius in poſterum ſaperet, euitare non potuit. Gad itaque vates, iuſſu Numinis tria illi propoſuit, quorum vnum eligeret, famem ſeptem annos duraturam, fugam coram hoſtibus per tres menſes, peſtem denique in populo per tres dies. Pro ſeptem annis famis *I. chronicorum XXI. 12.* exſtant tres anni, quod cum numero ternario in reliquis calamitatum generibus magis reſpondeat, nonnulli in libro quoque Samuelis ita legendum cenſent, quemadmodum & LXX interpretes ibi itidem habent τρία ἔτη. At receptae lectioni fauet FLAV. IOSEPHVS, qui diſerte habet ἔτη ἑπτά, a qua &, vt diſcedamus, nulla nos cogit neceſſitas. Quod enim in chronicorum libro trium tantum annorum

fit mentio, id varia equidem ratione cum numero in libro Samuelis conciliare viri docti adniſi ſunt, vt apud AVGVSTVM PFEIFFERVM, *dub. vexat. cent. III. loc. XIV. pag. 463. ſeqq.* videre licet; mihi tamen illorum praecipue placet ſententia, qui initio ſeptem annos indictos, mox autem quatuor remiſſos eſſe exiſtimant. In magnas itaque anguſtias coniectus Dauid, cum vnum ex tribus malis eligere iuberetur, tandem, *incidamus*, inquit, *in manum Iehouae, quia magna eius eſt miſericordia, ſed in manus hominum ne incidamus.* Bellum itaque deprecatur, cum in eo in manus hominum, irae & crudelitati ſuae raro admodum limites iuſtos ponentium, incidamus: quoad reliqua duo mala, famem & peſtem, rem omnem voluntati diuinae permittere videtur.

Hinc Deus peſtem populo Israelitico immiſit מהבקר ועד עת מועד *a matutino tempore vsque ad tempus conſtitutum.* Vbi quid per *tempus conſtitutum* intelligatur, non omnes inter ſe conueniunt. LXX interpretes habent ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ὥρας ἀρίστου, *a mane vsque ad horam prandii.* Fuitque & veterum Ebraeorum haec ſententia, apud R. DAVID KIMCHIVM, ad *h. l.* duraſſe hancce plagam vsque ad meridiem. Chaldaeus habet: *a tempore, quo mactatur iuge ſacrificium, vsque dum aſcenditur.* Plerique in eam ingrediuntur ſententiam, tempus veſpertinum intelligi, cum hoc oppoſitio ad tempus matutinum requirat, putantque, vocem מועד hic rectius per *conuentum* verti; vt intelligatur tempus conuentus, ſiue quo ad preces veſpertinas conuenire ſolebant. Ita praeter alios SEB. SCHMIDIVS, ad *h. l. quaeſt. XI. pag. 1091.* & SAMVEL BOCHARTVS, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. XXXVIII.* refragante IOANNE CLERICO, qui rationibus minime contemnendis probat, per *tempus conſtitutum* ipſum triduum a Deo praeſtitutum intelligi, ita, vt, cum tertius dies illuxiſſet, Deum mali iſtius poenituerit, angelumque manum remittere iuſſerit. Exſeruerat autem angelus manum ſuam Hieroſolymam verſus ad eam perdendam, cum Deum mali iſtius poeniteret, diceretque angelo perdendi, *ſatis eſt, nunc remitte manum tuam:* eratque tum angelus domini ad aream Araunae Iebuſaei. Angelus ille, qui *II. Sam. XXIV. 16.* מלאך משחית *angelus perdens* vocatur, alias ſimpliciter *angelus*, & *I. chron. XXI. 14. angelus Domini* adpellatur. Angelum bonum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus, cum *I. chron. XXI. 18.* idem angelus cum Gado vate locutus ſit, rationemque, qua ira Numinis a Dauide placanda ſit, oſtenderit, propheta etiam voci eius obtemperante, & Dauidi, quae ab eo acceperat, renuntiante. Nec quidquam obſtat, quo minus Deus angelorum bonorum miniſterio in hominum peccatis puniendis vtatur. Angelus itaque ille iam in eo erat, vt Hieroſolymam perderet. Num plaga in vrbe hacce iam initium ſumſerit, mox autem iterum deſierit, an vero vrbs iſta plane immunis iſtius calami-

tatis fuerit, item, cur vltimo loco ad vrbem iſtam angelus acceſſerit, & Deus vrbi, intercedente tamen Dauidis deprecatione, pepercerit, non temere quisquam dixerit. Sunt Deo in hisce rationes ſapientiſſimae, ſed ſimul occultiſſimae, in quas introſpicere mortalibus datum non eſt. Quod autem Deum mali iſtius poenituiſſe dicitur, cum tamen ſacrificiis prius voluerit placari, quam malum deſineret, ita intelligendum, quod Deus miſericordia ductus plagam inhibuerit, mox accedente Dauidis deprecatione & ſacrificio, penitus abſtulerit. Cum enim Deus certo ordine cum hominibus agat, benignitatis & miſericordiae opus eſt, quod ipſemet huncce ordinem mortalibus monſtrat. Area Araunae, in qua angelus ſtabat, in monte moriah erat. Arauna ille Iebuſaeus erat, & etiam Ornan dicebatur. Hunc relictum in occupatione vrbis, FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, quod e praecipuis amicis Dauidis eſſet; alii putant hoc factum, quia proſelytus eſſet. Eum ex regio ſanguine, aut omnino regem quondam Iebuſaeorum fuiſſe, nonnulli credunt, inducti ex eo, quod *verſ. 23.* rex dicatur, quanquam nonnullae verſiones vocem iſtam ibi omittant. Sed recte, ni fallor, poſt alios obſeruauit IOAN. CLERICVS, ad *b. l.* verba haec הכל נתן ארונא המלך למלך verba eſſe ipſius Araunae, qui more Ebraeorum de ſe in tertia perſona loquitur, vt ſenſus ſit: *omnibus, o rex! te dono.* Cum autem Deus vellet, vt Dauid plagae continuationem oblatis ſacrificiis deprecaretur, rem ita diſpoſuit, vt ipſemet Dauid angelum videret. Vnde ſtatim Dauid in peccatorum confeſſionem erumpens, *ego peccaui*, inquit, *ego deliqui, hae vero oues quid fecerunt? Conuertatur manus tua in me, & in domum patris mei.* Quod non ita capiendum, ac ſi Iſraelitae prorſus innocentes fuerint. Haud dubie enim & iſti poenam hanc peccatis ſuis promeruerant. Sed id vult rex ſanctisſimus, quod ſuo peccato praecipua quadam ratione iram Numinis irritauerit. Tum vero Gadus vates iuſſu angeli ad Dauidem venit, & vt in area Araunae Iebuſaei altare exſtrueret, mandauit. Sine mora itaque rex ad aream hancce Araunae, triticum tum triturantis, qui vna cum quatuor filiis itidem angelum viderat, ſe confert, & cum obuiam ei proceſſiſſet, vt eam ſibi venderet, poſtulat, vt aram in ea exſtruere poſſet. Arauna cum & ſine pretio aream vna cum bobus in holocauſtum, ſimulque tribulos ſeu trahas & iuga boum, in lignum, & triticum in mincham obtuliſſet, Dauid ſine pretio ea acceptare noluit, ſed aream vna cum bobus ſiclis quinquaginta, deinde vero, poſtquam vidit, Deum placatum, templumque ibi aedificare conſtituit totum montem ſexcentis ſiclis (incluſis, vt videtur, quinquaginta prioribus) emit. Hoc enim pacto facillime inter ſe conciliantur, quae in Samuelis & chronicorum libro hac de re dicuntur; quamuis alii rem alia ratione adgrediantur. vid. AVGVSTVS PFEIFFERVS,

Digitized by Google

ſervs, *dub. vexat. cent. III. loc. XVI.* Noſtram conciliationem ex ebraeis R. LEVI BEN GERSON, aliique, calculo ſuo comprobant. conf. ABR. CALOVIVS, ad *h. l.* itemque CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 745.* Non itaque neceſſe eſt, textus corruptionem hic ſtatuere, quod cum aliis vir clariſsimus, IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* facit. Exſtructa ara, Dauid ſacrificia obtulit, eaque ex igne coelitus demiſſo, Deo grata fuiſſe intellexit. Tumque plaga penitus ceſſauit. In chronicorum libro dicitur, angelum iubente domino gladium in vaginam recondidiſſe. Videtur itaque tamdiu ſtricto gladio vrbi imminuiſſe. Dauid vero & deinceps eodem in loco ſacra fecit, eo quod nimio terrore ob gladium angeli conſpectum perculſus, in excelſum Gibeonis, vbi tum altare holocautomatis cum tabernaculo Moſis erat, adſcendere non poſſet.

§. XX.

Senectute confectus, Salomonem filium, quem ex Bathſeba ſuſceperat, & ſucceſſorem ſibi deſtinauerat, inungi, regemque ſalutari iubet. Quo ipſo Adoniae conatus, qui regnum ad ſe rapere tentabat, irriti reddebantur. * Salutaribus hinc monitis mandatiſque ſecretis inſtructo Salomone, aetatis anno ſeptuageſimo, quadrageſimo autem imperii, quod mortale in eo erat, depoſuit, animamque coelo reddidit. ** Pietatis atque virtutum omnium exemplum pulcherrimum poſteris reliquit, etſi humanae imbecillitatis non eſſet immunis; idem regibus non tantum maximis adnumerandus, ſed inter vates quoque ſanctiſsimos, haud vltimo collocandus loco. ***

* Priusquam ſcriptor ſacer refert, quo pacto Salomo patris Dauidis iuſſu vnctus atque rex conſtitutus ſit, de ſenectute eius verba facit, & quod Abiſagae, puellae forma praeſtantis, opera, fouendus fuerit, commemorat. Non poterat aliter calefieri, calore e corpore ſenili, & viribus ob curas laboresque plurimos exantlatos, exhauſto, diſcedente. Alias enim vt huius rei cum Ebraeorum doctoribus quaeramus cauſſas, neceſſe non eſt: quorum illi prae ceteris lepidi ſunt, qui caloris defectum poenae loco Dauidi contigiſſe autumant, quod pallium Saulis laceraſſet. conf. R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* Nullum vero eſt dubium, quin Abiſaga pellicis ſeu vxoris ſecundariae loco Dauidi fuerit, etſi eam non cognouerit. Reliquae Dauidis vxores ac pellices forte aetate prouectiores erant, adeoque tum ad miniſteria, quae aetas Dauidis requirebat, tum ad fouendum calore corpus eius, eundemque in Dauide excitandum, parum idoneae. Vocem סוכנת interpretes

pretes diuerſimode explicant; R. SAL. IARCHI per מחממת *calefactricem*, R. LEVI BEN GERSON per שומרת אוצר *theſaurariam*, alii aliter. Sed cum סכן *prodeſſe* ſignificet, recte *miniſtra* intelligitur, quae opera & ſeruitio aliquem adiuuet. Ad Abiſagam autem, quod attinet, tale ſpeciatim miniſterium innuitur, quale ab vxore poſtulari poteſt. conf. AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. XCIII. pag. 406. ſeqq.* Haec de Abiſaga praemittuntur, vt, quae deinceps de Adoniah dicuntur, eo rectius intelligi queant. Et hic quidem Adoniah filius erat Dauidis, quem ex Chaggitha ſuſceperat. Cum dicitur *verſ. 6. eum poſt Abſalomum pepererat*, ſcilicet mater, non hoc ſignificatur, quod Abſalomi ex eadem matre frater fuerit, ſed ordo ſaltem naſcendi, indicatur, quod ante Salomonem natus, ex iure primogeniturae regnum ſibi recte ſe vindicare exiſtimaret. Secundus enim Dauidis filius Cheleab ſiue Daniel, iamante Abſalomi rebellionem obiiſſe videtur. Ambitione itaque elatus & formae praeſtantia, quae ad aliorum ſibi animos conciliandos plurimum valet, decorus, currus & equites quinquaginta, qui ei praecurrerent, ſibi parauit. Quid haec ſibi vellent, vel Abſalomi exemplo monitus Dauid, intelligere poterat. Sed nimia erga liberos indulgentia excaecatus, filium hoc nomine ne reprehendit quidem, tantum abeſt, vt ea, qua decebat, ratione conatibus hisce obuiam iuerit. Eo itaque facilius erat Adoniae Ioabum, Abiatharem, aliosque, in criminis ſocietatem pertrahere. Sacrificii, vt videtur, praetextu vſus, fratres, excepto Salomone, & praecipuos tribus Iudae viros ad lapidem Zacheleth, qui eſt prope *fontem fullonis* (עין רוגל) ad conuiuium vocauit. Cur hicce locus ita vocatur, non temere quis dixerit, adeoque fruſtra hac de re disputatur. Occaſionem nimirum deſtinata exſequendi captauit: hinc & Nathanem, ceterosque, quos partibus Salomonis addictos ſciebat, epulo non adhibuit. Id cum Nathani aliisque innotuiſſet, Bathſeba, a Nathane monita, Dauidem hac de re certiorem fecit, & iusiurandum, quo illi promiſerat, Salomonem ſucceſſorem ſuum fore, ei reuocauit in memoriam. Ea adhuc cum rege loquente, ex compacto & Nathan vates venit, &, quae de Adonia Bathſeba retulerat, confirmauit. Quibus intellectis, Dauid rex Bathſebae iterum iure iurando adfirmauit, Salomonem ſucceſſorem ſuum fore, ſimulque Zadokum ſacerdotem, Nathanem vatem, & Benaiam, Iehoiadae filium, aduocari curauit, quid ab illis fieri vellet, ſignificans. Seruos ſcilicet ſuos, crethaeos & Plethaeos, eos ſecum adſumere iubet, & Salomonem mulae ſuae, quod regiae dignitatis ſignum erat, imponere, & Gichonem vsque deducere, a Zadoko ſacerdote, & Nathane vate in regem Iſraelis ibi inungendum. Gichon fons aut riuulus, non procul ab Hieroſolyma remotus fuiſſe videtur. Cur ibi Salomonem vngi voluerit, non ſatis conſtat.

ſtat. Quod enim nonnulli ex Ebraeorum magiſtris tradunt, hoc ipſo indicatum, perenne fore Salomonis imperium, ſicut fluuii aquae ad vlteriora procurrere non deſinant, longius petitum eſt. Probabile, locum magnae multitudinis capacem, & ad huncce actum etiam alias ob cauſſas valde fuiſſe idoneum. Potuit etiam hac ratione ſollemnis in vrbem ingreſſus inſtitui. Praeterea voluit, vt vnctione peracta, buccina canerent, & ſollemni formula: *viuat rex Salomo!* eum regem proclamarent; & ita in regiam deductum in ſolio ſuo eum collocarent, quod iterum regiae dignitatis rite collatae documentum erat. Cuncta, prout rex iuſſerat, peracta. Vnctus eſt a Zadoko, eo quod Abiathar cum Adonia faceret, oleo ſacro, quod e tentorio ſumſit. Eo in loco enim tum oleum illud adſeruabatur. Sunt, qui putant, regem, cuius ſucceſſio certa eſſet, vnctum non fuiſſe; nunc itaque adhibitam vnctionem, quod Adonias regnum ſibi vindicaret. vid. R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* Et verum ſane eſt, ſcripturam vnctionis non meminiſſe, quoties aliquis ſine diſſenſu ad regnum peruenit. Inde autem an ſequatur, reliquos etiam reges vnctos non eſſe, dubito. Sed hac de re alibi. Adonias vna cum conuiuis ſuis de his omnibus certior redditus, praeſertim, quod iuſſu & auctoritate regis geſta eſſent, ceteris quidem dilapſis, ipſe ad altare, haud dubie Moſaicum, quod Gibeone erat, ſe tanquam ad aſylum recepit, eiusque cornua adprehendit, non deſcenſurus inde, donec Salomo de vita conſeruanda ei fidem iureiurando feciſſet. Nec abnuit Salomo, ſed ea lege, ſi in poſterum ita, vt probum virum decet, ſe geſturus eſſet. In conſpectum itaque Salomonis admiſſus, proſtratus coram eo, regem illum rite conſtitutum agnouit. Ex dictis colligere licet, eo tempore in gente Iſraelitica penes regem fuiſſe, quemnam ex filiis ſucceſſorem ſuum eſſe vellet. Salomonem autem quod reliquis Dauid praetulit, id haud dubie non ex ſuo arbitrio, ſed voluntate Numinis fecit.

** Cum tempus mortis adpropinquaret, Dauid filium Salomonem ad ſe vocatum admonuit, vt Numinis praecepta omnia, eo, quo par erat, hoc eſt, ſummo ſtudio cuſtodire & ſeruare adniteretur. Hoc enim, ſi faceret, fore, vt impleret Deus, quae de regno in poſteris continuando eidem promiſerat. Inter mandata, quae filio dedit, primum erat, ne Ioabi homicidia impunita dimitteret. Cur ipſe Dauid ea non puniuerit, quaeri ſolet: diſputatque hac de re THEODORETVS, in *libr. III. reg. quaeſt III. pag. 298.* Sed nullis hic ambagibus opus, ſiquidem ſatis conſtat, tantam Ioabi fuiſſe & potentiam & auctoritatem, vt ſine periculo id Dauid facere non potuerit. Recte id etiam obſeruatum FLAVIO IOSEPHO, qui Dauidis ita exprimit mentem: ἐπὶ καὶ κρείττων ἐμοῦ καὶ δυνατότερος Ἰώαβος ὢν μέχρι νῦν τὴν δίκην διέφυγε: *quandoquidem hactenus poenam euaſit Ioabus,*

bus, *quod me ipſo eſſet potentior; antiquit. iudaic. lib. VII. cap. XII. pag. 250.* Simul vero haud dubie acceſſit, quod ob fidem, fortitudinem & peritiam bellicam, operam eius ſibi admodum neceſſariam eſſe Dauid intelligeret. Cum autem dicit: אשר עשה לי *quae fecit mihi*, nonnulli quidem de Abſalomo hoc intelligunt, quem contra Dauidis mandatum Ioabus interfecerat; Ebraeorum autem doctores & alia hic comminiſcuntur, vt apud R. DAVID KIMCHIVM videre licet. Sed recte, quod de Abneri pariter ac Amaſae caede ſequitur, ſibi factum Dauid dicit; cum per vtriusque mortem ipſemet Dauid in magnum periculum regni amittendi fuerit coniectus: vnde & vtraque caedes parum illi grata eſſe potuit. Abnerus enim interficiebatur, cum in eo eſſet, vt populum Iſraeliticum ad Dauidem adduceret; & Amaſae caedes facile efficere potuiſſet, vt populus iterum a rege deficeret, vt ex iis, quae ſupra hac de re dicta ſunt, patet. Quia ergo Dauid poenam Ioabi non tam remiſerat, quam diſtulerat, Salomoni, vt illam ab eo ſumeret, recte mandare potuit. Salomo quoque eo rectius hoc exſequi potuit, quod nouum Ioabi delictum acceſſiſſet, cum inter praecipuos eſſet, qui Adoniae partes ſequebantur. Saltem inde patebat, nullam Salomoni cauſſam eſſe parcendi viro, qui ſibi aduerſabatur. Interim & ei caute hac in re procedendum eſſe, Dauid ſignificat his verbis: *pro tua ſapientia te geres, nec patieris, canitiem eius incolumem in ſepulcrum deſcendere.* Alterum mandatum erat, vt Salomo ſe benignum praeberet erga filios Barcillai Gileaditae, eosque menſae ſuae adhiberet, ob beneficia, quae Barcillai Dauidi praeſtiterat. Supra vnius filii, Chimami, tantum mentio iniicitur, qui cum Dauide Hieroſolymam profectus eſt. Fieri autem potuit, vt & alii Barcillai filii accederent, aut vt de Chimami filiis hoc intelligendum ſit. Dubium etiam non eſt, quin Dauid & aliorum, a quibus beneficia acceperat, memor fuerit, licet id non exprimatur. Tertium denique mandatum erat, vt Simei quoque improbitatem & peſſimam maledicentiam puniret. Licet autem Dauid, ſe eum non puniturum, iureiurando ei confirmaſſet, hoc tamen ſucceſſorem eius non obſtringebat, multo minus obſtabat, quo minus aut ipſe, aut Salomo certam conditionem veniae conceſſae adiicerent, qua non obſeruata, in poenam promeritam incurreret. Cum in eo eſſet Dauid, vt Salomonem inſtrueret, quo pacto exſequi deberet, quae iuſtitiae ratio poſtularet, ſimulque in vltimo vitae articulo eſſet conſtitutus, cum adfectui aut vindictae cupiditati aliquid dediſſe, vel cogitare nefas foret. His rite peractis, tandem Dauid cum maioribus ſuis obdormiit, anno aetatis ſeptuageſimo. Triginta enim annos natus erat, cum Chebrone a tribu Iudae in regem vngeretur, vt ſupra §. *XIV.* diximus. Tempus autem, quo regnauit, quadraginta fuit annorum: ſeptem namque

que annis Chebrone, Hieroſolymae vero triginta tribus regnauit: quod quo pacto intelligendum ſit, iam ſupra ad §. *XV.* oſtendimus. Sepultus eſt in vrbe Dauid, hoc eſt, Zione, vbi egia, & deinceps ſepulcra regum. FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, Salomonem non tantum magnifice patrem ſepeliuiſſe, ſed maximas etiam diuitias in monumentum eius intuliſſe; quae quantae fuerint, vel inde intelligi poſſe, quod poſt annos mille & trecentos Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomine pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, vt abducto exercitu obſidionem ſolueret, cum eā aliunde non ſuppeteret, aperta cella monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo ſe exemerit. Addit porro, poſt multos annos elapſos Herodem regem, alia cella aperta magnam pecuniam ſuſtuliſſe, interim ad loculos, qui regum cineres continent, neutrum eorum perueniſſe; quippe qui ſingulari arte ita ſub terram conditi fuerint, vt ab ingredientibus monumentum non potuerint inueniri, *antiquit. iudaic. libr. VIII. cap. XII. pag. 251.* Alibi idem IOSEPHVS fuſius adhuc, quod de Herode dixerat, exponit; cum exemplo Hyrcani permotum noctu apertum ſepulcrum ingreſſum, cum prius adcurate cauiſſet, ne hoc reſciſceret populus, adſumtis tantum amicorum fidiſſimis; depoſitas tamen pecunias non inueniſſe, vt Hyrcanum, ſed mundi pretioſi & aureorum ornamentorum vim magnam inde ſuſtuliſſe; his inuitatum ad diligentius ſcrutandum, interius proceſſiſſe, vsque ad conditoria corporum Salomonis ac Dauidis, vbi duos ſatellites amiſerit, erumpente (vt fertur) ex adytis flamma contra progreſſos temere; eoque caſu territum exiuiſſe, & tactum religione ad expiandum ſe in aditu ſepulcri monumentum e candido marmore condidiſſe ſumtuoſiſſimis impendiis; *antiq. iud. lib. XVI. cap. XI. pag. 563.* Sunt vero, quibus haec ſuſpecta videntur, &, mea quidem ſententia non ſine ratione. Praeterquam enim quod ipſe IOSEPHVS non ſatis ſibi conſtat, cum in priori loco neutrum, nec Hyrcanum, nec Herodem ad loculos, qui regum cineres continebant, perueniſſe, adſerat, ita quippe ſub terra abſconditos, vt a nemine inueniri potuerint; in loco autem poſteriori ſcribat, Herodem interius vsque ad conditoria corporum Salomonis ac Dauidis perueniſſe, in ſcriptura ſacra de magnis illis theſauris in monumentum Dauidis illatis, nihil legitur. Quod etiam probabile non eſt, cum ratio, cur Salomo hoc fecerit, excogitari nequeat. Et licet apud alias gentes eiusmodi quid in vſu fuerit, apud Ebraeos tamen morem eundem receptum fuiſſe, probari nequit. conf. MARTINVS GEIERVS, de *luctu Ebraeorum cap. VI. §. XVI. pag. 151. 152.* Plura de ſepulcro Dauidis dabit IOANNES DE PINEDA, de *rebus Salomonis libr. VIII. cap. III.* aliique, quos magno numero laudat GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*,

quae

quae vocat, *Dauidis, cap. XVIII. pag. 349. ſeqq.*

*** Egregiis virtutibus, quas inter pietas ſingularis primum tenebat locum, ornatum Dauidem fuiſſe, ex hactenus dictis abunde conſtat, & ſcriptura ſacra, quae toties eum hoc nomine commendat, Deoque gratiſſimum fuiſſe, teſtatur, neminem dubitare ſinit. Interim & plurima humanae imbecillitatis eum dediſſe documenta, negari nequit, & ex hactenus dictis itidem conſtat. Videtur equidem *I. reg. XV. 5.* vnicum ſaltem in eo peccatum notari, adulterium ſcilicet cum Bathſeba, & quod cum eo coniunctum fuit, homicidium Vriae. Dicitur enim: *Fecerat enim* (Dauid) *quod placebat Iehouae, nec deflexerat ab vllo eius praecepto, per totius vitae tempus, niſi in negotio Vriae Chittaei.* Sed cum citra controuerſiam Dauid plura, quam vnicum hocce peccatum, commiſerit, manifeſtum eſt, hocce ideo ſaltem commemorari, quod inter reliqua grauiſſimum eſſet atrociſſimumque; ſenſusque eſſe poteſt, quod per omne vitae tempus a praeceptis domini non deflexerit, *niſi praecipue in negotio Vriae Chittaei.* De peccatis Dauidis ex inſtituto agit IOANNES DE PINEDA, in *Salomone praeuio libr. I. cap. III.* itemque GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, vt vocat, *Dauidis, cap. IX. pag. 139. ſeqq.* PETRI BAELII autem criminationes praecipuas, quibus cuncta ita exaggerat, vt in peſſimorum hominum numerum Dauidem referre videatur, iam data occaſione ab eo depulimus: quod & ex inſtituto duabus diſſertationibus, Gedani M DCC I & II editis, fecit GABRIEL GRODDECKIVS. Prophetam eximium fuiſſe Dauidem, tot egregia, tamque luculenta de Meſſia edita vaticinia, in nouo quoque teſtamento ſubinde laudata, nos dubitare nullo modo ſinunt. Confirmatque id cumprimis Petrus: *Propheta igitur cum eſſet, & ſciret, Deum iureiurando ſibi iuraſſe, fore, vt ex fructu lumbi ipſius, quod ad carnem attinet, Chriſtum illum ſuſcitaret, quem collocaret ſuper eius throno, praeſcius locutus eſt de reſurrectione; actor. II. 30. 31.* Mirum itaque, fuiſſe, qui veritatem tam manifeſtam in dubium vocare auſi ſunt. *Manichaei*, inquit, PETRVS DANIEL HVETIVS, *Gnoſtici, Nicolaitae vatem futurorum fuiſſe ipſum omnino negabant; negabat & Theodorus Mopſueſtenus, vt adnotatur in actis quintae ſynodi, & prophetae nomen, quod ſaepe illi tributum, negare non poterant, ad vnam canendi peritiam referebant, demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. p. m. 434.* Quem iſtorum hominum errorem vt recte explodit HVETIVS, ita ipſe nimis ieiune hac de re loqui videtur, dum *Dauid*, inquit, *ipſe non ob vaticinia ſolum, ſed & propter pſallendi ac carminum condendorum facultatem prophetae nomen videtur eſſe conſecutus.* Enim vero ipſi etiam illi, qui pſalmis ac canticis ſacris laudes diuinas celebrabant, prophetare dicebantur, vt iam ſupra ad §. *III.* huius ſectionis obſeruatum: id tamen in cenſum non venire, cum

Dauid propheta dicitur, exiſtimo, cum longe excellentior adſit ratio, cur ita dicatur, luculentisſima ſcilicet, quae de rebus futuris, ſpeciatim de Meſſia, edidit vaticinia. Interim muſices quoque pariter ac poeſeos, ſecundum morem veterum, eum periſſimum fuiſſe, notum ſatis eſt, & tot pſalmi egregii, de quibus deinceps dicetur, teſtantur. Hinc & ſe ipſum vocat נעים זמירות *amoenum pſalmis Israel*, aut, vt vulgatus non male transfert, *egregium pſaltem Israel*, *II. Sam. XXIII. 1.* Nec refragatus fuerim SAMVELI BOCHARTO, adſerenti, *Dauidem aliquid habuiſſe ſupra communem hominum ſortem, & extraordinariam muſicae peritiam huic paſtori Deum indulſiſſe, vt ſic viam illi ad maiora paulatim praeſtrueret, vt ex euentu adparuit; hierozoic. part. I. lib. II. cap. XLIV. pag. 463.* vbi & alia notatu digna de Dauidis peritia muſica; de qua & varia collegit GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, vt vocat, *Dauidis, cap. IV. pag. 26. ſeqq.* Recentiorum paradoxa de prophetiis Dauidicis placita ex inſtituto refellit HERMANNVS WITSIVS, *miſcellaneor. ſacror. part. I. lib. I. cap. XVIII. §. XVI. pag. 213. ſeqq.*

§. XXI.

Salomo, * qui patri Dauidi ſucceſſit, id initio egit, vt ſublatis e medio, qui aut periculum ſibi creare poterant, aut alias ob cauſſas mortis poenam meriti erant, regni poſſeſſionem firmam ſtabilemque redderet. ** Idem etiam cum accepta a Deo, quid petere vellet, optione, nihil aliud, quam ſapientiam petiiſſet, qua rebus Israelitarum rite adminiſtrandis idoneus redderetur, tanta quoque a Deo ſapientia inſtructus eſt, vt eius laude, non ſuae modo, ſed ſequentium etiam aetatum homines longiſſime vinceret. Eiusque ſtatim, in duarum meretricum, ſuper infante contendentium, controuerſia dirimenda, documentum dedit. *** Aula hinc rite conſtituta & ſplendide inſtructa, renouataque cum Hiramo Tyriorum rege amicitia, anno regni ſui quarto magnifici & ſtupendi plane operis templum excitare adgreſſus eſt, anno regni ſui vndecimo, adeoque ſeptem annorum ſpatio, abſoluendum perficiendumque. * Et ab exitu quidem Ebraeorum ex Aegypto, vsque ad templi huius exſtructionem, elapſi ſunt anni quadringenti & octoginta. Epochamque ſimul iſta Salomonaei templi exſtructio inſignem, maximeque memorabilem, conſtituit. **

* Natiuitas eius conſtat ex *II. Sam. XII. 24. 25.* Salomonis nomen ab ipſo Deo, antequam naſceretur, ei datum, ipſemet Dauid nos condocet, *I. chron.*

I. chron. XXII. 9. Deum enim, per Nathanem vatem, vt credere par eſt, ad ſe dixiſſe, ait: *Filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietisſimus: faciam enim requieſcere eum ab omnibus inimicis ſuis circumquaque; ideoque Salomoh vocabitur, & pacem ac otium Iſraeli eius temporibus dabo.* Vnde ſimul ratio nominis patet, quae a pace ac tranquillitate deſumta eſt, quam Deus ſub eius regno populo Iſraelitico erat conceſſurus: quanquam hoc ipſo ſublimior illa ratio, quod typus ac imago eius futurus eſſet, qui hominum generi vniuerſo pacem cum Deo impetraturus erat, non excludatur. Dictus idem a Nathane vate eſt ידידיה *Iedidiah*, hoc eſt, dilectus Dei, idque בעבור יהוה *propter dominum*, ſeu quia Domino valde gratus eſſet. Sed & *Lemuel* eum dictum, nonnulli ex *Prouerb. XXXI. 1.* colligunt. Saltem magno conſenſu ebraei pariter ac chriſtiani interpretes tradunt, per Lemuelem non alium, quam Salomonem, ibi indigitari, eo quod nullus alius apud Iudaeos vel exteros reperiatur rex, Lemuelis nomine inſignis, diſſentiente tamen HVGONE GROTIO, qui Ezechiam intelligere mauult, contra quem diſputat ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *b. l.* Quod ſi quaeras, cur Salomo Lemuel dictus ſit, variae quidem huius rei adferuntur rationes; ſed pleriſque placet, nomen hoc eam ſortitum a matre blandiente, quae in pueritia forte primam initialem Salomonis ſyllabam, tanqam pronuntiatu difficiliorem, compendii ergo omiſerit, inque fine nouam adpoſuerit aliam, cuiusmodi quid quotidie apud Germanos vſu venire videmus: neque tamen ſonum fuiſſe ſine mente, ſed eum notaſſe, *qui ad Deum pertinet, tanquam eius peculium aut miniſter.* conf. MARTINVS GEIERVS, ad *Prouerb. XXXI. verſ. 1.* item HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacr. part. I. lib. I. c. XVIII. pag. 222.* De inſtitutione & educatione Salomonis nihil certi nobis conſtat; etſi dubio careat, tum patrem, tum matrem ſedulo id operam dediſſe, vt legis Moſaicae notitia, aliisque artibus ſcientiisque, quae regem futurum decent, imbueretur. Nathanis prophetae diſciplinae eum commiſſum, vulgo ex *II. Sam. XII. 25.* colligunt, nec ſine ratione; quanquam non deſint, qui verba וישלח ביד נתן ſic explicent, quod Deus, miſſo Nathane propheta, nomen Iedidiah Salomoni impoſuerit. Prior tamen ſententia planior, minusque coacta videtur. Reliqua, quae vulgo de inſtitutione Salomonis adferuntur, coniecturae ſunt incertae, ac fundamento deſtitutae.

** Salomonem a patre Dauide in conſortium imperii receptum eſſe, ad §. *praecedentem* dictum eſt. Cum ergo mortuo patre rerum habenas ſolus ſuſcepiſſet, Adonias per Bathſebam, Salomonis matrem, Abiſagam Sunamitidem, quae patris concubina fuerat, in matrimonium ſibi petiit; refragante non tantum Salomone, & matrem, quod per imprudentiam ad poſtulatum hoc proponendum ſe induci

Digitized by Google

duci paſſa eſſet, obiurgante, ſed mortis ideo reum pronuntiante Adoniam. Verba Salomonis ad Bathſebam ſunt: *poſtula etiam illi regnum, quia frater meus eſt, natu maior,* ולו ולאביתר הכהן וליואב *illi, & Abiathari ſacerdoti, & Ioabo.* Vltima verba non vna ratione ab omnibus intelliguntur. Chaldaeus enim habet: *nonne in conſilio fuerunt, ipſe & Abiathar &c.* Vulgatus: *& habet Abiathar ſacerdotem &c.* Alii aliter. Sed praeferenda illorum expoſitio, vtpote planiſſima, qui verba: *pete regnum,* hic repetenda cenſent, vt ſenſus ſit: *pete, inquam, regnum, illi, & Abiathari &c.* Cum enim Salomo ſciret, Abiatharem & Ioabum a partibus Adoniae ſtare, ſi Adonias ad regnum perueniret, perinde profecto erat, ac ſi Abiathar vna cum Ioabo illud conſequerentur. Sine mora itaque miſſus Benaia, qui Adoniam interficeret. Non ſine crimine Adoniam petiiſſe Abiſagam, certum eſt. Hanc enim cupiens, ius ad ſe regni pertinere, oſtendit, tentabatque animum Salomonis, vt, ſi metu iuuenili hoc ei conceſſiſſet, mox auderet maiora, vt recte HVGO GROTIVS, ad *b. l.* obſeruat. An autem recte ideo Adoniam interfici iuſſerit Salomo, quaeri poſſet. Sunt, qui hocce Salomonis factum improbant, quos inter & IOANNES CLERICVS eſt, qui, *neſcio,* inquit, *an factum hoc Salomonis, fratrem eiuſmodi de cauſſa occidentis, laudari poſſit. Satis profecto fuiſſet, cauere, ne quid nouarum rerum molíretur. Tam ſubitum ſupplicium de fratre ſumtum, videri potuit vltio, captata occaſione quaeſita, ob regnum adfectatum, nec id ſine ſpecie iuris, quia Adoniah maximus erat natu filiorum Dauidis. Facile,* (ita pergit) *patior, Salomonis famam defendi, ſed magis laudari potuit, ſi mitior erga fratrem delinquentem fuiſſet, vitaeque eius pepercíſſet.* Verum cum haud dubie Adonia petendo Abiſagam in matrimonium id ſpectauerit, vt occaſionem pariter ac πρόφασιν, res nouas moliendi, regnumque ad ſe rapiendi adipiſceretur, idque Salomo perſpexerit, quod & haud obſcure innuit, dum, *poſtula,* inquit, *illi regnum, quia frater meus eſt natu maior, &c.* nihil hic Salomonem, quod reprehendi queat, commiſiſſe, exiſtimo. Sequentia etiam verba ſatis docent, arctiſſimam adhuc Adoniae cum Abiathare & Ioabo interceſſiſſe amicitiam, eo, vt patet, vnice comparatam, vt qualibet arrepta occaſione, regnum ad Adoniam transferrent. Nullumque videtur dubium, quin ex Abiatharis & Ioabi conſilio Abiſagam petierit Adonias. Cum ergo iam ſemel delicti eiuſmodi veniam fratri rex conceſſiſſet, iuſtitiae pariter ac reipublicae ratio poſtulabat, vt tanta audacia acriori poena coerceretur. HVGO GROTIVS Salomonem hic ob prudentiam laudat, recteque ex C. CORNELIO TACITO obſeruat, *nihil in diſcordiis ciuilibus feſtinatione eſſe tutius, vbi facto magis quam conſulto opus.* Sed haec, vt & reliqua, quae hunc in modum adfert, intelligenda ſunt ſalua iuſtitia, quam Salomonem obſeruaſſe, non

Digitized by Google

non eſt, quod dubitemus. Quod autem dicit: *Sic ferme Romulus Remum occidit, per centurionem Fabium Celerem*, ſi de modo, quo & Remus & Adonias interfectus eſt, capiatur, admitti poteſt. Ceteroquin comparatio non recte procedit, & Salomoni parum eſt honorifica. Abiathari, ſacerdoti ſummo, Salomo pepercit. Non enim, quod facere eodem iure potuiſſet, eum interfecit, ſed Anathotas ſaltem in agros ſuos concedere iuſſit. Idque duplicem ob cauſſam, quod & arcam Domini, coram patre ſuo Dauide baiulaſſet, & comes eius perpetuus in omnibus eius calamitatibus fuiſſet. R. LEVI BEN GERSON, aliique Ebraeorum, de arca quod dicitur, de eo intelligunt tempore, quo Dauid ob Abſalomum fugam arripuit; quod ſine fundamento adſeritur. Videtur autem hoc ſignificari, quod Abiathar arcae curam habuerit, & circa eam Dominum pro Dauide conſuluerit. Summorum enim pontificum non erat baiulare arcam, etſi eam humeris Leuitarum imponerent. Diſcere autem ex hoc exemplo Romanenſes poterant (vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ addam) ſummos etiam ſacerdotes a magiſtratu ſupremo in ordinem redigi, & munere ſuo priuari poſſe, ſi aliquid eiusmodi animaduerſione dignum commiſerunt. Nec iuuat eos, quod hac ratione impletum fuerit, quod Ithamaris familiae per Samuelem ob delicta Eli praedictum fuerat. Inde enim ſpeciale mandatum elici nequit. Quod etiam vno tempore fieri potuit, id cur ſemper fieri nequeat, oſtendi non poteſt, cum nulla deinde lex diuina acceſſerit, quae ſacerdotes, aut ſummos etiam pontifices, imperio ſummarum poteſtatum exemit. Interim NATALIS ALEXANDER ipſemet agnoſcit, & Adoniam iuſte capitis damnatum, & Abiatharem ſacerdotem merito exauctoratum, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi IV. diſſertat. XVI. quaeſt. II. pag. 95.* Eius rei rumor cum ad Ioabum perueniſſet, defectionis ſuae ad Adoniam ſibi conſcius, ad tentorium domini, quod erat Gibeone, perfugit, altarisque adprehendit cornua. At Salomo, Benaiam eo miſit, qui hominem interficeret; quod & eo ipſo in loco fecit, cum, vt ab altari diſcederet, induci non poſſet. Altaria enim & loca ſacra innocentibus equidem, & qui praeter voluntatem hominem interfecerant, aſylum praebebant, minime autem noxiis & voluntarii homicidii reis. conf. IOANNES SELDENVS, de *iure nat. & gent. ſecundum diſciplinam Ebraeor. lib. IV. cap. II. pag. 491.* Dicitur, quod ſepultus fuerit *domi ſuae in ſolitudine*, qua de re varia Ebraeorum doctores apud CHRIST. SCHOTANVM, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. pag. 757.* Simpliciſſimum eſt, ſi dicamus, domum Ioabi paternam fuiſſe in deſerto Iudae. Conſtituto in Ioabi locum Benaia, & in locum Abiatharis Zadoko, Simeium quoque Salomo arceſſiuit, memor quippe hac occaſione eorum, quae contra patrem Dauidem deſignaſſet, & vt Hieroſolymae in poſterum commoraretur, nec Kidronem torrentem tranſiret, praece-

 pit.

pit. Id acceptauit quidem, at non ſeruauit Simei. Tribus enim elapſis annis, Gathum ad Achiſum ſe contulit, vt ſeruos fugitiuos inde reduceret. Adeo auaritia hominem excaecauerat, vt periculi, quod inde ſubiturus erat, plane immemor eſſet. Quanquam & hic ſingularis Numinis interceſſerit directio. Cum ergo reuerſus eſſet, arceſſitus a Salomone, ſententiamque feralem, qua mortis reus iudicabatur, audire coactus, hinc & a Benaia interfectus eſt. Non factam homini improbo iniuriam, ex iis, quae ſupra, cum de facinore eius verba faceremus, monuimus, liquet.

*** Aemulis regni ſublatis, filiam Pharaonis, Aegypti regis, Salomo in matrimonium duxit. Iam enim in eo eſt ſcriptor ſacer, vt rerum Salomonis ſtatum vsque ad templi exſtructionem commemoret. Hinc addit, in vrbem Dauidis, ſeu regiam a Dauide in monte Zion conditam, nouam coniugem introductam, quod nec propriam domum, nec aedem Dei hactenus exſtruxiſſet, nec muro cinxiſſet vrbem Hieroſolymam. Filiam Pharaonis, quam Salomo duxit, proſelytam factam, multi ex Ebraeorum magiſtris tradunt. Quod ſi admittatur, Salomo hac in re, non peccauit: etſi non deſint, qui, & tum peccaſſe, exiſtiment. Proſelytam fuiſſe, inde quoque probabile nonnulli putant, quod inter genera idololatriae, in quae ab vxoribus pellectus, prolapſus eſt Salomo, aegyptiacae non memorentur ſuperſtitiones. Quae non adeo firma eſt ratio. Maius momentum trahit, quod ſtatim ſubiiciatur, *Salomonem amaſſe Iehouam, ita vt patris ſui Dauidis inſtituta ſequeretur.* Quo pacto autem Deum ſincere amaſſe dici queat, ſi per coniugium illicitum eum offendit, non ſatis capio: niſi dixeris, Deum iſta ceu imbecillitates toleraſſe. Poſſet equidem etiam dici, coniugium iſtud poſtea demum, quam contigerant, quae de ſapientia ſingulari diuinitus Salomoni conceſſa narrantur, initum eſſe. Verum, cur ab ordine, quem ſcriptor ſacer hic tenet, diſcedere debeamus, nulla adpatet neceſſitas. Illud quidem rurſus obſtat, quod filiam Pharaonis deinde extra vrbem Dauidis habitare voluerit, eo quod locus ille quodammodo ſacer eſſet, *II. chron. VIII. verſ. 11.* conf. & *I. reg. IX. verſ. 24.* At id ideo fieri potuit, quod peregrina eſſet; aut potius quod tum regia domus perfecta eſſet. Si quis in ea ſententia perſiſtat, ethnicam manſiſſe filiam hancce Pharaonis, ad minimum dicendum, cultum idololatricum ei a Salomone non conceſſum, multo minus ab eo adprobatum, cum aetate demum ad ſenectutem vergente, per mulieres peregrinas ſe ad idololatriam abripi paſſus ſit. Ceterum, cum aedes Domini nondum exſtructa eſſet, populus adhuc in locis excelſis ſacrificia offerebat; idque ipſemet etiam faciebat Salomo. Licitum hoc tum fuiſſe, eo quod deuaſtata eſſet Schiloh, templum autem nondum aedificatum, Ebraeorum eſt ſententia; conf. R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* Nec in noſtro textu e-

ius-

iusmodi ſacrificia in excelſis improbari, nonnulli obſeruant, cum particula רק tum de populo, tum de Salomone vſurpata, non ſemper habeat vim excludendi, ſed interdum ordinis ac continuationis cauſſa adhibeatur, & eam hic obtinere ſignificationem. conf. SEB. SCHMIDIVS, ad *h. l.* Sacra itaque ſolemniora aliquando facturus Salomo, Gibeonem adſcendit, (FLAV. IOSEPHVS perperam χεβρῶνα habet) quod excelſum reliquis nobilius erat, propter tabernaculum Moſis & altare aeneum, quae ibi erant, *I. chron. I. 3. 5.* Magno comitatu principum ac populi illum eo abiiſſe, ex eodem loco diſcimus. Mille holocauſta eo in altari adoleuit: quod num vnica vice, an per aliquot dies factum, dubitatur. Prius tamen Ebraeorum magiſtris placet. Quod autem R. LEVI BEN GERSON tradit, per holocautomata quaeſitam prophetiam, inter commenta inania referendum. Cum ergo ibi eſſet, Deus in ſomnio nocturno ei conſpectus, facultatem petendi, quid vellet, ei obtulit. Salomo, commemoratis beneficiis maximis, quae patri ſuo & ſibi Deus exhibuiſſet, commemorata etiam difficultate populum iſtum numeroſiſſimum recte regendi, praeſertim, cum ipſe in aetate iuuenili, & longa experientia deſtituta, adhuc conſtitutus eſſet, nihil aliud, quam ſapientiam praecipue ad regnum rite adminiſtrandum neceſſariam, a Deo petiit. Vocat Salomo ſe ipſum נער קטון *puerum paruum*, vt imperitiam ſuam, ſeu aetatem experientia adhuc deſtitutam, indicaret. Quot annorum fuerit, cum regni habenas ſuſcepit, non conſtat. Ebraeorum communis eſt ſententia, eum duodecim fuiſſe annorum, quibus & nonnulli ex antiquis eccleſiae doctoribus, ſpeciatim HIERONYMVS, in *cap. III. Eſa.* item *epiſt. XXXI.* ad *Vitalem*, ſuffragantur, idemque refert EVPOLEMVS apud EVSEBIVM, *praeparat. euang. lib. IX. cap. XXX.* Alii, quindecim, aut ſedecim, aut viginti annorum fuiſſe; contendunt, vltimam ſententiam defendente NATALE ALEXANDRO, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi IV. diſſertat. XXVI. quaeſt. I. pag. 94.* Ea aetate eum fuiſſe, quae iam ad virilem quodammodo accedit, vel inde colligas, quod pater Dauid eum *ſapientem virum* vocat, *I. reg. II. 9.* Puerum autem ob rationem antea adlatam eo magis ſe vocare potuit, quod ebraeae linguae indoli ſit conueniens, vt is puer dicatur, qui eam nondum attigit aetatem, qua homo decreſcere incipit. Petit autem Salomo a Deo לב שׁמע *cor audiens*, quod nonnulli ad Deum aut ſpiritum ſanctum, aut eos, qui meliora monituri erant, alii autem rectius ad lites atque cauſſas referunt, quia ſtatim additur, לשׁפוט *ad ius dicendum populo tuo.* Haec autem Salomonis petitio, Deo adeo grata fuit, vt non tantum ſapientiam tantam, qua omnes, qui ante eum fuiſſent, & poſt eum venturi eſſent, ſuperaturus eſſet, ſed diuitias etiam & gloriam maximam, & ſi porro Numinis praecepta obſeruaturus eſſet, vitam longam ei promitteret. Ad ſa-

ſapientiam nimirum quod attinet, ea intelligitur praecipue, quae ad reipublicae adminiſtrationem, rerumque moralium & ciuilium diiudicationem & naturalium inueſtigationem pertinet; porro, quae in meros homines cadit, & temporis, quo vixit Salomo, conditioni fuit adcommodata. Hinc quaeſtiones variae, quae hic moueri ſolent, an apoſtolis fuerit ſapientior? & quae reliquae ſunt eiusdem generis, diiudicari poſſunt. Cum Chriſti autem aut apoſtolorum ſapientia comparationem inſtituere velle, impium pariter ac ſtolidum eſt. Patet etiam, integram Salomoni ſummae ſapientiae manere laudem, etſi in theologicis, moralibus, & naturalibus hodie multa nota ſint, quae Salomo neſciuit. Sed de ſapientia iſta Salomonis deinceps ex inſtituto dicemus. Cum Hieroſolymam reuerſus eſſet, oblatisque coram arca federis ſacrificiis, ſe promiſſioni diuinae habere fidem, teſtatus eſſet, mox occaſio ſapientiae ſpecimen edendi ſeſe obtulit. Duae enim meretrices inter ſe contendebant ſuper infantem, quem vtraque ſibi vindicabat, cum alter infans noctu a matre dormiente ſuffocatus eſſet. Vocem זונה hic meretricem ſignificare, ex omnibus circumſtantiis liquet: vnde falluntur, qui cauponarias intelligere malunt. Cum nullum indicium, nec teſtis adeſſet, ex quo veritas rei elici potuiſſet, & vtraque meretrix eum, qui viuebat, infantem ſuum eſſe contenderet, Salomo gladio puerum, ſuper quo contendebatur, diſſecari iuſſit, & dimidiam partem vni, dimidiam alteri dari. FLAV. IOSEPHVS auctor eſt, populum hanc ſententiam, vt puerilem, damnaſſe, cum non intelligeret, quid rex ſibi vellet, *antiqu. iud. lib. VIII. c. I. p. 256.* Cum vero altera meretricum in ſententiam regis conſenſiſſet, altera autem concedere infantem alteri, quam permittere, vt interficeretur, maluiſſet, ex adfectu naturali hanc veram matrem eſſe, intelligens, vt huic infans redderetur, mandauit. Tum vero omnes ſapientiam eius ſingularem intellexerunt, eumque reueriti ſunt; vel, vt IOSEPHVS loquitur, ei, vtpote diuina mente praedito, obtemperarunt.

* Quo pacto Salomo aulam ſuam conſtituerit, ſplendideque inſtruxerit, conſtat ex *I. reg. IV. 1. ſeqq.* Nos ea non repetemus, ſed quaedam tantum monebimus. Primo itaque obſeruandum, quod inter proceres praecipuos Salomonis primo loco referatur *Aſarias Zadoki filius* הכהן *princeps.* Ita enim vocem hanc, vt alias, hic quoque vertendam, exiſtimo. Qui enim per *ſacerdotem* vertunt, in magnas difficultates ſe coniiciunt; vnde ſe vix expedire queunt; praeſertim, cum *verſ. 4.* dicatur, *Zadokus vero & Abiathar ſacerdotes erant.* Vbi tamen iterum dubium oritur, quo iure Abiathar hic ſacerdos vocetur, cum tamen Salomo eundem circa regni initium pontificatu maximo amouerit. Nonnulli non eundem hic, ſed alium eiusdem nominis intelligunt: alii reſtitutum Abiatharem volunt, vt proximo poſt Zadokum loco eſſet. Mihi videtur,

tur, cum honoris cauſſa hic commemorari, forte, quod titulum & honorem retinuerit, etſi ipſo munere ſe abdicare coactus ſit. Illis enim, qui aulae ac regni ſtatum circa primum regni initium hic deſcribi putant, cum Abiathar munere pontificis nondum amotus eſſet, ſuffragari nequeo. Obſtat enim, quod inter principes nonnulli commemorentur, quibus Salomo filias ſuas in matrimonium dederit. Circa primum autem regni initium Salomonem iam nubiles filias habuiſſe, neutiquam eſt probabile. Ceterum, cum inter proceres Salomonis *filius Churis*, *filius Dekeri*, *filius Cheſedi*, omiſſis nominibus commemorentur, IOANNES CLERICVS textum ebraeum hic corruptum ſuſpicatur. Sed fieri potuit, vt parentes, quorum filii commemorantur, adeo noti fuerint, vt ſacer ſcriptor ab iis filios denominare ſatis, ſuperuacaneumque adeo eſſe, duxerit, ipſorum adiicere nomina. Praeter aulae proceres & miniſtros, qui ordine enumerantur, duodecim erant ſitarchi, qui per prouincias diſtributi, annonam regiae domui in menſes ſingulos ſinguli ſubminiſtrarent. Erat vero cibarium Salomonis in diem vnum, *triceni cori ſimilae*, & *ſexageni cori farinae*, *deni boues pingues*, & *viceni boues paſcuales*, & *centenae pecudes*, *praeter ceruos*, & *capreas*, & *damas*, & *lectiſſima denique altilia.* Ampliſſimam ſane familiam fuiſſe oportet, quae tantum commeatum quotidie abſumſit. Vnde non immerito regina Sabae ad hoſce adparatus obſtupuit, *I. reg. X. 5.* Sub rege tam felici, non minor erat ciuium felicitas. Hinc multiplicati dicuntur, vt arenam, quae eſt ad mare, aequauerint, additurque: *comedebantque, bibebant & laetabantur.* Ampliſſimum praeterea erat Salomonis imperium. Dominabatur enim omnibus regnis, *quae ſunt a fluuio Euphrate ad terram Philiſtaeorum*, & *fines Aegypti.* Verba enim ebraea: מן הנהר ארץ פלשתים ita transferenda ſunt; *a fluuio ad terram Philiſtaeorum*, vt recte obſeruat, rationibusque luculentis probat IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* Non alius itaque fluuius, quam Euphrates, intelligi poteſt. Accedit, quod regna omnia, ad ortum Iordanis ſita, ad Euphratem vsque, iam Dauidi vectigalia fuerint. Patetque hinc, quam egregie promiſſis diuinis ſua conſtet veritas. Abrahami enim poſteris tam amplas poſſeſſiones, quae Euphrate & Nilo finirentur, *Gen. XV. 18.* Deum pollicitum, ſupra iam obſeruauimus. Dicitur deinde porro, imperaſſe Salomonem, *omnibus terris cis Euphratem fluuium*, *a Thiphſacho ad Gazam vsque*, *omnibusque regibus*, *qui ſunt cis eum fluuium.* Vbi per Thiphſachum, *Thapſacum*, oppidum ad Euphratem ſitum, vbi, vt ex geographorum monumentis conſtat, traiici fluuius ille ſolebat, recte viri docti intelligunt.

Cumprimis vero adhuc obſeruatu dignum, quod dicitur, fuiſſe Salomoni, *quadraginta millia praeſepium equorum*, *ad currus eius*, & *duodecim millia equitum.* In ebraeo eſt ארבעים אלף ארות סוסים, vbi

per ארות loculos in ſtabulis diſtinctos, ex quibus ſingula iumenta pabulum carpunt, quod ſingulis adponitur, intelligi, recte docet SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. I. lib. II. cap. IX.* Quemadmodum vero nonnullis vix credibile videtur, Salomonem tantam equorum multitudinem aluiſſe, praeſertim, cum curruum ipſorum numerus non reſpondeat, qui *I. reg. X. verſ. 26.* & *II. chron. I verſ. 14.* fuiſſe dicuntur *mille quadringenti*; & hoc inſuper contra legem Moſaicam eſſet, qua vetitum erat regibus, tantum habere equitatum. Accedebant enim ſecundum verba ſcriptoris ſacri antea adlata, ad equos curules quadrageſies mille, duodecies mille equites. Augetur difficultas inde, quod *II. chron. IX. 25.* diſerte dicatur, Salomoni fuiſſe ארבעת אלפים, ארות סוסים *quatuor millia praeſepium equorum.* Hinc itaque vt ſe expediant viri docti, in varias ſeſe vertunt partes. Nonnulli citra ambages, mendum hic in numeros hosce irrepſiſſe, contendunt, vt LVD. CAPPELLVS, *crit. ſacr. lib. I. cap. X.* quem & IOANNES CLERICVS, ad *b. l.* ſequitur. Hoc vero cum durum nimis aliis videatur, nonnulli in libro regum equos, in libro chronicorum equilia ſeu ſtabula equorum intelligunt. Quodſi enim ſingulis equilibus decem equos tribuas, quater mille equilia continebunt quadragies mille equos. Ita R. LEVI BEN GERSON, & R. ISAAC ABARBANEL, ad *b. l.* Quibus obſtat, quod vtrobique vox ארות exſtet, quae de equis intelligi nequit. R. SALOM. IARCHI praeter talmudicorum conciliationem, qua difficultas non tollitur, ſed augetur, quaeue adeo in cenſum non venit, duas refert ſententias, quae, vt eodem tandem redeunt, ita neutra contemnenda videtur. Prima eſt, *fuiſſe quadraginta millia praeſepium; & in vniuerſum quatuor millia ſtabulorum*, vt ita in vnoquoque ſtabulo fuerint decem praeſepia; altera, *fuiſſe quatuor millia praeſepium, & in vniuerſum quadraginta millia ſtabulorum*, ſeu potius cubilium vel loculorum pro ſingulis equis. Obſtare equidem videtur, quod vtrobique vox ארות exſtet, vt adeo diſcrimen inter praeſepia & cubilia, vel loculos, conſtitui nequeat. Sed reſpondent, qui hanc ſententiam tuentur, cum in chronicorum libro vox haec inſerta littera י efferatur: אריות. diſcrimen aliquod omnino innui. Neque negandum, exſtare exempla, quibus probari poſſit, litterae iſtius inſertionem, aut additionem, vocis quoque immutare ſignificationem. Si haec non placeat conciliatio, quae ſatis concinna videtur, nihil aliud ſupererit, quam vt dicamus, in libro regum deſcribi numerum equorum, qualis fuit ſub initium regiminis, in libro autem chronicorum, qualis fuerit ſub finem. Mirum namque non eſſe, aiunt, qui ita ſentiunt, quod rebus Salomonis tandem in peius ruentibus, numerus equorum ſit imminutus. Forte & poenitentia ductum, cum intellexiſſet, tantum numerum legi Moſaicae repugnare, eundem data opera imminuiſſe. Ita AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. III.*

III. loc. XVIII. pag. 468. ſeqq. Conſentit hac ratione non tantum ordo narrationis, in libro regum obſeruatus, ſed difficultatibus quoque antea propoſitis ſatisfieri, facile patet. Si enim vix credibile videatur, Salomonem tantam equorum aluiſſe multitudinem, ſimul cogitandum, hoc non diu admodum duraſſe. Nec obſtat, quod curruum alibi memoratorum numerus, non reſpondeat numero equorum curulium. Nihil enim impedit, quo minus equorum curulium numerus longe maior fuerit, numero curruum. Equi enim vni currui iungendi ſubinde mutari ſolent, idque interdum ipſa neceſſitas poſtulat. Denique, cum in aliis legis Moſaicae non vsque quaque obſeruantiſſimus fuerit Salomo, fieri facile potuit, vt hac quoque in re, eius praeſcriptum negligere, non ſibi duxerit religioni. Non tamen puto, circa primum regni initium equorum numerum adeo ab eo auctum, ſed cum iam res eius florentiſſimae eſſe inciperent. Id enim vero conſtat ex iis, quae ſupra iam obſeruauimus, de tempore, ad quod referenda ſint, quae in hocce eodem capite de aulae Salomoneae diſpoſitione ſcriptor ſacer commemorat. Si regeras, nec locum in chronicorum libro ad extrema Salomonis tempora referri poſſe, reſpondeo, referri tamen ad ea tempora poſſe, quo res eius ſatis adhuc fuerunt florentes, decreſcere tamen iam quodammodo coeperunt. Quod eo facilius forte admittetur, ſi cogitemus, exiguo admodum temporis ſpatio tantam equorum multitudinem ali potuiſſe. Sunt & aliae aliorum conciliationes, quarum nonnullae cum longius adhuc ab omni veroſimilitudinis ſpecie recedant, iis non immorabimur.

De iis, quae de ſapientia Salomonis a ſcriptore ſacro hic iterum ſubiunguntur, in ſequentibus ad §. *XXVI.* ex inſtituto dicemus. Quemadmodum vero inter reliqua Salomonis opera maximum fuit, templi auguſtiſſimi ſplendidiſſimique exſtructio, ita ad opus iſtud perficiendum plurimum illi amicitia Hirami, vel, vt in chronicorum libro vocatur, Hurami, Tyriorum regis, profuit. Videtur autem Hiramus hicce filius eius fuiſſe, qui Dauidi ligna & fabros miſerat, cum hunc tam diu vixiſſe non ſit probabile. Sed de Tyriorum & rebus & regibus deinceps ad §. *XXVIII.* erit dicendi locus. Hiramus itaque hicce cum Salomo regni habenas ſuſcepiſſet, legatos gratulatum ad eum miſit; quos beneuole non tantum excepit Salomo, ſed iterum ad eum legatos miſit, qui quaedam ad templi exſtructionem neceſſaria ab illo peterent. Cum nullum dubium ſit, Tyriorum regem circa primum regni initium legatos hosce ad Salomonem miſiſſe, conueniens fuerit, quae *verſ. 1.* dicuntur, in plusquamperfecto capere: *miſerat Chiramus &c.* Scriptor autem ſacer nunc demum eius legationis meminit, quia ei conſtitutum eſt, ad narrationem de templi exſtructione accedere. Hiramum ſcripto ſeu epiſtola Salomoni reſpon-

Digitized by Google

ſpondiſſe, *I. chron. II. 11.* diſerte dicitur. Vnde nonnullis veroſimile videtur, & Salomonem litteras dediſſe ad Tyriorum regem, quanquam ſcriptura id non adſerat. Exſtant Salomonis & Hirami epiſtolae apud EVSEBIVM, qui ex EVPOLEMO eas exhibet, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXXII.* ex quo & eas repetit IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, *cod. pſeudepigrapho vet. teſtament. pag. 1022. ſeqq.* Eas autem ſuppoſititias eſſe, nemo temere dubitauerit. Hiramus in iſtis epiſtolis, haud dubie librariorum culpa, *Suron* vocatur. Summam illarum refert FLAVIVS IOSEPHVS, qui & earum exempla, ſua adhuc aetate apud Tyrios ſeruata, auctor eſt, magnaque fiducia hac de re ſcribit: *διαμένει δ᾽ ἄχρι τῆς σήμερον τὰ τῶν ἐπιϛολῶν τούτων ἀντίγραφα, οὐκ ἐν τοῖς ἡμετέροις μόνον σωζόμενα βιβλίοις, ἀλλὰ καὶ παρὰ Τυρίοις· ὥς τ᾽ εἴ τις θελήσειε τὸ ἀκριβὲς μαθεῖν, δεηθεὶς τῶν ἐπὶ Τυρίων γραμματοφυλακίων δημοσίων, εὕροι συμφωνοῦντα τοῖς εἰρημένοις ὑφ᾽ ἡμῶν τὰ παρ᾽ ἐκείνοις. Harum litterarum exemplaria hodieque durant, tam in noſtris, quam Tyriorum annalibus; & ſi cui libuerit haec certius cognoſcere, impetrata a publicorum commentariorum conſeruatoribus viſendi copia, comperiet, eorum ſcripta conſonare cum his, quae a nobis produntur; antiquit. iudaic. lib. VIII. cap. II. pag. 258.* Rem iſtam extra dubium ponerent, niſi plurima falſa narrando IOSEPHVS effeciſſet, vt fides eius non vsquequaque certa habeatur. Quae in chronicorum libro Salomo Tyriorum regi nuntiari iubet, in quibusdam differunt ab iis, quae in libro regum exſtant. Vt vero in ſumma rei vterque liber conſentit, ita non eſt inſolens, vt in altero libro quaedam addantur, aut plenius exprimantur, quam in altero. Non itaque neceſſe eſt, vt duas inde fingamus epiſtolas a Salomone ad Hiramum ſcriptas, quod facere videtur CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſt. ſacr. veter. teſtam. tom. II. pag. 775.* Mirum alicui videri poſſet, cur Salomo ab Hiramo ligna ex monte Libano petierit, cum & mons iſte ad Iſraelitas pertinuerit, & Dauid praeterea ligna ad templi exſtructionem petiiſſet & impetraſſet. Verum, quod ad prius attinet, probabile, ſaltem partem Libani in poteſtate fuiſſe Tyriorum; ad poſterius reſpondendum puto, quae Dauid impetrauerat, nondum ſuffeciſſe; vnde plura expetere Salomo neceſſarium duxit. Dicitur autem, Salomonem dediſſe Hiramo vigeſies mille choros tritici, victum eius familiae, & viginti choros שמן כתית *olei contuſi*, quod erat praeſtantiſſimum. At *II. chron. II. verſ. 10.* pro viginti choris olei, legimus *viginti millia bathorum*, quemadmodum & in aliis hic diuerſitas quaedam inter vtrumque librum intercedit. At omnis mox euaneſcet pugna, ſi obſeruemus, in libro regum referri, quod regi Tyriorum eiusque familiae ſiue aulae honoris cauſſa datum, in chronicorum autem libro, quod operis ſubminiſtratum. Oſten-

Oſtendit hoc SEBAST. SCHMIDIVS, ad *b. l.* vbi ſimul de voce סכות, quae in chronicorum libro exſtat, fuſe diſputat. Hiramus non tantum ligna, & quidquid expetebat Salomo, liberaliter conceſſit, ſed Churamum inſuper, egregium in omni genere artificem, miſit, cuius opera Salomo, pro lubitu vti poſſet. Eius mater *I. chron. II. 14.* dicitur fuiſſe e filiabus Dan, cum contra *I. reg. VIII. 14.* dicatur, fuiſſe filius viduae e tribu Naphtali; ſcilicet ipſe intuitu patris ex tribu Naphtali, fuit, mater autem ex tribu Dan. Pater Tyrius dicitur, quod apud Tyrios peregrinus habitauerit. vid. MICHAEL WALTHERVS, *harmon. bibl. pag. 250.* Alii aliter adhuc iſta conciliant, vt apud CHRISTIANVM SCHOTANVM videre licet, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſt. tom. II. pag. 775.* Contractis itaque operis, quarum triginta fuere millia, architecti ſcilicet & opifices, & ſeruis ad onera baiulanda, & caedendos in montibus lapides, quorum coniunctim centum & quinquaginta millia fuerunt, cuncta, quae ad templum neceſſaria erant, Salomonis fabris, cum fabris Chirami, operam iungentibus, parauit. Praefecti reliquis in libro regum dicuntur *ter mille & trecenti*, at in libro chronicorum *ter mille & ſexcenti.* Forte trecenti ex his reliquis iterum fuere ſuperiores, qui in priori loco omittuntur, at in poſteriori connumerantur. Ita R. SALOM. IARCHI, aliique ex doctoribus ebraeis. Quae in monte Libano praeparata erant ligna, ratibus ad Ioppen vsque a Tyriis deuehebantur, hinc a Salomone Hieroſolymam transferenda. De ipſo templo eiusque ſtructura deinceps, ad §. *XXIV.* ex inſtituto dicemus.

** Ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto vsque ad templi Salomonei exſtructionem effluxiſſe CCCC LXXX annos, diſerte dicitur *I. reg. VI. verſ. 1.* Quo pacto autem computus inſtituendus, vt haec annorum ſumma inde reſultet, iam ad *ſectionis praecedentis* §. *XI.* demonſtrauimus, vbi & ad dubia, quae hic moueri ſolent, reſponſum. Legi tamen etiam merentur, quae hac de re diſſerit CAMPEGIVS VITRINGA, in *hypotypoſi hiſtoriae & chronologiae ſacrae period. IV.* §. *XI. ſeqq. pag. 31. ſeqq.* Ad locum vero *I. Sam. XIII. 1.* vbi Saul *filius vnius* anni dicitur, cum regnare coepiſſet, quid reſpondendum ſit, patet ex iis, quae ad §. *IV.* huius ſectionis, de eo diximus. Ceterum anni iſti CCCC LXXX ita intelligendi ſunt, quod ab exitu gentis Iſraeliticae ex Aegypto, vsque ad iactum fundamentum templi Salomonei, totidem ſint elapſi. Quod ſi ergo nunc quaeras, quo anno ab orbe condito templum Salomoneum exſtructum, ſeu ad perfectionem deductum ſit, ſupponendum, quod ſupra ad *per. I. ſect. I.* §. *XLV.* demonſtrauimus, a condito mundo ad exitum gentis Iſraeliticae ex Aegypto effluxiſſe annos MM D XIII. His ſi addantur anni CCCC LXXX, qui ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto, vsque ad iactum fundamentum templi Salomonei elapſi ſunt, & praeterea VII anni ipſius exſtru-

ſtructionis, donec abſolueretur, ſequitur, ab orbe condito vsque ad exſtructum templum Salomoneum effluxiſſe annos MMM. Conſentit IACOBVS VSSERIVS in *annalib. pag 32.* it. IOANNES HARDVINVS, in *chronolog. vet. teſtam. pag. m. 534.*

§. XXII.

Praeter Samuelem, Dauidem atque Salomonem, * de quibus iam dictum, fuerunt & alii hac aetate viri ſancti, pietatis & ſapientiae laude florentes, vt tempore Dauidis Nathan & Gad, ** itemque Heman & Ethan, Ezrachitae, *** Aſſaph quoque & Ieduthun, * quorum ſubinde in pſalmorum inſcriptionibus mentio iniicitur. At pauca admodum ſunt, quae de his nobis innotuerunt. Referendi huc quoque ſummi ſacerdotes, qui ſacrorum curam in gente Iſraelitica geſſerunt. **

* De Salomone ex parte dictum: reliqua in ſequentibus expediemus. De ſapientia eius & eruditione, itemque de Samuelis pariter ac Dauidis ſcriptis, tum genuinis, tum ſuppoſititiis ad §. *XXVI.* verba faciemus.

** Vtriusque & Nathanis & Gadi ſubinde in hiſtoria Dauidis mentio iniicitur, vt ex dictis conſtat. Hinc & notum eſt, eos fuiſſe vates. Nec dubium, quin tum viua voce, tum ſcriptis populo ebraeo prodeſſe ſtuduerint. Eos hiſtoriam ſui temporis, cui prophetias ſuas eos inſeruiſſe, nonnullis admodum probabile videtur, ſcripſiſſe, ex *I. chron. XXIX. 29.* recte colligitur. Dicitur enim: *Res autem Dauidis regis, priores & poſteriores, eae ſcriptae ſunt in verbis Samuelis videntis, & in verbis Nathanis prophetae, & in verbis Gadi videntis.* Sunt equidem, qui, per *verba Samuelis, Nathanis & Gadi*, ex vſu ebraei ſermonis, vitam eorum & res geſtas, forte ab aliquo diſcipulorum conſcriptas, ſignificari, exiſtimant. Verum, cum ſcriptor ſacer eiusmodi ſcripta innuat, in quibus ex inſtituto de rebus Dauidis agatur, haec ſententia omni probabilitatis ſpecie deſtituitur. Recte hoc obſeruatum HERM. WITSIO, qui, hiſtoriam potius iſtius temporis a Nathane & Gado, aeque ac a Samuele ſcriptam, ſignificari, contendit. At quod porro addit, eam hiſtoriam periiſſe, vt nonniſi *ἀποσπασμάτια* quaedam habere videamur, admitti nequit. Rationibus enim minime contemnendis probari poteſt, ea quae Samuel, Nathan, & Gadus, de rebus Dauidis ex inſpiratione diuina, litteris conſignarunt, ea ipſa eſſe, quae hodie in libris Samuelis continentur. Qua de re deinceps ex inſtituto dicetur. De Nathane adhuc obſeruandum, quod EPIPHANIVS, de *vitis prophetarum tom. II. pag. 235.* ex libro quodam apocrypho narrat, ei ad prohibendum a flagitio Daui-

Dauidem, Hieroſolymas properanti obſtitiſſe Belialem, & cadauer nudum in via obieciſſe; huius enim ſepeliendi cauſſa cum ibi ſubſtitiſſet propheta, regem ea nocte crimen admiſiſſe. Ex Nathanis nomine EVPOLEMVM apud EVSEBIVM, *praepar. euangel. lib. IX. cap. XXX.* nomen angeli Διαναθὰν, qui Dauidem ab aedificando templo prohibuerit, effinxiſſe, bene nonnullis obſeruatum eſt: vid. IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, *cod. pſeudepigr. vet. teſtam. pag. 1011.*

*** Ethanis atque Hemanis mentio iniicitur, cum ſapientia Salomonis celebratur, *I. reg. IV.* 3. Dicitur enim omnibus fuiſſe ſapientior, *etiam Ethane Ezrachita, Hemane, Chalchole & Darda, filiis Macholis* Sunt, qui autumant, fuiſſe eos nepotes Iudae patriarchae, qui eo tempore, quo Iſraelitae in ſeruitute aegyptiaca conſtituti fuerunt, vixerint, & cantica quaedam compoſuerint. Ita IOANNES LIGTFOOTVS: *Salomon dicitur fuiſſe ſapientior Hemane & Ethane, & Calcole, & Dardaho, nempe reſpectu doctrinae humanae: ii enim viri in Aegypto vixerunt, dum Iſrael iſtic verſabatur in afflictione & imprimis periti fuiſſe videntur ſapientiae Aegyptiacae: attamen Salomon eos philoſophiae notitia ſuperabat; in chron. temp. & ord. text. vet. teſtam. tom. I. opp. pag. 74.* Sed etiam pridem EVSEBIVS, ab ebraeo quodam idem ſe accepiſſe, memoriae prodidit. Iuuat ipſum hac de re audire: τὸν δὲ λεγόμενον Αἰμὰν τὸν Ἐσδραΐτην, φασὶν εἶναι ἕνα τῶν υἱῶν Ζαρὰ τοῦ υἱοῦ Ἰούδα, κεκλῆσθαί τε αὐτὸν παρ' Ἑβραίοις πατρωνυμικῶς Ζαραΐτην· εἶναι δὲ πέντε τοὺς πάντας, μαρτυρεῖν δὲ τῷ λόγῳ τὴν πρώτην τῶν παραλειπομένων, τοῦτον περιέχουσαν τὸν τρόπον· υἱοὶ Ἰούδα Φαρὲς καὶ Ζαρά· καὶ υἱοὶ Ζαρὰ Ζαμβρὶ καὶ Αἰθὰμ καὶ Αἰμὰν καὶ Χαλχὰλ καὶ Δαρδὰ, πάντες ε΄. Τούτους ἔλεγεν ὁ Ἑβραῖος ἐν Αἰγύπτῳ προφητεῦσαι πρὸ Μωσέως γενομένους, αὐτῶν τε εἶναι τοὺς ψαλμοὺς τοὺς εἰς ὄνομα αὐτῶν προγεγραμμένους. *Aeman vero Esdraiten, vnum ex filiis Zarae filii Iuda eſſe aiunt, vocatumque apud Ebraeos patronymice Zaraiten: fuiſſeque filios Zarae, numero quinque, vt teſtificatur primus paralipomenon liber his verbis: filii Iuda, Phares & Zara: filii Zarae, Zambri, & Aetham, & Aeman, & Chalchal & Darda, numero quinque. Hos Ebraeus ait in Aegypto ante Moſis aetatem vaticinatos eſſe, auctoresque eſſe Pſalmorum, qui nomine ſuo inſcripti ſunt; comment. in Pſ. LXXXVIII. pag. 543.* ex edit. BERNARDI DE MONTFAVCON. Et verum ſane eſt, quatuor iſta nomina Ethan, Heman, Chalchal & Darda *I. chron. II. verſ. 6.* inter poſteros Zerachi filii Iudae occurrere: videturque eadem inde confirmari ſententia, quod Ethan אזרחי dicatur, voce, quae cum *Zerach* conuenientiam quandam habet: cumprimis, quod vix credibile videatur, in alia quadam familia ebraea quatuor fuiſſe fratres, cognomines quatuor filiis Zerachi filii Iudae. Cum tamen etiam nihil obſtet, quo minus hoc aliquando euenire potuerit, etſi adeo frequens

non ſit, rectius mea opinione ſentiunt, qui quatuor hosce viros ſapientiae laude florentes a filiis Zerachi diſtinguunt. Atque hoc inde etiam patet, quod quatuor iſti fratres *I. reg. IV. 31.* dicuntur filii Macholis. Hemanem huncce atque Ethanem auctores quoque eſſe pſalmi LXXXVIII & LXXXIX., quorum ille Hemanis, hic Ethanis nomen in inſcriptione habet, multorum eſt ſententia. Et negari vtique nequit, pſalmos hos ab Hemane & Ethane quodam fuiſſe compoſitos: hosce etiam pro filiis Zerachi haberi non poſſe, vel inde liquet, quod *pſalm. LXXXIX. 4. 21.* Dauidis iniiciatur mentio. Fuiſſe autem eos etiam vates ex *I. chron. XXVI. 4. & 5.* conſtat. conf. IOAN. ALBERT. FABRICIVS, *cod. pſeudepigr. vet. teſtam. pag. 905.* An vero iidem cum iis fuerint, quorum ſapientia, *I. reg. IV. 31.* celebratur, & de quibus hactenus dictum, videtur adhuc dubitari poſſe, eo quod pſalmographi iſti nec fratres fuerint, nec filii Macholis. conf. *I. chron. XVI. verſ. 17. XXVI. verſ. 1. 5.*

* Aſſaphum inter praecipuos Dauidis cantores fuiſſe, ex *I. chron. XVI. 17.* & *XXVI. 1.* notum eſt. Nomen eius in fronte gerunt pſalmus L, LXXIII & ſequentes, vsque ad LXXXIII. Quorum eum auctorem eſſe, eo minus dubitandum, quod idem *videns* ſeu *propheta* fuerit; & rex Ezechias non minus Aſſaphi, quam Dauidis pſalmos a Leuitis cantari voluerit. Id diſerte *II. chron. XXIX. 30.* indicatur: *Edixitque Ezechias rex & principes Leuitis, vt laudarent Iehouam verbis Dauidis, & Aſſaphi videntis.* Falluntur itaque, qui, eius tantum vt cantoris in pſalmorum titulis mentionem fieri, exiſtimant. Dubium equidem aliquod inde enaſci poterat, quod in pſalmo LXXIII, LXXVI, LXXVIII & LXXIX, talia occurrant, quae ad captiuitatem Babylonicam ſpectare videntur: vnde PETRVS DANIEL HVETIVS primum & penultimum ex his inter eos refert, qui in captiuitate Babylonica ſint compoſiti, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. m. 332.* LVDOVICVS ELIAS DV PIN, cum idem dubium propoſuiſſet, concludit, dicendum eſſe, aut Aſſaphum ex ſpiritu prophetico pſalmos iſtos ſcripſiſſe, aut quendam ex eius poſteris, qui in officio cantoris ei ſucceſſerit, eorum auctorem eſſe, in *diſſertation. praelim.* ſiue *prolegom. ſuper biblia lib. I. cap. III. §. XI. pag. 99.* Verum vt poſterius ſine vllo fundamento dicitur, ita prius omnino admittendum. Cum enim *videns* ſeu propheta fuerit, & inſuper ceu ſcriptor θεόπνευςος hosce pſalmos compoſuerit, quis dubitet, eum ex prophetico ſpiritu futura praedicere potuiſſe? Ieduthun itidem inter cantores Dauidis celebris fuit, & hoc tantum nomine eſt memorabilis, quod in trium pſalmorum titulis nomen eius inueniatur, videlicet XXXIX, LXII, & LXXVII.

** De ſucceſſione ſummorum ſacerdotum in gente ebraea vsque ad Eli, dictum ad *ſect. praeced. §. XII. & XIII.* Sublatis autem ante mortem Eli, filiis eius Hophni & Pinea, ſuperfuerunt

Achi-

Achitobus & Ichobadus poſthumus. Achitobi duo memorantur filii, Achias & Achimelechus, & huius filius Abiathar. conf. *I. Samuel. IV. 19. XIV. 3. XXII. 9. XXIII. 6.* Achian itidem ſummi ſacerdotis munere functum, ex *I. Sam. XIV. 18. 37.* colligitur, etſi FLAVIVS IOSEPHVS, vbi eandem hiſtoriam narrat, Achitobum memoret, *antiquitat. iudaic. lib. VI. cap. VII.* & alii quoque Achitobum proxime poſt Eli auum collocent. Diſputat hac de re IOANNES SELDENVS, de *ſucceſſ. in pontif. libr. I. cap. III. pag. 113. ſeqq.* Achiae in pontificatu ſucceſſiſſe creditur Achimelech, alter filiorum Achitobi, cuius *I. Sam. XXI. & XXII.* & apud IOSEPHVM *lib. VI. cap. XIV.* mentio inicitur. Quanquam non deſint, qui Achimelechum eundem cum Achia eſſe putant, eo quod Achias etiam dictus ſit Achimelechus; vti ſupra ad §. *VII.* huius ſectionis obſeruatum. Achimelecho ſucceſſit filius Abiathar, quem loco patris *Marc. II. 16.* commemorati, itidem ſupra ad §. *VII.* huius ſectionis obſeruauimus. Interim rurſus non deſunt, qui Abiatharem quoque Achimelechum, & Achimelechum Abiatharem dictum putant. Quod ſi admittatur, & alia dubia facili negotio hinc expediri poterunt. Non deſunt ex ebraeae gentis doctoribus, qui Ioiadam hic interponunt, eumque circa initium regni Dauidici ſummi ſacerdotis munere functum, ex *I. chron. XII. 27.* colligunt. At, licet Ioiada ibi inter primarios ſeu principes ſacerdotes referatur, inde tamen non ſequitur, eum ſummum fuiſſe ſacerdotem. Tempore Dauidis duo commemorantur ſacerdotes, Zadoc filius Achitobi ex gente Eleazaris, & Achimelech, filius Abiatharis, *II. Sam. VIII. 17.* & *I. chron. XVIII. 16.* At alibi, vt *II. Sam. XV. 24.* Zadoc atque Abiathar coniunguntur. Qua de re multa viri docti diſputant, aliis, duos ſimul ſacerdotes fuiſſe adfirmantibus, quos inter & FLAV. IOSEPHVS eſt, *antiquit. iud. lib. VII. cap. VI.* aliis id abnuentibus, & alia, at diuerſa iterum ratione hinc ſe expedientibus. Mihi omnium rectiſſime ſentire videntur, qui, Abiatharem ſummum ſacerdotem fuiſſe, & Hieroſolymis, vbi arca federis erat, commoratum, Achimelechum autem, Abiatharis filium & Zadokum, vicarios ſummi ſacerdotis, eosque Gibeae, vbi tabernaculum & altare Moſaicum erat, commoratos, contendunt. Nihil enim obſtabat, quo minus duo ſummi ſacerdotis eſſent vicarii. Cum autem Abiathar deinceps Adoniae partes ſecutus eſſet, Salomo rex eum officio ſacro abire iuſſit, ſubſtituto in eius locum Zadoko. Et ita ſummum ſacerdotium ad Eleazaris poſteros rediit. Qua de re ad §. *praecedentem* dictum. Vt autem genealogia Abiatharis ex Ithamare ex hactenus dictis conſtat; ita Zadoki ad Vzzi vsque ex iis, quae ad *ſect. praec.* §. *XII. & XIII.* monuimus, ſi quae *Esr. VII. 1. ſeqq.* exſtant, iungantur, intelligitur. Reliqua, quae adhuc addi poſſent, IOANNES SELDENVS ediſſerit, de *ſucceſſ. in pontificat. Ebr. cap. III. & IV.*

 §. XXIII.

§. XXIII.

Religionem eandem, ſi doctrinam ſpectes, quam a Moſe acceperant, in gente ebraea in hocce quoque temporis interuallo obtinuiſſe, conſtat. Immo doctrina de Meſſia, ad quam in federe gratiae omnia redeunt, non tantum ſubinde repetita, & confirmata, ſed variis vaticiniis, in pſalmis praeſertim Dauidis, obuiis, magis illuſtrata fuit, vt omnibus innoteſceret, non ex gente modo Iſraelitica, ſpeciatimque ex tribu Iudae, ſed ex familia, poſteriſque Dauidis, eum naſciturum. Multa quoque de eius natiuitate, paſſione, morte & reſurrectione, deque regno ſpirituali ab eo per orbem vniuerſum erigendo hic tradita leguntur, de quibus nihil tam luculenter dictum in praecedentibus temporum interuallis inuenimus. Atque hinc reliqua diiudicare licet. *

* Luculentiſſima de Meſſia, qui ſummam & caput religionis Iſraeliticae conſtituebat, in hocce quoque temporis interuallo occurrere teſtimonia, paucis demonſtrabimus. Et primo quidem Hannam, Samuelis matrem, in cantico ſuo, quod *I. Sam. II.* exſtat, de Meſſia egregie locutam, aliis iam obſeruatum eſt; vid. IOAN. HENR. MAIVS, in *oecon. temp. vet. teſt. cap. XLII.* §. *XXV. pag. 725.* Sed illuſtrius adhuc & luculentius eſt teſtimonium, quod *II. Sam. VII. 12. ſeqq.* exſtat, vbi Deus per Nathanem vatem Dauidi, Meſſiam ex ſemine eius naſciturum, promittit. Diſputari equidem ſolet, de quonam verba haec intelligenda ſint? Iudaeorum enim recepta eſt ſententia, de Salomone hic ſermonem eſſe, vt ex R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliiſque eiusdem gentis interpretibus ad *b. l.* conſtat, quibus & HVGO GROTIVS ſuffragatur. Hiſce vero obſtat, quod de ſemine iſto Dauidis talia adſerantur, quae nullo modo in Salomonem quadrant, vt ex dicendis palam fiet. Cum vero etiam in eadem hac promiſſione quaedam occurrant, quae Meſſiae non videntur conuenire, diuerſimode viri docti hinc ſe expedire adniſi ſunt. Nonnulli, litteraliter de Salomone, myſtice autem de Meſſia hic agi, contendunt, vt B. SAL. GLASSIVS noſter, *philolog. ſacr. pag. 272.* eodemque tendit IOANNES CLERICVS, ad *b. l.* Sed & hiſce praeter alia obſtat, quod nonnulla hic occurrant, quae litteraliter de Salomone capi nequeant, vt itidem ex dicendis patebit. Obſtat quoque allegatio Pauli apoſtoli *Ebr. I. 5.* vbi verba, *ero illi in patrem, & ille erit mibi in filium*, de ipſo Meſſia immediate, non autem de Salomone intelligit. Certe, ſi myſtice ſolum & per adcommodationem de Meſſia intelligenda eſſent, vi omni ac efficacia demonſtratio apoſtoli, quam ex hiſce ver-

Digitized by Google

verbis inſtituit, deſtitueretur. add. MICHAEL WALTHERVS, *harmon. bibl. pag. 386. ſeqq.* Alii rurſus de vtroque & Salomone & Meſſia, ſed disiunctim, hic agi, exiſtimant; ita vt quaedam de Chriſto, quaedam de Salomone capienda ſint. Ita praeter alios PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. VII. pag. 502.* & *prop. IX. pag. 645. ſeqq.* qui tamen *ead. prop. pag. 1083.* nec priorem ſententiam improbat. Non ſane inſolens eſt in ſtilo prophetico, vt, cum de typo ſermo eſt, quaedam ſimul addantur, quae immediate ad ipſum antitypum pertinent. Non itaque ſpernenda eſt haec ſententia, cum hac ratione etiam praecipuae difficultates facili negotio ſuperari queant. Praeferenda nihiloſecius illorum, qui litteraliter omnia de Meſſia capiunt. Cuncta enim ſi conſideremus paullo adcuratius, nihil tamen offendemus, quod non de Meſſia capi queat, quaedam autem ita comparata eſſe videbimus, vt de alio, quam de Meſſia capi nullo modo poſſint. Primo enim de ſemine poſt Dauidis mortem ei excitando, hic ſermo eſt: *cum exacti erunt dies tui, & cubabis cum maioribus tuis, excitabo poſt te prolem tuam &c.* Hoc de Salomone intelligi nequit, qui non mortuo, ſed viuente Dauide non tantum natus, ſed ſucceſſor regni conſtitutus, immo in regni conſortium adſumtus eſt: *I. reg. I. 30. ſeqq.* Eo vero minus de Salomone haec capi poſſunt, quod ipſe Dauid *v. 19.* agnoſcat, promiſſionem hanc למרחוק *in longinquum*, hoc eſt, longe poſt ſuam aetatem ventura reſpicere ſecula. Quod ſimul documento eſt luculentiſſimo, non de alio, quam de Meſſia, haec capi poſſe. Acutisſimus iudaeorum, R. ISAAC ABARBANEL, cum hocce dubium ſibi a quodam propoſitum memoraſſet, non inuenit, quid ad hoc reſpondeat, ad *h. l.* Neque de poſteritate Dauidis vniuerſa, ſed de vno, qui κατ' ἐξοχὴν filius Dauidis dici poterat, hoc intelligendum. Non de *ſeminibus*, vt pluribus, ſed de *ſemine* vt vno hic ſermo eſt, quae in diuinarum litterarum interpretatione adcurate diſtinguenda eſſe, Paulus apoſtolus monet, *Gal. III. 16.* Hoc praeterea ſequentia docent; הוא *ipſe aedificabit domum nomini meo.* Sed res ipſa quoque hoc oſtendit: cum non tota Dauidis poſteritas, ſed ſolus Salomo domum nomini Dei aedificauerit. Etenim, qui poſteritatem Dauidis intelligunt, non poſſunt non de templo Hieroſolymitano hoc capere. Non ergo aut de Salomone, aut de tota Dauidis poſteritate, ſed de alio quodam Dauidis filio ſermo eſt; de quo adeo porro dicitur: *regnumque eius firmabo: aedificabit is aedem nomini meo, regiumque eius ſolium in perpetuum ſtabiliam.* Aedificauit ſane Salomo templum Domino: ſed illud hic non intelligi, vel inde colligitur, quod templum, de quo hic ſermo eſt, aeternum eſſe debeat, quia regnum eius, qui templum hoc aedificare debeat, aeternum futurum ſit. Templum vero Salomonis aeternum non fuiſſe, experientia docuit. Nihil ergo aliud, quam eccle-

ſia,

ſia, poteſt intelligi, quae eſt *domus Dei viuentis*, *I. Tim. III. 15.* quae exſtructa eſt ſuper doctrina prophetarum & apoſtolorum, ipſo ſeruatore exiſtente lapide angulari, *Epheſ. II. 20. 21.* atque fundamento, *Eſa. XXVIII. 16.* quae etiam eſt domus aeterna, quippe contra quam nec inferorum praeualebunt portae, *Matth. XVI. 18.* cuius domus ſeu templi ſpiritualis exſtructor Meſſias diſerte praedicatur, *Zach. VI. 12. 13.* Quod vero regnum eius, qui domum iſtam aedificare debebat, aeternum futurum ſit, adeoque de alio, quam de regno Meſſiae, capi nequeat, diſerte dicitur: *regiumque eius ſolium in perpetuum ſtabiliam*; & magna cum emphaſi repetitur: *ſolium tuum in aeternum firmum erit.* MAIMONIDIS ſcitum eſt: עולם *non neceſſario ſignificat aeternitatem*, *niſi ei coniungatur* עד, *idque vel poſt illud*, *vt:* עולם עד *vel ante:* עד עולם; *more neuoch. part. II. cap. XXVIII.* Cum ergo hic dicatur עד עולם, colligit inde PETRVS DANIËL HVETIVS, perennitatem fine carituram deſignari, *demonſtr. euangel. prop. IX. pag. 645.* Verum iſtam MAIMONIDIS obſeruationem fallere, aliis iam obſeruatum, & vel exemplo, quod *Geneſ. XIII. 15.* exſtat, condoceti poteſt. Rectius itaque propria & genuina vocis עולם ſignificatio vrgetur: quippe quae ſemper perennitatem fine carentem deſignat, niſi res ipſa, de qua adhibetur, reſtrictionem poſtulet; cuiusmodi quid in ampliſſima hacce Numinis promisſione non adparet. Accedit potius emphatica de aeternitate huius regni repetitio, ne quid de aliis ſcripturae locis, in quibus eadem luculentiſſime indicatur, dicam. conf. *pſalm. XLV. 7. LXXII. 7. 17. LXXXIX. 30. 37. Eſa. IX. 6. Luc. I. 32.* Sed dicitur porro: *ego ero ei in patrem*, *& ipſe erit mihi in filium.* Quae verba IOAN. CLERICVS minus recte expreſſit: *Ego quidem ero illi patris inſtar*, *ille vero mihi erit inſtar filii.* Non enim dicit, quod *inſtar patris* futurus ſit, & is, de quo loquitur *inſtar filii*, ſed quod ipſe pater eius futurus ſit, quemadmodum is, de quo ſermo eſt, ipſius Dei futurus ſit filius. Nimirum indicatur, quod Meſſias ille, qui *κατὰ σάρκα* futurus eſſet filius Dauidis, ſit ipſe filius Dei, quem ſecundum ipſius Dauidis teſtimonium pater ab omni aeternitate genuit, *pſalm. II. 7.* Quod ſi cui haec interpretatio non placeat, is cogitet, ex apertiſſimis verbis, a quorum propria ſignificatione non temere diſcedendum eſſe, omnes fatentur, eandem fluere. Cogitet, quod maximum, Paulum apoſtolum ea ita intellexiſſe, vtpote qui ex iis, praeſtantiam Chriſti prae angelis omnibus, hoc eſt, diuinitatem comprobat, *Ebr. I. 5.* Quod additur: *cum deliquerit*, *virga humana & ictibus humanis caſtigabo*, *at benignitas mea ab eo non recedet*, eiusmodi eſt, vt noſtrae maxime ſententiae obſtare videatur; hinc & ab illis, qui ſecus exiſtimant, praecipue vrgeri ſolet. Videtur enim in Meſſiam nullo modo quadrare, quod peccaturus & ob peccata ſua caſtigandus ſit. Verum, licet ipſe

ipſe Meſſias non peccauerit, nec peccare potuerit, *ὅσιος* quippe, *ἄκακος*, *ἀμίαντος*, *κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν*, *Ebr. VII, 26.* ipſe tamen ceu agnus portans peccata mundi, *Io. I. 29.* omnium mortalium peccata in ſe ſuſcepit, ea quidem ratione, vt in foro diuino non aliter, quam ipſius peccata conſiderarentur. Cum ergo ipſe *non noſſet peccatum, peccatum pro nobis fieri voluit*, *I. Cor. V. 21.* & *Deus omnes iniquitates noſtras in eum coniecit*, *Eſa. LIII. 5.* Hinc & ſubinde ſcriptura de eo ita loqui ſolet, ac ſi ipſe peccauerit, *pſalm. XXXI. 15. XL, 13. LXIX. 6.* Eamque etiam ob cauſſam *plagas filiorum hominum*, ſeu, quas homines promeriti erant, expertus eſt, maximasque & grauiſſimas noſtri loco perpeſſus eſt calamitates & afflictiones. Quibus cum adeo non ſuccubuerit, vt potius ſe mortis ac inferni victorem demonſtrauerit, de eo rectisſime dicitur, quod *benignitas ſeu miſericordia Dei ab eo non receſſerit, &c.* Non tamen deſunt, qui, verba: אשר בהעותו ita explicanda cenſent: *quem ſi quis offenderit*, ſeu *contra quem ſi quis peccauit:* qua ratione itidem omnis difficultas ſtatim ceſſabit; vid. AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. II. loc. LXXXIV. pag. 390.* Praecipuum, quod noſtrae adhuc obiici ſententiae poterat, hoc eſt, quod *I. chron. XXIII. 9. ſeqq.* & *XXVIII. 3. ſeqq.* ipſe Dauid ad Salomonem hanc promisſionem referre videatur. Vnde vt nonnulli ſe expediant, Dauidem locis citatis non ad hanc promisſionem, quae *II. Sam. VII. 11.* & *I. chron. XVII. 11. ſeqq.* exſtat, ſed ad aliam, alio tempore ei factam, reſpicere, contendunt. Ita praeter alios ABR. CALOVIVS, ad *II. Sam. VII. 19.* Quod cum aliis ob circumſtantiarum ſimilitudinem parum credibile videatur, in eam potius ingreſſi ſunt ſententiam, vnam quidem eandemque in omnibus hisce locis memorari promisſionem, ſed ita, vt, cum in prioribus ea ſaltem promisſionis diuinae pars, quae ad beneficia ſpiritualia & natiuitatem Meſſiae ex ſemine Dauidis pertinet, adducatur, in poſterioribus reliqua etiam, quae ad beneficia temporalia, cumprimis ad Salomonem, ſpectant, adferantur. Et ſane non eſt inſolens, vt in alio ſcripturae loco, quod alibi omiſſum, commemoretur, & velut ſuppleatur. Quod exemplis variis, ſi opus eſſet, condoceri poſſet. Praetermittendum vero hic etiam non eſt reſponſum Dauidis: quippe quod ad ea, quae hactenus diſputauimus, confirmanda pertinet. Cum enim a Nathane, quae Deus ſibi promitteret, accepiſſet, ingreſſus in ſanctuarium, coram Domino conſtitit, dixitque: *quis ego, Domine Iehoua, quaeue erat familia mea, vt me huc vsque produxeris? Parum etiam hoc tibi viſum eſt, Domine Iehoua, ſed & in remotum tempus de familia ſerui tui locutus es.* Tanti nimirum facit promisſionem iſtam de Meſſia, vt reliqua beneficia in ſe a Deo collata, quantumuis maxima, cum ea comparata, exiguo loco habenda cenſeat. Porro, cum ipſemet agnoſcat, hanc promisſionem

onem tempus longe adhuc remotum ſpectare, aperte eam de Meſſia intelligendam indicat. Sed apertius adhuc, qualem Meſſiam fore credat, ſignificat, dum addit: וזאת תורת האדם ארני יהוה *& hic mos eſt hominis Domini Dei.* Vox תורה licet ceteroquin *legem* ſignificet, recte tamen etiam de *modo, forma, ratione* accipitur. Vulgatus perperam transferens: *iſta enim eſt lex Adam*, Romanenſibus varia commenta proferendi occaſionem dedit. Verba ארני יהוה a nonnullis in vocandi caſu accipiuntur hoc modo: *hic eſt mos hominis, o Domine Deus!* Ita LXX interpretes & plerique Ebraeorum, nonnulli etiam chriſtianorum, ſpeciatim & IOAN. CLERICVS, qui ita transfert: *idque humana ratione, Domine Iehoua.* Verum qui hinc reſultat, ſenſus, nullus eſt, aut certe patrum conueniens. Promiſſiones enim tam amplas in longe ventura ſecula dare, non hominis eſt, ſed Dei, neque humana, ſed diuina fit ratione. Rectius itaque alii haec verba per appoſitionem interpretantur, hunc in modum: *hic mos eſt hominis Domini Dei*, hoc eſt, eius, qui ſimul & homo & verus Deus futurus eſt. Noſtram de promiſſione hac ſententiam pluribus confirmat AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. LXXXIV. pag. 589. ſeqq.* in eo ſaltem diſſentiens, quod putat, Dauidi ſimul reuelatum, Meſſiae typum fore Salomonem: quod vt minime neceſſarium, ita incommodis variis, quae inde fluere poſſunt, obnoxium. Veterum, qui eadem ratione hancce promiſſionem explicarunt, teſtimonia exhibet CALOVIVS, ad *h. l.*

Non minus illuſtre, vt ad reliqua pergamus, eſt teſtimonium ac vaticinium de Chriſto, quod in vltima fidei ſuae confeſſione vir ſanctiſſimus Dauid edidit, *I. Sam. XXIII. 1. ſeqq.* Cum enim magnum quid & excellens elocuturus eſſet, ita orditur: *Dictum Dauidis, filii Iſchai; dictum* (inquam) *viri, qui conſtitutus eſt altus, vncti Dei Iacobi, & ſuauis canticis Iſraelis.* Verba, quae in ebraeo exſtant, הקם על משיח אלהי יעקוב nonnulli ita vertunt: *vir confirmatus de Meſſia Dei Iacob*, non adeo ad Dauidem, ſed ad Meſſiam ea referentes. Ita B. LVTHERVS, & LVCAS OSIANDER, in paraphraſi ad *h. l.* Nec abludit vulgatus interpres: *Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob.* At ob rationes grammaticas & poſitum accentuum hanc expoſitionem admitti non poſſe, oſtenderunt alii, vt THEODORVS HACKSPANIVS, *not. bib. part. I. pag. 694.* ſuffragante etiam praeter alios SEBAST. SCHMIDIO, ad *h. l.* Ex quorum itaque mente verba ita, vt fecimus, transferenda, & ad Dauidem, non ad Meſſiam, referenda. Priorem nihiloſecius expoſitionem defendere adgreſſus eſt AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. LXXXIX. pag. 348.* qui an ſecus ſentientium dubiis plene ſatisfecerit, aliis diiudicandum relinquo. Pergit autem vir ſanctiſſimus: *Spiritus Iehouae locutus eſt in me, & ſermo eius* (hoc nonnulli de λόγῳ προφορικῷ, alii au-

Digitized by Google

autem de ὑποςατικῷ ſeu Chriſto accipiunt) *ſuper lingua mea.* Quibus verbis, ſe vatem eſſe, apertisſime docet, qui ex diuina reuelatione futura de Chriſto, eiusque regno, praedixerit. Sed addit: *Dicit Deus Iſraelis, mihi locuta eſt petra Iſraelis: dominatorem hominum iuſtum* (excitabo) *dominatorem in timore Dei.* Solent quidem vulgo haec ita coniungi, vt omnia ad Deum promittentem referantur, hunc in modum: *Dixit Deus Iſraelis mihi, locuta eſt petra Iſraelis, dominator hominum iuſtus, &c.* Verum, cum Deus in ſe ſpectatus *dominator in timore Dei* dici nequeat, quod tamen rectiſſime de Meſſia, qui Deus & ſimul homo fuit, adſeritur, manifeſtum eſt, noſtram, quam poſuimus, interpretationem praeferendam eſſe. Haec vero non de alio, quam de Meſſia, intelligi poſſe, res ipſa docet. Falluntur-que magnopere, qui de Dauide ea capere malunt. Quis enim concesſerit, Dauidem abſolute *dominatorem hominum, dominatorem in timore Dei,* dici poſſe? Conticeſcere hosce homines ipſe chaldaeus paraphraſtes iubet, qui diſerte de Meſſia verba haecce interpretatur, *dixit Dauid: Deus Iſraelis de me locutus eſt, fortis Iſraelis, qui dominatur in homines, veritatem indicans, pollicitus eſt, ſe conſtituturum mihi regem, qui eſſet Meſſias ſurrecturus, & dominaturus in timore Domini.* Sunt &, qui obſeruant, luculentum pro trinitate perſonarum in eſſentia diuina hic occurrere teſtimonium, Vt enim per Deum Iſraelis, Deus pater intelligitur, ita filius egregie *rupes* ſeu *petra Iſraelis* dicitur, ad quem vt Meſſiam ſpectatum & ſequentia pertinent; de ſpiritu autem ſancto antea dixerat, *ſpiritus Iehouae locutus eſt in me.* conf. ABRAH. CALOVIVS, ad *h. l.* De Meſſia vero hic ſermonem eſſe, ſequentia porro oſtendunt, quae licet iterum diuerſimode exponantur, mihi tamen hicce ſenſus planiſſimus eſſe videtur: *Et* (ille, ſcilicet Meſſias,) *erit inſtar lucis matutinae, cum oritur ſol ſine nubibus;* hoc eſt, gratia atque benignitate, quae in euangelio omnibus adnuntiatur, miſeros atque adflictos mirifice recreabit: ſolet enim ſol oriens ſine nubibus magna omnes perfundere voluptate; *vbi a ſplendore* (ſolis) *poſt pluuiam tenera herba e terra* (elicitur) h. e. ſequentur inde mox fructus amoeniſſimi, cum non tantum per gratiam Chriſti, ſed & per ſpiritum ſanctum pluuiae, immo fluminis inſtar, in credendes effundendum, *Eſa. XLIV. 3.* ſpirituales homines accipiunt vires, quarum beneficio virtutes quaeuis ceu tenera herba in iſtis erumpunt & progerminant. Atque inde porro concludit rex ſanctiſſimus, per regnum illud ſpirituale Meſsiae ex ſemine ſuo naſcituri, domum ſuam longe fore firmisſimam, immo perennem. Nam *nonne,* inquit, *firma* (erit) *domus mea cum Deo?* Idque ob conſtantiam Dei in ſeruandis federibus, aliter eſſe non poſſe: *ſiquidem fedus aeternitatis poſuit mihi diſponendum in omnes & ſeruandum.* Eoque federe, quo Meſſiam Deus illi promiſerit, omnem ſalutem ſuam niti profitetur, eoque omne deſi-

 de-

derium ſuum contineri: *tota enim ſalus mea, & quidquid cupio*, (eo continetur). Repetit itaque, de perennitate domus ſuae per Meſſiam ſibi non eſſe dubitandum: *Quidni ergo pullularet* (domus mea). Ita ergo cum de Meſſia locutus eſſet, de illis etiam, qui eius regno ſe eſſent oppoſituri, aliquid addit: *At viri Belial omnes* (non tantum iudaei, vt nonnulli volunt, ſed omnes increduli) *ſpinarum inſtar amouebuntur*, ad nihil aliud vtiles, quam vt comburantur, *Ioan. XV. 16.* neque enim tantum gratiam ſibi oblatam repudiant, ſed ſubinde in eos, qui hanc gratiam illis offerunt, inſurgunt, adeoque vt ſpinae ſunt plane intractabiles; hinc addit? *neque enim manu adprehendi poſſunt. Quisquis eas tacturus eſt, implet* (manum ſuam) *ferro, cui additum* (manubrium) *ligneum haſtae*; quia hac demum ratione contra ſpinarum, quas exciſurus eſt, laeſionem tutus eſt, quam ceteroquin euitare non poſſet: quemadmodum & fideles incredulorum, ſi ſemel furere inceperint, ictus & morſus euitare nequeunt, niſi armatura ſpiritualis illos contra haec omnia tutos reddat: *tum domi igne comburi ſolent* (ſpinae) quemadmodum & impii ac increduli, tam acriter regno Meſſiae ſe opponentes, in ignem aeternum coniicientur. Alii vltima verba ita reddunt: *quare igne comburentur* בשבת *in ſede* ſeu *manſione ſua*; indicari hoc ipſo, putantes, etſi increduli ſedes ſeu habitacula ſua ſatis firma credant, eos tamen non impedituros, quo minus in ipſis ſedibus ſuis vim irae ac iuſtitiae diuinae experiantur. Hisce, quae hactenus adduximus, de Chriſto teſtimoniis ſi nunc ea, quae in pſalmis de eius aeterna a patre genetatione, de aduentu in carnem, de paſſione & morte, de reſurrectione, de adſcenſione in coelos, & ſeſſione ad dextram patris, de regno quoque ſpirituali per orbem vniuerſum erigendo, de euangelii doctrina longe lateque adnuntianda, & reliquis ſacrae doctrinae capitibus exſtant, addere vellem, latiſſimus dicendi mihi ſeſe aperiret campus; ſed diutius his immorari, inſtituti ratio non permittit. Summatim praecipua, quae in pſalmis exſtant, de Chriſto vaticinia complexus eſt NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtament. aet. mundi IV. diſſert. XXIV. quaeſt. II. pag. 82. ſeqq.* Ipſos pſalmos, qui de Chriſto agunt, in compendio indicat IOANNES HENRICVS MAIVS, in *oecon. temp. vet. teſtam. cap. XLIV. §. XXXI. pag. 796.* Summam quoque quandam doctrinae theologicae ex pſalmis exhibet SALOM. VAN TILL, de *poeſi & muſica veterum, ſpeciatim Ebraeorum*, *part. II. ſect. VIII. p. m. 266. ſeqq.*

§. XXIV.

Cultus Numinis externus ſecundum legum Moſaicarum praeſcriptum adminiſtrabatur. * Tabernaculum conuentus non vno in loco fuit. Arca federis a Philiſtaeis reſtituta, & Kiriathiearim in domum

mum Obed Edom, hinc in ciuitatem Dauidis, & tandem in templum Salomonis translata fuit. ** Ipſum vero illud templum tam ſplendide tamque magnifice a Salomone exſtructum, locum deinceps praebuit publicum, in quo ex Numinis voluntate ſacra peragenda eſſent. *** Sed Dauid quoque ſacerdotes atque Leuitas ſacris operaturos, in certos ordines deſcripſit, & alia conſtituit, quibus cultum Numinis publicum auguſtiorem redderet. *

* Non enim legimus, hocce temporis interuallo circa ritus ac ceremonias quidquam immutatum eſſe. Veſtigia potius eorum hinc inde occurrunt. Sic Dauid, cum immunditiem ſuam per caedem ac homicidium contractam agnoſceret, Deum precatur: *expia me hyſſopo, vt mundus ſiam, laua me, vt prae niue albeſcam; pſalm. LI. 9.* Non vnum in veteri teſtamento occurrit adſperſionis genus, quae hyſſopo fiebat. Nam cum prima vice Israelitae agnum paſchalem comedebant, ſanguine agni iſtius, poſtes aedium cum ſuperliminari adſpergendi erant. Verum, cum deinceps poſt populi ebraei ex Aegypto egreſſum, huncce ritum obſeruatum, non conſtet, nec, vt probabile admodum & ſupra iam oſtenſum, obſeruari debuerit, Dauidem huc reſpexiſſe, dici nequit. Taceo reliqua, quae eidem ſententiae opponi poſſunt. Alii, ad mundarionem leproſi hic reſpici, putant, in qua hyſſopi vſus erat, *Leuit. XIV. 6.* Quibus tamen obſtat, quod adſperſio leproſi, qui puritati reſtitutus erat, non hyſſopo, ſed cauda auis viuentis, ligno cedrino, lana coccinea & hyſſopo circumuoluta, fiebat, cum cauda iſta ſanguine auis mactatae leproſus adſpergendus erat, *loc. cit.* Veroſimillimum itaque, reſpici hic adſperſionem aquae luſtralis, cui cineres vaccae rufae admixti erant, & in quam hyſſopus intingebatur. Haec enim adſperſio adhibebatur, cum maximam aliquis impuritatem contraxerat, e. g. ex hominis mortui contactu; *Num. XIX. 11.* Atrocitatem itaque delicti ſui hoc ipſo profiteri rex ſanctiſſimus voluit, ſimulque indicare, ei purgando exquiſitiſſimum adhibendum remedium, ſanguinem ſcilicet Meſſiae, ſuo tempore effundendum, & ad omnium mortalium peccata expianda efficaciſſimum, cuius in aqua luſtrali, ex cineribus vaccae rufae confecta, imago quaedam conſpiciebatur, *Ebr. IX. 13.* Legi merentur, quae hac de re diſſerit SALOM. DEYLINGIVS, *obſeru. ſacr. part. II. obſeru. XIX. pag. 208. ſeqq.*

** Tabernaculum Moſis primum Gilgale, mox Silunte, tum Nobi, & tandem Gibeone fuiſſe, donec templum a Salomone exſtrueretur, iam ſupra ad *ſect. praeced.* §. *XIV.* docuimus. Quo pacto autem arca federis, a Dauide tandem magna pompa in arcem Sionis deducta ſit, ad §. *XV.* huius ſectionis fuſe ediſſeruimus.

 *** Cum

*** Cum de templo Salomonis, quod inter mundi miracula rectiſſime referri poteſt, multa dici poſſent, & ab aliis dicta ſint, nos praecipua ſaltem, quae memoratu digna ſunt, pro inſtituti ratione delibabimus. Praeparationem ad eius ſtructuram ſi ſpectes, tanta opum vis & a Dauide & a Salomone congeſta fuit, vt fidem ſuperaret, niſi ſcriptura ſacra diſerte hoc teſtaretur. Dauid enim auri centum millia talenta, argenti decies plura reliquit. Haec tum ad operarios & opifices alendos, & ſtipendia illis ſoluenda, tum ad materiam omnis generis comparandam, neceſſaria erant. Immo materiam quoque omnis generis comparauerat Dauid, non rudem modo, ſed ſtructurae aptatam, ne quid filio templi exſtructionem ſuſcepturo deeſſet. conf. *I. chron. XXII. XXIX. & ſeqq.* it. *I. reg. V. 18. VI. 7.* De tempore, quando Salomo ſtructuram iſtam incepit, quando finiuit, itemque de annorum ab exitu gentis Iſraeliticae vsque ad eius perfectionem computatione, iam ſupra ad §. *XXI.* dictum. Locus erat mons Moria, & in ea area Hornani Iebuſaei, quam pretio ſibi comparauerat Dauid, vt itidem ſupra dictum; ſpectabatque adeo ad partem Beniaminis. Poſitus mons ille ita ad ortum erat, vt Acra ad occaſum & ſeptentrionem, Sion autem ad auſtrum eſſet. Cumque vndique praeruptus, arduus & decliuis eſſet, Salomo ita eum complanauit, vt commode templum in eo exſtrui poſſet, totumque montem muro altiſſimo, ab imis vallibus ducto, circumdedit. Ciuitas amphitheatri inſtar montem templi ambibat, tribus vallibus profundiſſimis intermediis, vt ſtrato ponte ex vrbe in templum eundum eſſet, quemadmodum & mons Sionis cum monte templi parili ponte, ſtupendi quidem operis, iungebatur. Praeterea ipſum templum ambibant, facto per gradus deſcenſu, ſeptum interius & exterius, & porticus exteriores quadrilaterae. Quod vero diximus, aream montis complanatam, id ita intelligendum, quod accliuis quodammodo permanſerit, vt templum ſenſim in altum aſſurgeret. Nimirum ex חיל ſeu ſpatio antemurali, in atrium mulierum adſcendebatur XII gradibus, quorum quisque erat altitudine dimidii cubiti; hinc in atrium virorum XV gradibus ſemicubitalibus; inde in atrium ſacerdotum per gradus IV; ex atrio ſacerdotum ad veſtibulum XII gradibus: ipſum vero veſtibulum cum toto templo in planitie aequali ſitum erat. Ita MOSES MAIMONIDES nos docet, in tractatu de *aedificiis templi cap. VI. 1.* Et idem quoque MAIMONIDES recte obſeruat, exſtructum ibi eſſe templum, vbi ligatus fuit Iſaac, vt in ſacrificium offerretur: vnde myſterio eam rem non caruiſſe, diſcimus. Quae autem porro addit, in hoc monte Noachum arca egreſſum, altare exſtruxiſſe, Cainum item & Abelem, ipſumque Adamum res ſacras peregiſſe, inter Iudaeorum commenta referenda ſunt. De opificibus & operariis ad hancce ſtructuram adhibitis, iam ſupra quaedam

mo-

monuimus. Materiam praeter lapides exquiſitiſſimos & ingentis molis, ligna praeterea pretioſiſſima, cedrina ſcilicet, auro vndiquaque obducta, argentum, aes, gemmas, conſtituebat aurum optimum & puriſſimum, זהב פרוים *aurum Paruaim* dictum. Paruaim nomen eſſe proprium, non eſt dubitandum: longeque petitum, quod Ebraeorum magiſtri in *tractatu Ioma*, *fol.* 44. adſerunt, hoc ita dictum, quod ſimile eſſet לדם חפרים *ſanguini iuuencorum*; conf. ROB. SHERINGAM, in *not.* ad hunc tractatum, *pag.* 91. Quaenam autem regio hac voce deſignetur, inter eruditos non conuenit. Res omnis ex eo diiudicanda, quid per Ophir intelligatur, vnde naues Salomonis aurum attulerunt. Qua de re in ſequentibus dicetur ex inſtituto. Interim probabile, Paruaim locum quendam eſſe in India orientali. SAM. BOCHARTVS, in Taprobane, quam recentiorum Ceilan eſſe putat, vocis veſtigia ſibi inueniſſe viſus eſt, *Phaleg. lib. II. cap. XXVII.* Qui Peru, Americae prouinciam, intelligunt, nominis qualicunque conuenientia & incerta hypotheſi, Ophir eſſe Americam, nituntur. Circa ipſam exſtructionem memoratu dignum, quod *I. reg. VI.* 7. dicitur, in templi ſtructura nullum ferri ſonum eſſe auditum. Nimirum omnia ita iam aptata & praeparata erant, vt inter ſe iungi facillimo negotio potuerint. Quae Ebraeorum magiſtri de vermiculo *Schamir* comminiſcuntur, cuius ope lapides templo exſtruendo adhibendi ſciſſi fuerint, ne digna quidem ſunt, quae commemorentur. Interim fabula ad Muhammedanos quoque tranſiit, vt IOANNE HENRICO HOTTINGERO obſeruatum *hiſtor. orient. pag.* 67.

Forma templi ita comparata erat, vt in quibusdam cum tabernaculo Moſaico conueniret, in quibusdam ab eo diuerſum eſſet. Vt enim tabernaculum, ita & templum Salomonis conſtabat *ſancto ſanctorum*, in quo arca federis erat cum cherubinis, *ſancto*, quod & κατ' ἐξοχὴν היכל *templum* dicitur, & in quo altare thymiamatis, candelabrum, menſa erant, & *atrio.* Sed plurima quoque inſtrumenta vtrobique aut eadem, aut ſimilia. Differebant contra non tantum ratione materiae & fundamenti, cum tabernaculum portatile eſſet, & ita comparatum, vt commode ex vno loco in alium transferri poſſet, ſed & ratione amplitudinis ac dimenſionis. Cum enim tabernaculum XXX cubitos in longitudine haberet, XII in latitudine, & X in altitudine; templum contra in longitudine habuit LX cubitos, in latitudine XX, & in altitudine XXX. Ne quid de ianuis & foribus, de veſtibulo, tectis, feneſtris, dicam, in quibus itidem diuerſitas quaedam tabernaculi ac templi conſpiciebatur. Speciatim tamen adhuc obſeruandum, in templo Salomonaeo ſanctum a ſancto ſanctorum, muro quaſi velo intermedio fuiſſe ſeparatum, *II. chron. III.* 14. in poſteriori autem templo duplici aulaeo, vt pluribus MAIMONIDES docet, *de domo electa cap. IV. §. II.* Ad ve-

ſti

Digitized by Google

ſtibulum quod attinet, altitudo eius cxx cubitorum fuiſſe, *II. chron. III. 4.* dicitur: quod nonnulli de turri in eo erecta, quae ſuper reliquum aedificium xc cubitis eminuerit, intelligendum exiſtimant. Alii contra ad totam aedem referunt, cum vix credibile ſit, baſi veſtibuli, quae x cubitorum fuit, tantam molem impoſitam eſſe, aut imponi potuiſſe. Nec obſtare putant, quod *I. reg. XI. 2.* dicitur, altitudinem aedis xxx fuiſſe cubitorum: hoc enim de inferiori parte intelligendum cenſent, cui variae contignationes fuerint ſuperſtructae, in habitacula & receptacula varia. Ita & Ebraei plerique R. SAL. IARCHI, R. ISAAC ABARBANEL, aliique. Quare licet in libro chronicorum ſaltem אולם *veſtibuli*, mentio fiat, de tota tamen aede hoc eſſe capiendum. Repugnat equidem LVDOVICVS CAPPELLVS, ſi vel maxime de tota aede intelligatur, nullam proportionem eſſe, contendens, altitudinis ad longitudinem & latitudinem; hinc locum in libro chronicorum de ſolo quidem veſtibulo intelligit, ſed audaciori coniectura pro מאה עשרים *centum & viginti*, legendum putat, אמה עשרים *viginti cubitorum.* Sed hoc violentum nimis eſt. Vtcunque enim ſe habuerit proportio, nobis pro lubitu verba ſcriptoris ſacri corrigere aut immutare non licet. Interim magis ſibi proportio conſtat, ſi de tota aede, quam de veſtibulo, capiatur. Ad partes exteriores, ſeu ſubdiales, atria varia ſpectant, עזרות ab *auxiliis* diuinis ibi impetrandis dicta, vt nonnulli obſeruant; *ſacerdotum* ſcilicet, quod templo proximum erat, tum *virorum*, & denique *mulierum.* Quanquam, ad atrium mulierum quod attinet, nonnulli adhuc dubitent, an a Salomone originem habeat, cum ſerius adiectum videatur. Referunt huc, quod *I. chron. XXI. 5.* dicitur: *Ioſaphatum ſtetiſſe coram nouo atrio*, vbi per *nouum atrium*, atrium mulierum deſignari cenſent: quod R. DAVID KIMCHI equidem ita vocari putat, quod ſiue inſtauratum, ſiue nouae de eo latae leges ſint: alii autem, quod ſiue ab Aſa, ſiue ab ipſo Ioſaphato exſtructum ſit. vid. IOANNES LIGTFOOTVS, *tom. I. opp. p. 591.* Tradunt Ebraeorum magiſtri, atrium hocce mulierum fuiſſe tetragonum, cxxxv cubitorum, qua longitudinem pariter ac latitudinem; vid. *tractatus talmudicus middoth. cap. II. §. V.* Diſtinctum ab atrio mulierum erat *atrium virorum* muro, xxxii & dimidio cubitis alto, adſcendebaturque in illud per gradus quindecim ſemicubitales & ſemicirculares, vt iam antea obſeruauimus. In hiſce gradibus Leuitas ſtetiſſe, aiunt, & cantaſſe pſalmos, ſcilicet centeſimum vigeſimum & ſequentes, vsque ad centeſimum trigeſimum quintum, quos ideo *pſalmos graduum* dictos exiſtimant: quanquam alii alias huius denominationis rationes adferant. Atrium illud CLXXXVII cubitos longum, & cxxxv latum fuiſſe, tradunt, quod tamen de vtroque & Iſraelitarum & ſacerdotum, eſt intelligendum; conf. *tractat. middoth, loc. cit.* & CONSTANTINVS

TINVS L' EMPEREVR, ad *h. l.* it. IOAN. LIGTFOOTVS, *loc. cit.* Hiſce atriis acceſſiſſe adhuc *atrium gentium*, nonnulli putant, negantibus aliis, & in templo demum poſteriori hoc conſtitutum fuiſſe, contendentibus. Sane in templo poſteriori, cum Iudaei non tantum inter gentes, ſed & ſubinde ſub gentium poteſtate vixerunt, eiusmodi atrium magis neceſſarium erat. Hinc a Salomone loco atrii gentium, quod deinceps fuit, quatuor tantum porticus magnificas & ſpatioſas, templum ambientes, exſtructas fuiſſe exiſtimant. conf. IOANNES SELDENVS, de *iure natur. & gent. ſecundum diſcipl. Ebr. lib. III. cap. VI.* In atrio mulierum pariter ac virorum, vt & ſacerdotum, varia erant conclauia, quae in tractatu talmudico *middoth*, & ab aliis, qui ex inſtituto de templo Hieroſolymitano ſcripſerunt, enumerantur fuſius. Nos iſta mittimus, idque eo magis, quod adhuc dubitemus, an ſatis tuto ad templum Salomoneum, de quo nobis hic ſermo, trahantur, quae Ebraeorum magiſtri de templo poſteriori tradunt.

De porticibus a Salomone exſtructis non vna omnium eſt ſententia. In templo poſteriori porticum fuiſſe, quae Salomonis dicebatur, ex *Ioan. X. 23.* conſtat; ſiue ex opere Salomonis, adeoque primo templo, fuerit ſuperſtes, ſiue ad modum porticus Salomonis, eodemque in loco, fuerit exſtructa. FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, Salomonem aream externi templi cinxiſſe στοαῖς διπλαῖς, *duplicibus porticibus*, quas columnae ex natiuis ſaxis ſuſtentauerint, *antiquit. iudaic. lib. VIII. cap. II.* Sed non ſatis ſibi conſtat. Alibi enim refert, Salomonem vnam modo ab oriente porticum exſtruxiſſe, templumque adeo quoad reliquas partes manſiſſe nudum; reliquas autem porticus ſequenti demum aetate acceſſiſſe, de *bello iudaico lib. VI. cap. VI.* In porticus iſtas pariter ac atria, vt & propylaeum, non minus ac ſanctum & ſanctum ſanctorum portae ducebant variae. In porticus quinque per murum extimum templi, vna ab oriente, altera a ſeptentrione, ab occaſu tertia, & duae a meridie. Ex atrio gentium in atrium mulierum tres ducebant portae, ab oriente ſcilicet, auſtro & aquilone, quarum prima deinceps dicta eſt ὡραῖα, *ſpecioſa*, *actor. III. 2.* IOSEPHO *corinthiaca*, quod ex aere corinthio eſſet, de *bello ind. lib. V. cap. XIV.* Ex atrio mulierum & aliunde in atrium virorum ducebant portae ſeptem, vna ad orientem, tres ad meridiem, & tres ad aquilonem. Prima ex his *II. reg. XV. 35. ſuperior* dicitur, & deinceps *Nicanoris* vocata eſt. Porta propylaei ſeu veſtibuli duplex, altior ceteris, ſcilicet quadraginta cubitos, & lata viginti, valuis carebat, habebatque velum portae aequale, apertum plerumque, vt proſpectus in fanum pateret; ipſius autem fani ſiue ſancti porta viginti cubitos alta & lata decem, quatuor valuas habebat verſatiles, duas ſcilicet exteriores, & duas interiores. In ſanctum denique ſanctorum ducebat porta aurea cum

 velo,

velo, catenis aureis ornato: in templo autem ſecundo, vt iam antea obſeruauimus, loco muri intergerini inter ſanctum & ſanctum ſanctorum, duo erant aulaea, vnius cubiti ſpatio a ſe inuicem remota, quorum poſterius δεύτερον καταπέτασμα Paulo *Ebr. IX. 3.* vocari, nonnulli exiſtimant; quanquam aliis ad tabernaculum potius reſpicere videatur. De his omnibus talmudici doctores in tractatu *middoth*, MAIMONIDES, CONSTANTINVS L'EMPEREVR, IOANNES LIGTFOOTVS, *locis citatis*, aliique pluta tradunt; in quibus tamen diligenter diſpiciendum, an ad templum Salomoneum trahi queant, quae de templo poſteriori referunt; idque cumprimis de nominibus portarum obſeruandum. Ad ornamentum templi ſpectabant columnae. Auctor eſt FLAVIVS IOSEPHVS, in templo poſteriori in porticibus quadruplicem fuiſſe columnarum ſeriem, vt earum numerus ad CLXII adſcenderit: praeterea in atriis virorum & ſacerdotum duplici ſerie, & in atrio mulierum triplici, nec non ad portas, aliisque in locis, columnas poſitas refert. Haſce columnas in circuitu XII confeciſſe cubitos, ratione altitudinis, ſpira duplici ſubiecta, XXVII, capitellis ad ſtuporem opere corinthiaco fabrefactis; *antiquit. iud. lib. XV. cap. XIV.* & *de bello iud. libr. VI. cap. VI.* Si haec ita ſe habuerint, ſique templum poſterius exacte & in omnibus formam prioris exhibuerit, de templo Salomoneo idem dicendum eſſet. Verum haec ex ſcriptura non conſtant, quae duarum ſaltem columnarum, egregii operis, ab Hiramo Tyrio ſingulari artificio fabrefactarum, meminit. Confectae erant ex aere fuſo, efficiebantque in circuitu XII cubitos, XVIII autem ratione altitudinis: capita illis impoſita erant ex aere fuſo ad altitudinem quinque cubitorum: accedebant ornamenta ex liliorum imaginibus ad IV cubitos, opere reticulato, & quidem ſeptemplici, vt vnum alteri quodam nexu iungeretur, itemque ex figuris malogranatorum bis centum. Poſitae erant iſtae columnae ante templi veſtibulum, earumque vna יכין *confirmabit*, altera בועז *in eo robur eſt*, vocabatur. Sunt ex Ebraeorum magiſtris, qui putant, altera Dauidem, altera Salomonem ſignificatum. Alii maiora adhuc myſteria in iis quaerunt, & altera lunam, altera ſolem adumbratum volunt. Alii ad prouidentiam diuinam eas referunt: alii aliud quid in iis quaerunt. Nec deſunt, qui, Paulum ad columnas haſce reſpexiſſe, volunt, cum eccleſiam ϛύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας adpellitat, *I. Tim. III. 15.* Quae tamen omnia incerta ſunt, & infirmo fundamento innituntur; conf. MELCH. LEIDEKKERVS, de *republ. Ebr. part. I. lib. VIII. cap. III. p. 516.*

Iam quod ad vtenſilia ac inſtrumenta templi attinet, eadem ea fuerunt, cum iis, quorum in tabernaculo vſus erat, niſi quod nonnulla aut numero aut magnitudine diuerſa acceſſerint. In tabernaculo vna erat menſa, vnumque candelabrum, at in templo decem menſae

menſae erant, totidemque candelabra, quinque ad latus meridionale, & totidem ad latus ſeptentrionale. An ſingulis menſis panes propoſitionis impoſiti fuerint, itemque, an in ſingulis candelabris lampades arſerint? incertum, ipſique hac de re inter ſe diſſentiunt Ebraeorum magiſtri. Nonnullis probabile videtur, eam menſam, quae in tabernaculo fuit, & in templo relictam, & forte in ea ſola panes propoſitionis fuiſſe poſitos, quemadmodum & candelabrum vetus, quod in tabernaculo fuit, in templo in medio reliquorum poſitum fuiſſe, putant. Altare thymiamatis, ſeu ſuffitus, in tabernaculo ligneum, in templo lapideum erat, vtrumque puro auro obductum cum limbo ſeu lorica. Et haec quidem in *ſancto* ſeu templo anteriori erant. Ante illud erat altare holocauſtorum, quod in tabernaculo ligneum erat, *Exod. XXVII. 1.* in templo Salomoneo aeneum, *II. chron. IV. 1. VII. 7.* In templo longe maius quoque fuit, quam in tabernaculo: quemadmodum nec forma, ſi nonnullis credimus, prorſus eadem fuit. De altari hocce holocauſtorum multa tradunt Ebraei in *tractat. middoth. cap. III.* MAIMONIDES, de *domo electa*, *cap. II. & VII.* item IOAN. LIGTFOOTVS, *loc. cit.* aliique; quae eo minus repetere conſultum ducimus, quod de altari, quale in templo ſecundo fuerit, loquantur: quod an in omnibus altari templi primi reſponderit, nondum extra omnem dubitationem poſitum eſt. Nonnulla potius de mari aeneo, cuius deſcriptio *I. reg. VII. verſ. 23.* exhibetur, addemus. Praecipue circa magnitudinem eius dubium oritur, cum latitudo eius ſiue diameter decem cubitorum, circumferentia autem, ſiue perimeter, triginta cubitorum fuiſſe perhibeatur; adeoque proportio exacte tripla inter diametrum ac perimetrum ſtatuitur. Haec vero mathematicorum ſcitis repugnant, quippe qui circumferentiam ad diametrum ratione tripla maiorem eſſe, dudum demonſtrarunt. Idque cum obſeruaſſet BENEDICTVS DE SPINOZA, atheorum recentiori aetate facile princeps, geometriae ignorantiam Salomoni exprobrare non dubitauit, vt hac ratione ipſius quoque ſcripturae ſacrae auctoritatem conuelleret ac labefactaret. *Quia non tenemur*, inquit, *credere*, *Salomonem mathematicum fuiſſe*, *licet nobis adfirmare*, *eum rationem inter peripheriam & circuli diametrum ignoraniſſe*, *& cum vulgo operariorum putauiſſe*, *eam eſſe*, *vt 3. ad 1. tractat. theolog. polit. de libert. philoſophandi cap. II. pag. 22.* Hanc hominis profani impietatem vt omnes, quibus vlla erga ſacras litteras veneratio ſupereſt, merito deteſtantur, ita non deſunt, qui exiſtimant, menſuram a ſacro ſcriptore expreſſam, non ſecundum ἀκρίβειαν mathematicam, ſed παχυλῶς accipiendam eſſe; idque eo magis, quod in ſcriptura ſacra haud inſolens ſit, numerum rotundum adhibere, in quo minoris numeri non habeatur ratio. At cum nec hoc omnibus ſatisfaciat, alii alias adhuc rationes, quibus dubium hocce tollerent,

rent, excogitarunt: videturque minime ſpernenda illorum ſententia, qui ex circumferentiae ac diametri proportione, quam triplam fuiſſe ſcriptor ſacer diſerte tradit, colligunt, figuram maris aenei neutiquam fuiſſe plane circularem, vt perperam ſupponit SPINOZA, ſed potius ſexangularem, quae triplam illam proportionem exacte admittit. Quod ſi obuertas, dici tamen hocce mare עגול *rotundum*, reſpondent, id recte fieri, quandoquidem non tantum figura perfecte circularis, ſed etiam ſexangularis ſuo modo rotunda dici poſſit. vid. SAM. REYHERVS, in *matheſi Moſaica pag. 715.* & SALOM. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. I. obſeruat. XV. pag. 65. ſeqq.* Nec praetermittendum, quod mare hocce aeneum *I. reg. VII. 26. duo millia batorum*, at *II. chronicor. IV. 5. tria batorum millia* recepiſſe dicatur. Quae loca nonnulli ita conciliant, vt dicant, labrum aeneum, ſi frugibus repleretur, ter mille batos continuiſſe, ſin aqua, non niſi bis mille, ſiquidem batus tam aridorum, quam liquidarum rerum fuerit menſura, ſecundum R. DAV. KIMCHIVM, ad *h. l.* Alii autem, vt nodum huncce ſoluant, ad vſum maris aenei reſpicere iubent, qui fuit, vt ſacerdotes corpora ſua in eo abluerent. Licet ergo ad ſummum marginem aqua repletum MMM batorum fuerit capax, ordinariam tamen & vſitatam menſuram MM tantum fuiſſe batorum, ne ſacerdotes corpus abluturi ſubmergerentur. vid. SAL. DEYLINGIVS, *loc. cit.* His, quae hactenus velut in compendio commemorauimus, & quae fuſius ab auctoribus, qui ex inſtituto templum deſcripſerunt, deinceps laudandis, enarrantur, ſi porro addas, ſtupendum adparatum laminarum & vaſorum aureorum, argenteorumue, quae Salomo confici curauit, immenſas templi iſtius diuitias, tantamque ſimul magnificentiam fuiſſe intelligemus, vt inter miracula orbis, iure videatur referri poſſe.

Sed hisce miſſis, de eo adhuc disquirendum, quid Dauidem permouerit, vt tam ſplendidum templum extruere in animum induxerit, quidue impulerit Salomonem, vt illud perfecerit. Hic vero ſtatim nobis occurrit IOANNES SPENCERVS, ſine cenſura non dimittendus. Templum enim Salomoneum, aeque ac ipſum tabernaculum Moſis, *a ruditate gentium originem traxiſſe*, diſerte adfirmat. Idque primo de templo *eſſentialiter*, vt loquitur, *ſpectato*, tum *qua accidentalia* conſiderato, probare adnititur. Et ad prius quidem quod attinet, variis hoc euincere rationibus conatur, quarum prima deſumta eſt a ſumma templorum antiquitate. Ex ſcriptis enim diuinis pariter ac humanis liquidiſsime conſtare putat, ethnicos deos ſuos in aedibus quibusdam ſacris, templorum nomine donatis, coluiſſe, diu, antequam Salomonis templum, aut Moſis tabernaculum, ſtrueretur. Id quod tum ſcripturae quibusdam dictis, *Leu. XXVI. v. 30. Num. XXXIII. v. 52.* tum teſtimoniis HERODOTI, LVCIANI, IVLII FIRMICI, aliorumque, qui, licet in pri-

Digitized by Google

in prima templorum origine deſignanda inter ſe non conueniant, in eo tamen conſentiant, ea antiquiſſima eſſe, comprobare adnititur. Alteram, qua idem probet, rationem ab *eſſentiali templi conceptu* deſumit. Non poſſe namque aliam temere rationem inueniri putat, cur in templis Deum colere mortales velint, quam eam, qua ad hoc faciendum inducti ſint ethnici, & inductos quoque ſe profiteantur, quod exiſtiment, Deum hac ratione ita ſibi propinquum eſſe, vt eum, quoties libuerit, aut neceſſitas poſtulauerit, ſtatim adire queant. Hunc in modum ethnicum quendam apud ARNOBIVM hac de re verba facere: *Non idcirco attribuimus diis templa, tanquam humidos ab his imbres, ventos, pluuias aut ſoles arceamus; ſed vt eos poſſimus coram & cominus contueri, affari de proximo, & cum praeſentibus quodammodo venerationum colloquia miſcere, &c. adu. gent. lib. VI. pag. 192.* Nullum itaque eſſe putat dubium, quin in eandem ingreſſi ſint ſententiam Ebraei, ethnicos hac in re imitantes. Tertiam rationem ſcripturae dicta illi ſuppeditant, quae, Deum certo in loco non habitare, teſtantur; vt *I. reg. VIII. 27. Eſa. LXVI. 1. Act. VII. 47. 48.* Nimirum, cum ethnici veteres in ea verſarentur opinione, Deorum potentiam & gratiam loco certo adligatam eſſe, quod variis veterum teſtimoniis comprobat, ſcripturam, Deum in templis habitare, ideo tam diſerte negare, ne Israelitae vna cum templo etiam errorem huncce ethnicorum acciperent. Quartam rationem a ſpontanea, tum tabernaculi, tum templi erectione deſumſit. Et ad templum quidem quod attinet, Dauidem nullo iuſſu aut auctoritate diuina, eiusmodi propoſitum animo concepiſſe; immo, cum ſua ſponte concepiſſet, Deum id non adprobaſſe. Salomonem itidem non Dei iuſſu, ſed ſuo arbitratu, templi exſtruendi prouinciam ſuſcepiſſe, vel haecce eius docere verba: *cogito aedificare templum nomini Domini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus patri meo, &c. I. reg. V. 5.* Quod & luculentius ex *II. chron II. 1.* patere putat, vbi Salomo decreuiſſe dicitur, *aedificare domum nomini Domini & domum regno ſuo.* His denique & quintam rationem, a religionis ethnicae moribus & principiis, itemque ſextam, a tabernaculi & templi nouitate, & ſeptimam a ruditatis ethnicae ſignis, in templo conſpicuis, itemque teſtimonia ORIGENIS atque MAIMONIDIS ſubiungit. Ad *accidentalia* autem, quae vocat, templi, quod attinet, ea itidem a ſeculi moribus deſumta fuiſſe, vt euincat, de templi magnificentia, loco generali & ſpeciali, deque templi oraculo, eiusdemque ſitu reſpectu plagae coelorum, multis verbis diſſerit; de *legib. Ebr. ritualibus lib. III. diſſert. VI. pag. 1188. ſeqq.* Verum haecce omnia, licet ſpeciem quandam prae ſe ferant, lubrica tamen & inania deprehenduntur, ſi conſiderentur paullo adcuratius. Immo, plane falſum eſſe, templum Salomonis a ruditate gentium originem traxiſſe, vel inde liquet,

quet, quod ſcriptura non tantum ne verbo quidem hoc innuat, ſed potius iuſſu, auctoritate & voluntate Numinis cuncta peracta, aperte ſignificet. Cum Dauid pio animi propoſito, indignum ratus, cultum Numinis in tabernaculo peragi, cum ipſe in domo ſplendida & magnifica habitaret, in hanc ſententiam ingreſſus eſſet, Deus quidem ab ipſo, quod vir ſanguinum eſſet, opus hocce perfici noluit; gratiſſimum tamen hocce conſilium, vtpote ex pio animi adfectu profectum, ſibi eſſe, ampliſſimis promiſſionibus teſtatus eſt, ſimulque a Salomone Dauidis filio hoc fieri velle, declarauit; *II. Sam. VII. 2. ſeqq. I. chron. XVIII. 1. ſeqq.* Cumque deinceps Dauid eandem rem tum filio ſuo Salomoni, tum ſenioribus populi Ebraei exponeret, *I. chron. XXII. 6. ſeqq.* item *17. ſeqq.* vnice ad Numinis ſe refert voluntatem, nec aliam ob cauſſam ſe hoc ſuſcepiſſe conſilium, aut a Salomone id perfici velle profeſſus eſt, quam quod Deo id gratum fore intelligeret, qui & idem per Nathanem vatem diſerte teſtatus eſt. Aegyptiaci contra moris, aut ruditatis gentium, cui ſe attemperare voluerit Dauid, nullum vllibi veſtigium. Pari ratione ipſe Salomo in ſolemni templi dedicatione non aliam aut ſuſcepti a patre, aut a ſe perfecti operis rationem adfert, quam ſtudium placendi Deo, eiusque voluntatem exſequendi *I. reg. VIII. 17. ſeqq.* Repetit ibi inter alia verba Dei, quibus Dauidem adlocutus eſt: *Quod cogitaſti in corde tuo, aedificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tractans: verumtamen tu non aedificabis mihi domum, ſed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipſe aedificabit domum nomini meo.* Quae verba non tantum conſenſum & adprobationem, ſed iuſſum omnino & mandatum luculenter innuunt. Immo cum in ipſa illa templi dedicatione Salomo preces fundere deſiiſſet, Deus variis ſignis & miraculis hocce opus longe ſibi gratiſſimum eſſe, demonſtrauit. Ignis quippe de caelo delapſus holocauſta & victimas conſumſit, & nebula, diuinae maieſtatis index, templum impleuit, qua & ſignificauit, ſe ſingulari quadam ratione in hac aede praeſentem fore, vt ſacrificia & preces populi ſui beneuole ſuſciperet; *I. reg. VIII. 11. II. chron. VII. 1. 2.* Sane, ſi ad Aegyptiorum imitationem, aut exemplum ruditatis gentilium, templum hoc exſtructum fuiſſet, ſatis fuiſſet, ſi Deus vtcunque hocce inſtitutum tolerasſet. At non tolerauit, ſed adprobauit, ſibique gratiſſimum eſſe teſtatus eſt. Vnde ſimul, quod mandauerit, conſtat, cum nullus cultus, qui non mandato & praecepto diuino nititur, ei gratus eſſe queat. His nonnulli addunt, quod *I. chron. XXVIII. 12.* dicitur, *& dedit Dauid Salomoni,* תבנית כל אשר היה ברוח עמו *ſtructuram omnium, quae erant in ſpiritu cum illo,* vel, *quae erant penes eum informata per ſpiritum;* & *verſ. 19.* הכל בכתב מיד יהוה עלי השכיל כל מלאכות התבנית *haec omnia de ſcripto a manu Iehouae ſuper me,*

me, inſtruxit me; omnia opera huius ſtructurae. Hinc quippe haud obſcure colligitur, non tantum iuſſu & auctoritate numinis omnia peracta, ſed Deum etiam typum & formam quandam Dauidi reuelaſſe, ad quam omnia confici vellet.

Ad argumenta, quae in contrarium IOAN. SPENCERVS attulit, haud difficulter reſpondere licebit. Et primo quidem, quod ad antiquitatem templorum attinet, ex teſtimoniis tum ſcripturae ſacrae, tum profanorum ſcriptorum, ab eo adlatis, templa gentilium tabernaculo Moſis vetuſtiora eſſe, euinci non poſſe, ſupra iam ad *per. I. ſect. III.* §. *XVIII.* luculenter demonſtratum eſt. Sed nec aetate Salomonis ea vetuſtiora eſſe, ex iisdem teſtimoniis euinci poteſt. Scripturae ſacrae enim dicta de templis plane non loquuntur, vt ibidem oſtenſum. HERODOTVS ad Aegyptios templorum originem recte referre potuit, vt tamen inde non ſequatur, Aegyptiorum templa vetuſtiora eſſe templo Salomoneo. Eorum autem auctorum, qui HERODOTO longe recentiores ſunt, multo etiam minus hac in re pondus erit. Illud certum, & iam ſupra quoque *loc. cit.* obſeruatum, ante tempora iudicum in ſcriptura ſacra templorum nullam fieri mentionem. Immo duo vel tria circiter tantum exſtant loca, ex quibus colligitur, iam iudicum aetate templa exſtitiſſe. Sic domus Baal Berith memoratur *Iud. IX. 4.* & domus Dagonis, *I. Sam. V.* 2. Domum autem, quam Simſon ſubuertit, vt eius ruina Philiſtaeos opprimeret, templum Dagonis fuiſſe, nondum ſatis euictum, vt antea obſeruauimus. Haſce autem idolorum aedes tam ſplendida fuiſſe templa, vt eas in exemplum aut Dauid aut Salomo ſibi proponere potuerit, non temere ſibi quisquam perſuaſerit. Quidquid huius ſit, eſto, habuiſſe ethnicos, ſpeciatim Aegyptios, iam ante Dauidis ac Salomonis aetatem templa ſua, ſplendida ſatis atque magnifica, nondum tamen inde ſequitur, horum exemplum in templo exſtruendo ſecutum eſſe Salomonem. At inſignis tamen, inquis, conuenientia inter templum Salomonis, & templa Aegyptiorum, prout ea STRABO *geograph. libr. XVII. pag. 805.* deſcribit, interceſſit. Id vero aut caſu fieri potuit, aut, quod Aegyptii potius exemplum Salomonis, quam hic Aegyptiorum, imitati ſunt. Hoc certe non abſimile vero videtur HERMANNO WITSIO, *aegyptiacor. libr. III. cap. X.* §. *XIV.* Nec maioris momenti altera ratio eſt, quam SPENCERVS a *formali*, vt loquitur, *templi conceptu* deſumſit. Ethnicos enim ita exiſtimaſſe, per templa fieri, vt dii ſibi propinquiores ſint, quos adeo, quoties luberet, aut neceſſitas exigeret, adire poſſent, lubens fateor. Quis vero exiſtimet, aut Dauidi, aut Salomoni, aut aliis Iſraelitis, vera Dei cognitione imbutis, eiusmodi cogitationes in mentem veniſſe, vt ipſis templis hoc tribuerint? quamuis non immerito crediderint, Deum praeſentiam ſuam ſingulari quadam ratione in certo loco demonſtrare poſſe, cum hoc

Deo

Digitized by Google

Deo non indignum ſit, eumque tum in tabernaculo Moſis, tum in templo Salomonis hoc feciſſe, ſcriptura diſerte teſtetur. Et hac ratione Deum quoque ſibi prae reliquis gentibus propinquum eſſe, non ſine ratione credere poterant; quippe quod & Moſes docet: *Nec eſt alia natio tam grandis, quae habeat Deos adpropinquantes ſibi ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris, Deut. IV. 7.* Et hinc etiam patet, quid ad tertiam rationem reſpondendum ſit. Cum enim Deus ſingulari ratione in templo praeſentiam ſuam demonſtraret, facile poterant nonnulli in eam ingredi ſententiam, ac ſi Deus in templo habitaret. Quem errorem, turpiſſimum vtique craſſiſſimumque, merito ſcriptura ſacra Iſraelitis adimit. Neque propter ethnicos tantum, aut acſi ab ethnicis templum ac tabernaculum accepiſſent, ſed quod homines plebeii ſua natura ad eiusmodi conceptus erroneos de Deo ſibi formandos proni ſint, praeſertim ſi aliquid accedat, quod occaſionem ad hoc illis ſuppeditet. Quarta obiectio ex antea dictis facile diluitur. Non tantum enim conſentiente & adprobante, ſed iubente ac mandante, immo formam ac typum praeſcribente Deo, templum a Salomone exſtructum probauimus. Euincunt hoc etiam verba ab ipſo SPENCERO adducta; *cogito aedificare templum nomini Domini Dei mei, SICVT LOCVTVS EST DOMINVS PATRI MEO.* Non ergo ex ſuo arbitrio aut voluntate, ſed *ſicut Deus locutus erat Dauidi*, Salomo hocce negotium ſuſcepit. Quare &, cum Salomoni hoc tribuitur, aut ipſemet hoc ſibi tribuit, ſemper hoc ita intelligendum, quod ſecundum voluntatem Dei hoc fecerit. Templa gentilium, principiis & moribus illorum reſpondiſſe, non inficiatus fuero. Inde vero colligere non licet, idem de Ebraeis, & templo Salomoneo ſtatuendum. Nec quidquam ad rem facit, quod de tabernaculi ac templi nouitate diſputat. Patriarchas, viroſque ſanctos ad Moſen vsque, ſine tabernaculo atque templo Deum coluiſſe, lubens fateor. Hoc vero non obſtat, quo minus Deus ob cauſſas grauiſſimas eiusmodi quid populo ſuo iniungere potuerit. Nimirum, cum ei placuiſſet, populum ebraeum in peculium ſibi adſciſcere, & theocratica quadam regiminis ratione rempublicam hanc adminiſtrare, primo tabernaculum, deinde templum, velut palatium Dei, ceu ſupremi regis, omnibus ad auguſtae cuiusdam regiae formam comparatis, conſtituendum erat, conf. HERMANN. WITSIVS, *aegyptiacor. lib. III. cap. X. §. VII. VIII.* Nec eſt, quod obuertas, de tabernaculo quidem, non autem de templo hoc procedere, quippe quod poſt regiam dignitatem in gente ebraea introductam, exſtructum ſit. Per regiae enim dignitatis introductionem theocraticam non penitus ſublatam, in ſequentibus oſtendemus. Denique nec illud quidquam ad rem facit, quod de ruditatis ethnicae ſignis, in templo conſpicuis, in medium adfert. Ex eo enim, quod ethnici ſtultas abſonasque de diis ſuis opi-

Digitized by Google

opiniones habuerunt, idque templis ſuis teſtati ſunt, non ſequi, easdem de Deo opiniones & Ebraeos habuiſſe, aut templum Salomoneum eodem fuiſſe comparatum, ſupra iam obſeruatum eſt. Teſtimoniis, quae hic nullum pondus habent, non immorabimur. Nec de accidentalibus, quae vocat, templi quidquam addemus, quae itidem a ſeculi moribus deſumta fuiſſe putat. Ex hactenus enim dictis patet, quid ad ea reſpondendum ſit. Vbique etiam ſupponit, quod nondum euictum, quae veteres de templis gentilium, eorundemque magnificentia, ſitu, oraculis, & quae reliqua ſunt, dicunt, iam ita ſe habuiſſe, priusquam Salomonis templum exſtrueretur; quod tamen nullo idoneo argumento probari poteſt. Ex inſtituto etiam haec SPENCERI commenta praeter HERMANNVM WITSIVM, iam aliquoties laudatum, refutauit NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtament. aetat. mundi V. diſſert. I. pag. 140. ſeqq.* Generatim autem de templo Salomoneo, de quo hactenus in compendio diximus, praeter doctores talmudicos in tractatu *middoth*, & CONSTANTINVM L' EMPEREVR in notis ad eundem, MAIMONIDEM, in *tract. de domo electa*, quem LVD. COMPIEGNE DE VEIEL in linguam latinam tranſtulit, FLAVIVM IOSEPHVM, *antiquit. iud. lib. VIII. cap. II.* IOAN. LIGTFOOTVM, in *centuria chorographica Matthaeo* praemiſſa, aliosque, quos iam hinc inde laudauimus, plura dabunt IOAN. SELDENVS, de *iure nat. & gent. ſecundum diſcipl. Ebraeor. lib. III. cap. VI.* LVDOVICVS CAPPELLVS, cuius τρισάγιον *ſiue templi Hieroſolymitani triplex delineatio, vna ex ſcriptura ſecundum mentem Villalpandi, & deſcriptionem ab eo factam, altera ex Ioſephi mente & deſcriptione, tertia ex Iudaeorum in talmude deſcriptione, & ſecundum menſuras, ab ipſis iſthic traditas*, exſtat in BRIANI WALTONI, *adparatu biblico, pag. m. 120. ſeqq.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, in *dubiis vexatis, pag. 410. ſeqq.* MELCH. LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. part. I. lib. VIII. c. III. p. 511. ſeqq.* PET. IVRIEV, *hiſt. crit. dogm. & cult. &c. part. II. cap. III. p. 206. ſeqq.* quanquam non omnes ea, quae ad templum poſterius ſpectant, caute ſatis ab iis, quae templo priori fuere propria, diſtinguant. Iungendi & quos IOANNES ALBERTVS FABRICIVS laudat, in *bibliographia antiquaria cap. IX. §. IX. ſeqq. pag. 284. ſeqq.*

* Sacerdotes in XXIV claſſes, quae ἐφημερίαι, משמרות vocari ſolent, deſcriptos, conſtat ex *I. chron. XXIV. 4. ſeqq.* Ex familia Eleazaris XXI claſſes, VIII autem ex Ithamaris, deſumtae ſunt. Nonnulli equidem exiſtimant, a Moſe iam octo claſſes inſtitutas, quatuor in Eleazaris, & totidem in Ithamaris familia; alii rurſus ſedecim claſſes a Moſe iam conſtitutas volunt, quibus Dauid octo addiderit. Sed id ex ſcriptura probari nequit. Rectius itaque ſentiunt, qui, iſtam ſacerdotum in certas claſſes diſtributionem Dauidem auctorem agnoſcere, contendunt. Efficiebatur hac viciſſitudine, vt

Digitized by Google

vt officia ſacerdotibus in templo praeſtanda, eaque ſatis moleſta, iis tolerabilia redderentur, ſimulque tota gens Aaronis, quae in magnum numerum excreuerat, commode ſacris miniſteriis admoueri poterat, cum ἀδύνατον eſſet, vt omnes ſimul eodemque tempore templi miniſteriis occuparentur. Ita enim iſtae claſſes ordinatae erant, vt vna poſt alteram ſummo pontifici ad manus eſſet: cumque ſacerdotes ceteroquin diſperſi per Iſraelitas degerent, ephemeria, quam ordo miniſterii tangebat, Hieroſolymam veniebat, altera, quae miniſterio functa erat, diſcedente. Fuerunt viri docti, qui ſupponentes, ordinem iſtarum ephemeriarum nunquam, neque tempore captiuitatis Babylonicae, neque Antiochi, ſacra Iudaeorum euertentis, fuiſſe turbatum, argumentum inde ad demonſtrandum ſeruatoris noſtri natalem, deſumere voluerunt. Ita IOSEPHVS SCALIGER, SETHVS CALVISIVS, HVGO GROTIVS, aliique. At, cum ab omni veri ſpecie abhorreat, eum ordinem nunquam turbatum, hancce demonſtrationem vt lubricam nimis atque incertam reiecerunt DIONYSIVS PETAVIVS, FRIDERICVS SPANHEMIVS, aliique: conf. & ABR. CALOVIVS & IO. GEORGIVS DORSCHAEVS, ad *Luc. I. 5.* Leuitas itidem in certas claſſes a Dauide diſtributos, & XXIV ordines cantorum, totidemque cuſtodum templi conſtitutos, ex *I. chron. XXV. & XXVI.* conſtat; conf. & ADR. RELANDVS, in *antiquit. ſacr. vet. Ebr. part. II. cap. IV. pag. 92. & cap. VII. pag. 111. 112.*

§. XXV.

Matrimoniorum ſtatusque domeſtici eadem ac antea fuit ratio. Polygamiae per Numinis conniuentiam pridem receptae exemplum ipſe rex ſanctiſſimus Dauid praebuit;* nefandi vero inceſtus, Abſalom, concubinas patris palam violando.** In regimine ciuili maxima mutatio contigit, dum abrogato iudicum munere, regia dignitas introducta fuit; quo ipſo tamen theocratia non prorſus eſt ſublata.***

* Hoc ſatis ex *II. Sam. V. 13.* conſtat, vbi praeter vxores, quas duxerat, priusquam Hieroſolymam rerum ſuarum ſedem transferret, alias adhuc vxores pellicesque duxiſſe dicitur. Quaeri autem ſolet, num ea in re peccauerit Dauid? Qui polygamiam ceu licitam defendunt, non tantum peccaſſe negant, ſed hocce vel maxime exemplo ſententiam ſuam defendere adnituntur, vt IOANNES ille LYSERVS, ſub THEOPHILI ALETHAEI nomine latitans, in *polygamia triumphatrice, pag. 447. ſeqq.* Verum huius hominis, ſimiliumque, inſaniam ſatis caſtigarunt alii. Polygamiam primae matrimoniorum inſtitutioni repugnare, etſi Deus eandem in veteri teſtamento tolerauerit,

uerit, iam ſupra ſatis demonſtrauimus. Accedebat vero, ad Dauidem quod attinet, quod Deus lege ſpeciali diſerte conſtituerat, ne Iſraelitarum reges numerum vxorum nimium multiplicarent, *Deut. XVII. 17.* Ebraeorum equidem doctores, Dauidem hancce legem migraſſe negant, eo quod ſenſus legis antea adlatae ſit, quod rex Iſraelis vltra octodecim vxores tam legitimas, quam concubinas, ducere non debeat. Dauidem vero octodecim ſaltem vxores habuiſſe, ex *II. Sam. XII. 8.* colligunt, vbi dicatur: *& ſi parum id eſt, addam tibi, ſicut has & ſicut has, ſeu totidem & totidem.* Supponunt enim, Dauidi tum ſex fuiſſe vxores; cumque dicatur, *ſicut has & ſicut has*, ſeu *totidem ac totidem*, colligunt inde, duodecim adhuc vxores additas fuiſſe, adeoque Dauidem octodecim habuiſſe; conf. R. DAVID KIMCHI, ad *II. Sam. V. 13.* Quae explicatio admodum profecto rabbinica, HVGONI quoque GROTIO, quod mireris, ſe probauit, de *iure belli & pacis, lib. II. cap. V. §. IX.* Quemadmodum vero verba כהנה וכהנה rectius in genere neutro vertuntur, *ſicut haec & ſicut iſta;* ita, ſi vel maxime in feminino capienda eſſent, non alius tamen ſenſus eſſet, quam hic, ſi vxores, quas iam habebat, non ſufficerent, plures adhuc ducere potuiſſe, vt non neceſſe fuiſſet, adulterio addere homicidium. Non aliud vero Ebraeorum doctores ſententiae ſuae, qua octodecim vxores regi conceſſas ſtatuunt, habent fundamentum, quam traditionem, & ipſum hocce exemplum Dauidis. Verum vt in hoc ſupponunt, quod minime eſt euictum, Dauidem vxores octodecim habuiſſe, ita traditio incerta & lubrica ad hoc demonſtrandum non ſufficit. Plura de hacce Ebraeorum ſententia dabit IOAN. SELDENVS, *vxor. Ebraeor. lib. I. cap. VIII.* & WILH. SCHICKARDVS, *iur. reg. Ebraeor. cap. III. theorem. IX.* Ad rem ipſam vt redeamus, alii Dauidem ita excuſant, vt dicant, plures quod duxerit vxores, id ab eo non ex voluptatis carnalis deſiderio, ſed ex ingenti fide promiſſionis diuinae, & ſancto deſiderio procreandi multam ſobolem, ex qua & Meſſias naſciturus eſſet, factum. Ita praeter alios B. IOAN. BRENTIVS, ad *II. Sam. V. 13.* Verum, an haec ad defendendum aut excuſandum Dauidem ſufficiant, merito dubitant alii. Certe Bathſebam, ex qua ei nati ſunt filii quatuor, ex ſancto deſiderio prolis, ſpeciatim Meſſiae, concupiuiſſe & duxiſſe, dici nequit. Cur vero vxoribus non contentus, etiam tot pellices duxit? Nihil ergo aliud ſupereſt, quam vt dicamus, inter humanae imbecillitatis, quae rex cetera optimus reliquit, documenta & hoc referendum eſſe. Qua in re vt neutiquam hocce Dauidis exemplum imitandum, ita nec petulanter aut exaggerandum aut perſtringendum, quod PETRVS BAELIVS fecit in *dictionar. hiſt. crit. pag. 926.* cum, quae Deus ipſe olim in veteri teſtamento tolerauit, diuino etiam permittenda ſint iudicio. Id ſcrupulum adhuc alicui mouere poſſet, quod *II. Sam. XII. 8.* vxorum

d d 2 muſ-

Digitized by Google

multitudo non tantum inter beneficia diuina, in Dauidem collata, referatur, ſed quod Deus plures etiam vxores, quam iam habebat, ei promittere videatur. Inde enim videtur colligi poſſe, polygamiam pleniſſime a Deo adprobatam. Verum res ipſa docet, haec ſimiliaue ex iſtius temporis more, & recepta opinione, intelligenda eſſe. Hinc multitudo vxorum tanquam beneficium diuinum commemoratur, quia iſtius aetatis homines illud pro beneficio ſingulari reputabant. Nec ſimpliciter Deus Dauidi plures vxores promittit, ſed hoc ſaltem dicit, ſi, quas habebat, non ſuffeciſſent, potuiſſe illum ſecundum morem receptum, quem Deus eo tempore tolerabat, plures adhuc ducere; quippe quod minus peccatum fuiſſet, quam adulterium vxori Vriae illatum, quod & homicidium poſt ſe traxit. Reliqua, quae circa matrimonia Dauidis diſputari ſolent, v. g. quo iure Michalam Paltieli, cui nupſerat, ademtam iterum ſibi vindicauerit? quo loco Abiſag apud Dauidem fuerit? & quae alia eiusdem generis, ex iis, quae iam paſſim de iis monuimus, diiudicanda.

** Qua de re iam ſupra ad §. *XVII.* huius ſectionis ex inſtituto dictum.

*** Occaſio, qua Iſraelitae inducti ſunt, vt regem expeterent, conſtat ex iis, quae ſupra ad §. *XIII.* huius ſectionis diximus. Peccaſſe eos hac in re, ibidem obſeruauimus. Nec dubitari ea de re poteſt, cum non tantum Samueli, ſed & ipſi Deo hoc vehementer diſplicuerit. Hinc Deus ad Samuelem: *neque enim te faſtidiuerunt, ſed me, ne in eos regnarem; I. Sam. VIII. 7.* Immo deinceps Samuel populo Iſraelitico & ſenioribus diſerte exprobrat, quod regem petendo, magno peccato ſe obſtrinxiſſent: *& videte, magnum eſſe malum, quod feciſtis coram Iehoua, cum vobis regem petiiſtis.* Sed agnouerunt quoque tandem ipſi Iſraelitae, quod grauiter hac in re peccaſſent, vnde ad Samuelem, *ora*, inquiunt, *Iehouam Deum tuum pro ſeruis tuis, ne moriamur, quia omnibus peccatis noſtris hoc adiecimus malum, quod regem nobis petierimus; I. Sam. XII. 17. 19.* Non quidem ita hoc accipiendum, ac ſi ipſe ſtatus regius Deo diſpliceat, cum ſtatus ille, ſi modo aliunde vitium non acceſſerit, nihil, quod legi diuinae repugnet, contineat; isque etiam gentium quarundam indoli ita attemperatus ſit, vt commode, niſi ſub regibus, viuere nequeant; ſed Iſraelitae in eo peccarunt, quod tempore alieno, & modo, quo non decebat, regem poſcerent, idque ea ratione, vt quodammodo ipſum Dei in hac gente regimen reiicere viderentur, vti iam ſupra ad §. *III.* huius ſectionis obſeruauimus. Immo non deſunt, qui, licet regium imperium, in ſe ſpectatum, vitio carere, facile concedant, Iſraelitis tamen non ſatis hoc conueniſſe putant, eo quod cum theocratia pugnaret. Sique iis leges regias, iam a Moſe ipſo *Deut. XVII.* praeſcriptas, obiicias, hoc ita intelligendum putant, quod Deus neutiquam

tiquam leges iſtas praeſcribendo regem illis conceſſerit; aut conſtitui voluerit, ſed, cum praeuiderit, quid futurum eſſet, leges iſtas regi dediſſe, ſi ſcilicet ipſimet Iſraelitae regem ſibi conſtituere vellent. Quod vt non prorſus repudiauerim, ita illud quoque certum, in verbis Moſis nullum argumentum inueniri, quo demonſtrari queat, regis conſtitutionem Numini prorſus improbatam. An vero per eam theocratia penitus ſublata ſit, deinceps diſceptabimus. Iniqua autem licet eſſet populi ebraei regem poſtulantis petitio, Deus tamen patientiae & longanimitatis ſuae edere ſpecimen voluit, adeoque in eam conſenſit. Poteratque id ſalua iuſtitia ac ſanctitate ſua facere, eo quod regis conſtitutio in ſe ſpectata nihil vitii habeat, Iſraelitae autem in modo ſaltem petendi regem peccauerant, cuius peccati differre poenam, donec aut reſipiſcerent, aut accedente impoenitentia grauius puniri poſſent, benignitati pariter ac iuſtitiae diuinae conueniens erat. Interim tamen per Samuelem illis oſtendebat, quae incommoda regia dignitas ſecum veheret, quae, ſi aliquando, accedente abuſu quodam, illis grauiora, quam ferre poſſent, viderentur, tum fruſtra Numinis auxilium eos imploraturos; *I. Sam. VIII. 7. ſeqq.*

Quaeri hic inter viros eruditos ſolet, quid per משפט המלך *ius regis, I. Sam. VIII. 11.* intelligatur. In diuerſas enim abeunt ſententias, nonnullis meram conſuetudinem, etſi iniquam, intelligentibus, aliis autem de iure legitimo & diuinitus conceſſo hoc capientibus. Priori ſententiae WOLFGANGVS FRANZIVS, de *interpret. ſcript. orac. CXXVI.* CORNELIVS BONAVENTVRA BERTRAMVS, de *republ. Ebr. cap. X. pag. 110.* aliique fauent, laudati GISBERTO VOETIO, *diſputat. ſelectar. part. IV. pag. 214. 218. ſeqq.* quibus adhuc iungendus MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. I. libr. VII. cap. IV. pag. 431.* Poſteriorem tuentur GVIL. SCHICKARDVS, de *iure reg. pag. 64.* ABRAH. CALOVIVS, ad *I. Sam. VIII. 10. 11.* IOANN. GERHARDVS, *loc. de magiſtratu* §. *CXXV. ſeqq.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. II. loc. LXIX. pag. 368.* IOAN. ADAMVS OSIANDER, ad *Hug. Grot. de iure belli & pacis, ad lib. I. cap. IV. pag. 534. ſeqq.* aliique. HVGO GROTIVS mediam quandam viam quodammodo elegit, dum illis quidem adſtipulatur, qui, de conſuetudine hic ſermonem eſſe, putant, interim non nudum factum hic indicari contendit, ſed factum, quod effectum aliquem iuris habeat, vtut non facultas deſignetur, honeſte & iuſte aliquid agendi: de *iure belli & pacis lib. I. cap. IV.* Vt autem, & quae mea hac de re ſit ſententia, paucis exponam, primo quidem, ceu conceſſum ab omnibus, ſuppono, vocem משפט non minus *morem, conſuetudinem, vitae rationem ac inſtitutum*, quam *legem* ſeu *iudicium* ſignificare. Et hanc quidem ſignificationem huic loco conuenire, vel ex ſcopo, quem Deus habuit, cur ius hoc regium populo Iſraelitico proponeret, mani-

niféſtum eſt; qui erat, oſtendere illis incommoda, quae ſtatus regius ſecum vehere ſoleat. Interim talem morem ſeu conſuetudinem indicari puto, quae in ſe ſpectata vitio careat, etſi haud raro culpa hominum abuſus aliquis atque exceſſus accedat. Regiam namque poteſtatem in ſe ſpectatam, etiam abſolutam, ſi eam rex legitimo modo acquiſiuit, vitii expertem eſſe, conſtat, & ſupra iam monuimus. Cumque Iſraelitae non tyrannum, ſed legitimum regem expetierint, de tali quoque hic ſermonem eſſe, dubio caret. Quemadmodum vero ſtatus regius, etiam legitimus, incommoda plurima ſecum trahit, ita haud raro etiam contingit, vt exceſſus aliquis atque abuſus poteſtatis cum illo coniunctus ſit. Atque ita intelligenda ſunt, quae ſpeciatim de iure hocce regio commemorantur, quorum pleraque ita comparata ſunt, vt recte a regibus fiant; v. gr. quod ex ſubditis milites conſcribat, ex iis quoſdam curribus, equis, praeficiat, & quae reliqua ſunt eiuſdem generis; nonnulla autem ita comparata ſunt, vt exceſſum aliquem cum regia dignitate haud raro coniunctum indicent, v. g. quod ſubditorum liberos, itemque bona, ad vſus priuatos ſibi vindicaturus ſit, & talia deſignaturus, quae neceſſitatem implorandi auxilium Numinis illis ſint impoſitura. Ita, ni fallor, cuncta ſibi conſtant, & dubiis quoque omnibus obuiam iri poteſt. Nec neceſſe fuerit, de dominio eminenti, quod ſaltem vrgente ſumma neceſſitate locum habet, hoc capere, quae eſt ſententia viri celeberrimi IOANNIS CHRISTOPHORI BECMANNI, in *meditationibus politicis cap. XXI. §. V.* cui praeter alia & illud obſtat, quod dominium eminens, recte intellectum, in omni reipublicae ſtatu locum habeat; cum hic de iis ſermo ſit, quae ſtatui regio ſunt propria. Patet vero, & illorum a nobis reiici ſententiam, qui, de rege iniuſto aut tyranno hic ſermonem eſſe, exiſtimant; quo in errore etiam patres quidam verſantur, ſpeciatim CLEMENS Alexandrinus, qui *petenti*, inquit, *regem populo, non humanum* (φιλάνθρωπον) *pollicetur dominum, ſed quendam inſolentem illis minatur tyrannum, paedagog. lib. III. cap. IV.* Similia & CYPRIANVS habet *ep. LXV.* ad *Rogat.* Haec probari nequeunt. Incommoda enim memorata generatim ſtatum regium comitantur, etſi rex aequiſſimus ſit, humaniſſimusque, quemadmodum aliae rerumpublicarum formae iterum alia incommoda, eaque ſibi propria, habent. Exceſſus tamen aliquis, qui aliquando accedere ſolet, ſubinnuitur.

Grauior nunc oritur quaeſtio, an per ſtatus regii introductionem, theocratia in gente ebraea prorſus fuerit ſublata? Ita quidem nonnulli exiſtimant. At mihi ſecus videtur. Primo enim nihil obſtat, quo minus regia dignitas cum theocratia conſiſtere queat, ſi talis rex intelligatur, qui a Deo ipſo conſtituatur, quine vnice a nutu & voluntate Numinis pendeat. Deinde, res ipſa docet, quod Saul, primus rex Iſraelitarum ex voluntate

Numi-

Numinis conſtitutus ſit: cumque is Dei, ceu ſupremi regis voluntati in omnibus morem non gereret, ab eodem eſt repudiatus. Quod theocratici regiminis luculentiſsimum erat documentum. Tum Dauid ab ipſo Deo electus eſt, qui & in omnibus ita ſe geſsit, vt ſine nutu & voluntate Dei nihil ſusciperet, quem & in rebus grauioris momenti ſemper per vrim & thummim conſuluit. Salomo itidem ex omnibus Dauidis filiis electus eſt, qui patri in regno ſuccederet. Et licet deinceps ſucceſsio quaedam haereditaria obtineret, id tamen iterum ex voluntate & conſenſu Dei factum, qui Dauidi continuam poſterorum eius ſucceſsionem promiſit. Templum etiam magnificentiſsimum a Salomone conditum, & ita inſtructum, vt velut regia ſedes eaque longe ſplendidiſsima Dei eſſet, continuatam eo tempore theocratiam aperte demonſtrat. Cumque & Salomo ipſe, & reliqui reges, ſubinde a recto tramite deflecterent, Deus tamen eos per prophetas redarguendo, & grauiter puniendo, ſe ſupremum adhuc populi ſui regem eſſe, oſtendit. Nec obſtat, quod Deus ad Samuelem dixit: *neque enim te faſtidiuerunt, ſed me, ne in eos regnarem.* Hinc enim illud equidem intelligitur, quod populus Iſraeliticus intempeſtiue, nec eo, quo decebat, modo, regem petendo, peccauerit; non autem, quod Deus amplius eorum rex eſſe noluerit. Quod ſi vel maxime ſub regibus theocratiam imminutam eſſe, aliquis dicere velit, quae eſt ſententia IOANNIS SPENCERI, de *legib. Ebraeor. ritualib. lib. I. diſſert. de theocratia iudaica cap. IV. ſect. II. pag. 324.* hoc tamen certum, ſemper theocratici aliquid remanſiſſe, quod etiam poſt captiuitatem Babylonicam ex ſumma illa ſummorum ſacerdotum poteſtate adparuit; conf. HERM. WITSIVS, *orat. de theocratia Iſraelitarum*, THOMAE GOODWINI, *Moſi & Aaroni* praemiſſa, §. *XXIV. ſeqq.*

Ceterum, cum & vnctionis regum, prima in hocce temporis interuallo mentio occurrat, & de ea aliquid addere, haud abs re fuerit. Antiquiſsimum eſſe vnctionis ritum, eumque adhibitum, cum aliquid Deo conſecraretur, vel exemplo Ioabi patriarchae, lapidem, quo pro ceruicali vſus erat, vnctione Deo conſecrantis, conſtat; *Geneſ. XXVIII. 18.* Qua de re fuſe ſupra diximus; iungendaque, quae IS. CASAVBONVS habet in *exercitationibus adu. Baron. exercitat. XIV. num. XVI.* Quo pacto deinceps in conſecratione tabernaculi, itemque ſacerdotum, vnctio adhibita ſit, itidem ſupra a nobis ſuo loco eſt expoſitum. Ad regum conſecrationem quod attinet, vt Saul primus rex Iſraelis fuit, ita & primum eum fuiſſe, qui in regem vnctus eſt, res ipſa pariter ac ſcriptura ſacra docet. Sunt equidem, qui dudum ante Saulem, Abimelechum vnctum fuiſſe, contendunt. Sed hosce in errore verſari, patet ex iis, quae ſupra ad §. *IX.* ſectionis praecedentis hac de re obſeruauimus. In apologo equidem Iothami, *Iud. IX. 8.* dicitur: *ali-*

Digitized by Google

aliquando iuerunt arbores למשוח *vt vngerent ſibi regem.* Sed inde non ſequitur, Abimelechum vnctum. Hoc equidem inde videtur colligi poſſe, iam apud alias gentes, ſaltem eo tempore, quo ſcriptor libri iudicum vixit, receptum, vt reges apud eas vngerentur; verum cum & illud difficultate non careat, & aliis hiſtoriarum monumentis hoc probari nequeat, praeferenda illorum ſententia videtur, qui Iothamum ita locutum volunt, quod ex vnctione, in ſacerdotum rerumque ſacrarum conſecratione adhiberi ſolita, collegerit, regem quoque per vnctionem conſtituendum eſſe. Id iam a me obſeruatum in *ſpecimine prudentiae ciuil. rabbin. cap. IV.* §. *XXII. pag. 85. 86.* Ad rem ipſam quod attinet, Iudaeorum magiſtri tradunt, vnctionem factam oleo המשחה *vnctionis*, ex קרן *cornu*, iuxta fontem *I. reg. I. 33.* ſi ſcilicet reges eſſent ex ſtemmate Dauidis, reliquos vero oleo אפרסמון *opobalſami* ex פך *lenticula* vnctos. Addunt nonnulli apud R. DAVID KIMCHIVM, ad *I. Sam. X. Saul & Iehu, quia vncti* בפך *ex lecytho, regnum eorum non fuit durabile: Dauid autem & Salomo, quia* בקרן *ex cornu vncti ſunt, regnum eorum fuit durabile.* Quod quam lubricum ſit, & ingenio rabbinico dignum, nemo non videt. Interim iidem magiſtri porro tradunt, nullos reges parentibus ſuis ſuccedentes vnctos fuiſſe, niſi cum lis iis mota fuiſſet de imperio, vti Salomoni *I. reg. I. 18. 39.* Ioaſo, *II. reg. XI. 12.* Iehu, *II. reg. IX. 1.* Ioachazo, *II. reg XXIII. 30.* Verum nec hoc extra dubium poſitum videtur. Etſi enim ſcriptura ſacra omnium regum vnctionem non memoret, ex eo nondum ſequitur, eos vnctos non fuiſſe. Secus ſe rem habere, nonnulli inde euincunt, quod voces *rex* & *vnctus*, vt ſynonymae paſſim vſurpentur, quemadmodum & *vngere* ſubinde idem eſt, ac *conſtituere regem*, conf. *I. Sam. II. 10. II. Sam. XIX, 21. Pſalm. CXXXII. 10.* Eſt vero etiam diſcrimen inter vnctionem ordinariam & extraordinariam obſeruandum. Haec priuatim fiebat, eratque futuri regis deſignatio: qua quidem ratione Saulem & Dauidem a Samuele vnctos conſtat. Illa autem publice fiebat, in ſolemni regis inauguratione. Hoc modo Dauid deinceps primum a viris Iudae, tum & ab Iſraelitis vnctus eſt. Vtriusque vnctionis diſcrimen in eo porro eluceſcit, quod in extraordinaria vnctione miniſter quoque fuerit extraordinarius, propheta ſcilicet aliquis: in ordinaria autem miniſter ordinarius erat ſacerdos. Haec etiam fiebat oleo vnctionis, non quidem illo, quo ſacerdotes vngebantur, quippe quod repugnat ei, quod *Exod. XXX. 32.* conſtitutum eſt, nec tamen oleo communi, ſed ſancto, quod in loco ſancto adſeruabatur, *Pſalm. LXXXIX. 21.* In extraordinaria etiam commune oleum adhibitum fuiſſe dubitandum non eſt, ſiquidem, vnde Samuel, cum Saulem & Dauidem vngeret, aut Eliſaeus cum Iehu vngeret, ſacrum oleum habuerit, dici nequit. Denique oleum in vnctione in caput effu-

Digitized by Google

effuſum, vel ex *I. Sam. X. 1.* conſtat. Vnde audiendi non ſunt, qui reges Ebraeorum in fronte, in formam coronae vnctos, autumant. Pluribus haec praeter alios diſſerit SEBASTIAN. SCHMIDIVS, ad *I. Samuel. X. quaeſt. II. pag. 288. ſeqq.* cumprimis autem FORTVNATVS SCACCHVS, in *ſacrorum elaeochrismaton myrothecii tribus, myrothecio III. cap. XLV. ſeqq. pag. 1030. ſeqq.* qui & de reliquis inaugurationis regiae ritibus, apud Israelitas adhiberi ſolitis, copioſiſſime verba facit. Ab Ebraeis hunc ritum reges vnctione conſecrandi ad chriſtianos tranſiiſſe, notum eſt; vid. IOAN. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, *notit. dignitat. illuſtr. diſſertat. IV. cap. II. §. III.* Reliqua, quae de rege Ebraeorum obſeruatu digna ſunt, ex doctorum ſuae gentis mente exponit R. MOSES MAIMONIDES, in *tract. de regibus Ebraeorum, eorumque bellis*, quem in linguam latinam transtulit, notisque illuſtrauit MELCHIOR LEIDECKERVS, exſtatque in *faſciculo nono opuſculorum, quae ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectant; pag. 1. ſeqq.* ſed eundem quoque operi de *republica Ebraeorum* inſeruit, *tom. I. lib. VII. cap. IV. pag. 432. ſeqq.* Synedrii magni vti nec antea, ita nec in hocce temporis interuallo, vlla mentio. Immo cum *I. Sam. VIII. 1.* Samuel ipſe filios ſuos Israelitis iudices praefeciſſe dicatur, nullum eo tempore ſynedrium fuiſſe, rectisſime inde colligitur. Si enim Ebraeorum magiſtris credimus, ſynedrii erat, conſtituere iudices; conf. IOAN. SELDENVS, de *ſynedriis iudaeorum libro III. cap. I.*

§. XXVI.

Litterarum & ſapientiae ſtudia vel maxime hac aetate in gente ebraea effloruiſſe, virorum praeſtantiſſimorum, qui eam nobilitarunt, exempla nos dubitare non ſinunt. * Societatem quoque variarum ad religionem pariter ac ſapientiam promouendam ſpectantium, ſeu ſcholarum & academiarum, varia exempla proferri ſolent. ** Inter libros hac aetate compoſitos pſalmi Dauidis & aliorum eminent, *** itemque, ea librorum Samuelis pars, quae ab ipſo compoſita fertur: reliqua enim vt incerti auctoris ſunt, ita incertae quoque aetatis. * Praeter haec, quae commemorantur, & huius aetatis viris tribuuntur, ſcripta, aut incerta ſunt, aut plane ſuppoſititia. **

* Inter viros ſapientiae & eruditionis laude hac aetate praeſtantes, ipſum regem ſanctisſimum, Dauidem, referre licet. Praeterquam enim, quod rerum diuinarum humanarumque longe peritiſſimus fuit, in muſica arte ac poëſi ita excelluit, vt omnes ſuperauerit. De rabbinorum autem, Dauidem pro homine rerum omnium rudi, & tantum non idiota, venditantium nu-

 gis,

gis, iam ſupra diximus. Quae de poeſi Ebraeorum dici hac occaſione poterant, deinceps expediemus. De Ethane Ezrachita, Hemane, Chalchole & Darda, filiis Macholis, qui itidem ob ſapientiae laudem, *I. reg. IV. 31.* celebrantur, quae obſeruatu digna ſunt, itidem iam ſupra, cum de viris huius aetatis illuſtribus, ad §. *XXII.* huius ſectionis, verba faceremus, expoſuimus. Supereſt itaque ſolum, vt de ipſius Salomonis ſapientia quaedam addamus. Ea vero licet ſumma & prorſus admirabilis fuerit, pro modo tamen ingenii humani, & pro ratione ac indole artium ac ſcientiarum, quae eo tempore in vſu fuerunt, hoc intelligendum eſſe, & res ipſa docet, & etiam, cum de Salomone loqueremur, iam monuimus, ad §. *XXI.* huius ſectionis. Vnde ſua ſponte ſequitur, multa adhuc in artibus ac ſcientiis ignoraſſe Salomonem; eos etiam magnopere falli, qui artium & ſcientiarum, quae eo tempore in vſu non fuerunt, aut ſequenti demum aetate fuerunt inuentae, notitiam Salomoni tribuunt. Faceſſant hinc etiam ineptae & otioſae ſcholaſticorum quaeſtiones: *an fuerit illa Salomonis ſapientia per ſe infuſa? an communia non ſolum principia, ſed ſingulares quoque concluſiones calluerit? an in cognoſcendis primis rerum adfectionibus diſcurſum adhibuerit? an omnium indiuiduorum cognitionem comprehenderit? errarene aut obliuiſci, vel amittere ſapientiam? an exercere eandem atque augere, ſequenti labore potuerit debueritne?* & quae reliquae ſunt eiusdem generis. De hisce diſceptare velle, hominis eſſet otio ſuo intemperanter abutentis: quod tamen operoſae fecit IOAN. DE PINEDA, in *Salomone praeuio*, ſeu de *rebus Salomonis lib. III.* vbi & regi huic encyclopaediam omnium artium, rerumque diuinarum & humanarum, conceſſam, contendit, eumque *ſummum aſtronomum, geometram, & arithmeticum adcuratiſſimum, cosmographum item, geographum, hydrographum atque architectum perfectiſſimum, naturae ſcrutatorem atque interpretem ſcientisſimum, medicum experientisſimum, & magiae naturalis callentiſſimum, ciuilis doctrinae conſultiſſimum; moralium doctorem eruditisſimum, & theologum denique numeris omnibus abſolutum fuiſſe*, euincere adnititur. Quae tamen caute & non ſine grano ſalis admittenda eſſe, nemo non intelligit, & a me iam obſeruatum in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. pag. 41. 42.* vbi & ſimiles aliorum de ſapientia Salomonis errores notaui.

Nos miſſis ineptiis, ad ductum ſcripturae ſacrae ſapientiam Salomonis conſiderabimus. Summam eam fuisſe atque admirabilem, ſcriptor ſacer docet, dum, *donauit etiam*, inquit, *Deus Salomonem ſapientia & peritia maxima, animique amplitudine, quae arenam, quae eſt in littore maris aequabat; I. reg. IV. 29.* Pro amplitudine animi in ebraeo eſt רחב לב *latitudo cordis*, ſignificaturque ingenium multarum rerum capacisſimum.

Ingen-

Ingentem ſane rerum, quae cognoſci poſſunt, multitudinem, vaſtiſſimo animi ambitu Salomonem complexum, vel inde intelligitur, quod res iſtae, qua numerum, cum arena, quae eſt in littore maris, comparentur. Addit porro, vt ſapientiae Salomoneae excellentiam oſtendat, ſcriptor ſacer, eam ſuperaſſe *ſapientiam omnium orientalium, & omnem ſapientiam Aegypti.* Non deſunt equidem, qui per בני קדם *antiquos* ſeu *veteres* intelligunt, quibus exemplum praeiuere LXX interpretes, qui verba ebraea ita reddiderunt: *καὶ ἐπληθύνθη Σαλωμὼν σφόδρα ὑπὲρ τὴν φρόνησιν πάντων ἀρχαίων ἀνθρώπων·* Hos ſecutus eſt FLAVIVS IOSEPHVS: *τοσαύτην δὲ, ἣν ὁ θεὸς Σολομῶνι παρέσχε φρόνησιν καὶ σοφίαν, ὥστε τοὺς ἀρχαίους ὑπερβάλλειν ἀνθρώπους; tanta Deus prudentia & ſapientia donauerat Salomonem, vt veteres ſuperaret homines; antiquit. iud. lib. VIII. cap. II.* Sed rectius alii per *filios orientis*, populos orientales, apud quos tum litterarum floruerunt ſtudia, intelligunt: idque eo magis, quod & Aegyptiorum initiatur mentio. Per gentes autem orientales, intuitu Cananaeae, Chaldaei, ſeu Babylonii, Perſae & Arabes intelligi poſſunt, quos iam antiquiſſimis temporibus ſapientiae laude celebres fuiſſe, conſtat, & vel ex hocce ipſo loco diſcimus. HERMANNVS tamen CONRINGIVS, non alios, quam Arabes, intelligi poſſe, contendit, de quorum ſtudiis & eruditione etiam hac occaſione nonnulla commentatur, in *diſſertationibus*, de *antiquitatib. academ. ſupplem. V. pag. 215. ſeqq.* Sed, ſiue Chaldaei ſiue Arabes intelligantur, qualis iſtarum gentium eo tempore ſapientia fuerit, non ſatis notum eſt. Monumenta enim, quae ſuperſunt, quaeue Graecorum maxime opera ad nos peruenerunt, & ex quibus cuncta in compendio exhibet THOMAS STANLEIVS; *hiſtor. philoſ. part. XIII. pag. 1110. ſeqq.* recentiora ſunt, quam vt certi quid inde ſtatui queat. De Zoroaſtre, quem ſapientiae & eruditionis Chaldaeorum auctorem & inuentorem ferunt, copioſiſſime ſupra dictum, ad *period. I. ſect. III. §. XXII.* dicenturque etiam de Perſarum Zoroaſtre, vt & de ipſa Perſarum pariter ac Chaldaeorum philoſophia, plura in ſequentibus. Aegyptiorum, qualis antiquiſſimis temporibus ſapientia fuerit, itidem ſupra expoſitum ad *per. I. ſect. III. §. XXIII.* quemadmodum ibidem ad §. *XXII.* de Mercurio, litterarum & ſapientiae primo apud Aegyptios conditore, verba fecimus. De Salomone autem porro dicitur, quod viros etiam ea aetate in gente ebraea ſapientiae laude praeſtantiſſimos, Ethanem Ezrachitam, Hemanem, Chalcholem & Dardam ſuperauerit: tumque porro, quae ſapientiae ſuae ſpecimina ediderit, additur: *protulit tria millia ſententiarum, eiusque canticorum fuerunt quinque ſupra mille.* Vox משל ceteroquin *ſimilitudinem* ſignificat, & per *παραβολὴν* a Graecis redditur: adhibetur tamen de quibusuis ſententiis, acumen aliquod & inge-

 nium

nium ſingulare prae ſe ferentibus, ſimulque ad vitam inſtruendam, moresque emendandos, comparatis. Eiusmodi ſententias ſeu *γνωμὰς* intelligi, vel ex libro משלים, qui adhuc hodie exſtat, intelligitur. Nullum enim eſt dubium, quin liber hicce praeſtantisſimas, ſelectisſimasque ex omnibus ſententias complectatur, quas ideo Salomo diuino impulſus ſpiritu litteris conſignauit. Atque inde etiam, moralium ciuiliumque rerum eum longe peritisſimum fuiſſe, cognoſcitur. Quod ad שירים ſeu *cantica* attinet, cuiusmodi ea fuerint, vel ex pſalmo XLV, & cantico canticorum intelligitur. Namque & in reliquis de rebus diuinis aeque, ac in his, Salomonem egiſſe, dubitandum non videtur. Qui enim & in pſalmo iſto, & in cantico canticorum de amore coniugali, aut omnino impuro & laſciuo ſermonem eſſe, putant, nihil aliud agunt, quam vt mentem profanam atque impuram prodant, vt alibi demonſtratur. Maximopere autem errat FLAVIVS IOSEPHVS, eum non tria millia ſententiarum, vt ſcriptor ſacer habet, ſed *παραβολῶν καὶ εἰκόνων βίβλους τρισχιλίας*, *prouerbiorum & ſimilitudinum ter mille libros*; nec canticorum quinque ſupra mille, ſed *βιβλία περὶ ᾠδῶν καὶ μελῶν πέντε πρὸς τοῖς χιλίοις*, *libros de odis & canticis quinque ſupra mille*, compoſuiſſe adſerens, quaſi totidem de arte poetica, & ratione conficiendi cantica, compoſuiſſet libros, *antiquit. iud. lib. VIII. cap. II.*

Dicitur autem porro de Salomone: *egit de arboribus a cedro, quae in Libano, ad hyſſopum, quae prodit ex muro, de quadrupedibus, de auibus, de reptilibus, deque piſcibus.* Naturam nimirum indolemque arborum, plantarum & animalium, ediſſeruit; ſeque adeo naturalis doctrinae, quam phyſicam vocant, minime expertem, demonſtrauit. Fallitur enim citra controuerſiam iterum IOSEPHVS, dum & hoc ad moralia refert, ac ſi vnaquaeque ſpecies arborum parabolas illi ſuppeditauerit: *καθ' ἕκαστον γὰρ εἶδος δένδρου παραβολὴν εἶπεν*, *ſecundum vnamquamque ſpeciem arborum parabolam dixit*; *loc. cit.* Cedrus autem atque hyſſopus indicant duo generis arborarii extrema, quorum illud primum ſummumque, hoc vltimum atque infimum ſit. Hortos etiam omni genere fructuum conſitos plantauit, vt ipſemet teſtatur, *Kohel. II. 5.* Cumque non omnis ferat omnia tellus; Ebraeorum magiſtri addunt, eum meatus omnes ſubterraneos, geniumque telluris adcurate cognitum habuiſſe, vt ſcinerit, quaenam terrae pars producendis aut alendis his aut illis plantis arboribusue quam maxime fuerit idonea. vid. R. SALOMON IARCHI, ad *Kohel. loc. cit.* Quae de animalibus, quod eorum indolem plane cognitam rex ſapientisſimus habuerit, ſcriptor ſacer dicit, id itidem ita capere videtur IOSEPHVS, quod occaſionem hinc parabolas conficiendi ſumſerit; addit tamen; *οὐδὲ μίαν γὰρ τούτων φύσιν ἠγνόησεν, οὐδὲ παρῆλθεν ἀνεξέταστον*· *nullius enim horum naturam ignorauit*,

aut

aut inſcrutatam reliquit &c. loc. cit. Alii ex eadem gente admodum lepidi ſint, cumque dicitur: וידבר על הבהמה particulam על per *cum* vertunt, indeque concludunt, eum cum animalibus brutis collocutum, & eorum viciſſim reſponſa intellexiſſe. Eadem vero ratione & probari poſſet, eum cum arboribus atque plantis collocutum eſſe. Rectius ex voce וידבר colligitur, eum data occaſione de hiſce omnibus locutum, & alios in iſta rerum naturalium ſcientia erudiuiſſe. Libros eum de hiſce omnibus ſcripſiſſe, non ſequitur; etſi forte non defuerint, qui ea, quae a Salomone acceperant, in commentarios referrent. Matheſeos, prout eo tempore exculta fuit, peritum fuiſſe Salomonem, diſerte in ſcriptura ſacra non memoratur. Tot tamen, tamque ſplendida, quae excitauit, aedificia, nos hac de re dubitare non ſinunt. Cumque apud Aegyptios pariter ac Chaldaeos, quos Salomo ſapientia ſuperaſſe dicitur, aſtronomiae antiquiſſimis temporibus floruerit ſtudium, & eius minime ignarum fuiſſe regem ſapientiſſimum, videtur inde colligi poſſe. Quae in libro ſapientiae *cap. VII. 15. ſeqq.* dicuntur, ad ſapientiam Salomonis deſcribendam fruſtra aduocantur, cum perperam ſupponatur, Salomonem libri iſtius auctorem eſſe. FLAVIVS autem IOSEPHVS ſe ipſum traducit turpiter, dum hiſce magicas artes adiicit: *παρέσχε δ' αὐτῷ μαθεῖν ὁ Θεὸς, καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην εἰς ὠφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις· ἐπῳδάς τε συνταξάμενος αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα, καὶ τρόπους ἐξεςκώσεων κατέλειπεν, οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι· Quin & eam rem diuinitus conſecutus eſt, ad vtilitatem & medelam hominum, quae aduerſus daemones eſt efficax. Incantationes enim compoſuit, quibus morbi pelluntur, & coniurationum modos ſcriptos reliquit, quibus cedentes daemones ita fugantur, vt in poſterum nunquam reuerti audeant.* Quod commentum IOSEPHO ideo placuit, quod ipſius aetate eiusmodi incantationes & exorciſmi in gente ebraea longe eſſent vſitatiſſimi. Hinc & addit: *καὶ αὕτη μέχρι νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖστον ἰσχύει. atque hoc ſanationis genus vsque plurimum apud noſtrates pollet.* Immo addit, ſe vidiſſe ex popularibus ſuis quendam Eleazarum, in praeſentia Veſpaſiani & filiorum & tribunorum, reliquorumque militum, multos correptitios percurantem. Modum autem curationis hunc fuiſſe: *admoto*, inquit, *naribus daemoniaci annulo, ſub cuius ſigillo incluſa erat radicis ſpecies a Salomone indicatae, ad eius olfactum per naſum extrahebatur daemonium: & collapſo mox homine, adiurabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens dein Eleazarus his, qui aderant, oſtendere ſuae artis efficaciam, non longe inde ponebat poculum, aut polubrum, aqua plenum, imperabatque daemonio, hominem exeunti, vt his ſubuerſis ſignum dare,*

dares ſpectantibus, quod reliquiſſet hominem. Quo facto nemini dubium erat, QVANTA FVISSET SALOMONIS SCIENTIA ET SAPIENTIA. Et ego nullus dubito, neminem fore, qui haec legerit, qui non ſtatim intellecturus ſit, quanta IOSEPHI & ignorantia ſit & ſuperſtitio. Hinc vero & haud dubie homines quidam inſani occaſionem ſumſerunt, libellos quosdam magicos componendi, eosque ſub Salomonis nomine circumferendi; de quibus dixi *introd. in hiſtor. philoſoph. Ebraeor. pag. 43. 44.* Sed de ſcriptis Salomoneis tum genuinis, tum ſpuriis, in ſequentibus etiam ex inſtituto verba faciemus.

** Fuiſſe hac aetate in gente ebraea eiusmodi ſocietates, in quibus nonnulli ad ſapientiam & pietatem erudiebantur, vel ex *I. Samuel. X. verſ. 5.* itemque *XIX. verſ. 18. ſeqq.* patet. Et in priori quidem loco dicitur. *poſtea venies ad collem Dei, in quo ſunt Philiſtaeorum praefecti, cumque ingreſſus fueris vrbem, quae illic eſt, incides in chorum prophetarum, e loco excelſo deſcendentium, & ante eos quidem erunt nablium, tympanum, tybia & cithara, ipſi vero vaticinabuntur.* Ex hiſce verbis viri docti colligunt, Kiriathiearimis eo tempore ſcholam quandam publicam floruiſſe, Sic IACOBVS ALTINGIVS, cum de Samuele dixiſſet: *ſub illius regimine eo vsque effloruerunt ſtudia litterarum, vt publica ſtudioſorum collegia diuerſis in locis exſtarent,* addit: *Huic adſertioni confirmandae facit, quod Kiriathiearimis, vbi arca federis a Philiſtaeis remiſſa adſeruabatur, fuerit* גבעת האלהים *collis Dei, ad inſtitutionem iuuentutis, in ipſius cultus deſtinatus, quem* חבל נביאים *coetus prophetarum,* id eſt, סיעת ספריא *agmen ſcribarum, ſeu ſtudioſorum, (qui crebrius filii prophetarum adpellantur) incolebat. Horum penſum erat muſicam exercere & prophetare,* לשבחא *hymnos componere in laudem Dei. Conuentus autem agebant* בבמה *in excelſo,* hoc eſt, בבית אסהדותא *vt chaldaeus reddit, in domo conſeſſus. Cui inſtituto ita benedixit Deus, vt peculiariter praeſentiam ſuam teſtaretur, diuinitus ſubinde excitatis iuuenibus, qui excellerent ingenio: quod in Saule factum legimus, quem hoc potiſſimum in loco ſpiritus ſui donis ad regnum capeſſendum inſtruere voluit; in hiſtoriar. academiar. ebr.* ſeu *heptad. oration. academ. orat. I. pag. m. 281.* Vbi, quod vir doctus per גבעת אלהים *collem Dei*, locum, in quo Kiriathiearimis ſchola eiusmodi prophetica fuerit, intelligit, in eo equidem & alios ſibi ſuffragantes habet; quanquam & non deſint, qui, גבעה nomen proprium vrbis eſſe, contendunt, quae Kiriathiearimis adnumerata fuerit, & in qua fuerit domus Abinadabi, quae arcae federis hoſpitium praebuit; quibus & ego ſupra ad §. *III.* huius ſectionis, calculum meum adieci. Quidquid huius ſit, ex eo, quod חבל נביאים *chorus,* ſeu *coetus prophetarum* memoratur, ſocietatem quandam ſeu ſcholam eiusmodi hominum fuiſſe, rectiſſime colligitur; quibus magiſtrum quendam ſeu praefectum praefuiſſe, dubio caret, & ex di-

Digitized by Google

dicendis etiam confirmabitur. Quaenam illorum ſtudia & occupationes fuerint, ex ipſa voce נביאים rectiſſime colligitur. Nimirum נביאים *prophetae* dicebantur, qui rerum diuinarum erant periti, adeo vt de iis verba ad alios facere poſſent, ſimulque canticis ſacris atque pſalmis laudes diuinas celebrare, ſuarum ducebant eſſe partium. Hinc & muſices periti erant, & cum vocali inſtrumentalem coniungebant, vt ex *I. Sam. X. 5.* ſatis conſtat. Deinde tamen factum, vt vox illa ſpeciatim de iis adhiberetur, qui ex ſpeciali Numinis reuelatione futura cognoſcebant, eaque praedicebant aliis. conf. HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. I.* Patet itaque, quo pacto erudiri, atque inſtitui potuerint diſcipuli in ſcholis prophetarum. Fiebat namque hocce per doctrinae ſacrae communicationem, qua rerum diuinarum notitia imbuebantur; tum per preces, hymnos, ſimilesque exercitationes ſacras. Et ita quidem fiebat, vt ſubinde motus & impulſus extraordinarios ſpiritus ſancti ſentirent, quod varia ratione contingebat, vt vel ex iis, quae de Saule *I. Sam. X. 5. ſeqq.* item *XIX. 18. ſeqq.* narrantur, liquet. Addenda, quae ſupra §. *III. & IV.* huius ſectionis diximus.

Alterum ſcholae in hocce temporis interuallo exemplum in loco iam allegato, *I. Samuel. XIX. 18.* viri docti quaerunt. Hinc, quem iam laudauimus, IACOBVS ALTINGIVS, cum de Samuele dixiſſet, quod Saule regnum adepto, in patriam Ramam ſe recepiſſet, priuatam vitam deinceps acturus, addit: *ne tamen nihil in rem publicam, quam compluribus annis adminiſtrauerat, conferret, gymnaſium ibidem publicum ſiue academiam aperuit, eamque ipſemet ſumma cura moderatus eſt. Locus ille dictus fuit* נוית *κατ' ἐξοχὴν, quod eruditio & pietas hanc ſibi ſedem delegiſſent; vnde chaldaeus periphraſi reddere maluit* בית אולפנא *domum doctrinae; erat enim* בית המדרש *academia prophetarum, litteris operam dantium, vt R. Leui Gerſonis filius ibidem loquitur.* Qualis vero haec ſchola ſeu academia fuerit, ita idem auctor porro ediſſerit; *Quo vero clarius pateſcat, quale hoc fuerit gymnaſium, operae erit pretium, rationem eius atque ordinem paucis delineaſſe. Rector iſtic idemque doctor, dum vixit, perpetuus fuit Samuel propheta; iudex olim populi vniuerſi, tunc autem ſeminarii Iſraelitici praefectus* נצב עליהם *conſtitutus ſuper eos ceu ἐργοδιώκτης (quo ſenſu de aliis operarum praefectis vſurpari conſueuit)* ממונה עליהם להורותם מה יעשו *inquit Kimchius, & chaldaeus* מליף עליהם *ſtudiis moderandis praepoſitus. Diſcipulos habuit & auditores,* נביאים *prophetas* תרגומו ספריא רוצה לומר תלמידי חכמים כי תלמידי חכמים נקראו סופרים *ait idem Kimchius: qui Sophorum cluebant diſcipuli, philoſophiae & iitterarum ſtudioſi, ſcribae dicti; quemadmodum eiusmodi ſignificatione vocabulum clercs Gallis in vſu eſt. Horum magnus fuit ad hunc locum,*

cum, ceu ceteris excellentiorem, confluxus; vt coetum conficerent frequentiſſimum, quoties in auditorio doctoris audiendi gratia conueniſſent; quod vox להקה *ſatis indicat, per metathesin vſurpata pro* קהלה *idem, quod* קהל *ἐκκλησία; quo nomine hodiernis Ebraeis ſynagogae deſignantur, ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖσθαι conuocando, &* קהל *congregando. Hi omnes coram magiſtro ſuo ſedebant,* בני נביאים היו יושבים שם ולומדים לפני שמואל *filii prophetarum ſedebant ibi, & diſcebant coram Samuele, inquit Kimchius, & quidem ad pedes illius humilitatis teſtandae ergo; quod adhuc aetate Pauli in more fuit poſitum, &c. Samuel autem praeceptor omnium* עומד *chaldaice* קאם *ſtabat erectus, vt ſuper omnes emineret, & ſingulos valeret obſeruare; quaeque a ſe dicta audierant, repetebat; vnde & diſcipulis tribuitur, quod fuerint* נבאין *ſeu* משבחין *laudantes, proponentes ea, quae ad laudatam rerum traditarum interpretationem pertinebant. Et ne priuilegio deſtitutum illum locum arbitremini, Dauid eo, ceu ad tutiſſimum aſylum, ſe recepit; quanquam perſequente Saule tyranno (ob quorum furorem nullum aſylum aſyli praerogatiua gaudet) hinc quoque fuga ſe ſubducere fuit coactus. Quae omnia liquido docere mihi videntur, Naioth Samuelis, primariam ſeu principem fuiſſe illa tempeſtate Ebraeorum academiam, Ramae erectam. Quamdiu illuſtris haec ſchola ibidem floruerit, incertum eſt; loc. cit. pag. 282. 283.* Verum in his nonnulla occurrunt, incerto ſuperſtructa fundamento, & quae ex ſcriptura ſacra non colligas. Poſitum nimirum in more eſt, tum aliis, tum maxime Ebraeorum magiſtris, quos ALTINGIVS praecipue ſequitur, de rebus antiquiſſimis, ſecundum ſui ſeculi morem & loqui & cogitare. Vnde multa ſibi in ſcriptura ſacra inuenire videntur, quae ibi non exſtant. Nimirum ex loco illo, de quo ſermo eſt, *I. Sam. XIX. 18. ſeqq.* nihil aliud conſtat, quam coetum quendam fuiſſe prophetarum, iisque praefuiſſe Samuelem. Hanc ſocietatem eo fuiſſe comparatam, vt ad rerum diuinarum cognitionem ſe inuicem erudirent, ſacrisque exercitationibus vacarent, ſubinde & hunc in finem, praecipue ad laudes Deo cantandas, conuenirent, non abnuo; adeoque nec repugno, ſi quis eam ſcholam aut academiam dicere velit. Sed plura ex verbis ſacri ſcriptoris colligere non licet. Ad locum quod attinet, iam ſupra ad §. *VI.* obſeruauimus, nonnullos vocem בניות ceu nomen proprium vertere *in Naioth;* alios autem ceu adpellatiuum: *in tuguriis.* Videtur locus non procul a Ramah, vel in Ramenſi agro fuiſſe, vnde ברמה *in Ramah* fuiſſe dicitur; ſiue ita dictus ſit, ſiue tuguria denotentur, quae ibi fuerint. Eum in locum Dauid & Samuel ſe receperant, forte, ne vrbi Ramah periculum crearetur, aut quia Dauid ibi, ceu iu loco ignobili & obſcuro, tutius ſe latitare poſſe exiſtimaret. Scholam ibi fuiſſe, nullibi dicitur, vnde &, quod de priuilegiis eius loci ALTINGIVS fingit,

git, ſua ſponte corruit. Quod autem ſtatim de coetu prophetarum vaticinantium additur, haud dubie ita intelligendum, quod prophetae iſti, ſeu prophetarum filii, Samuelem eum in locum ſecuti ſint. Hos autem, ſaltem eos, qui Samuelis inſtitutione vtebantur, Ramae vixiſſe, vbi Samuel commorari ſolebat, admodum probabile videtur. De reliquis, quae adhuc addi poterant, ſupra ad §. *VI.* huius ſectionis, dictum. Tandem ſcholis & academiis illuſtribus, quae hac aetate fuerint, nonnulli & eam, quae Abelae fuerit, addunt: idque ex *II. Sam. XX. 18.* colligunt. Verum ſi verba loci iſtius paullo adcuratius conſiderauerimus, nihil aliud ibi dici, deprehendemus, quam hoc, vrbem iſtam iam olim ob ſapientiae laudem celebratam. Inde vero nondum ſequitur, ſcholam publicam ibi fuiſſe, aut academiam. Iungenda, quae ad §. *XIX.* huius ſectionis diximus.

*** Inter ſcripta hocce tempore concinnata primum praecipuumque locum tenent, pſalmi, tum ab aliis quibusdam, tum maxime a Dauide, rege ſanctiſſimo, & muſices pariter ac poeſeos peritiſſimo, compoſiti. Comprehenduntur in ſacro codice libro peculiari, qui Ebraeis ספר תהלים *liber laudum* dicitur, denominatione a potiori facta, cum in eo iſti emineant pſalmi, qui Graecis ſpeciatim *hymni* dicuntur, id eſt, cantica, quibus Dei laudes celebrantur, eique aguntur gratiae. Graeci ψαλμὸς vocant, vnde *Luc. XX. 42.* & *Actor. I. 20.* βίβλῳ ψαλμῶν, itemque ψαλτήριον a ψάλλω *tango*, *leui motu percutio*. Nimirum ψαλτήριον inſtrumentum eſt, quo pſallitur, cuius percuſſi ſonus proprie ψαλμὸς dicebatur; quodque idem cum nablio eſſe, contendit SVIDAS. Quia itaque carmina iſta pſallebantur, hoc eſt, fidibus canebantur, vnde magna quoque illorum pars מזמור hoc eſt ψαλμὸς inſcribitur, impoſiti nominis hinc patet ratio.

Sed de auctore ſacrorum iſtorum canticorum, quae in hocce volumine continentur, ſitne vnus, aut plures, & quinam ſint, iam pridem diuerſas viri docti fouerunt ſententias. Nonnulli omnes omnino, quos in hocce volumine habemus, pſalmos ab vno Dauide compoſitos contendunt; vt ex ebraeis R. ABEN ESRA, ex antiquis eccleſiae doctoribus IOANNES CHRYSOSTOMVS, EVTHYMIVS ZIGABENVS, CASSIODORVS, & cumprimis AVGVSTINVS, de *ciuit. Dei libr. XVII. cap. XIV.* Nec alienus ab hac ſententia eſt THEODORETVS; *praefat. in pſalmos*; cui & alii adſtipulantur, laudati GEORGIO SERPILIO, in *perſonalibus*, quae vocat, *Dauidis part. II. cap. I. pag. 388.* Praeterquam vero, quod nullo idoneo, qui ita ſentiunt, nitantur fundamento, tituli pſalmorum, in quibus aliorum auctorum diſerte iniicitur mentio, eos ab iis compoſitos eſſe, neutiquam nos dubitare ſinunt. De iis autem titulis hoc intelligendum, qui in textu ebraeo exſtant; quos ab ipſis auctoribus profectos eſſe, non eſt, quod ambigamus.

 En

Eos enim, qui tantum in codicibus graecis & latinis exſtant, ſuppoſititios eſſe, iamdudum viri docti obſeruarunt. Recte itaque HIERONYMVS, in *epiſtola ad Cyprianum* pronunciauit: *Scimus, errare eos, qui, pſalmos omnes Dauid eſſe, arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inſcripti ſunt.* Alii rurſus in alterum extremum procurrunt, & Dauidem nullius pſalmi auctorem eſſe, ſed congeſſiſſe ſaltem pſalmos Adami, Abrahami, Moſis, aliorumque, contendunt. Ita nonnulli ex ebraeae gentis magiſtris ſentiunt, apud R. DAVID KIMCHIVM, *praefat. in pſalmos.* Hiſce vero itidem non tantum tituli pſalmorum, in quibus diſerte Dauidis iniicitur mentio, obſtant, ſed &, ne cauillationi vlli locus ſit, ac ſi לדוד idem ſit, ac *propter Dauidem*, ſubinde additur occaſio pſalmi, e. gr. *pſalmi III.* vbi dicitur, compoſitum eum eſſe, cum a facie Abſalomi fugeret, pſalmo ipſo titulo adcurate reſpondente. Media itaque ſententia veriſſima, quam & calculo ſuo adprobat HIERONYMVS: *Pſalmos eorum teſtamur auctorum, qui ponuntur in titulis, Dauid ſcilicet, Aſaph, Idithun, filiorum Chore, Eman Eſraitae, Moyſi, Salomonis, & reliquorum, quos Eſdras vno volumine comprehendit; epiſt. ad Sophronium.* Nimirum praeter Dauidem, cui plurimi debentur, quinque adhuc memorantur pſalmorum auctores, Moſes pſalmi XC, Salomo pſalmi CXXVII, Heman & Ethan, Ezrachitae, ille pſalmi LXXXVIII, hic vero pſalmi LXXXIX, & Aſaph pſalmi L, item LXXIII, vsque ad LXXXIV. Equidem ad Aſaphum quod attinet, ambigunt nonnulli, an pſalmi iſti, qui eius nomen praeferunt, ab eo compoſiti, an vero ad canendum ſaltem traditi ſint? Sed cum pſalmi, qui inſcripti ſunt, לדוד, Dauidem auctorem agnoſcant, nulla adeſt ratio, cur vocem לאסף aliter, quam de auctore capere debeamus, praeſertim cum & Aſaphum prophetam fuiſſe conſtet, vti ſupra, ad §. *XXII.* obſeruatum, vbi & de Emane, & Ieduthune egimus. Accedit, quod in quibusdam praeter Aſaphum, praecentoris & Ieduthunis mentio fiat; quod documento eſt luculentiſſimo, non ad canendum ſaltem hos pſalmos Aſapho traditos, ſed ipſum illorum auctorem eſſe. De pſalmo LXXIV & LXXIX, qui res, quae diu poſt Aſaphi & Dauidis aetatem contigerunt, deſcribere videntur, deinceps dicemus. De pſalmo LXXV ideo nonnulli dubitant, quod argumentum eius Dauidi potius, quam Aſapho, conuenire videatur. Quod autem ad Ieduthunem attinet, & filios Korae, quorum nomina itidem pſalmis quibusdam praemiſſa leguntur, eos non auctores iſtorum pſalmorum eſſe, ſed pſalmos ſaltem iſtos iis ad canendum commiſſos, recte dicitur. Sunt vero praeterea pſalmi numero XXV ἀνεπίγραφοι, de quorum adeo auctoribus dubitatur. HIERONYMVS equidem in *epiſtola* ſupra iam laudata ad *Cyprianum*, hancce regulam tradit: *Hanc eſſe ſcripturae ſacrae conſuetudinem, vt pſalmi, qui, cuius ſint, titulum non habent, eis deputentur, quo-*

rum

rum in prioribus nomina continentur; indeque colligit, pſalmos, qui nonageſimum ſequuntur, vsque ad centeſimum, Moſis eſſe, eo quod nonageſimus eum auctorem agnoſcat. Verum non tantum omni fundamento haecce HIERONYMI regula deſtituitur, ſed ex eo luculenter refelli poteſt, quod *pſalm. XCIX. 6.* Samuelis fiat mentio: qui cum aliquot ſeculis poſt Moſen vixerit, pſalmus hicce Moſen auctorem agnoſcere nequit. Nec eſt, quod dicas, Moſen ex ſpiritu prophetico de Samuele locutum. Praeterquam enim, quod ſine omni neceſſitate id adſeritur, hoc cumprimis obſtat, quod auctor pſalmi de Samuele, tanquam viro inſigni, & ſuo tempore ſatis noto loquatur. conf. THOMAS GATAKERVS, *aduerſar. miſcellan. libr. I. cap. X. pag. 234.* Alii pſalmos iſtos ἀνεπιγράφους, ſi non omnes, ſaltem pleroſque Dauidi tribuendos, cenſent: quod vt a vero non plane abhorret, ita nondum extra omnem poſitum eſt dubitationem. Recte autem hac de re pronuntiauit THEODORETVS: ποίαν μοι προσίσθησιν ὠφέλειαν, εἴτε τούτου πάντες, εἴτ' ἐκείνων εἶεν τινες· δήλου γε ὄντος, ὡς ἐκ τῆς τοῦ θείου πνεύματος ἐνεργείας συνεγράφησαν ἅπαντες· *Quid mea refert, huius omnes, an illorum nonnulli ſint, cum, vniuerſos diuini ſpiritus adflatu conſcriptos fuiſſe, compertum ſit; praefat. in pſalm. pag. 395.* Noſtram, quam hactenus de auctoribus pſalmorum propoſuimus, ſententiam, calculo ſuo praeter HIERONYMVM antea iam laudatum, adprobant auctor *ſynopſeos ſcripturae*, quae ATHANASIO tribuitur, HILARIVS, ISIDORVS, & ex recentioribus longe plurimi, magno numero laudati GEORGIO SERPILIO, in *perſonalibus*, vt vocat, *Dauidis, cap. II. pag. 390.* Legendi etiam hac de re THOMAS GATAKERVS, *loc. cit.* MICHAEL WALTHERVS, *officin. bibl. pag. 426.* IO. GEORG. DORSCHEVS, *pentad. diſſertat. pag. 488.* IOANNES MOLLERVS, in *homonymoſcopia pag. 188.* LVD. ELIAS DV PIN, *diſſertat. prelim. ſur la bible lib. I. cap. III. §. XI. pag. 97. ſeqq.* NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtament. aet. mundi IV. diſſert. XXIV. prop. I. pag. 75. ſeqq.* IOANNES HENRICVS HEIDEGGERVS, *enchirid. bibl. lib. I. cap. XXXVII. §. II.*

Iam quod ad collectionem pſalmorum attinet, de ea iterum viri docti in diuerſas abeunt ſententias. Nonnulli, ab ipſo Dauide initium collectionis factum exiſtimant, idque inde colligunt, quod pſalmo LXXII haec adiecta reperiatur clauſula: *finiuntur orationes Dauidis, filii Ieſſei;* cuius hunc ſenſum eſſe putant, quod hucusque collectio ipſius Dauidis proceſſerit: continuatam deinde eam ab Aſapho, aliisque, donec Eſra vltimam ei manum impoſuerit. Quod ſi quis obuertat, inter pſalmos, qui ſeptuageſimum ſecundum ſequuntur, occurrere, qui extra controuerſiam Dauidis ſint, reſpondent, hosce pſalmos a Dauide compoſitos, cum primam collectionem abſoluiſſet. Ita HVGO GROTIVS, in *annot. ad pſalm. LXXII. verſ. vlt.* Nec alienus ab hac ſententia eſt THOMAS GA-

Digitized by Google

GATAKERVS, *loc. cit. pag. 234.* Sunt equidem, qui clauſulam iſtam pſalmi LXXII aliter explicant, refertque varias hac de re auctorum ſententias AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. loc. LXXII. pag. 612.* qui & ipſe exiſtimat, pſalmum ſeptuageſimum ſecundum vltimum eſſe ratione temporis, ſeu inter eos, qui Dauidem auctorem agnoſcant, qui eum haud dubie, cum morti iam vicinus eſſet, compoſuerit, non autem ratione loci, quem in collectione pſalmorum teneat. Et ne quis locum *II. Sam. XXIII. 1.* obiiciat, non de verbis abſolute vltimis, ſed ſpeciatim de pſalmis, hoc intelligendum, contendit. Non tamen video, quid obſtet, quo minus & prior expoſitio admitti queat, quae mihi & planior videtur. Alii collectionem pſalmorum tempore Ezechiae regis, adeoque ante captiuitatem Babylonicam factam contendunt, traduntque, ex ter millibus Dauidis pſalmis, hosce centum & quinquaginta ſelectos, atque in vnum volumen congeſtos fuiſſe. Quod vt nullo idoneo teſtimonio aut argumento probare poſſunt, ita haud obſcure ſimul ſupponitur, omnes pſalmos eſſe Dauidis, quod falſum eſſe antea demonſtrauimus. Tribuitur a nonnullis haec ſententia auctori *ſynopſeos ſcripturae*, quae inter opera ATHANASII, *tom. II. pag. 55. ſeqq.* exſtat, ſed perperam; cum auctor iſte, *pag. m. 86.* diſerte doceat, collectionem ab Esdra factam: ὁ γοῦν Ἐσδρας συναγαγὼν τοὺς πάντας τοὺς παρ᾽ ἑκάστῳ εἰρημένους ψαλμοὺς εἰς μίαν συνέθηκε βίβλον; *itaque Esdras omnes hosce pſalmos, a quibuscunque dictos, vno complexus eſt libro.* Et hanc quoque ſententiam, collectionem pſalmorum ab Esdra factam, CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS, HILARIVS, aliique, calculo ſuo adprobant. Singularis plane & de auctoribus, & de collectione pſalmorum, eſt ſententia viri doctiſſimi, PETRI DANIELIS HVETII, *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. 330. ſeqq.* quam paucis expendere, non abs re fuerit. Certum eſſe putat, iam inde a vetuſtiſſimis temporibus homines Dei praeconia, victorias ſuas, & ſi quae ſibi proſpera veniſſent, hymnis, pſalmis, choris & tripudiis, tympanis etiam, tubis, citharis, aliisque inſtrumentis muſicis celebrare ſolitos fuiſſe; certum etiam eſſe, carminum illorum compoſitionem viros aliquot ingenio ac eruditione praeſtantes in ſe recepiſſe, id quod de Moſe, eiusque ſorore Miriam, memoriae proditum nouimus; certum etiam, hoc hominum genus, diuino ſaepe adflatum Numine, multa praedixiſſe, vt Moſen, Dauidem, Ieremiam, Ezechielem, &c. Certum praeterea cenſet, carmina huiusmodi, eaque potiſſimum, quae Deo eſſent dicata, crebra recitatione ita fuiſſe peruulgata, vt ea ſibi deſcriberent, curaeque praeſertim Leuitis fuiſſe, vt exemplaria eorum, quae Dei celebrarent laudes, in templi tabulariis ſeruarentur, inter ſacra volumina, quae in templo fuiſſe recondita, IOSEPHVS teſtatur, *antiquit. iudaic. lib. III. cap. I.* alibique. Hinc depromta cantica pleraque, quae in libris ſanctis vel deſcri-

ſcripta ſunt, vel memorata. Hinc certa quaedam pro tempore ſelecta, a Leuitis, quae ſymphoniaci in templo cantarent. Singulis porro hymnis auctorum nomina adſcripta fuiſſe, eorumque nominum partem aliquam temporum lapſu & hominum obliuione, aut librariorum oſcitantia, periiſſe. Atque hinc porro eueniſſe, vt pſalmi aliquot ſint *ἀνεπίγραφοι* & *ἀδέσποτοι*. Hunc pſalmorum theſaurum a Dauide & Salomone in immenſum auctum, maximam partem, cum Chaldaei templum Hieroſolymitanum diriperent atque deſtruerent, conflagraſſe; in captiuitate autem Babylonica collectas rurſus tot pſalmorum reliquias, vel ex memoria, vel ex priuatorum quorundam hominum codicillis. Hisce acceſſiſſe alios, qui in vinculis Babylonicis ad calamitates Iſraeliticae gentis coram Deo deplorandas, a piis viris compoſiti ſint, quorſum refert pſalmum CXXXVI (aut potius CXXXVIII ſecundum ordinem codicis ebraei,) quem titulus Ieremiae tribuat; item LXIV & LXX, & LXXVIII & LXXXVII, & alios.

Verum in hiſce viri doctiſſimi adſertis, pleraque dubia & incerta, nonnulla plane falſa, pauca veroſimilia occurrunt. A vetuſtiſſimis iam temporibus homines Dei praeconia, victorias ſuas, &c. hymnis, pſalmis, aliaque ratione, celebraſſe, haud inuiti concedimus; immo id ſupra quoque nobis iam obſeruatum eſt. Nec abnuimus, carminum illorum compoſitionem viros ingenio & eruditione praeſtantes in ſe recepiſſe. At ante Moſen vllum aliquem virum *θεόπνευστον*, carmen aliquod, quod ex diuina inſpiratione profectum ſit, compoſuiſſe, id eiusmodi eſſe, vt luculentiſſima probatione indigeat, cenſemus. Sic &, cum porro dicit, hocce hominum genus *diuino ſaepe adflatum Numine multa praedixiſſe*, id non ſine grano ſalis accipiendum, res ipſa docet. Non enim vaticinia tantum ex diuina reuelatione, ſed reliqua omnia, quae viri *θεόπνευστοι* ſcripſerunt, ex diuina inſpiratione fluxerunt. Idque vt generatim de ſcriptura canonica, ita ſpeciatim de omnibus atque ſingulis pſalmis longe eſt veriſſimum. Quod vero inter pſalmorum conditores praeter Moſen atque Dauidem, Ieremiam, Zachariam, aliosque ſequiorum temporum prophetas refert, id perperam fieri, ex dicendis conſtabit. Sed nec id admitti poteſt, quod porro adſerit, ſingulis hymnis auctorum nomina fuiſſe adſcripta, quorum pars aliqua temporum lapſu & hominum obliuione, aut librariorum oſcitantia, interciderit; quam ob cauſſam & factum ſit, vt pſalmi aliquot ſint *ἀνεπίγραφοι* & *ἀδέσποτοι*. Vnde enim hoc probabit? In canticis & hymnis mere humanis id contingere potuiſſe, non abnuo: quanquam, ſi quis dicat, hoc contigiſſe, & tum quoque hoc probandum ſit: at ex diuinis & *θεοπνεύστοις* ſcriptis quidquam periiſſe, ſine ſumma temeritate non adſeritur. Idem de eo cenſendum, quod vlterius docet, in templi Hieroſolymitani prioris incendio, ingentem iſtum pſalmorum theſaurum periiſſe,

periiſſe, eorumque reliquias vel ex memoria, vel ex priuatorum codicillis iterum fuiſſe collectas. Inde enim ſequitur, aut plurima ſcripta diuinitus inſpirata periiſſe, aut pſalmos pro θεοπνέυϛοις non eſſe habendos. Ingens ille theſaurus haud dubie pſalmos eiusdem generis continuit. Ne dicam, quod & illud cum diuina auctoritate pſalmorum parum conueniat, quod eos, qui hodie ſuperſunt, vel ex memoria, vel ex priuatorum codicillis, iterum collectos ſtatuit. Hoc enim ſi ſit, quis praeſtabit, quod tales hodie pſalmos habeamus, quales auctores eos condiderunt, cum facile falli potuerint, qui ex memoria eos reddiderunt, & codicilli hominum priuatorum parum potuerint eſſe adcurati. Longe veroſimilius, vt reliquorum ſcriptorum θεοπνέυϛων, ita & pſalmorum, varios codices, vt apud alios, ita maxime apud Leuitas atque ſacerdotes exſtitiſſe, & ab his ſumma cura in captiuitate Babylonica fuiſſe conſeruatos, & ita quosdam ſaltem integros & illibatos ad poſteros eorum fuiſſe propagatos. Tandem & illud ſine fundamento adſeritur, nonnullos pſalmos in captiuitate Babylonica, aut poſt eam, fuiſſe additos. Namque ad pſalmum CXXXVII, quod attinet, ſeptuaginta quidem interpretes habent τῷ Δαβὶδ Ιερεμίȣ, at in textu ebraeo nec Dauidis, nec Ieremiae, vlla mentio. Ipſe equidem HVETIVS dubium ſibi mouet, qui Babylone confici hic pſalmus a Ieremia potuerit, quem eo cum reliquis captiuis deportatum non eſſe, conſtat; ad quod reſpondet, a Ieremia ad captiuos hunc pſalmum transmiſſum, quem calamitati eorum deplorandae lucubrauerat. At iſtis quidem coniecturis nihil opus eſt. Idem de pſalmo ſequenti CXXXVIII cenſendum, cui hoc lemma LXX interpretes praeſcribunt: ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ Αγγαίȣ καὶ Ζαχαρίȣ. In ebraeo enim tantum eſt: לְדָוִד, vnde, hunc pſalmum Dauidis eſſe, cognoſcitur. Sane, ſi hicce pſalmus ab Aggaeo & Zacharia compoſitus eſt, ratio nulla dari poteſt; cur Dauidis dicatur. Quod vt tollat dubium, mirifice ſe torquet HVETIVS, ſed fruſtra. Nos iſta non tangunt, qui eos ſaltem pſalmorum titulos pro genuinis agnoſcimus, qui in textu ebraeo exſtant, minime autem, quos LXX interpretes aut verſio vulgata exhibet. Hinc & de reliquis pſalmis, quorum tituli in textu ebraeo non exſtant, nihil addimus. Sed ex re ipſa quoque HVETIVS comprobari poſſe putat, pſalmum CXXXVII in captiuitate Babylonica ſcriptum eſſe. Quod enim dicitur: *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus, &c.* id nulla ratione quadrare in aetatem Dauidis. Reſponſionem tamen ad hoc dubium ipſemet ſuppeditat, dum obſeruat, AVGVSTINVM docuiſſe, prophetice haec intelligenda eſſe, *lib. XVII. de ciuit. Dei, cap. XIV.* Ita namque omnino ſe res habet. Regerit quidem: *Sed quorſum ad propheticas vaticinationes & miracula recurremus, cum nulla nos eo cogat neceſſitas?* At reponere ad haec iterum licebit: cur propheticas vaticinationes, in

in toto pſalmorum libro tam frequentes deferemus? cum nullo argumento probatum ſit, hunc & ſimiles pſalmos poſt captiuitatem Babylonicam eſſe confectos? Sed haec *ὡς ἐν παρέδῳ*. Colligere ex hactenus dictis licet, de collectione pſalmorum nihil certi dici poſſe, etſi certum ſit, eam a viro quodam *θεοπνεύςῳ* factam, admodum etiam probabile, ipſum Dauidem collectionis iſtius feciſſe initium.

Ordinem certum in pſalmorum collocatione obſeruare non licet. Quod enim Iudaei pſalmos ad exemplum legis in quinque libros diſpeſcunt, omni fundamento deſtituitur. Magis adhuc falluntur, qui pſalmos ſecundum argumenti diuerſitatem diſpoſitos, contendunt, quippe quos ipſa pſalmorum lectio ſatis refellit. Sane poſſunt pſalmi ſecundum argumenti diuerſitatem in certas claſſes diſtribui, vt alii ſint *enarratorii*, alii *admonitorii*, alii *prophetici*, & ſic porro; quod & ſubinde in ipſis titulis indicatur, dum quibusdam nomen תפלה *precationis* datur, vt *pſalm. XVII. LXXXVI. &c.* qui adeo ſunt *precatorii*, vti contra, ſi nonnullos audias, *deprecatorii* ſunt, qui verba אל תשחית *ne perdas*, praefixa habent, vt *pſalmi LVII. LVIII.* & alii, *ἀπομνημονευτικοὶ*, ſeu *commonitorii*, quibus *τὸ* להזכיר praemittitur, &c. ſed hocce aut ſimili ordine, in collectione eos poſitos, non ſequitur. Temporis, ſiue occaſionis, qua conſcripti ſunt, obſeruatio ad intelligentiam illorum plurimum confert, ſed hanc ſaltem in Dauidicis quibusdam deprehendimus, quos hoc ordine diſpoſitos exhibet THOMAS GATAKERVS, *aduerſarior. miſcellaneor. lib. I. cap. X. pag. 235.* Sunt porro, qui obſeruant, dignitatis & excellentiae ratione alios vocari מכתמים *cantilenas aureas*, ſeu pretioſisſimas, vt pſalmum *XVI. LVI. LVII. LVIII. LIX.* alios מעלות *graduum*, qui numero quindicim, ſerie continua a pſalmo CXX, vsque ad CXXXIV diſpoſiti, ita dicti ſint, ob excellentiam vel adſcenſionem eccleſiae per gradus; quanquam hac de re viri eruditi inter ſe non conueniant. Quidam enim ex Ebraeorum doctoribus, quindecim hosce pſalmos reſpondiſſe, tradunt, quindecim gradibus, quibus ex atrio mulierum adſcendebatur in atrium Iſraelitarum, & in ſingulis gradibus vnum pſalmum decantatum fuisſe; conf. R. SALOM. BEN MELECH, in *Michlal Iophi*, ad *pſalm. CXX.* it. CONSTANTINVS L' EMPEREVR, ad *tractat. middoth pag. 71.* alii autem, vt R. SADIAS GAON, putant, pſalmos hos ita dici, quod voce intenſiori fuerint decantati, alii rurſus, quod Leuitae, qui eos cantarunt, in loco editiori fuerint conſtituti; alii aliter. vid. AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. pag. 629. 630.* conf. GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, vt vocat, *Dauidis*, *part. II. cap. XII. p. 621. ſeqq.* qui & *c. III. p. 405. ſeqq.* de diuiſione, & *cap. V. pag. 433. ſeqq.* de ordine pſalmorum multa lectu haud indigna congesſit.

Ceterum, cum pſalmi hunc in finem fuerint compoſiti, vt decantarentur, hinc & qua ſtilum & dicendi genus

Digitized by Google

nus ad muſicam adcommodati, non abs re, nec ab hocce loco alienum fuerit, de muſica & poëſi veterum Ebraeorum vel tria verba addere. Ad muſicam quod attinet, rationem ipſam modumque canendi veterem, non eſt, vt quis ſe perſpicere poſſe exiſtimet, quippe quem iamdudum interiiſſe, ebraei pariter ac chriſtiani agnoſcunt. Nomina autem ipſa in pſalmis occurrentia explicare nonnulli adgreſſi ſunt: cumque haud indiligenter ea in re THOMAS GATAKERVS verſatus ſit, *aduerſarior. miſcellaneor. libr. I. cap. X. pag. 236. 237.* ita hac de re dicemus, vt in quibusdam eius ſequamur ductum. Et primo quidem inter pſalmos hoc intercedere diſcrimen videtur, quod nonnulli aſſa voce, alii ad organa muſica fuerint decantati. Illi שירים *ᾠδαὶ, ἄσματα, cantica, cantilenae*, vt pſalmus *VII. XXVI. &c.* hi vero מזמרים *ψαλμοὶ* (quales plurimi) dicti. Ex his rurſus alii vocibus praelatis, ſic vt in verſiculis ſingulis decantandis voces praeirent, organa ſequerentur, canebantur, vnde שיר מזמור *odae pſalmi* nomen pſalmo *XXX. LXV. LXVII.* aliisque: alii vero *organis praelatis*, vt haec praeirent, voces ſequerentur, vnde מזמור שיר *pſalmi odae* nomen *pſalmo XLVIII. LXVII.* aliisque. Organa ſeu inſtrumenta muſica hymnis iſtis decantandis adhibita, vel *πνευματικὰ* fuerunt, נחילות a נחל *perforauit, pſalm. V.* vel *κρουστικὰ* & *ψηλαφητὰ pulſatilia*, quae aut bacillis plectrisque caedebantur, aut manibus digitisque attrectabantur, נגינות a נגן *pulſauit*, dicta. ABEN ESRA equidem exiſtimat, נגונות non inſtrumentum aliquod muſicum, ſed initium notae alicuius cantionis fuiſſe. Sed reliqui ebraei in eo conſentiunt, fuiſſe inſtrumenti muſici genus, quibus & ipſa etymologia ſuffragatur. Fuit nimirum נגינות nomen generale omnium inſtrumentorum fidibus conſtantium & tactilium; quorum nonnulli ſequentes ſpecies conſtituunt: עשור *pſalterium* ſeu *decachordum*, נבל *nablium*, fidibus XXII, ſi nonnullis credimus, in tres octauas diremtum, כנור, *cithara*, מחול *machol*, & מנים *minnim:* quae omnia numero fidium a ſe inuicem discreta fuiſſe, perhibent. Ad נגינות quae fidibus conſtabant, referuntur etiam a quibusdam שושנים *hexachorda, pſalm. XLV.* LX. *LXXX.* quam tamen vocem longe aliter ibi B. LVTHERVS vertit. Inter pulſatilia reliqua ceteroquin eminet תוף *tympanum*, quo nomine nonnulli ſpeciem ſiſtri aegyptii, aut *κρέσματα* graeci deſignari putant; eo quod feminae, vti Miriam, & filia Iephtae, eo inſtructae legantur. *Τῶν πνευματικῶν* itidem varia erant genera, vt אביב, חָליל, קרן, de quibus plura auctores deinceps laudandi. Sunt porro, qui obſeruant, modulationis rationem deſignari, vel quoad *ordinem canendi* per vices alternatim, quorſum referunt illud לענות *pſal. LXXXVIII. & Exod. XV. 21.* vel quoad *ſonos*, eosque vel ſingulos, vt acutum, עלמות *voces virgineas*, *pſalm. XLVI.* grauem, שמינית *pinguem*, *baſſum*, *pſalm. VI.* medi-

medium vel tenorem, עַל מוּת לַבֵּן *pſalm. IX.* vel omnes iunctim, quo ſpectet שִׁגָּיוֹן *ode erratica*, hoc eſt, mixta, multiplex cantu, quae omnibus muſicae cantionibus decantetur, quod CICERO *ſynodian* graeca voce dixit; *pſalm. VII.*

Verum, ſi dicendum, quod res eſt, haec admodum incerta ſunt, atque dubia; nec interpretes in vocum harum interpretatione inter ſe conueniunt. Exempli loco eſſe poſſunt voces עַל, מוּת לַבֵּן, de quibus tot diuerſae exſtant virorum doctorum ſententiae, quot fere ſunt ſcripturae interpretes, vt apud AVGVST. PFEIFFERVM videre licet, *dub. vex. cent. III. loco LIII. pag. 564. ſeqq.* qui ipſe in eam ingreditur, initium, alicuius cantilenae, tum temporis notae, iis denotari, ad cuius melodiam pſalmus nonus decantandus erat; idque inde probat, quod & aliae dentur eiusmodi inſcriptiones, e. gr. *pſalm LVII.* אַל תַּשְׁחֵת, quorum verborum hic ſenſus ſit, pſalmum hunc decantandum ad modum melodiae tritae, cuius initium אַל תַּשְׁחֵת *ne perdas.* Verum cum ſupra iam obſeruatum ſit, nonnullos & haec verba longe aliter explicare, incertum per aeque incertum probare videtur: quanquam ceteroquin a veroſimilitudine haec ſententia minime abhorreat. De voce סֶלָה *Selah*, quae ſubinde in pſalmis occurrit, vt & hoc addamus, itidem variae exſtant doctorum virorum ſententiae, vt apud eundem PFEIFFERVM videre licet; *loc. cit. cent. III. loc. XLIX. pag. 558-559.* Faciliusque eſſe, aliorum ſententias refellere, quam certi quid pronuntiare, patet ex iis, quae de hac voce differit IACOBVS GVSSETIVS, *comment. lingu. ebr. pag. 560.* Enumeratis enim ſententiis praecipuis, cur nulla illarum admitti queat, oſtendit, ipſe vero tandem concludit, interiectionibus hanc vocem accenſendam eſſe, cuiusnam autem adfectus nota ſit, dici non poſſe; interim concedit, eam a סלה *ſternere, proſternere*, deriuari poſſe. Certe pro mera nota muſica, aut melodiae mutationem, quod LXX interpretes indicant, per διάψαλμα vertentes, aut pauſam vel cantus aliquam intermiſſionem ſignificante, vt praeter alios IO. EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, de *origine ſacrae ſcripturae lib. V. cap. XII. pag. 132.* cenſet, haberi nequit, cum res ipſa pariter ac accentuatio doceat, eam ad ipſum textum quandoque pertinere. Ratio autem NIEREMBERGII; *miraretur prorſus, ſi ſignificatiua fuiſſet, alicuius rei, quae ſpectaret ad ſententiam pſalmi, non fuiſſe explicatam a tot nobilibus interpretibus, qui ſacra biblia verterunt*, nullius plane eſt momenti. Fieri enim vtique poteſt, vt in ſcriptura ſacra aliquid occurrat, quod interpretes lateat. Vt abſoluamus tandem, quae de muſica Ebraeorum dicere incepimus, vox לַמְנַצֵּחַ quae frequens eſt in pſalmorum inſcriptionibus, diuerſimode itidem exponitur. LXX interpretes enim vertunt: εἰς τὸ τέλος, *in finem*, quaſi eſſet לָנֶצַח, ſuffragantibus quibusdam ebraeae gentis magiſtris, vt hymni intelligantur, qui perpetuo cantari

tari debeant. AQVILA & THEODOTION habent: τῷ νικοποιῷ, *ei, qui victoriam praebet*, ac ſi hymnus ἐυχαριςικὸς deſignaretur, SYMMACHVS: ἐπινίκιος, ac ſi triumphale carmen innueretur. Sed hosce ipſum pſalmorum argumentum haud raro refellit. Rectius ſentiunt, qui per מנצח *muſices praefectum*, ſeu *ſymphoniae magiſtrum* intelligunt, cum מנצחים & alias ſint ἐργοδιῶκται, ſiue operis praefecti, & eodem modo verbum נצח quandoque ſumatur, quod exemplis oſtendit THOMAS GATAKERVS, *loc. cit. lib. I. cap. X. p. 234.* Sed de muſica Ebraeorum & inſtrumentis muſicis plura dabunt R. ABRAHAM ARIA Mutinenſis, in libro שלטי הגבורים *cap. IV.* ATHANASIVS KIRCHERVS, in *muſurgia vniuerſali tom. I. lib. III.* SALOMO VAN TILL, de *poeſi & muſica veterum &c. part. I. cap. IV. ſeqq.*

Iam vt de poeſi veterum Ebraeorum etiam aliquid ſubnectamus, de ea iterum in varias ſententias diſcedere viros doctos, nouimus. Et FLAVIVS quidem IOSEPHVS, Ebraeorum poeſin, ex poeſi Graecorum aeſtimans, hexametra, pentametra, lyricaque carmina in ſacro codice ſibi inueniſſe viſus eſt. De Dauide enim verba faciens, ἀπηλλαγμένος, inquit, δ᾽ ἤδη πολέμων ὁ Δαβίδης καὶ κινδύνων, καὶ βαθείας ἀπολαβὼν τὸ λοιπὸν εἰρήνης, ὠδὰς εἰς τὸν Θεὸν, καὶ ὕμνες συνετάξατο, μέτρε ποικίλε· τὲς μὲν γὰρ τριμέτρες, τὲς δὲ πενταμέτρες ἐποίησεν· *Ceterum Dauid perfunctus iam bellis & periculis, & in altisſima pace degens, vario genere carminum, odas & hymnos in honorem Dei compoſuit, partim trimetro verſu, partim pentametro; antiquit. iud. lib. VII. cap. X. pag. 242.* Idem de hymno, quo Moſes laudes Dei ob ſubmerſum in mari rubro Pharaonem celebrauit, ſermonem inſtituens, καὶ Μωυσῆς, inquit, ᾠδὴν εἰς τὸν Θεὸν ἐγκώμιόν τε καὶ τῆς ἐυμενείας ἐυχαριςείαν περιέχουσαν, ἐν ἐξαμέτρῳ τόνῳ συντίθησιν· *& Moſes carmen, laudes Dei & ob praeſentem fauorem gratiarum actiones continens, hexametro verſu compoſuit; loc. cit. lib. II. cap. VII. pag. 68.* Eadem ſententia & PHILONI a quibusdam tribuitur, in quam ex antiquis eccleſiae doctoribus ingreſſus eſt EVSEBIVS atque ORIGENES, ille *praeparat. euangel. lib. II. cap. III.* hic autem apud HIERONYMVM, in *praefat. ad chron. Euſebii.* Et licet IVLIANVS apoſtata EVSEBIVM hoc nomine perſtringeret, apud CYRILLVM ALEXANDRINVM *libr. VII. contra Iulianum* §. *II.* eandem tamen ſententiam calculo ſuo adprobauit HIERONYMVS, in *epiſt.* ad *Paulinum*, & in *praefat.* in *Iobum*, itemque in *chronicon Euſebii:* immo eo vsque progreditur, vt Dauidis carmina cum metro Pindari atque Flacci comparare nullus dubitet. ISIDORVS quoque *Iobum hexametro verſu, dactylo ſpondaeoque decurrere*, ſcribit, *origin. lib. I. cap. XVIII.* Hos vero omnes auctoritas IOSEPHI decepiſſe videtur, quanquam, ſi SALOMONI VAN TILL credimus, eundem non recte intellexerint. Dum enim IOSEPHVS *carminis trimetri & pentametri* mentionem faciat,

ciat, non pedum, ſed cantus ſeu melodiae menſuram eum reſpicere, ita autem locutum, vt ethnici, quid ſibi vellet intelligere poſſent; de *poeſi & muſica veterum part. II. cap. VI. pag. 242.* Sed verba IOSEPHI mitiorem hanc explicationem vix admittunt. Diſerte enim dicit, Dauidem compoſuiſſe carmina *μέτρου ποικίλου*, *varii metri*, *τοὺς μὲν τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους*; quod de ſola menſura ratione cantus & melodiae capi nequit; immo de cantico Moſis dicit, illud *ἐν τόνῳ ἐξαμέτρῳ* compoſitum, quem locum vir doctiſſimus non attigit. Nec mirum, IOSEPHVM talia adſeruiſſe, quippe qui non vno ſpecimine ſuam in lingua & rebus ebraicis imperitiam, & ſummam in adferendo temeritatem, demonſtrauit. PHILONEM contra nonnulli diſerte adſerere aiunt, poeſin ebraeam nec *μέτρα* nec *ῥυθμοὺς* habere; in libro, *quod det. potiori inſid. ſoleat*, *opp. pag. 178.* Verum, eum de arte poetica ibidem *ἀλληγορικῶς* loqui, ipſa loci inſpectio quemlibet condocere poteſt. Licet autem veteres illi audacter adſererent, pſalmos & alia Ebraeorum cantica eo metri genere compoſita eſſe, quod apud Graecos atque Romanos in vſu eſſet, nemo tamen illorum exemplo hoc comprobauit. Quod vt fiat, non ſufficit, hinc inde verſum aliquem pentametrum aut hexametrum demonſtrare, ſed oſtendendum, integrum aliquod carmen tali genere compoſitum eſſe.

Recentiores itaque quidam, cum eiusmodi carmina in ebraeo codice non deprehenderent, id inde prouenire rati, quod ebraeae poeſeos rationem indolemque minus perſpectam haberent, eam inueſtigare adniſi ſunt. Quid FRANCISCVS VATABLVS, ANDREAS MASIVS, MARIANVS VICTORIVS REATINVS, IO. CROIVS, LAVRENTIVS FABRICIVS, NICOLAVS PETRAEVS, THEODORVS EBERTVS, hac de re exiſtimauerint, quidue praeſtiterint, aut praeſtare voluerint, in compendio refert AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. III. loc. XLVI. pag. 530. ſeqq.* Omnibus palmam hac in re praeripuiſſe ſibi viſus eſt FRANCISCVS GOMARVS, celebris reformatae eccleſiae theologus, edita anno M DC XXXVII *lyra Dauidica*, ſeu *noua ebraea ſcripturae ſacrae arte poetica*; in qua quae multo labore & indefeſſo ſtudio excogitauerat, cum eruditis communicauit. Nec deerant, quibus hicce GOMARI conatus non diſplicuit, quos inter IO. BVXTORFIVS, DANIEL. HEINSIVS, LVD. DE DIEV, CONSTANTINVS L' EMPEREVR, aliique. Sed longe aliter iudicarunt alii, qui, regulas metri ebraei a GOMARO traditas ita comparatas eſſe, obſeruarunt, vt per eas quilibet ſermo in metricum facili negotio conuerti poſſit. Id ex inſtituto oſtendit LVD. CAPPELLVS, in *animaduerſionibus* ad *nouam* illam *lyram Dauidis*; cui & hac in re adſtipulantur ABR. CALOVIVS, *critic. ſacr. pag. 377.* CONRADVS DANHAVERVS, *herm. ſacr. pag. 344.* AVGVSTVS PFEIFFERVS *loc. cit. p. 533. 534.* SAL. VAN TILL, de *poeſi & muſica vet. part. II. cap. VII. pag. 241.* in CAPPELLO hoc tamen im-

probans, quod acerbe nimis ſententiam GOMARI perſtrinxiſſet, aliique. Audacia & temeritate GOMARVM & reliquos omnes, qui hac in re aliquid inueniſſe ſibi viſi ſunt, ſuperauit MARCVS MAIBOMIVS, qui metricae Ebraeorum arcanum cum vltimis prophetarum, Ieremia, Daniele, Ezechiele, conſepultum, & exinde omnibus ignoratum, ſibi tandem innotuiſſe, iactitat. Hocce tamen arcanum cum ſibi ſeruare decreuiſſet, donec graui aere ab illo redimeretur, eo nunc mortuo, vna cum illo interiiſſe videtur. Quae hac de re memoriae prodidit, eo redeunt: ſcripturam ſacram veteris teſtamenti certo metro compoſitam eſſe, cuius ratio ſibi ſoli ſit perſpecta, & hocce metrum eſſe principium cognoſcendae corruptionis in textu factae, & faciendae emendationis. Id quod aliquot exemplis declarare voluit, ipſo tamen non prodito metro; tribus ſcilicet editis ſpeciminibus, quae iunctim ſequenti titulo excuſa, proſtant: *Dauidis pſalmi duodecim & totidem ſacrae ſcripturae veteris teſtamenti integra capita, quae noui ſpeciminis loco bibliċarum ſuarum emendationum & interpretationum priſco ebraeo metro reſtituet, & cum tribus interpretationibus adponere voluit Marcus Meibomius*, Amſtelodami M D C XCVIII. At vel ſola ſua iactantia cauſſam prodidit MEIBOMIVS. Et licet nondum conſtet, quale hocce metrum ſit, lubrico tamen id inniti fundamento, facile intelligitur. Si enim infallibile eſſet, infallibilitas eius aut ex reuelatione immediate facta, ex qua profectum eſſet, aut ex ſcriptura ſacra deberet demonſtrari. Si prius ſit, veritatem reuelationis aut miraculis, aut alia ratione demonſtrare auctor prius debet, quam ab aliis exigere poteſt, vt fidem ſibi adhibeant. Ex ſcriptura autem hoc probare nequit, quia ſcripturam corruptam eſſe adſerit, cuius corruptionis cauſſa ſit metri corruptio. Porro, ſi metrum pertinet ad ſubſtantiam codicis ebraei, Chriſti autem tempore iam fuit deperditum, ſequetur, Chriſtum & apoſtolos ex corrupto codice depromſiſſe ſua dogmata; ſequetur, Chriſtum vi officii ſui metrum reſtituere debuiſſe; cumque non reſtituerit, aut Chriſtum non impleuiſſe officium ſuum propheticum, quod dictu impium eſt, aut metrum Meibomianum eſſe reiiciendum. Et hoc quoque ex inſtituto iam profligarunt doctisſimi viri, IOAN. HENR. MAIVS, in *introductione ad ſtudium philologic. crit. & exeget. cap. VIII.* & BRANDANVS HENRICVS GEBHARDI, in *diſquiſitione de metro Marci Meibomii.* Interim non procul a MEIBOMII ſententia diſcedere videtur vir eruditisſimus, HERMANNVS VAN DER HARDT, qui, ſacros vates diuina ſua opuſcula ligata conſcripſiſſe oratione, exiſtimat, idque non ſolum ex toto orationis habitu, ſed & ex remotisſima antiquitate conſtare. Licet autem non indicet, an omnes ſcriptores ſacros veteris teſtamenti per ſacros vates intelligat, eos tamen libros, qui ſpeciatim prophetici vocantur, eum intelligere, ex ſpecimine eius rei patet,

quod

Digitized by Google

quod dedit, in *tribus primis Ioelis elegiis*, Helmſtadii, anno M DCC VI impreſſis. Docet autem, iambos ex veterum ſententia primos fuiſſe, quibus in carmine vſi homines, maximeque natiuos eſſe *trimetros*, ſucceſſiſſe, *tetrametros*, *pentametros*, *hexametros*, immo ſecundum GYRALDVM, aliosque, iamborum vſum, ex ebraea orientisue gente in reliquum orbem tranſiiſſe. *Oriens*, porro inquit, *occidente calidior, non tam ſyllabarum numero, quam pondere, non aeque litterarum multitudine ac modulationis grauitate, totum implet ſermonem.* Indeque, ita pergit, *in carmine & iuſta ſententiarum menſura, pro metro modulatio, indubitatus adfectus index, ſyllabas vocalesue ponderoſas diducit, proindeque ſuaui illa & ardua repetitione numerum elegantiſſime explet. Quae ſyllabarum aut vocalium apta pro re nata & digna intenſio, tacitaque frequens & iuſta ingeminatio, pro inexplicabili adſectus mouendi virtute, in omni cantilena, & apud nos vim adfert maximam.* In prima itaque Ioelis elegia, ad iamborum tenorem hexametros ſibi inueniſſe viſus eſt, qui, eo quidem indice, pro ſuo congruo modulo lecti, auditorem in lacrymas vertant. Ego equidem non negauerim, poſſe ſacri codicis verba hac ratione vtcunque ad metri, vel modulationis potius, leges reuocari: an vero probari poſſit, hoc ipſum eſſe metrum, aut hanc potius modulationem, qua auctor verborum vſus eſt, valde dubito; cum facile ſit, diuerſas modulationis ſpecies excogitare, ex quibus, quam alteri praeferas, merito anceps haereas; immo etiam ſermo proſaicus hac ratione ad metri & modulationis leges vtcunque reuocari poteſt, vt inde minime ſequatur, auctorem etiam hasce leges obſeruaſſe, ſeu non in proſa ſcripſiſſe.

Ceterum ea, quam hactenus expoſuimus, ſententia, poeſin veterum Ebraeorum metri leges obſeruaſſe, eaque ratione cantica, quae in ſacro codice exſtant, fuiſſe compoſita, non tantum plurimis improbatur, ſed nonnulli etiam eo vsque procedunt, vt contendant, in lingua ebraea nullam metri ſpeciem concipi poſſe. Ita IOSEPHVS SCALIGER ſentit, in *animaduerſionib. ad chron. Euſeb. pag. 6.* Nec procul hinc diſcedere videtur SALOM. VAN TILL. *loc. cit. pag. 241.* Quod tamen de eiusmodi forte metro intelligunt, quale in Romanorum & Graecorum poeſi obtinet: nullum enim plane metrum linguam ebraeam admittere, non dixerim, cum ex vocalibus, quibus gaudet, longis & breuibus, ſyllabae longae & breues, & ex harum diſpoſitione diuerſi pedes conſtitui queant. Quicquid huius ſit, cum alii viderent, poeſin metricam in antiquis Ebraeorum canticis carminibusque fruſtra quaeri, rythmicam potius, vel rythmico-metricam in iis quaerere ſecum conſtituerunt, & inueniſſe etiam ſibi perſuaſerunt. Quam eo minus reiiciendam putarunt ſententiam, quod iſta poeſeos ſpecies ob ſimplicitatem & antiquitatem carminibus ſacris ſatis ſic conueniat, eaque etiam apud alias gen-

gentes, immo hodie, apud ipſos Iudaeos, ſit recepta. Praeter alios haec ſententia viro doctiſſimo IOAN. CLERICO placuit, qui & canticum Moſis, quo laudes Dei ob ſubmerſum in mari rubro Pharaonem, celebrauit, *Exod. XV.* & alterum illud *Deut. XXXII.* in *notis ad haec loca* ita diſpoſuit, vt verſus ὁμοιοτελεύτους in iis obſeruare liceat. Eandem ſententiam propugnauit BLASIVS GAROFALVS, in *conſiderationibus de poeſi Ebraeorum & Graecorum*, italice ſcriptis, & Romae anno M DCC VII editis: quarum ſumma in *actis erudit. Lipſ. anno M DCC VIII. menſ. Sept. pag. 397. ſeqq.* recitatur. Verum & hiſce obſtat, quod ſubinde in textu ſacro multa mutanda, transponenda, corrigenda ſint, vt vbique verſus ὁμοιοτελεύτους inueniant. Deinde, nondum probatum, immo vix veroſimile, poeſin rythmicam iam ea aetate in vſu fuiſſe. Et licet nonnulli ex Iudaeis hodiernam poeſin ebraeam, rythmico-metricam, ab vltimis temporibus arceſſant, alii tamen eam recentiorem eſſe, & ab Arabibus ad Iudaeos propagatam, fatentur, vt R. ISAAC ABARBANEL, ad *Exod. XV.* immo nonnulli, hunc morem verſus ὁμοιοτελεύτους faciendi, dignitati & grauitati linguae ebraeae parum conuenientem cenſent, vt auctor libri *Coſri*, *part. II. num. LXXIII. LXXIV.* Haec omnia autem ſi paullo adcuratius conſideremus, facile deprehendemus, de poeſi veterum Ebraeorum nihil aliud dici poſſe, quam eam tum in ſtili ſublimitate, tum in vocum ad muſicam quadam adcommodatione, conſtitiſſe. Sane in pſalmis aliisque canticis ſtilum ſublimiorem, aut ſaltem diuerſum ab eo eſſe, qui in libris hiſtoricis deprehenditur, ipſa inſpectio quemlibet condocere poteſt. Atque in eiusmodi ſcriptis, quae ad muſicam non erant adcommodata, ſola, vt puto, ſtili ſublimitas & eleuatio totam poeſin abſoluebat. Quae autem decantari debebant, vt pſalmi, in iis etiam, quoad numerum & dimenſionem vocum, certa ad muſicam adcommodatio accedebat. Hoc ſane ipſa muſices poſtulabat ratio, & vel ex pſalmis luculentiſſime conſtat. Huc fere etiam redit ſententia SALOMONIS VAN TILL, ſaltem in eo conſentit, poeſin veterum Ebraeorum in adcommodatione quadam ad muſicam conſtitiſſe; de *poeſi & muſica veterum libr. II. cap. VII, pag. 247.* quorſum & AVGVSTVS PFEIFFERVS tendit, *dub. vexat. cent. III. loc. XLVI. pag. 537.* it. IVLIVS BARTOLOCCIVS DE CELLENO, *bibliothec. rabbin. magna part. II. pag. 244. ſeqq.* vbi & plurima de poeſi & muſica Ebraeorum, ex rabbinorum ſcriptis congeſta, legere licet; conf. & NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtament. aet. mundi IV. diſſertat. XXV. pag. 81.* De dignitate & excellentia pſalmorum, & aliis, quae de iis adhuc moneri poterant, conf. IOAN. HENRICVS HEIDEGGERVS, in *enchirid. bibl. libr. I. cap. XXXVII.* & GEORGIVS SERPILIVS, *loc. cit. cap. VIII. pag. 468. ſeqq.* De *titulis* autem *pſalmorum* peculiari eoque erudito opere egit CHRISTOPHORVS SONTA-

GI-

givs, theologus Altorffinus celeberrimus.

* Praeter pſalmos inter ſcripta huius aetatis referendi ſunt duo libri Samuelis; qui in graeca & latina vulgata verſione, *primus & ſecundus regum* audiunt, haud dubie, quia regii ſtatus in gente Iſraelitica introductio in iis deſcribitur; quanquam prior denominatio praeferenda ſit, vt ex dicendis patebit. De auctore equidem horum librorum, adeoque & de aetate, non vna omnium eſt ſententia. Sunt namque, qui a Ieremia demum, adeoque longe poſt hanc, de qua loquimur, aetatem, eos compoſitos autumant, eo quod recentioris aeui quaedam veſtigia ſibi in iis ſe deprehendiſſe videantur. Ita ex Ebraeis R. ISAAC ABARBANEL ad *I. Sam. IX. 9.* & ex chriſtianis HVGO GROTIVS, ad *eund. loc.* itemque in *praefat. ad lib. I.* qui & in ſermonis ſimilitudine argumentum, quo hanc ſententiam confirmaret, ſibi inueniſſe viſus eſt, quam tamen *non ſatis probabilem cauſſam* eſſe, haud immerito pronuntiat PETRVS DANIEL HVETIVS *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. m. 248.* Obſeruatum nonnullis, a concilio Francofurtenſi, a Carolo magno, imperatore, circa finem ſeculi octaui conuocato, hos libros ſub nomine Ieremiae allegari: quod vt per errorem fieri potuit, ita iſtius concilii nullam hac in re eſſe auctoritatem, vel me non monente, quilibet intelligit. Recepta, pluriumque calculo adprobata ſententia eſt, priora viginti quatuor libri prioris capita, ipſum Samuelem auctorem agnoſcere, reliqua vero eiusdem libri, vti & omnia poſterioris, a Gado atque Nathane vatibus eſſe conſcripta. Ita Ebraeorum magiſtri in *tractat. talmud. babba bathra cap. I.* pronuntiant, quibus ex antiquis eccleſiae doctoribus THEODORETVS, GREGORIVS magnus, aliique plurimi, praeterea ex recentioribus, & ex pontificiis quidem, PETRVS DANIEL HVETIVS, *loc. cit.* ex noſtratibus, ABR. CALOVIVS, ad *I. Sam. IX. 9.* MICHAEL WALTHERVS, in *officina biblica*, §. *M CCC LVI. pag. 516.* aliique, magno numero GEORGIO SERPILIO, in *perſonalibus*, vt vocat, *Samuelis cap. I. pag. 7.* laudati, adſtipulantur. Nec ſane fundamento haec ſententia deſtituitur, cum *I. chron. XXIX. 29.* diſerte dicatur: *res autem Dauidis regis, priores atque poſteriores, eae ſcriptae ſunt, in verbis Samuelis videntis, & in verbis Nathanis prophetae, & in verbis Gadi videntis.* Quae quidem verba de commentariis, in quibus res geſtae Samuelis, Gadi & Nathanis deſcriptae fuerint, capi neutiquam poſſe, iam ſupra ad §. *XXII.* docuimus. Quod ſi ergo Samuel, Gad atque Nathan ea, quae a Dauide geſta ſunt, litteris conſignarunt, non video, quid impediat, quo minus hoc de libris Samuelis, in quibus res Dauidis potiorem partem conſtituunt, capiamus. Obſtare equidem videtur, quod nonnulla in his libris occurrant, quae aetate Samuelis, Gadi, & Nathanis ſint recentiora, quorum praecipua in vnum collecta praeter BENED. DE SPINOZA, *tractat. theolog. polit. cap. VIII.* ex-

Digitized by Google

exhibet RICHARDVS SIMON, *hiſtor. crit. veter teſtament. libr. I. cap. VIII.* LVD. ELIAS DV PIN, *diſſertat. prelim. ſur la bibl. lib. I. cap. III. §. V. pag. 81.* & IOANNES CLERICVS, *diſſertat. de ſcriptorib. libror. hiſtoric. §. V.* qui tamen fatetur, hos libros maxima forte ex parte ex verbis Samuelis, Nathanis & Gadi, depromtos fuiſſe. Sed haec ita comparata ſunt, vt haud difficulter ad ea reſponderi queat, & ſubinde etiam a viris doctis reſponſum ſit. Nonnulla quoque ipſi iam in praecedentibus attigimus, cuiusmodi illud eſt, quod *I. Sam. IX. 9.* occurrit, vbi olim *videntes* dictos, memoratur, qui Samuelis aetate *prophetae* vocati ſint, qua de re ſupra ad §. *III.* huius ſectionis, dictum. A Samuele ipſo XXIV capita libri prioris profecta, nonnulli propter laudes, quibus Samuel in iis cumulatur, dubitant, minus veroſimile putantes, eas ipſum Samuelem ſibi tribuiſſe. Verum, ſi laudes illas, tanquam veritatis teſtimonium, aut etiam innocentiae contra iniquos obtrectatores vindicationem ſpectemus, non video, cur non ab ipſo Samuele proficiſci potuerint. Interim nihil abſoni fuerit, ſi dicamus, hosce libros quidem viros antea memoratos, Samuelem, Nathanem & Gadum auctores agnoſcere, qui ex diuina inſpiratione ea, quae in iis continentur, ſcripſerint; extitiſſe tamen mox poſt illorum aetatem, prophetam quendam ſeu virum θεόπνευστον, qui eos in eam, quam hodie habent, formam diſpoſuerit, & forte hinc inde quaedam inſeruerit. Quae ſententia vti receptae illi non repugnat, nec quidquam incommodi ſecum vehit, ita per eam cuncta promte dubia tolli poſſunt. Quod ISIDORVS, *orig. lib. VI. cap. II.* tradit, ipſum Dauidem res ſuas litteris conſignaſſe, nullo idoneo argumento probari poteſt. Plura hac de re praeter alios dabunt PETRVS DANIEL HVETIVS, *loc. cit.* NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtament. aetat. mundi IV. diſſertat. XXV. pag. 89. ſeqq.* IOAN. HENRIC. HEIDEGGERVS, *enchirid. bibl. cap. X.* cumprimis autem vir clariſſimus IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introductione ad libros hiſtoricos biblior. veter. teſtament.* non ita pridem edita, *cap. XII. §. II. ſeqq. pag. 213. ſeqq.*

** Samuelem librum de *iure maieſtatis* ſcripſiſſe nonnulli tradunt; vid. IOAN. BODINVS, de *republ. libr. I. cap. X.* Et ſane *ius regni* populo recitaſſe, atque conſcriptum in libro coram domino repoſuiſſe, *I. Sam. X. 25.* diſerte dicitur. Eum in hocce libro de regis auctoritate, & poteſtate in populum egiſſe, R. LEVI BEN GERSON coniicit; alii autem non tam de iure, quam de more, ſeu abuſu regiae poteſtatis eum egiſſe, & incommoda cladesque inde orituras praedixiſſe, autumant. vid. SCIPIO SGAMBATVS, *archiuor. veter. teſtament. libror. II. tit. XIX. pag. 281.* MELCHIOR LEIDEKKERVS ſupponens, per משפט המלך *ius regis*, *I. Sam. VIII. 11.* non morem, ſed ius legitimum intelligi, Samuelem, legem hanc ſeu ius legitimum fuſius explicuiſſe, exiſtimat; de *republ. Ebraeor. libr. VII. cap. IV. §. III. pag. 431.* Sed per משפט מלך rectius morem ſeu conſuetu

tudinem intelligi, ad §. *XXV.* huius ſectionis docuimus. Praeterea ius illud, quod in libro Samuel conſignauit, non *ius regis*, ſed משפט המלוכה *ius regni* dicitur. Adeoque aut a priori diuerſum hoc fuit, aut, ſi vnum idemque, dicendum, quod de ſtatus regii incommodis, deque abuſu cuitando, in hocce libro egerit; vti iam ſupra ad §. *III.* huius ſectionis, nobis obſeruatum. Inter ſcripta Dauidi perperam tributa, primum locum tenet pſalmus CLI, qui in quibusdam codicibus verſionis graecae LXX interpretum, tum & in arabica, ſyriaca & aethiopica verſione, exſtat. In ipſa inſcriptione docetur, hunc pſalmum eſſe extra numerum, ſcilicet centum & quinquaginta pſalmorum, a Dauide tamen eſſe compoſitum: *ἔτος ὁ ψαλμὸς ἰδιόγραφος εἰς Δαβὶδ καὶ ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ, hic pſalmus proprie ſcriptus Dauid & extra numerum.* Additur argumentum: *ὅτε ἐμονομάχησε τῷ Γολιάθ, cum pugnauit cum Goliath.* In ipſo pſalmo dicitur, quod ipſe Dauid inſtrumenta muſica confecerit: *αἱ χεῖρές μου ἐποίησαν ὄργανον, καὶ οἱ δάκτυλοί μου ἥρμοσαν ψαλτήριον; manus meae fecerunt organum, & digiti mei aptauerunt pſalterium.* Quod licet aliunde non conſtet, fidem tamen non prorſus ſuperat. Suppoſititium huncce pſalmum eſſe, non tam inde conſtat, quod numerus pſalmorum tantum CL eſſe debeat, cuius rei rationes myſticas nonnulli ex antiquis eccleſiae doctoribus ſibi inueniſſe viſi ſunt; quam quod in codice ebraeo non legatur. ATHANASIVS tamen, vel quisquis auctor eſt ſynopſeos ſcripturae, quae exſtat *tom. II. opp. Athanaſii*, eum videtur pro genuino habuiſſe. Etenim pſalterium Dauidicum habere pſalmos *CLI. pag. 57.* pronuntiat, & *pag. 89.* inter pſalmos, qui tantum Dauidis ſunt proprii, etiam centeſimum quinquageſimum primum refert; ſed & alibi eiusdem meminit. Plura de hocce pſalmo dabunt PAVLVS COLOMESIVS, in *obſeruationib. ſacr.* operum Hamburgi iunctim editorum *pag. 65.* NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtament. aetat. mundi IV. diſſertat. XXIV. prop. II. pag. 80.* IOANN. ALBERTVS FABRICIVS, in *cod. pſeudepigrapho veter. teſtament. num. CLXXV. pag. 905.* & ſequentibus, vbi & pſalmum ipſum cum metaphraſi APOLLINARIS LAODICENI, & OLYMPIAE FVLVIAE MORATAE exhibet; itemque GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Dauidis, part. II. cap. VI. pag. 456.* vbi de numero pſalmorum ex inſtituto diſſerit. Quodſi auctori *appendicis* ad *ſynopſin ſcripturae tom. II. opp. Athanaſii. pag. 157.* aut potius IOSEPHO chriſtiano in *hypomneſtico lib. II. cap. CXX.* (hinc enim appendicem illam deſumtam, viris eruditis obſeruatum) credendum, Dauid ter mille pſalmos ſcripſit, ex quibus centum illi & quinquaginta, quos habemus, ab amicis regis Ezechiae fuerint ſelecti. Verba eius ſunt: *ψαλμοὺς τρισχιλίους λέγεται ἐν παραλειπομένοις εἶναι τοῦ Δαβίδ· μόνους δὲ ἐξ αὐτῶν τοὺς ρν᾽ ὑπὸ τῶν φίλων Εζεκίου τοῦ βασιλέως ἐξελέχθαι, τοὺς δὲ*

 ἄλλους

ἄλλας ἀποκεκρύφθαι. *De pſalmis Dauidis legitur quidem in paralipomenis, eos fuiſſe numero ter mille: ex illis tamen centum quinquaginta tantum, ab amicis regis Ezechiae ſelecti, reliqui autem abſconditi ſunt.* Verum ſe ipſum auctor hicce mendacii redarguit, cum in libris paralipomenon eiusmodi quid de Dauide non legatur; vnde maximopere mirandum, SCIPIONEM SGAMBATVM auctori huic, quem pro Athanaſio habet, fidem adhibere, *archiuor. veter. teſtament. tit. XX. pag. 285.* De *lamentatione Dauidis in mortem Ionathan & Saul*, quam itidem nonnulli inter ſcripta Dauidis, nec ſine ratione, referunt, quae dici poſſunt, iam ſupra ad §. *XIV.* huius ſectionis, occupauimus. De reliquis autem ſcriptis Dauidi tributis, vt *colloquio Dauidis cum Deo de ſui probatione*; item, de *bonitate amentiae*; item, de התקנות ſeu *conſtitutionibus non ſcriptis, quas Iudaei ad Moſen & Dauidem referunt*; porro de מגן דוד ſeu *ſcuto Dauidis contra incendia, & centum benedictionibus*, conferendus ſaepe nobis iam laudatus IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, *cod. pſeudepigr. veter. teſtam. num. CLXXVIII. ſeqq. pag. 1000. ſeqq.* & de quibusdam ex memoratis, tum & aliis, SCIPIO SGAMBATVS, *archiuor. veter. teſtament. lib. II. tit. XX. pag. 283. ſeqq.* De ſcriptis autem Salomoneis tum veris, tum falſis, & ſuppoſititiis, in ſequentibus dicemus.

§. XXVII.

Idololatriam etſi ſummo ſtudio exſtirpare ex gente Iſraelitica adniſus fuerit Samuel, & deinceps Dauid, puri & genuini Numinis cultus ſtudioſiſſimi, nihiloſecius ſemina quaedam ſemper remanſerunt. Ipſe Saul, qui laudabili inſtituto pythones & hariolos ex gente hacce eiecerat, pythoniſſam poſtea, cum nulla a Deo reſponſa acciperet, quaeſiuit conſuluitque.* Apud reliquas gentes cum impietate ſuperſtitio in tantum incrementa capiebat, in quantum magis magisque ignorantiae & errorum tenebris immergebantur.**

* Priusquam Samuel iudicis munus ſuſciperet, erant inter Iſraelitas, qui idola, ſpeciatim Baalim & Aſtharoth, colerent, aut ſaltem horum cultum cum cultu veri Numinis coniungerent, vt ex *I. Sam. VII. 3.* colligitur. Hisce autem cum non tantum Samuel acriter ſe opponeret, ſed idem etiam Dauid faceret, nulla fere idololatriae in hocce temporis interuallo, in gente ebraea deprehendere licet veſtigia. Immo ipſe etiam Saul, etſi ceteroquin rex improbus, ſuperſtitioſas tamen, magicasque minime tolerauit artes: vnde & idola quaeuis eum, quantum potuit, e medio ſuſtuliſſe, vt credamus, par eſt. Superfuiſſe tamen reliquias ſuperſtitionis, artiumque magicarum, ipſius Saulis, ad vltimam perniciem properantis, exemplo, condo-

docemur. Cum Philiſtaeorum exercitus immineret, nec declinare proelium poſſet, ad id autem committendum non ſatis animi eſſet, ingenti terrore perculſus, de rei exitu dominum conſuluit. A quo cum nihil reſponſi, nec per inſomnia, nec per vrim & thummim, nec per prophetas acciperet, ſtultitiam cum ſumma improbitate coniungens, hariolos conſulere ſecum conſtituit, quod lege diuina vetitum eſſe non ignorabat. Mira hominis caecitas, exiſtimantis, hariolos reuelare ſibi poſſe, quae Deus reuelare nolebat, aut ſe hac ratione vel inuito Numine belli euentum intellecturum, aut quae aliae cogitationes, his forte adhuc ineptiores, illum ad iſtud facinus impulerunt. Cum ergo ex ſeruis ſuis cognouiſſet, mulierem בעלת אוב *necyomantin* Endore habitare, mutatis veſtibus, ad mulierem illam, duobus comitatus viris, venit, & ad eam, *diuina*, inquit, *mihi* באוב *in Ob, & fac, vt is adſcendat, quem tibi dixero*. Per אוב tum alibi, tum & hic ſpiritum malignum denotari, qui certis artibus eliciebatur, vt euocaret mortuorum manes, qui reſponderent ad ea, quae ex iis quaerebantur, aut alia quacunque ratione futura indicaret, iam ſupra obſeruauimus ad *period. II. ſect. I.* §. *XXXVI.* Vnde &, quid בעלת אוב ſit, intelligitur, mulier ſcilicet, quae talem ſpiritum habet, cuius beneficio mortuorum euocare manes, ſaltem ex hominum perſuaſione, & futura praedicere poſſet. Nec quidquam hac de re addere neceſſe eſſet, niſi operae pretium ducerem, ſententiam ſingularem doctiſſimi viri, PETRI IVRIEI, proponere atque expendere. Is namque initio eos reprehendit, qui per אוב *ſpiritum Pythonis* intelligunt, & porro errorem errore cumulantes, eos, qui ſpiritum Pythonis habebant, etiam *ventriloquos*, ſeu ἐγγαστριμύθους fuiſſe, autumant. Enim vero eos, qui ſpiritum Pythonis habebanr, non ſtatim fuiſſe ἐγγαστριμύθους, vel ex *Actor. XVI. 16.* liquere, vbi ancilla, quae ſpiritum Pythonis habebat, alta tamen voce clamabat: *hi homines ſunt ſerui Dei ſupremi.* Idem & aliis rationibus confirmat, quas repetere neceſſe non eſt. Ab vtrisque autem, tum ἐγγαστριμύθοις, tum illis, qui ſpiritum Pythonis habebant, diuerſos fuiſſe בעלי אוב *dominos Ob*, hoc eſt, *necromantas*, qui, ſe artem euocandi mortuorum manes callere, profitebantur, quos quis vellet, & poſſe ſe eos ſub viſibili forma ad colloquium ciere, ac ſiſtere *mediante* אוב *vaſe quodam aqua pleno, in quo defunctorum imagines cernebantur, audita ſimul ſubobſcura euocatorum manium voce, velut ex terrae cauernis prodeunte.* Varias nimirum necromantiae fuiſſe ſpecies, idem auctor docet, quas inter & illam refert, in qua mortui in forma viſibili exhibiti ſint, ſimulque vox intelligibilis ab iis audita ſit. Hanc iterum pro diuerſitate inſtrumentorum, quibus in euocandis mortuis vſi ſint necromantae, diuerſimode denominatam. Dictam namque κατοπτρομαντείαν, quando mortuorum ſpecies in ſpeculo fuerint ex-

Digitized by Google

exhibitae; *γαϛρομαντέιαν* autem, quando in vaſe profundo, quod Graecis *γάϛρη*, defunctorum ſpecies adparuerint; *ὑδρομαντέιαν*, quando in aqua eiuſmodi ſpecies ſe videndas dederint. Vltimi generis fuiſſe *τὸ* אוב *Ob*, de quo hic ſermo eſt, vbi in aqua pura & limpida imagines adparebant, ſimulque ſonus velut e longinquo aut e terra veniens audiebatur, & interrogantem de re, quam ſcire cupiebat, certiorem reddebat. Hanc ſuam ſententiam primo inde probat, quod vox אוב ſignificet *vas amplum & profundum*, & velut *ventroſum*, Graecis *γάϛρα*, cui etiam vox antiqua Latinorum *obba* reſpondeat. Deinde, quod hac ratione omnia, quae de בעלת אוב, quam Saul conſuluit, rite ſibi conſtent. Quorſum inter alia & illud refert, quod locus, in quo mulier haecce habitauit, עין דור *fons perennis* vocetur, haud dubie ob aquas limpidas, quibus in hocce necromantiae genere vſa ſit. Denique & reliqua ſcripturae loca, in quibus vox אוב occurrit, ſpeciatim *Eſa. XXIX. 4.* eandem confirmare explicationem exiſtimat. Ita quidem IVRIAEVS, *hiſtor. crit. dogm. & cult. &c. part. III. tract. II. cap. V. pag. 469. ſeqq.* cuius ſententiam non tantum calculo ſuo adprobat, ſed vlterius quoque ſibi exornandam ſumſit vir clariſſimus SALOM. DEYLINGIVS, *obſeruat. ſacrar. part. II. obſeruat. XVIII. §. XIV. ſeqq. pag. 200. ſeqq.*

Qua de re ſi & mihi, quid ſentiam, dicere liceat, primo quidem, quod viri doctiſſimi adſerunt, diſcrimen inter *ἐγγαϛριμύθες* & habentes ſpiritum Pythonis, interceſſiſſe, rectiſſime ſe habet. Vt autem ob Pythii Apollinis celebritatem, qui futura praedicebant, *ſpiritum Pythonis* habere dici poterant, ita & vice verſa a peculiari ſpecie, ſcilicet *ventriloquorum*, generatim, qui futura praedicebant, quocunque hoc fieret modo, *ἐγγαϛριμύθοι* dici poterant, etſi reuera non eſſent ventriloqui. Deinde & illud lubentiſſime concedo, בעלי אוב & ab *ἐγγαϛριμύθοις*, & ab habentibus ſpiritum Pythonis, diſtinguendos, quippe qui necromantae fuerint. Namque & hoc prorſus cum iis conuenit, quae ſupra ad *period. II. ſect. I. §. XXXVI.* hac de re monuimus. Hoc ſolum ſupereſt, an per אוב vas aliquod aqua plenum, in quo imago hominis mortui, qui euocabatur, ſe exhibuerit, denotetur, adeoque, quod hic de בעלת אוב dicitur, de *ὑδρομαντέια*, vel *γαϛρομαντέια*, aut, vt PSELLVS vocat, *λεκανομαντέια* intelligendum ſit? Quod vox אוב in propria & genuina ſignificatione *vtrem* ſignificet, vel ex *Iob. XXXII. 19.* conſtat, & eruditi fere, paucis exceptis, inter ſe conſentiunt. Et ex hac ſignificatione altera, qua ad ſpiritum Pythonis, aut etiam *νεκρομαντέιαν* transfertur, commode deriuari poteſt, etiamſi de *ὑδρομαντέια* & *γαϛρομαντέια* non cogitemus. Nimirum, qui ſpiritu Pythonis corripiebantur, vehementiſſimis agitabantur motibus, tanquam a daemone obſeſſi; ſecundum illud VIRGILII:

At

At Phoebi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum: tanto magis ille fatigat,
Os rabitum, fera corda domans, fingitque premendo.

aeneid. lib. VI. num. 77. ſeqq. Subinde vero & venter vtris inſtar inflabatur, vt in obſeſſis a daemone fieri ſolet. Hoc vero licet non in omnibus diuinationum generibus fieret, contigit tamen, quod & alias non infrequens eſt, vt denominatio hinc deſumta ad omnes, etiam *νεκρομάντας*, extenderetur. Pari ratione ac vox *ἐγγαστριμύθος* generatim de diuinationibus quibusuis ſubinde vſurpatur, etſi proprie & ſpeciatim tantum ventriloquos denotet; quod non tantum concedit, ſed & variis exemplis ipſemet PETRVS IVRIAEVS comprobat, *loc. cit. pag. 475.* ſuffragantem ea in re ſibi habens virum doctiſſimum, SALOM. DEYLINGIVM, *l. c.* §. *XXII. pag. 205.* Recte namque hac ratione reſpondent ad auctoritatem LXX interpretum, qui אעלת אוב vertunt per *ἐγγαστριμύθος*, Aut enim in latiori ſignificatione hac voce vtuntur, vt *νεκρομάντιν* etiam ſignificet, aut dicendum, eos vocem ebraeam perperam tranſtuliſſe. Iam ad reliquas rationes, quibus viri doctiſſimi pro *ὑδρομαντείᾳ* & *γαστρομαντείᾳ* pugnant, quod attinet, illae, ni fallor, ita comparatae ſunt, vt id, quod cupiunt, non euincant. Quae enim in hacce Saulis hiſtoria referuntur, commode explicari poſſunt, vt ad *γαστρομαντείαν* confugiendum non ſit. Dicebat enim Saul ad mulierem: *diuina mihi* באוב, hoc eſt, per ſpiritum, cuius beneficio mortuos euocare potes, *& fac, vt is adſcendat, quem tibi dixero.* Immo repugnat diſerte, quod mulier ad Saulem dicit: *vidi Deos e terra adſcendentes.* Si e terra adſcendentem Samuelem vidit, ergo non in aqua, aut vaſe quodam profundo. Scripturae loca & reliqua, quae adferuntur, id quidem probant, de *νεκρομαντείᾳ* vocem אוב rectiſſime explicari, minime autem de ſpiritu Pythonis: qua in re viri doctiſimi me ſecum conſentientem habent: at ad *γαστρομαντείαν* vel *ὑδρομαντείαν* probandam ea nihil faciunt. Quod etiam PETRVS IVRIAEVS de loco, in quo mulier illa habitauit, עין דור dicto, adfert, longius petitum eſſe, nemo non videt.

Sed, vt reliqua exſequamur, cum Saul mulierem, ne artis ſuae exercitium periculum ſibi ob ipſius interdictum adferret, bono animo eſſe iuſſiſſet, & iureiurando quod illa res nullum periculum ei creatura eſſet, confirmaſſet, ſeque, vt Samuel euocaretur, velle, declaraſſet, mulier etiam, quod iuſſa fuerat, fecit. Cum ergo diſerte dicatur, quod Samuelem viderit, & ex habitu etiam, quem mulier deſcripſit, Saul ipſe collegit, Samuelem eſſe, quem mulier euocauerat, magna hac de re inter eruditos orta eſt disceptatio, fueritne reuera Samuelis anima, an daemonis mali formam

Samue-

Samuelis adſumentis illuſio, an omnino merae mulieris, artem euocandi mortuos profitentis, praeſtigiae? Sunt enim primo nonnulli, qui cum PLATONE, PORPHYRIO, aliisque, animas poſt mortem quandoque redire & adparere, ſupponentes, ipſum Samuelem reuera Sauli adparuiſſe, exiſtimant; immo & hoc ipſo exemplo, animas mortuorum quandoque adparere, aut etiam euocari poſſe, comprobare adnituntur. Hinc ipſam Samuelis animam, a muliere necromantiam profeſſa, ex inferis euocatam, Sauli adparuiſſe, ex antiquis eccleſiae doctoribus ORIGENES adſeruit, in *I. reg. XXVIII.* quam tamen eius ſententiam METHODIVS atque EVSTATHIVS peculiaribus ſcriptis confutarunt: ex quibus illius non amplius exſtat, huius autem *de engaſtrimytho* librum contra ORIGENEM, ab interitu vindicauit, ediditque LEO ALLATIVS. Reliquorum veteris eccleſiae doctorum diſcrepantes hac de re fuere ſententiae: ipſam tamen animam Samuelis Sauli adparuiſſe, IVSTINVS martyr, in *dialogo cum Tryphone pag. 333.* AMBROSIVS, in *cap. I. Lucae,* AVGVSTINVS, de *cura pro mortuis gerenda cap. XV.* aliique, adſerunt. Eandem ſententiam Iudaeorum magiſtri calculo ſuo adprobant, vt vel ex MENASSE BEN ISRAEL liquet, de *reſurrect. mort. lib. II. cap. VI.* itemque Romanenſium ſacris addicti, vt cum animarum adparitionibus purgatorium ſuum eo rectius defendere queant; VT ROBERTVS BELLARMINVS, *ib. II. de purgator. cap. VI.* MART. DELRIO *diſquiſit. mag. lib. II. qu. VI.* aliique. NATALIS ALEXANDER, more ſuo ſcepticum agere videtur. Mentem enim ſuam hac de re explicarurus, primo ait: *Saul Pythoniſſam conſulens, a vero Samuele ſuam ſuorumque proximam cladem didicit &c.* ſtatim autem addit: *Probabilis nihilominus eorum ſententia, qui, daemonem ſub Samuelis phasmate adparuiſſe, & Sauli reſpondiſſe, cenſent; hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi IV. diſſertat. XXIII. pag. 68.* Haec verba, qui conſiderat, eum poſteriorem ſententiam priori praetuliſſe, exiſtimare poſſet. Sed ſecus ſe rem habere, patet ex iis, quae in ſequentibus hac de re in medium adfert. Ad rem ipſam quod attinet, verum quidem eſt, quod ille, qui Sauli adparuit, ſe pro Samuele venditauerit. Ita enim eum adloquitur: *Quare commouiſti me, ad educendum me? Quare rogas me, & dominus receſſit a te, & exſtitit hoſtis tuus, & faciet dominus, vt locutus eſt per manum meam, &c.* Ipſe etiam Saul, qua erat ſuperſtitione & dementia, pro vero Samuele illum, qui ei adparebat, agnoſcebat. Nihiloſecius multa, quo minus pro vero Samuele haberi queat, obſtant. Si enim ipſe Samuel fuit, aut de corpore, aut anima eius, hoc erit intelligendum. Corpus Ramae ſepultum erat, & haud dubie maximam partem diſſolutum, & in cineres redactum; adeoque non ſine magno miraculo componi iterum, & Endorem transferri, potuiſſet. Anima autem Samuelis poſt mortem in beato-

beatorum ſedes erat translata, ex quibus quo pacto artibus necromanticis excitari, & in terram retrahi potuerit, nemo profecto ſecus ſentientium dixerit. Idque plane abſonum eſſe, cum ipſimet videant, vt hinc ſe expediant, *non artibus pythonicis* (aut necromanticis) *eam euocatam*, aiunt, *ſed Dei prouidentia & imperio*. Ita cum reliquis NATALIS ALEXANDER. Sed cum artes tamen necromanticae praeceſſerint, ſequetur, Deum artibus hiſce hoc dediſſe, vt animam Samuelis ex coelo mitteret; quo ipſo & Saul, alique, in ea confirmari ſſere ſententia, ac ſi magicarum artium ea vis ac efficacia eſſet, vt animae beatorum ex coelo iis euocari poſſint. Quod quo pacto cum iuſtitia & ſanctitate diuina conſiſtere queat, non video. Praeterea, cum Deus Saulem indignum iudicauerit, cui per vrim & thummim, aut per vatem reſponderet, quis credat, eum in ipſius gratiam animam beatam e coelo mittere voluiſſe, a qua imminentia ſibi fata condoceretur? Accedit, quod perſonatus ille Samuel ad Saulem dicat: *cras tu & filii tui mecum eritis*. Hoc enim mendacium erat, cum Saulem beatorum numero non temere quis adſcripſerit, adeoque in verum Samuelem, ſeu animam eius, non cadebat. Vrgent, qui ſecus ſentiunt, teſtimonium Siracidis, *cap. XLVI. 23.* ex quo id quidem diſcere licet, iam ea aetate inter iudaeos fuiſſe, qui hanc ſententiam tenerent; ideo autem, eam veram eſſe, non ſequitur cum huncce librum pro canonico & diuinitus inſpirato non agnoſcamus. Nec obſtat, vocari tamen eum, qui Sauli adparuit, Samuelem. Id enim ideo fieri, quod malignus ſpiritus formam Samuelis adſumſiſſet, & pro Samuele ſe venditaret, pro eo etiam a Saule haberetur, manifeſtum eſt. Sed nec illud obſtat, quod praedictiones eius impletas, aiunt, dum dixit; *cras tu & filii tui mecum eritis, &c.* Primo enim in his ipſis verbis mendacium contineri, ſi ſtatum Saulis poſt mortem eius ſpectes, iam antea obſeruauimus. Deinde, quod ad mortem eius attinet, ſi vocula *cras* proprie & ſtricte ſumatur, nondum euictum eſt, praedictioni huic euentum reſpondiſſe, cum adhuc plane incertum ſit, an altero ſtatim poſt praedictionem illam die, proclium illud infelix cum Philiſtaeis commiſſum ſit, vt ſupra ad §. *XIII.* huius ſectionis, obſeruauimus. Quodſi generatim pro tempore futuro accipiatur, tum quidem vtcunque euentus praedictioni reſpondet, ſed eiusmodi hoc eſt, vt infernalis genius ex coniecturis variis illud colligere potuerit, vt ideo de vero Samuele, ſeu eius anima, hoc intelligere neceſſe non ſit.

Primam ergo cum hactenus conſiderauimus ſententiam, miſſa tantiſper media, ad vltimam accedimus. Haec illorum eſt, qui in alterum velut extremum procurrentes, nec animam Samuelis euocatam, nec maligni ſpiritus interceſſiſſe operam, ſed meras vafrae mulieris fuiſſe praeſtigias, contendunt. Ita ſtatuunt, qui ſpirituum aut operationes, aut omnino exſiſtentiam, in dubium vocant, quibus hoc ipſum,

ipſum, de quo diſputamus, exemplum, vel maxime obſtat, ſpeciatim BALTHASAR BECKERVS, in *mundo faſcinato, lib. III. cap. VI.* ANTONIVS VAN DALE, in *diſſertat. de diuinationib. idololatr. ſub veter. teſtam.* quae addita eſt diſſertationibus eius *de origine & progreſſu idololatriae, cap. IX. pag. 620. ſeqq.* & de *orac. veter. gentil. diſſert. I. cap. II. pag. 24.* quibus & REGINALDVM SCOTVM, aliosque addit SAL. DEYLINGIVS *loc. cit.* §. *VIII. pag. 197.* Et ANTONIVS quidem VAN DALE nihil hic ſibi deprehendere videtur, quod non a praeſtigiis & fraudibus callidae mulieris proficiſci potuerit. Saulem regem illi non fuiſſe ignotum, etſi tum demum ſe hoc didiciſſe ſimulauerit, cum Samuelem ſe videre fingeret: eandem mulierem, cum videret, Saulem in ſumma anguſtia conſtitutum, & ſuperſtitioni deditum, facile ſimplicitate & ſtultitia eius abuti potuiſſe, eique adeo, quae vellet, perſuadere. Cumprimis vrget, tragoediam hanc per ſolam mulierem actam, idque ea ratione, vt Saul neminem videret, ſed tantum vocem Samuelis audire ſibi videretur, quam imitari non difficile fuerit mulieri callidae. Hinc & Saulem illam interrogare, quid videat? cui & reſpondeat, ſe videre אלהים hoc eſt, viros principes, dignitate pollentes, & habitum dignitati ſuae conuenientem prae ſe ferentes. In reſponſo denique, quod ſub ſpecie Samuelis mulier Sauli dederit, nihil contineri, quod non in mulierem iſtam, omnes fallendi artes egregie edoctam, cadat; & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Nonnulli, qui eandem ſententiam defendunt, mulierem fuiſſe ἐγγαστριμύθον, contendunt, ſed talem, quae absque maligni ſpiritus ope, ſola arte & exercitatione voces quasdam obſcuras in ventre formaret, quae audiri ab adſtantibus poſſent, etſi illa ore clauſo nihil proferre videretur; vnde alii in eam inducebantur ſententiam, a ſpiritu quodam has voces edi; cuiusmodi ventriloquas ſubinde fuiſſe, hiſtoricorum monumentis paſſim proditum legimus. Verum vt ab vltimo incipiamus, hoc ſua ſponte corruit, cum ſupra probatum ſit, בעלת אוב neutiquam ἐγγαστριμύθον, ſed *necromantin* ſignificare. Ad reliqua quod attinet, primo cogitandum, Saulem regem haud dubie ex improuiſo ad mulierem illam veniſſe; vnde profecto tempus ad fraudes iſtas excogitandas, & ſcenam omnem tanta arte inſtruendam, illi non eſt conceſſum. Temporis autem quodam interuallo ad haec ita excogitanda & diſponenda opus fuiſſe, ſi cuncta per fraudes & fallacias acta fuiſſent, nemo non intelligit. Quis vero credat, mulierem, quae neſciebat, quamobrem Saul ad ſe veniret, ſi eum nouiſſet, ſtatim ſine vlla deliberatione animum inducere ita potuiſſe, vt tantisper, ſe regem minime noſſe, ſimularet, detegendum demum ad fraudes ſuas confirmandas, cum hoc e re ſua eſſe exiſtimaret? Rationes ab ANTONIO VAN DALE allatae id probant, non fuiſſe ἀδύνατον, vt rex mulieri notus eſſet: ſed inde, reuera eum illi

notum

Digitized by Google

notum fuiſſe, minime ſequitur. Eo etiam minus credere poterat, regem eſſe, qui ad ſe veniret, quod, ſi rerum, quae tum agebantur, gnara fuit, facile cogitare poterat, regem eo tempore a caſtris & ab exercitu neutiquam diſceſſurum. Etſi vero etiam Saul neminem videret, ſed tantum vocem Samuelis audiret, quis credat, mulieri vocem Samuelis adeo cognitam fuiſſe, vt imitari eam auſa ſit? quis vero credat, ſi vox, quam audiuit, voci Samuelis ſimilis non fuit, quod Saul fraudem non ſtatim fuiſſet animaduerſurus? At in ſumma, inquis, conſternatione fuit, mentis non ſatis compos, ſuperſtitione faſcinatus. Eiusmodi hominibus quid non poſſet perſuaderi? Sed inde nondum ſequitur, adeo plane mente captum fuiſſe Saulem, vt vocem voci Samuelis ſimilem a voce diſſimili, in ſermone praeſertim tam longo, diſcernere non potuerit. Sermo praeterea, quem perſonatus ille Samuel ad Saulem habuit, ſimplicitatem mulierculae, quantumuis callidae, multum ſuperat. Vetulam enim iſtam rerum ad regnum ſpectantium, eorumque, quae inter Saulem & Dauidem geſta erant, tam peritam fuiſſe, vt tam apte de hiſce omnibus verba facere, & diuinatione quadam politica Saulis pariter ac Dauidis praedicere fata potuerit, ecquis ſibi perſuadeat? Ne dicam, ſi impoſtura faltem fuit, quod ratio nulla adpareat, cur non laeta potius, quam triſtia praedicere Sauli voluerit, cum triſtis rerum exitus nullum periculum, laetus contra magna praemia ei adferre potuiſſet.

Nihil aliud itaque ſupereſt, quam vt relicta tum prima, tum vltima ſententia, mediam amplectamur. Haec eorum eſt, qui, infernalis genii operam hic interceſſiſſe, putant, qui per artes necromanticas euocatus, ſub Samuelis ſchemate Sauli imminentia fata praedixerit. Vt enim plurima obſtant, quo minus aut Samuelis anima intelligatur, aut res omnis ad praeſtigias referatur, ita nihil obſtat, quo minus infernalis intelligatur genius. Immo, cum euidenter probatum ſit, Samuelis animam non adparuiſſe, & cuncta ad praeſtigias referri non poſſe, non intelligi nequit. Praedictio eorum, quae Sauli eiusque filiis imminebant, fatorum, diuinam equidem reuelationem non requirebat, ita tamen comparata erat, vt in merum hominem non caderet. Nec quidquam perſonatus ille Samuel dicit, quod ſpiritus aliquis malignus dicere non potuerit. Si mendacia admixta fuerunt, mentiri eius eſt proprium. Accedit, quod vox אוב, vt ſupra probatum, de ſpiritu maligno, cuius ope necromantae mortuorum manes euocare adnitebantur, recte capiatur. Plurimi praeterea veterum pariter ac recentiorum huic ſententiae adſtipulantur, ſpeciatim ex Romanenſibus IVL. BARTOLOCCIVS DE CELLENO, *biblioth. rabb. magn. part. II. pag. 156.* vbi & Ebraeorum hac de re placita adducit, reliquos autem magno numero laudat AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. II. loc. LXXVII. pag. 379.* cum-

 primis

primis autem GEORG. SERPILIVS, in *perſonalibus*, vt vocat, *Samuelis*, *cap. XII. pag. 142. ſeqq.*

** Quae hic ſpeciatim moneamus, non occurrunt. Quanta apud Graecos incrementa ſuperſtitio ſumſerit, ex illis, quae ad ſectionem praecedentem diximus, coniicere licet.

§. XXVIII.

Denique & eorum, quae in hocce temporis interuallo apud Ebraeos contigerunt, documenta, apud profanos ſcriptores occurrunt. * Quae de exterarum gentium rebus, ad hocce interuallum ſpectantibus, memorantur, partim incerta ſunt, partim non magni momenti. Aſſyriorum reges obſcuri ſunt & ignobiles. ** In Aegyptiorum regibus magnus eſt eruditorum diſſenſus, paucique ex iis nobis innotuerunt, de quibus certi quid adfirmare liceat. *** Syrorum, * Tyriorumque ** res floruiſſe, ex ſcriptura ſacra conſtat. Aſianis rebus mutationem quandam attulerunt Graecorum, eo, vnde venerant, colonias iterum mittentium, migrationes, quas inter poſt Aeolicam, celebris eſt Ionica. *** Apud Athenienſes loco regum, archontes rempublicam adminiſtrarunt. * Reliquarum gentium res geſtae aut ſatis ceteroquin notae, aut non dignae, vt operoſe recenſeantur.

* Samuelis, Saulis atque Dauidis, mentionem facit EVPOLEMVS, in quodam περὶ τῆς Ἠλίυ προφητείας, de *Eliae prophetia* opere, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXX. pag.* 447. Poſt Ioſuam enim *Samuelem prophetam exſtitiſſe*, auctor eſt, *ab eoque poſtmodum Saulem regem Dei iuſſu creatum fuiſſe, qui circa annum regni viceſimum primum obierit. Eidem vero Dauidem ipſius filium ſucceſſiſſe, qui Syros ad Euphratem incolentes, & Comagenem oppidum cum iis, qui Galadenem tenebant, Aſſyriis ac Phoenicibus debellarit. Eundem aduerſus Idumaeos, Ammonitas, Moabitas, Ituraeos, Nabataeos, & Nabdaeos, itemque contra Suronem, Tyri Phoeniciaeque regem mouiſſe, quos ille omnes Iudaeis in poſterum tributa pendere coegerit. At cum Vaphre Aegyptiorum rege fedus percusſiſſe. Porro cum Deo templum excitare percuperet, vehementius a Deo contendiſſe, vti ſibi eximium ſtatuendo altari locum indicaret, ſimulque repente oblatum ei angelum fuiſſe, qui ſupra locum eum, vbi Hieroſolymae ara poſita eſt, conſiſteret; a quo tamen eiusmodi templum aedificare prohibitus fuerit, quod ſeſe humano ſanguine proluiſſet, annosque plurimos bellis gerendis occupatus fuiſſet. Angeli nomen* (ita pergit EVSEBIVS) *Dianathanum* (de Nathane vate aliquid accepiſſe videtur, vnde haud dubie angeli iſtud nomen factum, vt & ſupra obſeruauimus)

mus) *eſſe refert* (EVPOLEMVS) *iuſſumque ab eo Dauidem, relicta filio aedificationis moliendae cura, quae futuri operis ſubſtructio poſtularet, aurum, argentum, aes, lapides, ligna, tam cupreſſina, quam cedrina, diligenter ante comparare. Ergo Dauidem his auditis, nauibusque apud Achana, Arabiae ciuitatem, aedificatis, effodiendi metalli artifices Vrphen rubri maris inſulam, auri fodinis abundantem, miſiſſe, qui auri plurimum inde in Iudaeam retulerint. Dauidem autem, poſtquam annos quadraginta regnaſſet, imperium Salomoni filio, annos duodecim nato, coram Helio ſacerdotum principe, ac tribunis duodecim, cum auro, argento, aere, lapidibus, lignisque omnibus cupreſſinis ac cedrinis tradidiſſe.* Plurima equidem his admixta ſunt falſa, ne quid de rerum confuſione dicam; ita tamen comparata ſunt, vt veritatis veſtigia haud difficulter agnoſcere liceat. Belli, inter Dauidem & Adadum Syriae regem geſti, mentionem facit NICOLAVS DAMASCENVS, *hiſtoriarum libro IV.* apud FLAVIVM IOSEPHVM, *antiquit. iud. libr. VII. cap. VI.* Quae de Samuele, ad fidem ſibi inter ſuos conciliandam, imbres & tonitrua ciente cum ſudum eſſet, *I. Sam. XII. 17. 18.* referuntur, eorum in graecanica fabula de Acaco, precibus pluuias eliciente de coelo, cum ſqualore & frugum penuria Graecia laboraret, ſe deprehendiſſe veſtigia, ſibi viſus eſt CLEMENS Alexandrinus, *lib. VI. ſtrom. pag. 629.* Alia eiusdem generis in ritibus & fabulis veterum, quae ſimilitudinem quandam cum iis, quae in libris Samuelis commemorantur, habere videntur, obſeruarunt SAMVEL. BOCHARTVS, *Chan. lib. I. cap. XVIII.* PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euang. part. I. prop. IV. pag. 292.* & ex vtroque NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aet. mundi IV. cap. VI. art. VI. pag 350.* Sed haec longius mihi petita videntur.

** Qualis regni Aſſyriaci hoc tempore conditio fuerit, ex iis, quae ad ſectionis praecedentis §. *XVIII.* dicta ſunt, intelligere licet. Quae & inde confirmantur, quod in hocce temporis interuallo nulla Aſſyriorum fiat mentio, cum res Ebraeorum contra ſub Dauide longe fuerint florentisſimae. Reges, qui vulgo ad hanc aetatem referri ſolent, recenſent, ſed diuerſimode, EVSEBIVS, in *chronico*, atque SYNCELLVS, & poſt hos alii.

*** Ad iſtud temporis interuallum, quod poſt cladem Troianam vsque ad initium regni Salomonis intercesſit, referendi ſunt ex Aegyptiis regibus, Cheops, Chephrenes, & Mycerinus, HERODOTO memorati *lib. II. c. CXXIV. ſeqq.* Poſt Rhampſinitum namque Cheopem in Aegypto rerum potitum refert, eumque in omne flagitium prolapſum. Omnibus enim templis obſeratis, ante omnia Aegyptiis, ne ſacrificarent, interdixiſſe. Populi autem eundem ad pyramidem exſtruendam, vſum opera, quarum maxima ab hocce Cheope excitata ſit, quae omnia multis verborum ambagibus ediſſerit. Addit porro, eo vsque flagitii deueniſſe

niſſe Cheopem, vt pecunia deſtitutus, filiam ſuam in quodam aedificio proſtituerit: quae cum patris iuſſa faceret, de ſua tamen ſimul memoria relinquenda cogitans, ſingulos ad ſe intrantes orauerit, vt ſibi ad opera ſingulos lapides donarent. Ex his lapidibus, aiebant Aegyptii, exſtructam fuiſſe pyramidem, quae in medio trium ſtabat, in conſpectu pyramidis magnae. Quinquaginta annos Cheopem hunc regnaſſe, ex mente Aegyptiorum porro refert HERODOTVS, eique ſucceſſiſſe fratrem Chephrenem, qui eodem inſtituto vſus, cum in aliis, tum vero in facienda pyramide, non tamen, quae ad magnitudinem fraternae accederet. Quinquaginta ſex annos Chephrenem hunc regnaſſe, vt adeo centum & ſex anni ſupputentur, quibus Aegyptii in omni calamitate verſati ſint, nec templa aperta, ſed ſemper fuerint clauſa. *Hos reges*, inquit, *Aegyptii prae odio ne nominare quidem volunt, ſed eorum pyramidas vocant* ποιμένος Φιλιτίωνος *paſtoris Philitionis, qui ea tempeſtate pecudes per haec loca paſcebat.* Tandem Mycerinum, Cheopis filium, in Aegypto regnaſſe, eumque paterna peroſum facta & templa reſeraſſe, & populo ad vltimum calamitatis adflicto, feciſſe poteſtatem res agendi & ſacrificandi; quin etiam ſuper omnes reges iuſtitiam exercuiſſe. Conueniunt haec & alia cum iis, quae DIODORVS SICVLVS de Chemmi, Cephrenes fratre, vel vt alios tradere ait, Chabryi filio Chemmis, & Mycerino, vel Mycherino, itidem Aegypti regibus refert; *lib. I. pag. m. 57. ſeqq.* vnde hos eosdem cum tribus antea memoratis HERODOTI regibus eſſe, vir doctiſſimus IACOBVS PERIZONIVS concludit. Non tantum enim nomina & facta vtrorumque trium inter ſe conuenientia hoc declarare, ſed & teſtari aetatem, ſiquidem vtrobique poſt cladem Troianam memorentur, niſi quod DIODORVS ſeptem alios reges, eosque ignauos & inglorios, praemittat Chemmi, cum HERODOTVS Cheopem ſuum proxime iungat Rhampſinito Protei filio: poſt hos autem tres HERODOTVS memoret Aſychin, quem Sabaco Aethiops eiecerit, cum DIODORVS contra poſt hosce tres ſtatim ad Bocchorim progrediatur, *aegyptiar. origin. inueſtigat. cap. XIV. pag. 229.* Quod ſi dynaſtiarum, quae in Aegypto fuiſſe traduntur, aliquis habere rationem velit, reges antea memorati, ad dynaſtiam vigeſimam referendi fuerint, quippe quae itidem in hocce temporis interuallum, quod poſt cladem Troianam vsque ad regnum Salomonis effluxit, cadit. Reges equidem apud SYNCELLVM ad hanc dynaſtiam ſpectantes nominantur: Athoris Phuſanus, Cencenes & Vennephes; ſed nihil obſtat, quo minus praeter antea memoratos, etiam alii adhuc in hacce dynaſtia fuerint reges, quorum haec fuere nomina. Ad reliqua, quae huic ſententiae opponi poterant, dubia, idem, quem iam laudauimus, vir doctiſſimus reſpondit. Quod autem vterque & HERODOTVS & DIODORVS autumat, a duobus

bus regibus prioribus, Cheope & Chephrene (vt HERODOTO vocatur) pyramidas illas celeberrimas in Aegypto excitatas, admitti nequit, ob rationes, quas iam ſupra ad *period. II. ſect. I.* §. *XII.* expoſuimus. Vltimus dynaſtiae vigeſimae, cuius reges AFRICANVS & EVSEBIVS nominatim non exprimunt, apud SYNCELLVM rex Vennephes dicitur, qui idem cum Vaphre eſſe videtur, Dauidis & Salomonis tempore claro, cuius etiam filiam in matrimonium duxiſſe Salomo haud ſine ratione creditur; de quo & multa ex EVPOLEMO refert EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXX. ſeqq.* add. PERIZONIVS, *loc. cit. cap. XIV. pag. 226. ſeqq.*

* Inter Syrorum reges Adad-Ezer, rex Syriae Zobae hoc tempore celebratur, cuius & prae ceteris ea potentia fuit, vt regionem quandam ad Euphratem ſitam, Syris, vt videtur, a Cananaeis olim ereptam, ſibi iterum vindicare ſuſtinuerit. At victus a Dauide, omnique robore ſpoliatus eſt; cumque Syri Damaſceni ad auxilium Adad-Ezero ferendum aduolaſſent, idem fatum experti, ſeque Dauidis imperio ſubmittere coacti ſunt, *II. Sam. VIII. 3. 4. ſeqq.* Plenius hac de re iam ſupra diximus, ad §. *XV.* huius ſectionis. Confirmari haec ex NICOLAO DAMASCENO poſſunt, cuius ex hiſtoriarum libro quarto, locum inſignem refert FLAV. IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. VII. cap. VI.* Μετὰ δὲ ταῦτα πολλῷ χρόνῳ, inquit NICOLAVS, ὕστερον τῶν ἐγχωρίων τὶς Ἄδαδος ὄνομα, πλεῖον ἰσχύσας Δαμασκοῦ τε καὶ τῆς ἄλλης Συρίας, ἔξω Φοινίκης ἐβασίλευσε· *longo deinde poſt tempore indigenarum quidam nomine Adadus, ceteris potentior, Damaſci & reliquae Syriae praeter Phoenicen, regnum obtinuit.* Hoc non prorſus cum hiſtoria Sacra conuenit. Ex ea enim conſtat, Adad-Ezerum Syriae Zobae regem, cui rex Damaſci ſuppetias tulit, itidem longe fuiſſe potentiſſimum. Ergo rex Damaſci toti Syriae, praeter Phoenicen, imperare non potuit. Addit vero NICOLAVS DAMASCENVS porro, Adadum hunc Damaſci regem, bello inter eum & Dauidem Iudaeorum regem exorto, crebris proeliis cum eo conflictatum, in poſtremo, quo apud Euphratem victus eſt, multis editis facinoribus, regem ſe & virium & animi robore praeſtantiſſimum declaraſſe; illo vero defuncto, poſteros eius ad decimam vſque generationem regnum obtinuiſſe, quorum etiam quisque a ſuo patre cum imperio nomen acceperit, quemadmodum apud Aegyptios Ptolomei. Ex hiſtoria ſacra conſtat, Syriam Damaſcenam Dauidi ſe ſubmiſiſſe, qui & praeſides ei praefecerit. Fieri tamen potuit, vt deinceps Adadi poſteri regnum occuparent. Nomen Adad, quod Syriae regibus proprium fuit, nomen Dei cuiusdam Syri vel Aſſyrii fuiſſe, nonnulli obſeruant. Confirmari illud ex MACROBII teſtimonio poteſt, quod & ſupra iam ad ſectionis praecedentis §. *XVIII.* recitauimus. *Deo enim*, inquit, *quem ſummum maximumque venerantur*, (Aſſyrii) *Adad nomen*

Digitized by Google

nomen dederunt. Eius nominis interpretatio ſignificat vnus; ſaturnal. lib. I. cap. XXIII. pag. m. 293. Cum MACROBIVS dicat, eius nominis interpretationem ſignificare *vnu*, nonnulli ab Ebraeorum אחד vel Syrorum ac Chaldaeorum חד, vnde per litterae repetitionem חדד fieri potuerit, eius originem repetunt, refragante IOAN. SELDENO, qui ſupponens, Hadadum eundem eſſe, cum Molecho, vocem *Hadad* clamorem ſeu celeusma hortantium denotare, nec a lamentis puerorum in Molochi ſacris prorſus abhorrere, contendit, de *diis Syris Syntagm. I. cap. VI. pag. m. 177.* Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

** Inter Phoenices, Tyriorum iam magna hoc tempore erat celebritas. Originem Tyri vrbis ad iudicum tempora referendam eſſe, ad ſectionis praecedentis §. *XVIII.* demonſtrauimus. Ducentis quadraginta annis, ante, quam templum Hieroſolymitanum exſtrueretur, Tyrum vrbem conditam, ex FLAVIO IOSEPHO, *antiquit. iudaic. libr. VIII. cap. II.* ibidem iam obſeruauimus. Veteres Tyriorum reges ad Abibalum vsque, Hirami patrem, ignorantur. De Hiramo autem, cui cum Dauide pariter ac Salomone amicitiam interceſſiſſe, ex ſcriptura ſacra conſtat, ex DIO, Phoeniciarum rerum antiquo ſcriptore, haec refert FLAVIVS IOSEPHVS: *Abibalo moriente, filius eius Hiramus regnauit. Hic partis orientalis ciuitates ampliauit, vrbem potiorem fecit: & Olympii Iouis templum, quod in inſula ſitum erat, iactis aggeribus vrbi adiunxit: & aureis anathematibus exornauit. Adſcendens autem in Libanum ſyluas incidit, ad templorum aedificationem. Regem vero Hieroſolymorum Salomonem miſiſſe dicunt ad Hiramum quaedam aenigmata, & popoſciſſe ab eo, adiecto, vt, qui non poſſet diſcernere, pecuniam ſoluenti perſolueret, confeſſumque Hiramum, non ſe poſſe ſoluere propoſitas quaeſtiones, multis pecuniis mulctatum. Deinde, Abdemonum quendam, virum Tyrium, propoſitas ſoluiſſe quaeſtiones, ipſumque alias propoſuiſſe, quas ſi non ſolueret Salomon, multas rurſus pecunias Hiramo regi conferret; contra Apion. libr. I. pag. 1042.* Similia & ex MENANDRO Epheſio refert, ex quo & reliquos Tyriorum reges, qui poſt Hiramum ibi rerum potiti ſunt, recitat. De epiſtolis Salomonis ad Hiramum, & Hirami ad Salomonem, quas ex EVPOLEMO exhibet EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IV. cap. XXXII.* iam ſupra ad §. *XXI.* huius ſectionis dictum eſt. Quod ſi temporum rationes ſecundum ea, quae IOSEPHVS tradit, ineamus, initium Hirami incidet in annum triceſimum tertium Dauidis, & initium regni Salomonis incidet in annum ſeptimum vel octauum Hirami. Anno namque vndecimo, vt *antiquit. iudaic. libr. VIII. cap. XI.* ait, vel duodecimo, vt *libr. I. contra Apion. pag. 1043.* autumat, regni Hirami, templum Hieroſolymitanum condi coepit, quod quarto regni Salomonis factum, ex ſcriptura ſacra conſtat; vid. IOAN. MARSHAMVS, *can. chron.*

ſec.

Digitized by Google

ſec. XIV. pag. 370. Qui Carthaginem Tyriorum coloniam tempore Dauidis conditam adſerunt, non ſatis ad ea, quae IOSEPHVS *contra Apionem, loc. cit.* ex MENANDRO de ſucceſſione regum Tyriorum in medium attulit, attendunt. Pygmalion enim, cuius ſoror Dido fuit, anno poſt exſtructum templum Salomoneum cxx regnare coepit, & regni eius anno ſeptimo, hoc eſt, poſt exſtructum templum cxxvi, Dido in Africam fugiens Carthaginem condidit, vel reſtaurauit potius, vt ſupra ad §. *XVIII. ſect. praecedent.* dictum; conf. IOAN. MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XV. pag. 409.* Ad reliquos Palaeſtinos, ſpeciatim Philiſtaeos quod attinet, nihil aliud de iis memoratu dignum occurrit, quam quod, poſtquam Ebraeos ſatis diu vexaſſent, nec vnam iis intuliſſent cladem, a Dauide tandem ſubiugati ei tributarii facti ſint; quod & de Ammonitis, Moabitis, Idumaeis, Amalekitis, conſtat; de quibus omnibus ſupra dictum.

*** De Heraclidarum in Peloponneſum aduentu, qui Aeolicae migrationi occaſionem dedit, ad *ſect. praeced.* §. *XVIII.* dictum. Eam quatuor aetatibus Ionica priorem fuiſſe, STRABO auctor eſt, *geograph. lib. XIII. p. 582.* Hinc ad initia Samuelis referri ſolet. Auctor primus migrationis fuit Oreſtes, Agamemnonis filius, qui cum nihil perfeciſſet, Penthilus filius eius annis ſexaginta poſt excidium Troiae, in Thraciam progreſſus dicitur, cum eodem tempore Cleua & Malaeus itidem ex ſtirpe Agamemnonis, copias compararent, quibuscum multum temporis, circa Φρίκιον Locridis montem haeſerunt; tandem in Aſiam traiicientes Cumam condiderunt. Echelatus Penthili filius coloniam duxit in Cyzicenam circa Daſchylium, Grais vero, Echelati filius, vsque ad Granicum fluuium progreſſus eſt; & hic quidem regionem inter Ioniam & Myſos occupauit, quae Aeolis dicta eſt, cum eius auus Penthilus multa arte Lesbum inſulam cepiſſet, vt auctor eſt PAVSANIAS, *lib. III. pag. 206.* Vnde patet, non eodem tempore, quo coepta eſt, etiam perfectam eſſe hanc migrationem. Praeter Cumam Aeolicam, Myrina, Smyrna, aliaeque vrbes ab iis conditae, quas recenſet HERODOTVS, *hiſt. lib. I. cap. CXLIX. ſeqq.* Ionica migratio ad extrema Dauidis refertur tempora. Iones enim, qui ab Ione Xuthi filio ob virium abundantiam in Peloponneſum emiſſi erant, cum ab Achaeis poſt Heraclidarum reditum expulſi eſſent, Athenas rediere, atque inde cum Codridis in Aſiam tranſierunt, & maritimae regionis nobiliſſimam occuparunt partem, quae inde Ionia adpellata eſt. Fallitur VELLEIVS PATERCVLVS, dum ducem huius migrationis Ionem vocat, *lib. I. cap. IV.* quem Nileum potius, Codri Athenienſium regis filium fuiſſe, ex PAVSANIA, in *achaicis*, conſtat. Duodecim ab hacce Graecorum colonia conditae vrbes ſunt, ad numerum illarum, quas in Peloponneſo antea obtinuerunt, VT STRABO auctor eſt, *geograph. libr. VIII.* Nomina earum ita recenſentur ab AELIANO:

NO: Miletus, Epheſus, Erythrae, Clazomenae, Priena, Lebedus, Teus, Colophon, Myus, Phocaea, Samus & Chius, *hiſtor. variar. libr. VIII. cap. V.* Has inter nonnullae magnam conſecutae ſunt celebritatem. Non eadem, ſi dialectum ſpectes, has ciuitates lingua vſas, HERODOTVS docet, *lib. I. cap. CXLI.* praeter quem de Ionica hac migratione agunt PAVSANIAS, in *achaicis*, STRABO, *geograph. libr. XIV.* PLVTARCHVS, in *Homero*, VELLEIVS PATERCVLVS, *loc. cit.* De aliis minoris momenti migrationibus, ſpeciatim Dorica; quae tamen reliquis, cum Aeolica & Ionica eſt celebrior, legendi HERODOTVS & STRABO, itemque VELLEIVS PATERCVLVS, *locis citatis*; ex recentioribus autem de his omnibus conferendus IOAN. MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XIII. pag. 358. ſeqq.* cumprimis autem LAVRENTIVS INGEWALDVS ELINGIVS, in *hiſtoria graecae linguae* §. *XLVII. pag. 224. ſeqq.* Ceterum licet hac ratione coloniae quaedam Graecorum in Aſiam tranſierint, & vrbes etiam quasdam ibi exſtruxerint, non tamen exiſtimandum, omnes Graecos Aſiaticos ab hisce coloniis originem ducere. Europaeos enim Graecos ab Aſiaticis potius deriuandos eſſe, ſupra ad *per. I. ſect. II.* §. *IX.* demonſtrauimus.

* Poſt mortem Codri vltimi Atheniensium regis, de quo ſupra ad §. *XVIII. ſect. praeced.* dictum, filii eius ſeniores, Medon & Nileus, de regno diſſidebant. Negabat Nileus, ſe poſſe ferre regnum Medontis, qui pede altero claudicabat. Placuit illis, diſceptationis arbitrium oraculo Delphico permittere, cuius reſponſum Medonti Athenienſium regnum dedit. Ita PAVSANIAS, *libr. VII. p. 398.* Sed ſecundum VELLEIVM PATERCVLVM Medon hiece primus archon Athenis fuit: *Huius* (Codri) *filius*, inquit, *primus archon Athenis fuit, ab hoc poſteri Medontidae dicti: ſed ii, inſequentesque archontes, vsque ad Charopem, dum viuerent, eum honorem vſurpabant; hiſtor. lib. I. cap. II.* Nimirum initio archontes ad vitae ſuae dies rerum ſummam tenebant, vt tamen liberi eorum absque populi voluntate illis non ſuccederent; & hi quandoque adhuc reges adpellitantur. Deinde archontes decennales conſtituti ſunt, qui itidem, ſed parum adcurate, quandoque reges vocantur. Tandem annui archontes ſecuti ſunt. Legenda, quae de hisce in compendio IOAN. MARSHAMVS tradit, *can. chron. ſect. XIII. pag. 357.* vbi & ex ſcholiaſte ARISTOPHANIS obſeruat, *oraculum Apollinis in cauſſa fuiſſe, cur Athenienſes reges ſuos exigerent, & Ionem regem conſtituerent*; idque ad imitationem θεοκρατείας in gente ebraea factum videri poſſe, docet.

PE-

PERIODI SECVNDAE
A MOSE VSQVE AD CHRISTVM

SECTIO IV.

A TEMPLI SALOMONEI EXSTRVCTIONE VSQVE AD CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

Σύνοψις.

Reliqua Salomonis, praeter templum, aedificia, vrbesque ab eo aut conditae aut munitae; nauigatio inſtituta; Sabaeorum regina ſapientiam eius admiratur, §. *I.*

Ad idololatriam ab vxoribus exteris ſeducitur; poenam ideo Deus illi comminatur, & infligit; moritur, cum ad mentem, vt credibile eſt, meliorem rediiſſet, §. *II.*

Rehabeamus intempeſtiua ſeueritate Iſraelitarum a ſe alienat animos; ſecuta hinc regni diuiſio, decem tribubus Ieroboamum regem conſtituentibus, §. *III.*

Ieroboamus vitulorum cultum inſtituit, reprehenſusque ideo a vate quodam, & prodigiis diuinitus commonefactus, a coepto non deſiſtit; hinc ab alio vate, quae Deus in eum decreuiſſet, illi denuntiata, §. *IV.*

Rehabeamus cum Iudaeis itidem a recto tramite deflectit, ideoque Seſaco, Aegyptiorum regi, puniendus traditur; Abiamus eius filius & ſucceſſor, magna clade Iſraelitas adficit, & vrbes quaſdam illis eripit, §. *V.*

Aſa, Abiami filius, & in regno Iudae ſucceſſor, veri Dei cultum reſtituit; hinc feliciter contra Midianitas pugnat; virtutis tamen laudem ob naeuos quoſdam, integram non ſeruat, §. *VI.*

Nadab, Baeſa, Ela, Simri, Homri, Iſraelitarum reges, impii omnes, breui plerique tempore regno praefuerunt; Homri imperii ſedem Samariam transfert, ſucceſſorem relinquens filium Achabum, §. *VII.*

Verae religionis apud Iudaeos reſtaurator & promotor Ioſaphatus; ſed apud Iſraelitas Achabus omnis impietatis auctor atque magiſter exſtitit, §. *VIII.*

Elias vates inualeſcenti idololatriae ſe opponit; pluuiarum defectum per tres annos Achabo denuntiat; cumque per iſtud tempus delituiſſet, ad regem reuerſus, miraculo ſe verum vatem demonſtrans, Baalitas iugu-

 lari

Digitized by Google

lari praecipit; hinc ob Iezabelis furorem auffugiens, ad Horebum montem diſcedit, mandatis diuinis, quae facere deberet, inſtruendus, §. IX

Achabus Syros bis vincit, capto vltima vice ipſo rege Benhadado, quem contra Numinis voluntatem dimiſit, reprehendendus ideo a vate quodam; in impietate inſuper ſua ſtrenue pergens; Nabotho e medio ſublato, vineam eius ſibi vindicat, vnde totius familiae interitum Elias illi praedicit, §. X.

Achabus cum Ioſaphato Syris iterum bellum inferens, infeliciter pugnat, ipſeque occumbit; Ioſaphatus admonitus, initum cum impio rege fedus deteſtatur, animumque ad exſtirpandas idololatriae reliquias, adiicit, hoſtesque non ſine miraculo vincit; at claſſem ad petendum ex Ophira aurum, irrito euentu inſtruit, §. XI.

Achaſiae, Achabi ſucceſſori ex lapſu decumbenti, Ecronitarumque idolum conſulturo, Elias bis mortem denuntiat; qui & paullo poſt in caelum adſumtus, Eliſaeum ſucceſſorem relinquit, §. XII.

Ioramus, Achaſiae filius, & Ioſaphatus, inſignem & memorabilem victoriam a Moabitis referunt, §. XIII.

Eliſaei miracula: Syri Samariam fruſtra obſident, §. XIV.

Ioramus, Iudae rex impius, a variis ideo gentibus vexatus, cum non reſipiſceret, viſcerum dolore correptus, miſere tandem perit, §. XV.

Ioramus Iſraelitarum rex, poſt bellum, infeliciter contra Syros ſuſceptum, vna cum Achazia, Iudae rege, a Iehu interficitur, qui exſtincta Achabi familia, regno potitus, Baalis cultum exſtirpat, non autem vitulorum; Hazael Syrorum rex vniuerſam Iſraelis terram deuaſtat, §. XVI.

In regno Iudae poſt Achaziae mortem, Athalia regiam prolem e medio tollit, ſolo ſeruato Ioaſo, qui a Ioiada in templo educatus, cum ſeptimum aetatis annum ingreſſus eſſet, regni habenas capeſſit, interfectaque Athalia, verum Numinis cultum reſtituit, at mortuo Ioiada ad praua quaeuis deflectit, caſtigandus hinc ab Hazaele Syrorum rege, & mox a ſeruis ſuis contrucidandus, §. XVII.

Ioachazum impium regem in regno Iſraelis excipit, non melior patre filius, Ioaſus, qui tribus proeliis Syros vicit, vt Eliſaeus paullo ante obitum ſuum praedixerat, §. XVIII.

Amazias, Ioaſi, Iudae regis, filius, verae religionis cultor, initio feliciter imperat; in idololatriam prolapſum Ioaſus Iſraelis rex capit, qui & Hieroſolymam diripuit, templumque profanauit; exſtincto Ioaſo tandem & Amazias a ſuis vita priuatur, §. XIX.

Sub Azaria, rege pio, Iudaeorum res iterum efflorueruut; cum vero ſacerdotum munus inuaſiſſet, lepra infectus, regni adminiſtrationem Iothamo filio relinquere coactus eſt, §. XX.

Fata & ſtatus Iſraelitarum ſub Ierobeamo ſecundo, Zacharia, Sallumo, Menahemo, Pekaiah, Pekacho, & vltimo tandem rege Hoſea, ſub quo expu-

pugnata Samaria, quidquid, ex decem tribubus ſupererat, in captiuitatem abductum eſt, §. *XXI.*

Iothamus, Azariae filius, in regno Iudae multa recte & praeclare fecit, hinc & Ammonitas perdomuit; non in omnibus tamen Deo placuit, vexandus ideo ab Iſraelitis & Syris, §. *XXII.*

Achazo, Iothami filio, impio & idololatrae, cum variis hoſtibus confligendum eſt, a quibus, praeſertim a Syris, Aſſyriorum ope liberatur; idem altare nouum, ad exemplum Damaſceni, in templo collocat, §. *XXIII.*

Ezechias, rex optimus, reſerato templo, cultum veri Dei reſtaurat, paſcha antiquo more celebrat, idola exſcindit, Palaeſtinos vincit; Aſſyrios, a quibus initio pacem magna pecunia redemerat, Hieroſolymam obſidentes, angelus Domini magna clade adficit; idem vitae prolongationem a Deo impetrat; ſed ob oſtenſos Babyloniorum legatis theſauros, triſtia Eſaias vates ei denuntiat, §. *XXIV.*

Manaſſes ſuperſtitioni ad furorem vsque deditus, ab Aſſyriis captus, Babylonem abducitur; in vinculis reſipiſcens, reſtituitur, priſtinamque vitae rationem ſummo ſtudio emendat, §. *XXV.*

Ammone, rege peſſimo, poſt biennii imperium, e medio ſublato, Ioſias rerum potitur, & ad abolendam idololatriam, verumque Numinis cultum reſtituendum, omnes animi vires intendit; Aegyptio autem regi Nechoni ſe opponens, in praelio vulneratus, praematura morte obit, §. *XXVI.*

Turbatus adflictusque Iudaeorum ſub Ioachazo, Eliakimo & Iechonia, regibus, ſtatus, §. *XXVII.*

itemque ſub Zedekia, vltimo rege, ſub quo expugnata tandem & incenſa vrbe Hieroſolyma, templum deſtructum, & quidquid populi poſt aliquot translationes ſupererat, cum rege, luminibus orbato, Babylonem abductum; temporum in hocce interuallo rationes, §. *XXVIII.*

Viri pietate & ſapientia inſignes, qui hanc aetatem nobilitarunt, §. *XXIX.*

Religio & doctrina, §. *XXX.*

Cultus Numinis externus, §. *XXXI.*

Matrimoniorum ratio; mutatio ſtatus ciuilis, §. *XXXII.*

Litterarum ſtudia & libri, §. *XXXIII.*

Idololatria tum apud Ebraeos, tum apud alias gentes, §. *XXXIV.*

Exoticorum ſcriptorum, de rebus Iſraelitarum & Iudaeorum, in hocce temporis interuallo, teſtimonia; ſtatus reliquarum gentium, §. *XXXV.*

§. I.

PRaeter templum ſplendidiſſimum auguſtiſſimumque, & alia aedificia, tanti regis magnificentiam teſtatura, Salomo excitauit, vrbesque hinc inde condidit atque muniuit. * Diuitias inſuper, naui-

gatione inſtituta, mirum in modum auxit, & tantum non immenſas congeſſit. ** Has tamen longiſſime ſapientiae, qua excellebat, fama ſuperauit; qua etiam permota regina Sabaeorum, Hieroſolymam, ſplendido & ipſa comitatu conſpicua, venit, vt magnifica ſpectaret regis opera, & ſapientiam eius, propoſitis aenigmatibus, experiretur. Hanc vero tantam deprehendit, vt non ſeruos modo illi adſtantes beatos praedicaret, ſed plura maioraque, quam fama retuliſſet, ſe vidiſſe, profiteretur. ***

* Ad aedificia quod attinet, praeter templum a Salomone exſtructa, ipſa regia huc pertinet, palatiumque reginae, & domus ſiluae Libani. Diuerſas non tantum, ſed loco etiam ſeiunctas tres haſce domos fuiſſe, nonnulli ſtatuunt, cum alii contra vnius regiae ampliſſimae quidem, diuerſas ſaltem haſce partes faciant. Probant id inde, quod *I. reg. VII. 1.* & *II. Paral. VIII. 1.* domum ſuam ad culmen produxiſſe dicatur, quod vix aliter, quam de omnibus iſtis aedificiis capi queat. Deinde, quod *I. reg. III. 1.* reginam, filiam Pharaonis, in ciuitate Dauidis habitare fecerit, *donec abſoluiſſet aedificare* ביתו *domum ſuam*, ſcilicet Salomonis. Ergo & in domum ſuam eam deinde introduxit. Vt enim pro ביתו legamus ביתה *domum eius*, vt IOAN. CLERICO videtur, nulla nos cogit neceſſitas. LXX interpretes itidem habent ὄικον ἀυτȣ̃. Quid per *domum ſiluae Libani* intelligatur, viri docti inter ſe non conueniunt. Probabile eſt, eam regiae partem denotari, quae ſeceſſui & recreationi regis fuit deſtinata, quae cum hortis & viridariis, arboribus variis conſitis, ſpeciem quandam ſiluae Libani referentibus, ex parte circumdata eſſet, haud dubie ipſa domus, ſeu pars iſta regiae, *domus ſiluae Libani* dicta eſt. Ipſius regiae partem hanc domum fuiſſe, eo minus videtur dubitandum, quod Salomo clypeos aureos in ea collocaſſe dicatur, *cap. X. 17.* Eiusmodi pretioſam enim ſupellectilem eum in loco minus tuto poſuiſſe, non eſt veroſimile. Ad eandem praeterea regiam & *porticus ſolii* ſeu *veſtibulum iudicii* pertinebat, locus iuri dicendo deſtinatus. Horum omnium ſtructura, ſplendida & magnifica *I. reg. VII. 1. ſeqq.* deſcribitur; quam & FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. libr. VIII. cap. II.* repetit, ſed vt more ſuo cuncta valde exaggeret. Haec omnia tredecim annorum ſpatio abſoluit, quibus, ſi addantur ſeptem anni, quibus templum exſtructum, viginti annorum ſpatio cuncta peracta. Num ob operoſiorem ſtructuram, & multitudinem aedificiorum, an ob alias rationes, regiae aedificatio tam breui tempore, ac templi, abſolui non potuerit, non temere dixeris. FLAVIVS IOSEPHVS, cum non tantam curam huic operi, quantam aedificando templo, impendiſſe, exiſtimat, additque: ἀλλὰ τὸ μὲν καίπερ ὂν μέγα καὶ θαυμαςῆς ἰυδο-ξίας,

ξίας, καὶ παραδόξου τετυχηκὸς, ἔτι καὶ θεοῦ συνεργοῦντος εἰς ὃν ἐγίνετο, τοῖς προειρημένοις ἔτεσιν ἔλαβε πέρας· τὰ δὲ βασίλεια, πολὺ τῆς ἀξίας τοῦ ναοῦ καταδεέστερα τυγχάνοντα, τῷ μήτε τὴν ὕλην ἐν τοσούτῳ χρόνῳ, καὶ τῆς αὐτῆς ἡτοιμάσθαι φιλοτιμίας, καὶ βασιλεῦσιν οἰκητήριον, ἀλλὰ μὴ θεοῦ γενέσθαι βράδιον ἠνύσθη· *Sed illud quidem* (templum) *amplum licet, & plus, quam credi poſſet, celebre, cooperante Deo, intra iam dictum tempus, perfectum eſt; regia vero, tametſi multum magnificentiae templi cederet, quod neque materia eius tanto ante praeparata fuiſſet, & regi, non Deo, ſtrueretur domicilium, eo tardius ad finem eſt perducta*; *loc. cit. pag. 266.* De ſupellectile & ornatu aedium Salomonis, cumprimis de throno ſplendidiſſimo, quae ſcitu digna ſunt, ſcriptor ſacer, *I. reg. X. 16. ſeqq.* commemorat, quamuis haec demum poſt inſtitutam nauigationem confecerit; conferendusque de hiſce omnibus CHRISTIANVS SCHOTANVS, *bibiioth. hiſt. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 781. ſeqq.* Cum & templi & regiae ſtructuram abſoluiſſet, Deus iterum ei adparuit, & templi pariter ac regni, in poſteris eius continuandi, perennitatem promittit, ſi ad exemplum patris Dauidis, legem diuinam ſerio & diligenter eſſet obſeruaturus; ſin vero ab ea diſceſſurus, & gentium idola ſectaturus eſſet, aut idem facturi eſſent Iſraelitae, fore, vt templum illud funditus deſtruatur, & in locum deſertum conuertatur, quo conſpecto omnes Iſraelitas ludibrio ſint habituri, ſimulque intellecturi, quam ſeuere Deus & reliqua peccata, & cumprimis idololatriam puniat. Dicitur inter alia: *aedes iſta erit* עליון *locus excelſus, & quisquis iuxta eum tranſibit, obſtupeſcet, &c.* Vbi nonnulli per עליון nudum collem ſine vllo aedificio, ſeu locum deſolatum intelligunt; alii autem omnino verba haec corrupta putant, quae ex *I. paral. VII. 21.* ſint emendanda. Sed plana cuncta ſunt, & omni difficultate carent, ſi modo obſeruemus, eſſe hic ellipſin pronominis relatiui אשר vt ſenſus ſit: *aedes iſta* אשר עליון *quae locus excelſus erat, ita erit comparata, vt quisquis iuxta eam tranſierit, &c.*

Iam tempus erat, vt erga Hiramum pro tam egregia nauata opera, & ad templi aliorumque aedificiorum exſtructionem ſuppeditata materia, gratum declararet animum. Viginti ergo vrbibus eum donauit בארץ גליל *in terra Galilaea.* Quas cum Hiramus luſtraret, minus ei placuere, vnde quodammodo cum Salomone expoſtulans, *quales*, inquit, *ſunt vrbes iſtae, quibus donauiſti me, mi frater*; vocauitque iſtum tractum ארץ כבול *terra Chabul*, quod nomen & deinceps illi haeſit. Ita quidem plerique interpretes ſacri ſcriptoris verba accipiunt. At longe alium ſenſum illis tribuit B. SEB. SCHMIDIVS. Verba enim, *non fuerunt rectae in oculis eius*, non id ſignificare, putat, quod Hiramus eos non probauerit, aut viles nimis illi viſae fuerint, ſed quod ipſa Salomonis donatio non pla-

placuerit, liberalitatis gloriam in eo quaerens, quod nullam accepiſſet compenſationem. Hinc &, non ab Hiramo, ſed ab aliis eum tractum ארץ כבול dictum, a כבל *compes*, quod ea terra, quaſi amicitiae indiſſolubili compede duo hi reges ſe obſtrinxerint, Salomo dando, Hiramus reſtituendo; *ad I. reg. IX. verſ. 13.* Quod vt ingenioſe a viro doctiſſimo excogitatum, ita longe nimis petitum eſſe, nemo non videt. In recepta ſententia nihil eſt, quod alicui negotium faceſſere queat, niſi ſignificatio vocis *Chabul.* FLAVIVS IOSEPHVS, iis itidem accedens, qui donum hoc Hiramo parum gratum fuiſſe exiſtimant, δυσαρεστήσας, inquit, τῇ δωρεᾷ πέμψας πρὸς Σολομῶνα, μὴ δεῖσθαι τῶν πόλεων ἔλεγεν, *non valde probans, renuntiari Salomoni iuſſit, ſibi non eſſe opus eis oppidis*, addit: καὶ ἔκτοτε προσηγορεύθησαν χαβαλὼν γῆ, *ex eo adpellata ſunt terra Chabalon*, quod Phoenicum lingua οὐκ ἀρέσκον, *id, quod diſplicet*, eſſe, ait: *antiquit. iud. lib. VIII. cap. II.* Id haud dubie ex ingenio ſuo finxit IOSEPHVS, cum hanc ſignificationem ex lingua ebraea, quae a Phoenicia non multum differt, non temere quis exſculpſerit. R. SALOM. IARCHI vocem כבול a כבל *compes*, deriuans, regionem hanc ita dictam putat, *quaſi compeditam, id eſt, argillaceam, tenacem & infrugiferam*, cum etiam כבול talmudicis ſignificet דלא עביד פירו *quod non profert fructum*, ad *h. l.* SAMVEL BOCHARTVS, prolatis & reiectis aliorum ſententiis, ipſemet exiſtimat, כבול idem eſſe, ac גבול *terminum*, quemadmodum & LXX interpretes habent, ὅριον, & huncce tractum ita vocari, quod eo Ptolemaidem verſus Galilaea finiretur; *Chanaan, libr. II. cap. IV.* Sed praeter alia obſtat, quod ita nulla adpareat ratio, cur velut per contemtum haec regio ita ſit adpellata. Rectius, ni fallor, exiſtimant, qui, a vico quodam ignobili, & ob ſoli ſterilitatem haud dubie eo tempore notiſſimo, nomen hocce tractui huic ab Hiramo datum, contendunt; vt IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* itemque IAC. GVSSETIVS, *commentar. lingu. ebr. voc.* כבל *pag. 359.* Pertinuiſſe eum ad Galilaeam dubio caret: quo autem loco & parte Galilaeae poſitus fuerit, tacente ſcriptura, dici nequit. Errant haud dubie, qui, Chabul eam regionem eſſe, putant, quae poſtea ab vrbibus primariis adpellata fuerit Decapolis. Decapolis namque non vicos ignobiles aut obſcuros, ſed vrbes magnas & validas habuit, adeoque inter regiones praeſtantiſſimas referenda eſt, nec prope Tyrum fuit, ſed maximam ſaltem partem longius ab ea remota, vt recte obſeruatum CHRISTOPH. CELLARIO, *not. orb. ant. tom. II. libr. III. cap. XIII. p. 478.* Quaeri autem ſolet, num in poteſtate Salomonis poſitum fuerit, hanc regionem cum vrbibus in ea ſitis abalienare? Qui hoc negant, eam non in perpetuam poſſeſſionem Hiramo traditam, contendunt, ſed tantum ad tempus, vt fructus inde perciperet, qui rerum, quas ab Hiramo Salomo acceperat, pretio reſponderent; & ſi hac ratione ei ſatis factum eſſet, tractum il-

illum cum vrbibus reſtitueret. Ita FRANCISCVS HOTTOMANNVS, *quaeſtion. illuſtr. quaeſt. I.* Sed rectius alii obſeruant, vrbes has non ab Iſraelitis, ſed a Cananaeis fuiſſe incultas, easque aut Salomonem ſuis ſumtibus in poteſtatem ſuam redigiſſe, aut a ſocero Aegypti rege ſubactas, dotales accepiſſe; potuiſſeque adeo eas pro lubitu, etiam ſine populi conſenſu, abalienare. Legendus hac de re HVGO GROTIVS, de *iure bell. & pac. lib. I. cap. III. §. XII.* & IOAN. HENRICVS BOECLERVS, ad *h. l.* Cum autem vrbes iſtae Hiramo non placerent, ſtatim eas Salomoni reddidit. Et ita intelligendum, quod *II. chron. III. 2.* dicitur, Hiramum dediſſe Salomoni viginti vrbes: poſſuntque hac ratione haud difficulter inter ſe conciliari, quae pugnare ſecum videntur.

Vrbes, quas Salomo aut muniuit, aut condidit, *I. reg. IX. 15. ſeqq.* commemorantur. Inter eas maxime memorabilis eſt Thamar, ſiue, vt Maſorethae vocant, Thadmor, quae deinceps Palmyra Graecis dicta eſt. Ita FLAVIVS IOSEPHVS, cum ſitum eius deſcripſiſſet, ταύτην, inquit, τὴν πόλιν οἰκοδομήσας καὶ τείχεσιν ὀχυρωτάτοις περιβαλὼν Θαδαμόραν ὠνόμασε καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις, οἱ δὲ Ἕλληνες αὐτὴν προσαγορεύουσι Παλμιράν· *Hanc vrbem extructam & moenibus validisſimis munitam Thadamorum adpellauit, quo nomine adhuc a Syris vocatur, Graeci autem Palmiram* (ſeu potius Palmyram) *nuncupant; antiquit. iudaic. lib. VIII. cap. II.* Magnam deinceps vrbs haecce conſecuta eſt celebritatem, maximeque floruit, cum, Gallieno imperium Romanum deſerente, Odenatus Palmyrenus orientem ſeruaret, eiusque vidua Zenobia amplum per orientem imperium poſſideret. Eam ita deſcribit PLINIVS: *Palmyra vrbs nobilis ſitu, diuitiis ſoli & aquis amoenis, vaſto vndique ambitu arenis includit agros, ac velut terris exemta a rerum natura, priuata ſorte inter duo imperia ſumma, Romanorum Parthorumque, & prima in diſcordia ſemper vtrinque cura. Abeſt a Seleucia Parthorum, quae vocatur ad Tigrin, CCCXXXVII. millibus paſſuum, a proximo vero Syriae littore CCIII. millibus, & a Damaſco viginti ſeptem propius; hiſtor. nat. lib. V. cap. XXV.* Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Referenda huc & reliqua, quae *I. reg. X. 20. ad 26.* exſtant, quibus, cum difficultate omni careant, non immorabimur.

** De nauigatione Salomonis primo *I. reg. IX. 26.* haec leguntur: *aedificauit etiam claſſem rex Salomo Eziongeberi, quod eſt ad Elothas in littore maris rubri, in terra Idumaea, miſitque Chiramus ad claſſes ſeruos ſuos, ſocios nauales, peritos maris, cum ſeruis Salomonis. Iuerunt autem Ophiram, atque illinc ſumſerunt quadringenta viginti talenta aurea, quae ad Salomonem aduexerunt.* Deinde *cap. X. verſ. 11.* porro dicitur: *Venit etiam Chirami claſſis, quae aurum adferebat Ophira, aduexitque inde ligna Almuggina, ingenti copia & lapillos pretio-*

ſos.

ſos. *Fecit rex e lignis Almugginis fulcrum aedi Iehouae & regiae, & citharas, & nablia cantoribus. Talia ligna Almuggina non venerunt, neque conſpecta ſunt* (Hieroſolymae) *ad hunc vsque diem.* Quae hic עצי אַלְמֻגִּים *ligna almuggina* dicuntur, *I. par. IX. 10.* transpoſitis litteris vocantur עצי אלגומים *ligna algumim*; quod eodem redit. Quaenam illa ligna fuerint, hodie non conſtat; vnde iis, quae ſcriptura hac de re dicit, acquieſcere praeſtat, quam incertis coniecturis indulgere. LXX interpretes habent ξύλα πελέκητα, & mox ἀπελέκητα, & *II. chron. IX. verſ. 10.* ξύλα πεύκινα, vulgatus vero, *ligna thyina*; quae ſatis oſtendunt, eos vocem ebraeam non intellexiſſe. Nec reuera intellexit IOSEPHVS, aut ſciuit, quaenam ligna almuggim eſſent, etſi ita hac de re loquatur, ac ſi probe ſciuerit, *antiquitat. iudaic. lib. VIII. cap. II.* Vlterius *verſ. 22.* eiusdem capitis, dicitur: *Claſſis enim Tharſis regi erat in mari, vna cum claſſe Chirami, ſemelque ſingulis trienniis veniebat claſſis Tharſis, aduehens aurum, & argentum, dentesque elephantum, ſimias & pauones.* Quae quidem verba nonnulli non ita intelligenda cenſent, ac ſi claſſis Ophiritica integrum triennium nauigationi impenderit, ſed tantum, quod ſingulo triennio iuerit. Quos errare, manifeſtum eſt. Nulla enim reddi ratio poteſt, cur non ſaepius, quam ſingulis trienniis claſſis miſſa fuerit, ſi breuiori, quam trium annorum, ſpatio, iter abſoluere potuiſſet. Per שנהבים *dentes el phantum* ſeu *ebur* intelligi, inter omnes conuenit, etſi de vocis origine nihil certi tradi queat. Sic &, קופים *ſimias* eſſe, eruditi inter ſe conſentiunt; pluribusque euincit SAMVEL BOCHARTVS, *hieroz. part. I. libr. III. cap. XXXI.* Vocem תכיים vulgo per *pauones* vertunt, idque confirmat BOCHARTVS, *loc. cit. part. II. lib. I. cap. XX.* Sed pſittacos potius intelligendos erudite oſtendit ADRIANVS RELANDVS, in *differt. de Ophir*, §. *XIII. part. I. differt.* eius *miſcellan. pag. 184.* Ea, quae ex libro poſteriori regum adduximus, confirmantur etiam *II. chron. IX. verſ. 9. ſeqq. it. v. 21.* Si nunc dicendum ſit, quaenam regio per Ophir intelligatur, qua de re ſaepe multumque viri docti diſputarunt, rectiſſime incedunt, qui ex hactenus adlatis, κριτήρια quaedam conſtituunt, quibus ad eam vtcunque inueniendam deducantur. Primo namque certum, per Ophir eiusmodi intelligendam regionem, quae auro, argento, ebore, ſimiis, pauonibus, ſeu pſittacis abundauerit. Deinde & hoc dubio caret, Ophir in eiusmodi regione quaerendum, ad quam tutior breuiorque via erat ex portu ſinus Arabici, quam maris mediterranei. Eziongeber enim, vnde claſſis Salomonea ſoluit, vrbs erat ad intimum ſinum Arabicum. Addunt porro nonnulli, nec ſine ratione, Ophir in eiusmodi terrae tractu haud dubie fuiſſe, qui pro rei nauticae peritia, qualis eo tempore fuerit, commode adiri potuerit, adeoque in regione nimis diſſita, & quae non

Digitized by Google

non ſine magno periculo, praeſertim pro rei nauticae, qualis eo tempore fuit, conditione, adiri non potuit, minime eſſe collocandum. Rurſus tamen & hoc addendum, non quaerendam eſſe Ophiram, in regione terrae Iſraeliticae nimis vicina, ſed in eo locorum interuallo, vt triennium circiter ad iter eo inſtituendum, colligendas merces, & redeundum, idque iterum pro rei nauticae, qualis eo tempore fuit, conditione, requireretur. Atque haec ſi obſeruentur, manifeſtum eſt, primo errare illos, qui Ophir in tali regione collocant, vbi equidem aliquid auri ac argenti inuenitur, ſed non inſignis vtriusque copia; aut, ſi haec quoque adſit, nec ſimiae, nec pauones, aut pſittaci inueniuntur. Quorſum e. gr. illi ſpectant, qui Zophalam Africae regionem pro Ophir venditant. Errant deinde & illi, & citra controuerſiam falluntur, qui Ophir in America ſeu India occidentali quaerunt, in quam tamen ſententiam plurimi viri eruditi ingreſſi ſunt, GILBERT. GENEBRARDVS, AR. MONTANVS, ER. SCHMIDIVS, aliique, laudati AVGVSTO PFEIFFERO, *dub. vex. cent. II. loc. XCV. pag. 432.* Enim vero etſi & aurum & argentum, & ſimiae, & pauones in America inueniantur, obſtat tamen huic ſententiae, quod ex portu ſinus Arabici claſſis Salomonea ſoluerit. Quodſi enim Americam petere decreuiſſet, conueniens fuiſſet, vt ex portu quodam maris mediterranei ſolueret. Ex ſinu Arabico ſi in Americam iter inſtituiſſent, vniuerſa illis circumuehenda fuiſſet Africa; non ſine incommodo & infinitis pelagi periculis. Iis vero ſe ſine neceſſitate exponere, cum breuior & tutior via adſit, vt abſonum, ita a ſapientia Salomonis plane alienum. Deinde, cum rudior ea aetate adhuc eſſet ars nautica, & vſu acus magneticae deſtituta, fieri non poterat, vt in regionem tam longinquam nauigatio ſuſciperetur. Accedit, quod fruſtra & ſine ratione ſupponatur, Americam iam tum hominibus in noſtro orbe habitantibus notam fuiſſe; quod ne vero quidem ſimile eſt. Errant denique & illi, qui Ophir Saphoram eſſe volunt ad ſinum Arabicum. Ad iter enim hoc ſuſcipiendum triennii neutiquam requirebatur ſpatium. Praeferenda itaque illorum ſententia, qui Ophiram in India orientali quaerunt. In hanc enim κριτήρια antea adlata quam rectiſſime quadrant. Eo enim ex ſinu Arabico iter inſtitui poterat, & debebat: & quantumuis rudis adhuc eſſet ars nautica, ſine acus magneticae tamen vſu eo perueniri poterat; triennii etiam circiter ſpatium ad iter iſtud abſoluendum requirebatur, quemadmodum & India auro, argento, ſimiis & pauonibus, aut, ſi mauis, pſittacis abundat. Et ad vltimum quidem quod attinet, Indiam harum rerum copia adfluere, ex variis veterum teſtimoniis iampridem viri docti demonſtrarunt; facere tamen nequeo, quin Q. CVRTII RVFI hac de re verba, licet aliis itidem laudata, adiiciam: *Aues ad imitandum humanae vocis ſonum dociles ſunt* (pſittacos

Digitized by Google

tacos innuit, quos ADR. RELANDVM per חכיים intelligere, antea monuimus). *Animal a inuſitata ceteris gentibus niſi inuecta. Eadem terra & rhinocerotas alit, non generat. Elephantorum maior eſt vis, quam quos in Africa domitant, & viribus magnitudo reſpondet. Aurum flumina vehunt, quae leui modicoque lapſu ſegnes aquas ducunt. Gemmas margaritasque mare littoribus infundit, &c. libr. VIII. cap. IX.* En! pſittacos, elephantos, vnde ebur, aurum, & lapides pretioſos. Argenti etiam in ſequentibus mentionem facit. Conſentiunt etiam in eo viri doctisſimi, CASPAR VARRERIVS *Comment. de Ophir, tom. VIII. biblior. criticor.* MARTINVS LIPENIVS, *tract. de nauigatione Ophiritica*, aliique. Nonnulli etiam hic ſubſiſtunt, hoc ſufficere exiſtimantes, Ophir in India orientali fuiſſe, quaecunque demum hoc nomine deſignetur regio. At alii vlterius progrediuntur, certam Indiae regionem, in qua Ophir fuerit, inueſtigaturi. Nonnulli in ea regione, quae χρυσὴ χερσόνησος, *aurea Cherſoneſus*, dicitur, Ophir inueniſſe ſibi viſi ſunt; quibus FLAVIVS IOSEPHVS fauere videtur, hanc nauigationem factam, dicens: *εἰς τὴν πάλαι μὲν Σωφίραν, νῦν δὲ χρυσῆν γῆν καλȣμένην, τῆς Ινδικῆς ἐςὶν αὐτη, in regionem Indiae, olim Sophiram, nunc auream terram, nominatam, antiquitat. iudaic. libr. VIII. cap. II.* SAMVEL BOCHARTVS Ophiram in Taprobana inſula fuiſſe, putat, quae hodie Ceilon vocatur, ſententiae ſuae fundamentum ex *II. paral. III. 6.* repetens, vbi זהב פרוים *aurum Paruaim* laudatur. Voci enim פרוים *Paruaim* ſi praeponatur vox חף, *littus* ſignificans, poſſe inde nomen Taprobanae deriuari; *Phaleg. libr. II. cap. XVI.* Qua in re ei adſtipulatur IO. CLERICVS, ad *I. reg. X. 11.* ADRIANVS RELANDVS autem, vir clarisſimus, quem antea laudauimus, nomine Ophir eam regionem venire, contendit, quae circa vrbem Oupara vel Σȣπάρα, Sophara, eſt, quaeue Sopharene adpellari poſſet, quam quidem vrbem PTOLOMAEO, AMMIANO MARCELLINO, ARRIANO, in *periplo*, aliisque, ſatis notam fuiſſe, docet, *diſſertat. de Ophir. part. I. diſſertat. miſcellan. pag. 165. ſeqq.* Neue quis FLAVII IOSEPHI, quae antea recitauimus, verba ei opponat, oſtendit, regionem circa Ouparam, χρυσικὴν γῆν olim dictam, ſimulque obſeruat, apud veteres χρυσὴν χῶραν ſiue χρυσικὴν γῆν a χρυσῆ νήσῳ, ſiue aurea Cherſoneſo, vel inſula aurea, diſtingui. Oſtendit porro, quaecunque de Ophir dicuntur, in Ouparam vrbem, quam adcuratisſime quadrare; ſuntque haec ita comparata, vt proxime ad verum accedere videantur. Vt autem ex hac nauigatione ingentes opes ad Salomonem redibant, ita per tributa populi Iſraelitici, & vicinorum regum munera, haud mediocriter augebantur, *I. reg. X. 4.* Vnde immenſas prorſus diuitias colligebat, quod & ſcriptor ſacer teſtatur, *verſ. 23. Rex Salomo omnes terrarum reges diuitiis & ſapientia ſuperauit;* & *verſ. 27. effecit rex, vt Hieroſolymae*

argen-

Digitized by Google

argentum eſſet inſtar lapidum, & cedri inſtar ſycomerorum, quae in campeſtribus ſunt, tanta erat earum copia.

*** Vocatur regina illa מלכת שבא *regina Seba*, ſiue Sabaeorum. Cumque nonnulli Sabam in Aethiopia, alii in Arabia felici collocent, quaeſtio inde, vnde haecce regina venerit, orta. Nonnulli ex Aethiopia arceſſunt, in qua ſententia, praeter ORIGENEM, verſantur GREGORIVS Nazianzenus, GREGORIVS Nyſſenus, THEODORETVS, aliique, quam & defendendam ſibi ſumſit NATAL. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. aetat. mundi quinta, diſſert. II. pag. 159. ſeqq.* Praeſidium ea in auctoritate FLAVII IOSEPHI; ſi modo vlla eius hac in re eſt auctoritas, inuenire videtur, qui reginam hanc Nicaulen ab HERODOTO dictam refert, eamque non tantum Aethiopiae, ſed & Aegypti reginam fuiſſe, *antiquitat. iud. libr. VIII. cap. II.* Sed fallitur magnopere, alioſque fallit IOSEPHVS. Non enim Nicaules, ſed Nitocris Aegypti regina ab HERODOTO commemoratur, *libr. II. cap. C.* eaque tum ob alias cauſſas, tum & ob temporum rationes, neutiquam pro ea regina, quae ad Salomonem venit, haberi poteſt. Interim Aethiopes conſtanti traditione eam ſibi vindicant. Summam illorum, quae apud eos hac de re circumferuntur, ex BALTHASARIS TELLEZII *hiſtoria aethiopica, lib. I. cap. XXV.* refert IOBVS LVDOLFVS: *Reginam Aethiopiae Maquedam, vbi ex mercatore ſuo Tamerino de potentia & ſapientia Salomonis certiora cognouerit, ad illum cum magnatibus ſuis multisque muneribus profectam eſſe; verique Dei cultum ex eo didiciſſe. Exacto aliquo temporis ſpatio domum reuerſam peperiſſe filium Menilehecum, ex Salomone conceptum, quem Dauidem nominauerit. Eum poſtea Hieroſolymam ad patrem miſſum, eius iuſſu in lege diuina bene inſtructum, & tandem in regem Aethiopiae vnctum, atque ita dimiſſum fuiſſe, additis nobilibus Iſraelitis, veluti amicis, & noui regni inſtrumentis, aulaeque miniſtris, nec non legis peritis, ipſoque Azaria, Tzadoki ſummi ſacerdotis filio, ſacrorum antiſtite; atque exinde regis Habeſſinorum, atque primores gentis hodiernos originem ſuam traxiſſe; hiſtor. aethiop. lib. II. cap. III.* Sed non concedunt Habeſſinis hanc gloriam Arabes. *Apud Arabes*, inquit idem, quem modo laudauimus, vir doctus, IOBVS LVDOLFVS, *non ambigitur, illam e ſtirpe filiorum Homer, id eſt, Homeritarum, & Hodhadi regis filiam fuiſſe. Belkis vocant; eamque non Salomonis pellicem, ſed vxorem dicunt, vnde colligitur, quod & ipſi traditionem pro vera habeant, quod filium ex Salomone conceperit. Lis de ea inter Aethiopes & Arabes etiamnum durat, vtrisque eam ſibi vindicantibus, haud ſecus, ac ſi Franci hodierni cum Germanis ſuper Carolo M. certare vellent, loc. cit.* Tranſigant hac ſuper re cum Aethiopibus Arabes.

Ex Arabia reginam hancce fuiſſe, receptior eſt ſententia, cui & ex antiquis eccleſiae doctoribus, IVSTINVS,

CYPRIANVS, aliique adſtipulantur. IOBVS equidem LVDOLFVS, conciliari hasce ſententias inter ſe poſſe exiſtimat, ſi, quod multi antiqui ſcriptores faciunt, Aethiopia in Arabiam vsque porrigatur. Illis enim Sabaeos & Homeritas gentes eſſe Aethiopicas, quae tamen indubie in Arabia felici habitauerint, forte, quod illae etiam faciem aduſtam habuerint. Mitto reliqua, quae pro eadem ſententia adfert, cum reuera illis tandem ſuffragetur, qui, reginam hancce ex Arabia felici veniſſe, contendunt. Et ita etiam ſe res habet. Sabaeos, quibus regina haecce imperitauit, Ioctanis fuiſſe poſteros, quibus in Arabia felici ſedes erat, & quidem in parte auſtrali, demonſtrauit SAMVEL BOCHARTVS; in *Phaleg lib. I. cap. XXV.* Nec a Palaeſtina tam remota Arabia erat, vt non fama de ſapientia & diuitiis Salomoneis eo peruenire, aut regina inde iter Hieroſolymam inſtituere potuerit. Accedit, quod ſecum aduexerit aromata, quae cameli ferebant, aurum magna copia, & lapides pretioſos. Hisce enim omnibus, cumprimis thure & aromatibus, Arabiam felicem abundaſſe, conſtat. PLINIVS, Sabaeos *ditisſimos ſiluarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis ceraeque prouentu,* vocat, *hiſtor. natur. lib. VI. cap. XXVIII. p. m. 370.* Idem alibi Arabiam hancce *odoriferam illam ac diuitem, & beatae cognomine inclytam* adpellitat, *libr. V. cap. XI. p. m. 274.* Auri copia, lapidibusque pretioſis, abundare Arabiam, teſtatur DIODORVS SICVLVS, *lib. III.* Nec obſtat huic ſententiae, ſed eam potius confirmat, quod regina haecce *Matth. XII. verſ. 42.* & *Luc. XI. v. 31.* βασίλισσα νότȣ dicatur. Arabiam enim intuitu vrbis Hieroſolymae auſtralem eſſe, & alias quoque meridionalis nomine ſcriptoribus venire, conſtat. Quod *Matth. loc. cit.* veniſſe dicitur ἐκ περάτων τῆς γῆς, itidem recte ſe habet, cum ab vltima ſeu extima parte terrarum Arabiae venerit, ad audiendam & explorandam ſapientiam Salomonis. Ad argumenta, quibus NATALIS ALEXANDER, *loc. cit.* probare adnititur, eam ex Aethiopia fuiſſe, ex hactenus obſeruatis facile reſpondere licet.

Reginam hancce circa vigeſimum circiter regni Salomonis annum veniſſe, ex eo colligas, quod aulam regiam, aedesque ſacras ad culmen iam perductas, viderit, *I. reg. X. 4. 5.* Lepidus hic eſt CAESAR BARONIVS, eo animo reginam hanc ad Salomonem veniſſe, autumans, quo magi ad Chriſtum recens natum venerunt, exiſtimantem, Salomonem Meſſiam eſſe, idque ex Bileami vaticinio per traditionem ad ſe delato; in *annalib. ad annum Chriſti I.* Non alium enim in finem eam veniſſe, ſcriptura reſtatur, quam vt experimento condiſceret, an vera eſſent, quae fama de ſapientia Salomonis tuliſſet. Idque vt obtineret, ſuamque ſimul ſapientiam oſtenderet, aenigmata Salomoni propoſuit, idque more antiquisſimis temporibus recepto, vt iam ſupra ad *period. II. ſect. II. §. XI.* obſeruauimus, quem &,

EX ME-

ex MENANDRO atque DIO, Phoeniciarum rerum ſcriptoribus, confirmat FLAVIVS IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion. pag. 1042.* Quaenam iſta aenigmata fuerint, nobis, tacente ſcriptura, non conſtat. De rebus ludicris ac leuibus ea concepta fuiſſe, vel cogitare nefas foret. Dubium ergo non eſt, quin ad naturae arcana, aut moralis atque ciuilis doctrinae capita, ſpectauerint. De rebus variis eam cum Salomone collocutam, ſcriptor ſacer innuit, quando eam in medium protuliſſe, ait, omne id אשר היה עם לבבה *quidquid fuit cum corde eius*, ſeu quidquid ſumma animi attentione praemeditata fuerat, ſecumque, Salomonis ſuper eo exquirere ſententiam, conſtituerat. Promptus ad omnia fuit Salomo, qui ei indicauit, quidquid ſciſcitata eſt; *nec quidquam occultum fuit regi, quod mulieri non aperuerit*; quod tamen pro modo ingenii humani, & temporum iſtorum conditione, intelligendum. Tum vero regina, cum iſta audiuiſſet, & ſplendidiſſima Salomonis aedificia, aulaeque & ſacrorum ordinem conſideraret, ſapientiae, quam ceteroquin ſibi vindicabat, laudem Salomoni vltro ceſſit. Id enim volunt haec verba: ולא היה בה עוד רוח *nec erat in ea amplius ſpiritus*, hoc eſt, demiſit animam, cum videret, Salomonem ſapientia, diuitiis & magnificentia, & ſe ipſa, & omnibus Arabiae regibus, multum eſſe ſuperiorem. Abſonum eſt, ita hoc capere, ac ſi prae nimia admiratione extra ſe ipſam rapta fuerit, quod LXX interpretes innuere videntur: ἐξ ἑαυτῆς ἐγένετο· Cum ergo ingenue ſe longe maiora iis, quae fama tuliſſet, vidiſſe & audiuiſſe, faſſa eſſet, ſeruosque Salomonis beatos praedicaſſet, quod tanti regis ſapientia frui poſſent, laudibus verum Deum celebrauit, donisque magnificis regi oblatis, in terram ſuam reuerſa eſt. Grauidam ex Salomone discesſiſſe, vt Aethiopes Arabesque tradere, antea diximus, fabula eſt, omni fundamento deſtituta.

§. II.

Exterarum tandem mulierum amore faſcinatus, deſipere coepit, qui mortalium ceteroquin erat ſapientiſſimus. Vt enim vxorum pellicumque numerum vltra modum augebat, * ita ab exteris ſe induci paſſus eſt, vt gentium illarum, ex quibus prognatae erant, idola & ipſe coleret. ** Quamobrem iratum Numen non modo regni diuiſionem, quae poſt mortem eius euenit, illi praedixit, ſed varios etiam in eum concitauit aduerſarios. *** Nec multo poſt, cum annis quadraginta regno Iſraelitarum praefuiſſet, obiit. Ad meliorem mentem prius rediiſſe, quam moreretur, adeoque crimina, quae admiſerat, deteſtatum eſſe, etſi certo adſeri nequeat, haud contemnendis tamen rationibus videtur perſuaderi poſſe.

 * Fue-

Digitized by Google

* Fuerunt enim ei vxores principes ſeptingentae, & pellices trecentae, *I. reg. XI. 13.* Dicetur hac de re in ſequentibus ad §. *XXXII.*

** Captus enim dicitur amore multarum mulierum peregrinarum, *filiae Pharaonis*, *Moabitidum*, *Ammonitidum*, *Idumaearum*, *Sidoniarum*, & *Chittaearum*; *I. reg. XI. 1.* Haud dubie enim forma praeſtantes puellas vndique conquiſiuit, niſi dicere velis, eum ob neſcio quam oſtentationem, peregrinas mulieres multiplicaſſe. Quam ob rem cum redarguatur, dubium alicui videri poſſet, quo iure & filia Pharaonis his adnumeretur, quam ſtatim in regni initio, cum vitam adhuc ſecundum Numinis voluntatem inſtitueret, in matrimonium duxit. Suntque omnino, qui eum minime peccaſſe, contendunt, eo quod filia haecce Pharaonis facta ſit proſelyta: qua de re quid ſentiendum ſit, ſupra ad *ſect. praeced.* §. *XXI.* diſceptauimus. Quod ſi proſelyta facta fuit, quod tamen nondum probatum, fieri potuit, vt deinceps ad patriam auitamque ſuperſtitionem rediret, & cum reliquis Salomonis animum a veri Numinis cultu auerteret. Sin ethnica permanſit, eo facilius hoc fieri potuit; maiorem forte ſequenti aetate, quam initio factum, in colendis idolis ea ſibi vindicante libertatem. De reliquis mulieribus peregrinis pari ratione cenſendum, eas aut proſelytas non factas, quod & prorſus credibile eſt, aut, ſi factae ſint, animo non ſincero factas, & paullo poſt ad patriam rediiſſe ſuperſtitionem, ipſumque ſecum abripuiſſe Salomonem. Duxiſſe autem Salomo haſce mulieres dicitur, *e gentibus*, *de quibus dixerat Dominus Iſraelitis*, *non inuiſetis eas*, *neque illae vos inuiſent*, *&c.* Equidem in legibus, quibus familiarius commercium Iſraelitis cum aliis gentibus prohibetur, Cananaeorum ſaltem iniicitur mentio, *Exod. XXXIV. 16. Deut. VII. 3.* Sed, quia ratio prohibitionis erat ſeductio ad idololatriam, patet, ad alias quoque gentes eas leges referendas fuiſſe, ſi quidem idem in iis eſſet ſeductionis periculum. Periculo vero commercia cum eiusmodi gentibus familiaria, praeſertim connubia, non caruiſſe, vel ipſius Salomonis omnes condocere exemplum poteſt. Cum enim iam aetate ſenili eſſet, quae mulierum blanditiis omnium minime reſiſtere poteſt, *vxores animum eius auerterunt ad Deos alienos.* Hoc nonnulli non ita intelligendum putant, ac ſi Salomo ipſe Deos alienos coluerit, ſed quod vxoribus ſaltem cultum idololatricum permiſerit. Ita magno conſenſu Ebraei veteres ac recentiores, ſpeciatim R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique, ad excuſanda & emollienda Dauidicae familiae delicta proniſſimi. Suffragantur & nonnulli ex chriſtianis, & ex antiquis quidem SVLPITIVS SEVERVS: *cum aduerſum interdictum Dei ex alienigenis coniugia ſumſiſſet, etiam ſeptingentas vxores & trecentas concubinas haberet, idola eis, ritu gentium ſuarum, quibus litarent, conſtituit; hiſtor. ſacr. libr. I. cap. LXII.* Sed

obſtant

obſtant iis verba diſerta, dum *animus* eius *ad. Deos alienos auerſus* dicitur, *Aſtarten Deam Sidoniorum, & Milchomum abominationem Ammonitarum &c.* Immo *verſ. 33.* de familia Dauidica, ipſoque praecipue Salomone, adſeritur, *quod verum Deum deſeruerit, adorauerit que Aſtarten Deam Sidoniorum, Chamoſum Deum Moabitarum &c.* Fieri equidem vix potuiſſe videtur, vt vir rationis compos, ne dicam tanta, ac Salomo, praeditus ſapientia, ad iſtum ſtultitiae gradum perueniret. At non dubitabit hac de re, qui ſecum cogitauerit, quanta prauorum adfectuum in excaecandis mentibus, & omni ſapientiae pariter ac rationis lumine exſtinguendo, vis ſit & efficacia. De idolis iſtis, quae coluiſſe perhibetur, Aſtarte Sidoniorum dea, Milchomo Ammonitarum, & Chamoſo Moabitarum idolo, cum ſupra iam ex inſtituto dictum ſit, ea vt hic repetamus, neceſſe non eſt.

*** Tantam ne impune Salomo ferret impietatem, Deus diuiſionem regni Iſraelitici ei praedixit. Cum dicitur: *dixit ergo Dominus Salomoni*; vix videtur dubitandum, quin haec per vatem quendam, forte Achiam, ei ſignificauerit. Indignus namque Salomo videbatur, cui Deus in viſione iſta patefaceret. Poſt hanc praedictionem, *aduerſarios quosdam Deus Salomoni excitauit*; hoc eſt, *permiſit*, & cuncta ſapienter ita direxit, vt, poſtquam a recto tramite diſceſſerat, in illum inſurgerent, & aliquid moleſtiae crearent. Primus inter eos Hadadus fuit, Idumaeus, ex regia ſtirpe oriundus. Is, cum Dauid, quidquid maſculini ſexus in Idumaea eſſet, ob cauſſas haud dubie grauiſſimas perdere decreuiſſet, puer adhuc in Aegyptum abductus erat, ibidemque educatus, tantam apud regem gratiam obtinuit, vt ei ſororem vxoris ſuae Thachpeneſae (IOSEPHVS vxorem Hadadi Taphinem vocat) in matrimonium collocaret. De morte autem Dauidis & Ioabi certior redditus, in patriam, aegre licet a rege Aegyptio dimiſſus, rediit, regnumque inuito, vt videtur, Salomone, recuperauit. Idque cum impedire Salomo nequiret, ea res haud dubie dolorem illi attulit. Alter aduerſarius Rezon erat, Eliadae filius. Hic eo tempore, quo Dauid Syros cum Hadad-ezere percuſſit, iam a domino ſuo, eodem ſcilicet Hadad-ezere, defecerat, & collecta manu praedo factus erat, eaque ratione cladem, qua tum adfecti Syri, euaſerat. Deinde vero, cum Salomo, in tranſuorſum actus, idola colere coepiſſet, Syriam Damaſcenam, in qua hactenus Salomo poſt Dauidem milites ſtationarios habuerat, adgreſſus, eam occupauit, excuſſoque ita Salomonis iugo, varias ei creauit moleſtias. Dicitur *verſ. 24.* de Rezone, & iis, qui eius ductum ſequebantur: *Abierunt deinde Damaſcum, vbi habitauerunt, & regnarunt*; hoc eſt, ſummum imperium, Rezone rege conſtituto, occuparunt: Addit porro ſcriptor ſacer: *hoſtis* (ſubaudienda vox: *inquam) fuit Iſraelis per totam Salomonis vitam*, (ex eo tempore, quo Syriam Damaſcenam occupauerat, adeo-

que

Digitized by Google

que Salomo a vero Deo iam deſciuerat) ואת הרעה אשר הדד *praeter hoc malum, quod Hadad*, ſcilicet *fecit*; ſeu ad malum, quae Hadad fecit, & hoc acceſſit: ויקץ בישראל & *deteſtatus eſt Iſraelem*, hoc eſt, poſtquam iugum excuſſerat, animum hoſtilem erga Iſraelitas demonſtrauit, & regnauit apud Aramaeos. Haec quae ad ſcripturae ductum de Hadado & Rezone expoſuimus, paullo aliter narrat FLAV. IOSEPHVS. Hadadum enim, quem Aderum vocat, impetrato ab Aegypti rege commeatu, in Idumaeam reuerſum, ait, & cum non poſſet gentem ſuam ad defectionem a Salomone perpellere, eo, quod validis praeſidiis impoſitis in officio contineretur, nec liceret impune res nouas ibi moliri, profectum inde, in Syriam ſe contuliſſe; vbi, cum incidiſſet in quendam Razarum (Rezonem ſcriptura vocat) qui a Sophenae rege Adrazaro deſciuerat, & eas terras cum latronum manu incurſionibus populabatur, ſocietatem cum homine iniiſſe, eiusque ope occupata ea parte Syriae, regem declaratum, Iſraelitarum ditionem crebro irrumpendo, viuo adhuc Salomone, rapinis omnia miſcuiſſe & caedibus; *antiqu. iudaic. lib. VIII. cap. II. pag. 273.* Multa hic IOSEPHVS inter ſe miſcet, non ſine omni quidem veroſimilitudinis ſpecie, ſed ſine ſcripturae ſuffragio. Immo quaedam diſerte ſcripturae repugnant. Secundum hanc enim Rezon, non Hadad, Syriae Damaſcenae factus rex eſt: nec credibile, principem Idumaeum factum regem Syriae. Equidem nomen Hadad Syriae regibus proprium fuit, vt ſupra nobis obſeruatum, eaque res IOSEPHVM induxiſſe videtur, vt huncce Hadadum Syriae regem faceret. Sed, quemadmodum nihil obſtat, quo minus & alii reges principesque aliquando eo nomine venerint; ita, ſi quis eius nominis Rezonem in regno iſto excepit, alius, & ab Idumaeae iſto principe diuerſus, eſſe potuit. Tertius Salomonis aduerſarius fuit Ieroboamus, Nebati filius, ex tribu Ephraim. Vir erat ſtrenuus & robore pollens, cuius dexteritatem perſpectam habebat Salomo. Cum enim Millonem aedificaret, praefecit eum לכל סבל בית יוסף *omni baiulationi domus Ioſephi*, hoc eſt, illis, qui ex domo Ioſephi ligna, lapides, aliaque aedificationi neceſſaria ferebant; quamuis alii de tributis hoc capiant, quibus praefectus fuerit. Quo in munere dum conſtitutus erat, contigit aliquando, vt Hieroſolyma egreſſus in Achiam Silonitam vatem incideret; qui veſtem nouam, qua indutus erat, arripuit, & in duodecim fruſta diſcidit, iubens vt Ieroboamus decem fruſta acciperet. Indicabat hac actione ſymbolica, fore, vt regnum Iſraelis diſcerperetur, decemque tribus cederent Ieroboamo, quod & ſubiuncto ſermone declarauit, cauſſam iſtius rei, peccata & idololatriam Salomonis, indicans, regnumque perenne Ieroboamo, ſi in omnibus voluntati Numinis morem geſturus eſſet, promittens. Cum *verſ. 32. & 36.* vnius tribus, quae familiae Dauidicae relinquenda ſit, mentio ſit, hoc ita intelligendum, quod ſub tribu Iudae, ceu po-

potiori, etiam tribus Beniamin comprehendatur. Finit propheta ſermonem his verbis: *propterea adfligam poſteros Dauidis, ſed non in perpetuum.* Vnde nonnulli colligunt, integri regni reſtitutionem familiae Dauidicae promiſſam. Sed cum familia Dauidica nunquam integrum regnum Iſraeliticum recuperauerit, in diuerſas ſe vertunt partes, qui hinc ſe expedire cupiunt. Nonnulli ex ebraeorum doctoribus, poſt annos XXXVI ſub regno Aſae vtriusque regni coniunctionem iterum fieri debuiſſe, contendunt, quo tamen beneficio Aſa ſe indignum reddiderit; quod lubricum eſt. Alii, vt comminationes, ita promiſſiones diuinas conditionate intelligendas, obſeruant, integrique adeo regni reſtitutionem poſteris Dauidis promiſſam, ſi toto corde ad Deum ſe conuerſuri eſſent. Hoc autem cum non fecerint, promiſſionem quoque hancce effectu caruiſſe. Sed fuerunt quidam Iudae reges pii & religioſi; nec tamen integrum regnum Iſraeliticum obtinuerunt. Alii non ad regni integri reſtitutionem, ſed ad aliarum poenarum intermiſſionem, hanc promiſſionem pertinere putant; quibus tota ſermonis ſeries repugnat. Non ſine ratione doctores ebraei, R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique, ad tempora Meſſiae haec referunt. Nec video, quid ſententiae huic obſtet; cum reuera filius Dauidis, qui Meſſias eſt, regnum longe ampliſſimum, perque orbem vniuerſum diffuſum, conſecutus ſit, regnum in totum Iſraelem, qui eſt ſecundum ſpiritum. Poteſt haec ſententia locum inuenire, etſi ineptas Iudaeorum de regno Chriſti mundano cogitationes, procul faceſſere iubeamus. Ea, quae Achia vates Ieroboamo praedixerat, haud dubie iterum reſciuit Salomo. Dicitur enim *verſ. 40. conatus eſt autem Salomo occidere Ieroboamum.* Quo iure? quaeritur. Nec enim in Ieroboamo culpa vlla, quod Achias ea illi praedixerat, niſi iſta praedictione incitatus, res nouas moliri, inceperit, quod tamen ſcriptura non dicit. Quae Iudaeorum doctores, vt Salomonem culpa liberent, comminiſcuntur, apud SEBAST. SCHMIDIVM, ad *h. l.* legi poſſunt. Sed liberari nequit. Ieroboamus autem, cum in Aegyptum auffugiſſet, haud dubie varia contra Salomonem machinatus eſt, odium regis aegre ferens, & praedictione iſta elatus, eaque in re itidem peccauit grauiter. Et hoc eſt, quod *manum contra regem ſuſtuliſſe dicitur, verſ. 26.* Rex ille Aegypti, ad quem auffugit, Seſacus vocatur, quem alium a ſocero Salomonis, qui haud dubie iam mortuus erat, fuiſſe, ex dicendis patebit. Diuerſum eum a Seſoſtri illo celeberrimo eſſe, iam ſupra demonſtratum eſt.

* De poenitentia, adeoque & ſalute Salomonis, diuerſae veterum pariter ac recentiorum ſunt ſententiae. Fauent ſaluti eius, praeter doctores Ebraeos, ex patribus IRENAEVS, *libr. IV. aduerſ. haereſ. cap. XLV.* (ſaltem, vt nonnullis videtur, cum verba Irenaei aperte atque diſerte id non ſignificent) CYRILLVS Hieroſolymitanus, *cate-*

 te-

techeſi II. illuminator. EPIPHANIVS, *haereſi XLII.* HIERONYMVS, *epiſt. IX. ad Saluinam*, aliique. Aduerſantur contra CYPRIANVS, *epiſt. VI. ad Rogatianum*, CHRYSOSTOMVS, *ſerm. de poenitent.* (qui tamen alibi bene de eo ſperat) AVGVSTINVS, *libr. II. contra Fauſtum cap. LXXXI.* aliique. Nec deſunt, qui rem in medio relinquunt, nihilque certi hac de re definiri poſſe, exiſtimant, quod praeter multos alios facit NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. mundi V. diſſert. III. pag. 163. ſeqq.* Eſtque haud dubie haec via tutiſſima, cum vtraque ex prioribus ſententia eiusmodi, ſi dicendum quod res eſt, rationibus nitatur, quae vt vltra probabilitatis vim non adſurgunt, ita ob rationes quoque contrarias, plenum firmumque adſenſum impetrare nequeunt. Interim potiores tamen mihi rationes illorum eſſe videntur, qui bene de eius ſalute ſperant. Non adferam, quod *I. reg. XI. 43. cum patribus ſuis obdormiuiſſe, & in ciuitate Dauidis patris ſui ſepultus* dicitur. Id enim oppido infirmum eſſe, lubens fateor. Nec id magnopere vrgebo, quod *II. paral. XI. 17.* Rehabeam, cum pius adhuc eſſet, vna cum populo in *viis Dauidis & Salomonis* ambulaſſe dicitur. Non enim neſcio, hoc de initio regni Salomonei, & eo tempore, quo veri Numinis cultui adhuc addictus fuit, capi poſſe, quanquam non plane contemnendum ſit hocce argumentum, cum de iis fere haec phraſis vſurpari ſoleat, qui in recto vitae inſtituto conſtanter permanſerunt, aut, ſi ab eo deflexerunt, ad bonam tandem redierunt mentem. Miſſis autem hisce, aliisque, eiusdem generis rationibus, ſequentia ſaltem conſiderari velim: primo conſtat, ex quo a veri Dei cultu deſciuit, varios contra illum inſurrexiſſe aduerſarios; quae res vti haud dubie moleſtiam illi maximam creauit, ita animus voluptatum & vitiorum ſordibus velut conſepultus, excitari hac ratione ex iſto ſomno poterat. Praeſertim, quod porro notandum, cum cauſſa iſtorum malorum ei ignota non eſſet; quam & ex ipſis vatibus, iram Numinis ei denunciantibus, didicit. Certe cum ita in Ieroboamum exarſerit, nullum eſt dubium, quin omnia, quae Achias Ieroboamo dixerat, reſciuerit. Tam obfirmato autem ad peccandum animo fuiſſe Salomonem, vt haec omnia in minimis poſuerit, a vero prorſus abhorret. Accedit vero, quod liber, quem titulo *Kobeleth* ſeu *eccleſiaſtes* ſcripſit, haud obſcura poenitentiae Salomonis documenta contineat. Etſi enim nonnullis non ſatis certum eſſe videatur, quo tempore liber hicce a Salomone ſcriptus ſit, num ante lapſum, an poſt eum: poſterius tamen pluribus videtur rationibus euinci poſſe. Primo enim opera ſua, aedificia, hortos, reliqua, commemorat, quibus maximam vitae partem, cum res eius adhuc integrae eſſent, transegit. Deinde & voluptatum abunde & velut ad ſatietatem a ſe deguſtatarum meminit, quod ab iis demum fieri poteſt, qui iam ad eam aetatem accedunt, quae

quae corporis voluptatibus non adeo capitur, aut iis non ſufficit. Atque hac de re eo minus dubitandum, quod elegantiſſima ſenectutis deſcriptio, quae *cap. XII. 1. ſeqq.* exſtat, Salomonem iam in ea aetate conſtitutum fuiſſe, haud obſcure indicat. Nec praetermittenda vehementiſſima feminarum deteſtatio, *cap. VII. 26. ſeqq.* procul dubio a magno illo malo, a feminis illi illato, profecta. Accedit denique profunda vanitatis in rebus mundanis omnibus agnitio, *cap. II.* & ſeria ad timorem Dei, ceu omnis felicitatis centrum, adhortatio, *cap. XII. 13. 14.* quae vix videtur ab alio animo, quam rerum mundanarum pertaeſo, & ad veram felicitatem, quae in Numinis timore conſiſtit, adſpirante, proficiſci potuiſſe. Quae ſecus ſentientes obiiciunt, non adeo magni momenti ſunt. Sane ad meliorem eum rediiſſe mentem, diſerte ſcriptura non commemorat. Sed nec id neceſſe fuit. Etſi de Dauide aliisque, quod admiſſorum ſerio eos poenituerit, referat, nulla tamen adeſt ratio, cur de omnibus id commemorare debeat: multo minus inde inferre licet, illos, de quorum poenitentia ſcriptura tacet, ad meliorem quoque nunquam rediiſſe mentem. Porro idola & excelſa illis exſtructa Salomo non euertit, quippe quod Ioſiam demum feciſſe, ex *II. reg. XXIII. 13.* conſtat. Documentum hoc eſſe videtur, quod idololatriae eum non poenituerit, immo quod illi ad vitae finem vsque fuerit addictus. At nihil obſtat, quo minus idola colere deſierit, etſi ad ea remouenda, aut loca illis ſacra deſtruenda, iam ſeni, non ſatis aut animi, aut roboris fuerit, aut ob alia impedimenta hoc facere non potuerit. Certe & Amaſias, & Azarias, & Menaſſes ab idolorum deſtitere cultu, etſi ipſa idola, aut conſecrata illis loca, non euerterent. Plura hac de re dabit IOAN. DE PINEDA, de *rebus Salomonis lib. VIII. cap. I.* conf. & MARTINVS GEIERVS, *comment. in eccleſiaſt. prolegom.* §. *II. pag. 2.* MICHAEL WALTHERVS, *offic. bibl.* §. *D CCCC XXVIII.*

§. III.

Filium ex Naama Ammonitide, Rehabeamum, Salomo ſusceperat, qui patri ſuccedebat. Hic vero, cum Sichemum populus conueniſſet, &, vt laxatis oneribus a patre impoſitis, mitius haberetur, rogitaſſet, repudiato ſeniorum, qui id ſuadebant, conſilio, & iuuenilem ſenatum auſcultans, non modo preces populi, ad res nouas iam propenſi, reiiciebat, ſed grauiora quoque minabatur. Quo reſponſo irritati Iſraelitae, exceptis Iudaeis & Beniaminitis, ſe familiae Dauidicae amplius parere nolle, palam profitentur, Ieroboamumque, iam olim Salomoni infenſum, & ex Aegypto, vbi latitauerat,

uerat, ad res nouas moliendas reducem, regem crearunt. Rehabeamo equidem conſtitutum erat, vi armisque Ieroboamum cum decem tribubus, quae deſciuerant, ad officium redigere; ſed a Schemaiah vate Numinis voluntatem edoctus, ea euenire paſſus eſt, quae euitare non potuit. *

* Cum Rehabeamus in locum patris ſurrogandus eſſet, Israelitae Sichemum conuenerunt. Aequum equidem fuiſſet, vt Hieroſolymae, quae imperii ſedes, vbi & Salomo rex factus & vnctus erat, conueniſſent. Sed haud dubie inſtinctu Ieroboami & illorum, qui Rehabeamo male cupiebant, factum, vt Sichemi congregarentur, eoque rex ipſe ſe conferre cogeretur, cum ibi liberius, quam Hieroſolymae ei obſiſtere poſſent, & vrbs Sichem praeterea, vtpote in tribu Ephraim ſita, ex qua & Ieroboamus erat, ad ea, quae animo agitabant, exſequenda, perquam adcommodata videretur. Conſiliorum iſtorum auctor praecipuus Ieroboamus fuit, qui in Aegypto quidem adhuc erat, cum Salomo moreretur; mox tamen a ſuis arceſſitus adfuit, & cum reliquis Israelitis Sichemum venit. Ibi ergo onerum a Salomone impoſitorum, de eorum grauitate conqueſti, leuationem petunt. Onera quaedam a Salomone Israelitis impoſita, ex *I. reg. IV. 7. ſeqq.* colligas. Ea vero vt neutiquam grauia erant, ita Israelitae iuſtam profecto conquerendi cauſſam minime habebant, praeſertim cum *cap. XI. 22.* diſerte dicatur, quod Salomo nemini Israelitarum ſeruilia onera impoſuerit. Ingens itaque erat mendacium, in quo *πρόφασιν* rebellionis quaerebant, ſuggerente talia haud dubie Ieroboamo. Cum ergo rex tridui ſpatium ad deliberandum petiiſſet, rem illam ſenioribus propoſuit, eorum exquitens ſententiam. Hi reſpondent: *ſi hodie ſeruus fueris huius populi, eis ſeruieris, reſponderisque iis, ac blandis verbis eos adlocutus ſis, tibi in perpetuum ſerui erunt.* Quod conſilium pro iſto rerum ſtatu erat prudentiſſimum. Videbant enim cuncta ſpectare ad rebellionem, eiusque ſaltem praetextum quaeri, quem recuſatio eorum, quae petebant, illis ſuppeditare poterat. Contra ſi poſtulatis illorum, etſi iniquis, rex aliquid indulſiſſet, & hac ratione velut *ſeruus illorum* factus eſſet, ſpes erat, vt ademta omni rebellionis *προφάσει* in officio permanerent, & ille quietam regni poſſeſſionem adipiſceretur. At regi, importuna & iniqua populi poſtulata haud dubie aegre ferenti, illud ſeniorum conſilium diſplicuiſſe videtur; hinc & illorum, qui cum eo adoleuerant, ſententiam exquirit. Hi conſilium adfectui regis attemperantes, nihil populo concedendum, ſed grauiorum onerum impoſitione coercendum, pronuntiant. Verba illorum ſunt; *Sic eis dices, minimus meus* (digitus) *craſſior eſt lumbis patris mei: igitur, cum pater meus impoſuerit vobis* (veſtra opinione) *iugum gra-*

graue, iugum iſtud veſtrum augebo. Pater quidem meus caſtigauit vos ſcuticis, ego vos caſtigabo עקרבים *ſcorpionibus.* Cum dicitur: קטני עבה מִמתני אבי *minimum meum craſſius eſt lumbis patris mei*, recte digitus ſecundum doctores quosdam ebraeos, aut minimum corporis membrum intelligitur. Senſus hic eſſe videtur, quod circa regni initium maioribus ſibi ſumtibus ad tot copias alendas, resque alias, opus ſit, quam patri ſuo opus fuerit in ipſo regni faſtigio. Initium ergo regni ſui, cum faſtigio regni patris ſui, hac ratione ſecundum mentem iuuenum, qui hoc conſilium ei dederunt, confert. Alii ad ipſum Salomonem ac Rehabeamum hoc referunt, ac ſi hic ſe illi multis modis praetuliſſet: quod vt ſtolidum nimis fuiſſet, ita prior explicatio ſcopo ſermonis, & totius negotii indoli eſt conuenientior. Hinc itaque cum dixiſſet, initium regni ſui maiores ſumtus requirere, quam regnum patris ſui ad faſtigium iam perductum, concludit, maiora etiam Israelitis imponenda onera; cumque adeo petulantes ſint, vt ſtatum ſub Salomone valde tolerabilem ferre nolint, acrioribus etiam caſtigationibus eos eſſe coercendos. Vox עקרבים *ſcorpiones* ceteroquin ſignificat, qua ratione etiam hic transfertur a LXX interpretibus, vulgato, & B. LVTHERO noſtro. Cum autem ſcorpiones proprie ſic dicti intelligi nequeant, neceſſe eſt, vt ſcuticae genus, quod dolorem acutiſſimum, qualis eſt, qui ex ſcorpionum ictu oritur, infert, denotetur; ſiue ſpinae, ſiue aliud quid ad lacerandam carnem aptum in eo fuerit; quorſum & R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique ex ebraeae gentis doctoribus tendunt. Conſilium hocce iuniorum, hactenus quidem non ſpernendum videbatur, quod petulantiae populi, ſine omni ratione frenum mordentis, interdum ſeueritate quadam obuiam eundum ſit. Intempeſtiuum tamen erat, quia animi Israelitarum iam a Ieroboamo contra Rehabeamum occupati erant, nihilque aliud, quam rebellionis πρόφασιν quaerebant, nullae praeterea vires erant Rehabeamo reluctantes cogendi, vt in officio permanerent. Praeferendum itaque fuiſſet conſilium ſenum, quod cur non fecerit Rehabeamus, non alia probabilior ratio reddi poteſt, quam quod conſilium iuniorum adfectui eius magis adcommodatum fuerit. Ambitione enim elatus, maximam a populo tam iniquis poſtulatis ſibi fieri putabat iniuriam, eumque adeo promeruiſſe, vt ſeuerioribus caſtigationibus coerceretur. Non tamen ſine Numinis haec ita contingebant directione, quod & euentus docuit. Cum enim Rehabeamus, triduo elapſo, eum in modum, prout iunioribus viſum, reſpondiſſet, tum vero Israelitae: *quae nobis pars in Dauide? Nulla eſt poſſeſſio nobis in filio Iſai; in tabernacula tua, o Israel*, (abi;) *tu vero, o Dauid*, (familia Dauidica) *domui tuae* (tribui Iudae) *proſpice.* FLAVIVS IOSEPHVS, dum haec refert, populo inter alia & haecce verba tribuit: *παραχωρεῖν δ' αὐτῷ μόνον*

τὸν ναὸν, ὃν ὁ πατὴρ αὐτοῦ κατεσκεύασεν, *haberet ipſe templum, quod pater exſtruxiſſet ; antiquit. iud. lib. VIII. cap. III. p. 275.* Sed iſtud probabile non eſt, cum conſilium templum Hieroſolymitanum deſerendi, deinceps demum a Ieroboamo profectum ſit, vt ſcriptor ſacer diſerte teſtatur. Comitiis itaque ſolutis, aut potius abruptis, Iſraelitae diſceſſere. Rex vero vt tentaret, an ad officium eos reuocare poſſet, Adoramum, qui tributis praeerat, ad eos miſit, haud dubie, vt mitioribus verbis eorum animos flecteret, vel vt FLAVIVS IOSEPHVS loquitur ; ἵνα συγγνόντας τοῖς εἰρημένοις, ὅτι προπετὲς ὑπὸ νεότητος καὶ δύσκολον ἦν αὐτοῖς, ποιήσειεν μαλακωτέρους, *ad excuſandam iuuenilis linguae petulantiam, placandosque concitati vulgi animos, loc. cit. pag. 275.* Sed cum apud animos irritatos eiusmodi excuſatio pro imbecillitatis ſaltem confeſſione haberi ſoleat, Rehabeamus etiam ea non tantum nihil profecit, ſed populus inſuper in furorem actus, Adoramum lapidibus obruit. Haud dubie Adoramus, vtpote qui tributis praeerat, populo inuiſus erat, vnde, eo conſpecto, eo facilius in furorem concitari poterat. Nec prudentiae leges Rehabeamus hic obſeruauit, hominem alias inuiſum, ad molliendos animos exacerbatos adhibendo. Hinc vero, cum rex non ſine ratione ſibi ipſi metueret, conſcenſo curru Hieroſolymam auffugit, nondum ſpem omnem abiiciens, poſſe copiis Iudaeorum coactis, Iſraelitas ad obſequium reduci. Mox etiam exercitum centum octoginta millium militum congregauit: ſed cum ex Schemaiah vate audiuiſſet, non placere Deo, vt bellum cum Iſraelitis gerat, adeoque euentum proſperum ſperare non poſſet, conſiliis iſtis abiectis, exercituque dimiſſo, conquieuit. Cuncta, quae hactenus diximus, ſi accuratius ponderentur, Iſraelitas pariter ac Ieroboamum grauiſſime hac in re peccaſſe, deprehendemus. Ex parte Iſraelitarum mera erat rebellio, cuius nullam iuſtam habebant cauſſam, vt antea demonſtrauimus. Durius ſane erat reſponſum Rehabeami. Sed hoc iniquiſſima populi poſtulata illi expreſſerant. Sane non omni culpa vacat, ambitioque & ira, conſilii imprudentiſſimi mater, neutiquam laudanda: ſed longe grauior culpa populi, res nouas ſine cauſſa molientis, & hunc in finem poſtulata iniquiſſima proponentis, cuncta denique ad mutandum imperium diſponentis. Hinc & diſerte *verſ. 19. Iſrael a domo Dauidis defeciſſe*, dicitur. Grauior etiam, immo grauiſſima culpa Ieroboami, haec omnia conſiliis ſuis & machinationibus dirigentis. Etſi enim regnum illi a Deo praedictum eſſet, exſpectare tamen illud, ad exemplum Dauidis, non ad ſe rapere, debuit. Quae quidem iſtorum hominum peccata, etſi Deo valde diſplicerent, cuncta tamen ita direxit, vt ad finem tandem illi propoſitum, peccatorum cumprimis familiae Dauidicae punitionem tenderent, & ſic praedictionibus quoque diuinis ſua conſtabat veritas. Tribum Iudae, ſub qua & tribus Benia-

min

min comprehenditur, in obſequio Rehabeami permanſiſſe, conſtat: & quemadmodum reliquorum Iſraelitarum conſilia improbauit, ita & conuentu Sichemitico, in quo haec omnia peracta, non interfuiſſe videtur.

§. IV.

Ieroboamus autem veritus, ne Iſraelitae, Hieroſolymam ad ſacra Deo facienda ſubinde confluentes, Rehabeamo iterum ſe ſubmitterent, binos vitulos aureos conflauit, eosque Bethele & Dane, in finibus regni adorandos propoſuit, ne populus Hieroſolymam adſcendere neceſſe haberet. Sacerdotes etiam non ex tribu Leui, ſed ex infima plebe conſtituit. * Quo ipſo vt foediſſimae idololatriae in gente Iſraelitica auctor exſtitit, ita dum Bethele ſacra faciebat, vates diuinitus miſſus adfuit, quae altaris, cui adſtabat, fata futura eſſent, denuntians; quem dum rex protenſa manu comprehendi iubet, manus ilico exaruit, precibus vatis reſtituenda. Vates autem ille, cum contra Numinis mandatum, ab alio vate deceptus, cibum cepiſſet, a leone correptus interficitur, illaeſo, cui inſidebat, aſino, cadauere intacto. ** Ieroboamus autem, haec omnia ſpernens, in inſtituto ſuo pergebat. Hinc cum aegrotante filio, vxorem ad Achiam vatem mitteret, quem de valetudine eius conſuleret, quae ob ſpretas leges ſuas Deus in ſe poſterosque decreuiſſet, ex eodem propheta intellexit; qui & mortem pueri praedixit, quae mox ſecuta eſt. ***

* Quemadmodum Ieroboamus, praedictione diuina abuſus, habere regnum, quam exſpectare, maluit, artibusque malis illud obtinuit; ita mirum non eſt, quod eadem id conſeruare ratione adniſus fuerit. Si praedictioni & promiſſioni diuinae fidem adhibere voluiſſet, dubitare non potuiſſet, quin Deus, qui regnum contulerat, id ei etiam conſeruare, quacunque demum ratione fieret, poſſet. Sed fide iſta cum deſtitueretur, curae variae & ſuſpiciones animum hominis impii lacerarunt; adeo vt vitam ſuam in periculo verſari crederet, ſi Iſraelitae iterum Iudaeis ſe iungerent; *reconciliaretur*, inquit, *animus huius populi cum domino*, *meque interficeret*. Iudaeorum commenta, cur Ieroboamus vitae ſuae timuerit, refert CHRISTIAN. SCHOTANVS, *biblioth. hiſt. vet. teſt. tom. II. pag. 821.* Vt ergo vitam pariter ac regnum retineret, diuini auxilii nulla amplius habita ratione, omnem populo occaſionem, cum Iudaeis iterum ſe coniungendi, adimere conſultum duxit. Eumque in finem nouos in religione inſtituere ritus in animum indu-

duxit, ne populus, Hieroſolymam ſacrorum cauſſa adſcendens, iterum in partes Rehabeami pertraheretur. *Duos* itaque *fecit vitulos aureos*, *dixitque Iſraelitis*, *nimium eſſet*, *vos ire Hieroſolymam*; *en Deum tuum*, *o Iſrael! qui te ex Aegypto eduxit. Deinde vnum eorum Bethele collocauit*, *alterum vero Dane ſtatuit.* Vocem עגלים *vituli*, LXX interpretes in feminino genere reddunt *δύο δαμάλεις χρυσᾶς*, & ſic quoque FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. VIII. cap. III.* Immo & apud *Hoſeam cap. X. 5.* exſtat: עגלות *vitulae.* Hinc & SVLPITIVS SEVERVS hoc ita exprimit: *Itaque vaccam auream in Bethel*, *alteram in Dan conſtituit*, *quibus populus litaret*; *hiſt. ſacr. libr. I. cap. LXIII.* Origo huius rei haud dubie ex Aegypto eſt arceſſenda, vbi Ieroboamus vixerat, cultumque vitulorum didicerat; eumque eo facilius populo perſuaderi poſſe credebat, quod iam olim ab Aarone ipſo ſimilis cultus inſtitutus fuiſſet. Alias equidem eius rei rationes adfert HVGO GROTIVS. *Volebat*, inquit, *Deum coli in ea figura*, *quae Ioſepho Dei miniſtro*, *vnde ortus erat Ieroboamus*, *dicata olim fuerat*, *& quae in Cherubinis partem faciebat praecipuam*, *vt vel illo adſpectu populus retineretur in veneratione poſteritatis Ioſephi*, *faciliusque crederet*, *eis regnum deberi*, *qui orti eſſent ab eo*, *cuius maxima in omnes Iſraelitas fuerant beneficia. Sic Iulia domus*, *Aeneae laudes per omnes poetas cani voluit*, *vt eo lenius populus ferret imperium illud*, *velut fatis datum. Sic principes ſolent etiam ſacra ad ſuas vtilitates torquere*, ad *b. l.* Verum & longius haec petita ſunt, & lubrico prorſus innituntur fundamento. Supponit enim, ſub bouis ſymbolo Ioſephum olim in Aegypto cultum eſſe: at perperam, vt ſupra iam demonſtrauimus ad *period. I. ſect. III. §. XXIII.* item ad *period. II. ſect. I. §. XXXVI.* Iungenda quae hac de re, contra HVGONEM GROTIVM diſputans, erudite monet HERMAN. WITSIVS, in *δεκαφύλῳ*, *ſeu de decem tribubus Iſraelis*, *libro ſingulari*, eiusdem *aegyptiacis* addito, *cap. I. §. IX. pag. 314. ſeqq.* vbi plura de hocce Ieroboami inſtituto. Aaronis autem exemplum dum obtentui ſumſit, haud dubie callide diſſimulauit, quantopere illud Deo diſplicuerit, aut falſa quadam interpretatione caliginem imperitorum animis offudit. Neque vero exiſtimandum, quod ipſos vitulos pro diis habuerit, aut ita coli voluerit. Sed ſub hac imagine verum Deum coli voluit, quae & mens erat Aaronis. Idque diſerte innuit Ieroboamus, quando dixit: *en deos tuos*, *qui te adſcendere fecerunt ex Aegypto.* Vbi profecto vitulos iſtos intelligere non poterat, quos eo tempore, cum Iſraelitae ex Aegypto adſcendebant, nondum exſtitiſſe, omnes norant. Verum ergo intelligebat Deum, cuius vitulos iſtos ſymbolum atque imaginem eſſe volebat. Cumque duo eſſent vituli, ideo in multitudinis loquitur numero. Duos autem non aliam ob cauſſam fecit vitulos, quam vt populum labore ad loca ni-

nimis remota ſacrorum cauſſa proficiſcendi, ſubleuaret. Id iam obtentui ſumſerat, cum eum Hieroſolymam adſcendere nollet, dicens: רב לכם מעלות *multum vobis ab adſcendendo*, hoc eſt, nimis moleſtum, ſi omnes ex locis etiam remotioribus Hieroſolymam ſe conferre debeant. Ne vero nouus, quem inſtituebat, cultus eodem incommodo laboraret, duos vitulos fecit, & alterum Dane, alterum Bethele collocauit, vt quisque Iſraelitarum illum ex his locis eligere poſſet, qui ſibi eſſet propinquior. Cum dicitur: *quae res euaſit in peccatum*, non ita hoc capiendum, ac ſi initio innocens fuerit Ieroboami inſtitutum, & poſtea demum, cum Iſraelitae ipſos vitulos adorare inceperunt, in peccatum euaſerit; ſatis quippe conſtat, in ſcriptura etiam cultum, qui vero Deo ſub imagine quadam exhibetur, pro idololatria reputari; ſed ſenſus eſt, cum ipſe Ieroboamus grauiter hac in re peccauerit, ſimul effeciſſe, vt & populus peccato grauiſſimo ſe obſtringeret. Porro cum additur: *& populus abiuit ante vnum vsque in Dan*, nonnulli hoc ita capiunt, ac ſi magnus totius populi concurſus Danem factus ſit: cuius tamen rei, ſeu cur hoc factum ſit, ſe ignorare rationes profitentur. At rectius aliis obſeruatum, ſcriptorem ſacrum primo exponere, quo pacto Dane nouus hic cultus inſtitutus ſit, & deinde referre, quo pacto idem factum ſit Bethele. De priori loco dum verba facit, populum, qui in vicinia Danis erat, aut quibus vrbs haec propinquior erat, quam Bethel, eo conueniſſe, narrat. Addit, Ieroboamum ibidem aedem ſacram ſeu ſacellum, aut etiam plura, in locis excelſis circa Danem exſtruxiſſe, ſacerdotesque ex plebe, praeteritis Leuitis, conſtituiſſe, tum quod Leuitae veri Dei cultui addictiores eſſent, tum quod plebis hac ratione captaret gratiam; denique & feſtum ibi celebraſſe Ieroboamum, menſe octauo, decimo quinto die menſis, cuiusmodi & Hieroſolymis celebrari ſolebat. Quodnam iſtud feſtum fuerit, non dicitur; non tamen a vero abhorret, fuiſſe feſtum tabernaculorum, quod die decimo quinto menſis ſeptimi apud Iudaeos celebrabatur: Ieroboamus autem, ob rationes non ſatis nobis cognitas, menſe ſequenti id celebrari voluit. Et ita quidem cum Dane nouum cultum inſtituiſſet, deinde & eadem ratione id Bethele fecit; vbi eodem tempore contigerunt, quae in ſequentibus ſcriptor ſacer commemorat.

** Conſtant haec ex *I. reg. XII.* ſuntque cuncta planisſima. Nonnulla tamen obſeruaſſe iuuabit. Prophetae iſtius, qui ex Iuda Bethelem iuſſu Numinis, altaris, in quo Ieroboamus ſacra faciebat, deſtructionem praedicturus, venit, nomen non conſtat. Ebraeorum tamen doctores, ne nihil ignorare videantur, Iddonem fuiſſe putant, vnde FLAVIO IOSEPHO Ἰαδὼν vocatur, *antiquit. iudaic. lib. II. cap. III. pag. 276.* Prouocant quidem ad *II. chron. II. 29.* ſed perperam, vt res ipſa docet. Sunt & ex eccleſiae do-

Digitized by Google

doctoribus, qui nomen eius produnt, ſed ſine fundamento. Egregium autem prorſus ac ſingulare fuit vaticinium, cum & nomen Ioſiae regis exprimeret, qui poſt trecentos & quinquaginta demum annos altare illud deſtructurus, & ſacerdotes excelſorum ſuper eo mactaturus eſſet. Statim etiam praedictionem miraculo confirmauit, cum altare, prout iuſſerat, finderetur, & cinis diſpergeretur. Immo & manus regis, quam in eum porrexerat, vt oſtenderet, quem capere deberent, exaruit, ſeu paralyſi ſubito correpta eſt, ad preces tamen prophetae ſanitati iterum reſtituta. Inuitatus autem a rege ad cibum capiendum, & promiſſis muneribus allectus, venire noluit, religioſe Dei mandato obtemperans, qui ei praeceperat, ne eo loci aut panem comederet, aut aquam biberet, neue per viam, quam iuiſſet, reuerteretur. Quare Deus hoc ei praeceperit, vt curioſius inueſtigemus, neceſſe non eſt, cum mandatis diuinis obtemperandum ſit, etſi vel maxime eorum nos lateant rationes. Quodſi coniecturis aliquid dandum ſit, probabile videtur, noluiſſe Deum prophetam vllum cum idololatris commercium habere, nec vllum amicitiae erga eos edere ſignum; hinc & per aliam viam eum reuerti voluit, ne forte a Ieroboamo retractus, in eius gratiam aliquid faceret, quod propheta indignum eſſet, aut ex quo colligi poſſet, gratiam quandam Numinis idololatras ſperare poſſe. Haud dubie etiam ideo hoc neceſſarium Deus duxit, quod noſſet, prophetam ea imbecillitate eſſe, vt eiusmodi tentationibus ſuccumbere poſſet, quod & euentus docuit.

Nimirum alius erat propheta ſenex, qui Bethele, ſeu prope Bethelem habitabat, cuius precibus & mendacio, cum in via iam conſtitutus eſſet, ſe flecti paſſus eſt, vt apud eum ad cibum capiendum diuerteret, ſed magno ſuo malo. Quis ſenex ille propheta fuerit, fruſtra quaeritur, cum ſcriptura hoc non commemoret. Chaldaeus, quia dicitur נביא אחר nomen eius facit: חד *vnus.* R. DAVID KIMCHI teſtatur, in quibusdam codicibus legi מיכה שמיה *Micha nomen eius*; & hoc magiſtris placere, etſi aliorum ſit ſententia, quod fuerit Amaſia, ſacerdos Bethelis. Alii alio nomine eum inſigniunt, quibus non immorabimur. Sed id potius expediendum, fueritne verus, an falſus propheta? Poſterius chaldaeo placet, quem & plerique ex doctoribus ebraeis ſequuntur. Ita & FLAVIVS IOSEPHVS: ἦν δέ τις ἐν τῇ πόλει πονηρὸς ψευδοπροφήτης, ὃν εἶχεν ἐν τιμῇ Ἱεροβόαμος, ἀπατώμενος ὑπ' αὐτοῦ τὰ πρὸς ἡδονὴν λέγοντος; *erat in ea vrbe malus quidam pſeudo-propheta, quem Hieroboamus in honore habebat, ſeductus ab illo, omnia ad gratiam loquente; antiquit. iudaic. lib. VIII. cap. III. pag. 277.* THEODORETVS contra verum prophetam fuiſſe exiſtimat, *quaeſt. XLII. in libr. III. reg. pag. 318.* Et hunc praeter alios HERMANNVS WITSIVS ſequitur, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. XV. §. XXIV. ſeqq.* Rationes,

tiones, quibus hanc ſententiam probant, hae ſunt: quia Deus alteri prophetae per eum praedixerit, quod euenturum erat; quia ſemper propheta vocetur, nec quidquam addatur, vnde intelligi queat, fuiſſe pſeudoprophetam: quia vaticinio de Ioſia altare Bethelis euerſuro, fidem adhibuerit. Nec omni pietate eum deſtitutum putant, cum in altero vate aequitatem diuini iudicii agnouerit, ipſeque iuſta ei fecerit, eodemque voluerit condi loculo. Quodſi mendacium opponas, fieri poſſe, reſpondent, vt & verus propheta labatur; quanquam & THEODORETVS illud, vtpote ex intentione non mala profectum, quodammodo excuſare videatur: ψευδέσι δὲ χρήσασθαι λόγοις πρὸς τὸν ἄνθρωπον τοῦ θεοῦ, οὐχ ἵνα τοῦτον βλάψῃ, ἀλλ᾽ ἵνα αὐτὸς μεταλάβῃ τῆς εὐλογίας; *falſis autem verbis vſum eſſe apud hominem Dei, non vt eum laederet, ſed vt benedictionem ab eo acciperet*; *loc. cit.* Mihi ita videtur, eum initio verum fuiſſe prophetam, ſed deinceps idololatram factum, aut ſaltem per foedisſimam adulationem, Ieroboami idololatriam non improbaſſe. Idque inde patere puto, quod ex *II. reg. XXIII. verſ. 15.* haud obſcure colligatur, cum antea habitaſſe in Samaria, & inde rerum ſuarum ſedem Bethelem transtuliſſe, non aliam haud dubie ob cauſſam, quam vt Ieroboami captaret beneuolentiam. Ita ergo mendacium ab eo non alienum fuit. Nec obſtat, quod Deus per eum alteri prophetae, quid euenturum erat, praedixerit; namque & alias impiis hominibus Deum quaedam reuelaſſe, conſtat. Pertinebatque hoc eo, vt propheta, qui ex Iudaea venerat, eo magis in pudorem coniiceretur, dum per eum ipſum, a quo ſeduci ſe paſſus erat, poena promerita, illi denuntiabatur. Hoc enim longe illi moleſtisſimum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Quod autem propheta ille ſenex, ſemper *propheta*, ſine additione aliqua, vocatur, nihil ad rem facit, cum etiam pſeudo-propheta ita vocari queat, quia ſe pro propheta venditat. Interim illis ſuffragari haud dubito, qui eum, cum videret, quae prophetae Iudaeo eueniſſent, ad meliorem mentem rediiſſe putant. Et hinc etiam factum, vt deinceps vaticinio eius de altari Bethelis fidem adhiberet, & erga mortuum ita ſe gereret, vt pietatem eius inde colligere liceat. Ex hactenus dictis diiudicare licet, quod itidem in controuerſiam venit, quo animo ſenex ille propheta tam vehementer adniſus fuerit, vt alterum prophetam ex via reuocatum, menſae ſuae adhiberet. Bono animo hoc ab eo factum, & ex adfectu ſingulari humanitatem hanc profectam fuiſſe, credunt, qui eum inter veros prophetas referunt. At longe aliter ſentiunt, & non ſentire nequeunt, qui eum pro pſeudo-propheta habent. Perdere enim illum alterum prophetam voluiſſe, putant, eo quod timeret, ne per illum ſua apud Ieroboamum auctoritas euileſceret. Ita FLAVIVS IOSEPHVS: δείσας μὴ παρευδοκιμήσειεν αὐτὸν ὁ

ξένος παρὰ τῷ βασιλεῖ καὶ πλείονος ἀπολάβοι τιμῆς, προσέταξε τοῖς παισὶν κ. τ. λ. *veritus, ne rex de hoſpite melius, quam de ſe opinaretur, mandauit filiis, &c. loc. cit. p. 277.* Hunc & alii ſequuntur. Verum, licet propheta ille ſenex eo tempore idololatra eſſet, aut ſaltem a Ieroboami idololatria non alienus, fieri tamen potuit, vt animo non adeo malo alterum prophetam tam enixe ad ſe inuitaret. Forte enim honorificum ſibi fore putauit, ſi omnes intelligerent, cum vero propheta, qui tantum miraculum ediderat, amicitiam ſibi intercedere; forte animi peccatorum conſcii ſtimulis adactus, amicitiam & familiaritatem veri prophetae quaeſiuit, aut quae aliae eius rei rationes eſſe potuerunt. Nocendi animum non habuiſſe, inde etiam colligi poteſt, quod ea, quae ex hac inuitatione ſecuta ſunt, nec praeſciuerit, nec praeſcire potuerit.

Inuitatus ergo propheta ille Iudaeus, quem alter in via adſecutus erat, initio quidem, venire recuſat, quod a Deo ſibi hoc prohibitum eſſet. Cum vero alter precibus mendacium adderet, diuinumque mandatum prae ſe ferret, tum demum ille, ad id faciendum, ad quod ceteroquin pronus erat, ſe induci paſſus eſt. Qua in re haud dubie peccauit grauiter. Cum enim de mandato a Deo ſibi dato certus eſſet, de eo autem, quod alter prae ſe ferebat, minime, cum neſciret, annon alter mentiretur, ſtolide patiter ac improbe egit, diſcedendo a mandato certo, incertumque ſequendo. Ad minimum Deum precari debuiſſet, vt ſibi oſtenderet, quid faciendum eſſet, aut ſignum ab altero poſtulare, ex quo conſtare poterat, reuera Deum ei eiusmodi quid reuelaſſe. Imprudentiae itaque ſuae, & animi mandatis diuinis parum morigeri, poenas dedit grauiſſimas. Cum enim menſae adſiderent, Deus per prophetam illum ſenem illi denuntiauit, quod, quia mandatum eius transgreſſus eſſet, cadauer eius in ſepulcro maiorum ipſius non ſit ſepeliendum. Ad prophetam illum ſenem, non ad alterum, verbum illud Domini factum, verba aperta ſcriptoris ſacri oſtendunt, a quibus ſine neceſſitate diſcedunt, qui hoc abnuunt. Nec obſtat, quod propheta ille ſenex eo ſaltem tempore impius aut idololatra fuerit; namque & impiis Deum quaedam reuelare, & ob cauſſas grauiſſimas hac vice id factum, antea iam obſeruauimus. Conſentiuntque hac in re cum chaldaeo interprete, plerique Ebraeorum, & chriſtianorum. Cum vero dicitur, cadauer eius in ſepulcro maiorum eius non ſepeliendum, tacite ſimul violenta morte eum periturum innuitur. Quod & mox euentus docuit. Cum enim in eo eſſet, vt domum reuerteretur, leo in illum incidit, a quo interfectus eſt. Neue quis dubitaret, diuinitus leonem hanc ob cauſſam immiſſum, nec cadauer eius vorauit, quod ferae famelicae facere ſolent, nec aſinum violauit. Qua quidem in re tremenda Numinis iudicia ſe produnt, ſeueritatem eius ac iu-

ſtitiam

ſtitiam indicantia. Id quidem mirum alicui videri poſſet, cur tam grauiter propheta hicce punitus ſit, & alter contra impunitus euaſerit, cum huius tamen longe grauius crimen fuiſſe videatur, quam illius. Bethelicus enim ille propheta per mendacium alterum deceperat, cum alter ſaltem nimia credulitate peccauerat, verbis eius inconſiderate adhibendo fidem. Verum peccatum illud prophetae alterius neutiquam tam leue erat, vt prima fronte videri poteſt. Verſabatur enim in eo honor Dei, & omnis prophetiae auctoritatis, vt Numinis mandata prophetis data adcurate obſeruarentur. Per prophetarum namque peccata, omnis euileſcere, omniumque ludibrio exponi poterat prophetia; quae ad idololatriam & omnem impietatem ſtabiliendam, latiusque diffundendam, planisſima via erat. Vt ergo iuſtiſſimum erat illud Dei iudicium, ita plurima ad alios quoque inde redundabant bona. Non tantum enim confirmatum hac ratione fuit vaticinium contra altare Bethelis, ſed cum caſus hic haud dubie multorum ſermonibus celebraretur, latius idem hac occaſione propagatum, & multorum animis altius impreſſum eſt. Cumprimis autem Ieroboamo & omnibus idololatris, maximum incutere terrorem debuit. Si enim Deus inconſideratam incredulitatem prophetae tam ſeuere puniuit, quid illis exſpectandum erat, qui, idola colendo, verique Dei cultum reiiciendo, tam proterue diuinas violabant leges? Eleganter THEODORETVS: εἰ γὰρ τροφῆς μετάληψις παρὰ τὴν θείαν ἐντολὴν γενομένη, καὶ οὐκ ἐξ ἡδονῆς, ἀλλ᾽ ἐξ ἀπάτης γεγεννημένη, τοσαύτην ἀνδρὶ δικαίῳ τιμωρίαν ἐπήνεγκεν, ὁποίαις περιπεσοῦνται κολάσεσιν οἱ τὸν μὲν πεποιηκότα καταλελοιπότες θεὸν, τὰ δὲ τῶν ἀλόγων προσκυνοῦντες ἰνδάλματα: *Si enim cibus ſumtus praeter Dei mandatum, idque non voluptate, ſed fraude, viro iuſto tantum intulit ſupplicium: quales luent poenas, qui Deum quidem reliquerunt, qui ipſos fecit, adorant autem ſimulacra rationis expertium animalium? loc. cit. pag. 319.* Reliqua, quod propheta Bethelicus alterum luxerit, cadauer eius in ſepulcro ſuo condiderit, ſuaque oſſa iuxta eius oſſa poni voluerit, & aperte teſtatus ſit, ea euentura, quae alter ille propheta contra altare Bethelis vaticinatus erat, confirmant id, quod antea diximus, prophetam illum ſenem haud dubie agnito errore ad mentem meliorem rediiſſe.

*** Etſi Ieroboamus ex iis, quae prophetae, qui altaris Bethelici deſtructionem praedixerat, contigerunt, facile colligere poterat, quae ab irato ſibi exſpectanda eſſent Numine, omnia tamen parum curans, in inſtituto ſuo perrexit, plures adhuc ſacerdotes excelſorum ex plebe conſtituens, immo omnes in ſacerdotum numerum cooptans, qui pecunia aut adulatione illud munus ambiebant, poteſtatemque eodem fungendi, cis faciens. Eaque re ita offendit Deum, vt tandem totam Ieroboami domum exſcindere,

 atque

Digitized by Google

atque e terra delere, ſecum conſtitueret. Contigit autem, vt filius eius Abia (FLAV. IOSEPHVS Ὀβίμην vocat) in morbum incideret. Monente itaque Ieroboamo, quem filii morbus ſollicitum tenebat, vxor eius, mutato habitu, ne regina eſſe noſceretur, Silunta ſe confert, ad Achiam prophetam, qui regnum ei praedixerat. Agnouit ergo hypocrita, illum ipſum Deum, quem idololatria ſua tantopere offendit, ſolum verum Deum eſſe, quippe qui ſolus per vates ſuos futura praedicere queat. Recordatur etiam, ab eodem vate ſibi regnum praedictum, & nihiloſecius de mente mutanda, placandoque vero Numine, non eſt ſollicitus. Cur mutato habitu vxorem accedere ad prophetam voluerit, variae rationes eſſe potuerunt: praecipua eſſe videtur, quod fallere populum voluerit, ne, ſi aperte veri Dei prophetam conſuleret, hic de nouo cultu dubitare inciperet, intelligens, ipſum eius auctorem in anguſtiis conſtitutum, ad eos ipſos, qui huncce cultum damnabant, confugere. Habitus mutationem FLAVIVS IOSEPHVS ita deſcribit, quod depoſita ſtola ſumſerit σχῆμα ἰδιωτικὸν· Munus quoque attulit, *decem panes & placentas, & lagenam mellis.* Vocem נקדים chaldaeus vertit: כסנין placentarum genus ſignificans. Alii quidem aliter. Diſtinctum quid a pane vulgari & vſitato fuiſſe, res ipſa docet. Munera quaedam prophetis offerri ſolita fuiſſe, iam ad *ſect. praeced.* §. *III.* obſeruauimus. Cum autem Ieroboami vxor domum Achiae ingrederetur, hic ex Numinis reuelatione, fruſtra illam latere velle ſignificat, ſimulque poenas grauiſſimas, quae familiae Ieroboami ob eius impietatem imminerent, illi denuntiat. Dicit ipſe propheta; *ego miſſus ſum ad te*, קשה h. e. בקשה *cum re dura*, ſiue *nuntiator duri.* Commemoratis hinc Numinis in Ieroboamum collatis beneficiis, & ingrati animi crimine cum impietate & idololatria turpiſſima exprobrato, interitum totius familiae Ieroboami praedicit. *Propterea* (ita Deus ipſe per prophetam loquitur) *en! malum adducam in domum Ieroboami; exſcindamque Ieroboami & mingentem in parietem, clauſum & neglectum in Iſraele &c.* Per *mingentem ad parietem* canem intelligi, locutionemque eſſe prouerbialem, qua παναλεθρία ſignificatur, iam ſupra ad *ſect. praeced.* §. *X.* oſtendimus. Quid עצור ועזוב *clauſum* & *relictum* intelligendum ſit, viri docti inter ſe non conueniunt. Nonnulli ex Ebraeis de rebus accipiunt, quae ab initio poenae, concluſae & conſeruatae fuerint, tandem tamen extrahendae ſunt & auferendae. Alii ex eadem gente per *concluſum* pecuniam, per *relictum* pecora intelligunt. Alii autem, non de rebus, ſed de perſonis hoc capiendum, contendunt, & quidem rectius mea opinione, quia additur בישראל *in Iſrael.* Quanquam hi ipſi in varias iterum ſententias abeunt. Placet mihi prae reliquis illorum expoſitio, quibus עצור *clauſus* infans eſt, aut puer minorennis, qui domi adhuc detinetur, עזוב *relictus*

Digitized by Google

ctus autem, qui iam maiorennis factus, a patre emancipatus eſt, & dimiſſus, vt ſuas res ipſe curet. Senſus itaque eſt, omnes ſine aetatis diſcrimine, paruulos pariter ac adultos, exſcindendos eſſe; conf. B. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, ad *h. l.* Sed pergit Deus: *Auferam poſteros domus Ieroboami, vt auffertur ſterquilinium, donec totum ſublatum ſit. Eum, qui morietur domui Ieroboami, in vrbe comedent canes, & qui morietur ruri, eum aues coeli vorabunt &c.* Hinc, cum de filio Ieroboami dixiſſet, quod moriturus eſſet, cum vxor Ieroboami vrbem ingreſſa fuiſſet, cumque ſolum ex familia Ieroboami honorifice ſepeliendum, quod *in eo aliquid boni inuentum ſit,* (vnde videtur colligi poſſe, quod iam ea aetate fuerit, vt virtutis quaedam ſpecimina edere potuerit,) cumque & hoc indicaſſet, regem a Deo excitandum, (qui Baeſa fuit) qui deleturus eſſet familiam Ieroboami, ad mala toti genti Iſraeliticae imminentia tranſiturus, ומה גם עתה *& quid etiam nunc?* inquit. Quae verba interpretibus aliquid negotii faceſſunt. Chaldaeus vertit: *ab eo, qui viuus eſt hoc die, & etiam eum, qui naſciturus eſt, a nunc & deinceps.* Vulgatus: *in hoc die & hoc tempore:* alii aliter. IOANNES CLERICVS, vir doctiſſimus, vertit: *quid ſi etiam nunc?* putatque, addidiſſe hoc prophetam, quod forte ignorauerit, quando hoc futurum eſſet. At cum propheta ex inſtinctu & reuelatione diuina locutus ſit, quod dubitanter locutus ſit, aut ſuam profiteri hoc ipſo ignorantiam voluerit, dici nequit. Rectius, vt mihi videtur, ſentiunt, qui haec verba pro tranſitione ad poenas, quas propheta toti populo Iſraelitico denuntiaturus erat, habent; ſenſusque erit: *& quid etiam nunc?* poſt iſtud domus Ieroboami excidium, ſeu *quid deinceps erit? Percutiet Deus Iſraelem &c.* Verborum autem, quibus Iſraelitis poenam promeritam denuntiat, ſenſus hic eſt: *Percutiet Deus Iſraelem, vt moueatur, quemadmodum arundo mouetur in aqua;* quo ipſo debilitatio regni Iſraelitici ſignificatur, quae eo vsque proceſſura ſit, vt tandem a quolibet vinci queat, vt arundo vel a leuiſſimo vento mouetur. Hanc vero euerſio tandem & populi translatio ſequitur: *euellet Iſraelitas ex terra hac fertili, qua maiores eorum donauit, diſpergetque eos trans fluuium,* ſcilicet Euphratem, vt recte chaldaeus, aliique; in Aſſyriam eos transferendos ſignificans. Ratio additur: *quia fecerunt ſimulacra ſua, quibus iram Iehouae mouerunt.* Vox enim אשרים recte per *ſimulacra* hic verti videtur, etſi alias *lucos* ſignificet. Vocem אשרה interdum idem eſſe, ac Aſtharoth, ſeu Aſtarten, fuſe ſupra docuimus, ad *ſect. praeced.* §. *XVIII.* Quod vero porro addit, haec illis euentura propter peccata Ieroboami, *qui peccauit, & Iſraelem ad peccandum adduxit,* ita capiendum, quod Ieroboamus occaſionem quidem peccandi Iſraelitis praebuerit, hi autem, quia ſe ſeduci paſſi ſint, & in idololatriae participationem venerint, a Deo ſint pu-

Digitized by Google

puniendi. Sermonem ſuum cum propheta abſoluiſſet, vxor Ieroboami, quam citisſime potuit, Thirtſam, quae regia tum ſedes erat, reuerſa eſt, *cumque limen domus ingrederetur, puer mortuus eſt.* Cum antea *verſ. 12.* propheta dixerit, moriturum puerum, cum vrbem ingreſſura mater eſſet, hic autem dicatur, eum mortuum, cum limen domus ingreſſa eſſet, in varias ſe verſant partes viri docti, vt haec inter ſe concilient. Sed ſi priora verba ita capiantur, prout ſupra ea expresſimus, *cum vrbem ingreſſa fuiſſet*, moriturum puerum, omnis difficultas ceſſat.

§. V.

Nec religioſius erga Deum ſe gerebat Rehabeamus, quam Ieroboamus. Hinc Iudaei non minus, ac Iſraelitae, in omne ſe dederunt nefas, non vno idololatriae ſceleriſque genere iram Numinis in ſe prouocantes. Quare & Seſaco Aegypti regi tradebantur, qui ingentibus copiis inſtructus, Palaeſtinam ingreſſus, captis, quas Rehabeamus muniuerat, vrbibus, Hieroſolymam cum templo diripuit. * Mortuo autem Rehabeamo, Abiamus filius, fortior quidem, non tamen melior patre, ſuccesſit. Is regnum Iſraeliticum, ceu iniquisſime familiae Dauidicae a Ieroboamo ereptum, repetens, arma capit; cumque res ad proelium veniſſet, Iudaei tandem ſuperiores euaſere, magnaque clade adfecere Iſraelitas, vt quinquies centena millia ex iis caderent. Vrbes etiam quasdam, Bethelem, Ieſanam, & Ephronem cum villis ad eas ſpectantibus, Iſraelitis ereptas, Iudaei in poteſtatem ſuam redegerunt. ** Obiit Abiamus, cum per triennium ſaltem ſumma rerum potitus eſſet, ſucceſſorem relinquens Aſam filium, nec diu poſt Ieroboamus vita functus eſt. ***

* Cum Rehabeamus a Semaiah vate monitus, ſpem reducendi ad obſequium Iſraelitas, abieciſſet, vti ad §. *III.* docuimus, vt Iudae ac Beniaminis regnum firmaret, & contra omnes hoſtium inſultus tutus eſſet, nihil fecit reliqui. Eum in finem Bethlechemum, Hetamum, aliasque vrbes muniuit, quae *II. chron. XI. 5. ſeqq.* indicantur. Praetermittendum hic non eſt, quod *I. reg. XIV. 21.* dicitur, Rehabeamum vnum & quadraginta annos natum fuiſſe, cum regnare Hieroſolymae inciperet, annosque ſeptendecim imperio praefuiſſe. Minus namque credibile nonnullis videtur, quod iam vnum & quadraginta annos natus fuerit, cum regni habenas ſuſciperet. Hoc enim ſi admittatur, ſequi, eum Salomoni natum, anno vno, antequam coepiſſet regnare; quod tamen prorſus a vero abhorreat, cum eo tempore adhuc ferme puer fuerit, *I. reg. III. 7.* & *I. chron. XXII. 5.* cumque

que etiam pater eius Dauid adhuc vixerit, cum neutiquam conſenſurum fuiſſe, vt Naamam, non peregrinam modo, ſed omnino ex gente Ammonitide, quam ipſemet Dauid deleuerat, vxorem duceret; accedere, quod poſt templum Domini & regiam exſtructam, ei vitio vertatur, quod peregrinas mulieres ex Moabitidibus & Ammonitidibus duxerit. Nihil aliud ergo ſupereſſe contendunt, quam vt in textu ebraeo pro ארבעים ואחת שנה *quadraginta & vnum annos*, legatur עשרים אחת שנה *vnum & viginti annos*. Ita LVDOVICVS CAPPELLVS, *crit. ſacr. lib. I. cap. X.* quem & IOANNES CLERICVS ſequitur, & *I. reg. XIV. 21.* tanquam ὁμοψήφους laudans HVGONEM GROTIVM & IOB. LVDOLFVM, illum ad *h. l.* hunc autem *hiſtor. aethiop. libr. I. cap. III.* A me vero, allatae rationes vt in textu quidquam mutandum cenſeam, nondum impetrare poſſunt. Ad aetatem enim Salomonis quod attinet, perperam ſupponitur, eum puerum adhuc fuiſſe, cum patri in regno ſuccederet; ea enim aetate fuiſſe, quae iam ad virilem accederet, ſupra ad *ſect. praeced.* §. *XXI.* demonſtrauimus. Naama autem, Ammonitis, ex mulieribus captiuis eſſe potuit, quae proſelyta facta; cumque haud dubie forma longe praeſtantiſſima eſſet, non video, quid obſtet, quo minus eam ducere potuerit Salomo, &, vt duceret, conſentire Dauid. Fieri tamen etiam potuit, vt deinceps, cum videret, Salomonem ab aliis mulieribus ad cultum idolorum abripi, & ipſa ad patrios auitosque rediret errores, iisque deinde filium imbueret. Non enim ſine ratione fieri, Ebraeorum doctores arbitrantur, quod aliquoties ſcriptura memorat, matrem Rehabeami fuiſſe Ammonitidem, ſed hoc ipſo innui, venenum idololatriae, quo infectus Rehabeamus fuit, a matre eum quodammodo hauſiſſe. LXX quidem interpretes, Rehabeamum ſedecim annorum fuiſſe, aiunt, cum regno admoueretur, & regnaſſe annos duodecim; ſed cum textu ebraeo conſentit FLAVIVS IOSEPHVS, a quo & eo minus diſcedendum, quod idem *II. chron. XII. 13.* diſerte confirmatur. Ad ipſum Rehabeami regnum vt redeamus, ſub eius initio res Iudaeorum erant florentiſſimae. Sacerdotes enim & Leuitae omnes Hieroſolymam & ad tribum Iudae ſe conferebant, eo quod Ieroboamus aliis ſacrorum curam commiſiſſet, ſed & ex reliquis tribubus viri pii & religioſi plurimi, qui nouum iſtum cultum deteſtabantur, Hieroſolymam ad verum Deum colendum adſcendere non deſinebant. Quo ipſo & vires Rehabeami augebantur, & ſpes erat, poſſe tandem & reliquos ad gentem Dauidis reduci, ſi modo rex in vero Numinis cultu perſtitiſſet. Sed ea ſaltem per triennium durauit felicitas. Tum enim a recto tramite deflexit Rehabeamus, idemque haud dubie ad eius exemplum fecerunt Iudaei, qui & eo vsque impietatis progreſſi ſunt, vt *plus, quam quidquid maiores eorum fecerant*, admitterent, quo Numen irritarent. *Aedificarunt etiam ſibi,*

ſibi, ita ſcriptor ſacer pergit, *loca excelſa*, *ſtatuasque & ſimulacra*, (ita enim vox אשירים hic verti poteſt, quanquam alii lucos intelligant) *poſuerunt in omni edito colle*. Addit, fuiſſe etiam *cynaedos* in terra, (id enim vox קדש ſignificat, vt vel ex feminino קדשה *meretrix*, intelligitur,) omniaque βδελύγματα gentium Cananaearum Iudaeos fuiſſe imitatos. Tantam ergo impietatem, vt ſtatim Deus puniret, non ſine eius directione contigit, vt Schuſakus, ſeu Schiſakus, quem & Seſakum vocant, Aegypti rex, expeditionem contra Rehabeamum ſuſciperet. Num a Ieroboamo ad hoc concitatus, an alia cauſſa inductus, hoc fecerit, non conſtat. Sunt viri doctiſſimi, inque his cumprimis IOANNES MARSHAMVS, qui Schuſakum ſeu Schiſakum eundem cum Seſoſtri, cuius maxima olim fuit celebritas, eſſe putant, *can. chron. ſect. XIV. p. 378. ſeqq.* Sed quid hac de re ſentiendum ſit, ſupra iam fuſe expoſuimus. Schuſakus autem magno cum exercitu ex Aegypto in Palaeſtinam venit, Iudaeis arma illaturus. Praeter ingentes copias pedeſtres, illi erant mille ducenti currus, & ſexaginta millia equitum. Erantque in exercitu eius Libyes, Troglodytae & Chuſaei, ſeu Arabes ex Midianitide. Vocem סכיים a LXX interpretibus atque vulgato recte per *Troglodytas* reddi, viris doctis iam obſeruatum; vid. SAMVEL BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. IV. cap. XXIX.* Cum ergo iſto cum exercitu ad Iudaeam adpropinquaſſet, vrbes primum munitas, quae in ea erant, facili negotio expugnauit. Iam Hieroſolymae imminebat, cum Semaiah vates regi in anguſtiis conſtituto, proceribusque, cauſſam iſtius calamitatis indicaret; mox vero, cum rex pariter ac proceres ſubmiſſa mente, ſe iſtam promeruiſſe poenam agnoſcerent, caſtigationem quandam eos non euitaturos, vltimam tamen nondum iis imminere perniciem, a Deo iis denuntiare iuſſus eſt. Et id quoque euentus comprobauit. Cum enim vrbem Hieroſolymam Schuſako dedere coacti eſſent, vitae incolarum pepercit, & theſauros ſaltem ex templo & domo regia, clypeos quoque aureos, quos Salomo fecerat, ſecum abſtulit. FLAVIVS IOSEPHVS dicit, eum auri argentique μυριάδας ἀναριθμήτους ſecum abſtuliſſe. Rehabeamus autem loco aureorum aeneos clypeos confici voluit, eosque, quoties ad templum ibat, ante ſe deferri, ſiue ad oſtentationem, ſiue ad metum immorigeris incutiendum. Nec multo melior per iſtam caſtigationem factus eſt Rehabeamus, cum verum Deum ſincere non coleret. Quando vero dicitur, bellum perpetuum fuiſſe, inter Rehabeamum & Ieroboamum, de inimicitia & animorum diſſenſione, forte & velitationibus quibusdam & excurſionibus ad praedam faciendam, hoc eſt intelligendum. Apertum enim atque ſolenne bellum inter eos non fuiſſe, conſtat. Rehabeamum πολύγαμον fuiſſe, ex *I. chron. XI. 18. ſeqq.* diſcimus, vbi quaedam eius vxo-

Digitized by Google

xores & filii recenſentur, adiiciturque, quod octodecim vxores primarias & concubinas ſexaginta (IOSEPHVS habet τριάκοντα) duxerit; ex quibus octodecim filios & ſexaginta filias ſuſceperit. Abiamum autem, cuius mater Maacha erat, Abſalomi filia, quam prae reliquis amabat, principem ceterorum filiorum conſtituit, eo quod eum ſibi in regno ſuccedere vellet. Non videtur Abiamus fuiſſe primogenitus, vnde & ſequitur, penes regem eo tempore ſtetiſſe, quemnam ex filiis ſuis, ſi plures haberet, ſibi ſuccedere vellet. Quod vero reliquos filios per omnes Iudae & Beniaminis tractus diſperſiſſe, iisque alimenta dediſſe dicitur, hoc eo ſpectare videtur, vt ab vrbe Hieroſolyma remotis occaſionem res nouas moliendi adimeret, tranquillamque regni poſſeſſionem Abiamo relinqueret. Obiit Rehabeamus, cum per annos ſeptendecim, vt antea diximus, rerum ſummam tenuiſſet.

** Abiami, qui Rehabeamum patrem in regno excepit, matrem *Maacham, Abſalomi ſeu Abiſalomi filiam fuiſſe, antea diximus. Per Abſalomum hunc, Dauidis filium nonnulli intelligunt. Ita & FLAV. IOSEPHVS, qui tamen, Maacham hanc non filiam, ſed neptim eius fuiſſe, autumat; *antiquit. iud. libr. VIII. cap. III.* Alii autem, Dauidis filium intelligi, negant, idque tum alias ob cauſſas, tum maxime, quod *II. chron. XIII. 2.* vbi Vriel vocatur, Gibeonita fuiſſe perhibeatur, adeoque ex tribu Beniamin. Eſt vero & hoc ipſum obſeruatu dignum, quod tum Maacha, tum pater eius Abſalom binominis fuiſſe videatur, cum illa *II. chron. XIII. verſ. 2. Michaia filia Vrielis* audiat. Quanquam non deſint, qui, *Abſalom* aui, & *Vriel* patris nomen fuiſſe, cenſeant. Cum anno Ieroboami decimo octauo imperii habenas Abiah ſuſcepiſſe dicitur, id neutiquam ei repugnat, quod Rehabeamus per annos ſeptendecim regno praefuiſſe perhibetur. Siue enim circa finem anni decimi ſeptimi, ſiue circa initium decimi octaui mortuus ſit Rehabeamus, vtroque modo Abiah recte anno Ieroboami decimo octauo regnare coepiſſe dicitur. Cum ergo regno admotus eſſet, bellum inter eum & Ieroboamum exarſit. Quis belli auctor fuerit, non conſtat. FLAVIVS IOSEPHVS, a Ieroboamo illud ſuſceptum, ait, eo quod Abiam propter aetatem, adminiſtrandis rebus non ſatis maturam, contemneret, at Abiam magno animo ſupra aetatem & ſpem hoſtis, ei occurriſſe; *antiquitat. iudaic. libr. VIII. cap. V. pag. 251.* Cum acies vtrinque inſtructae eſſent, Abiah in montem צמרים *Zemaraim* adſcendit, vt populum Israeliticum adloqueretur. Fuit vrbs eiusdem nominis in tribu Beniamin, *Ioſ. XVIII. 22.* a qua haud dubie non procul mons ille, ſeu collis, ſitus fuit, ſed ita, vt iam intra fines Ephraimi contineretur. LXX interpretes habent σομόρων, IOSEPHVS autem: ὄρος Σαμαρῶν· Loquendi facultatem cum a populo Israelitico impetraſſet (hoc enim, vt ponamus, res ipſa poſtulat) exprobrata

illis Ieroboami rebellione, verorum ſacerdotum expulſione, & noui cultus introductione, vt pugna intermiſſa ad officium redirent, neue, multitudine licet ſuperiores, inuito Deo ſe victoriam reportaturos crederent, adhortatur. Ieroboamus autem iſta oratione parum commotus, partem copiarum occulte terga Iudaeorum circumire iubet: qui ab hoſtibus vndique ſe circumdatos ſentientes, magnoque timore perculſi, ad Deum ſe conuertentes, precibus ardentiſſimis auxilium ab eo poſtulant, & impetrant. Dum enim ſacerdotes tubis clangebant, Iudaei clamore ſublato adgrediuntur Israelitas, eosque in fugam vertunt, cladeque ingenti adficiunt. Caeſa enim memorantur quingenta millia virorum, cuiusmodi ſtragem non temere in vllis Graecorum aut barbarorum commentariis legi, recte IOSEPHVS obſeruat. Atque idem quidem refert, Abiam populum ab Israelitarum copiis cinctum, adhortatum eſſe, vt ſpem omnem in Deo reponerent, qui circumueniri non poſſet: τοῦτον γὰρ οὐκ ἐγκυκλοῦσθαι πρὸς τῶν πολεμίων. Per iſtam itaque cladem res Israelitarum inferiores fuere rebus Iudaeorum, qui & vrbes quasdam iis ademerunt. Abiah autem licet in proelio iſto, quo Israelitas vicit, magnam pietatem prae ſe tuliſſet, Deum tamen verum ſincere non coluit, immo patris imitatus eſt peccata. Quod ſi non feciſſet, dubium non eſt, quin Iudaeorum res longe florentiſſimas reddere potuiſſet. Idem etiam rebus ſuis per victoriam ab Israelitis reportatam confirmatis, quatuordecim duxit vxores, & duos quidem ac viginti filios, ſedecimque filias genuit, *II. chron. XIII. verſ. 1. ſeqq.*

*** Cum per annos XXII. ſummam rerum tenuiſſet, *I. reg. XIV. verſ. 20.*

§. VI

Aſa, Abiami filius, patre melior, nec fortitudine illi quidquam concedens, nihil prius aut antiquius habuit, quam vt, ſublatis idolis, lucisque incenſis, verum numinis cultum reſtauraret.* Hinc & praeſentiſſimum eius auxilium expertus eſt, cum Serachus Midianitarum rex, ingentem ſecum exercitum ducens, Iudaeis immineret. Licet enim copiae, quas illi opponebat, duplo fere inferiores eſſent, diuino tamen auxilio, quod precibus efflagitauerat, fretus, hoſtes in fugam vertit, magnaque clade adfecit. Laudatus hinc ab Aſaria vate, quod Numinis potius fauore, quam armis fretus, hoſtes adgreſſus eſſet, & vt in recto vitae inſtituto ſtrenue pergeret, admonitus, quidquid adhuc ſupererat ſuperſtitionis & idololatriae, exſtirpare penitus adniſus eſt.** Summam merito hinc pietatis & virtutis conſecutus eſt laudem, cui tamen deinde maculas quasdam adſperſit, dum a Baeſa Israelitarum rege ſibi metuens, Aſſyriorum fedus ſacro auro pactus.

ctus eſt, quo ipſo diuina auxilia humanis ſe poſthabere ſignificauit; dumque vatem, a quo hoc nomine reprehenſus erat, in vincula coniecit; & denique, dum morbo adflictus, ad medicorum potius operam, quam ad Deum ſe recepit. Obiit anno regni ſui quadrageſimo primo. ***

* Laudatur Aſa, *I. reg. XV. 11.* quod fecerit, quae placebant Domino, inſtar Dauidis abaui eius. Cynaedos namque ſeu קדשים e terra exterminauit, & omnia idola, quae maiores eius fecerant, ſuſtulit. Immo & *Maacham matrem ſuam amouit, ne eſſet amplius regina, quia fecerat* מפלצת לאשרה *ſimulacrum horrendum Aſcherae, conciditque Aſa horrendum eius ſimulacrum, & in Kidrone torrente combuſſit.* Cum Abiae regis mater itidem Maacha dicta ſit, quidam ex ebraeae gentis doctoribus eandem & hic indicari, putant, adeoque per matrem *auiam* intelligunt. Quod autem mater vocetur, id in laudem Aſae factum putant, quod, licet ab auia haecce fuiſſet educatus, nihiloſecius ab idololatria eius fuerit alienus. At, cum ſecundum alios in genealogiis regum, quae in libris regum & chronicorum proponuntur, inſolens ſit, vt mater auiam denotet, dicendum potius videtur, Rehabeami pariter ac Abiae vxorem eiusdem fuiſſe nominis. Quod & facile contingere potuit. Hancce matrem ſuam remouit, מגבירה ne eſſet *domina*, ſiue *auguſta*, vel etiam *regina*. Videtur nimirum mulier imperandi cupida imperii partem ad ſe rapuiſſe, magnamque potentiam & auctoritatem ſibi vindicaſſe, qua ad augendam & confirmandam idololatriam abuſa eſt. Hanc ergo potentiam illi ademit, Aſa, effecitque adeo, ne alios ſeducere poſſet. Idque hanc maxime ob cauſſam, quod מפלצת לאשרה feciſſet, quod Aſa concidit, & in Kidrone torrente combuſſit. Vocem מפלצת לאשרה LXX interpretes vertunt: σύνοδον ἐν τῷ ἄλσει αὐτῆς, & deinde מפלצתה reddunt: τὰς καταδύσεις αὐτῆς. Vulgatus priora reddit: *in ſacris Priapi, & in luco eius.* HIERONYMVS quoque, dum in eo eſt, vt oſtendat, Baal-Peor nihil aliud fuiſſe quam Priapum, inter alia & inde hoc probat, quod Maacha, Aſae regis mater, princeps in ſacris Priapi fuerit, idque ex hoc ipſo loco *I. Reg. XV. 13.* colligit, ad *Hoſ. cap. IV. 14.* Sequitur HIERONYMVM praeter alios PETRVS IVRIEV, *hiſtor. critic. dogmat. &c. part. IV. cap. II. pag. 551. ſeqq.* Sed quam infirmo haec ſententia nitatur fundamento, iam ſupra oſtenſum, ad *per. II. ſect. I. §. XXXVI.* Id conſtat inter omnes, מפלצת ceteroquin *horrorem*, ſeu *rem horrendam* denotare, cum verbum התפלץ ſignificet *tremere, contremiſcere.* Hinc idolum aliquod ſeu ſimulacrum idololatricum ita vocari potuit, quod omnibus veri Dei cultoribus horrorem velut incuteret, quemadmodum & alias idola *abominanda*, ſeu *res abominabiles*, vocari ſo-

ſolent, quae veri Dei cultoribus tales eſſent. Aliam rationem reddit R. LEVI BEN GERSON: שהוא מביא פלצות וצרות רבות לעבדיו *quia adducit horrorem & calamitates multas cultoribus ſuis*; ad *h. l.* Prior tamen ratio, vt planior, mihi praeferenda videtur. Iam quod ad vocem אשרה attinet, cum ſupra ad *ſect. praeced.* §. *XVII.* obſeruatum ſit, ea interdum idem ſignificari, ac *Aſtaroth*, ſiue *Aſtarte*, ea hic vel maxime locum inueniet ſignicatio. Senſus namque planiſſimus luculentiſſimusque eſt, Maacham feciſſe מפלצת *ſimulacrum*, quod omnibus piis horrorem velut incuſſerit, meritoque horrendum dicatur, לאשרה *Aſcherae*, ſiue τῇ Aſtaroth; idque ſimulacrum concidiſſe deinde Aſam, & in Kidrone torrente combuſſiſſe. Dicitur autem porro, Aſam etſi ceteroquin animo integerrimo per totam vitam Deo adhaeſerit, *excelſa tamen non amouiſſe.* Cui repugnare videtur, quod *II. chron. cap. XIV. 5.* diſerte dicitur; *amouit quoque ex omnibus vrbibus Iudae excelſa loca & ſolis delubra.* Sed diſtinguendum videtur, inter excelſa idolis conſecrata, & inter ea, in quibus vero Deo ſacta fiebant. Illa amouit; haec adhuc tolerauit. Per חמנים *ſolis delubra*, *ſtatuae ſolares*, ſeu ſtatuae ſoli dicatae intelliguntur merito; qua de re iam ſupra dictum. Denique & illud Aſae laudi ducitur, quod res tum a patre ſuo, tum a ſe ipſo conſecratas, temploque deſtinatas, eidem intulerit; argentum ſcilicet aurum & vaſa. Videtur namque Abiah poſt victoriam a Ieroboamo reportatam, in grati animi ſignum multa Deo conſecraſſe; ſed, cum homo impius eſſet, de iis reuera Deo offerendis parum fuiſſe ſollicitus. Dum autem bellum fuiſſe dicitur inter Aſam atque Baeſam, per totam eorum vitam, hoc de diſcordia itidem & animorum diſſenſione, praecipue eſt intelligendum, quae tamen tandem in apertum bellum, poſtquam Aſa victoriam a Midianitarum rege iam reportaſſet, erupit.

** Ex quo Aſa regnare coepit, per annos decem nec cum Iſraelitis, nec cum vlla alia gente, bellum apertum ei interceſſit. Atque hoc eſt, quod *II. chron. XIV. 1. terra per decem annos quieuiſſe*, dicitur. Ea quiete Aſa tum ad cultum Numinis reſtaurandum & exſtirpandam idololatriam, vt antea dictum, tum ad vrbes Iudaeae communiendas, vſus eſt, *II. chron XIV. 2. ad. 8.* Anno regni eius vndecimo, Serachus rex Midianitarum aduerſus eum venit, victusque eſt, & bellum in Gerar prolatum, vbi Aſa ciuitates quasdam ſibi ſubiecit. Durauit hocce bellum vsque ad annum regni eius decimum quintum, quippe quo reuerſus Hieroſolymam, fedus cum Deo renouauit *II. chron. XV. 10.* Serachus hicce vocatur הכושי *Chuſita*, vnde vulgo pro rege Aethiopum habetur. Hoc nomine tamen & Midianitas intelligi poſſe, alibi iam obſeruatum eſt. Exercitus eius fuiſſe dicitur ***millies mille virorum, trecentorumque curruum.*** Incredibilis

hic-

Digitized by Google

hicce militum numerus nonnullis, videtur, adeoque eundem aut a librariis auctum, aut ad quemuis numerum magnum ſignificandum, poſitum putant. Ita IOANNES CLERICVS, ad *II. chronic. XIV. 9.* Sed cum haud dubie plurimae ex gentibus vicinis copias ſuas iunxerint, iſte numerus non omnem fidem ſuperat. Quantumuis autem ingens hicce militum numerus videatur, FLAV. tamen IOSEPHO eundem adhuc augere placuit, quippe qui addidit: *ἱππέων δὲ μυριάδας δέκα, decem myriades equitum.* Tantum nihiloſecius exercitum fudit fugauitque Aſa, quod ſpem omnem in Deo collocaret. Immo cum hoſtes ad Gerarem vsque perſecuti eſſent, quae ad terminum auſtralem tribus Iudae Aegyptum verſus eſt, omnia, quae circa eam erant, oppida, conciderunt, magnamque inde abegerunt praedam. Quae quidem oppida aut Chuſitarum fuiſſe, aut eorum partes ſecuta videntur. Conciderunt quoque אהלי מקנה *tentoria pecoris*, hoc eſt, pecuariorum, ſeu eorum, qui in illis tractibus pecudes alebant, magnamque vim pecorum abduxerunt. LXX interpretes habent: *σκηνὰς κτήσεων*, adduntque, *καὶ τοὺς Αλιμαζονεῖς*: quae vox cum nihil ſignificet, ſunt qui eam ex vocibus ebaeis; אהלי מקנה factam putant. In ſermone, quo Azarias Obedi filius vates regem Hieroſolymam reuertentem excepit, illud maxime notatu dignum, quod dicit: *Erunt tempora multa, quibus Israeli non erit Deus verus, neque ſacerdos, qui eum doceat, neque lex. Sed cum in anguſtiis verſabitur, redibit ad Iehouam Deum Israelis, eumque quaeret, & ille ab eo inuenietur. Temporibus illis pacatum nihil erit, egredienti aut ingredienti, quia erunt magni tumultus, apud omnes terrarum incolas; &c.* Nonnulli namque haec ita capiunt, ac ſi de rebus praeteritis ſermo ſit, referuntque ad tempora iudicum. Sed rectius haud dubie ſentiunt, qui de rebus futuris vatem locutum exiſtimant, quemadmodum & cum LXX interpretibus FLAVIVS IOSEPHVS mentem eius ita expreſſit. Iudaeorum interim hac de re nugas nobis narrat HIERONYMVS, in *traditionibus ebraicis*, dum, *tradunt*, inquit, *hoc LII annis poſt euerſionem templi impletum, ita, vt in his quinquaginta duobus annis nec auis volauerit, nec beſtia pertranſierit per Ieruſalem, & Israel fuerit absque ſpe, & omnes gentes in conturbatione.* Aſa rex, hocce prophetae ſermone concitatus, maiori adhuc, quam antea, zelo, reſtaurando vero Numinis cultui incubuit, conuocatisque tribu Iudae, & Beniamin, & Israelitis, qui ex reliquis tribubus illi ſe religionis cauſſa ſociauerant, & mactatis ex praeda ſacrificiis ſplendidiſſimis, fedus cum deo ſolemni quadam ratione reſtaurat, idque ea ratione, vt mortis poenam in eos decerneret, qui a vero Numinis cultu defecturi eſſent: *inieruntque fedus, de quaerendo Iehoua, Deo maiorum ſuorum, toto corde ſuo & toto animo; ita, vt, quicunque non quaereret Iehouam Deum Israelis, mor-*

morte adſiceretur, a minimo ad maximum, a viris ad feminas. Hoc ſi nimis durum alicui videatur, is cogitet, ſermonem de illis eſſe, qui loco veri Dei, idola colebant, quod ſine abnegatione Dei, ſummaque eius ignominia, fieri non poterat. Deinde, hoc conueniens fuiſſe legibus Moſaicis, quas Deus ſpeciatim populo Iſraelitico dederat. Vnde ad eos, qui inter chriſtianos opinionibus a ſe inuicem diſſentiunt, hoc trahi non poſſe, nemo non intelligit. Fedus hac ratione reſtauratum iureiurando confirmarunt, quod cum lubenter animoque ſincero facerent, magna inde inter omnes orta eſt laetitia. Factum hoc eſt, menſe tertio anni regni Aſae decimi quinti.

*** Diſcordia, quae hactenus inter Aſam & Baeſam fuerat, tandem in bellum apertum erupit. Contigit hoc anno trigeſimo ſexto regni Aſae, ſeu potius, ex quo regnum Iudae a regno Iſraelis diuiſum eſt. Nimirum annus hicce trigeſimus ſextus deducendus eſt, non ab initio regni Aſae, ſed a ſeparatione reipublicae populi ebraei in regnum Iudae & Iſraelis. Quod inter alia inde liquet, quia Baeſa tantum per annos viginti quatuor regno praefuit, coepitque regnare anno tertio Aſae, *I. reg. XV. 33.* Biennio itaque, ſeu triennio, ſi adiicias annos viginti quatuor, ſequitur, Aſae anno vigeſimo ſexto aut vigeſimo ſeptimo, mortuum eſſe Baeſam, adeoque anno trigeſimo ſexto bellum cum eo gerere non potuit. Anno ergo a diuiſione regni Iſraelitici trigeſimo ſexto, regni autem Aſae decimo ſexto, Baeſa bellum iſtud cum Aſa incepit. Videtur autem, ſi cuncta paullo adcuratius conſideremus, res ita ſe habuiſſe. Cum Baeſa videret, multos ex tribu Ephraim, aliisque vicinis tribubus, religionis cauſſa ad Iudaeos ſe conferre, aegerrime id tulit; vtque illud impediret, inito cum Benhadado Syriae Damaſcenae rege, federe, Ramam vrbem munire coepit, vt cohiberet hac ratione Iſraelitas, ne ad Iudaeos transmigrare poſſent. Probabile itaque etiam eſt, Ramam non Beniaminis, ſed eam, quae in tribu Ephraimi fuit, intelligi. Quod autem diximus, Baeſam cum Benhadado Syrorum rege fedus iniiſſe, inde colligitur, quod Chanan vates, *verſ. 7.* ad Aſam dixit: *ideo exercitus regis Aramaeorum e manu tua euaſit.* Euadere namque exercitus Syrorum e manu Aſae non potuit, niſi iam in eo fuiſſet, vt cum Iſraelitis Aſam adgrederetur. Bellum namque Iſraelitae vna cum Syris inferebant Iudaeis, ne hi Ramae munitionem impedire poſſent. In hisce anguſtiis conſtitutus Aſa, cum omnem in Deo, vt antea fecerat, fiduciam collocare debuiſſet, id potius egit, vt oblata Benhadado ex theſauris templi magna auri & argenti ſumma, eum a federe cum Iſraelitis abſtraheret. Quod & ex voto ei ſucceſſit, cum Benhadadus armis contra Iſraelitas conuerſis, quasdam eorum vrbes deuaſtauerit; quam ob rem Baeſa Ramae munitionem intermittere coactus eſt. Aſa vero,

hac

Digitized by Google

hac occaſione vtendum ratus, conuocato vniuerſo populo Iudaico, ſumma celeritate (quia periculum in mora erat) lapides & ligna, quibus Baeſa Ramam munire voluit, abſtulit, iisque ad Gebam & Mitſpham muniendam vſus eſt. Peccaſſe Aſam, quod hac ratione Benhadadum a ſocietate Iſraelitarum abſtraxerit, eo minus dubitandum, quia & Chanan vates hoc ei diſerte exprobrat. Peccauit vero, non tam, quod illicitum eſſet, cum aliis gentibus fedus inire, (quanquam & populi ebraei alia hic, quam aliarum gentium fuerit conditio) quam quod Deo diffiſus eſſet, cuius ipſe praeſentisſimum auxilium in victoria, quam a Midianitis retulerat, expertus erat; conf. HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis*, *libr. II. cap. XV.* §. *IIX. num. 9.* Eo autem de diuino auxilio poterat eſſe certior, quod cauſſae iuſtitia ab ipſius ſtaret partibus. Inique enim haud dubie agebat Baeſa, quod Iſraelitas a tranſitu ad cultum veri Dei, munitione vrbis Ramae, abſtrahere volebat. Peccato autem huic longe grauius adhuc addebat Aſa, Chananis prophetae reprehenſionem adeo aegre ferens, vt eum in carcerem coniiceret. In ebraeo eſt: בית המהפכת, quod LXX interpretes vertunt: *εἰς φυλακὴν*, vulgatus: *in neruum*. Carcerem etiam R. DAVID KIMCHI intelligit. Immo & nonnullos ex populo oppresſiſſe dicitur. Vltimo loco ideo reprehenditur, quod, cum in morbum incidiſſet, non dominum quaeſiuerit, ſed medicis confiſus fuerit. Nimirum medicorum opera & conſilio vti, non eſt nefas. At intermisſis precibus, omnem in iis fiduciam collocare, peccatum haud dubie eſt grauisſimum, & id quidem eſt, quod in Aſa reprehenditur. Praetermittendum vero etiam non eſt, quod de ſepultura eius ſcriptura commemorat. Dicitur enim: *Sepelierunt vero eum in monumentis ipſius, quae ſibi foderat, in vrbe Dauidis, impoſueruntque eum lecto, quem impleuerat aromatibus, & variis generibus vnguentorum, opere vnguentario confectorum, combuſſeruntque ea, honoris eius cauſſa maxima copia.* Patet hinc, non ipſum cadauer regis fuiſſe combuſtum, ſed aromata ſaltem, circumquaque poſita, honoris cauſſa fuiſſe incenſa, quod & ex aliis ſcripturae locis conſtat. Falluntur ergo, qui eiusmodi quid hinc colligunt, quod pluribus oſtendit MARTINVS GEIERVS, de *Ebraeorum luctu cap. VI.* §. *II. pag. m. 106.* Verba ebraea מרקחת מעשה *vngento operis* recte redduntur, *opere vnguentario*, poteſtque ſubintelligi vox רקח hunc in modum: *vnguento operis vnguentarii.* Verba praecedentia זנים מרקחים vulgatus prorſus inepte vertit: *vnguentis meretriciis*, haud dubie ad vocem זונה *meretrix* reſpiciens, cum זנים hic *ſpecies*, ſcilicet aromatum, ſignificet, idemque ſit, ac quod alias מין dici ſolet, vt iam HVGONI GROTIO, ad *h. l.* obſeruatum. Rectius LXX interpretes: *γένη μύρων.* Denique, cum dicitur: *& combuſſerunt ei combuſtionem magnam*, ſenſus eſt,

quod in honorem eius magnam copiam aromatum combuſſerint. R. SALOMON IARCHI addit, quod cineres aromatum combuſtorum ſuper cadauer ſparſerint. Sed hoc in textu non dicitur.

§. VII.

Dum Aſa rerum ſummam apud Iudaeos tenuit, in regno Iſraelitico, Ieroboamum, qui anno Aſae ſecundo mortuus eſt, excepit filius eius Nadabus, impii patris veſtigia premens, hinc & mox a Baeſa occidendus, anno Aſae tertio. * Cum vero Baeſa Nadabo nihilo melior eſſet, poenas promeritas ei Iehu vates denuntiauit. Dominatum equidem, cum obiiſſet, filio ſuo Elae reliquit, anno Aſae vigeſimo ſexto, quem & per biennium tenuit; ſed cum omni vitiorum genere obrutus eſſet, Zimri, curruum praefectus, eum compotationibus indulgentem interficit, omnique eius domo deleta, imperium ſibi vindicat. ** Hic vero cum audiuiſſet, exercitum Iſraelitarum, qui Gibbethonem, Palaeſtinorum vrbem, obſidione cinxerat, ad Elae vltionem aduentare, igne regiae ſubiecto, ſe ipſum flammis comburendum tradidit cum ſeptem ſaltem diebus imperio praefuiſſet. Diuiſus tum in partes populus eſt, nonnullis Thibnim Ginathi filium, aliis Homrim ſequentibus: his autem illos potentia viribusque ſuperantibus, interfectus Thibni aemulo imperium reliquit; qui & eius ſedem Thirza, vbi hactenus fuerat, Samariam, quam condiderat, tranſtulit, ſucceſſorem relinquens filium Achabum, qui anno Aſae Iudaeorum regis trigeſimo octauo regni habenas ſuscepit. ***

* De Nadabo quod diximus, conſtat ex *I. reg. XV. verſ. 25.* ad finem. Nec quidquam occurrit, quod addere neceſſe ſit.

** Dum Deus per Iehu vatem Baeſam adloquitur, dicitque, *ſe excitaſſe eum e puluere, & praefeciſſe ducem populo ſuo Iſraeli &c.* hoc de Numinis directione & permiſſione, non autem eorum, quae Baeſa, vt regnum ad ſe raperet, fecerat, adprobatione, eſt intelligendum. Nimirum, etſi Nadabi & Ieroboami impietas per Baeſam punita ſit, non tamen recte fecit Baeſa, quod Nadabum interfecit, quia nullum ad hoc a Deo mandatum acceperat. Interim quia hoc Deus permiſit, & cuncta ita direxit, vt Baeſa ad regnum perueniret, debuiſſet grato hoc agnoſcere animo, ob admiſſum facinus poenitentiam agere, cumprimis & peccata domus Ieroboami, quae perniciem illi vltimam attraxere, tanto maiori diligentia fugere & euitare. Dum vero nihil horum fecit, eo maiorem merito incurrit Dei indignationem. Cum *verſ. 3.* dicitur: הנני מבעיר אחרי בעשא ואחרי -

ואחרי ביתו plerique per אחרי *poſteros* intelligunt, & haec verba ita vertunt: *ecce ego euerrens poſteros Baeſae & poſteros domus eius.* Sed hosce omnes falli recte oſtendit SEBASTIANVS SCHMIDIVS, ad *h. l.* docetque, vocem אחרי vt praepoſitionem cum verbo בער conſtruendam, vt ſenſus ſit: *ego euerram poſt Baeſam*, ſcilicet, vt quisquilias ante me remouendo. Cum mortem Baeſae ſcriptor ſacer retuliſſet, porro addit: *Etiam per Iehu, Chananis filium prophetam, peruenit verbum Iehouae ad Baeſam &c.* Quae an alia, & a priori diuerſa prophetia ſit, quaeri ſolet. Aliam omnino eſſe, exiſtimo, ita quidem, vt non tantum alio tempore prolata ſit, ſed & aliquid contineat, quod in priori non continetur, quod Deus eum ſpeciatim ob hoc quoque puniturus ſit, quod Ieroboami filium interfeciſſet. Ita enim verba *verſ. 7.* ועל אשר הכה אותו *& propterea quod percuſſit illum*, intelligenda ſunt. Ieroboami enim antea facta erat mentio. Etſi autem ipſum Ieroboamum non percuſſerit Baeſa, idem tamen recte de eo dicitur, quia filium eius interfecit, omnemque familiam eius deleuit. Sine ratione itaque vulgatus interpres ad prophetam hoc refert: *ob hanc cauſſam occidit eum, hoc eſt, Iehu filium Hanani, prophetam.* Quam verſionem vt defenderent, nonnulli eo tandem ſe recipere coacti ſunt, vt dicerent, interpretem *coeleſti lumine illuſtratum* iſta addidiſſe. Quod quam abſonum ſit, ſatis patet. Secundum noſtram explicationem omnia ſibi conſtant. Peccaſſe enim Baeſam, dum Nadabum interfecit, antea demonſtrauimus. De Ela *I. reg. XVI. verſ. 8.* dicitur, quod per biennium Thirzae regnauerit. Quod tamen de integro biennio intelligi nequit, cum anno Aſae XXVI. regnare inceperit, & eiusdem regis anno XXVII. interfectus ſit. Reliqua, quae *verſ. 9. ad 25.* de eo referuntur, difficultate carent.

*** Cum Zimri, interfecto Ela, regnum ſibi vindicaret, populus Iſraeliticus caſtra habebat ad Gibbethonem, quae fuit vrbs Philiſtaeorum. Fuit ea vrbs Daniticae tribus, vt ex *Ioſ. XIX. 44.* conſtat, fueratque attributa Leuitis *Ioſ. XXI. 23.* quam cum Philiſtaei occupaſſent, recuperare eam adnitebantur Iſraelitae. Equidem iam Nadabum hanc vrbem cum toto populo Iſraelitico obſediſſe legimus, *I. reg. XV. verſ. 27.* Sed non expugnaſſe eam videtur, aut ſi expugnauit, deinde rurſus in poteſtatem Philiſtaeorum venit. Cum ergo populus, qui in caſtris erat, audita Zimris coniuratione, Homrim ſibi regem conſtituiſſet, hic ſtatim cum vniuerſo exercitu, relicta Gibbethone, Thirzam obſedit. Zimri autem vrbem captam intelligens, ſe in regiam recepit, igneque ei ſubiecto, ſe ipſum vna cum regia domo combuſſit. In ebraeo eſt, quod ſe receperit אל ארמון בית המלך *ad palatium, domum regis*, quod parum adcurate LXX interpretes reddunt: *ἄντρον τȣ̃ οἴκȣ τȣ̃ βασιλέως.* IOSEPHVS: *εἰς τὸ μυχέτατον τῶν βασιλέων·* *in*

inti-

intimam regiam, *antiquit. iud. libr. VIII. cap. VII. pag. 284*. Cum dicitur: *& combuſſit:* nonnulli hoc ita capiunt, ac ſi Homri regiam domum, in qua Zimri erat, combuſſerit. Sed recepta ſententia, quod Zimri ſe ipſum combuſſerit, praeferenda. Haud abſimilis hac in re Sardanapalo fuit, de quo IVSTINVS, *libr. I. cap. III.* Immo ſunt, qui ex hoc Zimris facinore ortum putant, quod veteres de Sardanapalo narrant, qua de re in ſequentibus. Contigiſſe hoc ei dicitur, propter peccata, quae admiſiſſet, quodue inſtitiſſet viae Ieroboami, & populum Iſraeliticum itidem ad peccandum induxiſſet. Licet enim per ſeptem tantum dies imperium tenuerit, varia tamen ſuae impietatis edere ſpecimina tam breui temporis ſpatio potuit, atque demonſtrare, Ieroboami ſe premere & preſſurum in poſterum veſtigia. Cum Homri ab exercitu electus eſſet, qui ad Gibbethonem erat, alii Thibnim Ginathi filium ſibi regem conſtituerunt, populusque adeo in duas partes diuiſus eſt. Sed qui Homrim ſequebantur, ſuperiores fuere, haud dubie, quia exercitus ab eius partibus ſtabat; cuiusmodi quid ſubinde in hiſtoria Romana contigit, vt recte HVGONI GROTIO, ad *h. l.* obſeruatum. Poſſet etiam ita intelligi, quod in proelio vtrinque commiſſo, ſuperior euaſerit Homri. Sed proelii nulla hic mentio. Mortuo Thibni, ſolus tandem rerum potitus eſt Homri. Naturali, an violenta morte perierit, ſcriptura non memorat. Prius videtur veroſimilius, cum mortis violentae nulla occurrant indicia. Si proelium commiſſum eſſet, poſſet dici, in eo illum occubuiſſe. Sed hoc iam antea reiecimus. Anno itaque Aſae trigeſimo primo, mortuo Thibni, Homri imperium in totum populum Iſraeliticum adeptus eſt. Ita enim intelligendum eſt, quod *I. reg. XVI. 23.* dicitur, *eum anno Aſae trigeſimo primo regnare coepiſſe in Iſraelem*. In vniuerſum autem duodecim annis regnauit; ex quibus per ſex priores ſedem regiam Thirzae habuit, quam deinde Samariam tranſtulit. Quae translationis iſtius fuerit cauſſa, non dicitur. Ideo hoc factum, quia regia domus Thirzae per Zimri combuſta eſſet, ſine fundamento adſeritur. Samariam vrbem iam antea fuiſſe, nonnulli exiſtimant, Homrim autem montem ſaltem, qui prope eam fuit, emiſſe, & arcem regiam, quae more Ebraeorum & vrbs dicitur, in eo aedificaſſe; quanquam dubium non ſit, quin ex eo tempore vrbs Samariae aucta ſit, atque amplificata. Certum eſt, Samariae vrbis iam ante haec tempora mentionem fieri; quod tamen per prolepſin fieri, alii contendunt. Plura de Homri memoratu digna non occurrunt; niſi quod addatur, eum Ieroboami impietatem & idololatriam itidem imitatum.

§. VIII.

§. VIII.

Aſam in regno Iudae filius Ioſaphatus excepit, patris virtutem & pietatem non aequans modo, ſed & ſuperans. Non tantum enim ab idolis ſedulo regnum purgauit, ſed principibus viris vna cum Leuitis vndiquaque miſſis, vt populus legem Moſis adcurate condoceretur, effecit, iudicesque, qui ius recte dicerent, conſtituit. Quamobrem & omni felicitatis genere a Deo cumulatus, tantam obtinuit auctoritatem, vt Philiſtaei pariter ac Arabes vltro dona ei offerrent. Nec copiae ingentes, munitaeque vrbes illi deerant.* Prorſus diſſimilis ei Achabus fuit, qui eodem tempore apud Iſraelitas rerum potiebatur. Impiis enim, qui eum in eodem regno praeceſſerant, regibus longe deterior, Iezabelem inſuper, Tyriorum regis filiam, in matrimonium duxit, cuius inſtinctu & Baalis cultus introductus, Phoenicumque idolis locus vbique conceſſus.**

* Conſtant haec ex *II. chron. cap. XVII.* Memoratu cumprimis dignum eſt, quod anno regni ſui tertio *principes viros* miſerit, *qui apud ſe erant*, *Benchailem*, *Hobadiam*, *Zechariam*, *Nethanaelem*, *& Michaiam*, *ad docendum populum per vrbes Iudae*, *& cum iis Leuitas*, *Semahiam*, *Nethaniam*, *Zebadiam*, *Haſaelem*, *&c. quibus & aderant Eliſama & Ieboramus ſacerdotes.* Vnde nonnulli colligunt, non tantum Leuitas & ſacerdotes, ſed & principes iſtos viros, populum docendi munere functos. *Docere*, inquit HVGO GROTIVS ad *h. l.* *& explicare legem*, *non tantum ſacerdotum erat & Leuitarum*, *quorum ſequetur mentio*, *ſed omnium eruditorum*, *quod & nunc obſeruatur apud Iudaeos.* *Peritiſſimi autem legum eſſe debebant*, *quia regi a conſiliis erant.* Aliter tamen exiſtimat R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* duces ſcilicet iſtos militares ſeu principes viros miſſos eſſe, vt populum in officio continerent, ne quis ſacerdotibus aut Leuitis ſe opponeret, aut moleſtiam iis faceſſeret, ſimul vero, vt iudices & praetores recens conſtituti ab omnibus reciperentur, eos efficere debuiſſe. Quod ex ſcriptura ſacra non euincas. De omnibus potius dicitur: *Docuerunt in Iuda*, *eratque cum iis liber legis Iehouae*, *ac circumiuerunt vrbes Iudae*, *& populum docuerunt.* Quod autem *liber legis cum iis fuiſſe* dicitur, hoc ipſo indicatur, quid populum docuerint, ea videlicet, quae in libro legis continebantur. Non ergo hinc probari poſſe, puto, librum legis eo tempore in plebis manibus non fuiſſe, etſi concedam, non adeo multos fuiſſe, qui illum haberent, quemadmodum & haud dubie non adeo multi erant, qui legere poterant, adeoque plerique inſtitutione, quae viua voce peragitur, opus habebant. Sunt, quibus veroſimile

mile videtur, iſtos a Ioſaphato miſſos, inſtituiſſe ſcholas & ſynagogas, iisque praefeciſſe ordinarios doctores; vid. CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. veter. teſtam. tom. II. pag. 841.* Sed vnde hoc probabitur? Ceterum Ioſaphatus, cum recta via coram Deo incederet, opibus non tantum & potentia inſigniter creuit, ſed *pauor* quoque *Domini* vicinis gentibus ita incubuit, vt non tantum nemo eum laceſſere auderet, ſed vt Philiſtaei & Arabes vltro munera adferrent, illi argentum & aurum, vectigalis loco, hi autem pecudes minores, arietes ſcilicet ſepties mille ſeptingentos, totidemque hircos. Dicitur porro in Iuda condidiſſe בירניות *palatia*, *arces*; ſeu, vt vulgatus vertit, *domum ad inſtar turrium*; turres intelligit R. SAL. IARCHI; מגדלים גדולים לחזק; itemque *vrbes theſaurorum*, ſeu *apothecarum*, in quibus reponebantur prouentus, vinum & frumentum. De exercitu, quem habuit, eiusque praefectis, ſcriptor ſacer agit, *loc. cit. verſ. 14. ſeqq.* Reliqua ad Ioſaphati hiſtoriam ſpectantia in ſequentibus occurrent.

** Achabus rerum potiri coepit, *anno trigeſimo octauo Aſae regis Iudae. I. reg. XVI. 29.* Cum vero pater eius Homri anno vigeſimo ſeptimo Aſae regnare inceperit, regnaueritque annis duodecim, ſequitur, annum duodecimum, cum Homri moreretur, nondum completum fuiſſe. Omnes anteceſſores ſuos Achabus impietate ſuperauit. *Leue ei fuit inſiſtere peccatis Ieroboami Nebati filii &c.* hoc eſt, etſi peccatum Ieroboami grauiſſimum eſſet, Achabo tamen velut leue viſum, qui longe maiora grauioraque addidit. Plurimum eo contulit Izabela, Ethbaalis Sidoniorum regis, quem IOSEPHVS *antiquit. iud. lib. VIII. cap. VII.* ex MENANDRO Ἰθώβαλον Τυρίων καὶ Σιδωνίων βασιλέα vocat, filia, quam in matrimonium duxerat. Per eam enim abreptus, non tantum Baalem Sidoniorum idolum coluit, ſed omnino Samariae aedem ei aedificauit, inque ea altare conſtituit. Sed lucum quoque vt moris apud ethnicos erat, eidem conſecrauit, multaque alia eiusmodi deſignauit, quibus magis, quam vllus anteceſſorum eius, Deum ad iram prouocauit. Commemorat hic ſcriptor ſacer Hierichuntis vrbis reſtaurationem, quae in initium regiminis Achabi incidit, & quae circa eam contigerunt, quibus vaticinium, quod hac de re *Ioſ. VI. verſ. 26.* exſtat, impletum eſt; *I. reg. XVI. 34.*

§. IX.

Impietati ac ſuperſtitioni, torrentis inſtar populum Iſraeliticum inundanti, Elias Thisbites, * cuius magna eo tempore coepit eſſe celebritas, ingenti zelo ſe oppoſuit. Hic cum Achabo ſignificaſſet, nec pluuiam nec rorem deſcenſurum, donec ipſe iuſſiſſet, diſceſſit, primum apud Cheritum riuum, tum Sareptae Sidoniorum apud viduam

am pauperem latitans, donec ad Achabum reuerti illi viſum eſſet.** Sua ſponte namque regi huic ſe obtulit, qui per vicinas gentes omnes illum quaeſiuerat, ſimulque populi ac ſacerdotum ab eodem impetrato conuentu, precibus ſuis effecit, vt ignis coelitus delapſus, holocauſtum, & quae cum eo coniuncta erant, abſumeret, quod cum Baalitae fruſtra tentaſſent, fraudis & impoſturae conuicti, comprehenſi Eliae iuſſu ab Iſraelitis, atque ad Kishoris torrentem ab ipſo iugulati ſunt. Imbres tum coelum reddidit, ſed Elias, vt Iezabelis furorem euitaret, fuga ſibi conſuluit, montemque Horebum petiit; vbi Deus eum adloquitur, & vt Hazaelem in regem Syrorum, & Iehum in regem Israelis vngeret, Eliſaeum autem Saphati filium in munere prophetico ſucceſſorem ſibi deſignaret, mandat.***

* Elias a patria vocatur התשבי *Thisbita.* Quaenam autem vrbs, aut quinam vicus vel pagus, hac voce denotetur, non ſatis conſtat. Secundum grammaticorum regulas loco illi nomen foret: *Theſchebb*; quae tamen vox inter vrbium nomina non occurrit. Chaldaeus interpres habet; מתושב *ex Toſchabh.* Sed praeterquam, quod ex תושב neutiquam fieri queat תשבי, non magis de vrbe Thoſchab quidquam conſtat, quam de vrbe Theſcheb. Rem acu mihi tetigiſſe videtur vir eruditiſſimus ADR. RELANDVS, a Thisbe (Θισβὴ) Galileae vrbe in regione tribus Nephtali, vnde captiuus abductus eſt Tobith a rege Aſſyriorum, *Tob. I. 1.* Eliam Thisbiten dictum; in *Palaeſtina, illuſtrata, tom. II. lib. III. pag. 1035.* Dicitur autem porro, eum fuiſſe מתושבי גלעד *ex inquilinis Gilead.* Nimirum cum patria Thisbites, adeoque Galilaeus eſſet, in Gileatidite habitauit. Non itaque eſt, quod dubitemus, eum gente fuiſſe Israelitam, quod nonnulli, ſine ratione ſufficienti, negant. Parentes, cognati & quae ad natiuitatem eius ac educationem ſpectant, nobis non conſtant. Fabulis & commentis, quae de his circumferuntur, non immorabimur. Iudaeorum quidam, Eliam, ipſum Pineaſum, filium Eleazaris, Aaronis nepotem fuiſſe, tradunt, qui ad hocce tempus vsque vitam produxerit. Quam ſententiam R. LEVI BEN GERSON quoque ad *h. l.* defendere adnititur: KIMCHIO tamen fatente, fundamento eam deſtitui. Ex chriſtianis FRANCISCO GEORGIO Veneto, & PETRO DAMIANO eandem placuiſſe, obſeruat PETRVS BAELIVS *dictionar. hiſtor. crit. voc. Elias pag. 1110.* Ad commenta quoque otioſorum hominum referenda, quae EPIPHANIVS narrat de viſione patri Eliae, Sabaco, oblata, quam merito idem PETRVS BAELIVS explodit, etſi ei ſimul occaſionem de zelo Eliae nonnulla diſſerendi ſuppeditet. Habueritne Elias vxorem? incertum. Quodſi autem vel maxime non habuit, inde non ſequitur,

Digitized by Google

tur, eum fuiſſe monachum, aut ordinis cuiusdam monaſtici conditorem. Quod nec inde euincitur, quod ſcholam habuerit, ac discipulos. Hoc namque ei cum aliis prophetis commune, quos nemo ſanae mentis ſtatim in monachos transformauerit. Eſt haec mortalium indoles, vt facile, quod magnopere cupiunt, ſibi inuenire videantur. Sic & monaſtici ſtatus defenſores, vbique inter Ebraeos pariter ac gentiles ſibi monachos inuenire videntur, vt vel ex CLAVDII DELLE, *hiſtoire ou antiquitez de l' etat monaſtique & religieux*, diſcere licet, qui tamen in eo reliquis cautior eſt, quod Ebraeorum & ethnicorum monachos, ſaltem improprie tales eſſe putat; immo imagines ſaltem & typos monachorum papalium fuiſſe, contendit. Quid ergo mirum, Carmelitas monachos Eliam non tantum pro monacho, ſed omnino pro ordinis ſui conditore venditare, hancque ſententiam, quantumuis ridicula & inepta aliis videatur, acerrime tamen & omnibus animi viribus defendere? Eos ferre non poſſe, ſi quis hic diſſentiat, aut palladium hoc iis eripiat, experti ſunt, qui ex Ieſuitarum ordine in actis ſanctorum colligendis ſtudium operamque collocarunt, ſpeciatim DANIEL PAPEBROCHIVS & CONRADVS IANNINGVS. Cum enim fabulam de Elia Carmelitici ordinis conditore exploſiſſent, non tantum ingens librorum, ad infamiam illis inurendam comparatorum, numerus editus eſt, ſed ſuperiorum quoque animos, ac ſi ingens crimen commiſiſſent, in eos concitare Carmelitae adniſi ſunt. Cumprimis SEBASTIANVS a S. PAVLO, Carmelitarum eo tempore in Belgio prouincialis, cauſſam ſui ordinis omnibus egit viribus, & inter alia anno M DC LXXXIII Romam ad Innocentium XI pontificem transmiſit, *libellum ſupplicem pro origine & antiquitate ordinis Carmelitarum, variisque eius hiſtoriis*. Quibus rebus inducti, tandem ſententiam ſuam defendendi neceſſitatem ſibi impoſitam crediderunt, ſcriptisque quibusdam editis Carmelitarum ineptias profligarunt, CONRADVS quidem IANNINGVS, in *apologia pro actis ſanctorum contra adm. R. P. Sebaſtianum a S. Paulo, prouincialem Carmeli Flandro Belgici*, Antwerpiae anno M DC XCV, 8. DANIEL autem PAPEBROCHIVS, in *reſponſione ad exhibitionem errorum per adm. R. P. Sebaſtianum a S. Paulo Coloniae anno 1643. euulgatam*, Antwerpiae anno M DC XCVI, cuius pars ſecunda ibidem anno M DC XCVII, pars tertia & vltima autem ſub titulo: *elucidatio hiſtorica actorum in controuerſia ſuper origine, antiquitate, & hiſtoriis ſacri ordinis B. M. de monte Carmeli, inter quosdam illius & ſocietatis Ieſu ſcriptores acta ſanctorum illuſtrare profeſſos*, anno M DC XCVIII. prodiit. CLAVDIVS DELLE, quem antea laudauimus, etſi, Eliam monachum fuiſſe, concedat, cum tamen Carmelitici ordinis conditorem fuiſſe, negat, *l. c. lib. III. cap. X. & XI.* idque vt contra ſecus ſentientes euincat, primo ad ſilentium patrum, hiſtoricorum,

rum, ſcriptorumque iuris canonici prouocat, qui ante ſeculum duodecimum ſcripſerint, nec vllam tamen Carmelitarum iniecerint mentionem; non deeſſe ex patribus, qui dicant, Eliam & Eliſaeum fundamenta vitae monaſticae ieciſſe, ſed de certo ordine ab illis condito nihil eos commemorare; nec aut patres adſerere, aut aliunde conſtare, quod aut Elias, aut Eliſaeus, aut illorum diſcipuli in monte Carmel habitauerint, licet id negandum non ſit, quod tum Elias, tum Eliſaeus ad breue tempus aliquando ibi commorati ſint. Deinde ita rationes ſubducit: ſi ordo Carmelitarum ab Elia eſſet inſtitutus, & ab eo iuſta ſerie propagatus, ſtatim poſt Chriſtum natum huius ordinis viri in Palaeſtina & monte Carmel fuiſſent; at ante Hilarionem, nullum in Palaeſtina fuiſſe religioſum, conſtare ex Hieronymo. Sed mitto cetera, cum ſuperuacaneum ſit, rem, de qua nemo ſanae mentis dubitat, rationibus euincere velle. Licet autem DELLIO disputatio haec contra Carmelitas feliciter procedat, non tamen eodem loco habendae rationes, quibus probare cupit, Eliam atque Eliſam fuiſſe monachos. Summa earum huc redit: vtrumque & in paupertate & in coelibatu vixiſſe. Sed num voto etiam ad hoc ſe obſtrinxerunt? ſi vel maxime demus, eos in coelibatu vixiſſe. Num in viris ſanctis & ſapientibus, vt monachi ſint, ſtatim ſufficit coelibatus & paupertas? Ita profecto nec nobis deeſſent monachi, etſi monachatum papalem plane deteſtemur. Sed vt ad Eliam reuertamur, hunc vt Carmelitae ſibi vindicent, inter alia per *Deum Carmelum*, cuius apud C. SVETONIVM TRANQVILLVM, & C. CORNEL. TACITVM mentio iniicitur, verum Deum intelligunt, indeque continuatam diſcipulorum Eliae in monte Carmel ſucceſſionem, concludunt. Alii contra haec ipſa loca illis vel maxime obſtare putant, cum inde potius conſtet, in monte Carmel aut idolum aliquod, aut oraculum idololatricum fuiſſe; tantum abeſt, vt Eliae diſcipuli atque horum ſucceſſores in eo vixerint. Et hisce quidem verba auctorum haud obſcure ſuffragantur. SVETONIVS namque de Veſpaſiano verba faciens, *apud Iudaeam*, inquit, *Carmeli Dei oraculum conſulentem ita confirmauere ſortes, vt quidquid cogitaret, volueretque animo, quantumlibet magnum, id eſſe prouenturum, pollicerentur*; *in Veſpaſiano cap. IV.* Pari ratione TACITVS: *Et Iudaeam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem Deumque. Nec ſimulacrum Deo aut templum (ſic tradiderunt maiores) aram tantum & reuerentiam. Illic ſacrificanti Veſpaſiano, cum ſpes occultas verſaret animo, Baſilides ſacerdos inſpectis identidem extis, quidquid eſt, Veſpaſiane, quod paras, ſeu domum exſtruere, ſeu prolatare agros, ſiue ampliare ſeruitia, datur tibi magna ſedes, ingentes termini, multum hominum*; *hiſtoriar. libr. II. cap. LXXVIII.* Quis vero credat, de vero Deo haec poſſe intelligi? Quodſi vero quis ita opinetur, eum rectiora doce-

bit CASPAR DE MENDOZA, cuius diſſertatio: *Examen diuinitatis, quam in Carmelo Veſpaſianus conſuluit, ſiue C. Suetonii Tranquilli locus de Deo Carmelo explicatus*, ex hiſpanica lingua in latinam a DANIELE PAPEBROCHIO translata, Antwerpiae anno M DC XCVIII prodiit. Sed haec de his ſufficiant.

** Quae occaſio fuerit, vt Achabo ſignificaret, nec pluuiam, nec rorem deſcenſurum, donec ipſe iuſſiſſet, non conſtat. Vix videtur dubitandum, colloquium aliquod Achabi & Eliae praeceſſiſſe, in quo hic illi turpiſſimam idololatriam exprobrauit; cumque Elias obfirmatum regis ad mala animum videret, hanc poenam illi denuntiaſſe. Iuriſiurandi illa, qua vtitur, formula: *viuit Iehoua Deus Israelis, coram quo adſto:* h. e. cuius miniſter ſum, quem colo, cui ſeruio, ex adfectu, zeloque adeo ſingulari, hanc denuntiationem profectam eſſe, demonſtrat. Iacobus apoſtolus, Eliam precibus ſuis hoc a Deo impetraſſe, ſcribit, vt coelum nec pluuiam nec rorem daret; *epiſt. V. 17.* Scilicet fieri potuit, vt iam ante Deum precatus eſſet, vt hac ratione ab impietate Achabum reuocare tentaret, aut vt Iacobus ad zelum iſtum piumque adfectum reſpexerit, qui cum iſta denuntiatione coniunctus erat. De voluntate Dei, haud dubie ſiue ex mandato, ſiue inſtinctu ac inſpiratione diuina, iam certus Elias fuit: ceteroquin tanta fiducia hoc dicere non potuiſſet, nec hoc ei licuiſſet. Poſtquam ergo haec ad regem dixerat, ſtatim abire, ſeque ad orientem conuertere, & ad torrentem Cheritum, qui eſt ad Iordanem, ſe abdere iuſſus eſt. Ideo hoc facere debuit, ne quisquam ſciret, vbi eſſet, neue Achabus poenae remiſſionem aut mitigationem ab eo petere poſſet. Torrens Cherithus, כרית, quem vulgatus *Charith* vocat, LXX interpretes χοῤῥάθ, dicitur fuiſſe על פני הירדן *ante Iordanem*, & orientem verſus, a Samaria. Fallitur itaque HIERONYMVS, dum, fluuium hunc trans Iordanem fuiſſe, dicit. Legenda, quae de eo obſeruat ADR. RELANDVS, in *Palaeſtina part. I. lib. I. cap. XLV. pag. 293.*

Hicce torrens Eliae potum ſuppeditare debebat, cibum autem corui, quibus Deus hoc *praeceperat*, hoc eſt, quorum opera ac miniſterio vti ei viſum fuerat. *Corui* itaque *adſerebant ei panem & carnem matutino tempore, panemque item & carnem vespertino, bibebatque e torrente.* Fuerunt iam olim, qui vocem ערבים de alia re, quam de coruis interpretarentur, vt iam SAMVELI BOCHARTO obſeruatum, *hierozoic. part. II. lib. II. cap. XIV.* quemadmodum nec hodie deſunt, qui idem faciunt. Nonnulli namque *mercatores* hac voce ſignificari, ex *Ezech. XXVII. verſ. 27.* colligi poſſe, putant; alii Arabes intelligunt, leguntque עֲרָבִים, vt *II. chron. XXI. 16. Neh. IV. 7.* alii denique, vrbem fuiſſe, volunt, ערבו *Orbo*, non procul a Scythopoli, cuius ciues dicti fuerint ערבים *Orebim*, vt in *Breſchith rabba*

ba

ba cap. XXXIII. traditur. Singulis hiſce ſententiis quid opponi queat, erudire oſtendit SAMVEL BOCHARTVS, *loc. cit.* Nimirum ad primam quod attinet, licet *Ezech. loc cit.* verbis ערבי מערבך *qui negotiantur negotia tua*, mercatores deſcribantur, nullo tamen exemplo doceri poſſe, ערבים per ſe *mercatores* ſignificare. Ad alteram reſpondet, prope Iordanem, vbi latebat Elias, nullos fuiſſe Arabes, qui praeterea non עֹרְבִים, ſed עֲרָבִים dicti fuerint. Vltimam denique ſententiam ideo non admitti poſſe, docet, quod nulla ibi fuerit vrbs ערבו *Orbo* dicta; & ſi fuiſſet, tum incolas, non עורבים *Orebim*, ſed ערבוים *Orboim* dicendos fuiſſe; quibus accedat, quod tum reuera Elias non latuiſſet, ſi vrbis iſtius incolas latibuli ſui conſcios habuiſſet. Ad haſce BOCHARTI reſponſiones iterum nonnulla regerit vir clariſſimus IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* haud obſcure illis fauens, qui aliud quid, quam coruos, per ערבים intelligunt, quamuis rem omnem tandem in medio relinquat. Sed cum ea, quae pro prima alteraue ſententia defendenda in medium adfert, non magni momenti ſint, & BOCHARTI reſponſiones neutiquam euertant, de vltima ſaltem aliquid addemus; cum ea & aliis ſe probauerit. Suffragatur namque ei vir doctiſſimus HERMANNVS VON DER HARDT, per ערבים itidem incolas vrbis Orbo intelligens, in diſſertatiuncula, gallica lingua ſub titulo: *Corbeaus d' Elie*, ſcripta. Quodſi itaque his, qui ita ſentiunt, cum BOCHARTO opponas, nullam in hac regione exſtitiſſe vrbem, Orbo dictam, prouocare ad EVSEBIVM ſolent, cuius in *locis ebraicis* haec ſunt verba: ΑΡΑΒΑ, *πεδιὰς καλεῖται καὶ ἀνωθέρω· ἔστι δὲ καὶ κωμὴ καλεμένη Ἀραβὰ ἐν ὁρίοις Διοκαισαρείας, καὶ ἀπὸ τριῶν σημείων Σκυθοπόλεως, ἄλλη πρὸς δυσμάς·* Quae verba HIERONYMVS ita reddit: ARABA, *Aquila* planam, *Symmachus* campeſtrem *interpretatur. Porro eſt alia villa Araba nomine, in finibus Diocaeſareae, quae olim Saphorine dicebatur, & alia tribus millibus a Scythopoli contra occidentem.* Quae quidem qui ita capiunt, ac ſi Araba olim Saphorine dicta ſit, citra controuerſiam falluntur. Non enim Arabam, ſed Diocaeſaream olim Saphorinem dictam, adſerit, idque & aliunde conſtat. Quidquid huius ſit, ex adlatis EVSEBII atque HIERONYMI verbis nihil aliud ſequitur, quam eo, quo iſti vixerunt, tempore, vicum aliquem Araba dictum, non longe a Scythopoli fuiſſe. Num vero inde ſtatim ſequitur, tempore Eliae etiam, qui tot ſeculis ante eos vixit, eo in loco fuiſſe vrbem Oreb? Sane ſi incolae vrbis cibum Eliae attulerunt, nulla adparet ratio, cur non & aquam adferre potuiſſent, poſtquam torrens Cerithus exaruerat. Hoc autem minime factum, cum Eliae inde diſcedendum fuerit, poſtquam torrens exaruerat. Deo equidem facile fuiſſet, aquam per coruos Eliae ſuppeditare, ſed hoc illos parum iuuat, qui cibum ab hominibus ſuppeditatum contendunt: qui-

Digitized by Google

quiue nullam probabilem rationem excogitare poſſunt, cur non iidem homines, qui cibum attulerunt, etiam deinceps non potuerint ſuppeditare aquam. Nullo modo denique probabile eſt, ſi ſcriptor ſacer vrbis cuiusdam incolas denotare voluiſſet, eum voce eiusmodi vſurum, quae in ſcriptura ſacra ſemper coruos denotat, eaque ambiguitate non tantum ſermoni maximam obſcuritatem conciliaturum, ſed lectores etiam in errorem ineptiſſimum coniecturum fuiſſe. Haec aliaque recte quoque obſeruata ſunt clariſſimo viro, ADRIANO RELANDO, *Palaeſtinae part. II. lib. III. pag. 913. ſeqq.* vbi ex inſtituto contra HERMANNVM VON DER HARDT diſputat. Quaeſtiones, quae a nonnullis hic moueri ſolent, cur carnem potius, quam fructus arborum Deus a coruis adferri voluerit? vnde corui carnem & panem acceperint? & quae reliquae ſunt eiusdem generis, praetermittimus, vt inutiles & ſuperuacaneas. Cum enim Deo hicce modus Eliam alendi placuerit, dubium non eſt, quin facillimo negotio efficere potuerit, vt corui panem & carnem acciperent, nec ipſi comederent, ſed ad Eliam adferrent, quacunque demum hoc factum ſit ratione.

Cum, anno exacto, Cerithus torrens exaruiſſet, Elias Sareptam Sidoniorum ſe conferre iuſſus eſt, vt ibi vna cum vidua quadam ſuſtentaretur. Sarephta, in ebraeo צרפת PLINIO Sarapta, FLAVIO IOSEPHO, Σαρεφθὰ, inter Tyrum & Sidonem ſita fuit, eodem IOSEPHO teſte, *antiquit. iudaic. libr. VIII. cap. VII.* Ad regionem Sidoniorum eam ſpectaſſe, extra dubium poſitum, quia additur: אשר לצידון Hinc *Luc. IV. 26.* Σάρεπτα Σιδῶνος audit. Tractus autem ille, quem Sidonii tenuerunt, cum partem Phoeniciae conſtitueret, recte STEPHANO πόλις Φοινίκης, *vrbs Phoenices* vocari potuit. An tempore Eliae ſub imperio Sidoniorum fuerit, dubitatur. Ego, quo minus fuiſſe dici nequeat, nullam rationem video. Vidua enim illa etſi gentilis fuiſſe concedatur, haud dubie tamen, ſi non proſelyta fuit, certe veri Dei notitia fuit imbuta. Hoc inde liquet, quod per verum Deum iurauit, dum ad Eliam, vt *viuit*, inquit, *Iehoua Deus tuus &c.* Non tantum enim his verbis indicat, ſe nouiſſe Eliam, quod ebraeus eſſet, ſed veri quoque Dei ſe eſſe timentem. Et licet ſiccitas, indeque orta annonae caritas, praecipue ad Iſraelitas ſpectauerit, quorum Deus hac ratione punire peccata voluit, nihil tamen obſtat, quo minus & regiones vrbesque vicinae, & cumprimis, qui in iis pauperes erant, hinc incommodum aliquod ſenſerint. Sareptam itaque cum veniſſet, ante vrbis portam mulierem viduam offendit, quae ligna colligebat, quam adlocutus, aliquantum aquae in vaſe ad bibendum ab ea petiit. Voluiſſe eum hac ratione explorare; nonnulli exiſtimant, an haec ea mulier eſſet, ad quam ex Numinis mandato ſe conferre debebat, ſimili fere ratione, ac Elieſer, ſeruus Abrahami,

Geneſ. XXIV. 13. Alii tamen putant, ex diuina reuelatione illi iam conſtitiſſe, hanc eam mulierem eſſe, per quam alendus eſſet. Aquam cum mulier attuliſſet, Elias etiam fruſtum panis petiit. Muliere ſe excuſante, quod pane omni deſtitueretur, volaque ſaltem plena farinae in cado, & paullulum olei in lagena ſupereſſet, iamque in eo ſe eſſe, vt ſibi & filio vltimum inde cibum pararet, a propheta, ex eo, quod ſuperetat, primum illi placentam coquere, tum ſibi filioque cibum parare, iuſſa eſt. Addidit promiſſionem, non abſumendam farinam, nec lagenae defecturum oleum, donec pluuia iterum deſcenderet, & ita annonae vilitas rediret. Mulier dictis prophetae extemplo parens, fidem ſingularem plane atque eximiam demonſtrauit. Euentus vero etiam dicta prophetae confirmauit; *comeditque*, inquit ſcriptor ſacer, *ipſe & illa & domus eius*, hoc eſt conſanguinei & propinqui, cum vnicum tantum filium haberet; *per annum*, vsque ſcilicet ad iſtud tempus, quo filius eius moriebatur, ſed deinceps quoque, cum hic ſaltem tempus mortis filii indicetur, nec tamen aut farina abſumebatur, aut lagenae oleum deerat. Anno itaque, ex quo Elias ad viduam hancce venerat, elapſo, contigit, vt mulieris iſtius filius in morbum incideret, tandemque animam efflaret. Tum vero mulier ad Eliam: *quid mihi & tibi, vir Dei? Veniſti ad me, vt Deo in memoriam reuocares delictum meum, & mortem filio meo crea*-*res.* Exiſtimauit nimirum mulier iſta, maximo dolore perturbata, ob peccata, quibus antea Deum offendiſſet, & quae nunc demum Deus, quod & prophetam forte aliqua ratione laeſiſſet, iunctim punire vellet, hoc ſibi contingere; adeoque prophetam calamitati huic, etſi praeter intentionem ſuam, occaſionem dediſſe. Contingere vtique poteſt, & interdum quoque ſolet, vt ſancti cuiusdam viri offenſio, aut aliud quoddam leuius peccatum, occaſio ſit, vt Deus & antecedentia longe grauiora, puniat. Sed mulieri tamen iſti, cui dolor talia ſuggerebat, eam ob cauſſam iſta calamitas non eueniebat. Quare & propheta puerum mortuum ex ſinu matris acceptum, in ſuperius conclaue, in quo habitabat, tulit, lectoque ſuo impoſuit: cumque animi ſui erga Deum dolorem ob iſtam mulieris calamitatem teſtatus eſſet, tribus vicibus ſeſe ſuper pueri corpus extendit, Deumque vt vitam ei redderet, precatus eſt. Quod cum contigiſſet, puerum viuum matri tradidit. Qui curioſius diſputant, cur propheta tribus vicibus ſe ſuper corpus pueri extenderit, rem plane ſuperuacaneam agunt. Sufficit, quod illi, qui miracula patrarunt, interdum actus quosdam externos adhibuerint, quorum vt per ſe nulla fuit efficacia, ita nobis, cur iſtos actus quosdam externos adhibuerint, non conſtat. Cum vero mulier dicit: *nunc demum intelligo, te eſſe virum Dei, & verbum Iehouae, quod eſt in ore tuo, verum eſſe*; non ita capiendum, ac ſi an-

antea de eo dubitauerit; ſed hoc ſibi vult, ita fidem ſuam confirmatam, vt, ſi vel maxime antea hoc non crediddiſſet, nunc tamen dubitare non poſſet, quin Elias vir Dei ſit, &c.

*** Cum tempus adueniret, quo Deus rorem & pluuiam Iſraelitis iterum dare decreuerat, Eliae vt Achabo ſe videndum praeberet, praecepit. *Elapſis multis diebus*, inquit ſcriptor ſacer, *adlocutus eſt Iehoua Eliam* בשנה השלישית *in anno tertio.* Annus hicce tertius vnde computandus ſit, quaeri ſolet. Quodſi enim dicas, annum tertium famis intelligi, obſtat, quod ſeruator diſerte adſerat, famem ſub Achabo duraſſe tribus annis & ſex menſibus, *Luc. IV. 25.* quod & Iacobus confirmat, *epiſt. cap. V. verſ. 17.* Quod dubium vt ſoluant, nonnulli quidem particulam ב per *poſt* exponunt: *poſt annum tertium.* Alii aliter hinc ſe expedire conantur. Mihi ita videtur; per integrum annum Elias apud Cerithum torrentem latitauerat; hinc iterum per integrum annum apud viduam Sareptanam, antequam filius eius moreretur; & tum rurſus poſt pueri reſuſcitationem, per annum integrum. Quodſi ergo ponas, iam per aliquod temporis ſpatium pluuiam deſiiſſe, priusquam Elias ad torrentem Cerithum ſe conferret; praeterea & aliquod effluxiſſe, priusquam Achabo ſe ſiſteret, & reliqua omnia, quae deinceps ſequuntur, peracta ſint; quod quidem eo magis concedendum, quod pluuia, quae terram fecundaret, certo tempore in Palaeſtina cadere ſoleret, vere ſcilicet atque autumno; haud difficulter contingere potuit, vt praeter annos tres, ſex adhuc menſes elaberentur. Dum ergo Elias, vt regi ſe oſtenderet, abiit, obuiam ei factus eſt Obadias, qui regis domui praeerat, & ad conquirendum pro iumentis reliquis alimentum, per certum terrarum tractum digreſſus erat, quemadmodum & rex ipſe per alium tractum eandem ob cauſſam iter ſuſceperat. Qui, Obadiam hunc eundem cum propheta eiusdem nominis eſſe, exiſtimant, aut maritum viduae Sareptanae faciunt (quanquam neſciam, quo pacto vidua fuerit, quae maritum habuit) patremque Ionae vatis, nihil aliud agunt, quam vt ſe ipſos traducant turpiter. Id conſtat, virum fuiſſe religioſum, Deique timentem, qui & centum prophetas furori Iſabelae ſubduxit, quos in duabus ſpeluncis, in qualibet quinquaginta, abſcondidit, ibique aqua & pane nutriuit. Prophetarum nomine etiam diſcipuli prophetarum intelligi videntur, cum mulier ad furorem vsque ſuperſtitioſa, omnes, qui idololatriae ſe opponebant, e medio ſublatos cuperet. Obadiae itaque huic Elias dixit, vt regi, ſe iam adeſſe, nuntiaret. At Obadias, variis in medium adlatis rationibus, hoc deprecatus eſt, praeſentiſſimum vitae ſibi ſe attracturum periculum, ratus, ſi regi, Eliam adeſſe, nuntiaret, & interea forte aliorſum a ſpiritu diuino propheta abriperetur, nec vlli bi terrarum inueniri poſſet. Haud dubie enim id aliquando contigerat; haud

Digitized by Google

haud dubie etiam Achabus, illos, qui, adeſſe Eliam nuntiauerant, cum tamen nuſpiam inueniretur, male mulctauerat. Enim vero etſi Achabus Eliam per omnes gentes vicinas, ſummo ſtudio, ita vt etiam a gentibus regibusque iusiurandum exigeret, quo confirmarent, ſe neſcire, vbi Elias eſſet, eam praecipue ob cauſſam quaeſiuerit, vt ab eo poenae remiſſionem aut mitigationem impetraret, vt ſupra obſeruauimus, haud dubie tamen & Eliae valde iratus fuit, quod ſe abdidiſſet, & illis, qui eum adeſſe nuntiabant, cum tamen non adeſſet, vehementer itidem iraſcebatur, ac ſi, tum ab iis, tum ab Elia, ludibrio haberetur. Non itaque ſine ratione magnum ſibi inde imminere periculum credebat Obadias, qui & addebat, nihil eiusmodi ſe prometuiſſe, quippe qui verum Deum colat, & centum prophetas ob Iſabelae furorem abſconditos, hactenus ſuſtentauerit. Elias autem cum iureiurando confirmaſſet, quod eo ipſo die ſe Achabo videndum praebiturus eſſet, Obadias abiit, atque Achabo, Eliam adeſſe, ſignificauit. Statim itaque Achabus ad Eliam properat, cumque eum videret, *nonne tu es*, inquit, *qui Iſraelem perturbas?* Perturbatorem eum Iſraelis vocat, quod eum pro calamitatis, quae hactenus Iſraelitis incubuerat, auctore haberet. Quam parum autem iſta caſtigatione ad peccatorum ſuorum agnitionem adductus eſſet, rex impius hocce ſermone ſatis demonſtrauit. Recte itaque reſpondebat Elias: *non perturbaui Iſraelem, ſed tu domusque patris tui eum perturbaſtis, cum deſertis praeceptis Iehouae, Baales eſtis ſecuti.* Veram quippe calamitatis cauſſam, regis, maiorumque eius impietatem ac idololatriam indicabat.

Neue hoc fruſtra dicere videretur, miraculo id confirmare paratus erat, eumque in finem vniuerſum Iſraelem & prophetas Baalis quadringentos quinquaginta, prophetasque item luci quadringentos, qui ad menſam Izebelae cibum capiebant, congregari a rege voluit, vt in omnium conſpectu illud ederet. Per נביאי אשרה *prophetas Aſcherah*, nonnulli prophetas Aſtoroth, ſiue Aſtartes intelligunt, quam etiam voce Aſcherah quandoque denotari, ſupra ad *period. II. ſect. II. §. XVII.* docuimus. Eſtque haec ſignificatio huic loco ſatis conueniens, cum non lucis, ſed idolis, ſeu diis deabusque, ſacerdotes certi atque prophetae conſtitui ſoleant. Cumque & alias τῷ Baal, Aſtarte ſeu Aſtaroth adiungatur, rectiſſime etiam hic cum prophetis Baalis coniunguntur prophetae Aſtartes; conf. IOANNES SELDENVS, de *diis Syris*, *ſyntagm. II. cap. II.* Cum ergo Achabus Iſraelitas pariter ac prophetas, ad montem Charmelum congregaſſet, Elias ad totum populum acceſſit, eumque ita adlocutus eſt: עד מתי אתם פסחים על שתי הסעיפים *quousque vos claudicatis in duas partes?* Vox פסח equidem alias *tranſire* ſignificat, quemadmodum & *verſ. 26.* vulgatus habet: *tranſiliebant altare.* Verum, quemadmodum iſtud

iſtud rectius de ſaltatione accipitur, ita hic ob additam vocem כעיפים, quae *cogitationes* ſignificat, non poteſt non improprie de claudicatione quadam, ſeu ambiguitate mentis, accipi. Etſi enim Iſraelitae Baali ſeruiebant, non tamen ideo veri Dei cultum prorſus repudiauerunt, ſed putabant vtriusque cultum coniungi commode poſſe. Hoc vero eſt, quod Elias negat, dum ita pergit: *Si Iehoua Deus eſt, eum ſequimini; ſin vero Baal, eum ſequimini.* Senſus namque eſt, ſi Iehoua Deus eſt, eum ſolum ſequimini, Supponit namque, quod & ratio omnes docet, vnicum tantum Deum coli poſſe. Iſta cum Elias dixiſſet, populus nihil reſpondit; aut metu Achabi regis, aut, quod aliis probabilius videtur, quod haeſitauerit, num verum Deum, an Baalem, eligere vellet. Elias itaque vlterius populum adlocutus eſt, & licet ſolus remanſiſſet, eo quod reliqui veri Numinis vates aut interfecti, aut expulſi, aut latibula quaerere coacti eſſent, licetue prophetarum Baalis eſſent quadringenti quinquaginta, ſe tamen non detrectare certamen, profeſſus eſt, velleque adeo, vt Baalis ſacerdotes alterum iuuencum ſumant, & ad ſacrificium praeparent, alterum ſibi relinquant: neutri autem ignem ſubiiciendum; inuocent tum porro quisque Deum ſuum; illumque Deum, qui igne coelitus demiſſo ad ſacrificium conſumendum reſponderit, pro vero Deo habendum. Erat illud tam aequum poſtulatum, vt populus abnuere non poſſet; vnde & ab omnibus palam adprobatum. Quod ſi dicas, populum antea tacuiſſe, quod haeſitaret, promtiſſima haec via erat, ex omnibus dubiis eluctandi; ſin dicas, regis metu antea tacuiſſe, hic in re iuſtiſſima obſtare amplius non poterat, cum Elias aliquid offerret, quod Achabus ipſe ſine ſumma iniquitate recuſare non poterat. De Baalis prophetis diſerte non dicitur, quod aut conſenſerint, aut conditionem acceptauerint. Refragari tamen & ipſi poſtulato tam aequo, nec poterant, nec audebant. Non abnuerim prorſus, quosdam inter eos ſuperſtitione & errore ita excaecatos fuiſſe, vt crediderint, & Baalem ſuum eiusmodi quid praeſtare poſſe; ſed ſi hoc etiam non fuiſſet, immo ſi omnes credidiſſent, fruſtra eiusmodi quid a Baale ſuo exſpectari, detrectare tamen, quod offerebatur, non poterant, niſi totius populi ludibrio ſe exponere vellent. Si dicas, idem tamen aut maius etiam periculum imminebat, ſi res ex voto non ſuccederet, potuerunt cogitare, aut caſu aut fraude forte ſibi aliquid oblatum iri, quo ex hac neceſſitate emergerent; poſſe etiam deinceps facile aliquid excogitari, quo populi animis caligo offundatur, & defectus proſperi ſucceſſus excuſetur, & Elias, ſi res illi ex voto ſuccederet, fraudis aut impoſturae arguatur. Haec ſimiliaue haud dubie animo ſecum voluerunt. Captum itaque iuuencum mactarunt, inuocaruntque nomen Baalis a matutino tempore ad meridiem.

Cum vero ad illorum clamores nihil ſequeretur, ſaltabant circa altare: יפסחו על המזבח. Antea iam obſeruauimus, vocem פסח in *ſaltandi* ſignificatione hic capiendam eſſe. Saltationes namque tum aliorum idolorum cultu in vſu fuiſſe, itidem ſupra docuimus, ad *period. II. ſect. II.* §. *XVII.* Chaldaeus vertit: *& inſaniuerunt;* non male, ſi rem ipſam ſpectes. Talis enim ſaltatio reuera inſania quaedam erat. Saltatione iſta cum non magis proficerent, quam clamoribus ſuis, Elias, iuſto zelo ductus, iſtis illudebat, & *clamate*, inquiebat, *magna voce*, *nam Deus eſt*, ex mente veſtra, *ſed eſt ei* שיח *meditatio* וכי שיג לו *aut eſt ei occupatio*, וכי דרך לו *aut iter illi.* Vox שיח proprie *meditationem* ſignificat, vt verbum שוח *meditari* eſt, de quo ſupra ad *period. I. ſect. III.* §. *XVIII.* dictum. Vocem שיג alias per *inſectationem* reddunt, hic autem commode *occupationem* denotat. Vltima verba vulgatus reddit: *aut in diuerſorio eſt;* non male quidem, ſi ſenſum ſpectes, etſi voces aliud quid ſignificent. Denique & hoc addit: *forſitan etiam dormit, & excitabitur.* Talia enim profecto Deum minime decebant, etſi ethnicorum quidam tam inepti fuerint, vt ita de diis ſuis loquerentur. Prophetae autem Baalis non tantum clamare pergebant, ſed *pro more ſuo ſe gladiis & cultris incidebant*, *donec ſanguis in eos effunderetur.* Namque & hoc apud idololatras vſu receptum erat, itidem ſupra ad *period. II. ſect. II.* §. *XVII.* demonſtratum. Fruſtra itaquae cum haec omnia a Baalis ſacerdotibus ſuſciperentur, tum demum Elias circa tempus, quo munus veſpertinum in templo offerri ſolebat, populum ad ſe accedere iubet, ſumtisque lapidibus duodecim, pro numero tribuum Iſraelis, altare Iehouae, quod eo in loco fuerat, reſtaurauit, fecitque circa altare canalem, qui ſata duo ſementis caperet. Sacrificio tum rite praeparato, quatuor cados aqua plenos tribus vicibus in holocauſtum & altare effundere iubet, vt ipſi canales quoque aqua implerentur, idque eum in finem, vt omnem fraudis ſuſpicionem quam diligentiſſime euitaret. Tum vero, poſtquam Deum inuocauerat, *ignis domini cecidit*, *qui abſumſit holocauſtum & ligna*, *& lapides*, *& puluerem*, *& aquam*, *quae in canali erat*, *lambit.* Quod luculentiſſimum erat documentum, nihil hic ſubeſſe fraudis ſed diuina iſtud contigiſſe virtute. Hinc & iſto miraculo ita conuicti ſunt Iſraelitae, vt in faciem concidentes faſſi ſint: *Iehoua Deus eſt*, *Iehoua Deus eſt.* Elias vero iuſtiſſimo zelo commotus, adprehendi Baalis prophetas iuſſit, & ad Kiſonem torrentem adductos, ad vnum omnes iugulauit. Intelligendum hoc videtur de quadringentis quinquaginta prophetis Baalis. Quod enim ad quadringentos prophetas Aſtartes, ſeu vt alii volunt, luci, attinet, de illis non dicitur, quod adfuerint. Admodum itaque probabile eſt, eos non comparuiſſe; etſi eius rei ratio nos lateat.

teat. Quodſi adfuiſſe contendas, neceſſe eſt, ſub nomine *prophetarum Baalis* & eos fuiſſe comprehenſos.

Rectene autem fecerit Elias, quod prophetas illos iugulauit, quaeri ſolet? Prouocare namque ad hoc exemplum ſolent, quos intempeſtiuus zelus in haereticos, quos vocant, armat, aut eos quoque, qui opinionibus ſaltem a ſe diſſentiunt, quosue ferro & igne e medio ſublatos cupiunt. Dubitari etiam hac de re, vel hoc nomine poſſet, quod, ſi capitali ſupplicio adficiendi ſint, qui aliena ſacra ſequuntur, id magiſtratus officium ſit, non autem hominis priuati, multo minus prophetae, ſeu doctoris, cuius munus eſt docere & inſtruere populum, non autem mactare homines. Adeoque & lex Moſaica, *Deut. XIII. 9. ſeqq.* non videtur pro defendendo, aut excuſando hocce prophetae facinore, allegari poſſe. Verum cum Elias omnia ex inſtinctu diuino egerit, nullum plane eſt dubium, quin & hoc recte fecerit. Vtque munus prophetae, ita & poteſtas eius plane erat extraordinaria, quae ad receptas rerum publicarum leges minime eſt exigenda. Eo magis autem hoc eius facinus defendi poteſt, quod reipublicae Iſraeliticae conditio plane ſingularis erat, in qua inſuper poena capitalis in pſeudo-prophetas & populi ſeductores erat conſtituta, quam Elias eo rectius exigere poterat, quia rex Achabus officio ſuo deerat, & totius inſuper populi accedebat conſenſus. Forte etiam prophetarum horum Baaliticorum inſtinctu Izabela veros prophetas interfecit, vt adeo vel hoc nomine eandem promeriti fuerint poenam. Nec tamen hoc exemplum eos iuuat, qui in haereticos, quos vocant, igne & ferro ſaeuiunt. Hoc ipſo enim, quod extraordinarium fuit, patet, illud nobis ad imitandum neutiquam eſſe propoſitum. Leges praeterea ſpeciales, quas Moſes Iſraelitis dedit, non pertinent ad alias reſpublicas. Eſt vero & ingens diſcrimen inter idololatras illos Baaliticos, & inter haereticos, quos vocant, maximam partem opinionibus ſaltem ab aliis diſſidentes, ne dicam, quod ſaepius homines innocentiſſimi perperam pro haereticis habeantur. Cumprimis adhuc addendum, quod ipſe ſeruator longe manſuetiorem ſpiritum a ſuis requirat, quam ſpiritus Eliae fuit, *Luc. IX. 55. 56.* Iungenda, quae hac de re diſſerit PETRVS BAELIVS, *diction. hiſtor. & crit. voc. Elias pag. 1110.*

His peractis, Elias regem ſine mora cibum capere iubet, vt imminentem pluuiam euitaret. Cum dicit: *eſt multae pluuiae ſonitus*, ita hoc capiendum videtur, quod in prophetico velut ſpiritu ſonitum pluuiae multae ſibi audire viſus ſit. Interea, dum Achabus cibum capiebat, Elias in verticem Carmeli adſcendebat, *ſeque in terram incuruauit, & faciem inter genua ſua poſuit;* precandi ſcilicet cauſſa, aut etiam, vt audiret, num pluuia iam aduentaret. Fuerunt & interdum prophetarum geſtus plane ſingulares. Puer vero, quem proſpicere iuſſit, cum ſeptima id feciſſet vice, nubem par-

paruam inſtar volae hominis e mari adſcendere vidit: tumque Achabo Elias, vt feſtinaret, ne pluuia prohiberetur, iuſſit. Exorta etiam cum tempeſtate vehementi, ingenti pluuia, Achabus curru conſcenſo Iizreelem abiit; ſed Elias, diuina virtute ſuſtentatus, ante Achabum cucurrit, vrbemque ante eum ingreſſus eſt, honoris & reuerentiae erga regem teſtandae cauſſa, aut, vt alii volunt, vt ſuspenſa tantisper pluuia, regem ſaluum & incolumem in vrbem iſtam deduceret. Quo ipſo teſtatus eſt, ſe regi bene cupere, nec reuerentiam ipſi debitam depoſuiſſe, etſi impietatem eius ac idololatriam minime probaret. Achabus autem domum redux continere ſe non potuit, quin vxori Izabelae, cuncta, quae contigerant, narraret. Non optimo ab eo id factum animo, facile coniicere licet. Fieri etiam potuit, vt Izabel, quae forte aliquid hac de re inaudiuerat, planditiis ſuis Achabum induceret, vt cuncta ſibi exponeret. Quod cum obtinuiſſet, omnem haud dubie mouit lapidem, vt Achabum contra Eliam irritaret, quod & ab homine leui, inconſtanti, & mulieri plane obnoxio, facile impetrare poterat. In tantum etiam impotentis animi mulier coniecta eſt furorem, vt ſtatim nuntium ad Eliam mitteret, qui ei diceret, craſtina luce illi moriendum eſſe. Iracundia nimia effecit, vt conſilium ſuum ipſa proderet, ſimulque Eliae occaſionem fuga ſaluti ſuae conſulendi daret. Qua in re tamen ſingularem etiam Numinis interceſſiſſe directionem, non eſt, quod dubitemus. Elias itaque periculum, quod ſibi immineret, intelligens, abiit אל נפשו hoc eſt, *ad ſaluandum animam ſuam*, vt Chaldaeus recte vertit, vel vt IMMANVEL TREMLLIVS reddit: *conſulens vitae ſuae*. Particula אל enim hic idem eſt, ac על *ſuper*, vel etiam per *propter* reddi poteſt. Perperam itaque LXX interpretes vertunt: κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ac vulgatus: *quocumque eum ferebat voluntas*, quem & B. LVTHERVS noſter ſequitur. Cum ergo ei conſtitutum eſſet, vitae ſuae fuga conſulere, Beerſebam venit, quae vrbs Iudae erat. Qui putant, Eliam imbecillitatis cuiusdam hic argui poſſe, quod fugam ad vitam ſeruandam arripuerit, non cogitant, ſanctiſſimum virum omnia ex inſtinctu & voluntate diuina egiſſe. Ex eodem Numinis inſtinctu puero ſuo Beerſebae relicto, ipſe in deſertum iter ſuum per diem vnum proſequitur, tumque ſub iunipero conſedit, & a Deo, vt vitam cum morte commutaret, petiit: *ſatis*, inquit, *nunc*, *o Iehoua*; *auffer vitam meam*, *neque enim maioribus meis melior ſum*. Vocem רתם vulgatus per *iuniperum* transfert, & ita ex Ebraeis etiam R. SAL. IARCHI; alii autem, vt ex Ebraeis R. LEVI BEN GERSON, *geniſtam* intelligunt, quibus & IAC. GVSSETIVS adſtipulatur, in *comment. de lingu. ebr. voc.* רתם *pag. 820.* Mortem autem quod optarit Elias, haud dubie ita intelligendum, quod, cum ad ſenectutem iam perueniſſet, exiſtimauerit,

 nihil

nihil amplius ſupereſſe, quam vt Deus hac ratione laborum & moleſtiae ſuae finem faceret, cum maioribus ſuis melior non ſit, atque adeo longiorem vitam, quam quae illis obtigit, optare non debeat. Sunt, qui putant, Eliae iam tum reuelatum fuiſſe, quod moriturus non eſſet; adeoque mortem prae adſumtione in coelum ſine morte eum optaſſe, contendunt, vt eo citius laborum & moleſtiarum finem conſequeretur. Ita praeter alios B. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, ad *h. l.* Quod tamen profecto nimis durum mihi eſſe videtur, & a patientia pariter ac ſapientia viri ſanctiſſimi prorſus alienum. Nullo praeterea argumento probari poteſt, iam tum Eliae reuelatum fuiſſe, quod non moriturus eſſet. Labore itaque & inedia confectus in ſomnum delapſus eſt, ab angelo mox excitandus, vt cibum potumque, quem ei attulerat, caperet. Factum id altera vice, cum iterum, vt dormiret, procubuiſſet. Significauit etiam ei angelus, itineris, quod inſtaret, longinquitatem, vt corpus cibo iſto reficeret, requirere. Sunt, qui hoc ita capiunt, ac ſi Elias prima vice omnem panem non conſumſerit, quod vt faceret, altera vice ab angelo admonitum fuiſſe; quae recepta fere Ebraeorum eſt ſententia. Alii autem bis cibum potumque ab angelo illi adlatum, contendunt. Cum comediſſet, ac bibiſſet, vi iſtius cibi per quadraginta dies & noctes iter fecit, vsque ad montem Dei Chorebum. Si recto itinere ab vrbe Beerſeba ad montem Chorebum contendere voluiſſet, intra triduum vel quatriduum eo peruenire potuiſſet. Sunt itaque, qui putant, eum non recta via, ſed per ambages velut & anfractus a ſpiritu ſancto ductum, vt adeo amplius temporis ſpatium requireretur. Quodſi vel maxime ſtatuatur, quadraginta iſtorum dierum ſpatio omne illud tempus, quo Elias ad montem Chorebum iuit, ibique commoratus eſt, & rediit, comprehendi, vix tamen recto itinere, eo contendiſſe, eademque ratione rediiſſe, dici poterit. Eum enim diu admodum ibi commoratum, non eſt probabile.

Ad montem cum veniſſet, ſpeluncam ingreſſus eſt, in qua pernoctauit. Num eadem fuerit, in qua & Moſes ſe continuit, cum Deus gloriam ſuam ei conſpiciendam praebiturus eſſet, quod R. SALOMON IARCHI, aliique, volunt, incertum. Ibi ergo Deus Eliam adlocutus eſt, &, quid ei in iſta ſolitudine negotii eſſet, interrogauit, non, ac ſi Deo hoc ignotum fuiſſet, ſed vt Eliae occaſionem querelas effundendi praeberet. Quas cum & propheta propoſuiſſet, ſeque Iſraeliticam terram relinquere coactum, quod aduerſarii ſui vitae ſuae inſidias ſtruxiſſent, indicaſſet, egredi e ſpelunca & in monte ſtare iuſſus eſt, quia Iehoua coram eo tranſiturus eſſet. Tunc exſtitit *ventus magnus & vehemens, qui ſubuertebat montes, & confringebat rupes ante Iehouam, ſed Iehoua non erat in illo vento. Poſt ventum tremor fuit, nec tamen erat Iehoua*

houa in illo tremore. Poſt tremorem ignis, nec Iehoua in igne erat. Poſt ignem demiſſus ac tenuis ſonitus. Quem cum audiuit Elias, inuoluit faciem ſuam pallio, egreſſusque ſtetit ad oſtia ſpeluncae &c. Chaldaeus, quem & alii ex Ebraeis ſequuntur, per ventum, terrae motum, & ignem, tres exercitus angelicos intelligunt, ſed ſine fundamento. Adparitionem hanc ſymbolicam fuiſſe, res ipſa docet, etſi interpretes in eius ſignificatione non inter ſe conſentiant. Nonnulli ad petitionem Eliae eam referunt, cuius duo fuerint capita, alterum ex antecedentibus repetendum, quod vitae & miſeriae ſuae finem petierit, alterum, quod Deum precatus ſit, vt hoſtes ſuos puniret. Ad prius ſymbolica hac adparitione reſpondere Deum voluiſſe, oſtendendo, poſt calamitates quasdam breui tempore tolerandas, quae per ventum, terrae tremorem, & ignem fuerint ſignificatae, ventura mitiora fata, ſeu Deum ipſum in coelum translaturum. Ad poſterius autem Deum aperte reſpondere, *verſ. 15. ſeqq.* Ita SEBASTIANVS SCHMIDIVS ad *h. l.* Alii autem exiſtimant oſtendere Deum hac ratione voluiſſe, ſuae naturae non eſſe conueniens, ſecundum omnipotentiam ſuam & ſummum iuſtitiae rigorem cum mortalibus agere, quod optare videbatur Elias, ingenti zelo flagrans, ſed gratiae atque clementiae concedendum locum; immo hoc ſibi maxime proprium eſſe, vt gratiam atque lenitatem, quamdiu fieri poteſt, erga mortales oſtendat. Quo ipſo & Eliam admonuit, ne zelo ſuo plus, quam decebat, indulgeret, ſimul tamen ad ſublimiora etiam, gratiam ſcilicet ſuam in nouo teſtamento per euangelium omnibus manifeſtandam, reſpexit. Ita iam haec inter ſe coniunxit, adparitionemque explicauit IRENAEVS, *aduerſ. haereſ. lib. IV. cap. XXXVII. pag. m. 334.* ex edit. IO. ERNESTI GRABII, quem hac de re audire iuuabit: *Per haec enim & prophetes valde indignans propter transgreſſionem populi & propter interfectionem prophetarum, EDOCEBATVR MITIVS AGERE, ac ſecundum hominem aduentus Domini ſignificabatur, futurus poſt illam legem, quae data eſt per Moyſem, mitis & tranquillus, in quo nec calamum quaſſatum confregit, nec linum fumigans exſtinxit. Oſtendebatur autem & regni eius mitis & pacifica requietio. Poſt enim ſpiritum, qui conterit montes, & poſt terrae motum & poſt ignem, tranquilla & pacifica regni eius adueniunt tempora, in quibus cum omni tranquillitate ſpiritus Dei viuificat, & auget hominem.* Atque haec cum ita ſe habeant, non errauerit, qui ſpeciatim filium Dei Eliae hic adparuiſſe exiſtimauerit, quippe per quem lenitas, gratia & miſericordia Dei tempore noui teſtamenti maxime adparuit. IOANNES CLERICVS angelum creatum fuiſſe putat, qui hac ratione Eliae adparuerit, & Dei perſonam ſuſtinuerit. Sed fallitur vir doctiſſimus, quia diſerte ipſe Iehoua coram eo tranſiturus dicitur, & deinde ipſe Iehoua non in vento, non in terrae tremore

more, non in igne, ſed in demiſſo & tenui ſonitu fuiſſe perhibetur. Dum ergo ita Iehoua coram Elia tranſibat, iterum illum interrogauit, quid ei hic negotii eſſet? cumque Elias repetiiſſet, quae antea dixerat, dominus illum per viam ſuam in ſolitudinem Damaſcenam reuerti, & Chazaelem in regem Syrorum, Iehum in regem Iſraelis, Eliſaeum autem in ſucceſſorem ſuum in munere prophetico, vngere iubet. Reuerti ſcilicet debebat, non *per deſertum in Damaſcum*, vt vulgatus perperam verba ebraea reddit, ſed in ſolitudinem Damaſci, vbi haud dubie mandatum Numinis exſpectare debebat, quid illi porro agendum eſſet.

Haud leue hic oritur dubium, quo pacto dicatur, Eliam Chazaelem, Iehum atque Eliſam vngere iuſſum, cum nihil eorum ab eo factum ſit. Eliſaeum namque ſucceſſorem ſibi conſtituit, ſed non vnxit. Chazaelem autem & Iehum ne adiuit quidem, tantum abeſt, vt vnxerit. Ad quod diuerſimode viri docti reſpondent, vt apud IOANNEM CLERICVM, ad *h. l.* videre licet. Mihi illorum placet ſententia, qui Eliae poteſtatem hosce homines ad certum officium deſignandi (quae *vngendi* voce exprimitur) hic factam contendunt, quam tum per ſe, tum per alios exercere potuerit. Hinc Eliſaeum quidem ipſe ſucceſſorem ſuum in munere prophetico conſtituit: Chazaelem autem & Iehum deſignauit, quorum ille rex Syrorum, hic autem Iſraelis eſſet. Indicare autem Deus ſimul voluit, quod per hosce tres vindictam ſumere ab Iſraelitis ob eorum impietatem vellet; hinc additur: *Quisquis euadet gladium Chazaelis, eum interficiet Iehu, quisquis vero fugiet gladium Iehu, eum occidet Eliſaeus.* Quomodo vero Eliſaeus? gladio ſpiritus, verbique diuini, quo impios condemnauit, poenasque promeritas iis praedixit. Addit vero porro Deus, ſe conſeruaturum in Iſraele *ſeptem millia hominum*, indicatque, quinam illi ſint, ſcilicet, qui Baalem cultu idololatrico non proſecuti ſunt, quod tum per genu flexionem, tum per osculationem exprimit, cum vtroque modo idololatrae idolis honorem exhibere ſoliti fuerint. Poterat hinc ſimul intelligere Elias, plures ſupereſſe in Iſraele homines pios, quam ipſe putauerat; quod & apoſtolus confirmat, *Rom. XI. verſ. 2. 3. 4.* Sunt, qui putant, numerum finitum hic poni pro infinito, vt, ſeptem millia, itidem ſit, ac aliquot millia, ſeu quam plurimi. Sed cum Deus omnes ac ſingulos cognouerit, qui idololatriae immunes erant, nullum plane eſt dubium, quin numerus certus & determinatus indicetur. Haec cum in monte Chorebo geſta eſſent, & Elias inde abiiſſet, incidit in Eliſaeum, qui arando agro operam nauabat. Ad eum ergo accedens *pallium ſuum ei iniecit*, vt illud portaret, miniſtrum ſuum hoc ipſo eum conſtituens: addidiſſe & verba, quibus, quid ſibi vellet, ſignificauit, nullum eſt dubium; etſi ſcriptor ſacer ea breuitatis cauſſa non commemoret. Promtus ad ſequendum

Digitized by Google

dum Eliam erat Eliſaeus; prius tamen, vt parentibus ſuis ſibi valedicere liceret, ab eo petiit. Reſpondit Elias: *ito & reuertere:* כי מה עשיתי לך *quid enim tibi feci?* hoc eſt, probe perpende, quid tibi fecerim, id ſcilicet ex mandato me feciſſe diuino, adeoque reuertendum tibi erit, vt me ſequaris. Eliſaeus itaque, cum oblato ſacrificio populares conuiuio excepiſſet, iisque vltimum dixiſſet vale, Eliam ſecutus eſt.

§. X.

Interea Syrorum rex Benhadadus Samariam Iſraelitici regni metropolin, obſidet; cumque Achabus pacem muneribus redimere vellet, Syrus autem non niſi conditionibus iniquiſſimis conſentiret, inſtructa ex famulis principum, qui prouinciis praeerant, acie, caeduntur ab Ebraeis Syri, & magna adficiuntur clade. Anno ſequenti iterum reuerſus Benhadadus, quod vates quidam Achabo praedixerat, denuo non tantum vincitur, ſed ipſemet capitur, mox tamen ab Achabo, intempeſtiua miſericordia ducto, dimittendus, cui propterea vates neglectae voluntatis diuinae poenam, mortem, populique ruinam, denuntiauit.* Hoc aegerrime equidem tulit Achabus; ſed nec beneficiis, nec comminationibus Numinis ab impietate ſua reuocari potuit. Immo vt ſcelera ſceleribus cumularet, cum Nabothi vineam concupiſceret, hic vero eam vendere nollet, Iezabela virum innocentem, calumnia circumuentum, occidi curat. Quamobrem Elias tum ipſius, tum impiae vxoris, vt & totius familiae interitum verbis grauiſſimis illi denuntiat; poena tamen adhuc ad tempus, ob Achabi poenitentiam, differenda.**

* Quae cauſſa fuerit, vel quae πρόφασις, vt Benhadadus arma Achabo inferret, non dicitur. Inſignis eo tempore Benhadadi potentia erat, in cuius quippe caſtris triginta vicinarum gentium reguli erant, qui haud dubie eius erant tributarii. Cum ergo Samariam obſidione cinxiſſet, per legatos Achabo ſignificauit, ſoluturum ſe obſidionem, ſi omne argentum ſuum aurumque, vxores itidem & pueros formoſos, illi traderet. Probabile eſt, Achabum, in ſummis quippe anguſtiis conſtitutum, primum conditiones quasdam Benhadado obtuliſſe; hunc vero hasce propoſuiſſe. Achabus potentia viribusque deſtitutus, in eas quoque, quas Benhadadus propoſuit, conſenſit, ſed tum Benhadadus nouas adiecit, non tantum, quae ipſius regis, ſed & ſeruorum ſeu principum eius erant, deſiderans. Ita enim verba ſcriptoris ſacri intelligenda videntur, quemadmodum & ea praeter alios accepit FLAV. IOSEPHVS, *antiquitat. iud. lib. VIII. cap. VIII.* Alii autem ita

hoc

hoc capiunt, quod Achabus putauerit, Benhadadum hoc ſaltem velle, vt ſe ſuaque illi in clientelam traderet, & ita conſenſiſſe in hanc conditionem: deinde vero, cum intelligeret, Benhadadum iure proprietatis omnia ſibi vindicare velle, renuiſſe. Ita HVGO GROTIVS: *Do me meaque in tuam fidem. Sic haec verba Achabus intelligebat; Benhadad autem de rerum proprietate*; ad *h. l.* Prior tamen explicatio verbis ſcriptoris ſacri magis eſt conueniens. Vltimum ergo Benhadadi poſtulatum cum Achabo iniquum videretur, conuocatis ſenioribus populi, qui in vrbe aderant, deliberationem cum iis inſtituit. Conſentiunt omnes, conditionibus tam iniquis locum minime concedendum. Quod cum Achabus Syrorum regi per legatos ſignificaſſet, ſuperbia ferox iterum ad Achabum miſit, qui ei dicerent: *ſic ſe gerant*, inquit *Benhadadus*, *erga me dii ac ſe gerere pergant*, *vt minime ſuffecerit puluis Samariae pugillis totius populi*, *qui mecum eſt*. Senſus eſt, ſe qui tam ingenti exercitu inſtructus ſit, ita deuaſtaturum Samariam, vt neque pugillus, ſeu minima pars pulueris, in ea relinquenda ſit. Non enim ad meram oſtentationem virium, ſed ad comminationem ſimul haec verba prolata, addita iuriſiurandi formula, oſtendit. LXX interpretes pro שערים *pugnis*, legerunt שועלים *vulpes*, adeoque haec verba ita reddiderunt: εἰ ἐκποιήσει ὁ χοῦς Σαμαρείας ταῖς ἀλώπεξι, παντὶ τῷ λαῷ τοῖς πεζοῖς μου· Nonnulli ex Ebraeorum doctoribus, vt R. SAL. IARCHI, aliique, praeeunte chaldaeo, per שעל *volam pedis* intelligunt, vt ſenſus ſit, plantis pedum exercitus puluerem Samariae auferri poſſe. Sed rectius vox שעל per *pugnum* ſeu *pugillum* explicatur, quemadmodum & R. LEVI BEN GERSON ad *h. l.* explicat. Et ita quoque eam intellexit, FLAVIVS IOSEPHVS, vt tamen nihilominus longe alium ex his verbis exſculperet ſenſum. Minatum enim Achabo Benhadadum dicit: ὑψηλότερον τῶν τειχῶν, οἷς καταφρονεῖ χῶμα τούτοις ἐπεγείρειν αὐτοῦ τὴν στρατιὰν, κατὰ δράκα γῆν λαμβάνουσαν, *altiorem muris*, *quos ſpernebat*, *aggerem illis excitaturum exercitum terram pugillis ſumentem*; *antiquit. iudaic. libr. VIII. cap. VIII.* Sed hoc a mente ſcriptoris ſacri alienum eſſe, ipſa verba docent. Achabus cum iſtam Syri comminationem intellexiſſet, reſpondit: *dicite* (Benhadado) *ne glorietur*, *qui ſe accingit*, *vt qui ſe diſcingit*; hoc eſt, ne triumphum canat ante victoriam. Hic enim locutionis iſtius prouerbialis ſenſus eſt. FL. IOSEPHVS: μὴ καυχᾶσθαι καθωπλισμένον, ἀλλὰ τῇ μάχῃ κρείττω γενόμενον, *non debere gloriari armatum*, *ſed victorem*. Perperam itaque LXX interpretes: ἱκανούσθω· μὴ καυχάσθω ὁ κυρτὸς, ὡς ὁ ὀρθός· Bibenti Syro cum regibus in tentoriis, cum legati Achabi reſponſum attuliſſent, ſtatim ſuis שימו *ponite* ſeu *diſponite*, inquit; *qui diſpoſuerunt aduerſus urbem*. De machinis bellicis, vrbi admouendis, hoc nonnulli, etiam ex Ebraeis, capiunt; quibus &

LXX

Digitized by Google

LXX interpretes fauent: *οἰκοδομήσατε χάρακα*, *ſtruite vallum*; alii autem de exercitus diſpoſitione, ac ſi aciem ac impetum in vrbem faciendum inſtrui iuſſerit. Hoc Chaldaeus innuere videtur, & vulgatus: *circumdate ciuitatem.* Facere pro hac ſententia videtur, quod propheta ad Achabum accedens, ad eum dicat: *an vidiſti omnem hanc magnam multitudinem?* ingentem, qui adpropinquabat, exercitum innuens. Vates hicce cum Samariae fuerit, recte inde colligitur, ingentis miraculi ab Elia editi hunc fructum fuiſſe, vt Achabus ex eo tempore erga veros prophetas mitius ſe gereret, eosque toleraret. Sed idem quoque verbis prophetae ſtatim in omnibus fidem adhibuit. Per נערי שרי מדינות *pueros praefectorum prouinciarum*, famulos ſeu ſeruos eorum praefectorum, qui in Samariam ſe receperant, ſcriptor ſacer deſignat. Male IOSEPHVS filios principum intelligit. Hos autem Deus ob paucitatem elegerat, vt miraculum eo eſſet illuſtrius. Erant enim numero ducenti triginta duo. Sed ad Achabi fidem explorandam hoc quoque facit, quod Deus ipſum Achabum cum hiſce praefectorum ſeruis proelium inire voluerit. Errat enim IOSEPHVS, qui propter imperitiam ſeruorum iſtorum hoc factum putat: *ἡγȣμένȣ σȣ διὰ τὴν ἀπειρίαν ἐκείνων* Haud dubie enim ex principibus alius dux belli aeque peritus, aut peritior, quam Achabus, illis dari potuiſſet. Omnia ergo cum inſtruxiſſet Achabus, eruptionem fecerunt ipſo meridie, cum Benhadadus cum regulis ſuis ſtrenue indulgeret genio. Primi egreſſi ſunt famuli praefectorum prouinciarum, quos cum viderent exploratores Syrorum idque regi renuntiarent, hic capi omnes viuos iubet, ſiue belli, ſiue pacis cauſſa egreſſi eſſent. Adeo reſponſum Achabi animum eius exacerbauerat. Syri itaque cum capere ex mandato regis famulos praefectorum vellent, hi fortiter pugnando, quisque virum qui illum adgrediebatur, occidit; quo ipſo territi Syri fugam arripuerunt, quos Israelitae, qui praefectorum famulos ſequebantur, vlterius perſecuti ſunt, ipſo Benhadado, ope equi euadente. Cum *verſ. 21.* dicitur: *at egreſſus rex Israelis &c.* non ita hoc capiendum, ac ſi tum demum rex egreſſus ſit, qui potius ipſemet famulos praefectorum eduxit, ſed ſenſus eſt: rex Israelis, qui ſtatim in initio egreſſus erat, concidit equitatum & currus &c.

Licet autem ingenti clade adfecti Syri eſſent, miniſtri tamen regis ei perſuaſerunt, vt ſequenti anno iterum expeditionem contra Israelitas ſuſciperet, quod & vates diuinus Achabo praedixit. Ratio, qua Syri inducti meliorem belli exitum ſibi pollicebantur, haec erat: *Dii montani ſunt eorum dii, ideoque ſuperiores nobis fuerunt. At pugnemus cum iis in planitie* (videbisque) *annon futuri ſimus ſuperiores.* Recepta nimirum apud ethnicos erat opinio, ſingulis non modo gentibus, aut regionibus, ſed & vrbibus ſuos praeeſſe deos tutela-

 res,

res. Teſtatur hoc praeter alios OVIDIVS:

Pallada Cicropidae, Minoia Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypſipylaea colit.
Iunonem Sparte, Pelopeiadesque Mycenae
Pinigerum Fauni Maenalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat, quia praeſidet armis,
Arma ferae genti, remque decusque dabant.

faſtor. lib. III. pag. m. 118. Exprobratum & hoc gentilibus ſubinde a veteris eccleſiae doctoribus. TERTVLLIANVS: *Vnicuique etiam prouinciae & ciuitati ſuus Deus eſt, vt Syriae Aſtartes, vt Arabiae Diſares, vt Norici Belenus, vt Africae Coeleſtis, vt Mauritaniae reguli ſui; Romanas, vt opinor, prouincias edidi, nec tamen Romanos deos earum, quia Romae non magis coluntur, quam qui per ipſam quoque Italiam municipali conſecratione cenſentur, Cruſtuminienſium Beluentinus, Narnienſium Viſidianus, Aeſculanorum Ancaria, Volſinienſium Nurſia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliſcorum in honore eſt pater Curis, vnde accepit cognomen Iuno:* in *apologet. cap. XXIV.* Pertinet huc etiam vetus epigramma:

Dodone tibi Iupiter ſacrata eſt,
Iunoni Samos, & Micaena Diti
Vndae Taenaros aequoriſque regi
Pallas Cecropias tuetur arces &c.

quod exhibet IO. ALBERTVS FABRICIVS, qui & varios ſcriptores laudat, qui deorum tutelarium mentionem fecerunt, aut de iis egerunt; in *bibliographia antiquar. cap. VIII. §. XX. pag. 259. 260.* Tales itaque deos tutelares intelligebant Syri, qui, quoniam Samaria in monte condita eſſet, eos *montanos*, ſeu montium praeſides vocabant, & ridiculo inſuper errore ſibi perſuadebant, minorem horum vim in planitie quam in montibus ſeu in regione montana eſſe; ſuoſque adeo deos tutelares eo, quod planitici praeeſſent, ſuperiores fore, ſi in planitie proelium committendum eſſet, non dubitabant. Regulos praeterea, quos Benhadad ſecum habebat, remotos cupiebant, ſiue quod fides illorum iis ſuſpecta eſſet, ſiue quod ad bellum parum idoneos crederent, eorumque loco praefectos conſtitui volebant. Reſtaurato etiam exercitu, vt numero & multitudine priori reſponderet, victoriam regi certiſſime pollicebantur; qui & facile, vt eorum verbis fidem adhiberet, ſe induci paſſus eſt. Vertente itaque anno, Benhadadus cum exercitu Aphekam venit, ſimulque & Achabus copias ſuas eduxit. *Recenſiti ſunt Iſraelitae*, inquit porro ſcriptor ſacer, וכלכלו *& ad vnum omnes congregati ſunt;* ita namque R. DAVID KIMCHI, & LEVI BEN GERSON hanc vocem explicant, a כל *omnis;* alii autem a כלכל *aluit, ſuſtentauit*, eam deriuantes, explicant: *viaticum ſecum ſumſerunt.* Ita R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* Sed prior explicatio cum ſequentibus melius cohaeret. Statim enim additur: *inſtar duorum gregum caprarum;*

rum; ſeu, vt alii vertunt; *inſtar binnulorum caprae;* ſcilicet ob paucitatem. Senſus itaque eſt: licet omnes Iſraelitae congregati fuerint, eos tamen cum Syris, qui terram repleuerant, comparatos, ob paucitatem inſtar duorum gregum caprarum fuiſſe. Interea vates diuinus ad Achabum acceſſit, dixitque, quia Syri dixiſſent, *Iehouam Deum eſſe montium, non vallium,* Deum vniuerſam iſtam multitudinem in manus Achabi traditurum, vt intelligerent, Deum eſſe Iehouam. Inſignis ſcilicet blaſphemia erat, dum dixerant, Iehouam eſſe Deum montium, quam adeo grauiſſime punire Deus decreuerat. Cum ergo per ſex dies caſtra caſtris oppoſita fuiſſent, ſeptimo commiſſum eſt proelium, in quo ex Syris centum millia peditum vno die ab Iſraelitis caeſa ſunt. Reliqui in Aphekam vrbem ſe receperunt, cumque ad vrbem defendendam circa moenia diſpoſiti eſſent, diuinitus contigit, vt moenia caderent, & viginti ſeptem millia virorum opprimerent. Nonnulli hoc ita capiunt, quod moenibus collapſis pars iſtorum oppreſſa ſit, reliquis prae metu & deſperatione quaquauerſum ſparſis. Sed cum ingens miraculum ſcriptor ſacer innuere velit, nihil obſtat, quo minus omnes a ruina murorum oppreſſos dicamus. Certe hoc verba ſuadent. Ipſe tamen rex Benhadadus euaſit, qui vrbem ingreſſus prae metu חדר בחדר *ex cubiculo in cubiculum*, ſeu ex vno conclaui in aliud ſe recepit, vt ſe occultaret. Inepte vulgatus: *in cubiculum, quod erat intra cubiculum.* Serui autem Benhadadi, ſumto, qui ſupplices decebat, habitu, rege quidem conſentiente, ad Achabum accedunt, eumque, vt vitam regi Syrorum ſeruet, precantur. *Seruus tuus*, inquiebant, *Benhadadus dixit, mihi quaeſo vita ſeruetur.*

Achabus, ſtolida quadam & intempeſtiua animi lenis aut etiam generoſi oſtentatione, *an adhuc viuit*, inquit, *ille? frater meus eſt.* Legati hinc ſtatim documentum, quo erga Benhadadum animo Achabus eſſet, capientes, feſtinarunt, ויחלטו הממנו hoc eſt, vt nonnulli vertunt: *ſermonesque miſcendo quaeſiuerunt, an ex animo loqueretur.* Verbum חלט quod alias in ſacro codice non occurrit, diuerſimode viri docti explicant. Nonnullis idem eſt, ac *praeciſe cognoſcere, proprie experiri*; vid IAC. GVSSETIVS, *comment. lingu. ebr. pag. 258.* Aliis idem eſt, ac *feſtinare.* Sed cum in lingua ſyriaca, chaldaea, arabica, *miſcere* ſignificet, eadem & hic rectiſſime retinetur ſignificatio; ſenſusque eſt, quod ſermones miſcuerint, ſeu *occaſionem hanc loquendi diligenter captauerint*; dixerintque, הממנו h. e. *num ex nobis?* Ita enim nonnulli hanc vocem capiunt, ſenſumque eſſe, putant: illud fratris nomen non ex nobis, ſed ex te eſt: tu ergo eum Benhadadum pro fratre tuo habeas, non potes non in gratiam eum recipere, vitamque illi ſeruare. IOANNES CLERICVS הממנו *an a ſe ipſo?* perinde eſſe putat, ac המלבו *an ex corde*, vel *ex animo ſuo?* hoc eſt ſerio, & vt ſentie-

ſentiebat. Sed planior longe illorum eſt ſententia, qui הממנו idem eſſe putant, ac הלא ממנו *nonne ab ipſo?* ſcilicet, venimus. Nimirum quaeſiuerat Achabus: *an adhuc viuit ille?* ad hoc reſpondent: *nonne ab ipſo venimus?* Immo *viuit, cum nos ad te miſerit;* tumque porro addunt: *frater ergo tuus eſto Benhadadus.* Hinc cum iuſſu Achabi Benhadadus in conſpectum eius veniſſet, eum currum ſuum conſcendere iuſſit. Quod cum factum eſſet, Syriae rex pacis federisque conditiones obtulit; *vrbes*, inquit, *quas cepit pater meus patri tuo, reſtituam, & plateas tibi pones Damaſci, quemadmodum pater meus ſibi poſuerat Samariae.* Nimirum facultatem Iſraelitis conceſſit, Damaſci non tantum negotiorum cauſſa commorandi, ſed & integras plateas, in quibus ſeorſim habitarent, exſtruendi. De ſola enim poteſtate Damaſcum commeandi, quod FLAV. IOSEPHVS fecit, hoc capi nequit. Has in conditiones cum Achabus conſenſiſſet, percuſſo cum Syriae rege federe, illum dimiſit. Haec cum contigiſſent, quidam ex prophetarum filiis, eorum ſcilicet, vt vulgo putant, numero, quibus Elias praeerat, ſodali ſuo, iuſſu Dei dixit: *ferito me quaeſo.* Quod cum ille facere nollet, alter ei denuntiauit, quandoquidem mandato diuino non eſſet obſecutus, fore, vt a leone percuteretur. Prophetam hunc Micham Semlae filium fuiſſe, FLAV. IOSEPHVS, aliique ex Ebraeis, itemque THEODORETVS, atque PROCOPIVS, tradunt. Non leue eius, qui illum percutere noluit, peccatum fuit, quod illud facere detrectauerat, quod diſerte Deus iuſſerat. Hinc & poenam iſtam, quae prima fronte durior videri poterat, promeruit. Quanquam, num interfectus a leone, an ſaltem vulneratus ſit? incertum. Verbum enim הכה *percuſſit*, vtrumque ſignificare poteſt. In alium ergo virum cum prior ille propheta incidiſſet, idemque ab eo poſtulaſſet, hic eum feriit, vt vulneraret. Vulnerari autem propheta voluit, non vt faciem hac ratione deturparet, quae quorundam eſt ſententia, hoc enim puluere ſeu cinere feciſſe, deinceps dicitur, ſed, vt mihi quidem videtur, vt animum regis ad maiorem attentionem excitaret. Conſtitit itaque iuxta viam, per quam regi transeundum erat, ויתחפש באפר *diſſimulauitque, quis eſſet, in puluere*, hoc eſt, puluere faciem deturpauit, ne agnoſci poſſet. Chaldaeus vocem אפר transfert per כעפירא, vnde nonnulli, eam *velum* ſeu *ſudarium* hic ſignificare, putant. Quod licet a re ipſa non alienum ſit, quia tamen etiam puluere ſeu cinere faciem deturpare potuit, nulla ratio eſt, cur recepta ſignificatio & hic locum inuenire nequeat. Multo minus recepta hic ſollicitanda eſt lectio, ac ſi legendum eſſet אפוד *Ephod*, quod ſine vlla neceſſitate LVDOVICVS CAPPELLVS facit; *crit. ſacr. libr. IV. cap. IV.* a quo merito diſſentit IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* Cum ergo rex tranſiret, propheta opem eius implorauit, dixitque, ſibi

Digitized by Google

bi in proelio conſtituto ab alio captiuum quendam ad cuſtodiendum traditum, ea lege, vt, ſi captiuum dimitteret, ille loco ipſius eſſet, aut talenti argentum appenderet; ſe ergo aliis negotiis occupato, captiuum illum auffugiſſe. Vlterius ſermonem non continuauit, eo quod rex eumdem interrumperet. Res ipſa autem docet, eum dicere voluiſſe, quoniam captiuus auffugiſſet, ſe ab altero, qui illum ſibi ſeruandum tradidiſſet, ita vulneratum eſſe. Achabus rex reſpondit: *ſic iudicium tuum tu definiiſti*; hoc eſt, ipſemet ſententiam contra te pronuntiaſti. Atque id erat, quod propheta cupiebat. Celeriter itaque remoto a facie puluere, vt agnoſci poſſet, ad Achabum, *ſic dixit*, inquit, *Iehoua*, *quandoquidem dimiſiſti hominem*, *quem deuoueram*, *vita tua erit loco eius vitae*, *& populus tuus eius populi loco*. Benhadadum vocat איש חרמי *virum deuotionis meae*, quod Chaldaeus vertit: גבר רחייב קטול LXX: *ἄνδρα ὀλέθρειν*, vulgatus: *virum dignum morte*. Indicatur, eum morti ſeu interitui deuotum fuiſſe, ſeu tanquam חרם ſpectandum, vnde ei parcere non debebat. Si quaeras, vnde Achab hoc ſcire potuerit, reſpondeo, ex ſermone prophetae, qui illi victoriam praedixerat; quippe qui diſerte addidit, ob blaſphemiam illam, qua Iehouam, Deum montium Syri dixerant, Deum omnem illam multitudinem in manus eius traditurum. Quae blaſphemia tanta erat, vt ad exſcindendum totum Syrorum exercitum, Achabum commouere debuiſſet. Et hanc Numinis voluntatem fuiſſe, ex mirabili illa victoria, ſi voluiſſet, intelligere potuiſſet. Non male itaque, ſi ſenſum ſpectes, IOSEPHVS τὸ איש חרמי exprimit per *βλασφημήσαντα*· Achabus cum iſta audiuiſſet, indignabundus abiit, & Samariam ingreſſus eſt. IOSEPHVS addit, prophetam in carcerem coniectum; quod ſcriptura non commemorat. Quo pacto vaticinio euentus reſponderit, ſequentia docebunt.

** Quae de Nabotho, eiusque vinea *I. reg XXI.* referuntur, LXX interpretes pariter ac FLAVIVS IOSEPHVS praemittunt iis, quae de bello cum Benhadado geſto hactenus commemorauimus. Sed, vt ab ordine codicis ebraei diſcedamus, nulla nos cogit neceſſitas. Occaſio eorum, quae cum Nabotho geſta ſunt, haec erat. Cum Achabus Iezreele vrbe, quae non procul a Samaria erat, delectaretur, palatium in ea aedificauit, cui cum hortum iungere vellet, vinea Nabothi, quae iuxta palatium erat, ad hoc aptiſſima videbatur. Petebat nimirum vineam לגן ירק in *hortum olerum*, quae propria vocis ירק eſt ſignificatio; quam & LXX ſequuntur: *εἰς κῆπον λαχάνων*. Hanc vocis ſignificationem deſerunt, qui herbas odoriferas intelligunt; quamuis non negauerim, iis quoque voluptatis cauſſa locum in eodem horto concedi potuiſſe. Vineam ergo hanc cum a Nabotho rex peteret, eique aut aliam vi-

Digitized by Google

vineam meliorem, aut pretium argento perſoluendum offerret, hic contra, hereditatem a maioribus acceptam ſe alienare poſſe, negauit. Recte quidem; neque enim lex diuina hoc permittebat, niſi graui egeſtate preſſo; *Leuit XXV. 25.* Ad iubilaeum vſque vendi agrum pretio potuiſſe, putat HVGO GROTIVS, ad *h. l.* Quod tamen vt itidem de illis, qui egeſtate premebantur, intelligendum, ita, an ea aetate apud Iſraelitas iubilaeorum ratio habita fuerit, merito dubites. Achabus, cum ea, quae concupiuerat, non obtinuiſſet, triſtis & indignabundus domum rediit, iacuitque in lecto ויסב את פניו *& auertit faciem ſuam*, ſcilicet ad parietem, vt vulgatus habet, vel, vt alii volunt; *mutauit faciem.* Magnam ſcilicet iniuriam interpretabatur, quod Nabothus precibus iniquiſſimis locum non reliquiſſet; qui hominum, praeſertim principum, dignitate ſua & potentia ſe efferentium, mos eſt. Izabela coniux, cum cauſſam moeroris, qui regem adfligebat, intellexiſſet, ad eum dicebat: אתה עתה תעשה מלוכה. Quae verba nonnulli per interrogationem capiunt, ac ſi ironica eſſet oratio, quem in ſenſum & LXX interpretes ea ita vertunt: σὺ νῦν ποιεῖς βασιλέα ἐπὶ τὸν Ισραήλ; & vulgatus: *grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Iſrael.* Eſtque talis oratio ingenio Izabelae ſatis conueniens; poteſtque huc referri, quod de Poppaea habet C. CORNELIVS TACITVS; *aliquando per facetias incuſare principem, & pupillum vocare, qui iuſſis alienis obnoxius, non modo imperii, ſed libertatis etiam indigeret; annal. libr. XIV. cap. I.* Alii tamen interrogationem in hiſce verbis non agnoſcunt, cuius quippe nullum ſignum adſit, ſenſumque eſſe putant: *tu vero fac nunc regnum ſuper Iſrael*, hoc eſt, regem te, poteſtatem regiam exercendo, demonſtra. Indicabat mulier impia, cum Achab precibus a Nabotho nihil impetrare potuiſſet, poſſe eum non tantum vi ad ſe vineam iſtam rapere, ſed hominem etiam, vtpote in regem contumelioſum, quacunque ratione e medio tollere. Et licet deinceps Izabela ſpecie quadam iuris vſa ſit, haud dubie, ne populum offenderet, ipſas tamen machinationes ex hoc capite haud illicitas credidit, quod regibus fas eſſe putaret, quacunque ratione poſſent, e medio tollere, qui cupiditatibus eorum reſiſterent. Deinde, cum Achabum bono animo eſſe iuſſiſſet, ſe effecturam in ſe recepit, vt Nabothi vineam ſine pretio acciperet.

Conſentiente Achabo, Izabela eius nomine litteras mittit ad ſenes & primores vrbis, in qua Nabothus erat, Achabi ſigillo obſignatas, in quibus, quae ab iis fieri vellet, ſignificat. Ad ſenes ſcilicet & praecipuae dignitatis viros ſcripſit, quia hi iudicum munere fungi ſolebant. Vox חורים alias *nobiles* ſignificat, nec male hic a vulgato per *optimates* transfertur. LXX interpretes habent: ἐλευθέρους; at FLAVIVS IOSEPHVS: ὑπερέχοντας τῶν Ιεζραηλιτῶν; ita enim legendum pro: Ισ-

Ισραηλιτῶν. Ieiunium autem proclamari volebat Iezabel, ad auxilium diuinum implorandum, ne quid contra ius & fas fieret, ſed vt piaculum rite deprehenſum remoueri poſſet. Ordine namque & ſub religionis ſpecie ad nequitiam tegendam cuncta peragi volebat, ſceleſtisſima mulier. Tum in *capite populi*, ſeu primo loco collocandus erat Nabothus, non ſane honoris cauſſa, vt nonnulli putant, ſed, vt ſtatim omnes intelligerent, quis ille eſſet, qui in admiſſi criminis ſuſpicionem veniebat. Producendi tum erant *duo homines nequam*, qui contra Nabothum teſtimonium ferrent, dicerentque, eum & Deo, & regi maledixiſſe. Falſos iſtos teſtes fuiſſe homines nequam, dubitari nequit, cum a viro honeſto & cordato, Iezabela eiusmodi quid impetrare non potuiſſet. Sed, an ita etiam eos in litteris ad ſeniores & primores vrbis Iezreel adpellitauerit, merito dubitari poteſt. Praeterquam enim, quod animum malignum nimis aperte ita prodidiſſet, vix credibile, teſtes iſtos pasſuros, vt *viri nequam* adpellitarentur, etſi reuera tales eſſent. Cuncta enim ſub iuſtitiae & religionis ſpecie agebantur. Crediderim itaque, ſcriptorem ſacrum breuitatis cauſſa ita rem ipſam exprimere, etſi Iezabela aliis verbis, quos ceu teſtes contra Nabothum produci vellet, deſignauerit. Imputabatur Nabotho, quod *Deo & regi maledixiſſet*. Sane, qui regi maledicit, in Deum etiam peccat; ſed ideo Deo maledixiſſe, dici nequit. Nullum ergo eſt dubium, quin hoc obtentui ſumtum, vt eo certius vltima pernicies illi attraheretur. Qui enim Deo maledixerat, lapidibus obruendus erat; *Leu. XXIV. 16.* Suntque haec etiam eum in modum, vt Iezabela voluerat, peracta. Cumque Achabus percepiſſet, mortuum Nabothum eſſe, hortante Iezabela in vineam Nabothi ſe contulit, vt eius poſſeſſionem adiret. Sunt nonnulli ex Ebraeorum doctoribus, qui putant, Achabum, interfecto Nabotho, vineam eius ſibi vindicaſſe, quod bona eorum, qui ob crimen laeſae maieſtatis interfecti erant, fisco cederent. Nec contemnenda haec ſententia videtur, etſi aliis diſpliceat. Nullum enim ceteroquin iuris praetextum Achabus habebat, quem tamen quaeſiuiſſe, ex hactenus dictis intelligere licet. Nec obſtat, quod *II. reg. IX. 16.* etiam filios Nabothi interfeciſſe dicatur. Praeterquam enim, quod nonnulli de extrema miſeria, ad quam Nabothi filii redacti ſunt, hoc intelligant, ſi etiam vel maxime vna cum patre interfecti ſint, ideo hoc factum videtur, quod crimen laeſae maieſtatis in poſteris quoque puniendum exiſtimauerit. Eo magis itaque ex eodem capite bona illorum rex ſibi, excluſis reliquis cognatis, ſi qui fuerunt, vindicare potuit. Sed intelligenda haec de *προφάσει*, ſeu praetextu iuris. Reuera enim nihil niſi iniuſtitiam in hocce facinore conſpicere licebat. Nullum enim laeſae maieſtatis crimen Nabothus commiſerat. Quare & hoc nomine puni-

niri non poterat. Fruſtra etiam ad excuſandum Achabum ius regium, aut dominium ſupereminens huc aduocaueris. Si enim iure regio vti voluiſſet, non neceſſe fuiſſet, quaeſita aliunde προφάσει interficere Nabothum. Praeterea verum ius regium, quod lege, non more nititur, eo vsque ſe non extendit, vt ſine cauſſa innocentibus bona eripere liceat; quamuis Iezabela, vt antea dictum, hoc ſuppoſuiſſe videatur. Dominium ſupereminens in caſu neceſſitatis ſaltem locum habet, qualis hic non fuit.

Cum ergo Achabus in vinea Nabothi eſſet, vt poſſeſſionem eius adiret, Elias propheta iuſſu Numinis ad eum acceſſit, eumque ita adlocutus eſt: *annon occidiſti, & poſſeſſionem adiiſti?* Duplex nimirum crimen Achabo exprobrat, homicidium & iniuſtam vineae occupationem: idque prorſus opportune, cum Achabus in eo eſſet, vt vineae iſtius poſſeſſionem adiret. Hinc ergo ſtatim poenam ſubnectit, quam iuſſu Numinis ei denuntiat: *ſic dicit Iehoua, in loco, in quo ſanguinem Nabothi linxerunt canes, lingent etiam canes tuum ipſius ſanguinem.* Prius vero, quam ſermonem abſolueret Elias, interrupit eum Achabus, dicens: המצאתני *num inueniſti me, mi inimice?* Quae verba diuerſimode verti, & explicari ſolent. Nonnulli enim haec ita capiunt, ac ſi Achabus ſe excuſare voluerit, quod ipſemet caedis in Nabotho commiſſae auctor non fuerit, ſimulque tacite culpam omnem in Iezabelam transtulerit. Senſus itaque fuerit; *num inueniſti, ſeu deprehendiſti me delinquentem? hoc eſt, num ego Nabothum occidi? Si autem alii hoc fecerunt, cur id mihi exprobras? Videant, qui hoc fecerunt, an recte egerint?* Cumque ita ob caedem Nabothi innocens videri vellet, ſequebatur etiam, quod non peccaret, ipſius vineam ſibi vindicando. Huc redit interpretatio Chaldaei: *num inueniſti mihi* (delictum) *mi inimice?* quem & doctores ebraei fere ſequuntur. Alii vero non excuſantis ſe, ſed expoſtulantis, haec verba eſſe exiſtimant, vt ſenſus ſit: *num tandem inueniſti me, ſeu aliquid deprehendiſti, quod mihi exprobrare poſſes?* Ita IOANNES CLERICVS, ad *b. l.* Sed prior mihi praeferenda videtur explicatio, eo quod hypocritarum omnium, qualis & Achabus fuit, ſit, crimina ſua quouis modo excuſare, & vt innocentes videantur, culpam in alios transferre. Nec obſtat, quod poenitentiam egerit Achabus. Ad hoc enim comminationibus grauiſſimis prophetae commoueri potuit. Secundum huncce ſenſum aptiſſime conſentiunt ſequentia. Reſpondebat enim Elias: *Deprehendi vero, quia vendidiſti te, ad faciendum id, quod Iehouae diſplicet.* Significat hisce verbis, ſe omnino deprehendiſſe Achabum in delicto, cum ipſius conſenſu cuncta geſta ſint: fruſtraque adeo eum culpam a ſe amoliri velle, qui auctor omnium iſtorum malorum ſit, eo quod cupiditates ſuas non repreſſerit, quibus cum ſeruiat, non aliter ac qui in ſeruitutem venunda-

datus eſt, non poſſe non illum ea agere, quae vehementer domino diſpliceant. Eadem locutione, qua *ſe vendidiſſe* dicitur, ad facienda mala, etiam Paulus vtitur, *Rom. VII. verſ. 14.* Pergit hinc Elias, poenas Achabo denuntiare, quod domus eius prorſus exſcindenda ſit, aeque ac domus Ieroboami & Baeſae, tumque & Iezabelae, quae ſcenam hanc inſtruxerat, & in quam culpam omnem deriuare voluerat Achabus, praedicit, carnem eius a canibus in ſuburbio Iezreelis vorandam eſſe. Hanc Numinis ſententiam vt iuſtam eſſe oſtenderet ſcriptor ſacer, nonnulla de ſumma Achabi impietate inſerit, ſimul tamen indicat, quod Iezabela ad maxima ſcelera eum concitauerit. Interim Achabus verbis prophetae commotus, *lacerauit veſtes ſuas, carni ſuae impoſuit ſaccum, ieiunauit, cubuitque in ſacco & lento gradu ambulauit.* Veram hanc minimeque ſimulatam fuiſſe Achabi poenitentiam, non eſt, quod dubitemus. Omnia enim poenitentiae ſigna adſunt, eaque ita comparata, vt magno dolore animum regis perfuſum fuiſſe, ſatis oſtendant. Praeterea Deus ipſe teſtatur, quod Achabus humilis factus ſit coram ipſo, quae alias verae poenitentiae eſt deſcriptio. Immo & poenae mitigationem quandam Deus promittit, dum ſe malum, quod comminatus erat, non ipſo viuo, ſed in filio eius, ſe adducturum profitetur. Etſi autem vera eſſet haec eius poenitentia, non tamen conſtans fuit. Mox enim ad ingenium, priſtinosque mores rediiſſe Achabum, ſequentia docent; conf. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, ad *b. l.*

§. XI.

Poſt haec Achabus, ſocietate cum Ioſaphato Iudae rege inita, Syris denuo bellum inferre parat; ſuadentibus pſeudo-vatibus, diſſuadente, & exercitui cladem, Achabo exitium praecinente Michaea, in vincula ideo coniiciendo, donec euentus vaticinii veritatem comprobaſſet. Commiſſo praelio, Ioſaphatus vix euadit, Achabus ex vulnere, quod accepit, occubuit; cuius currus, dum ad piſcinam Samariae abluebatur, cruorem regium defluentem canes lingebant, vt Eliae praedictioni ſua conſtaret veritas. * Ioſaphatus autem cum domum rediiſſet, a Iehu vate reprehenſus, quod Achabo, impio regi, opem tuliſſet, culpam agnouit, quam vt emendaret, ad exſtirpandum, quidquid ſupererat idololatriae & ſuperſtitionis, cultumque Numinis reſtaurandum, & rempublicam rite adminiſtrandam, animum adiecit. Victis hinc non ſine manifeſto miraculo Ammonitis, Moabitis, Syris ac Idumaeis, claſſem inſtruit, quae Ophiram ad petendum aurum, iret; irrito quidem conatu,

cum in ipſo portu claſſis illa naufragium faceret, Numine haec ita dirigente, eo quod Achaſiam regem impium, inuitus licet, in nauigationis ſocietatem recepiſſet. **

* Quod *I. reg. XXII. 1.* dicitur, Israelitas tribus quieuiſſe annis, vt inter eos & Syros bellum non intercederet, ita intelligendum eſſe, ex iis, quae ſequuntur, patet, quod in tertium vsque annum pax illa, poſt vltimam victoriam a Syris reportatam, durauerit. Interea vero ea, quae de Nabotho commemorauimus, contigerant. Anno itaque tertio Ioſaphatus, rex Iudae, regem Israelis amicitiae teſtandae cauſſa inuiſit, & ab hoc ſe induci paſſus eſt, vt inito federe arma cum illo contra Syros iungeret. Ramothas enim, Gaditicae tribus vrbem, ad ortum Iordanis ſitam, Achabus ſibi ſubiicere voluit, haud dubie, quod Benhadadus ex federe, quo omnes vrbes, quas pater eius Israelitis eripuiſſet, ſe redditurum promiſerat, eam non reſtituiſſet. Sunt ex Ebraeis, qui putant, Benhadadum ad hance vrbem reſtituendam non fuiſſe obſtrictum, quod iam ante, quam pater eius & pater Achabi rerum potiri coepiſſent, Israelitis erepta fuiſſet. Sed haec ſimiliaque ab iis excogitantur, qui putant, Achabum non habuiſſe iuſtam belli contra Syros cauſſam, eo quod euentus infelix fuit. At hosce errare palam eſt, cum experientia conſtet, ex euentu belli de eius iuſtitia non eſſe pronuntiandum. Nec dubitandum, quin Deus haec ita permiſerit, vt alia Achabi peccata hac ratione puniret. Interim Ioſaphatus de euentu Deum conſuli cupiebat. Quamobrem congregati ſunt prophetae propemodum quadringenti, qui omnes vno ore proſperum belli euentum Achabo pollicebantur. Eos veri Dei fuiſſe prophetas, vel inde conſtare videtur, quod Ioſaphatus ipſum Iehouam conſuli voluerit. Et certe tales non fuiſſe, qui Baal colerent, manifeſtum eſt. Nihil tamen obſtat, quo minus ex illorum numero fuerint, qui vitulorum cultum adprobabant. Cum Israelitae putarent, ſe ſub imagine vitulorum ipſum verum Deum colere, fieri vtique potuit, vt vitulorum iſtorum prophetae ſe pro veri Numinis prophetis venditarent. Eos non data opera mentitos, ſed a malo quodam genio hoc illis perſuaſum, vt vera ſe vaticinari crederent, haud difficulter ex *verſ. 23.* colligitur. Praedictio horum prophetarum Ioſaphato ſuſpecta erat, ſiue quod vitulorum prophetas pro veris non haberet, ſiue ob aliam quamcunque cauſſam. Certe, cum dicit: *eſtne hic praeterea propheta Iehouae, vt ab eo rem ſciscitemur?* hoc ita capi poteſt: eſtne praeter hos, qui ſub vitulorum ſchemate Iehouam colunt, alius, qui puro & genuino cultu eum colit? Quodſi pro veris prophetis eos habuit, ſenſus fuerit: eſtne adhuc alius Iehouae propheta, quem itidem conſulere queamus? Reſpondit Achabus,

Digitized by Google

bus, ſupereſſe adhuc Micham, Iemlae filium, qui tamen non bona, ſed tantum mala ſibi vaticinari conſueuerit. Quo ipſo indicat, quod non prophetas, qui vera, ſed tantum, qui grata dicerent, expeteret. Quod cum profecto valde abſonum ſit, ipſe etiam Ioſaphatus hoc intellexiſſe videtur, dum ad Achabum dixit: *ne vero ſic loquatur rex.* Innuere enim videtur, audiendum verum prophetam eſſe, etiamſi mala vaticinetur, modo vera ſint, quae dicat: verumque prophetam non poſſe mala vaticinari, niſi hoc ei a Deo reuelatum ſit. Si ex odio mala vaticinaretur, non eſſe verum prophetam. Dum ergo Micham Achabus arceſſi iubet, reliqui interea vates coram regibus vaticinabantur, hoc eſt, praedictionem ſuam confirmabant, de eius veritate non eſſe dubitandum, aſſerentes. Vnde pertinaciam illorum in errore defendendo intelligere licet. Haud dubie cognouerant, Micham arceſſi: cuius vaticinio, ſi forte diuerſum a ſuo futurum eſſet, hac ratione obuiam ire, animosque regum, ne fidem illi adhiberent, occupare voluerunt. Hinc & Tſidkiah, Chanaanae filius, cornua ferrea ſibi fecerat, dicebatque: *ſic dixit Iehoua: biſce feries Syros, donec eos abſumſeris.* In more enim poſitum erat vatibus, eiusmodi ſymbolis externis pondus & robur quoddam vaticiniis ſuis addere, dum res, quas praedixerant, oculis velut ſubiiciebant, ne quis de praedictionis veritate dubitaret. Eo magis autem prophetae iſti de praedictione ſua confirmanda ſolliciti fuiſſe videntur, quod intelligerent, Ioſaphatum nondum prorſus dictis ſuis adhibere fidem, quia Micham arceſſi voluiſſet. Nuncius, qui Micham arceſſebat, illum adhortabatur, vt fauſta praediceret, cum idem reliqui vates omnes facerent. Quod prorſus ridiculum erat. Si enim credidit, Micham pro lubitu, quae vellet, praedicere poſſe, eum pro vero propheta habere non potuit. Sin credidit, eum verum prophetam eſſe, credere etiam debuit, illum ea tantum, quae Deus ei reuelauerat, praedicere poſſe; adeoque ſtultum erat, ab eo poſtulare, vt fauſta regi vaticinaretur. Micha ſe ea prolocuturum, dixit, quae Deus ſibi reuelaſſet, idque iureiurando confirmauit.

Interrogatus itaque ab Achabo, num expeditionem contra Ramothas ſuſcipere deberet? *Ito*, inquit, & *bene rem gerito, tradet enim Iehoua* (Ramothas) *in manum regis.* Per ironiam haec dicta, res ipſa docet: ſtatimque id ipſe Achabus intellexit, ſiquidem adiurando Micham adducere voluit, vt ſerio & ex animi ſententia reſponderet. Vnde ſimul patet, Micham neuriquam contra iusiurandum egiſſe, quo ſe obſtrinxerat, quod ea tantum proloqui vellet, quae Deus ſibi reuelaſſet. Ironica autem hac locutione reliquorum vatum falſam praedictionem perſtringere, & ad veram proferendam, viam ſibi munire voluit. Hanc vero, ab Achabo adiuratus, ita propoſuit, vt diceret, ſe vidiſſe vniuer-

uerſum Israelem palantem per monteſ, inſtar minuti pecoris, cui paſtor nullus eſſet, Iehouamque dixiſſe: *num his non eſt dominus? incolumis itaque quisque domum reuertatur.* Haud obſcure ſignificat, interfecto rege, Israelitas incolumes domum reuerſuros. Quod & euentus comprobauit. Achabus cum iſtud audiuiſſet, Ioſaphato, *dixine*, inquit, *tibi*, *non fore*, *vt bona de me vaticinaretur*, *ſed mala?* Quo ipſo cum Micham tanquam falſum prophetam redargueret, qui non ex rei veritate, ſed ex odio ſaltem mala ei praediceret, hic contra viſione, quae ei obtigit, ſymbolica, non ſe, ſed reliquos, qui fauſta regi & proſpera praedixiſſent, falſos prophetas eſſe, docuit. Iehoua regis inſtar in ea viſione exhibetur, angelis ceu miniſtris ſtipatus: inſtituitur deliberatio, quo pacto Achabus induci queat, vt expeditionem contra Syros ſuſciperet, & hac ratione ad Ramothas Gileaditidis periret? decernitur tandem, hoc fieri poſſe, ſi ſpiritus malignus, permittente Deo, pſeudo-prophetis, quos Achabus conſulturus eſſet, perſuaderet, vt felicem expeditionis exitum ei praedicerent. Cuncta nimirum eo tendunt, vt ſymbolica quadam ratione doceatur, prophetas, qui fauſta Achabo canebant, a ſpiritu maligno ſeductos, idque ex Numinis factum permiſſione. Nulla autem cum adpareat ratio, cur Deus hoc permittere non potuerit, ſiquidem Achabus poenam hanc iuſtiſſimam peccatis ſuis promeruerat, prophetae autem iſti, non veri Dei, ſed vitulorum fuerint prophetae, vt antea obſeruauimus; manifeſtum eſt, nihil in hac viſione contineri, quod cum iuſtitia atque ſanctitate Dei pugnet. Atque haec cum ita ſe habeant, falluntur maximopere, qui peccata mortalium Deo decernente, incitante, & volente, perpetrari, ex hocce loco concludunt, quod cumprimis IO. CALVINVS ipſe facit, *inſtitution. relig. chriſt. libr. I. cap. XVIII. §. I. pag. m. 72.* Neque enim nuda permiſſio *figmentum* ſaltem eſt, vt ille loquitur, ſed tota viſionis ratio eam hic intelligere iubet. Sed id nunc non agimus. Confecerunt hoc negotium ex noſtratibus WOLFGANGVS FRANZIVS, de *interpret. ſcript. orac. XVIII. pag. m. 241.* IOANNES GERHARDVS, *loc. de prouid. CXXV.* aliique, quibus addendus AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. C. pag. 439.* Poſtquam Micha iſta prolocutus erat, Tſidkia Chanaanae filius, acceſſit, & Micha in gena percuſſo, *quando* inquit, *migrauit ſpiritus Iehouae a me*, *vt te adloqueretur*? En! miram hominis impudentiam! Nimirum, licet vitulorum propheta eſſet, nullo modo tamen dubitabat, ſe verum eſſe prophetam, & diuini ſpiritus participem. Improbiſſimos mortalium talia ſubinde ſibi perſuadere, experientia docet. Reſpondebat Micha: *videbis hoc illo ipſo die*, *quo ex vno conclaui in aliud*, *vt te abdas*, *ingredieris.* Haud dubie hoc deinde factum, cum poſt mortem Achabi Tſidkia quaereretur, vt ab eo ceu pſeu-

do-

do-propheta ſumeretur poena. Achabus autem Micham in carcerem coniici iuſſit, pane & aqua ibi alendum, donec incolumis ab expeditione rediret. Tum Micha, *ſi incolumis*, inquit, *redieris*, *non locutus eſt Iehoua per me*; hoc eſt, id ſignum erit, Iehouam per me non locutum, adeoque poenae grauiſſimae me tum lubens ſubmittam. Quia vero Micha certo ſciebat, Iehouam per ſe locutum, hoc ipſo eo certius confirmat, minime incolumem reuerſurum Achabum.

Ramothas profecti reges Iudae & Israelis, cum Syri illis ſe opponerent, proeliumque inſtaret, Achabus mutatis veſtibus, ne agnoſceretur, in aciem ſe contulit. Haud dubie enim reſciuerat, Syrorum regem ſuis in mandatis dediſſe, vt in ſe ſolum impetum facerent. Videtur Benhadadus non tantum exiſtimaſſe, rege ſublato, populum facile arma poſiturum, ſed & Ioſaphato forte parcere voluit, cum ad illum cauſſa belli non ſpectaret. Interim & hoc ſine Numinis prouidentia ſingulari non contigiſſe, res ipſa docet. Quod Achabus ad Ioſaphatum dicit: התחפש ובוא במלחמה *muta veſtes*, *& ini proelium*, interpretibus aliquid negotii faceſſit. Videtur enim Achabus a Ioſaphato poſtulare, quod veſtes mutare debeat; cum tamen ſequentia doceant, ipſum Achabum veſtes mutaſſe. Putatque adeo vir doctiſſimus, IOANNES CLERICVS, legendum hic eſſe אתחפש ואבוא *mutabo veſtes*, *& inibo proelium*; quemadmodum & LXX interpretes vertunt: *συγκαλύψομαι καὶ ἐλεύσομαι εἰς τὸν πόλεμον*, ſuffragante & chaldaeo. Verum facilius & ſine textus mutatione res expediri poteſt, ſi cum SEBASTIANO SCHMIDIO, ad *h. l.* ſtatuamus ellipſin τῦ ל infinitiui, hunc in modum: *Et dixit rex Iſraelis ad Ioſaphatum* להתחפש *ad mutandam veſtem*, ſeu, *ſe mutare habitum*, *& ſic in proelium venire velle.* Et ita LXX interpretes, & chaldaeus, id recte in prima perſona futuri exprimere potuerunt. Proelio inito, cum Syri Ioſaphatum regiis veſtibus indutum conſpicerent, eum Israelis regem eſſe rati ad illum ſe conuerterunt, vt cum eo pugnarent, Ioſaphatus itaque in tanto periculo conſtitutus, exclamauit; indeque cum Syri intelligerent, eum non eſſe regem Israelis, ab eo diſceſſerunt. Quid exclamauerit Ioſaphatus, non dicitur. Haud dubie Iudaeorum copias aduocauit, vt ſibi ſuccurrerent, aut aliud quid protulit, vnde Syri intelligere potuerint, eum non Israelis, ſed Iudae regem eſſe. Longius petitum, quod CASPAR SANCTIVS, ad *h. l.* contendit, eum inuocaſſe Dominum, etſi haud dubie in animo ſuo illud fecerit. Tum vero contigit, vt vir quidam לתמו *in ſimplicitate ſua*, hoc eſt, non eo conſilio, vt regem Israelis, ſed potius alium quemcunque feriret, arcum tenderet, & Achabum inter commiſſuras & thoracem vulneraret. Cum id viro iſto minime conſtitutum fuerit, qui Achabum non noſcebat, id non ſine ſingulari Numi-

nis directione factum eſſe, res ipſa docet. Quod in ebraeo eſt: בין הדבקים ובין השרין LXX reddunt: *ἀναμέσον τοῦ πνεύμονος καὶ ἀναμέσον τοῦ θώρακος*, vulgatus: *inter pulmonem & ſtomachum.* FL. IOSEPHVS autem id ita exprimit: *τετρώσκει τὸν βασιλέα διὰ τοῦ θώρακος, κατὰ τοῦ πνεύμονος, regem per thoracem in pulmonem ſanciat, antiquit. iudaic. lib. VIII. cap. X. pag. m. 295.* Verum hi omnes, & qui eos ſequuntur, circa vocem דבקים errant, quae non *pulmones*, ſed *commiſſuras* ſignificat, quibus ferreus thorax cum laminis ventrem tegentibus, connectebatur. Addit IOSEPHVS, eum, qui Achabum vulnerauit, vnum fuiſſe ex Adadi famulis, Amanum nomine. Quod forte ex traditione quadam habuit: cum apud R. SALOMON IARCHI, ad *h. l.* itidem ex traditione referatur, eum, qui Achabum vulnerauit, fuiſſe Naamanum. Ex *Naamano* autem facile *Amanus*, & vice verſa fieri potuit. Achabus, ſe vulneratum ſentiens, aurigae mandat, vt ſe ex acie educeret; ſed ingraueſcente proelio (hoc enim ſibi vult ebraea locutio: *& adſcendit proelium*) cum Syri haud dubie acrius inſtarent, in curru ſuo permanſit, donec veſperi, effuſo in cauitatem currus ſanguine, moreretur. FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, eum diſſimulaſſe vulnus, ne exercitus illud reſciſcens animum abiiceret, & hinc cum curru in acie permanſiſſe. At, cum Achabus aurigae mandauerit, vt ſe ex acie educeret, probabilius, ob ingraueſcens proelium impeditum aurigam fuiſſe, quo minus eum ex acie educere potuerit. Quod rurſus non ſine Numinis directione factum, quia Achabus apud Ramothas cadere, ſanguinemque ſuum effundere debebat, vt eum canes lingere poſſent. Iſraelitae autem, licet regem amiſerant, eo proelio tamen victi non ſunt, quia, cum ſol occideret, & rex Achabus mortuus eſſet, praeco per caſtra transiens, vt quisque in vrbem & terram ſuam ſe reciperet, iuſſit. Si enim victi eſſent, in caſtris ſubſiſtere non potuiſſent, ſed fuga ſibi conſuluiſſent. In ebraeo eſt: ויעבר הרנה *& tranſiuit clamor*, quod recte de praecone intelligitur, quem IOSEPHVS, LXX interpretes ſecutus, *στρατοκήρυκα* vocat. Cadauer regis Samariam delatum ibique ſepultum. Currum eius abluerunt meretrices ad piſcinam Samariae, vbi & canes ſanguinem eius linxerunt. Sunt equidem, qui vocem זונות de *armis* capiunt, quae vna cum curru abluta ſint. Ita chaldaeus, R. SALOM. BEN MELECH, aliique. Sed, cur a recepta, & vſitata ſignificatione diſcedere debeamus, non video. A meretricibus hoc fiebat, quia alias impurae cenſebantur: quod ab aliis, qui ſanguine humano ſe impuros reddi credebant, non temere exigi poterat. Simul vero & illud non ſine Numinis directione contingebat, quia ad ignominiam ſpectabat impii regis. Interim FLAVIVS IOSEPHVS inepte & contra mentem ſcriptoris ſacri, auctor eſt, quod meretrices in poſterum in ſanguine, aut aqua potius piſcinae, ſanguine iſto pol-

polluta, ſe lauare conſueuerint. Occaſionem errori haud dubie praebuerunt LXX interpretes, perperam vertentes: *καὶ αἱ πόρναι ἐλύσαντο ἐν τῷ αἵματι*, ac ſi meretrices ſe ipſas in ſanguine Achabi abluerint. Ad locum quod attinet, recte nonnullis obſeruatum, piſcinam Samariae ad Iezreelem vsque pertinuiſſe, eoque in loco haud dubie interfectum Nabothum, in quo & Achabi ſanguinem canes linxerunt, vt adeo vaticinio Eliae ſua conſtiterit veritas. Cum enim Achabus, poſtquam poenitentiam egerat, ad priſtinum ingenium rediret, poenas quoque a Numine antea illi denuntiatas experiri debuit.

** Ioſaphatum ex proelio cum Syris incolumem euaſiſſe, ex antea dictis conſtat. Hieroſolymam ergo cum rediret, Iehu vates, Chanani filius, obuiam ei iuit, eique, quod cum Achabo, rege impio, fedus iniuiſſet, exprobrauit. Nimirum licet cum hominibus a vera religione alienis federa inire non prorſus nefas ſit, vt alibi demonſtratum; cum eiusmodi tamen principe, ex cuius ſocietate & ipſi Ioſaphato magnum ſeductionis periculum, & verae in vniuerſum religioni tantum non vltima imminebat pernicies, inire fedus, crimine non vacabat. Accedebat, quod Ioſaphatus ex Michae vatis praedictione clariſſime intelligere potuiſſet, bellum hocce contra Syros diſplicere Deo, eiusque infelicem fore euentum; conf. HVGO GROTIVS, de *iure belli & pac. libr. II. cap. XV. §. IX. num. 7.* Addidit vates, grauiter equidem hoc ipſo a rege offenſum Deum, ſimul tamen propitium Numinis fauorem, quod, lucis remotis, animum ad quaerendum Iehouam ſerio adieciſſet, ei pollicetur. Aequo hanc reprehenſionem animo regem tuliſſe, vel inde conſtat, quod exinde maiori adhuc ſtudio id egerit, vt verum Numinis cultum pariter ac neglectam iuſtitiae adminiſtrationem reſtauraret. In omnibus enim vrbibus munitis Iudae pariter ac Hieroſolymae iudices conſtituit, eosque ſerio ſui admonuit officii. Conſtant haec ex *II. chronic. XIX.* Id maxime ibi notatu dignum, quod Amariam ſacerdotem primarium conſtituerit, *ſuper omnem cauſſam Iehouam ſpectantem*, Zebadiam vero, Ismaelis filium, principem familiae Iudae, *in omnibus cauſſis regiis.* Nimirum diſcrimen facit inter דבר יהוה & דבר המלך *λόγον κυρίου* & *λόγον βασιλέως*, vt LXX interpretes habent; adeoque duo velut tribunalia conſtituit, pro cauſſis eccleſiaſticis alterum, alterum pro ciuilibus. Nec praetermittendum, quod ſententiae executio Leuitis fuerit demandata; quippe ex quibus שטרים *adparitores* conſtituti. Ex omnibus autem hisce ſatis patet, nullum eo tempore fuiſſe in gente ebraea ſynedrium, vt perperam nonnulli ſibi perſuadent. Sed hac de re alibi.

In magnas poſtea anguſtias coniectus eſt Ioſaphatus, cum Moabitae, Ammonitae, aliaeque gentes, quae illis ſe iunxerant, eum bello adgrederentur. Obſeruandum eſt, quod dicitur: *poſthaec venerunt Moabitae, Ammo-*

monitae & מהעמונים *ex Ammunim.* Ibi ab Ammonitis diſtingui videntur *Ammunim.* Vulgatus equidem ita vertit, vt pro iisdem habeat: *filii Ammon, & cum iis de Ammonitis.* Quod ineptum eſſe nemo non videt. Verſio germanica B. LVTHERI noſtri ab Ammonitis Ammunim diſtinguere videtur: ſed quinam ſunt iſti Ammunim? Chaldaeus habet מן ארומאי ex *Idumaeis.* Et ſane Idumaeos inter haſce copias fuiſſe, ex ſequentibus conſtat. Sed inde non ſequitur, *Ammunim* eſſe *Idumaeos,* aut hanc vocem ita transferendam, niſi ſtatuamus, chaldaeum legiſſe: מהארומים *ex Edomaeis.* SAMVEL BOCHARTVS eos populos intelligi putat, qui alias מעונים *Meonim* dicuntur, quosue LXX interpretes tum hic, tum alibi, *Μιναίους* vocant, quorumue ſedes in media Arabia felice auſtrum verſus fuerit, indeque concludit, pro מהעמונים per litterarum transpoſitionem legendum: מהמעונים *Phaleg. lib. II. cap. XXIII.* Sed, vt rationes viri docti ad lectionis quandam varietatem ſtatuendam non ſufficiunt; ita haud immerito ſententia eius diſplicet IOANNI CLERICO, ad *II. chron. XX. 1.* qui τὸ מהעמונים non vertendum cenſet: *ex Ammonitis,* ſed: *ex populis, qui vltra Ammonitas habitant.* Quod licet alicui durum videri queat, non tamen melior occurrit ratio, difficultates haſce expediendi. Nuntiatum Ioſaphato fuit, ingentem contra illum venire multitudinem ex locis trans mare, ſcilicet ſalſum, ſeu Aſphaltiten lacum, ſitis, atque ex Syria, iamque, eos adeſſe ad Chazazon-Thamarem, quae & Engedi. De vrbe Engedi, quae in ſolitudine tribus Iudae ſita erat, ſupra dictum, *ad ſect. III. §. IX.* Ex hoc loco conſtat, eam & Chazazon-Thamar, a palmis ſcilicet, adpellatam. Cum ergo Ioſaphatus, quantum ſibi periculum immineret, intellexiſſet, a ſolo Deo impetrare auxilium ſecum conſtituit; eumque in finem non tantum ieiunium promulgauit, ſed nihil eorum intermiſit, quae ad placandam Numinis iram facere videbantur. Preces, quas in publica congregatione in templo ad Deum fudit, *II. Chron. XX. 5. ſeqq.* legere licet. Dicitur, quod in *aede Iehouae ante atrium nouum ſteterit:* vbi per *atrium nouum,* atrium mulierum viri docti intelligunt, quod nouum dicatur, ſiue inſtauratum ſit, ſiue omnino, aut ab Aſa, aut ab ipſo Ioſaphato primum exſtructum. Dictum hac de re ad *ſect. praecedent. §. XXIV.* Regis exemplum omnis ſequebatur populus; dumque eum in modum Numinis auxilium implorabant, Iachaziel, filius Zachariae ex poſteris Aſaphi, diuino correptus ſpiritu, in medio coetu ſurrexit, eosque omnem deponere metum iuſſit, cum craſtina luce Deus hoſtes in manus eorum traditurus eſſet; Deum pro illis pugnaturum; adeoque eos tantum ſpectatores fore, ingentis miraculi, quod in eorum gratiam editurus eſſet Deus. Quo vaticinio omnibus mirifice recreatis, Leuitae canticis laudes diuinas celebrarunt. Poſtero die rex cum copiis

ex

ex vrbe egreditur, & ad deſertum Thekoae procedit; cumque ibi omnes denuo adhortatus eſſet, vt in Deo ſolo omnem collocarent fiduciam, inito conſilio, cantores ante exercitum diſponere placuit, qui diuini Numinis benignitatem eo, quo in templo hoc fieri ſolebat, modo, celebrarent. Hoc dum fiebat, Deus furorem immiſit hoſtibus, quo diuiſi inter ſe mutuam perniciem moliti ſunt, & ſe inuicem confecerunt. In ebraeo eſt: *immiſit* מארבים על בני עמון מואב והר שעיר *inſidiatores contra filios Ammon, Moab, & montem Seir.* Senſus, vt puto, hic eſt, quod illi, qui ad inſidias Iudaeis ſtruendas miſſi ſunt, in ipſos Ammonitas, Moabitasque & Idumaeos inciderint, & caeco impetu eos vt hoſtes adgreſſi ſint; tum Ammonitae & Moabitae in ipſos Idumaeos conuerſi ſunt, forte quod inſidiatores ex Idumaeis fuerint, ipſique adeo exiſtimauerint, haec conſentientibus reliquis Idumaeis facta; tandem cum Idumaeos ad internecionem deleuiſſent, ipſimet inter ſe concurrentes mutuis ſe confecerunt vulneribus caedibusque. Iudaei, horum omnium hactenus ignari, cum ad ſpeculatoriam turrim, ſeu locum editum in ſolitudine veniſſent, vnde loca vicina deſpicere licebat, ſolum quaqua verſus cadaueribus conſtratum viderunt, hoſtium autem ſupereſſe neminem. Ad ſpoliandum itaque accedentes, magnam praedae vim, diuitiasque ingentes inde referunt, in quibus ex cadaueribus colligendis tres conſumti dies ſunt. Quarto die in vallem quandam conuenerunt, vbi laudes Dei concelebrarunt, vnde & locus עמק הברכה *vallis laudationis* dictus eſt. Sunt, qui hanc vallem eandem eſſe putant cum *valle Ioſaphat*, cuius *Ioelis III. v. 11. & 12.* mentio iniicitur. Ita R. ABEN ESRA, ad *h. l.* Eundem hunc locum eſſe, qui HIERONYMO, in *vita Paulae*, *Caphar Baruca*, i. e. *villa benedictionis* dicitur, non ſine ratione coniicit ADRIANVS RELANDVS, in *Palaeſtina lib. I. cap. LIV. pag. 356.*

Hisce peractis, rex eum vniuerſo exercitu, laetabundi omnes, Hieroſolymam rediit, vrbemque cum nabliis, citharis & tubis ingreſſi, in templum ſe contulerunt, ſacra Deo, qui tam mirabilem victoriam conceſſerat, facturi. Fama quoque eius rei cum ſe longe lateque diffudiſſet, ingens vicinis gentibus pauor incubuit, ne quisquam Ioſaphatum laceſſere auderet. Tranquillo itaque & in quiete, quod reliquum erat, vitae & regni tempus transegit. Idumaeorum cum antea facta ſit mentio, addendum adhuc, quod *I. reg. XXII. 48.* dicitur: *Rex nullus erat in Idumaea, ſed praefectus a rege*, ſcilicet Iudae. Quod enim dicitur: נצב מלך de rege vicario, ſeu regis Iudae praefecto capiendum eſt. Nullum ergo eſt dubium, quin Idumaei poſt victoriam ante memoratam Ioſaphato iterum paruerint. Laudatur etiam *l. c. v. 47.* quod cynaedos, qui tempore patris ſui Aſae ſuperfuerant, e terra ſuſtulerit. Culpatur autem, quod loca excelſa non prorſus amoue-

V v rit

rit, *verſ. 45.* & *I. chron. XX. 33.* Vitio etiam ei in chronicorum libro, *loc. cit.* vertitur, quod cum Achazia, rege impio Iſraelis, ſocietatem iniit, ad faciendas naues, quae Tharſiſchum irent. Quo nomine & reprehenſus eſt ab Eliezere Dodanae filio e Mareſa, qui & ei praedixit, irritum fore hoc inſtitutum; eo quod regem impium in eius ſocietatem recepiſſet. In libro regum equidem, *loc. cit. verſ. 49. 50.* dicitur, Achaziam petiiſſe, vt a Ioſaphato in nauigationis ſocietatem reciperetur, ſed noluiſſe id facere Ioſaphatum. Nimirum initio haud dubie Ioſaphatus conſenſit, vt Achazias in nauigationis ſocietatem veniret. Ab Eliezere autem vate reprehenſus, eum admittere noluit. Et ita nulla inter ſcriptores ſacros pugna eſt. Naues illae, quas Eziongeberi exſtruxit, Tharſenſes dicuntur, quod ita fabricatae eſſent, vt illae, quae Tharſin ire ſolebant. Ophiram autem proficiſci debebant, ad aurum inde aduehendum. Salomonis namque exemplum imitari voluit. De Tharſi & Ophira ſupra abunde dictum. Fractae autem naues iſtae ſunt, priusquam Eziongebero ſoluerent, per tempeſtatem, vt videtur. FLAVIVS IOSEPHVS more ſuo a ſcriptura diſcedit, initam a Ioſaphato cum Achazia ſocietatem parandarum nauium, adſerens, *εἰς τε πόντον πλευσῶν καὶ τὰ ἐπὶ Θρᾴκης ἐμπόρια, quae merces in Pontum peterent, ac emporia Thraciae.* Eiusdem commatis eſt, quod addit, nauigia abſumta eſſe naufragiis, quod non bene regerentur, prae magnitudine; *antiquit. iudaic. libr. IX. cap. I. pag. 299.* Triginta quinque annos natus erat Ioſaphatus, cum regni habenas ſuſciperet, easque annis tenuit viginti quinque, vt iucludantur anni, quibus Ioramus, a patre in regni ſocietatem receptus, ſimul regnauit. Res eius geſtas in verbis Iehu Chananis filii ſcriptas *II. chron. XX. 34.* dicitur, quae libro regum Iſraelis inſerta ſint. Ita enim verba ebraea אשר הֹעֲלָה על ספר, *qui factus eſt adſcendere in librum*, omnium commodiſſime videntur exponi poſſe. Quinam autem liber iſte regum Iſraelis fuerit, & quo loco ſcriptum illud Iehu, quod ei inſertum, habendum ſit, de eo ex inſtituto ad §. *XXXIII.* dicemus.

§. XII.

Achabo namque, dum haec fiebant, iam filius Achaſias ſucceſſerat, qui cum in eo eſſet, vt Moabitas, qui defecerant, ad obſequium reduceret, per cancellos coenaculi ſui prolapſus, vitae periculum adiit. De ſalute ſua anxius, ad Baalzebubum Ecronitarum idolum ſciscitatum de valetudine ſua miſit: ſed Elias nuntiis occurrens, iuſſu Numinis mortem ei denuntiat: quem cum capi rex iuſſiſſet

ſiſſet, primum alterumque ex pentacontarchis, qui ad eum acceſſerant, ignis coelitus delapſus conſumſit, a tertio autem exoratus, ad regem adiit, mortemque denuo ei adnuntiauit, quae & mox ſecuta eſt. * Elias autem paullo poſt in coelum adſumtus ** ſucceſſorem Eliſaeum reliquit, qui nouis editis miraculis eo tempore inclareſcere coepit. ***

* Cum, mortuo Achabo, filius eius Achazias imperium ſuſcepiſſet, Moabitae ab Israelitis defecerunt. Hi enim hactenus regno decem tribuum adhaeſerant, vt Idumaei Iudaeis. Dum ergo Achazias in eo erat, vt eos ad obſequium reduceret, per cancellos coenaculi ſui, quod erat Samariae, decidit. De voce שבכה viri docti inter ſe non conſentiunt. Ex Ebraeorum doctoribus quidam putant, in tabulato ſuperiori fuiſſe aliquam feneſtram, per quam immitteretur lux in coenaculum, iſtamque feneſtram ſeptam fuiſſe cancellis ligneis, per quos Achazias deciderit. Ita R. DAVID KIMCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique. Alii vero cancellos, qui in tecto domus fuerunt, intelligunt: alii aliter. Nihil certi hac de re definiri poteſt. FLAV. IOSEPHVS nulla cancellorum iniecta mentione, tantum dicit: *συνέβη καταβαίνοντα ἀπὸ τȣ͂ ϛέγȣς κατενεχθέναι, deſcendentem e tecto, prolabi euenit.* Ex lapſu itaque illo aegrotans miſit legatos Ecronem, qui Baalzebubum conſulerent, num ex hoc morbo eſſet conualiturus. De hocce Ecronitarum idolo, cui nomen Baalzebub, deinceps ad §. *XXXIV.* ex inſtituto dicemus. Legatis a rege miſſis, Elias iuſſu angeli Iehouae occurrit, iisque, quod Baalzebubum Ecronis deum conſulere vellent, exprobrat, quaſi nullus in Israele Deus eſſet, ſimulque regem moriturum ſignificat. Vbi hactenus commoratus fuerit Elias, ſeu quo in loco fuerit, cum occurrere legatis Achaziae iuſſus eſt, non conſtat. Legatis non conſtitiſſe, Eliam eſſe, qui hoc illis dixerat, ex ſermone illorum, quo regi, quae audiuerant, renuntiant, adparet. Nec id mirum, cum Elias raro admodum Samariae fuerit, hominibusque adeo ibi degentibus plane ignotus eſſe potuit. Rex itaque propheram aliquem, aut ipſum forte Eliam fuiſſe ſuſpicatus, qui hoc illis dixiſſet, quis *habitus* viri fuerit, quaerit, qui talia ad eos locutus eſſet. Vox ebraea משפט, *morem* & *conſuetudinem* ſignificans, recte de more, quem quis in victu, amictu, geſtibus vſurpat, intelligitur. Reſpondent legati: *erat vir piloſus*, hoc eſt, hirſuta veſte indutus, *& renibus pelliceo cingulo cinctus.* Habitus hic fuit hominum tenuioris conditionis, quo non temere alii prophetae vtebantur. Hinc cum ex ſermone eius rex cognouiſſet, prophetam fuiſſe, qui iſta legatis ſuis dixerat, ex habitu facile intelligere potuit, non alium fuiſſe, quam Eliam Thisbitem. Romanenſes, qui peculi-

are aliquod monachorum aut eremitarum veſtimenti genus hic ſibi inueniſſe viſi ſunt, nihil aliud agunt, quam vt ſe ipſos traducant turpiter. Ioannes autem baptiſta, cuius typum Elias geſſit, vt tenuem itidem in victu & amictu viuendi rationem ſecutus eſt, ita & veſtimenti eodem genere vſus eſt. Achazias, certior inſuper redditus, vbi Elias commoraretur, pentacontarchum cum quinquaginta viris ad eum miſit, qui eum arceſſeret. Sediſſe dicitur in *vertice montis*, forte Carmeli; quanquam id certo non conſtet. Nec temere dixeris, quo animo Achazias Eliam ad ſe arceſſere voluerit. Ab impietate eius non abhorret, quod eo id fecerit conſilio, vt illum interficeret. Sed, cum aegrotus fuerit, fieri etiam potuit, quod eum rogate voluerit, vt Deum pro ſe precaretur. Si prius dixeris, Achaziam deinceps animum mutaſſe, admittas, neceſſe eſt. Sin poſterius, in eo peccaſſe cenſendus erit, quod, licet conſilio non malo, Eliam ad ſe arceſſere vellet, id tamen per violentiam quandam egerit, mittendo milites, qui eum ad ſe adducerent. Certe actio ipſa, aut qua finem ſcopumque, aut qua modum mala fuit; vnde & primus pariter ac ſecundus pentacontarchus ab igne coelitus delapſo conſumtus fuit. Nimirum peccarunt, quia regi in re illicita morem geſſerunt. Peccatum eo grauius erat, quod contra conſcientiam agerent. Hoc enim ipſe Elias indicat, quando ad vtrumque dicit: *ſi vir Dei ſum, deſcendat ignis de coelo;* hoc eſt, ſi tu me pro viro Dei ſeu propheta habes, & nihiloſecius talia contra me tentas, nulla tibi fiet iniuria, ſi ignis coelitus delapſus te abſumat. Patet vero, & Eliam hac in re nihil, quod vituperari queat, egiſſe; ſiquidem hoc eo ſpectabat, vt pentecontarchorum militumque impietas puniretur, & ipſe Achazias, ſi fieri poſſet, ad poenitentiam adduceretur. Nec Chriſtus hocce Eliae factum *Luc. IX. 55.* reprehendit, aut improbat, ſed talia a leniori ſpiritu euangelii, quod adnuntiabat, aliena eſſe, oſtendit. Mira vero Achaziae regis fuit inſania. Licet enim procul dubio ea, quae duobus primis pentacontarchis acciderant, edoctus eſſet, non tamen intermiſit tertium mittere; qui, cum reliquis non tantum ſapientior, ſed & melior eſſet, hactenus quidem regi paruit, vt ad Eliam accederet, regisque voluntarem ei exponeret, ſed violentiam adhibere noluit, in genua potius prouolutus, rem omnem arbitrio Eliae permiſit, ſaltem, ne eadem, qua priores, ratione, igne abſumeretur, eum rogauit. Si non Obadiam, de cuius pietate ſupra dictum, quae Ebraeorum quorundam eſt ſententia, certe Obadiae ſimilem fuiſſe, res ipſa docet. Elias itaque, ab angelo Iehouae voluntatem Dei edoctus, cum vltimo hocce pentecontarcho ad regem abiit, eidemque ea, quae antea legatis eius dixerat, denuntiauit. Reſpondit & praedictioni euentus, cum mox Achazias moreretur, cumque filium non haberet, re-

gnum

gnum fratri Ioramo reliquit, de quo in ſequentibus.

** Translatio haec Eliae in coelum, de qua nobis nunc dicendum eſt, ad primos Iorami Israelitici regis annos referenda eſt. Cum ea immineret, forte Elias & Eliſa ambulabant Gilgale. Elias tribus vicibus iubet, vt Eliſa conſiſteret, ac reuerteretur, cum ſolus ire vellet, ſed renuit Eliſa, atque magiſtrum deſerere noluit. Aut modeſtiae cauſſa, ne ſpectatorem adſcenſus in coelum habere velle videretur, hoc ab Elia factum, aut, quae aliorum eſt ſententia, vt fidem & conſtantiam Eliſae exploraret. Colligere hinc licet, Eliſae reuelatum a Deo fuiſſe, transferendum Eliam eo die in coelum eſſe, quod & Eliae ipſi conſtabat, etſi ei ignotum erat, quod Eliſae hoc reuelatum eſſet. Nec indicare Eliae hoc Eliſa voluit, forte ne modeſtiam eius laederet, quia ſciebat, eum non cupere ſpectatores. Eademque ratio eſſe videtur, cur filios prophetarum, quibus Deus hoc reuelauerat, quiue hoc indicabant Eliſae, credentes ei hoc ignotum eſſe, tacere iuſſerit; ſcilicet ne Eliae hac ratione moleſtiam crearent, aut ſi aliis hominibus hoc dicerent, omnino concurſus multorum fieret, quod nullo modo cupiebat Elias. Comitati eos ſunt quinquaginta e filiis prophetarum, qui procul e regione ſteterunt, cum ambo illi, Elias & Eliſa, ad Iordanem conſtitiſſent. Traiecto fluuii, quem pallio ſuo diuiſerat, alueo, Elias imminentem translationem ſuam amplius diſſimulans, Eliſae, *pete*, inquit, *quid tibi faciam*, *antequam abs te auferar*. Vltimum namque ſui fauoris erga diſcipulum ſibi longe chariſſimum edere volebat documentum. Reſpondit Eliſa: ויהי נא פי־שנים ברוחך אלי *eſto*, *quaeſo*, *dupla portio de ſpiritu tuo ad me*. Quae verba quid ſibi velint, non adeo expeditum eſt. Nonnulli duas partes, ſeu duo genera donorum ſpiritualium intelligunt; quanquam, quaenam iſta genera ſint, inter ſe non conueniant. Quidam namque per duplicem partem, donum prophetiae, & donum miraculorum, alii aliud quid intelligunt. EVSEBIVS NIEREMBERGIVS duplicem ſpiritum, partim ad rerum futurarum, partim ad myſteriorum per typos in veteri teſtamento adumbratorum, cognitionem refert; *de origin. ſcript. ſacr. lib. VII. cap. XII. ſeqq.* Sed rectius haud dubie ſentiunt, qui non partes, ſed gradus donorum ſpiritus intelligunt; cum פי שנים non ſignificet *duas partes*, ſed *partem duorum*; at in eo rurſus non conueniunt, num intuitu ipſius Eliae, an condiſcipulorum, duplicem ſpiritus portionem petierit. Quibus poſterius placet, quos inter & R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* eſt, illis nimis arrogans hocce Eliſae poſtulatum videtur, quod plura deſiderauerit, quam ipſe magiſter habuit; nec ex euentu probari poſſe exiſtimant, ampliora in Eliſa dona fuiſſe, quam in Elia. Ad quod tamen reſponderi poteſt, cum non ſui, ſed eccleſiae cauſſa, idque haud dubi-

dubie ex impulſu ſpiritus ſancti, Eliſa eiusmodi quid petierit, poſtulatum hoc nec arrogans, nec illicitum cenſeri debet. Ad euentum quod attinet, iam Ebraeorum magiſtris obſeruatum, plura & maiora miracula Eliſam edidiſſe, quam Eliam. Accedit, quod non tam de miraculis, quam aliis ſpiritus ſancti donis, quibus ad conſeruandam & reſtaurandam eccleſiam opus erat, hoc intelligendum ſit. Praeterea, non intuitu condiſcipulorum, ſed ipſius Eliae duplicem hanc portionem intelligendam eſſe, inde euincitur, quod diſerte dicat: *eſto quaeſo duplex portio* ברוחך *de ſpiritu tuo*; non de ſpiritu, qui concedendus eſt diſcipulis ſed *de ſpiritu tuo*, ſeu de donis, quae in te ſunt, *ad me.* Nec vllibi legitur, quod alium ex diſcipulis ſuis ſibi ſucceſſorem conſtituerit, aut dona ſua in illum contulerit. Ad quae & hoc accedit, quod ipſe Elias dicat, *rem difficilem petiiſti.* Vt duplicem donorum portionem intuitu condiſcipulorum acciperet, non adeo durum aut difficile erat; ſed omnino hoc ita intuitu magiſtri videri poterat. Non autem exiſtimandum, putaſſe Eliſam, ac ſi Elias pro arbitrio dona ſpiritus diſpenſare poſſet; ſed Deum precibus eius nihil denegaturum credidit. Quare & ſignum Elias illi conſtituit, vnde intelligere poſſet, an preces ſuas ratas eſſe Deus iuſſerit, ſi ſuam ab eo translationem viſurus eſſet. Dum ergo procedebant, atque colloquebantur, *ecce currum igneum, equosque igneos, qui eos ſepararunt, & adſcendit Elias per turbinem in coelum.* Angelos fuiſſe, plerique ſtatuunt, qui currus & equorum igneorum ſpeciem exhibuerint. Alii nubem fuiſſe putant, cui angeli eam formam dederint, quemadmodum & Chriſtus nube in coelum ſublatus fuit; quod eodem tandem redit. Namque & cum nube iſta Eliam ab angelis in coelum ſublatum ſtatuunt. Sic &, quod de turbine, ſeu procella additur, ita capiendum, quod procella quaedam currum, & equos in coelum tollere viſa eſt, idque itidem angelorum opera. Per *coelum* autem ipſam beatorum ſedem intelligimus, cum haec propria & genuina vocis abſolute poſitae ſit ſignificatio. Aer ſane hic eo nomine intelligi nequit. Sed falluntur quoque, qui locum a ſede beatorum diſtinctum, quem paradiſum vocant, intelligunt, vt R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* aliique ex Ebraeis, itemque plerique Romanenſium. Eiusmodi enim locum tertium dari, ſcriptura nullibi teſtatur; & ex praua inſuper hypotheſi ortum, quod Eliam in eum translatum cenſent, quia eundem aliquando rediturum, perperam ſibi perſuadent. Sed hac de re plura deinceps dicendi erit locus.

Eliſa adſcendentem ita in coelum Eliam conſpiciens, clamauit: *O mi pater! o mi pater! currus Iſraelis eiusque equites*; nec amplius eum vidit. Eum non tantum ſibi patris inſtar, ſed columen & praeſidium populi Iſraelitici, qui idem ei praeſtiterit, quod currus & equites ſolent, fuiſſe, ſigni-

ſignificat. Praeterea veſtes ſuas, teſtandi luctus cauſſa, vt in more poſitum erat apud Ebraeos, in duas partes diſcerpſit; pallium vero Eliae, quod ab eo ceciderat, ſuſtulit. Qui ſollicite quaerunt, quale hocce pallium fuerit, nihil aliud agunt, quam vt ſe prudentiorum ludibrio exponant. Romanenſium quidam illud laneum & coloris albi fuiſſe putant, cuiusmodi Carmelitici ordinis monachi geſtant. Scilicet, quia Elias Carmelitici ordinis conditor fuit, tali vti pallio debuit; conf. CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 871.* Nobis id potius obſeruandum, quod Eliſa, cum ad Iordanis ripam reuerſus eſſet, ſumto Eliae pallio, aquam percuſſerit, *& vbi*, inquit, *eſt Iehoua Deus Eliae?* אף הוא *etiam ipſe.* Vltimas voces cum non intelligerent LXX interpretes, retinuerunt eas, & corrupte extulerunt: ἀφφώ· THEODOTION autem, SYMMACHVS, & AQVILA tranſtulerunt per κρύφιον. Vnde & nonnulli ex graecis eccleſiae doctoribus in eam ingreſſi ſunt ſententiam, Αφφῶ ſignificare κρύφιον· Addiderunt hinc & alia, vt fieri ſolet, quorum in textu ebraeo nulla exſtant veſtigia. Iuuat hac de re audire THEODORETVM: Διαβῆναι βουληθεὶς τὸν Ιορδάνην ὁ προφήτης ἐμιμήσατο τὸν διδάσκαλον, καὶ τῇ μηλωτῇ τὸ ὕδωρ ἐπάταξεν οὐδὲν εἰρηκὼς, ἀλλ᾽ ἀποχρῆν νομίσας εἰς θαυματουργίαν τὴν μηλωτήν· Επειδὰν δ᾽ οὐχ᾽ ὑπήκουσε τῶν ὑδάτων ἡ φύσις, ἐκάλεσε τὸν τοῦ διδασκάλου θεὸν, τὸν τοῖς ἀνθρώποις ἀόρατον καὶ ἀνέφικτον· ἀφφῶ γὰρ ὁ κρύφιος ἑρμηνεύεται κατὰ τὴν ἔκδοσιν τῶν ἄλλων ἑρμηνευτῶν· *Cum vellet propheta tranſire Iordanem, imitatus eſt magiſtrum, & melote, ſeu pelle ouina percuſſit aquam, nihil dicens, ſed exiſtimans, ſufficere ad faciendum miraculum pellem ouinam. Poſtquam autem non obediit natura aquarum, vocauit Deum ſui magiſtri, qui ab hominibus cerni vel adiri non poteſt. Apho enim explicatur, occultus, ſecundum editionem aliorum interpretum;* in *IV. reg. quaeſt. IX. pag. 339.* Verum quod ἀφφῶ *occultum* ſignificet, oſtendi nequit. Sed &, qui ex ἀφφῶ aut אף הוא nomen aliquod Dei faciunt, nihil aliud agunt, quam vt aut ſuam in lingua ebraea imperitiam oſtendant, aut praeiudicatis opinionibus ſe in transuorſum agi patiantur. IOANNEM REVCHLINVM, atque PETRVM GALATINVM, illum, de *verbo mirif. lib. II. cap. XVI.* hunc vero, de *arcanis catholicae verit. lib. III. cap. XXIII.* viros ebraeae linguae peritiſſimos, in eandem ingreſſos ſententiam, non mirabitur, qui ſecum cogitauerit, quanto ſtudio vterque myſteria captauerit. Quid voces אף הוא ſignificent, ſatis notum: de eo ſaltem dubium, num ad praecedentia, an ad ſequentia referendae ſint, an vero aliquid ſit ſubintelligendum. Qui ad praecedentia referunt, eas vertunt: *etiam nunc?* aut *etiam ipſe?* aut *ille ipſe*. Nimirum de Deo hoc intelligunt, ac ſi diceret; *vbi eſt Iehoua, ille ipſe Deus Eliae;* quanquam non deſint, qui

de

de Elia hoc intelligunt. Hiſce omnibus autem accentuum aduerſatur ratio. Alii haec verba ad ſequentia referunt, deque ipſo Eliſa ea capiunt, vt ſenſus ſit: *etiam ipſe Eliſa percuſſit aquas.* Neue particula ו in voce: ויכה *& percuſſit*, obſter, eam hic redundare putant, nec copulandi, ſed tantum connectendi vim habere; conf. SALOM. GLASSIVS, *grammat. ſacr. lib. III. tract. VII. can. IV. pag. 593.* Et haec mihi quoque non diſplicet ſententia, ad quam & proxime accedunt, qui vocum quandam transpoſitionem ſtatuunt, hoc modo: *& percuſſit*|*etiam ipſe.* Nec tamen illis admodum repugnauerim, qui ellipſin admittunt, hunc in modum: *num etiam ille*, ſcilicet *diuidet aquas?* aut ſimile quid; vid. AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. III. loc. II. pag. 444.* Vt autem verba haec non ſunt dubitantis, ſed fidem potius ſuam declarantis, ita non pallio Eliae, quod aquae diuiſae ſint, ſed fidei Eliſae tribuendum, qui hocce pallio vſus eſt, vt ſymbolum ſpiritus Eliae, ſibi iam conceſſi, eſſet. Nec bis aquam percuſſit, quae THEODORETI, vt ex antea adlatis conſtat, aliorumque eſt ſententia, ſed ſemel tantum. Vox enim *& percuſſit*, ad ſermonem interruptum continuandum repetitur; vt adeo ſenſus ſit: *percuſſit aquam, & vbi, inquit, eſt Iehoua Deus Eliae? etiam ipſe, inquam, percuſſit, &c.* Ex hocce, quod aquarum diuiſione Eliſa edidit, miraculo, filii prophetarum, qui e regione Iordanis conſtiterant, didicerunt, ſpiritum Eliae requieſcere in Eliſa, hoc eſt, dona Eliae iam Eliſae collata; adeoque obuiam ei proceſſerunt, proſtratique in terram eum ſalutarunt, pro doctore & magiſtro ſuo eum hoc ipſo agnoſcentes. Iidem, quinquaginta ex eorum, qui Hierichunte commorabantur, numero, corporis robore prae reliquis praeſtantes offerebant, qui corpus Eliae, forte in montem quendam aut vallem proiectum, quaererent. Putabant enim, Eliam qua animam in coelum adſumtum, ſed corpus eius forte alicubi iacere, quod quaerere volebant, vt ſepelire poſſent. Renuebat Eliſa; ſed importunis precibus ſuis, vt tandem conſentiret, impetrarunt; experientia ita, cum per triduum quinquaginta viri fruſtra Eliae corpus quaeſiuiſſent, ab errore liberandi, & ab Eliſa, quod monitis ſuis non paruiſſent, reprehendendi.

Priusquam vero Eliam dimittamus, illorum paucis adhuc ponderare placita iuuabit, qui eius ante diem extremum reditum exſpectant. Eſt haec veteris quorundam eccleſiae doctorum ſententia, quam & Romanenſes amplexi ſunt, quos inter & NATALIS ALEXANDER eam defendere adnititur, *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. aet. mundi V. diſſert. VI. pag. 185.* ſed rationibus tam infirmis, vt rectius ſibi conſuluiſſet, ſi hac de re tacuiſſet. Primo namque prouocat ad oraculum Malachiae *cap. IV. 5. ecce! ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniet dies Domini magnus & horribilis &c.* Cumque non ignoret, alios de Io-

Ioanne baptiſta, & aduentu Chriſti in carnem, hoc Malachiae vaticinium capere, vt de Elia Thisbite, & aduentu Chriſti ad iudicium illud intelligendum, euincat, haec praecipue verba, *dies Domini magnus & terribilis*, item: *ne forte veniam & percutiam terram anathemate*, vrget, quippe quae de aduentu Chriſti in carnem intelligi nequeant. Prouocat praeterea non tantum ad verſionem ſyriacam & arabicam, ſed & ad LXX interpretes, ac paraphraſten chaldaeum, qui verba Malachiae itidem non de Ioanne baptiſta, ſed de Elia Thisbite interpretentur: immo & ad Syraciden prouocat, qui *cap. XLVIII. verſ. 10.* verba prophetae eadem ratione intellexerit. Confirmat vlterius eandem ſententiam, ex *Matth. XVII. 10.* vbi Chriſtum ſeruatorem, duplicem ſuum aduentum, & vtriusque praecurſorem, Ioannem, qui myſticus ſit Elias, primi, & Eliam Thisbiten ſecundi, diſtinguere, putat. His denique patrum, quibus eadem mens ſederit, IVSTINI martyris, TERTVLLIANI, HIPPOLYTI, CHRYSOSTOMI, AMBROSII, HIERONYMI, AVGVSTINI, aliorumque, teſtimonia addit. Verum, quod ad primum attinet, vt dies aduentus Chriſti in carnem citra controuerſiam *magnus* fuit, ita idem intuitu impiorum & incredulorum, *terribilis* dici potuit. Quo clarius enim gratia Dei per Chriſti aduentum in carnem omnibus adfulſit, *Tit. II. 11.* eo maior erit illorum condemnatio, qui nihilo ſecius tenebras luci praetulerunt. *Haec eſt autem damnatio*, inquit ipſe ſeruator, *quod, cum venerit in mundum lux, tenebras magis, quam lucem amauerint homines, quippe quorum praua forent opera; Ioan. III. 19.* Vnde etiam patet, quo pacto terra eodem tempore intuitu incredulorum anathemate ſit percutienda. Interpretum, ad quos ALEXANDER prouocat, apud nos tanta auctoritas non eſt, vt aliquid nobis perſuadere poſſint, de quo ex ſcriptura ſacra certi non reddimur. Mirum vero, quod & ad LXX interpretes, & chaldaeum prouocet; ac ſi a iudaeis, illis etiam, qui ante Chriſtum natum vixiſſe creduntur, exſpectandum ſit, vt Ioannis baptiſtae mentionem faciant, & de eo verba Malachiae interpretentur. Idem & de Syracide cenſendum, qui non tantum iudaeus fuit, ſed & ante Chriſtum natum, adeoque & ante Ioannem vixit. Quis ab eo hoc poſtulet, quod Ioannis baptiſtae mentionem facere debuerit? aut quis non potius credat, eum in vaticinii ante complementum explicatione non poſſe non aberrare a ſcopo? Verba Chriſti: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum; &c.* noſtram potius confirmant ſententiam, tantum abeſt, vt proſint ſecus ſentientibus. Primo enim Chriſtus dicit, verum eſſe, quod Elias, ſeu homo aliquis in ſpiritu Eliae venire, & omnia reſtituere debeat, ſecundum vaticinium Malachiae. Deinde autem oſtendit, quo pacto hoc vaticinium iam adimpletum ſit:

Dico

Digitized by Google

Dico autem vobis, *quia Elias iam venit.* Patrum nos non mouet auctoritas, quos in eiusmodi commentis accipiendis & propagandis nimis faciles fuiſſe nouimus, quanquam forte de quibusdam adhuc quaedam moneri poſſent. Vt finiamus, quae de Elia dicere incepimus, fuerunt nonnulli, qui de vita eius rebusque ex inſtituto ſcribere adgreſſi ſunt, quos inter AEGIDIVS CAMARTVS eminet, cuius liber: *Elias Thesbites*, *ſiue de rebus Eliae prophetae commentarius poſthumus*, Pariſiis an. M. DC XXXI editus, prodromum ſaltem maioris operis continet. Exhibet ex eo nonnulla, quae ſpeciminis loco eſſe queant, PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Elias pag. 1111.*

***De vocatione Eliſaei ad munus propheticum ad §. *IX.* diximus. Priusquam autem ad miracula, quae hic commemoranda ſunt, accedamus, illud adhuc addimus, quod de eo refert EPIPHANIVS, de *vitis prophetarum tom. II. opp. pag. 237.* Auctor namque eſt, *Eliſaeum prophetam*, *Abelmuthe*, *quod Rubeniticae tribus oppidum eſt*, *oriundum*, *cum in lucem ederetur*, *eiusmodi prodigium accidiſſe. Bos enim aurea*, inquit, *quae in Galgalis*, *aut Silo erat*, *tam acuta ac ſonora voce mugiit*, *vt ea Hieroſolymis exaudita ſit. Tum ſacerdos pectoralis lapidibus conſultis*, *hinc perſpicuum eſt*, *ait*, *natum hodie prophetam eſſe*, *qui ſculptilia diruet*, *& fuſilia ſimulacra conflabit.* Praeeuntem hac in re ſibi habuit pſeudo-DOROTHEVM Tyrium, de *prophetis cap. XIX. pag. m. 466.* ex edit. IOAN. ALBERTI FABRICII. Quae fabula licet tam illepida ſit, vt ſe ipſam refellat, operoſe tamen eandem ſibi confutandam ſumſit IOANNES RAINOLDVS, in *cenſura librorum apocryphorum vet. teſtam. tom. II. prael. XXXVIII. pag. m. 157.* vbi, quam ἀσύςατα in narratione iſta EPIPHANII occurrant, oſtendit; conf. & PETRVS BAELIVS, *dictionar. hiſt. crit. voc. Eliſaeus*, *pag. 1118.* Iam ad miracula Eliſaei quod attinet, cum Hierichuntem poſt Eliae in coelum translationem veniſſet, oppidani ad eum accedentes, de aquae prauitate & ſoli ſterilitate conqueruntur. Eliſaeus cum in phiala noua ſal ſibi adferri iuſſiſſet, ſale in ſcaturiginem aquae coniecto, eam ſalubrem reddidit, ſimulque effecit, ne ſterilitatem adferret. Sale autem vſus eſt, non ac ſi ſalis in corrigenda aqua vis quaedam eſſet ac efficacia, quae eo potius corrumpitur, ſed vt oſtenderet, non naturali quadam ratione, ſed diuina potentia, aquam mutandam eſſe. In more poſitum fuit viris ſanctis, ipſique Chriſto, in miraculis perpetrandis certis mediis vti, quibus cur vſi ſint, non alia ratio reddi poteſt, quam quod miraculi inde aucta ſit magnitudo. Quod autem Eliſaeus ſal in phiala noua adferri voluerit, non aliam haud dubie ob cauſſam factum eſt, quam vt ſuſpicionem ac ſi in phiala aliquid fuiſſet, quo aqua corrigi potuerit, omnibus adimeret. FLAVIVS IOSEPHVS, dum eandem hanc hiſtoriam narrat, varia more ſuo figmenta ei-

dem

dem admiſcet. De fonte ipſo dicit, *eum non tantum terrae ac lignorum fructus, ſed etiam feminarum partum obtundere ſolitum, cunctaque pariter morbo ac peſte corrumpere.* Tum de Eliſaei miraculo ita diſſerit; ὃς ἐπιξενωθεὶς τοῖς κατὰ τὴν Ἱεριχοῦντα, περισσὸν δή τι φιλοφρονησαμένων αὐτὸν τῶν ἀνθρώπων, αὐτούς τε ἀμείβεται, καὶ τὴν χώραν αἰωνίῳ χάριτι· προελθὼν γὰρ ἐπὶ τὴν πηγὴν, καὶ καταβαλὼν εἰς τὸ ῥεῦμα πλῆρες ἁλῶν ἀγγεῖον κεράμου, ἔπειτα εἰς οὐρανὸν δεξιὰν ἀνατείνας δικαίαν, καὶ πηγῇ σπονδὰς μειλικτηρίους χεόμενος, τὴν μὲν ἠτεῖτο μαλάξαι τὸ ῥεῦμα, καὶ γλυκυτέρας φλέβας ἀνοῖξαι· τὸν δὲ, ἐγκεράσασθαι τῷ ῥεύματι γονιμωτέρους ἀέρας, δοῦναί τε ἅμα, καὶ καρπῶν εὐθηνίαν τοῖς ἐπιχωρίοις, καὶ τέκνων διαδοχὴν, μηδὲ ἐπιλιπεῖν αὐτοῖς τὸ τούτων γεννηματικὸν ὕδωρ, ἕως μένουσι δίκαιοι· ταύταις ταῖς εὐχαῖς πολλὰ προχειρουργήσας, ἐξ ἐπιστήμης, ἔτρεψε τὴν πηγὴν, καὶ τὸ πρὶν ὀρφανίας αὐτοῖς καὶ λιμοῦ παραίτιον ὕδωρ, ἐκ τότε εὐτεκνίας καὶ κόρου χορηγὸν κατέστη· *Receptus hoſpitio* (Eliſaeus) *ab Hierichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipſos & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus eſt; progreſſusque ad fontem, lagenam fictilem ſalis plenam, in profluentem aquam miſit. Iuxta deinde ad coelum dextram tendens, fontique immergens blanda libamina, ipſum quidem precabatur, vt fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret; Deum vero, vt foecundioribus auris flumina temperaret, orabat; tamque vbertatem fructuum, quam ſucceſſionem prolis daret indigenis, nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad iuſti manerent. Ad has preces ex diſciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutauit, & qui antea cauſſa erat his orbitatis ac famis, idem victus ac foecunditatis auctor eſt effectus*; *de bello iudaico lib. V. pag. m. 891.* Multa hic atro notanda lapillo occurrunt. Primo quidem, quod aqua iſta non tantum terram, ſed & mulieres ſteriles redditas dicit, fonteque correcto, fertilitatem ſolo, foecunditatem mulieribus reſtitutam: qua de re in ſcriptura nihil legitur, quae hoc ſaltem teſtatur, quod ibi fuerit *aqua mala* והארץ משכלה *& ſterile ſolum, verſ. 19.* Vnde & ſterilitas, quae deinceps memoratur, tantum de terra intelligenda. Deinde, quod dicit, *Eliſaeum fonti immerſiſſe* σπονδὰς μειλικτηρίους, *blanda libamina*, item, *ipſum fontem precatum eſſe, vt fluenta leniret*, non tantum ἄγραφον, ſed plane abſonum eſt, immo gentilem ſuperſtitionem redolet, quae quam inepte Eliſaeo tribuatur, nemo non intelligit. Eſt vero IOSEPHI error eo manifeſtior, quod primo Eliſaeum fontem, deinde Deum, precatum dicit, vt ille *fluenta leniret, & dulciores venas aperiret*, hic autem *foecundioribus auris flumina temperaret.* Praeterea, cum dicit, Eliſaeum non tantum Deum precatum, ſed & ἐξ ἐπιστήμης, *ex diſciplina multa manibus* operatum, parum abeſt, quin ex propheta magum aliquem faciat.

Sed mitto reliqua. Ad alterum Eliſaei, quod hic commemorandum eſt, miraculum quod attinet, cum Hierichunte Bethelem proficiſceretur, & in via eo ducente conſtitutus eſſet, egreſſi ſunt ex vrbe נערים קטנים *pueri parui*, qui ei illudebant, dictitabantque: *adſcende calue*, *adſcende calue*. Quibus cum nomine Iehouae male precatus eſſet, ſtatim duae vrſae ex ſilua prodierunt, quae ex iis quadraginta diſcerpſerunt. Cum Bethele alter aureorum vitulorum eſſet, admodum credibile, incolas huius vrbis idololatriae longe fuiſſe addictiſſimos, adeoque & veris prophetis, Eliae cumprimis & Eliſaeo, infenſiſſimos. A vero itaque non abhorret, pueros iſtos inſtinctu parentum, Eliſaeum contumelia iſta adfeciſſe. Quae cum in ipſum Deum hac ratione redundaret, ex amore quippe idolorum & odio veri Numinis profecta, non peccauit Eliſaeus, quod ex iuſto pro gloria Dei zelo, pueris iſtis male precatus eſt; nec iniuſtum fuit, quod pueri, perque eos parentes eorum, poena hacce adfecti ſunt, quae in ſe ſpectata grauiſſima videri poterat, ſed hoc intuitu nihil profecto duri aut iniqui continet. Eliſaeus vero hinc ad montem Carmelum abiit, indeque Samariam reuerſus eſt. De reliquis eius miraculis deinceps dicemus.

§. XIII.

Ioramus, Achaziae frater, & in regno ſucceſſor, quae frater contra Moabitas, quos ab Iſraelitis defeciſſe diximus, deſtinauerat, exſequi ſecum conſtituit. Ioſaphato itaque, & Idumaeae rege, in belli ſocietatem accitis, in Moabitidem per deſerta Idumaeae exercitum ducturus, ob aquae defectum, in magnas anguſtias redigitur. Arceſſitus autem Eliſaeus non tantum aquam per ingens miraculum in gratiam Ioſaphati a Deo impetrat, ſed victoriam etiam contra Moabitas pollicetur. Victi hinc etiam Moabitae, vrbesque eorum & agri ex Numinis mandato vaſtati; rege autem Kirchareſethae obſeſſo, filiumque ſuum primogenitum in moenibus, cunctis ſpectantibus, diis placandis immolante, tam immanium ſacrorum foeditatem deteſtantes, & horrore quodam perculſi Iſraelitae, ſoluta obſidione, diſceſſerunt.*

* De Ioramo, Achaziae fratre & Achabi filio dicitur *II. reg. III. 1.* quod anno decimo octauo Ioſaphati, regis Iudae, in Iſraelem regnare inceperit. Alter is erat annus Iorami, Ioſaphati filii, a patre in regni ſocietatem adſciti. Ioramus autem, Achabi filius, patris non in omnibus probauit idololatriam, ſed ſtatuam, quam is fecerat, Baalis, remouit. At vt vitiorum

rum cultum a Ieroboamo introductum intermitteret, a ſe impetrare non potuit. Obſtabat enim metus, ne Iſraelitae Hieroſolymam ſacrorum cauſſa ſe conferentes iterum cum Iudaeis ſe coniungerent. Praeterea, qui vitulos colebant, ſub hocce ſymbolo ſe ipſum verum Deum colere, arbitrabantur. Quod ad bellum Moabiticum attinet, conſtat, Moabitas a Dauide deuictos, deinceps poſt regni diuiſionem Iſraelitarum regibus paruiſſe. De Meſa Moabitarum rege dicitur, quod fuerit נקד *pecuarius*, hoc eſt, pecudibus abundauerit. LXX interpretes, cum vocem ebraeam non intelligerent, eam retinuerunt: Νωκήδ. Pendebat autem tributi loco regi Iſraelis *centenos millenos agnos centenosque millenos veruuces lanigeros*. Per כרים chaldaeus *tauros* intelligit; ſed rectius alii de *agnis* hanc vocem accipiunt. Vox אילים alias *arietes* ſignificat, ſed hic rectius *verueces* intelligi nonnulli contendunt, quod tot arietes in gregibus ali non ſoleant. Cum dicitur: אילים צמר idem hoc eſt ac בצמר *in lana* vel *cum lana*, vt ipſi verueces pro cibo, lana pro veſtibus eſſet. Quoties hoc tributum a Moabitarum rege ſoluendum fuerit, non dicitur. Quotannis hoc eum pendere debuiſſe, chaldaeus adſerit, quem & alii ſequuntur. Sed aliis maior iſte pecudum numerus videtur, quam vt quotannis dari potuerit, putantque adeo, pendendum hoc tributum fuiſſe, quoties nouus aliquis rex Iſraelis regni habenas ſuſciperet. Et ita quoque facile intelligitur, quo pacto Meſa deficere potuerit: denegando nimirum illud tributum Achaziae, cum patri is ſuccederet, & deinde Ioramo, cum fratrem in regia dignitate exciperet. Armis itaque Moabitas ad officium redacturus Ioramus, cum populum Iſraeliticum recenſuiſſet, Ioſaphati Iudae regis auxilium implorat, qui & ad omnia paratus, arma ſua cum Ioramo ſociat. Obſeruare hic in Ioſaphato, rege alias pio, quandam animi leuitatem iuuabit; quod reprehenſus licet ob fedus cum Achabo impio rege initum, *II. chron. XIX. 2.* nihiloſecius cum filio, qui patre non multum melior fuit, arma iunxerit. Peccatum vero & in eo, quod id non conſulto Deo faceret. Placuit autem regibus, auctore Ioſaphato, per viam ſolitudinis Idumaeae ſeptem dierum itinere confecto, ad Moabitas contendere, tum vt Idumaeos, qui Iudae regi vectigales erant, ſecum adſumerent, tum vt Moabitas non opinantes opprimerent, faciliusque vincerent. Qua in re licet admodum prudenter ſe gerere ſibi viſi ſint; mox tamen patuit, prudentiſſima etiam conſilia irrita, immo & noxia interdum eſſe, ſi inuito Numine fuerint inita. In loca enim aqua deſtituta cum veniſſent, & nec progredi nec regredi integrum illis eſſet, ab vltima pernicie totum exercitum prope abeſſe videbant. Num per errorem in eiusmodi loca deuenerint, an aliam ob cauſſam id contigerit, non ſatis conſtat. Rex Iſraelis periculum illud ſecum expendens, *eheu!*

inquit,

inquit, *vocauit Iehoua huc tres hosce reges, vt eos in manus Moabitarum traderet.* Animus peccatorum conſcius haud dubie regi impio dictitabat, ſe eiusmodi quid promeruiſſe. Adeoque nunc demum de Iehoua cogitat, & ab eo hocce proueniſſe malum credit. Simul vero, qui impiorum hominum cum rebus aduerſis conflictantium mores ſunt, animum abiicit, deque liberatione deſperat. At aliter Ioſaphatus ſe geſſit. Non omni enim in Deum fiducia deſtitutus, annon propheta aliquis Domini adeſſet? quaeſiuit, qui Numinis illis indicare voluntatem poſſet. Reſpondit vnus ex ſeruis regis, adeſſe Eliſaeum, Saphati filium, qui Eliae quondam miniſter fuiſſet. Si ſtatuamus, Eliſaeum in caſtris fuiſſe, ſeu in exercitu, non ſine ſingulari Numinis id factum prouidentia, vt credamus, neceſſe eſt. Namque militiae cauſſa eum adfuiſſe, nemo temere dixerit. Sunt tamen, qui putant, eum non in exercitu fuiſſe, ſed in vicinia, eoque reges, vt eum conſulerent, abiiſſe. Operoſe hoc defendit SEBAST. SCHMIDIVS, ad *h. l.* qui & ad dubia haud leuia, quae huic ſententiae opponi poſſunt, reſpondet. Ioſaphatus, audito Eliſae nomine, & quod Eliae miniſter fuiſſet, inde concluſit, verum eum eſſe prophetam, adeoque cum rege Iſraelis, & rege Idumaeorum ad eum deſcendit. Cum *deſcendere* apud Ebraeos idem ſit, ac *aliquo ire*, falluntur, qui inde colligunt, quod reges iſti honoris erga Eliſaeum teſtandi cauſſa de curru deſcenderint. Nihil aliud enim vult ſcriptor ſacer, quam quod reges iſti ad Eliſaeum iuerint, ſiue in caſtris, ſiue in vicinia fuerit. Cum ad eum veniſſent, Eliſaeus, ſibi cum rege Iſraelis, vtpote idololatra, nihil eſſe negotii ſignificat, eumque ad prophetas parentum ſuorum ablegat. Sed Ioramus, *nequaquam*, inquit, *nam huc vocauit Iehoua tres hosce reges, vt eos in manum Moabitarum traderet*; hoc eſt, ne quaeſo talia dicas, ſeu iſta mihi nunc exprobres; agnoſco namque Iehouam ipſum in hasce calamitates, non me tantum, ſed Ioſaphatum etiam & Idumaeorum regem coniecisſe; eius itaque vt precibus tuis nobis impetres miſericordiam, velim.

Eliſaeus vero intelligens, Ioramum iſta calamitate ad veram poenitentiam non adductum, ſe non illius, ſed Ioſaphati tantum rationem habere profeſſus, fidicinem adduci iubet; qui cum fides pulſaret, manus Iehouae ei incubuit. Cum commotior erga Iſraelis regem Eliſaeus fuerit, adeoque ad diuini ſpiritus operationem recipiendam minus idoneus, muſicam ad animum tranquillandum, riteque componendum, eum adhibuiſſe, nonnulli contendunt. Ita ex ebraeis R. SAL. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique, quos & nonnulli ex recentioribus ſequuntur. Inſignem ſane muſicae in tranquillando animo vim eſſe conſtat, alibique ex inſtituto docuimus. Alii tamen, muſicam medium excitandi donum prophetiae, ex diuina conſtitutione fuiſſe, arbitrantur, idque inde

inde colligunt, quod in choris prophenticis frequentiſſimus muſicae vſus fuerit. Perinde equidem eſt, quam quis eligat ſententiam, modo addatur, cantica ſacra precesque haud dubie cum muſica iſta fuiſſe coniunctas, quippe quarum in tranquillando animo, donoque prophetiae excitando, praecipua vis eſt, & efficacia. Diuino hinc ſpiritu concitatus Eliſaeus, foſſas multas in valle facere iubet; fore enim dixit, vt iſtae foſſae absque vento, qui pluuiam praecedere ſolet, & absque pluuia, aqua replerentur; adeoque non ſine ingenti miraculo; forte per occultos latices, aut alia quacunque ratione. Dominum etiam Moabitas in eorum manus traditurum ſignificauit; quorum regionem, qua arbores, fontes, agros fertiles, deuaſtare penitus & corrumpere deberent; quippe quae velut חרם ſeu *anathema* eſſet. Praedictioni prophetae mox reſpondit euentus. *Mane* enim *eo tempore*, quo *oblatio*, ſeu agnus quotidianus *ſolet offerri*, *ecce aquam venientem per viam Idumaeae*, *qua totus ille tractus oppletus eſt*. Admodum hic ſolliciti ſunt viri quidam docti, cur non ſtatim, ſed altero demum die aquae venerint? Nonnulli pluuias in loco remotiori cecidiſſe putant, vt Iſraelitae illud non perceperint, indeque aquam in locum, vbi Iſraelitarum exercitus erat, delatam, quod vt fieret, temporis aliquod ſpatium requirebatur: aut etiam aliquem ex fluuiis Moabiticis ruptis aggeribus erupiſſe, aquamque ad caſtra vsque Iſraelitarum deuoluiſſe, quod itidem tam cito fieri non potuerit. Sed haec quam incerta ſint, nemo non videt. Qui Eliſaeum non in caſtris, ſed in vicinia fuiſſe, putant, reges, qui ad eum iuerant, circa veſperam eiusdem diei rediiſſe contendunt, tumque iuſſiſſe, vt foſſae fierent, vnde aqua altero demum die venire potuerit. Cuncta ad coniecturas redeunt. Simpliciſſimum eſt, ſi dicamus, Deo ita viſum, vt altero demum die aqua illis ſuppeditaretur, forte ad fidem & patientiam regum iſtorum explorandam.

Interea Moabitae, poſtquam audiuerant, reges iſtos ad bellum ſibi inferendum veniſſe, vt exercitum, quantum poterant, maximum cogerent, omnes, qui armis ferendis apti erant, ea capere iubent. Cumque mane ſurrexiſſent, vt hoſtes adorirentur, aquae in iſta regione inſtar ſanguinis rubentes, illis adparuerunt. Sole enim aquas, quas in gratiam Iſraelitarum Deus confluere iuſſerat, illuſtrante, radiisque, qui rubrum colorem efficiunt, ab aquis refractis & reflexis, in oculos Moabitarum incidentibus, factum eſt, vt aquae, ſanguinis inſtar, rubrae illis viderentur. Idque non ſine Numinis directione ita contigiſſe, res ipſa docet. Pro hoſtium enim ſanguine, qui mutuis caedibus ſe ipſos confodiſſent, aquas iſtas habentes (quod eo facilius credere poterant, quia antea eo in loco aquae nullae fuerant) caeco impetu ad caſtra Iſraelitarum, non vt pugnarent, ſed vt praedam raperent, ruunt, ita excipiendi, vt, qui

non

non caeli eſſent, ſtatim fugam arriperent. Iſraelitae vero terram eorum ingreſſi, quos deprehendere poterant, caedunt, vrbes diruunt, agros fertiles lapidibus implent, fontes aquarum obturant, & arbores frugiferas deiiciunt. Inhumanum nimis & barbarum, immo ipſis legibus Moſaicis aduerſum hoc videri poterat, niſi ex mandato ſpeciali Numinis feciſſent. Enormia haud dubie Moabitarum fuerunt ſcelera, quae Deus hac ratione puniri voluit. Cum *verſ. 24.* dicitur; ויכו בה *& ingreſſi ſunt eam*, regionem ſcilicet, Moabitarum, Maſorethae legendum monent: ויכו *& percuſſerunt.* Sed; cum ויכו pro ויבואו poſitum eſſe queat, & praeterea ſenſus ita ſit longe planiſſimus, nulla praegnans adeſt ratio, cur τὸ kethib deſerere debeamus. Accedit, quod & LXX interpretes habeant: *καὶ εἰσῆλθον εἰσπορευόμενοι* Supererat adhuc inter omnes vrbes, ſola Kirchareſeth, regia ſedes, in quam & rex Moabiticus cum reliquis copiis ſe receperat. Errant magnopere, qui קיר־חרשת non pro nomine proprio vrbis, ſed nominibus adpellatiuis habent. Hinc perperam LXX vertunt: *ἕως τοῦ καταλιπεῖν τοὺς λίθους τοῦ τοίχου καθῃρημένους*, nec melius vulgatus: *ita vt muri tantum fictiles manerent.* Hanc vrbem Iſraelitae obſidione cinxerunt: ויסבו הקלעים ויכוה *& cinxerunt eam funditores, & percuſſerunt eam*, ſcilicet lapidibus. Funditores nimirum & illi vocantur, qui machinis bellicis ingentes lapides in muros vrbis eiaculantur, vt eos concutiant, deiiciantque. Cum ergo rex Moabiticus videret, murum cedere & perfodi, magnumque ſibi imminere periculum, ſumtis ſecum ſeptingentis viris fortiſſimis, ex parte, qua rex Idumaeae tendebat, perrumpere tentauit: quod cum ei ex voto non ſuccederet, deſperabundus filium natu maiorem ſumſit, eumque in muro in holocauſtum obtulit. FLAVIVS IOSEPHVS, itemque R. LEVI BEN GERSON, aliique ex eadem gente, Moabiticum regem non ſuum, ſed Idumaei regis filium primogenitum in muro immolaſſe exiſtimant. Addunt, caprum iam antea a Moabitis iſtum Idumaei regis filium, ad quem liberandum vrbs etiam Kirhareſeth fuerit obſeſſa. Cum autem iſto immolato viderent, nullam ſpem eum recuperandi ſupereſſe, Iſraelitas Idumaeosque vrbis obſidionem ſoluiſſe. Quod, quo fundamento dicatur, non video. Capi ſane Idumaei regis filius potuit, cum rex Moabiticus, vt euaderet, eruptionem faceret; ſed id factum, cum vrbs iam obſeſſa eſſet. Nec ex *Amos II. 1.* quidquam probari poteſt, cum id huc non ſpectet, & propheta haud dubie aliud quoddam Moabitarum facinus, quo regem Idumaeorum e medio ſuſtulerunt, reſpiciat. Nullum itaque mihi videtur dubium, quin rex Moabiticus ſuum filium deo ſuo Chamos obtulerit, quod apud ethnicos vſitatum fuiſſe, quoties in ſummis anguſtiis conſtituti erant, conſtat. De more homines immolandi EVSEBIVS agit, *praeparat. euangel. lib. IV. cap. XVI.* &

LACTAN-

LACTANTIVS, *diuinar. inſtitut. lib. I. cap. XXI.* quos ſupra laudauimus ad *period. I. ſect. III.* §. *V.* vbi itidem hac de re dictum. Iſraelitae cum viderent, quid rex Moabiticus faceret, indignatione commoti diſceſſerunt, domumque reuerſi ſunt. In ebraeo eſt: ויהי קצף גדול על ישראל & *fuit indignatio magna in Iſraelem;* quod & ita capi poteſt, Deum Iſraelitis fuiſſe iratum. Et ita quoque nonnulli hoc intelligunt, qui putant, Iſraelitas vindictae modum exceſſiſſe, cum viribus ſatis iam ſpoliatus fuerit rex Moabiticus, vt ad vltimam deſperationem eum adigere neceſſe non eſſet. Verum & eius rei nullum in textu ſacro exſtat veſtigium, nec cum mandato diuino de terra Moabitica penitus deuaſtanda, hoc commode conciliari poteſt. Quod ſi vel maxime dicas, verba Eliſaei non mandatum, ſed vaticinium continuiſſe, ſimul tamen fatendum, vaticinium illud cum adprobatione diuina fuiſſe coniunctum. Quare ita exiſtimo, Iſraelitas indignum regis Moabitici facinus abominatos, ne ad plura eiusdem generis ſuſcipienda eum adigerent, obſidione vrbis ſoluta, inde diſceſſiſſe.

§. XIV.

Eo tempore, quo Ioramus rerum ſummam in Iſraele tenebat, Eliſaeus vates maxima miracula edidit,* inter quae & illud fuit, quod conſilia regis Syrorum regi Iſraelis aperiret. Quod cum Syri reſciuiſſent, copias miſerunt, quae captum Eliſaeum adducerent, morte mulctandum. Eas vero vates diuinus ſcotomate perculſas, cum ducem ignaris ſe praebuiſſet, in mediam Samariam deduxit, vt omnes facili negotio contrucidari potuiſſent, ni incolumes potius dimittere, viſum fuiſſet. Paullo poſt Syri Samariam obſident, ſed terrore, diuinitus illis immiſſo, conturbati ſubito auffugiunt, ſimulque pro fame, qua vrbs premebatur, grauiſſima, annonae reddita eſt vilitas, vti Eliſaeus praedixerat. **

* Nonnulla miracula ab Eliſaeo edita iam recenſuimus. Sequitur nunc illud, quo mulierem viduam ſumma cum paupertate colluctantem, oleo multiplicato, a creditorum importunitate liberauit, ſimulque, quo vitam porro transigeret, ſuppeditauit. Conſtat hoc ex *II. reg. IV. 1. ſeqq.* Mulierem hanc viduam fuiſſe Obadiae, praefecti domus Achabi, qui centum prophetas a ſaeuitia Iezabelae ſeruauerat, FLAVIVS IOSEPHVS, chaldaeus paraphraſtes, & alii ex Ebraeorum gente tradunt. Quod tamen non certiori fundamento nititur, quam illud, quod R. SAL. IARCHI autumat, creditorem illum ipſum fuiſſe Ioramum regem. In ſummas coniecta erat anguſtias mulier illa, quia creditor filios eius in ſeruitutem rapere volebat.

 Diſpu-

Diſputatur, an in more poſitum apud Ebraeos fuerit, vt liberi propter debita parentum vendi, vel a creditoribus in ſeruitutem abripi potuerint? Factum id aliquando fuiſſe, ex hoc ipſo loco intelligitur. Sed, an iure fieri potuerit? id eſt, de quo quaeritur. Rationi & aequitati naturali id repugnare, negari nequit, etſi non deſint, qui ſecus ſentiant, quos inter & HVGO GROTIVS eſt, de *iure bell. & pac. lib. II. cap. V. §. V.* qui tamen deinde §. *XXVI.* benigniorem ſententiam ſequitur. Interim non nego, ſi parentes liberos ſuos ipſimet alere nequeant, tum eos ius ſuum transferre quodammodo in alios poſſe, vt eos pro officiis quibusdam, ab humanitate non alienis, alant. Atque huc etiam ſpectat lex Moſaica *Exod. XXI. verſ. 7.* Inde vero non ſequitur, quod proprie loquendo vendi, aut creditores iure quodam debitorum liberos ſibi vindicare potuerint. Mulier iſta, de qua hic ſermo, fidem inſignem teſtata eſt, quod verbo prophetae ſine vlla haeſitatione obediuit, indeque factum, vt vaſa omnia, quae a vicinis petierat, oleo replerentur; quod deinceps ſoluendis debitis & eius ſuſtentationi ſufficit. Quo pacto oleum multiplicatum ſit, vt disquiramus, neceſſe non eſt, cum talia rationis captum ſuperent. Sufficit, quod non ſine ingenti hoc factum ſit miraculo. Mox ſecutum eſt aliud. In Sunem, oppidulo tribus Iſaſchar, haud procul monte Carmelo, degebat matrona nobilis & diues, quae Eliſaeum illuc transeuntem hoſpitio & epulis excipere ſolebat. Prophetam namque ſubinde per loca ab vrbe iſta non adeo remota iter ſuſcepiſſe, nonnulli putant, tum vt prophetarum filios hinc inde degentes inuiſeret, vitaeque, quam tenerent, conditionem exploraret, tum vt fideles in his locis corroboraret, aliosque, ſi poſſet, ab idololatria auerteret. Mulierem illam ſororem fuiſſe Abiſagis Sunamitidis ex R. ELIEZERIS capitulis, refert R. SAL. IARCHI, additque R. DAVID KIMCHI, eam fuiſſe matrem Iddo prophetae. Sed haec Iudaeis relinquenda ſunt. Initio non videtur mulier ſatis nouiſſe Eliſam; cum enim aliquoties ab ea hoſpitio exceptus eſſet, ad virum dixit: *nunc noui, ſanctum eſſe virum diuinum.* Vnde hoc cognouit? ex conuerſatione haud dubie, totaque vitae ratione, morum ſanctitatem vbique prodente. Iudaei quidam more ſuo ineptiunt, dum exinde eam hoc cognouiſſe, dicunt, quod nulla muſca in menſa eius conſederit, & quae alia ſunt eiusdem generis. Mulier iſta, conſentiente marito, paruum aliquod coenaculum exſtruxit, & parauit, vt ſolus in eo Eliſaeus commorari poſſet, quoties apud eam diuerteret. Cum ergo Eliſaeus aliquando ibi eſſet, ex muliere iſta per famulum ſuum Gehazi quaeſiuit, qua demum ratione animum gratum ob inſignem, quam erga ſe demonſtraret, humanitatem, declarare poſſet? Si quid negotii apud regem aut exercitus ducem haberet, velle ſe commendatione ſua efficere

efficere, vt illud ex voto ſuccederet. Ob miraculum enim, quo trium regum exercitui aquam ſuppeditauerat, quodue in recenti adhuc omnium memoria erat, magna haud dubie Eliſaei in aula regis fuit auctoritas. Recte ad *h. l.* notat HVGO GROTIVS: *Non indigna res eſt, vt prophetae, ita & epiſcopi officio, miſerabiles perſonas commendare principibus*; quod & ex canonibus Africanae eccleſiae pluribus confirmat. Reſpondit mulier: *apud populares meos maneo*; hoc eſt, in aula nihil mihi eſt negotii. Quod cum Gehazi Eliſaeo renuntiaſſet, & propheta regesſiſſet: *quid ergo poſſit ei fieri?* Gehazi dixit; nullum ei eſſe filium, virumque iam ſenem eſſe; ſignificans, nihil forte gratius ei obtingere poſſe, quam ſi maſcula prole bearetur. Eliſaeus itaque aduocari mulierem iuſſit; quae, cum ad oſtium coenaculi ſtaret, *hac tempeſtate*, inquit propheta, *vertente anno amplecteris filium.* Quod licet initio mulieri incredibile videretur, vnde & ad prophetam, ne ſe falleret, dixit, ita tamen contigit.

Quem vero praeter ſpem acceperat filium, eum mox ſummo cum moerore infelici caſu amiſit. Cum enim adoleuiſſet, & ad patrem meſſis tempore in agrum egreſſus eſſet, ſubito morbo correptus, domumque delatus, in gremio matris exſpirauit. Mulier vero iſta animum neutiquam abiiciens; ſed promiſſionibus diuinis fidem habens, non dubitauit, quin a propheta vita puero mortuo reddi poſſet. Ipſa itaque ad Eliſaeum proficiſci decreuit; vtque interea mors pueri celaretur, quod neceſſe erat, ne a familia excitaretur ſtrepitus, in coenaculum, quod Eliſaeo parauerat, adſcendit, pueroque, in lecto prophetae depoſito, ianuam clauſit, ne quisquam, mortuum puerum eſſe, reſciſceret. Tum ad virum, qui in agro erat, miſit, eum rogans, vt vnum ex ſeruis aſinamque mitteret, eo quod ſibi ad Eliſaeum vatem excurrendum eſſet. Reſpondit maritus: *cur tu hodie ad eum ires, neque enim eſt aut neomenia, aut ſabbathum.* Colligunt hinc Ebraeorum magiſtri, vt apud R. LEVI GERSONIDEM, & R. DAVID KIMCHIVM, videre licet, in ſabbathis & nouiluniis ſcholas prophetarum fuiſſe frequentatas, ſacrosque conuentus inſtitutos. Sed recte obſeruatum aliis eſt, cum in ſabbathis & nouiluniis lautius conuiuarentur, prophetas ſubinde, aliosque honoratiores viros ad conuiuium fuiſſe inuitatos. Putabat itaque mulieris huius maritus, eam ad prophetam profecturam, vt eum ad conuiuium inuitaret; ſed, cum ſimul ſuccurreret, eam hoc tempore inſueto facere, cum nec ſabbathum nec neomenia eſſet, ſuſpicabatur, annon ſiniſtri aliquid accidiſſet, cur vocare prophetam vellet. Mulier itaque reſpondit: שלום *pax*, hoc eſt, ei iterum dici curauit, omnia recte ſe habere, nec eſſe, vt vlla de re ſit ſollicitus. Neutiquam enim dubitabat, puerum a propheta reſuſcitatum iri; adeoque marito pueri mortem ſignificare, minime conſultum ducebat. Summa itaque, qua

 potuit,

potuit, feſtinatione ad prophetam profecta Sunamitis, cum non procul a Carmelo monte abeſſet, Eliſaeus eam adpropinquare videns, Gehazi famulum ſuum obuiam ei miſit, qui eam, an omnia recte ſe haberent, rogaret. Recte, inquit illa, nec conſultum, nec neceſſarium putans, filii mortem Gehazi aperire. Qua in re neutiquam peccauit, cum iſta diſſimulatione neminem laederet, & prudentiae leges eam exigerent. Ad ipſum Eliſaeum autem cum veniſſet, in terram proſtrata pedes eius adprehendit, non tantum honoris cauſſa, ſed &, vt eo magis animum eius ad auxilium promte ſibi ferendum flecteret, vtque ſimul ſignificaret, ſe non dimiſſuram eum, donec ſecum iret. Gehazi id contra dignitatem Eliſaei eſſe ratus, quod mulier tam prope eum attingeret, vt eam amoueret, acceſſit; ſed prohibitus eſt a propheta, quod ex animi moerore hoc faceret, cuius cauſſam neſciret, quia dominus ſibi hoc non reuelaſſet. Vnde non omnia prophetas ſciuiſſe, diſcimus, ſed ea tantum, quae dominus eis reuelauerat. Mulier autem ad prophetam: *num petii*, inquit, *filium a domino meo? annon* (e contrario) *dixi, ne me falleret?* Quibus verbis primo id indicat, cum ipſa filium non petiiſſet, ſed Eliſaeus ſua ſponte eum obtuliſſet, eo magis aequitati eſſe conueniens, vt filius hicce conſeruetur, &, cum mortuus ſit, reſuſcitetur. Deinde & id innuit, Eliſaeum ex promiſſo ad hoc teneri, cum filium deprecata potius eſſet, niſi talis, qui viuax eſſet, concederetur. Illuſionem enim quandam eſſe, dare filium, qui iterum e vita eripiendus ſit, vt eo maiori triſtitia adficeretur. Quae omnia maximam fidem, quam mulier iſta Eliſaei, aut Dei potius, per Eliſaeum factis promiſſis habuerit, demonſtrant. Eliſaeus itaque Gehazi, *accinge*, inquit, *lumbos tuos, ſume ſcipionem meum, qui in manu mea eſt, & abito. Si in quemquam incideris, eum ne ſalutes; ſi quis te ſalutet, ne reſpondeas. Tum impones ſcipionem meum vultui pueri.* Cur non ipſe propheta ſtatim iuerit, ſed famulum ſuum miſerit, non conſtat. Factum hoc nonnulli putant, vt miraculum non ſibi, aut Gehazi, ſed Deo tribueretur. Sed prophetas, ſi mortuos reſuſcitabant, non ſua, ſed diuina virtute hoc facere, notum ſatis erat. Quaecunque cauſſa fuerit, eum ex inſtinctu diuino hoc feciſſe, dubitari prorſus nequit. Dum autem Gehazi accingere lumbos, nec ſalutare quenquam, aut ſalutanti reſpondere iubet, ſumma feſtinatione opus eſſe, indicat. Aliam adhuc cauſſam addit THEODORETVS: ᾔδει αὐτὸν φιλότιμον καὶ κενόδοξον, καὶ ὅτι τοῖς κατὰ τὴν ὁδὸν ἐντυγχάνουσι τοῦ δρόμου τὴν αἰτίαν ἐρεῖ· ἡ δὲ κενοδοξία τὴν θαυματουργίαν κωλύει· *Sciebat, eum eſſe honoris & inanis gloriae cupidum, & futurum, vt occurrentibus in via ſui curſus cauſſam indicaret; inanis autem gloria impedimento eſſe ſolet, ne fiat miraculum*; *quaeſt. XVIII. in II. reg. pag. m. 340.* Scipionem ſuum ſumi a Ge-

a Gehazi voluit, vt intelligeretur, non virtute Gehazi, ſed ſuis precibus puerum reſuſcitatum. Sunamitis vero diſcedere a propheta noluit, donec ipſe ſecum iret. Qua in re quandam fidei imbecillitatem prodidit. Quae & haud dubie cauſſa fuit, cur puer a Gehazi, etſi prophetae ſcipionem vultui eius impoſuiſſet, reſuſcitatus non ſit; quanquam alii hoc ipſius Gehazi incredulitati, alii aliis cauſſis tribuant. Eliſaeus mulierem ſecutus, cum in domum eius veniſſet, coenaculum ingreſſus, & funere conſpecto, clauſit oſtium, attente & ſine impedimento oraturus. Tum lectum conſcendens, incumbit puero, os ſuum ori pueri adplicans, oculos oculis, manus manibus, eoque modo ſe extendit, vt cato pueri incaleſceret. Hinc cum aedes, modo huc, modo illuc ſe inferens, perambulaſſet, iterum adſcendit, & ſuper puerum ſe extendit; tumque puer ſepties ſternutauit, aperuitque oculos. Et ita vitae reſtitutum matri ſuae reddidit. Geſtus ritusque varios prophetas in miraculis edendis adhibuiſſe, aliquoties iam obſeruatum eſt. Haec reſuſcitatio pueri per gradus, & magno quodam velut molimine facta eſt, vt rei difficultas, & miraculi magnitudo indicaretur.

Eliſaeus, hisce peractis, Gilgalem rediit, vrbem aut pagum, vt videtur, inter Iordanem & Ierichuntem, vbi filii quidam prophetarum commorabantur. Ex ſequentibus intelligitur, numero centum ibi fuiſſe. Inſignis itaque eo tempore erat haecce ſchola prophetica. Cumque eodem tempore fames in eo tractu eſſet, Eliſaeus a puero ſuo in olla maiori pultem pro filiis prophetarum coqui voluit. Quidam ergo in agrum egreſſus eſt, vt colligeret ארות *olera*. LXX interpretes, vocem illam non intelligentes, retinuerunt ebraicam, ἀριώθ: quod THEODORETVS, ad *h. loc. quaeſt. XIX. pag. 341.* alios per ἄγρια λάχανα interpretatos, ait. Inuenit autem, גפן שדה *vitem agreſtem*, ſeu ſtirpem, viti agreſti ſimilem. Si enim פקעות *cucurbitas ſilueſtres*, ſeu *colocynthidas* ſignificat, quae recepta fere eſt ſetentia, ipſa ſtirps non potuit eſſe vitis agreſtis, quae Graecis ἄμπελος ἀγρία dicitur. De voce פקעות nihil certi dici poteſt: conueniunt in eo plerique, ſignificare *colocynthidas*. Has & ſaporis amariſſimi eſſe, & ſanitati valde noxias, medicorum filiis obſeruatum. Hinc & cum in olla coctae prophetarum filiis ad comedendum adpoſitae eſſent, atque hi aliquid ex iis deguſtaſſent, exclamarunt: *mors eſt in olla*. Sed cum Eliſaeus farinam in pultem coniici iuſſiſſet, amaritudo diſceſſit, nec quiſquam exinde damni quid ſenſit. Quo pacto farina illud efficere potuerit, non intelligitur. Quare & hoc non ſine inſigni factum eſſe miraculo, palam eſt. Recte & eleganter THEODORETVS: ἀλλὰ τοῦ δηλητηρίου τὴν ἐνέργειαν ἤμβλυνεν ὁ προφήτης ἄλευρον ἐπιβληθῆναι κελεύσας τῷ λέβητι· ἤμβλυνε δὲ οὐχ ἡ τοῦ ἀλεύρου φύσις, ἀλλ' ἡ τοῦ προφήτου χάρις· *Sed veneni efficacia-*

Digitized by Google

tacitatem obtudit propheta, iubens farinam iniici in lebetem. Obtudit autem non farinae natura, ſed prophetae gratia; *l. c. pag. 341.* Eodem in loco dum commorabatur, aliud adhuc miraculum edidit. Venit vir Baal-Saliſa, qui ad prophetam attulit panem e primitiis, ſcilicet viginti panes hordeaceos, וכרמל בצקלונו *& ſpicas virides in gluma ſua.* Ita namque nonnulli has voces capiunt. At alii putant, eos hordea torruiſſe, & in grandes partes colligaſſe, idque vocitaſſe כרמל, vas autem, in quo portatum fuit iſtud hordeum, dictum fuiſſe צקלון; vid. R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* Baal-Saliſcha vrbs nonnullis videtur, ſita in regione Schaliſcha, *I. Sam. IX. verſ. 4.* EVSEBIVS & HIERONYMVS vocem hanc legunt: *Beth-Schaliſcha* (quanquam EVSEBIVS habeat: Βαιθσαρισάθ, vt LXX interpretes, ſecundum codicem Alexandrinum: Βαιθσαρισά) dicuntque, villam eſſe in finibus Diospoleos, quindecim milliaribus inde diſſitam, verſus ſeptentrionem, in regione Thamnitica; vid. HADRIAN. RELANDVS, *Palaeſt. lib. III. pag. 611.* Hoſce panes cum filiis prophetarum dari iuſſiſſet Eliſaeus, vt eos comederent, miniſter quidem eius, *quid? inquit, an hoc centum viris adponam?* Sed dandum eſſe, reſpondit vates, cum per Numinis benedictionem ſingularem non tantum centum homines inde ſatiandi ſint, ſed ſuperfuturas etiam reliquias. Idque & ita non ſine inſigni iterum miraculo contigit.

Hoc mox aliud excepit. Naaman, dux exercitus regis Syrorum, vir ſtrenuus & bellicoſus, lepra infectus erat. Is regi ſuo percarus erat, *quia per illum dederat Iehoua ſalutem Aramo*, hoc eſt, quia eius opera Syri aliquando inſignem ab hoſtibus ſuis reportauerant victoriam. Fuiſſe Naamanem virum illum, qui in ſimplicitate ſua Achabum interfecit, *I. reg. XXII. 34.* Iudaeorum eſt fabula. Contigit autem, vt vxori eius ſeruiret adoleſcentula Iſraelitis, quam Syrorum turmae, praedatum egreſſae, ceperant, quae, prophetae illius, qui Samariae erat, opera herum ſuum facile a lepra liberari poſſe, dixit. Eliſaeum deſignabat, qui ſubinde Samariam ventitabat, aut in vicinia commorabatur. Hunc puellae ſermonem cum ex vxore ſua Naaman, ipſeque tandem rex Syrorum intellexiſſet, non tantum Naamani ad prophetam ire placuit, ſed Syriae quoque rex litteras commendatitias ad regem Iſraelis dedit. Naaman inſuper decem talenta argenti, ſex millia aureorum, & decem veſtes ſecum ſumſit, ad animum gratum erga prophetam, ſi ſanatus fuiſſet, demonſtrandum. Litterarum iſtarum ſententia erat; *ſtatim ac peruenerint hae litterae ad te, libera a lepra ſeruum meum Naamanem.* Non puto, id voluiſſe Syrum, vt ipſe rex Naamanem ſanaret, ſed vt prophetae, qui id facere poſſet, & ſub eius imperio viuebat, hoc mandaret. Interim inſolentia quaedam, orientis regibus familiaris, ex his litteris eluceſcit; im-

me

mo & ignorantia, quod exiſtimauerit, prophetas in miraculis quoque patrandis imperio regum obnoxios eſſe; quae tamen homini ethnico adeo vitio verti nequit. Rex vero Iſraelis inſuper non recte haſce litteras intellexit, exiſtimans, Syrum a ſe poſtulare, vt Naamanem ſanitati reſtituat, cumque probe noſſet, hoc in ſua minime poſitum poteſtate, hac ratione eum belli occaſionem quaerere. Tam proni ad mala quaeuis ſuſpicanda ſunt improborum hominum animi. Hinc & ob indignationem veſtes ſuas lacerauit. Longius enim petitum, quod nonnulli putant, id ideo factum, quod Syrus per blaſphemiam homini tribuiſſet, quod ſolius Dei eſt. Cum vero Eliſaeus iſta audiuiſſet, miſit ad regem Iſraelis, qui hoc ei exprobraret, Naamanemque ad ſe venire iuſſit, vt cognoſceret, prophetam eſſe in Iſraele. Quaerebat nimirum Syrus prophetam in Iſraele, quem ipſe rex Iſraelis ignorabat, immemor tanti beneficii, quod per eundem prophetam Deus ſibi exhibuerat. Ad Eliſaeum ergo ablegatus Naaman, equis ſuis & curru vectus, ante ianuam domus eius conſtitit, non admittendus ad ipſum prophetam, quippe qui per nuntium illi ſignificauit, quod ſepties in Iordane ſe ablueret deberet, tumque fore, vt caro eius reſtituatur, & a lepra purgetur. Quod Eliſaeus eum ad ſe non admiſit, ad excitandam magis Naamanis fidem, factum videtur, ne ipſi Eliſaeo plus, quam diuinae, quae in eo erat, virtuti tribueret. Diſcere ſimul debebat, veros Dei ſeruos hominum dignitate, potentia, diuitiis, parum moueri, immo haec omnia in minimis ponere. Vtque eo magis ad Deum a ſe ipſo eum adduceret, inſtinctu diuini ſpiritus, vt ſepties in Iordane ſe ablueret, iuſſit. Quod ſepties hoc fieri debuerit, in eo magnum ſibi inueniſſe myſterium videtur THEODORETVS: ἑπτάκις δὲ λούσασθαι ἐν τῷ Ἰορδάνῃ αὐτὸν προσέταξε ποταμῷ· σώματος δὲ ἦν ἡ λέπρα· ἐκ δὲ τῶν τεσσάρων τοῦτο στοιχείων συνέστηκεν· ἐν ἑπτὰ δὲ ἡμέραις ὁ παρὼν βίος ἀνακυκλεῖται· τῆς δὲ ψυχῆς ἡ κάθαρσις κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῆς ἁγίας ἀποτελεῖται τριάδος. *Septies autem ipſum iuſſit lauari in fluuio Iordane. Lepra enim erat corporis. Id autem conſtat ex quatuor elementis; & in ſeptem diebus vita praeſens voluitur. Animae autem purgatio perficitur per numerum ſanctae Trinitatis, quaeſt. XIX. in II. reg. pag. 341.* Sed quam longe hoc petitum ſit, nemo non intelligit. Quod ſi omnino hic myſterium quaerendum ſit, rectius dicitur, id factum in honorem veri Dei, qui ſeptem diebus omnia creauit. Naaman reſponſionem prophetae, methodumque a lepra eum ſanandi, cogitationi ſuae minime conuenientem, pro contemtu reputans, indignabundus diſceſſit, cumque, nulla verbi diuini habita ratione, de ſola aqua cogitaret, non opus eſſe, dixit, vt Iordanis aquis ablueretur, cum praeſtantiores melioresque in Syria Damaſcena ſint fluuii, Abana atque Pharphar. Sed ſerui eius,

ius, verba prophetae adcuratius conſiderantes, nec tanto faſtu turgidi, blande hominem adloquuntur, eique oſtendunt, nihil graue aut moleſtum eſſe, quod propheta ab eo poſtulaſſet, nullamque adeo eſſe rationem praegnantem, cur id facere nollet. Horum ergo ſermoni cum obſecutus eſſet, ſeque ſepties Iordanis aquis abluiſſet, ſtatim reſtitutus ſanitati eſt, atque a lepra mundatus. Reuerſus itaque ad Eliſaeum, ſolumque Deum Iſraelis verum Deum eſſe, profeſſus, munus ei ampliſſimum obtulit: quod tamen ille conſtanter, vrgente licet, vt acciperet, Naamane, recuſauit. Accepiſſe interdum vates munuſcula, conſtat, & ſupra quoque iam nobis obſeruatum, ſed tam ſplendidum munus acceptare Eliſaeus merito renuebat, ne in auaritiae ſuſpicionem veniret, neue hominem peregrinum in eam induceret opinionem, beneficia diuina pro pecunia impetrari. Quam opinionem euitare, totius religionis verae, vel maxime intererat.

Cum ergo Naaman videret, prophetam ad munera acceptanda flecti non poſſe, duo ab eo petiit, primum, vt tantum terrae Iſraeliticae, quantum par mulorum ferre poſſet, ſibi concederetur, quoniam ſibi conſtitutum eſſet, non diis alienis, ſed Iehouae in poſterum ſacra facere; alterum, vt propheta mentem aperiret, an ſibi domino ſuo, aedem Rimmonis cultus ſacri cauſſa intranti, adeſſe, & ſueta officia praeſtare, fas eſſet. Ad prius quod attinet, hoc itidem ita capio, quod adprobationem ſaltem Eliſaei de terra iſta ſecum ſumenda expetierit. Ipſam enim terram a propheta petere, non neceſſe erat, quam vbique ſumere poterat. Sed quem in finem? Vt tumulum inde exſtrueret, qui ſuae erga verum Deum pietatis monumentum eſſet, ab eo hoc factum, praeter alios CHRISTIANVS SCHOTANVS exiſtimat, *bibliotb. hiſtor. ſacr. veter. teſtam. tom. II, pag. 495.* Verum, cum diſerte dicatur: *ſeruus tuus non offeret amplius holocauſtum aut victimam diis alienis, ſed Iehouae*; nullum eſt dubium, quin conſtitutum Naamani fuerit, aram exſtruere, in qua vero Deo ſacrificia offerret. Nec obſtat lex ceremonialis de ſacrificiis tantum in templo Hieroſolymitano offerendis; hanc enim non ſemper tam adcurate obſeruatam fuiſſe, conſtat. Num vero, inquis, ad eiusmodi aram exſtruendam terra Iſraelitica illi opus erat? Ex ſuperſtitione quadam, quam tolerauerit, aut emendare neglexerit Eliſaeus, id factum putat IM. TREMELLIVS, itemque IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* Sed fieri potuit, vt tantum ad idololatriae deteſtationem, amoremque ſincerum erga verum Deum, qui erat Deus Iſraelis, ſignificandum, hoc faceret. Quod & longe vero eſt ſimilius, cum propheta ſine peccato eiusmodi aut tolerare; aut adprobare ſuperſtitionem non potuiſſet. Iam ad alterum quod attinet Naamanis petitum, nonnulli quidem id ita capiunt, ac ſi Naaman vna cum vero Deo etiam idolum Rimmon colere voluerit. Quosdam ex ebraeis in ea verſari opinio-

nione, mirum non eſt, cum non deſint ex eadem gente, qui, idololatriam proſelytis non illicitam fuiſſe, contendunt, modo ne in Iudaea committeretur; conf. IOAN. SELDENVS, de *iure nat. & gent. &c. lib. II. cap. XI.* Alii autem de ſimulatione cultus idololatrici hoc intelligunt, ac ſi petierit, vt ſibi fas eſſet, cultum Rimmonis ſimulare, cum in corde ſuo verum Deum culturus eſſet. Eiusmodi ſimulatio etſi Gnoſticis olim, Helceſaitis, & Priſcillianiſtis, probata, vt ex TERTVLLIANO, in *Scorpiaco*, EVSEBIO, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. VI. cap. XXXI.* AVGVSTINO, de *haereſib. cap. LXX.* conſtat, nec hodie quibusdam, qui religionem ſuis commodis attemperatam cupiunt, diſpliceat, pro turpiſſima tamen merito hypocriſi & ſumma impietate habetur. Indignum enim ſe omni Numinis fauore, omnibusque beneficiis demonſtrat, qui verum, quem cognouit, Deum, palam coram hominibus profiteri erubeſcit. Nec ex hocce Naamanis exemplo, vt mox patebit, haec ſententia vllum praeſidium accipit. Qui vero hoc ita capiunt, de Eliſaeo iterum inter ſe diſſentiunt. Nonnulli namque, talem ſimulationem licitam ponentes, ab Eliſaeo quoque eam adprobatam putant, quia ad Naamanem dixit: לך לשלום *abi in pacem.* Sed hosce & magnopere falli, & in ſanctitatem ſimul prophetae iniurios eſſe, res ipſa docet. Alii contra prophetam iſta reſponſione nec adprobare, nec improbare Naamanis facinus voluiſſe exiſtimant, quoniam hominem infirmum, nec dum iuſtae correctionis capacem vidiſſet. Verum & hoc ab animo ſincero prophetae plane alienum eſt. Certe in re tanti momenti vaga & incerta reſponſione aliquem dimittere, vt, quid facere, aut intermittere debeat, aeque ac antea ignoret, virum bonum & cordatum non decet. Sed & ipſa illa formula לך לשלום poſt eiusmodi quaeſtionem, quae aut adfirmanda, aut neganda erat, poſita, non aliter, quam de adprobatione intelligi poteſt. Nihil aliud itaque ſupereſt, quam vt concludamus, quaeſtionem Naamanis ita comparatam fuiſſe, vt ad eam per adfirmationem adprobationemque reſpondere potuerit prophera. Idque etiam pridem viris doctis obſeruatum fuit: quanquam hi ipſi, qui ita ſentiunt, in duas iterum partes abeant. Nonnulli namque Naamanis petitionem ad praeterita referunt, quod veniam commiſſae olim in templo Rimmonis idololatriae rogauerit. Ita praeter alios ex noſtratibus MICHAEL WALTHERVS, *centur. miſcell. num. VI. pag. 102. ſeqq.* IOAN. GEORGIVS DORSCHEVS, *theolog. Zach. part. I. cap. VI. pag. 83.* aliique. Alii autem ad futurum equidem tempus hoc referunt, ſed vt petitionem, ſeu quaeſtionem de conceſſione officii politici, regi in templo Rimmonis praeſtandi, intelligant. Ita praeter plurimos Romanenſium, quos inter & NATALIS ALEXANDER eſt, *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtam. aetat. mundi V. diſſertat. VII. pag. 188.* ipſumque B. LVTHE-

THERVM noſtrum, IOAN. BRENTIVS, & THEODOR. HACKSPANIVS, vterque ad *h. l.* Quae vti concinnior, ita & priori vtique praeferenda eſt explicatio. Certe vox ebraea השתחוה generatim *inclinationem corporis* ſignificat, quae vt aliquando cum veneratione quadam erga Deum, aut homines, coniuncta eſſe poteſt, ita ex circumſtantiis demum, quando ſpecialis haec ſignificatio locum habeat, diiudicandum. Hic vero, vt aliter, quam de ſola corporis inclinatione accipiatur, nulla nos cogit neceſſitas. Nimirum ſenſus verborum Naamanis hic eſt: *Hac in re ignoſcat Iehoua ſeruo tuo* (hoc eſt, credo, Deum hoc mihi pro peccato non imputaturum; ita enim quaeſtionem, ſeu dubium ſuum proponit) *cum dominus meus intrabit aedem Rimmonis, vt incuruet ſe illic* (adorandi animo) *& innixus fuerit manui meae*, (vt regibus in more erat poſitum) *meque inclinauero in aede Rimmonis*, (non adorandi cauſſa, ſed ad officium regi praeſtandum) *inclinatione mea in aede Rimmonis, ignoſcat quaeſo Iehoua ſeruo tuo propter eam rem.* Ita cuncta plana ſunt, & reſponſio prophetae, talem inclinationem adprobantis, recte ſe habet. Ad dubia, quae huic expoſitioni obiici poſſunt, reſpondet AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. III. loc. III. pag. 448. ſeqq.* Patuit autem hocce Naamanis exemplo, potuiſſe eo tempore aliquem ex gentibus verum Deum colere, etſi nec circumciſionem ſuſciperet, nec reliquis legibus caeremonialibus ſe ſubmitteret. Cuiusmodi quidem homines *proſelytos portae* deinceps vocarunt Iudaei, a quibus diſtinguebant *proſelytos iuſtitiae*, qui circumciſionem reliquosque ritus Moſaicos ſuſcipiebant. De idolo Rimmon, cuius hic iniecta mentio, deinceps ad § XXXIV. dicetur.

Poſtquam Naaman ab Eliſaeo diſceſſerat, iterque ſuum ingreſſus erat, Gehazi prophetae famulus, auaritia excaecatus, cum curſu veloci eum adſecutus eſſet, impudentiam mendacio tegens, nomine Eliſaei talentum argenti geminasque veſtes ab eo petiit, pro duobus filiis prophetarum, qui e montanis Ephraimi ad illum veniſſent. Naaman pro vno argenti talento duo, geminasque veſtes obtulit, & argentum duobus ſaccis incluſum vna cum veſtibus ſeruis duobus dedit, qui ante Gehazi iſthaec baiularent. Atque cum ad cliuum quendam prope Samariam veniſſent, ipſe Gehazi munera haecce ſumſit, ſeruisque dimiſſis, in domum ſuam, quam Samariae habuiſſe videtur, repoſuit. Illis, qui domum, in qua iſta repoſuit, in ipſo cliuo fuiſſe, putant, ſuffragari nequeo. Nec a vero abhorret, fuiſſe ipſam Gehazi domum, quam Samariae habuit. Famulus enim licet eſſet Eliſaei, domum tamen Samariae habere potuit. Cuncta autem ita egit, diſpoſuitque, ne Eliſaeus, quid feciſſet, reſciſceret. Qua in re ſummam hominis ſtultitiam miramur, qui cum non neſciret, Eliſaeum prophetam eſſe, cui ſubinde reuelationes diuinae ob-

obtingebant, hoc tamen facinus ſuum eum non cogniturum, tam temere ſibi perſuaſit. Cliuum, ſeu collem iſtum, cuius hic mentio facta, fuiſſe *cliuum praeputiorum*, *Ioſ. V. 3.* memoratum, IM. TREMELLIVS, aliique, exiſtimant. Sed cum Eliſaeus eo tempore Samariae, non Gilgale, fuiſſe videatur, hoc admitti nequit. LXX. interpretes habent: ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινὸν, haud dubie, quod voces עפל & אפל confuderint, quarum illa *cliuum*, *collem*, haec autem *caliginem* ſignificat. Ab illis etiam in errorem inductus vulgatus interpres, vertens: *cumque veniſſet iam veſperi.* Interim & Chaldaeus habet: לאתר כסי *in locum occultum.* Cum omnia ex voto peregiſſe ſibi Gehazi videretur, iterum coram Eliſaeo ſe ſtitit, interrogatusque, vnde veniret, nouo mendacio commiſſum crimen occultaturus, ſe vſpiam fuiſſe, negauit. Sed Eliſaeus, *annon*, inquit, *cor meum tecum iuit, cum ſe conuertit vir e curru ſuo, vt tibi obuiam veniret?* hoc eſt, *annon animo meo praeſens fui, cum vir ille e curru ſuo ſe conuerteret, &c.* Per diuinam enim reuelationem in animo ſuo cuncta velut viderat, quae inter Naamanem & Gehazi contigerunt. Addit porro: *an tempus erat accipiendi pecuniam, accipiendi veſtes, olueta, vineas, minores pecudes, boues, ſeruos & ancillas?* Nimirum haec omnia pecunia iſta, quam captabat, ſibi comparare, Gehazi ſecum conſtituerat. Quas eius cogitationes dum ex reualatione diuina propheta exprimit, indolem ſimul hominum auarorum eleganter delineat. Oſtendit vero ſimul, quod grauiter peccauerit Gehazi, quod eo tempore munera iſta poſtulauerit, quo ea accipere minime conueniebat, cum vel magiſtri ſui exemplo diſcere potuiſſet, quam ſollicite apud homines maxime peregrinos omnis auaritiae euitanda ſit ſuſpicio, quamue ſedulo adnitendum, ne in eam inducantur opinionem, gratiam diuinam pro pecunia aut muneribus impetrari. Enorme itaque cum eſſet Gehazi delictum, grauiſſimam quoque poenam ei merito propheta denuntiauit: *Lepra Naamanis tibi poſteriſque tuis in perpetuum adhaerebit.* Eodem namque morbo, quo adflictus Naaman fuerat, eum adficiendum ſignificat, & eadem quoque ratione, qua Naaman adficiendus eo fuiſſet, niſi a propheta ſanatus eſſet, vt nunquam per omnem vitam ab eo ſit liberandus; immo & poſteris eius, quamdiu quidam eorum futuri eſſent, eundem adhaeſurum. De omnibus enim poſteris eius hoc intelligendum, verba aperta docent; non tantum, quae quorundam eſt ſententia, de iis, qui eo tempore in viuis erant. Dicto ſtatim euentus reſpondit. Exiit namque ab eo lepra oppletus, & niuis in morem albicans.

Huic, de quo hactenus diximus, miraculo, mox aliud ſcriptor ſacer ſubiungit. Cum Gilgale ſchola, ſeu congregatio filiorum prophetarum eſſet, creſcente haud dubie ſub Eliſaeo eorum numero, contingebat, vt locus,

Digitized by Google

cus, in quo conueniebant, anguſtior eſſet, quam vt omnes caperet. Adnuente ergo propheta ad Iordanem iuerunt, vt ligna caederent, amplius aedificium, & quod omnes caperet, excitaturi. De auditorio, ſeu loco, in quo ad audiendos prophetae ſermones, laudesque diuinas celebrandas conuenirent, non autem de domo, in qua habitarent, hoc capiendum videtur. Vnde & ſequitur, quod non ad Iordanem nouum aedificium excitare voluerint, ſed ligna ſaltem inde petere, vt Gilgale illud facerent. Fallitur itaque R. LEVI BEN GERSON, dum hoc ita intelligit, ac ſi nonnulli ex filiis prophetarum ad Iordanem conceſſerint, vt ibi habitarent. Falluntur & Romanenſes, qui, HIERONYMVM, & IOANNEM Hieroſolymitanum ſecuti, monachos in caſulis habitantes hic ſibi inueniſſe viſi ſunt. Simile quid tamen & THEODORETHO in mentem venit: ὁ δὲ τῶν προφητῶν χορὸς τὴν ἐσχάτην πενίαν ἠσπάζετο. οὐδὲ γὰρ οἰκίας ἔσχον, ἀλλὰ καλύβαις ἐχρῶντο· διὸ τὸν μέγαν προφήτην ἱκέτευσαν συναπελθεῖν αὐτοῖς· ξύλα τέμνουσιν εἰς τὴν τούτων κατασκευήν· *Prophetarum chorus extremam paupertatem diligebat. Nec enim aedes habebant, ſed tuguriis vtebantur. Ideo magnum prophetam ſupplices rogant, vt vna cum ipſis iret, caeſuris ligna ad horum ſtructuram.* Cum ergo filii prophetarum in eo eſſent, vt ad Iordanem abirent, vnus ex illis Eliſaeum rogauit, vt & ipſe ſecum abiret, quod & haud difficulter impetrauit. Non ſine ſingulari id factum Numinis directione, mox patuit. Contigit enim, dum vnus eorum caederet lignum, ferrum ſecuris cadere in aquam; qui ideo: *hei* (mihi) *domine mi* (amiſi (ſecurim) *eamque mutuam acceptam.* Colligunt hinc, virum iſtum fuiſſe pauperem, qui ſecurim ab alio mutuo acceperit, magnoque ideo dolore adfectus ſit, quod non haberet, vnde pretium eius ſolueret. Quod vt haud difficulter admitti poteſt, ita tamen neutiquam inde recte colligitur, in eadem paupertate omnes filios prophetarum fuiſſe conſtitutos. Eliſaeus, cum locum, vbi ferrum decidit, ſibi oſtendi iuſſiſſet, *lignum ſecuit, idque eo proiecit, & effecit, vt ferrum enataret.* Ebraeorum magiſtri putant, lignum illud deſcendiſſe in aquam, ibique foramini ferri inſertum, illud ſecum extraxiſſe. Sed iſtud ideo commenti ſunt, quod non viderint, quem in finem Eliſaeus lignum in aquam proiecerit; cum tamen cogitare debuiſſent, prophetas ſubinde in edendis miraculis res eiusmodi adhibuiſſe, quae nihil minus efficere poterant, quam quod effeciſſe videntur, nosque adeo earum neutiquam reddere poſſe rationes. Cum ferrum hoc pacto emerſiſſet, & in ſuperficie aquae nataret, qui id amiſerat, iuſſu prophetae manu porrecta illud comprehendit, atque ſuſtulit.

** Cum Syrorum rex, regi Iſraelis bellum inferre vellet, conſiliumque cum ſeruis ſuis caperet, quo in loco caſtra collocanda eſſent, Eliſaeus hoc

ſtatim

ſtatim regi Israelis indicauit, qui locum iſtum occupans, Syrorum conſilia irrita reddebat. Plerique interpretes, etiam ebraei, hoc ita capiunt, Syros regi Israelis inſidias ſtruxiſſe, vt eum interciperent. FLAVIVS IOSEPHVS addit, regem Israelis ad venatum exire voluiſſe, ſed a propheta monitum, eo in loco inſidias illi ſtrui, hoc intermiſiſſe, *antiquitat. iud. lib. IX. cap. II.* Sed in eo quoque fallitur, quod ſemel tantum hoc contigiſſe autumat, vt Eliſaeus iſta Syrorum conſilia reuelaret, cum ſaepius id factum, ex ſcriptura ſacra conſtet. SEBAST. SCHMIDIVS putat, regem Syriae voluiſſe ex improuiſo locum, ſeu vrbem aliquam obſidere, vt imparatam facile expugnaret, cumque propheta regi Israelis indicaret, quam vrbem Syri obſidione cingere vellent, regem ſtatim eam praeſidiis firmaſſe, & ita Syrorum eluſiſſe conſilia, ad *b. l.* Miror vero, cur viri doctiſſimi a verbis textus, quae longe planiſſima ſunt, diſcedant. Dicit enim rexSyriae: אל מקום פלוני אלמוני תחנותי *ad hunc aut illum locum caſtra mea*; ſeu hoc aut illo in loco caſtra mea ponam. Cum ergo Israelis rex reſciuiſſet, quo in loco Syri caſtra collocare volebant, hunc ſtatim occupauit, & ita conſilia eorum eluſit. Vocem תחנותי per *caſtra mea* recte verti, nullum eſt dubium, cum חנה ſignificet *caſtra metatus eſt*; vnde & מחנה *caſtra.* Cumque dicitur: *caue, ne praetereas locum illum &c.* ſenſus eſt, ne negligas, ſeu praetermittas locum illum, ſed copiis tuis eum occupa. Syriae rex, conſilia ſua Israelitis innoteſcere, animaduertens, magnopere conturbatus, vocatis ſeruis ſuis, *annon*, inquit, *indicabitis mihi,* מי משלנו *quis ex* (iis) *qui nobis,* ſeu ex noſtratibus, *ad regem Israelis?* ſcilicet, conſilia noſtra defert. Hoc enim aut ſimile quid ſubintelligendum, res ipſa docet. Sic & chaldaeus: *quis ex noſtratibus reuelat conſilia regi Israelis?* Quoad ſenſum conueniunt LXX interpretes: *προσδίδωσί με βασιλεῖ* Ισραὴλ, & vulgatus: *proditor mei ſit apud regem Israel.* Suſpicatur equidem vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS, hosce interpretes pro משלנו legiſſe מלשנו ſeu מלשינו cum vox מלשין proditorem ſignificet, a radice לשון *lingua.* Sed cum ſecundum receptam lectionem ſenſus planiſſimus reſultet, hic quidquam in textu mutare temerarium foret. FLAVIVS IOSEPHVS rem valde exaggerat, regemque Syriae ſuos per conuitium proditores adpellaſſe dicit, illique mortem minatum, per quem conſilia ſua hoſti innotuiſſent; *loc. cit.* Iſtud cum rex dixiſſet, vnus ex ſeruis eius reſpondebat, neminem eſſe, qui conſilia regis proderet, ſed prophetam eſſe in Israele, qui ea, quae rex in loco abditiſſimo loquatur, Israelis regi renuntiet. Quo audito explorari rex Syriae locum iubet, vbi Eliſaeus commoretur, vt miſſo exercitu eum caperet, indeque abduceret. Quae inſignis hominis iſtius erat ſtultitia. Si enim credidit, Eliſaeum eum eſſe, qui ſermones in loco ſecretiſſimo prolatos cognoſceret, & Israelis regi renun-

Digitized by Google

nuntiaret, facile cogitare poterat, hoc ſuum de illo capiendo conſilium ei ignotum eſſe non poſſe. Renuntiatum regi fuit, prophetam Dothane commorari, quod oppidum erat non longe a Sichem & Samaria ſitum. Statim itaque miſſi equites, currus, multaeque copiae, quae noctu ad vrbem venerunt, eamque circumdederunt. Quas cum miniſter prophetae ſummo mane vidiſſet, & haud dubie, cur aduenissent, intelligeret, timore perculſus, *domine*, inquit, *quomodo faciemus?* Sed propheta bono eum animo eſſe iuſſit, quod plures ſecum quam cum hoſtibus eſſent, ſimulque Deum, vt oculos eius aperiret, orauit; hoc eſt, vt copias angelorum, quae ad Eliſaei defenſionem paratae erant, ei conſpicuas faceret. Non enim caecus erat Eliſaei miniſter, ſed angelos in illa, qua adparebant, ſpecie, videre non poterat, niſi vim, quae ad hoc requirebatur, largiretur Deus. Vidit ergo *montem plenum equitibus & curribus igneis circa Eliſaeum.* Tali enim ſpecie adparebant angeli, qui non tantum Eliſaeum, ſed totam vrbem, quae in monte iſto erat, circumdederant. Quod porro dicitur: *ad eum deſcenderunt*, plerique ita capiunt, quod Syri ad Eliſaeum deſcenderint. Sed cum Eliſaeus in monte eſſet, angelorum inſuper copiis circumdatus, Syrorum autem exercitus infra ad montem ſtaret, non capio, quo pacto dici queat, Syros ad Eliſaeum deſcendiſſe. Recte itaque B. SEBAST. SCHMIDIVS noſter obſeruauit, pronomen in voce אליו referendum eſſe ad vocem חיל *exercitum*, quae *verſ. 16.* exſtat, vt ſignificetur, Eliſam cum puero ex vrbe iſta egreſſum, deſcendiſſe ad Syros ad radices montis ſtantes, & vltro ac ſine timore iis obuiam iuiſſe. Simul vero propheta Deum orauit, & *percelle*, inquit, *quaeſo*, *hanc gentem*, בסנורים *ſcotomate.* Quod non ita intelligendum, ac ſi Syri plane caeci facti ſint: tum enim nullum hominem videre, nec Samariam ire potuiſſent; ſed viſus pariter ac intellectus quaedam perturbatio innuitur, atque confuſio, in qua dum conſtituti fuerunt, ipſimet, quid viderent, aut quorſum irent, neſciuerunt. Recte R. LEVI BEN GERSON hoc explicat: שלא יראו היטיב *ne recte viderent.* FLAVIVS IOSEPHVS, Eliſaeum Deum oraſſe dicit: *τὰς τῶν πολεμίων ὄψεις ἀμαυρῶσαι, ἀχλὺν αὐταῖς ἐπιβαλόντα ἀφ' ἧς ἀγνοήσειν αὐτὸν ἔμελλον· vt obſcuraret oculos hoſtium, caligine immiſſa, prae qua agnoſcere ipſum nequeant*; addit, hoc impetrato, eum ſe dediſſe in medium illorum, interrogantem, quem quaererent; quibus reſpondentibus, Eliſaeum prophetam ſe quaerere, pollicitum eſſe, hunc ſe traditurum eis, ſi ad vrbem, in qua eſſet, ipſum ſequerentur; *καὶ οἱ μὲν*, ita pergit, *ἡγουμένῳ τῷ προφήτῃ τὰς ὄψεις ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ τὴν διάνοιαν ἐπεσκοτισμένοι σπουδάζοντες εἵποντο. Atque ita, qui & oculis & mente a Deo caecati fuerant, ducentem incunctanter ſecuti ſunt, antiquit. iudaic. libr. IX. cap. II.* Scriptor ſacer paucis rem exprimit, Eliſae-

liſaeum ſcilicet ad Syros ſcotomate percuſſos, dixiſſe: ***non eſt haec via, neque haec vrbs***, (quam quaeritis) ***ſequimini me, vosque deducam ad virum, quem indagatis.*** Quo in ſermone prophetae nihil eſt, quod reprehendi debeat. Nullum enim ius habebant Syri, veritatem ex eo intelligendi, iſtaque diſſimulatio non eo ſpectabat, vt damnum illis daretur, ſed vt conſilia illorum irrita redderentur, ipſique ſtultitiae ſuae, quod prophetam capere voluerint, conuincerentur. R. SAL. IARCHI, verum fuiſſe prophetae ſermonem, dixit, eo, quod vrbe iſta cum famulo ſuo iam egreſſus eſſet; quod tamen oppido frigidum atque ieiunum eſt. Alii aliud quid comminiſcuntur, vt prophetam a mendacio liberent. Sed nullis hic ambagibus opus. Non omne enim falſiloquium in vitio poni, notum ſatis eſt; conf. HVGO GROTIVS de *iure bell. & pac. lib. III. cap. I.* Deductis in mediam Samariam Syris, propheta Deum, vt oculos eorum aperiret, ſeu facultatem recte videndi, & iudicandi, illis reſtitueret, precatus eſt. Quod cum ſtatim fieret, tum demum, quanto in periculo verſarentur, intellexerunt. Et rex quidem Israelis, opportunitate hacce vtendum ratus, ad Eliſaeum, ***an eos***, inquit, ***concidam, mi pater?*** Reſpondebat propheta; ***non occides: an, quos gladio & arco tuo captiuos abduxiſti, concidere ſoles?*** Per interrogationem enim haec verba capienda eſſe, res ipſa docet, quemadmodum & LXX interpretes ac vulgatus, ea ita reddunt. Nimirum, cum bello captis parcere ſolerent Israelis reges, idque etiam naturalis aequitas poſtulet, recte inde colligit propheta, multo magis his parcendum, qui per miraculum quoddam in eius poteſtatem veniſſent. Nec enim eum in finem Eliſaeus eos in Samariam deduxerat, vt interficerentur. Quod cum regi ignotum eſſet, mirum non eſt, prophetae eum hac ſuper re ſententiam exquiſiuiſſe. Adponi itaque illis potius panem & aquam, vt comederent, ac biberent, & ita incolumes eos ad dominum ſuum reuerti voluit. Paruit rex monito prophetae, & conuiuio exceptos dimiſit. Qua quidem tum Eliſaei, tum Iſraelitici regis magnanimitate, vt videtur, permotus rex Syriae, non amplius copias praedonum in terram Iſraelitidem miſit. Deinceps equidem coacto vniuerſo exercitu expeditionem aduerſus Iſraelitas ſuſcepit. Quod FLAVIVS IOSEPHVS ita accipit, eum, cum videret, ſe ob Eliſaeum cuncta Israelis regi reuelantem, nihil per inſidias efficere poſſe, aperto bello Iſraelitas adgredi maluiſſe, *loc. cit.* Idem & alii cenſent. Sed probabilius, temporis aliquod interceſſiſſe interuallum, memoriamque eorum, quae ab Eliſaeo, ipſoque rege Israelis exercitui Syrorum praeſtita erant, aut imminutam, aut oblitteratam, & ſic Benhadadum ad priſtinas iterum rediiſſe cogitationes.

Dum vero Syri Samariam obſidebant, magna in vrbe fuit fames, ***donec caput aſini octoginta, & quarta pars***

pars cabi cicerum quinque argenteis ſiclis venderentur. In ebraeo eſt חיר יונים *ſtercus columbarum*, quod cum Maſorethis nimis obſcoenum videretur, legendum cenſuerunt דיב יונים quod tamen idem ſignificat. Ad rem ipſam quod attinet, cum multae rationes obſtent, quo minus ſtercus columbarum in cibum adſumi potuerit, viri docti, vt ſe hanc expedirent, varia excogitarunt. Nonnulli, non cibi, ſed ligni loco, quo cibum coquerent, columbarum ſtercus Samaritanis fuiſſe cenſent. FLAVIVS IOSEPHVS ἀντὶ ἁλῶν *pro ſale* id eis fuiſſe putat, *loc. cit.* quem & alii ſequuntur; alii per ſtercus columbarum grana in ingluuie relicta intelligunt: alii aliud quid commenti ſunt. Sed quantis omnes iſtae ſententiae premantur difficultatibus, ſolide oſtendit SAMVEL BOCHARTVS, *hieroz. part. II. lib. I. cap. VII.* Ipſe vero vir doctiſſimus luculenter probat, apud Arabes genus quoddam ciceris toſti *ſtercus columbarum* vocari, idque hic intelligendum eſſe. Quae eius ſententia vti & IOANNI CLERICO, ad *h. l.* probatur, ita nobis quoque minime contemnenda videtur. Vt de aſini capite etiam aliquid addamus, Iſraelitis equidem vetitum erat, carne aſini veſci. Sed neceſſitas, obſeruare legem, non permiſit. Vnde maximopere falluntur, qui pro ראש חמור *capite aſini*, legendum putant: ראש חומר *caput chomeri*, quod eidem SAMVELI BOCHARTO, *hieroz. part. I. libr. II. cap. XIII.* & ex eo IOANNI CLERICO, ad *h. l.* recte obſeruatum. Ceterum ex fame illa qua vrbs Samariae premebatur, res horribilis accidit. Regem enim ad murum transeuntem (FLAV. IOSEPHVS auctor eſt, regem quotidie moenia & excubias obiiſſe, ne proditione quadam vrbs in hoſtium poteſtatem veniret, *l. c.*) mulier quaedam acceſſit, auxiliumque eius implorauit. Rex importunitatem mulieris aegre ferens, ad eam dixit: אל יושעך יהוה מאין אושיעך. Quae verba a nonnullis ita vertuntur: *ſi dominus te non ſeruauerit, vnde ego te ſeruabo?* Sed alii putant, regem mulieri importunae male precatum, quod putaret, eam victum a ſe petituram, adeoque priora verba ita reddunt: *ne ſeruet te Iehoua*, hoc eſt, te perdat. Sic & FLAVIVS IOSEPHVS, regem maledixiſſe mulieri, dicit: ἐπηράσατο αὐτῇ τὸν Θεὸν, *loc. cit.* Addebat etiam, ſe eam *nec ex area, nec ex torculari* iuuare poſſe; hoc eſt, nec frumentum, nec vinum ſibi ſuppetere. Sed mulier aliud quid volebat. Narrabat, conueniſſe ſibi cum muliere vicina, quandoquidem nullum aliud aduerſus famem remedium eſſet, iugulatis coctisque filiolis, quos habebant, vnum alterumue diem vitam protrahere; cumque ipſa filiolum ſuum in communem alimoniam ſuppeditaſſet, alteram ſtare promiſſo nolle, filiumque ſuum abdidiſſe. Quo audito rex horrendum facinus deteſtatus, veſtimenta ſua lacerauit; indeque ſimul adparuit, eum cilicio ſuper carnem indutum eſſe, quod poenitentiae erat documentum. Simul vero vehemen-

menter in Eliſaeum exarſit, & iureiurando confirmauit, eo ipſo adhuc die illi moriendum eſſe. Quae cauſſa tantae in prophetam irae fuerit, non additur. FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, regis iram in prophetam exarſiſſe, *ὅτι μὴ δεῖται τοῦ θεοῦ πόρον αὐτοῖς καὶ διαφυγὴν τῶν περιεχόντων κακῶν δοῦναι*, *quod non oraret Deum, vt daret remedium, & fugam malorum, quibus tenebatur*, *loc. cit.* Sed longe probabilius, ſuaſiſſe prophetam, vt obſidionem tolerarent, diuinamque liberationem Iſraelitis promiſiſſe; quae cum nondum obtigiſſet, rex eum pro auctore iſtorum malorum habuit. Eliſaeus autem domi ſuae ſedebat, *& vna cum illo ſenes*, hoc eſt, praecipuae dignitatis & auctoritatis viri. FLAVIO IOSEPHO enim, diſcipulos prophetae intelligenti, hic iterum ſuffragari nequeo. Et rex quidem furibundus hominem miſerat, qui eum interficeret: ſed, priusquam is accederet, Eliſaeus ſenioribus indicat, eum ad fores eſſe, regemque ipſum inſequi, ſimulque claudi ianuam iuſſit, ne nuntius iſte exſequi ſtatim, quae in mandatis habebat, poſſet. Non ita hoc capiendum, ac ſi vim vi propheta repulerit; hoc enim vbi cum magiſtratu nobis res eſt, non procedere, conſtat; ſed hoc ſaltem egit, vt nuntium impediret, ne ſententiam regis in ſumma animi perturbatione pronuntiatam, quamue ipſe, cum ad ſe ipſum rediiſſet, minime adprobaturus erat, feſtinanter nimis exſequeretur. Qua in re eum peccaſſe, nemo temere dixerit. Suntque etiam, qui exiſtimant, regem non aliam ob cauſſam tam cito miniſtrum ſuum inſecutum, quam quod ſententiae inconſiderate prolatae eum iam poenituerit, miniſtrumque adeo, ne eam exſequeretur, cohibere voluerit. Quod & a vero minime abhorret: conf. IOANNES BRENTIVS, ad *h. l.* Propheta adhuc loquente, ecce nuntius ſeu miniſter regis adeſt, & ſtatim quoque rex ipſe (hoc enim in textu ſupplendum eſſe, res ipſa docet) qui ad prophetam, *malum hoc*, inquit, *eſt a Iehoua*, hoc eſt, a decreto eius immutabili, quo nobis pereundum eſt, nec vlla ſpes liberationis ſupereſt; in haſce enim cogitationes homines impii, in anguſtiis conſtituti, facile ingrediuntur; *quid exſpectem amplius auxilium Iehouae?* hoc eſt, fruſtra nobis, o! Eliſaee! auxilium Iehouae pollicitus es; non amplius illud exſpectandum, ſed vrbs potius Syris tradenda eſt. Confirmatur hinc, quod antea diximus, Eliſaeum liberationem nomine Dei promiſiſſe; quae cum nondum adeſſet, & extrema fames vrbem premeret, factum hinc, vt tantam iram rex erga prophetam animo conciperet, quae tamen mox, vt ex dictis liquet, iterum mitigata eſt. Reſpondebat ad haec Eliſaeus, & nomine Dei ſignificabat, fore, vt craſtino die eodem tempore ſatum ſimilae ſiclo, & eodem pretio duo ſata hordei, in porta Samariae (FLAVIVS IOSEPHVS habet: *ἐν τῇ ἀγορᾷ*) vendantur. Excipiebat vero tribunus, cuius manui rex innitebatur; *Si Iehoua feneſtras in*

coelo fecerit, num hoc fiet? hoc eſt, ſi frumentum de coelo plueret, (quod tamen fieri non poſſe putauit) contingere non poſſe, vt craſtino die tam vili pretio vendatur. Quo ipſo homo impius incredulitatem ſuam ſatis ſuperque teſtatus eſt. Vocatur שליש *tribunus:* de bellicis enim ducibus vox iſta ſaepius vſurpatur; FLAVIO IOSEPHO: *τῆς τρίτης μοίρας ἡγεμών*, LXX interpretibus: *τριστάτης*. Regerebat Eliſaeus: *tu ipſe videbis oculis tuis, ſed ex iis non comedes.* Omnibus hiſce prophetae verbis euentus adcurate reſpondit. Quatuor namque leproſi extra moenia vrbis Samariae, vt moris erat, degebant; qui, cum rationes ſecum ſubducentes intelligerent, fame ſibi pereundum eſſe, ſiue in vrbem ingrederentur, (ſi vel maxime in eam admitterentur) ſiue eo in loco, in quo erant, manerent; tandem ad Syrorum tranſire caſtra decreuerunt, cum fieri poſſet, vt hac ratione ſeruarentur, aut, ſi Syri eos interficerent, fote, vt morte feſtinata ſine magnis doloribus defungerentur. Lepidus eſt R. SALOMON IARCHI, ad *h. l.* qui, quatuor hos leproſos, Gehazi, & tres eius filios fuiſſe, exiſtimat. Diſcere autem hinc licet, Syros ad moenia vrbis non acceſſiſſe, ſed eminus ſaltem eam circumdediſſe, vt fame in poteſtatem ſuam redigerent. Ceteroquin enim leproſi iſti extra moenia commorari non potuiſſent. Sub auroram igitur ſurgentes, Syrorum caſtra ingreſſi ſunt, eaque hominum vacua deprehenderunt. Fecerat namque Deus, *vt Syri audirent ſonitum curruum, ſtrepitum equorum, & vocem exercitus magni, dixeruntque inter ſe, en mercede conduxit rex Iſraelis reges Chittaeorum, regesque Aegyptiorum, vt venirent contra nos.* Sonus eiusmodi concuſſo aere forte a Deo productus eſt, qui ingentis exercitus aduentantis eſſe ſolet, vnde Syri ſtatim in eam ingreſſi ſunt ſententiam, Chittaeorum Aegyptique reges mercede a rege Iſraelis contra ſe conductos. Etſi in multitudinis numero *reges Aegyptiorum* commemorentur, inde tamen non ſequitur, plures eo tempore in Aegypto fuiſſe reges. Vt enim per enallagen ſingularis numerus cum plurali permutetur, non eſt infrequens. Hinc & FLAVIVS IOSEPHVS recte habet: *τὸν τῶν Αἰγύπτου βασιλέα, Aegypti regem;* ſed in eo fallitur, dum addit: *καὶ τὸν τῶν νήσων, & regem inſularum, antiquitat. iudaic. libr. IX. cap. II.* Chittaeorum enim rex, ſiue reges, intelliguntur, cuius populi quosdam eo tempore adhuc fuiſſe ſuperſtites conſtat. Vnde & recte LXX interpretes habent: *βασιλέας Χετταίων.* In ſummam conſternationem coniecti Syri fugam, caſtris cum equis & aſinis relictis, arripiunt. Leproſi autem iſti cum aliquot tentoria ingreſſi eſſent, ciboque & potu ſe large refeciſſent, & praedam ingentem inde abſtuliſſent, diutius rem celare minime conſultum putantes, ne ab Iſraelitis Syrorum fugam animaduertentibus, in eorum caſtris deprehenſi, pro transfugis haberentur, ad vrbem properarunt, & portarum

tarum cuſtodibus, ſe Syrorum caſtra hominum vacua deprehendiſſe ſignificarunt, a quibus ſtatim regi id nuntiatum eſt. Et ille quidem, licet ſol nondum plene exortus eſſet, ſtatim tamen ſurrexit, cumque Syros forte caſtra reliquiſſe, vt Israelitis inſidias ſtruerent, ſuſpicatus eſſet, cum ſeruis ſuis, quid faciendum ſit, conſultauit. Reſpondit vnus ex illis, & *ſumantur*, inquit, *quinque ex equis reliquis, qui ſuperſtites ſunt in hac* (vrbe) *ſintque illi inſtar multitudinis Israelis, quae hic ſuperſtes eſt, & inſtar multitudinis Israelis, quae periit, & mittamus eos, ac videamus* (quid hoc rei ſit). Errant, qui haec verba ita capiunt, ac ſi quinque tantum equi in Samaria ſuperfuerint: cum ſimplex verborum ordo ſuadeat, ſenſum eſſe, ex equis reſiduis quinque ſumendos eſſe. Obiectioni, exploratores iſtos maximo periculo ſe expoſituros, ſequentibus verbis occurrit, oſtendens, non poſſe illos meliora fata poſtulare, quam tota multitudo Israelis, cuius pars fame iam perierit, reliquis extrema iam immineant. Sumti ergo ſunt duo currus equis iuncti; namque nec ſolos equos absque hominibus, qui conſilium ſuppeditauit, intellexerat, nec eius ita ſtandum erat ſententia, vt non currus potius cum equis, quam ſolos equos, plures etiam aut pauciores ſumere fas eſſet; eosque rex miſit, vt, vbinam Syrorum exercitus eſſet, explorarent. Hi ergo ad Iordanem vsque abeuntes, veſtigia fugae vbique deprehendunt, viamque totam plenam veſtimentis & vaſis, quae Syri inter fugiendum proiecerant, reperiunt. Quod cum regi nuntiaſſent, is populum caſtra Syrorum praedatum emiſit, tantaque annonae inuenta eſt copia, vt eodem die eo pretio, quo Eliſaeus praedixerat, venderetur. Rex autem tribunum illum, qui verbis prophetae fidem adhibere noluerat, portae ad tumultum populi compeſcendum praefecerat; qui adeo, quod fieri non poſſe exiſtimauerat, impletum videns, turbae concurſu proculcatus, interiit.

Magno ergo malo ſuo vt tribunus iſte expertus eſt, non vanas fuiſſe prophetae praedictiones, ita magnum contra ex iis commodum percepit mulier illa, cuius filium in vitam reuocauerat. Ei enim famem ſeptennem, quae terrae Israeliticae imminebat, praedixit, ſimulque, vt alio peregrinatum abiret, monuit. Cum ſolius mulieris hic mentio fiat, maritus eius iam mortuus videtur. Abiit ergo in terram Philiſtaeorum, ibique per ſeptem annos commorata eſt. His elapſis, reuerſa equidem eſt, ſed regis ad recuperandum agrum & domum, quam alii interea occupauerant, implorare auxilium neceſſe habuit. Contingebat autem, vt eodem tempore rex cum Gehazi, qui Eliſaei miniſter fuerat, colloqueretur, illo iubente, vt hic res mirandas ab Eliſaeo patratas ſibi enarraret. Dumque in eo erat, vt commemoraret, mortuum ab eo ad vitam reuocatum, ecce! ipſa illa

 muli-

mulier, cuius filium reſuſcitauerat, aderat, regis auxilium imploratura. Quod non ſine ſingulari & mirabili Numinis diſpenſatione ita eueniſſe, nemo non intelligit. Ex eo, quod rex cum Gehazi locutus eſt, nonnulli colligunt, eum nondum lepra infe-ctum, miniſtrum adhuc fuiſſe Eliſaei, adeoque hoc contigiſſe, antequam Naaman ab Eliſaeo ſanaretur. Vnde porro ſequitur, ordinem temporis a ſcriptore ſacro neutiquam fuiſſe obſeruatum. Verum vt hoc admittamus, neceſſe non eſt, cum nihil obſtet, quo minus rex cum homine leproſo loqui potuerit; praeſertim, ſi, quod credibile eſt, certa diſtantia inter vtrumque interceſſerit. Mulier autem, quae interea acceſſerat, cum ea, quae Gehazi dixerat, confirmaſſet, ſtatim ea, quae volebat, impetrauit, iuſſitque rex eunuchum cum ea ire, qui curaret, vt omnia vna cum fructibus agri, a die, quo patriam terram reliquerat, vsque ad tempus, quo reuerſa erat, ei reſtituerentur. Iniuſtus enim cum eſſet agri poſſeſſor, qui eum occupauerat, ad fructus etiam reſtituendos tenebatur. Vox סריס *eunuchus*, etiam dignitatis nomen eſt, atque ita hic capi poteſt, quamuis & talem denotare queat, qui corpore mutilus eſt. Etſi enim lege Moſaica talis corporis mutilatio prohibita ſit, reges tamen Iſraelis non adeo legis obſeruantes fuiſſe, conſtat, adeoque nihil obſtat, quo minus hac in re aliorum regum orientalium exemplum imitari potuerint.

Ad Eliſaeum vt reuertamur, is eo tempore, quo Benhadadus Syrorum rex aegrotabat, Damaſcum, hoc eſt, vt nonnullis videtur, in regionem Damaſcenam iuerat. Qua cauſſa inductus eo iuerit, aperte non indicatur. Ebraeorum commentum, quod Gehazi, qui ad Syros deſciuiſſet, reuocare voluerit, ne dignum quidem eſt, quod commemoretur. Rectius dicitur, a Deo illum miſſum, vt Chazaelem in regem vngeret, hoc eſt, eum regem fore, illi praediceret; adeoque id exſequeretur, quod Eliae mandatum erat. Incertum eſt, quod FLAVIVS IOSEPHVS dicit, morbum Benhadadi ex triſtitia ortum, quod obſidio vrbis Samariae tam male ei ceſſiſſet; *antiquit. iudaic. lib. IX. cap. II.* Quidquid huius ſit, cum ei nuntiatum eſſet, Eliſaeum aduenisſe, Chazaelem cum muneribus ſplendidiſſimis obuiam ei procedere iuſſit, qui ex eo ſciſcitaretur, num futurum eſſet, vt ex morbo conualeſceret. Fecit hoc Chazael, ſed a vate hocce reſponſum tulit: לך אמר לא חיה תחיה והראני יהוה כי מות ימות׃ Quae verba diuerſimode redduntur, quia Maſorethae, vt in aliis quibusdam locis, ita & hic pro לא *non*, legendum cenſuerunt לו *ei*. Hanc ergo maſorethicam lectionem qui ſequuntur, ea ita vertunt: *abi, dic ipſi,* { *viuendo viues, & oſtendit mihi Iehoua, ipſum certo moriturum eſſe.* Adprobantque hanc lectionem calculo ſuo R. SAL. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, R. ISAAC ABARBANEL, aliique ex ebraeis, itemque

ex

Digitized by Google

ex chriſtianis plurimi. Sic & vulgatus interpres habet: *vade, dic ei, ſanaberis*; & LXX interpretes: δεῦρο, εἶπον, ζωῇ ζήσῃ· Conſentiunt & chaldaeus, ſyrus, arabs. Sic & FLAVIVS IOSEPHVS: ὁ δὲ προφήτης τὸν μὲν Αζάηλον ἐκέλευσε, μηδὲν ἀπαγγέλλειν τῷ βασιλεῖ κακόν· ἔλεγε δ' ὅτι τεθνήξεται· *propheta nuncio nihil mali renunciare iuſſo, tantum moriturum regem indicat*; *antiq. iud. lib. IX. cap. II.* Eandem lectionem, & explicationem ei ſuperſtructam, vir clariſſimus CAMPEGIVS VITRINGA hiſce tuetur rationibus: I. quia Chazael verba prophetae ad Benhadadum herum ſuum referens, ea ipſa verba חיה תחיה repetit, omiſſa particula negatiua לא; II. verbum imperatium אמר *dic* commodisſime conſtruitur cum ſequente vocula relatiua לו; omnino enim veroſimile putat, vir doctisſimus, Eliſaeum perſonae, de qua loquebatur, & cui eius nomine verba quaedam reddenda erant, aliquam ſaltem voluiſſe facere mentionem; vnde decus orationis & conſtructionis exigat, vt credamus, Eliſaeum dixiſſe, אמר לו *refer ad ipſum*, & non ſimpliciter: אמר *dic*. III. accedit, vt eidem obſeruatum auctori, quod auctores ſacrae punctationis voculam לא per *makkaph* coniunxerint antecedenti vocabulo אמר eo ſatis aperte ſignificantes, ſe velle, vt vocula לא heic accipiatur pro לו; *obſeruat. ſacrar. lib. III. cap. XVI. pag. 692. ſeqq.* Nec deſunt illis, qui τὸ ketibh τῷ keri praeferendum putant, quae pro ſua ſententia adferant. Cumprimis id vrgent, quod, qui τὸ keri, ſeu maſorethicam lectionem ſequuntur, Eliſaeum vatem maximi in re grauiſſima mendacii arguere teneantur, quod tamen de viro ſanctiſſimo ne cogitandum quidem ſit. Cum enim ei a Deo reuelatum eſſet, regem moriturum eſſe, cum etiam a rege aegro ſerio & reuerenter conſultus eſſet, nihiloſecius ſecundum hanc lectionem voluit, vt Chazael ſpem recuperandae ſanitatis eidem faceret. Vt hinc ſe expedirent, varias viri docti vias ingreſſi ſunt. HVGO namque GROTIVS, in *adnotat. ad h. l.* haud obſcure Eliſaeo mendacium tribuit, id tamen pro licito habet: *ſi hanc lectionem* (maſorethicam) *ſequimur, fuerit hic non diſſimulatio ſola, qualem ponit Ioſephus, ſed plus aliquid, quod tunc aduerſus extraneos & idololatras habebatur pro licito.* Verum etſi innoxia diſſimulatio neutiquam in vitio ponatur, de mendacio tamen, quo ius alterius violatur, aliter cenſendum. Hoc enim eadem naturae lex vetat, quae alterum laedere prohibet. Quae quidem lex vt ad omnes homines, ita & ad extraneos ac idololatras pertinet. Nec iuuat GROTIVM, quod alibi *lib. III.* ſcilicet *de iure bell. & pac. cap. I.* diſputat, ſermone falſo, quo etiam alius laedatur, erga hoſtes vti fas eſſe. Eliſaeus enim non vt hoſtis Damaſcum venerat, nec a Benhadado pro hoſte habebatur, qui oblatis potius muneribus amicum & beneuolum erga illum declarabat animum. R. LEVI BEN GERSON exiſti-

mat,

mat, noluiſſe prophetam, vt, quod coelitus ei patefactum erat, oraculum regi renuntiaretur, ne diceretur, ob tam feralem ſententiam metu mortis regem exanimatum eſſe. Non procul hinc abit R. ISAAC ABARBANEL, & ex chriſtianis THEODORETVS. Sed quis credat, prophetam reuelationem diuinam diſſimulare voluiſſe, ne forte metus mortis inde exortus noceret regi impio, quem inſuper mox ab ipſo Chazaele perimendum eſſe, ſciebat. Maiorem ſpeciem habet, quod alii dicunt, prophetam Chazaeli diſtincte ſignificaſſe, primo quidem Benhadadum omnino eſſe conualiturum ex morbo, quo laborabat, ſi eius vitae aliunde vis non inferretur, ſimul tamen indicaſſe, fore, vt rex morte violenta periret, ab ipſo Chazaele interficiendus. Verum & hoc aliis coactum videtur, eo quod verba prophetae ſic expoſita in continua oratione minime cohaereant. Dicere enim ſecundum hanc expoſitionem propheta debuit: *omnino conualeſces, morbus tuus non eſt ex ſua natura lethalis: ſed oſtendit mihi Iehoua. eum eſſe moriturum.* Nec ſane ex morbo iſto conualuit Benhadadus, ſed poſtridie aeger & in lecto cubans, intincta in aquam ſtragula a Chazaele ſuffocatus eſt. Ipſe quoque vir doctiſſimus CAMPEGIVS VITRINGA agnoſcit, ſi verba prophetae ita explicentur, *eum videri aliquanto plus acuminis in reſponſo ſuo affectaſſe, quam ab ipſo iure exſpectatum, certe deſideratum fuit*; quanquam deinceps, eiusmodi acumen a ſtilo prophetico non eſſe alienum, probare ſatagat; *loc. cit.* §. *V. pag. 699.* Non deſunt, qui prophetam ironice locutum putant, vt Micheas *I. reg XXII. v. 15. adſcende & proſperare, ſcilicet! tradet Iehoua* (Ramothas) *in manum regis.* Ita SALOM. GLASSIVS noſter, *grammat. ſacr. lib. III. tract. III. can. XXXVII.* Verum & hoc non ſatis concinnum videtur. Non enim cum ipſo Benhadado Eliſaeus agit, vt ex dicentis geſtu ac pronuntiatione ironiam intelligere potuerit, vt facile intelligebat Achabus, ſed cum Chazaele, regis miniſtro. Is quem aliquoties iam laudauimus vir doctiſſimus, CAMPEGIVS VITRINGA, cum ingenue & cordate, quid in ſolutionibus propoſiti dubii hactenus adlatis, deſiderandum ſit, monuiſſet, verba prophetae ita explicanda cenſet, vt nullum in illis ſit praeceptum, ſed tantum praedictio euentus; nimirum ſignificaſſe prophetam, fore, vt Chazael ad regem diceret חיה תחיה *viuendo viues*, cum tamen moriturus ſit, ab ipſo Chazaele ſuffocandus. Quod ingenioſe equidem excogitatum fateor, ſed nimis mihi ſubtile videtur. Ita etiam ad quaeſtionem regis propheta nihil reſpondiſſet, quod inhumanum videtur. Ne dicam, quod verba aperta לך אמר לו *abi, dic ei*, (namque lectionem maſorethicam ipſe vir doctiſſimus ſequitur) eiusmodi explicationem ſine coactione quadam non admittant. Quid vero omnibus hiſce ambagibus opus? cum nulla nos cogat neceſſitas, lectionem maſorethicam

Digitized by Google

tam retinendi, quam vti hic, ita & in aliis locis viri quidam doctiſſimi non ſine ratione repudiant. Ad rationes pro ea tuenda, antea adlatas, iam reſpondit HERMANNVS WITSIVS, in *praefat. editionis ſecundae miſcellaneor. ſacror.* §. *IX.* Nimirum ad primam quod attinet, vix videtur dubitandum, Chazaelem mentitum, & verba prophetae aliter regi retuliſſe, quam ea acceperat. Vt aulicorum, ita cumprimis ipſius Chazaelis moribus ſatis hoc eſt conueniens, vt grata, quantumuis falſa, quam dura, licet vera, hero ſuo adnuntiare maluerit. Ad ſecundam vir doctus reſpondet, verbum imperatiuum אמר *dic*, non minus commode conſtrui, cum ſequente vocula negante לא, quam cum vocula relatiua לו. Non enim, inquit, neceſſe erat, prophetam de perſona monere, cui haec renuntianda forent; res ipſa loquebatur. Nec minus bene eidem obſeruatum, voculam לו omiſſam hic a LXX interpretibus: *δεῦρο, εἶπον, ζωῇ ζήσῃ*· Denique, quod de linea Makkaph dictum, nullius momenti eſſe, pronuntiat, cum exigua aut nulla eius lineolae vis ſit, niſi forte ad euphoniam, quemadmodum & promiſcue ponatur, vel omittatur, & in eadem conſtructione nunc has, nunc alias voces nectat.

Vt autem eo, vnde digreſſi ſumus, redeamus, cum Eliſaeus iſta ad Chazaelem dixiſſet, *vultum in eum* (conſtanter) *conuerſum habuit, donec pudore ſuffunderetur.* In ebraeo eſt: ויעמד את פניו וישם עד בש *& ſtare fecit faciem ſuam, & poſuit ad erubeſcendum.* Vulgatus inepte prorſus: *& ſtetit cum eo.* Nec rectius LXX interpretes. Ebraeorum plerique hoc ita capiunt, quod propheta voluerit ſe continere, ac ſtare facere lacrymas ſuas, ſed non potuerit. Rectius alii, quod propheta Chazaelem conſtanter & immoto vultu intuitus ſit, donec hic erubeſceret. Id enim contingere ſolet, ſi alius conſtanter & immoto vultu nos intueatur. Tum vero & in lacrymas prorupit. Quod cum ſui cauſſa fieri Chazael facile animaduerteret, cauſſam eius rei ex Eliſaeo quaeſiuit. Nec eam diſſimulauit propheta, ſed maxima mala ſumma cum crudelitate populo Iſraelitico eum adlaturum, ſignificauit. Tum vero Chazael, *quis eſt*, inquit, *ſeruus tuus, canis, vt rem hanc magnam perficiat?* Modeſtiam equidem prae ſe fert, homo callidus, dum ſe canem vocat. Interim hoc ſibi non diſplicere, ſatis oſtendit, dum *rem magnam* vocat. Haud dubie ſtatim intellexit, quid propheta ſibi vellet; ſed vt apertius hoc cognoſceret, ſe hoc non intelligere, ſimulauit. Propheta itaque fine ambagibus eum Syrorum regem fore, dixit. Quod & euentu mox eſt comprobatum. Ad Benhadadum enim cum reuerſus eſſet, nomine prophetae ei ſignificauit, fore, vt conualeſceret. Sed poſtero die ſtragulam veſtem ſumſit eamque in aquam immerſam expandit in vultum Benhadadi, eumque ita ſuffocauit. In aquam nimirum ſtragulam immerſit, vt ſuffocatio eo facili-

us

us procederet. Qui Benhadadum ipſum iuſſiſſe putant, vt ſtragula madefacta ſuper ſe expanderetur, vt in morbo ardenti inde leuamen aliquod ſentiret, & ita vitae finem ipſum ſibi acceleraſſe, nec verba textus, nec totius rei *περιστάσεις* recte conſiderant.

§. XV.

Ioſaphato, Iudaeorum rege, anno imperii vigeſimo quinto mortuo, Ioramus, filius eius natu maximus, rerum ſummae in eodem regno admotus eſt. Is, qualis eſſet, mox demonſtrauit, dum ſex fratres ſuos, ne ſupereſſet, qui ad regnum adſpirare poſſet, e medio ſuſtulit, Athaliam inſuper Achabi & Iezabelae filiam in matrimonium duxit, omni impietatis & ſuperſtitionis genere ab ea imbuendus, quam vt & per populum Iudaicum propagaret, nihil fecit reliqui. Poenas tamen ſcelerum mox promeritas dedit. Non tantum enim Idumaei iugum excuſſerunt, ſed Libna quoque, munitiſſima ciuitas, illorum exemplum imitata, alias quoque vrbes, vt idem facerent, induxit. Immo Arabes in Iudaeam impetum facientes, regionemque campeſtrem longe lateque depraedati, regiae quoque familiae opes, vxoresque, & liberos in ſuam redegerunt poteſtatem, eosque, abduxerunt, & trucidarunt, ſolo ſeruato Achazia, qui natu erat minimus. Quibus omnibus cum Ioramus ad mentem ſaniorem reuocari non poſſet, viſcerum dolore correptus, & per biennium miſere excruciatus, cum inteſtinis tandem animam efflauit, anno a patris obitu octauo, * ſucceſſorem relinquens Achaziam. **

* Ioſaphatum per annos viginti quinque imperium tenuiſſe, conſtat ex *I. reg. XXII. 42.* Ab eo Ioramum filium primogenitum in regni conſortium adoptatum, ſupra iam ad §. *XI.* obſeruauimus. Atque ita intelligendum, quod *II. reg. VIII. 16.* dicitur: *anno quinto Iorami, Achabi filii, regis Iſraelis*, ויהושפט מלך יהודה *& Ioſaphat rex Iudae*, ſupplendum ſcilicet: עד חי *adhuc in viuis erat*, aut ſimile quid. Qui enim cum auctore chronici *ſeder olam* ſubaudiunt: מת *mortuus eſt*, chronologiae ordinem prorſus turbant. In eo equidem pugna adhuc eſſe videtur, quod hic Ioramus filius Ioſaphati dicatur, *anno Iorami, Achabi filii, quinto*, regnare coepiſſe; cum tamen ſupra *cap. I. 17.* adſeratur, id contigiſſe, anno eiusdem regis ſecundo. Sed conciliari haec facile inter ſe poſſunt, ſi dicamus, Ioſaphatum anno Iorami regis Iſraelitici ſecundo filium ſuum Ioramum in re-

regni conſortium adſumſiſſe; deinde anno eiusdem regis quinto, denuo eum confirmaſſe, datis eius fratribus muneribus, vt a regno ſe abſtinerent; *II. chron. XXI. 3.* Mortuo tandem patre Ioſaphato, ſolus Ioramus rerum potitus eſt. Cum vero homo ſuſpicax & crudelis a fratribus, vt videtur, ſibi timeret, regnique poſſeſſionem iis ſuperſtitibus, non ſatis firmam crederet, aut etiam bonis eorum inhiaret, omnes, cum principibus quibusdam Iſraelis, gladio e medio ſuſtulit. Tyrannorum hoc eſſe ingenium, vt e medio tollant, quos ad regnum adſpirare poſſe putant, conſtat, & pluribus a me euictum in *ſpecimine prudentiae ciuilis rabbinicae &c. cap. III.* §. *IX. ſeqq.* Nomina fratrum eius erant: Hazaria, Iechiel, Zecharia, Michael & Sephatia, quos pater donis multis argenti, auri, rerumque pretioſarum donauerat, cum ערי מצורות *vrbibus munitionum*, ſeu vrbibus munitis. Ab vxore, quae Achabi fuit filia, inductus, in omne ſe dedit impietatis genus, ſocerique & familiae eius ſuperſtitionem imitatus eſt. Vnde, quantum damnum adferant coniugia, cum feminis peregrina ſacra ſequentibus inita, condiſcere licet. Ea re maximopere irritauit Deum, ſed noluit tamen is *perdere Iudam propter Dauidem ſeruum ſuum, prout ei praedixerat, fore, vt filiis eius in perpetuum lucernam daret*, hoc eſt, ſe non permiſſurum, vt genus Dauidis prorſus exſtingueretur. Hoc autem non obſtabat, quo minus ipſe Ioramus ſuae impietatis poenas daret.

Hinc & contigit, vt Idumaei iugum regum Iudae excuterent, ſibique regem conſtituerent. Idumaei equidem regis antea facta eſt mentio, cum is vna cum Ioſaphato atque Ioramo Iſraelis rege, arma contra Moabitas iungeret, *II. reg. III. 9.* Sed obſeruatum, hoc nomine praefectum Idumaeae venire, aut ſi regis quoque titulo vſus eſt, imperio tamen regis Iudae fuiſſe obnoxium, eique tributum ſoluiſſe, vel, vt R. SAL. IARCHI loquitur: לא מלך גמור היה אלא נציב *non rex perfectus fuit, ſed praefectus.* Idumaeis ergo frena mordentibus, Ioramus Iudae rex Zairem ſe contulit, quae vrbs Idumaeae fuiſſe videtur. Falluntur enim, qui ipſam terram Edom intelligunt, ac ſi צעיר idem ſit cum שעיר. Quod ſequitur, non adeo expeditum eſt, cum non ſatis conſtet, quis percuſſerit, quisue percuſſus fuerit? Nonnulli namque hoc ita capiunt, quod Ioramus Idumaeos rebelles percuſſerit, qui aduerſus eum egreſſi fuerint, eiusque caſtra circumdederint. Ita chaldaeus, vulgatus, aliique. Sed cum obſtare videatur, quod ſtatim additur, perſtitiſſe Idumaeos in rebellione, nec potuiſſe Ioramum eos ad obſequium reducere, alii Idumaeos fuiſſe diuiſos, autumant, eosque, qui rebelles fuerant, noctu eos, qui cum Ioramo faciebant, fuiſſe adgreſſos, & vna cum principibus curruum Iorami ita percuſſiſſe, vt populus Iudae fugam arripuerit, ſeque in tento-

 ria

Digitized by Google

ria ſua receperit. B. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, ad *h. l.* exiſtimat, res initio Ioramo ceſſiſſe infeliciter, Idumaeis magnis cum copiis contra eum inſurgentibus, vt populus Iudae fugam arripuerit, ipſe autem Ioramus cum principibus curruum ab Idumaeis ſit circumdatus, eruptione tamen in hoſtes ſecuros facta, Ioramum eos ita percuſſiſſe, vt cum curribus, quos adhuc ſecum habebat, euaſerit; hinc, licet clade aliqua Idumaeos adfecerit, non tamen potuiſſe victoriam perſequi, eo, quod populus iam dilapſus eſſet, multo minus Idumaeos ad obſequium reducere. Sed quid opus eſt tot ambagibus? Simpliciſſimum eſt, ſi dicamus, Ioramum in proelio cum Idumaeis fuiſſe ſuperiorem; ſed cum hac ratione vires eorum nondum penitus fractae fuerint, ad obſequium eos reducere non potuit. Verborum itaque, quae ſequuntur: *defecerunt Idumaei a ditione Iudae vsque ad hodiernum diem*, ſenſus hic eſt: in defectione ſua perſtiterunt, nec redierunt ad officium. Additur: *eodem etiam tempore defecit Libna.* Fuit eius nominis vrbs in tribu Iudae, *Ioſ. XV. 42.* Ea vero non videtur intelligi, idque eo minus, quia vrbs ſacerdotalis fuit, *Ioſ. XXI. 13.* Quis vero credat ſacerdotes ad Idumaeos defeciſſe? Probabilius itaque, vrbem quandam Idumaeae intelligi, eaque forte in finibus Iudaeae ſita fuit; hinc initio in fide permanſit; cum vero videret, Idumaeis reliquis defectionem ex voto cedere, nec eos ad officium reduci poſſe, eorum & ipſa exemplum ſecuta eſt.

Infelici iſto belli ſucceſſu caſtigatus licet Ioramus ad ſaniorem tamen mentem non rediit; ſed cum ipſe a veri Numinis cultu deſciuiſſet, exemplo ſuo effecit, vt idem populus faceret, *II. chron. XXI. 11.* Quamobrem litterae ad illum venerunt, ab Elia propheta, in quibus grauiſſima poena tum ob idololatriam, quam admiſerat, & ad quam exemplo ſuo populum ſeduxerat, tum ob fratrum eius caedem ab illo patratam, toti populo, liberis, vxoribusque eius denuntiabatur, ſimulque indicabatur, eum morbo moleſtiſſimo, quo inteſtina tandem egeſturus eſſet, per biennium excruciatum, miſere periturum. Eliam prophetam eo tempore non amplius in viuis fuiſſe, conſtat; vnde, quo pacto litteras ad Ioramum ſcribere potuerit, quaeritur. Sed hac de re deinceps ad §. *XXXIII.* ex inſtituto dicetur. Praedictioni reſpondit euentus. Philiſtaei enim & Arabes אשר על יד כושים *qui ſunt ad latus Chuſaeorum*, hoc eſt, qui prope Midianitas habitant, irruptione in terram Iudaeae facta, omnes regiae familiae opes, quae inuentae ſunt, immo etiam liberos regis & vxores, auexerunt, vt filiorum nullus praeter Iehoachazum, qui & Achazias dicitur, natu minimum, ſupereſſet. Videtur tota domus regia, excepto filio natu minimo, in caſtris fuiſſe, quae a barbaris direpta ſunt; idque ex *II. chron. XXII. 1.* colligitur. Ipſam enim vrbem Hieroſolymam ab iis occu-

cupatam, non dicitur, nec vero eſt ſimile. Mox morbus grauiſſimus inteſtina eius inuaſit: quocum per biennium conflictatus eſt; cumque tandem viſcera exiiſſent, impius homo animam efflauit, honore inſuper, qui alias regibus mortuis exhiberi ſolebat, priuandus, & in vrbe quidem Dauidis, non autem ſepulcris regum, ſepeliendus. Triginta duos annos natus erat, cum regnare inciperet, perque octo annos imperium tenuit; mortuusque adeo eſt, annos natus quadraginta.

** Iuuabit hic expedire dubium, quod circa aetatem Achaziae occurrit, quodue viris doctis multum negotii faceſſit. Eum namque quadraginta duos annos natum fuiſſe, cum regnare inciperet, diſerte dicitur, *II. chron. XXII. 2.* Sed tot annorum eum non fuiſſe, ita euincitur: Ioramus pater eius annos XXXII natus erat, cum regnare inciperet, imperiumque tantum per annos octo tenuit. Ergo, cum moreretur, annos natus erat XL. Si igitur Achazias filius eo tempore XLII annos natus ſtatuatur, ſequetur, filium patre fuiſſe ſeniorem, quod ἄτοπον. Accedit, difficultatemque auget, quod *II. reg. VIII. 26.* idem Achazias tantum XXII annorum fuiſſe dicatur, cum regni habenas ſuſciperet; quod vero etiam longe videtur ſimilius. Quae cum nonnulli ſecum expenderent, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, non aliter nodum iſtum ſolui poſſe, quam ſi ſtatuatur, textum corruptum eſſe. Si enim ponatur, numeros non integris vocibus, ſed litteris fuiſſe expreſſos, facile contingere potuiſſe, vt pro כב poneretur מב. Ita praeter alios LVDOVICVS CAPPELLVS, *crit. ſacr. lib. I. cap. X.* itemque *lib. VI. cap. VII.* DIONYSIVS PETAVIVS, in *rationario temporum, part. II. libr. II. cap. XI.* HVGO GROTIVS, itemque IOANNES CLERICVS, ad *II. Paral. XXII. 2.* CAMPEGIVS VITRINGA, in *hypotypoſi hiſtoriae & chronologiae ſacrae, period. V. §. XXXVII. pag. 67.* Nec alienus ab hac ſententia eſt IAC. VSSERIVS, etſi deinde rationem haec inter ſe conciliandi proponat; in *chronol. ſacra part. poſt. pag. 78.* Immo & ex noſtratibus ipſe B. SAL. GLASSIVS, ſtrenuus ille puritatis fontium adſertor, nodum hunc, niſi corruptio textus admittatur, pro inſolubili habet. Digna ſunt verba eius, quae hic legantur: *Nos non immerito, inexplicabilem hanc eſſe quaeſtionem, cum Hieronymo arbitramur: ſique locus iſte mendo forſan obnoxius eſſet, & nulla conciliationis debitae dari poſſet ratio commoda, ad illud confugimus vltimo, quod ſupra ad locum Num. III. 39. fuit monitum, ac repetiemus adductam ibi ſimilitudinem, leuiter inflexam: vt in viuam aquarum ſcaturiginem incidens lapillus, ipſam propterea coinquinatam non reddit: ita multo minus dictionis vnius in textu ebraeo immutatio (cuius exacta ſatis ratio dari nequit) fontem diuinum coinquinatum & impurum conſtituet; philolog. ſacr. lib. I. tract. I. loc. XXXVIII.* Facit et-

etiam pro hac ſententia, quae numeros *II. par. XXIII. 2.* corruptos ſtatuit, quod in quibusdam codicibus verſionis LXX interpretum, itemque in bibliis ſyriacis, *quibus*, inquit VSSERIVS, *loc. cit. a primaeuis temporibus eccleſia Antiochena eſt vſa, non ex LXX interpretum lacunis, ſed ex ipſo ebraeo fonte traductis*, idem ibi annorum numerus exprimatur, qui *II. reg. VIII. verſ. 26.* exſtat. Quemadmodum autem periculo non caret, ſi vel minima etiam vnico in loco corruptio admittatur, ita non defuerunt, qui in ſoluendo, aut tollendo hocce dubio, ingenii vires periclitarentur. Celebris cumprimis eſt ſententia auctoris chronici *ſeder olam* dicti, quem & alii quidam ex ebraeae gentis doctoribus ſequuntur, quadraginta duos illos annos *II. chron. XXII. verſ. 2.* numerandos eſſe, non a natiuitate Achaziae, ſed a tempore facti a Deo decreti, de exſcindenda domo Dauidis vna cum domo Achabi, ob adfinitatem nimirum cum Achabo contractam, *II. chron. XVIII. verſ. 1.* hoc. eſt, vt ipſi explicant, quia Ioſaphat ſororem Achabi, filiam Amri, duxerat. Id vero decretum auctor antea laudatus factum, ait, duobus annis ante natiuitatem patris Iorami, hoc eſt, trigeſimo primo anno Aſae, quo Amri plene regnare incepit, *I. reg. XVI. 23.* & quo anno forſan Aſa rex filio ſuo Ioſaphato filiam Amri in matrimonium dederit. Huic conciliationi SAL. GLASSIVS noſter, *loc. cit.* ſequentes rationes opponit: incertum eſſe, decreti quod ſupponitur, tempus & ex ſcriptura firmiter probari non poſſe; ipſum R. SALOMONEM IARCHIVM fateri, in ſcripturis non legi, Ioſaphatum vxorem habuiſſe filiam Amri, adfinitatem autem Ioſaphati cum Achabo memorari aliam *II. reg. VIII. 18.* quod nimirum filiam Achabi dederit filio ſuo Ioramo in vxorem; ipſum praeterea R. DAVID KIMCHIVM adſerere, hoc eſſe רחוק מדרך הפשט *remotum a via ſimplicitatis*, hoc eſt, longe petitum atque coactum; accedere denique, quod Achazias dicatur בן *filius quadraginta duorum annorum*, quae phraſis aetatem illius perſonae exprimat, vt ex aliorum exemplorum collatione pateat. Non deeſſe equidem, nonnulli putant, quae ad haſce rationes iterum excipi queant, quemadmodum & ad quasdam IO. MEYERVS, vir doctiſſimus, nonnulla in medium adfert, in *notis* ad *ſeder olam pag. 919.* Nimirum, quod ad *primam* attinet, etſi decreti iſtius diſerte mentio non iniiciatur, hoc tamen ex euentu intelligi, dici poſſet, quia vno eodemque tempore Achazias & Ioramus rex Iſraelis, vltimus ex ſtirpe Achabi, periere. Idque ideo factum, quod familia Dauidis, ipſe praeſertim Achazia, peccatis domus Achabi inſtitiſſet, aperte ſatis indicatur, *II. chron. XXIII. 3. 4. ſeqq.* Cumque praecedenti *verſ. 2.* Achazias filius XLII annorum fuiſſe dicatur, non aliam id fieri videtur ob rationem, quam vt terminus iſtius decreti indicetur. Ad *ſecundam* rationem

Digitized by Google

nem nonnulli regerunt, adfinitatem Ioſaphati cum Achabo, eamque diuerſam ab ea, quae per nuptias Iorami cum Athalia, Achabi filia, orta eſt, omnino commemorari, *II. chron. XVIII. v. 1.* vbi diſerte dicitur, & *adfinitatem quidem* (Ioſaphatus) *cum Achabo contraxit.* Quod vix aliter videtur intelligi poſſe, quam quod ſororem Achabi, filiam Amri, in matrimonium duxerit. Neue obiicias, ſermonem ibi de eo eſſe, quod regnante iam Ioſaphato factum ſit, adeoque adfinitatem non anno XXXI Aſae, ſed diu poſt huius obitum contractam intelligi, vnde vsque ad initium regiminis Achaziae non potuerint elabi anni XLII, verba haec in plusquamperfecto accipi poſſent, hunc in modum: *& adfinitatem cum Achabo contraxerat.* Obſtare equidem vlterius videtur, quod Ioramus hac ratione auunculi ſui filiam in matrimonium duxiſſet, quod tamen contra leges matrimoniales erat. Sed leges matrimoniales eo tempore tam adcurate obſeruatas non fuiſſe, vel enormis illa ipſius Salomonis polygamia ſatis ſuperque docet. Quod ad *tertiam* rationem attinet, etſi iudice KIMCHIO haec ſolutio longius petita videatur, minoribus tamen premitur difficultatibus, quam illa, quam ipſe profert, vt mox oſtendemus. Denique de phraſi, *filius quadraginta duorum annorum*, nonnulli obſeruant, etſi plerumque de aetate accipiatur, non tamen deeſſe exempla, quae oſtendant, ea etiam aliam quandoque epocham deſignari. *De idiotiſmo illo*, inquit IAC. VSSERIVS, *cogitandum erit, in Saule* בן שנה *I. Sam. XIII. 1. a doctis ita expoſito, vt ea loquendi formula non anni ſemper intelligantur a natiuitate deducti, ſed etiam ab epocha aliqua alia quocunque modo ſpectante ad eum, qui tot annorum filius fuiſſe dicitur; loc. cit. pag. 78.*

Haec licet vtcunque ad rationes eorum, qui ſententiam auctoris libri *ſeder olam* reiiciunt, reſponderi queant, non tamen, fateor, ita comparata ſunt, vt omne prorſus dubium eximant. Interim non multum ab hac ſententia diſcedit IACOBVS VSSERIVS, *loc. cit.* Athaliae, filiae Amri, annos hic deſignari, contendens; obſeruatque, auctori libri poſterioris chronicorum rationem ſat praegnantem fuiſſe, cur epocham poneret, ad ortum Athaliae ſpectantem. *Neque enim*, inquit, *vel Achaziam ipſum, vel vniuerſi regni Iudaici ſtatum quidquam propius attingebat, quam ortus Athaliae, feminae non ad mariti ſolum, & filii, ſed etiam ad totius reipublicae, & regii inprimis ſeminis perniciem natae; quae quippe & illos conſiliis ſuis perdiderit, & poſt exceſſum tota fere exſtincta domo regia, dominatum in terra Iudae ipſa ſibi arripuerit.* Pari fere ratione, praeeunte, vt videtur, R. LEVI BEN GERSON, nodum huncce ſoluere conantur FRANCISCVS IVNIVS, atque IMMAN. TREMELLIVS, per annos ſcilicet iſtos XLII totum illud tempus indicari, exiſtimantes, ex quo domus Omri

 ſeu

ſeu Amri regnare incepit, vsque ad initium regni Achaziae. Locum itaque huncce, de quo ſermo eſt, transpoſitione quadam admiſſa, ita interpretandum cenſent: *Cuius matri nomen Athalia, nata Omri, agentis quadrageſimum ſecundum annum, cum Achazia regnaret, qui anno vno regnauit Ieruſchalaimis.* R. DAVIDEM KIMCHIVM, a ſententia auctoris libri *ſeder olam*, diſcedere, iam antea diximus. Nouam vero etiam is in medium attulit dubii huius ſolutionem, contendens, Ioramum Achaziae patrem, non per octo, ſed per octo & viginti annos rerum ſummae praefuiſſe. Octo autem tantum regni eius annos in ſcriptura commemorari, quod totidem regnauerit בחזקתו *in fortitudine ſua*, hoc eſt, feliciter & cum gloria. Poſtquam enim ab Arabibus inſigni clade adfectus eſt, adſumto in regni conſortium filio Achazia, viginti adhuc annos vixiſſe, qui tamen, cum eos obſcure transegerit, non commemorentur; adeoque, cum moreretur, annos natum fuiſſe ſexaginta. Achaziam, cum a patre in regni conſortium admiſſus eſt, ſeu viuente adhuc patre regnare inciperet, fuiſſe annos natum XXII, eundem vero XLII annos impleuiſſe, cum mortuo patre ſolus regni habenas capeſſeret. Verum & huic conciliationi varias easque grauiſſimas obſtare rationes luculenter oſtendit SAL. GLASSIVS, *loc. cit. pag. 81.* Praecipua haec eſt, quod per eam temporum rationes mirum in modum turbentur. Enimuero, vt reliqua taceam, anno Iorami regis Iſraelitici duodecimo, Achaziam rerum habenas ſuſcepiſſe, *II. regum VIII. 25.* diſerte traditur. Conſtat praeterea ex eiusdem capitis *verſ. 16. & 17.* anno quinto Iorami regis Iſraelitici, Ioramum Achaziae patrem, cum annorum eſſet XXXII, regnum ſuſcepiſſe, idque tenuiſſe per annos octo; quod plane cum eo conuenit, quod *verſ. 25.* dicitur, Achaziam anno Iorami regis Iſraelitici duodecimo patri ſucceſſiſſe. Iam ſi hoc de Achaziae in regni conſortium adſumtione intelligas, & Ioramum adhuc annos XX vixiſſe, ſupponas, ſequetur, Achaziam anno Iehus regis Iſraelitici vigeſimo primo exſtinctum eſſe; quod longe profecto eſt abſurdiſſimum; cum ex *II. reg. IX.* ſatis conſtet, exſtinctum vna cum Ioramo Iſraelis rege eum eſſe, priusquam Iehu imperium in Iſraelitas obtineret. Mitto reliqua, quae eidem ſententiae opponi poſſunt; nec aliorum conciliationibus commemorandis vlterius immorabor. Facile enim prudens rerum exiſtimator ex hactenus dictis intelliget, non poſſe temere vllam produci, quae non inſigni aliqua prematur difficultate.

Vnica adhuc ſupereſt cuncta inter ſe conciliandi ratio, quae reliquis forte dubiam palmam reddet, ſi numerus annorum XLII non ad Achaziam, ſed ad patrem eius Ioramum referatur, ſimulque ſupponatur, non per annos viginti, ſed ſaltem per biennium, quo Ioramus cum morbo grauiſſimo conflictatus eſt, Achaziam vna cum patre impe-

Digitized by Google

imperium adminiſtraſſe. Senſus nimirum verborum, quae *II. chron. XXII. verſ. 1. 2.* exſtant, hic erit: *poſtquam regnare feciſſent* (Ioramo poſt octo annorum haud infelix imperium, biennio ante mortem, morbo foediſſimo adfecto) *incolae Ieruſalem Achaziam filium eius natu minorem loco eius* (hoc eſt, vt vicibus eius fungeretur) *omnes enim priores* (ſeu fratres eius natu maiores) *interfecerat turma irruens cum Arabibus in caſtra; deinceps regnauit* (ſolus poſt patris obitum) *Achazia filius Iorami regis Iudae, NATI quadraginta duos annos cum* (ſolus) *regnare inciperet Achazia, qui annum vnum* (ſolus) *regnauit in Ieruſalem, &c.* Hanc explicationem mihi ſuppeditauit vir doctiſſimus celeberrimusque, IO. ANDREAS DANZIVS, collega meus honoratiſſimus; quae vti plana eſt, minimeque coacta, ita per eam omnes difficultates ceſſant. Temporum quoque ratio ita ſibi conſtat. Etſi enim *II. reg. VIII. 16.* dicatur, Ioramum, Ioſaphati filium, anno quinto Iorami regis Israelitici regni habenas ſuſcepiſſe, & *verſ. 25.* Achaziam anno eiusdem Iorami, Achabi filii, duodecimo regnum Iudae adiiſſe, vnde ſequitur, non annos decem, ſecundum ſententiam ante propoſitam, ſed tantum octo ab initio regiminis Iorami Iudaei vsque ad regimen Achaziae, ſeu anno quinto Iorami Israelitici vsque ad eiusdem regis duodecimum, effluxiſſe; reſponderi tamen poteſt, nec Ioramum Iudaeae regem per annos octo integros, priusquam in morbum incideret, regno praefuiſſe; nec Achaziam per integrum biennium patris vicibus functum; cum frequens admodum ſit, vt anni inchoati aut currentes pro completis ponantur. Idque ſi etiam de annis aetatis Iorami Iudaeae regis, priusquam ad regnum perueniret, obſeruetur, facile intelligitur, eum tantum annos quadraginta completos in vita exegiſſe, etſi quadraginta duorum fuiſſe dicatur. Cui hoc non placet, is meliorem hasce difficultates ſoluendi modum excogitet.

§. XVI.

Ioramus tum adhuc regno Israelitico praeerat, qui cum Chazaele, Syrorum rege, Benhadadi, ſecundum Eliſaei vatis praedictionem, ſucceſſore haud feliciter bellum geſſit. Vulnere accepto Iizreelem reuerſus eſt, vbi Achazias amicitiae teſtandae cauſſa eum inuiſit. Nec enim moribus diſſimiles erant, a cultu veri Dei alieni, & idola conſectantes. Mox etiam vterque ſuae impietatis dedit poenas grauiſſimas. Iehus enim ab Eliſaeo vate vnctus, & diuinitus ad vltionem ſcelerum Achabi excitatus, Israelis regnum inuaſit, occiſoque Ioramo, ac corpore eius in agrum Nabothi proiecto, Achazia etiam Iudae rege ita vulnerato, vt mox Megiddone moreretur, Izabelam Iorami

Digitized by Google

mi matrem, in Iſraeliticae gentis perniciem natam, comtam e feneſtra deturbari imperat, corpore maximam partem a canibus abſumendo, omnesque Achabi filios, & quidquid de eius ſtirpe ſupererat, e medio tollit; cognatis quoque Achaziae regis Iudae, in quos caſu incidit, interfectis; non minus & Baalis ſacerdotes omnes contrucidauit, cultumque Baalis exſtirpauit penitus. At, vt a vitulorum cultu, a Ieroboamo introducto, abſtineret, animum inducere non potuit. Hinc parum gratus Deo fuit, a quo & Chazael concitatus, per vniuerſam Iſraelitarum regionem caedem atque rapinam longe lateque circumtulit. Poſt viginti & octo annorum imperium tandem obiit, filium Iehoachazum ſucceſſorem relinquens.*

* Achazias, Iudae rex, filius & ſucceſſor Iorami, mores & impietatem familiae Achabi imitabatur, quia cuncta ex matris gerebat conſilio. Ea Athalia erat, Achabi, vt ex antea dictis conſtat, filia. Vocatur equidem *II. chron. XXII. 2.* filia Amri; ſed per filiam ibi neptem intelligi, res ipſa docet. Circumſeptus inſuper erat eiusmodi conſiliariis, qui & ipſi familiae Achabi vitia probabant, & ſequebantur; vnde fieri aliter non poterat, quam vt in extremam perniciem praeceps rueret. Cumque iſti homines peſſima quaeque regi ſuaderent, ex horum etiam conſilio cum Ioramo Iſraelis rege belli ſocietatem contra Chazaelem, Syrorum regem, iniit. FLAVIVS IOSEPHVS belli cauſſam hanc facit, quod Ioramus rex Iſraelis, mortuo Benhadado, ſpem recuperandae vrbis Ramoth in Gileaditide, animo conceperit. Expeditione ſuſcepta Ioramus, Iſraelis rex, ſiue in conflictu quodam, ſiue, vt FLAVIO IOSEPHO videtur, in vrbis oppugnatione grauiter vulneratus eſt. In ebraeo eſt ויכו הרמים את יורם vbi LXX interpretes vocem רמים vertunt per *τοξότας*, quaſi legiſſent הרומים *iaculatores.* Sed Syros rectius cum chaldaeo alii intelligunt qui hic רמים *Ramaei* pro ארמים *Aramaeis* vocantur. Ioramus itaque, vt vulnera curaret, Iezreelem reuerſus eſt, vbi eum Achazias Iudae rex inuiſit; qui in proelio, in quo Ioramus vulneratus eſt, non videtur praeſens fuiſſe. Vocatur *II. chron. XXII. 6.* Azarias, haud dubie, quod binominis fuit. Non ſine ſingulari Numinis directione id factum, vt Achazias ad Ioramum veniret, euentus docuit. Idque & ſcriptor ſacer confirmat, cum dicit: *a Deo erat* תבוסת *conculcatio Achaziae*, hoc eſt, vt illorum, qui meliora ſuadebant, conſilia ſperneret, & velut conculcaret.

Interea Eliſaeus vates iuſſu Numinis quendam ex filiis prophetarum ad Iehuum, qui rege abſente exercitui ſummo cum imperio praefuiſſe videtur, miſit, qui eum in regem Iſraelis vngeret. Seorſim vero, nemine vidente, hanc vnctionem peragi voluit: hinc

hinc dicit: *ſeorſim a fratribus* (hoc eſt, reliquis ducibus) *ſeducito*, *& intromittito* חדר בחדר *ex vno conclaui in aliud*, hoc eſt, ſi ſenſum ſpectes, quem recte vulgatus expreſſit, *in interius cubiculum.* In cubiculum enim ſeu conclaue interius non niſi per alia conclauia aditus patere ſolet. Feſtinanter etiam cuncta ab eo peragi voluit, ideoque ei iniunxit, vt peracta vnctione ſtatim fugam capeſſeret, forte ad periculum, quod illi ab eis, qui familiae Achabi addicti erant, imminere poterat, euitandum. Et iuuenis quidem ille propheta, cuncta, prout iuſſus fuerat, peregit, Iehuumque ex medio ducum, quos inter ſedebat, euocatum, ſeorſimque ſeductum, vnxit, ſimulque, quae familiae Achabi per eum imminerent fata, indicauit. Atque haec cum dixiſſet, aperto oſtio auffugit. Iehu ad reliquos duces reuerſo, vnus eorum dixit: השלום *num pax?* hoc eſt, an omnia recte ſe habent? Metuebant enim, ne propheta ille mali cuiusdam nuntius veniſſet. Addit: *cur venit* המשגע *inſanus iſte ad te?* LXX interpreres ἐπίληπτον *arreptitium* adpellitant. Mirum autem non eſt, prophetas olim hominibus profanis & impiis inſanos viſos, cum hodie idem multis viris piis & honeſtis contingat, qui notiſſimo *fanaticorum* nomine inſigniuntur, quo homines inſanos & furioſos deſignari, iam alibi nobis obſeruatum eſt. Reſpondebat Iehuus: ידעתם את האיש ואת שיחו *noſtis virum & ſermonem eius*; hoc eſt, recte coniectaſtis, eum inſanum eſſe, adeoque nihil ſani proferre poſſe. Ita FLAVIVS IOSEPHVS hoc accipit: ἀλλ' ὀρθῶςγε εἰκάσατε, εἶπε· καὶ γὰρ τὰς λόγυς μεμηνότος ἐποιήσατο. *recte, inquit, coniecturam facitis: nam inſani verba locutus eſt*; *antiquitat. iudaic. lib. IX. cap. IV.* SEBASTIANVS SCHMIDIVS hoc ita capit, Iehuum prae ſe tuliſſe, & hisce verbis ſignificare voluiſſe, prophetam illum a reliquis ducibus ſibi ſubornatum videri, adeoque iocum ex re ſeria facere voluiſſe; ad *II. reg. IX. 11.* quod tamen paullo longius mihi petitum videtur. Duces autem iſti animaduertentes, ſermonem prophetae a Iehu occultari, eo magis ad eum reſciscendum accenſi ſunt. Hinc, *falſum eſt*, inquiunt, *rem quaeſo nobis indica.* Falſum nimirum eſſe dicebant, quod ſermones inſanos cum illo habuiſſet. Etſi enim eum per contemtum *inſanum* vocauerant, non tamen ignorabant, prophetas interdum res magni momenti reuelare, adeoque eorum ſermones minime inſanos eſſe. Iehu ergo, rem non amplius diſſimulandum, ratus, cuncta illis enarrauit. Tum feſtinanter quisque ſumſit veſtem ſuam, ſuppoſuitque ei אל גרם המעלות *in faſtigio graduum.* Chaldaeus habet: על דרג שעיא *ad gradus horarum*; quod R. SAL. IARCHI, aliique, de *horologio* intelligunt, ac ſi Iehu in lapide edito, horas indicante, collocatus fuerit. Forte chaldaeus ad מעלות *gradus* Achazi reſpexit, qui etiam de horologio exponi ſolent. LXX interpretes, cum neſcirent, quid

vox גרם hic ſignificaret, eam omnino retinuerunt: ἐπὶ τὸ γάρεμ τῶν ἀναβαθμῶν· R. DAVID KIMCHI vocem גרם pro pronomine *ipſe* accipit, quemadmodum apud Chaldaeos haec vox ita capitur, & vox עצם apud Ebraeos. Sed praeter alia obſtat, quod apud Ebraeos hanc vocis iſtius eſſe ſignificationem, probari nequeat. Plerique hanc vocem hic per *faſtigium* vertunt, quod rei ipſi ſatis eſt conueniens, cum admodum ſit probabile, Iehuum in loco quodam ſublimiori collocatum, vt ab omnibus conſpici poſſet. Sed dubium ſupereſt, quod vox גרם alias *os* ſignificet, non autem *faſtigium*. At non inconcinne hoc mihi explicaſſe videtur IACOB. GVSSETIVS, in *comment. lingu. ebr. p.* 173. Cum enim obſeruaſſet, faſtigii notionem hic rei ipſi prorſus eſſe conuenientem, addit: *Velim aliquid, quod ad proprietatem huius radicis* גרם *alluderet. Forte in vrbe illa Ramoth Galaad fuerit regiae aut aedificii cuiuscunque publici ſcala notabilis, circa turriculam quandam ſolidam cochleae inſtar ſtructam, adeo, vt turricula ita in ea ſcala ſe habuerit, vt in animalis corpore ſe habet, ſpina, os praecipuum, totam compagem ſibi annexam ſuſtinens, in eaque turricula duces regem Iehu poſuerint. Sic vero eodem res redibit, quia occupauerit partem illius turriculae, adeoque & ſcalae ſummam, at non quaſi* גרם *faſtigium ſignificet, quae homonymia ratione carens non placet, ſed tantum per ſimilitudinem metaphoricam oſſis ad rem illam, & per rei illius ſitum ſtructuramque.* Hancce ſcalam, ſeu eius gradus veſtibus ſuis duces, qui aderant, exornarunt; quod in ſolemnioribus regum actionibus fieri ſolebat, tumque, quod itidem moris erat, tuba cecinerunt, atque clamarunt; *Iehu regnat*, ſeu rex eſt.

Haec dum fiebant, Ioramus rex Iſraelis Iezreele commorabatur, vt vulnera a Syris accepta curaret. Dicitur: *Ioramus autem antea Ramothis Gileaditidis* היה שמר *fuerat cuſtodiens*, ſeu obſeruans *Chazaelem &c.* Vbi quidem vulgatus: *obſederat Ramoth*; ſed repugnat genuina verbi שמר ſignificatio. Nec tamen ita hoc capiendum, quod vrbem tenuerit & cuſtodiuerit, ne a Syris interciperetur. Eam enim, poſtquam a Syris occupata erat, in Iſraelitarum iterum veniſſe poteſtatem, nullibi legitur. Videtur itaque hoc ita intelligendum, quod prope vrbem Ramoth, ſiue quod eam obſideret, ſiue obſidere vellet, exercitum habuerit, qui exercitum Syrorum obſeruaret. Iehuus ad duces, qui eum pro rege agnouerant, *ſi eſt anima*, inquit, hoc eſt, ſi animus veſter ita eſt, vel ſi rem ſerio agitis, *ne egrediatur quiſquam, qui euadat ex hac vrbe, vt rem eat nuntiatum Iezreelem.* Non hoc de vrbe Ramoth, ſed alia quadam, quae prope Ramoth fuit, intelligendum. Namque vrbem Ramoth in poteſtate Iſraelitarum fuiſſe, dici nequit, vt antea obſeruauimus. Prudenter autem Iehu prohibuit, ne quis vrbe iſta egrederetur, remque Ioramo nun-

Digitized by Google

nuntiaret, quippe quem ex improuiſo opprimere ſecum conſtituerat. Hinc conſcenſo equo, cum expedita manu coniuratorum Iezreelem aduolat. Aduentantem conſpicit e turri ſpeculator, indicatque regi, agmen militum aduenire; miſſus ad cognoſcendum eques iubetur ſubſiſtere & agmen ſequi. Cum eques ille ad Iehuum diceret: השלום *an pax?* hoc eſt, an pacatus venis? reſpondebat Iehu: *quid tibi cum pace?* hoc eſt, nihil tua refert, pacatone an hoſtili animo veniam. Speculator cum videret, equitem non reuerti, id regi indicauit, dixitque, videri ſibi inceſſum, ſicut inceſſum Iehui, nam, inquit, בשגעון ינהג *in inſania ducit*, hoc eſt, celeriter incedit, vt aliquando homines inſani ſolent. Vulgo putant, in more id poſitum Iehuo fuiſſe, indeque ſpeculatorem eum agnouiſſe; alii autem hoc ita capiunt, ac ſi ſpeculator rationem reddere voluerit, cur adcurate, quis eſſet, cognoſcere non poſſet. Celeriter autem licet incederet, non aliter tamen hoc eſt intelligendum, quam vt copiae, quas ſecum ducebat, eum ſequi potuerint. Hinc & tempus Ioramo relinqui poterat, vt conſcenſo curru, vna cum Achazia rege Iudae obuiam iret Iehuo. Quem cum in praedio Nabothi Iezreelitae inueniſſent, cumque Ioramus, num pacatus veniret? interrogaſſet, reſpondit: *quid pax? cum tot ſint fornicationes & incantationes matris tuae Iezabelae?* Innuit, namque, iam tempus vltionis diuinae ob idololatriam aliaque peccata, quibus Iezabela totum populum Israeliticum impleuerat, aduenisse, adeoque non eſſe, vt pacem exſpectaret. Haec autem cum ſingulari Numinis directione, partim etiam mandato ita geſta ſint, colligi inde nequit, fas eſſe, alicui ob religionis diuerſitatem arma inferre. Ioramus his auditis, periculum, quod ſibi immineret, intellexit, adeoque fuga ſaluti ſuae conſulturus, ad Achaziam, *fraus hic eſt*, inquit, *o Achazia!* A Iehuo enim, quem vt amicum & bonae rei nuntium aduentare putabat, ſe deceptum, innuit. Iehu autem Ioramum fugientem ſagitta traiicit inter brachia, & cor ipſum configit; rege in currus ſinum corruente, & animam efflante. Tumque Iehu Bidkaro tribuno, vt cadauer in agrum Nabothi Iezreelitae abiiciat, praecipit, ſimulque id fieri ſignificauit, vt ea, quae Deus Achabo praedixerat, implerentur. *Memento*, inquit, *me & te equitantibus coniunctim poſt huius patrem Achabum, Iehouam contra eum hanc ſententiam protuliſſe: annon caedem Nabothi & filiorum eius vidi heri? inquit Iehoua; reddam tibi in hocce praedio, inquit Iehoua.* Pro eo, quod diximus: *equitantibus coniunctim*, in ebraeo eſt: רכבים צמדים quod alii de iis capiunt, qui vehuntur curribus a binis equis tractis, vt adeo diſcernantur ab equitibus, qui ſingulis equis inſident. Certe צמד בקר *iugum boum*, ſeu *binos boues* ſignificat. Ad ipſam praedictionem quod attinet, quam Iehu hic recitat, nullum plane eſt dubium,

 quia

quin Eliae iſta ſit, quae *I. reg. XXI. 19.* exſtat, cuius hic non verba, ſed ſenſum refert, & quidem paullo plenius. Vnde nulla hic pugna eſt, aut contradictio. Filiorum Achabi caedes hic commemoratur, cuius ſupra in hiſtoria Achabi nulla mentio. Sed nihil in ſcriptura frequentius, quam vt, quae vno in loco omiſſa ſunt, alibi enarrentur, & velut ſuppleantur. Legenda autem, quae ſupra hac de re diximus, ad *huius ſectionis* §. *X.* Proiectum ita in praedium Nabothi eſt cadauer Iorami. An ſepultum ſit, non dicitur. Probabile tamen nonnullis videtur, etſi non factum ſit regio more. Cum Achazias rex Iudae videret, quae fierent, fugam capeſſit, *per viam domus horti*, hoc eſt, domus, cui hortus adiacebat. LXX interpretes & hic verba ebraea retinuerunt: βαιθγάν. At Iehu eum ſecutus eſt, eumque in curro ſuo percuti iuſſit; quod & factum eſt in cliuo Guris, ad Ibleamum. Grauiter ita vulneratus, Megiddonem peruenit, ibique mortuus eſt. Ita res *II. reg. IX. 27.* narratur. At *II. chron. XXIV.* refertur, Achaziam Samariae latitantem, quaeſitum comprehenſumque, & ita ad Iehuum adductum atque occiſum eſſe. Sed haud difficilis eſt conciliatio, ſi dicatur, cum Ioramus prope Iezreelem interficeretur, Achaziam fuga elapſum Samariam euaſiſſe, ibique, ne in poteſtatem Iehui veniret, ſe abdidiſſe; cum autem animaduerteret ſe Samariae quaeri, adeoque ibi latitare amplius non poſſe, iterum fuga ſibi conſulturum, perueniſſe vsque ad cliuum Guris prope Ibleam, ibi deprehenſum adductumque ad Iehuum, qui tamen mandauit, vt in curru ipſius eum percuterent; quod cum factum eſſet, Megiddonem adportatus, ibi animam efflauit. Quod in libro chronicorum *loc. cit.* dicitur: *occideruntque* (eum) *& ſepelierunt*, ita intelligendum, quod permiſerint, vt ſepeliretur. Ex libro enim regum, *loc. cit.* conſtat, cadauer Achaziae a ſeruis eius Hieroſolymam abductum, ibique in ciuitate Dauidis ſepultum eſſe. Si ordinem temporis ſpectes, haec rum demum facta videntur, cum peractis Iezreele iis, de quibus iam dicetur, Iehu Samariam ſe conferret.

Iezabel autem, de omnibus certior reddita, intelligensque, Iehuum vrbem Iezreelem ingredi, ornato capite, oculisque ſtibio pictis, e feneſtra deſpexit. In ebraeo eſt: ותשם בפוך עיניה *& poſuit in fuco oculos ſuos*; LXX interpretes: ἐστιμμίσατο τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς· Nimirum ſupercilia oculorum pinxiſſe videtur; quanquam alii contendant, ſtibium ad oculorum nigrorem olim mulieribus expetitum. Quem vero in finem Iezabel ita ſe ornauit? Num, vt Iehuum ad amorem pelliceret? At hoc vel ob aetatem mulieris parum eſt probabile; ne dicam, ex adloquio, quo eum excepit, aliud quid patere. Veroſimilius, voluiſſe mulierem aſtutam maieſtate & forma reuerentiam quandam Iehuo iniicere, ne auderet manus ei inferre. Quae tamen ſpes eam miſere fefellit. Audacia autem mu-

mulieris inde quoque patet, quod Iehuum ita adlocuta eſt: *an incolumis fuit Zimri domini ſui interfector?* ſiue, vt in ebraeo eſt: *an pax Zimri?* Nimirum cum maieſtate & forma magnanimitatis quandam ſpeciem coniungebat, Numinisque vindictam in memoriam reuocabat Iehuo, vt hac ratione metum animo eius ineuteret. Sunt equidem, qui verba haec ita vertunt: *Num pax eſt, o Simri!* ſenſumque eſſe putant: *annon tandem deſiſtes ab incepto? annon pacem dabis feminae, eique parces? nonne ſatis peccatum eſt, dum factus es Simri aliquis, domini ſui interfector?* Sed cum hac ratione per Simri ipſe Iehu intelligendus ſit, id valde coactum eſſe, nemo non intelligit. Iehu iſta audiens, *quis*, inquit, *mecum? quis?* hoc eſt, quis mecum facit, ex iis ſcilicet, qui apud Iezabelam erant. Facile enim cogitare poterat, non deeſſe, inter Iorami & Iezabelae ſeruos, qui ad partes ſuas transire parati erant, vt hac ratione ſaluti conſulerent. Statim quoque eunuchi aliquot, qui apud Iezabelam erant, ex feneſtra deſpicientes, ſe ad omnia paratos, ſignificabant. His ergo mandauit, vt eam praecipitem deiicerent. Quod & factum. Licet autem hoc Iezabelae merito ceu poena iuſtiſſima contigerit, eunuchos tamen iſtos leuiſſimos mortalium fuiſſe oportet, qui ad nutum noui regis, violentas herae ſuae inferre manus, adeo parati erant. Dum praeceps e feneſtra deiiciebatur, ſanguine eius paries & equi, qui eam proculcarunt, adſperſi ſunt. Occupata vrbe, refectisque corporibus, & epulo finito, Iehuo de Iezabela in mentem venit, quam vt regis filiam ſepeliri mandauit. Sed, qui ad id miſſi erant, inueniebant totam a canibus deuoratam, caluaria, pedibus & palmis manuum tantum relictis. Quod cum Iehuo renuntiatum eſſet, etiam hac in re praedictioni Eliae adcurate euentum reſpondiſſe, intellexit. Vindictae autem diuinae in domum Achabi ob ſummam eius impietatem nondum finis fuit. Erant namque Achabo ſeptuaginta filii, qui Samariae commorabantur, quos cum perdere Iehu vellet, litteras ad principes Iezreelis, qui Samariae erant, ſenioresque & nutritios Achabi, hoc eſt, filiorum eius praefectos, vel παιδαγωγὲς ſcripſit, quibus eos monuit, quia domini illorum filii, itemque currus & equi apud eos eſſent, vrbemque inſuper munitam & armis inſtructam haberent, vt ex Achabi filiis optimum iuſtiſſimumque in regem eligerent, eumque in ſolio patris ponerent, & pro eo bellum gererent. Septuaginta Achabi filiis etiam nepotes adnumerari videntur. Quod ſi omnes filii fuerunt, neceſſe eſt, Achabum praeter Iezabelam & alias vxores habuiſſe. Principes autem Iezreelis Samariae fuiſſe, mirum non eſt, cum haud dubie fuga ſibi conſuluerint, Samariamque ſe receperint. Quod cum non animaduerterent LXX interpretes, Samariae principes hic intelligi, putarunt: πρὸς τὲς ἄρχοντας Σαμαρείας· Sic & FLAVIVS IOSEPHVS: τοῖς ἄρχουσι

 τῶν

τῶν Σαμαρέων· Ad rem ipſam quod attinet, Iehu principibus Iezreelitis bellum non ſine irriſione denuntiat, de euentu ſecurus. Sunt, qui putant, verba abſolute poſita, conditionate intelligenda eſſe, hunc in modum: *ſi fiducia filiorum domini veſtri, itemque equorum & curruum, nouum regem conſtitueritis, arma quoque vobis contra me capienda erunt.* Res eodem fere redit. Principes Iezreelis, primariaeque dignitatis viri, litteris Iehui acceptis, in magnum coniecti ſunt terrorem, animumque abiecerunt, dicentes: *en duo reges coram illo conſiſtere non potuerunt, quomodo ergo nos conſiſtemus?* Non ſane magnae virtutis erat, duos reges exercitu deſtitutos interficere. Videntur itaque id ſibi velle, ex eo, quod duo reges ab eo interfecti ſint, patere, diuina prouidentia regnum illi deſtinatum eſſe; adeoque irritos fore illorum conatus, qui ei reſiſtere vellent. Miſſis itaque ſiue litteris, ſiue nuntiis, ſe imperata facturos, & ipſum pro domino agnoſcere, ſignificant. Reſcribit Iehu, ſi parere velint, capita filiorum regis ad ſe ferentes, craſtina diei illa hora ad ſe Iezreelem venirent. Faciunt proceres, quod imperatum, filios Achabi perimunt, capita eorum ad nouum regem mittunt; quem haud dubie & ipſi adierunt, etſi ſcriptura hoc non exprimat. Iehu, cum occiſorum capita, ad ſe adlata ad portae introitum in duos aceruos diſponi iuſſiſſet, diluculo ſequentis diei cum in locum progreſſus, populumque, qui ibi congregatus erat, adlocutus, *vos*, inquit, *innocentes eſtis; at ego coniuraui in dominum meum, eumque interfeci. Quis tamen hosce omnes occidit? Scitote nunc, ex verbis Iehouae nihil in terram caſurum, quod in domum Achabi protulerit; Iehoua enim fecit, quod per ſeruum ſuum Eliam praedixerat.* Per ironiam hoc dictum; *vos innocentes eſtis*, res ipſa docet. Quod ſi cum aliis & haec conditionate accipere velis, hunc in modum: *ſi putatis, vos iuſtos eſſe, & innocentes, me autem iniuſtum, qui dominum meum interfecerim, quis hos occidit?* perinde fuerit. Id ſaltem obſeruandum, ſcopum praecipuum Iehui eſſe, quod oſtendere velit, non ſine ſingulari Numinis prouidentia ac directione haec omnia contigiſſe. Cumque ipſi Iezreelis principes hoc agnouerint, tam promte voluntati eius morem gerendo, non poſſe ſe aliter, quam miniſtrum diuinae prouidentiae hoc in negotio ſpectari, adeoque culpae omnis criminisque expertem eſſe, quod dominum ſuum interfeciſſet, aeque ac proceres, quod filios domini ſui contrucidaſſent. Ita quidem homo callidus omnem exprobrationem, cui ſe obnoxium videbat, a ſe amoliri voluit. Et verum ſane erat, quod per eum implenda fuerint, quae de Achabi domo Deus praedixerat; nullum tamen ſimul eſt dubium, eum ſimul omnes Achabi agnatos e medio tollendo, ſuae conſulere voluiſſe ſecuritati, adeoque cupiditati & tyrannidi ſuae vaticinium Eliae praetexiſſe. Atque

hoc

hoc ſequentia etiam docent. Iezreele enim omnes, qui ex familia Achabi ſupererant, itemque omnes proceres, notos & amicos interfecit, vt nemo relinqueretur, qui familiae iſtius cladem vlciſci poſſet. Hinc Samariam feſtinat, vt reliqua peragat. Cum autem in via apud *domum ligationis paſtorum* in fratres Achaziae regis Iudae incideret, qui erant numero quadraginta duo, & ad ſalutandos filios regis & reginae venerant, comprehendi omnes, & contrucidari iubet. Quod & *ad ciſternam domus ligationis* factum. Ita & his, quod ex familia Achabi eſſent, pereundum fuit. Quod *domum ligationis* diximus, pro eo in ebraeo eſt: בית עקד, quod nonnulli pro nomine loci proprio habent, vt LXX interpretes: *Βαιθακάδ*. Alii cum chaldaeo interpretantur, *locum conuentus paſtorum*. Vulgatus: *ad cameram paſtorum*. Alii, & quidem ex Ebraeis R. ABENESRA, & R. LEVI BEN GERSON, *locum ligationis* ea voce ſignificari putant, ſcilicet, quod ibi oues tondendae pedibus ligabantur. Per fratres Achaziae, fratrum eius filii intelliguntur, vt diſerte etiam *II. chron. XXII. verſ. 8.* vocantur. Namque fratres ipſi Achaziae omnes, ſaltem ex legitimo matrimonio nati, iam fuerant occiſi, *II. chron. XXII. verſ. 1.* Simul vero principes quidam Iudae fuere interfecti. Ordo autem rei geſtae hic fuiſſe videtur. Cum Achazias rex Iudae ad Ioramum proficiſceretur, vt eum inuiſeret, fratrum ſuorum filios ſecum ſumſit, tum vt ipſi miniſtrarent, *II chron. XXII. 8.* tum vt filios regis Iſraelitici ſalutarent. Ioramo autem occiſo, Achazias cum fratrum ſuorum filiis Samariam auffugit: quos Iehu, cum & ipſe Samariam tenderet, circa domum ligationis paſtorum offendit, & occidi iuſſit. Achazias autem iam Samariam euaſerat, ſed mox & ipſe ea fata expertus eſt, quae ſupra expoſuimus.

Hiſce ergo peractis, cum Iehu iter ſuum Samariam verſus continuaret, in Ionadabum Rechabi filium, obuiam ei venientem, incidit. Vir ille erat pius, verique Numinis ſincerus cultor, conditorque diſciplinae Rechabitarum, *Ierem. XXXV. 6.* laudatae. Hunc ergo ſalutauit, & ſic adlocutus eſt: *an eſt animus tuus rectus* (erga me) *ſicut eſt animus meus erga animum tuum?* Quod cum Ionadabus adfirmaſſet, dataque dextera, vt poſtulauerat, confirmaſſet, conſcendere eum currum ſuum iuſſit, & *veni*, inquit, *mecum, & vide zelum meum erga Iehouam.* Samariam ergo cum veniſſet, primo omnes, qui ibi adhuc ex familia Achabi ſupererant, percuſſit. Tum omnes pſeudoprophetas, & ſacerdotes Baal, aſtu circumuentos interemit. Conuocato enim populo iactat, Achabum Baalem parum & negligenter coluiſſe, ſibi in animo eſſe, multum & diligenter eum colere; cogerent igitur omnes prophetas, & ſeruos, & ſacerdotes Baal, deſiderato nemine, idque ſub mortis poena; ſolemnia enim ſe Baali facturum ſacra. Promulgato hinc die feſto Baali, omnes

Digitized by Google

mnes eius cultores & ſacerdotes, nemine excepto, conueniunt, totamque Baalis aedem replent. Vtque fidem faceret omnibus nullam fraudem ſubeſſe, & reliquos, ſi qui forte adhuc laterent, alliceret, praefecto veſtiarii לאשר על המלתחה *ei qui ſuper veſtiario*, praecipit, vt pro omnibus ſeruis Baalis veſtes produceret. Videntur enim peculiari genere veſtium vſi, cum ſacris operabantur. His ita conſtitutis, Iehu cum Ionadabo aedem Baalis ingreſſus eſt, ſacerdotesque Baalis ſcrutari iuſſit, an aliquis ex veri Dei cultoribus inter eos eſſet. Poterat enim contingere, vt aliquis curioſitatis gratia, aut aliam ob cauſſam, iis ſe immiſceret. Veri autem Dei cultores vna cum Baalis ſectatoribus interficere, Iehu religioni ſibi ducebat. Forte & ex conſilio Ionadabi hoc fecit. Cum ergo Baalis cultores aedem ad offerendas victimas, & adolenda holocauſta, ingreſſi eſſent, Iehu foris octoginta viros collocat, quibus imperat, vt omnes iugularent, nec quenquam ſinerent euadere; ſi quis euaderet, animas eorum pro illo fore. Finita autem holocautomatum oblatione, ſignum dedit ſatellitibus & ducibus, vt caedem inciperent. Omnes itaque ad vnum caedunt, & cadauera extra portas efferunt. Dicitur porro: *& iuerat* עד עיר בית־הבעל *ad vrbem domus Baal, eduxeruntque ſtatuas ex aede; & eam combuſſerunt.* Vbi quidem nonnulli putant, omnes intelligi vrbes, in quibus aedes quaedam Baalis fuerit. Huc tendit verſio IMMANUELIS TREMELLII: *deinde perrexerunt in aedem Baalis per ciuitatem quamque.* Verum licet arae & luci plures Baali ſacri hinc inde fuerint, aedem tamen vnam tantum fuiſſe conſtat, & quidem Samariae. Atque hoc illis etiam obſtat, qui ſuburbium aliquod Samariae, aut oppidulum in eius vicinia intelligunt. Accedit, quod ſequentia haud obſcure doceant, de ipſa Baalis aede, quae Samariae fuit, ſermonem eſſe. Non contemnenda itaque eſt coniectura SEBASTIANI SCHMIDII, ad *h. l.* exiſtimantis, per עיר בית הבעל ipſum templum ſeu arcem templi ſignificari, prout ab atrio diſtinguitur. Nimirum holocauſta in atrio templi haud dubie obtulerunt Baalis ſacerdotes, & ibi fuere occiſi, tum vero ſatellites Iehui in ipſum templum irruperunt, & ſtatuas Baalis eiecerunt, aedemque ipſam combuſſerunt. Demoliti quoque ſunt Baalis ſtatuam, quae a reliquis ſtatuis ſingulari quadam ratione diſtincta fuiſſe videtur, aedemque prorſus diruerunt, deſtruentes forte, quae ignis reliquerat, eamque in latrinas conuerterunt. Laudandumne autem hocce Iehui facinus ſit, quo per dolum omnes Baalis cultores oppreſſit, quaeri ſolet. Sane in eo, quod Baalis ſacerdotes e medio ſuſtuliit, non peccauit, cum lege Moſaica ſancitum ſit, ſeductores populi morte puniendos eſſe, *Deut. XIII. verſ. 5.* Quod tamen, vt recte IOANNES BRENTIVS, ad *h. l.* obſeruat, ad tempora noui teſtamenti trahi nequit.

quit. *Nunc aliud*, inquit, *mandatum habemus, vt errantes per viam manſuetudinis ad veritatem reducamus.* In eo vero, quod dolo Baalitas conuocauit, & ita deceptos obruit, Iehu videtur excuſari non poſſe; cum talis fictio, quae cum pernicie alterius coniuncta eſt, vitio non careat; niſi dicere velis, cum fas fuerit, eos occidere, non etiam fuiſſe nefas, fictione eos decipere. Praeterea zelus, quem prae ſe ferebat, & tantopere iactabat Iehu, non erat ſincerus. Namque non tam ex odio idololatriae, quam ex metu, ne Baalitae, Achabicae familiae addictiſſimi, aliquando ad interitum iſtius familiae vindicandum, conſpirarent, tanta erga eos crudelitate vſus videtur. Idque vel inde liquet, quod a peccatis Ieroboami, Nebathi filii, non abſtinuerit, ſed more anteceſſorum ſuorum vitulos aureos adorauerit. Obſtabat nimirum metus, ne Iſraelitae, ſacrorum cauſſa Hieroſolymam ſe conferentes, iterum cum Iudaeis ſe coniungerent. Adeoque regni cauſſa plus apud eum valuit, quam religionis. Hinc & in eo laudatus a Deo fuit, quod in delenda familia Achabi voluntatem eius ſtrenue exſecutus fuiſſet; in reliquis non item. Promiſſionemque de regno in familia eius continuando equidem accepit, ſed ad quartam tantum generationem. Immo quam parum gratus Deo eſſet, inde etiam intelligere potuit, quod ſub eius imperio res Iſraelitarum mirum in modum attritae ſint a Syris. Namque, quae ad ortum Iordanis ſunt, totam terram Galaad, & Gaditarum, & Rubenitarum, & Manaſſaeorum, ab Aroer, quae eſt ad torrentem Arnonem, ad Galeaditidem & Baſanitidem, Chazael iis ademit. Tandem, cum per annos viginti octo imperium tenuiſſet, Iehu mortuus, atque Samariae ſepultus eſt.

§. XVII.

Athalia autem Achaziae, Iudae regis, mater, imperandi cupiditate furens, cum efficere vellet, ne quis ad imperium, quod ad ſe rapuerat, iterum adſpirare poſſet, prolem regiam e medio ſuſtulit. Omnes itaque regis liberi exſtincti, excepto Ioaſo, quem Ichoſeba, Achaziae regis ſoror, vxor Ioiadae ſummi ſacerdotis, auiae crudelitati ſubduxit. Is clam in templo a Ioiada educatus, cum ſeptimum aetatis annum ingreſſus eſſet, ab eodem Ioiada, plaudente populo, rex conſtitutus atque vnctus eſt, Athalia ad templum, vbi haec gerebantur, primum aduolante, mox inde auffugiente, extra templum interfecta. Baalis hinc ſimulacro proſtrato, Matthane ſacerdote idoli ante aram eius, ceu victima, mactato, ſtatuae confractae. Templum vero magnis ſumtibus reparatum, exornatumque, & priſtino nitori reſtitutum, verique Numinis cultus diligenter re-

ſtauratus. Sed haec fiebant, dum Ioiada adhuc in viuis erat. Eo vero mortuo, procerum adulatione in transuorſum actus rex, alienos iterum Deos colere coepit. Immo Zachariam, Ioiadae filium, eum hoc nomine reprehendentem, in ipſo templi atrio interfici iusſit, vitamque adeo ei eripuit, cuius patri & vitam & regnum debebat. At tanti ſceleris mox poenas promeritas dedit. A Chazaele enim, Syrorum rege, in ſummas anguſtias coniectus, mox coniuratione contra eum exorta, a famulis ſuis, cum in cubili iaceret, contrucidatus, periit. *

* Quid imperandi cupiditas valeat, ſi vnquam, Athaliae certe exemplo patuit. Hac enim inflammata eo vsque proceſſit, vt in propria viſcera ſaeuiret. Per *ſemen regni* enim, ſeu ſtirpem regiam, quam trucidaſſe dicitur, ipſa Iorami proles denotatur. Quod dum faciebat, Iehoſeba, quae *II. chron. XXII. 11.* Iehoſchabeth dicitur, filia Iorami regis, & Achaziae ſoror, Iehoiadae ſummi ſacerdotis vxor, Ioaſum, Achaziae filium, e media turba *filiorum regis interfectorum*, hoc eſt, qui interficiendi erant, abſtulit, rapuitque vna cum nutrice eius in *conclaue lectorum;* hoc eſt, abreptum in conclaui lectorum poſuit, vt *II. chron. XXII. 11.* diſerte dicitur. *Conclaue*, quod vocatur *lectorum*, in templo erat, vt Ebraeorum magiſtri docent, in atrio ſacerdotum aut Leuitarum, & ita vocabatur, quod in eo lecti ſacerdotum aut Leuitarum eſſent. Sic Eli ſacerdotem ſummum in tabernaculo, quod templi inſtar erat, dormiuiſſe, ex *I. Sam. III. 2.* conſtat. Licet autem Iehoſeba filia Iorami dicatur, non tamen Athaliae fuiſſe filia videtur, ſed haud dubie aliam matrem habuit. Athalia etiam, femina idololatrica, vix permiſſura fuiſſe videtur, vt filia ſua ſummo ſacerdoti nuberet. In templo itaque abditus Ioaſus, ne ab Athalia deprehenderetur, clam ibidem per ſex annos educatus fuit, regnum interea pro lubitu adminiſtrante Athalia. Anno vero ſeptimo Iehoiada arceſſiuit centuriones, (quorum nomina *II. chron. XXIII. 1.* exprimuntur) duces & curſores, fcdereque cum iis in templo inito, & iureiurando confirmato, filium regis eis oſtendit, &, quid in animo haberet, illis ſignificauit. LXX interpretes, cum verba ebraea: לכרי ולרצים non intelligerent, ea more ſuo retinuerunt: *ἑκατοντάρχους τῶν χοῤῥὶ καὶ τῶν Ῥασίμ·* Voce רצים *curſores* ſignificari, dubio caret. Per כרים, quae vox hic per apocopen per כרי exprimitur, & alias *agros* ſignificat, hic *duces* ſeu *principes familiarum* intelligunt, cum iidem eſſe videantur, qui *II. chron. XXIII. 2.* ראשי האבות *capita familiarum* vocantur, & quos Iehoiada per centuriones arceſſiuiſſe, ibidem dicitur. Chaldaeus tamen vertit: גבריא *viros fortes*, quem & R.

SAL. IARCHI ſequitur. Vt vero, quae Iehoiada ad conſecrationem & coronationem regis rite & ſecure peragendam conſtituit, recte intelligantur, obſeruare iuuabit, a tempore Dauidis & Salomonis, ſacerdotes & Leuitas omnes in tres partes fuiſſe diuiſos, quarum quaelibet vna ſeptimana miniſtraret in templo, cuſtodiendo portas, & alia officia obeundo; hac vero abeunte, ſuccedebat pars altera, quam tertia, & hanc iterum prima excipiebat. Cum ergo vna pars ſacro miniſterio in templo fungebatur, reliquae duae domi quieſcebant. Qui miniſtrabant, dicebantur באי השבת *venientes ſabbatho*, qui autem domi quieſcebant, יוצאי השבת *exeuntes ſabbatho*. Hanc diuiſionem itaque reſpicit Iehoiada, dum diſerte meminit, באי השבת *venientium ſabbatho, & יוצאי השבת exeuntium ſabbatho.* Illis itaque, qui erant *venientes ſabbatho*, & tertiam partem ſacerdotum & Leuitarum conſtituebant, triplex iterum officium adſignat: vna namque pars cuſtodire debebat partem templi, verſus domum regis, quam Salomo aedificauit; altera portam Sur, quae *II. chron. XXIII. 5.* שער היסוד *porta fundamenti* dicitur, & ſecundum Ebraeorum magiſtros verſus meridiem erat; tertia vero pars in porta eſſe debebat poſt ſatellites, hoc eſt, in porta, ante quam ſatellites, conſiſtebant, & ſecundum Ebraeos orientalis erat. Additur vero, *verſ. 6. & cuſtodietis domum* מסח. Quae vox mire interpretes torquet, adeo vt nonnulli ingenue ſe, quid ea ſibi velit, ignorare, profiteantur. Nonnulli, vt vulgatus, & B. LVTHERVS eam, ceu nomen proprium, retinent. Quod vel hoc nomine admitti nequit, quia hic nullus eſt ſtatus regiminis, quem tamen illi ſupponunt. Chaldaeus habet: מִדְאִשְׁתַלִי quod a quibusdam exponitur: *ne ſpernatur*, aut *ne alicubi eruatur*, ab aliis: *ab omni eo, qui praeuaricatur.* Ex Ebraeorum magiſtris alii aliter hanc vocem explicant; quorum ſententias praecipuas cum recenſuiſſet IAC. GVSSETIVS, recte monet, hanc vocem ſenſui non eſſe eſſentialem, quippe quae *II. chron. XXIII. 5. 6.* in eodem dicto omittatur. Tum porro, eam a verbo נסח *auellere, euellere, exſtirpare* deriuans, *metaphora*, inquit, *eſt, qua cuſtodire iubentur, ritu auerrentium ſolum, ita vt ne minimam rem indebitam adeſſe patiantur, & ſignificatur cuſtodia accuratiſſima, remotis omnino perſonis, hanc regis inaugurationem tranquillam laetamque turbare volentibus, & ei non fauentibus. Hae enim ſordium inſtar ſpectantur in ea re; & mens eſt, vt quaſi radendo exterminentur. Ita* ב *elliptice ſubauditur, & vt* בטח *pro* בבטח *multaque ſimilia dicuntur &c. Quapropter idem eſt, quod clarius verſ. 8. repetitur, arma tenete, & quisquis in ordines ſe ingeret, eum occidite &c. commentar. lingu. ebr. pag. 325.* Quam ſententiam reliquis praeferendam puto, donec melior oſtendatur. Iam quod ad eos attinet, qui erant יוצאי השבת *exeuntes ſabba-*

batho, & qui duas reliquas partes Leuitarum & ſacerdotum conſtituebant, illis mandatum, vt eſſent in templo circa regem, eumque, ſi quis forte ei vim inferre auderet, defenderent. Et hoc eſt, quod Ioiada *verſ. 7.* dicit: *& cuſtodietis cuſtodiam in domo Domini*, אל *ad*, hoc eſt, *apud*, vel *circa regem*. Leuitae autem hocce munere fungi debebant, quia reliquis Israelitis atrium interius templi intrare non licebat; quod & *II. Chron. XXIII. 6.* innuitur. Arma quoque Leuitae ſua habebant, quae facta olim a Dauide in vſum templi, vt etiam *verſ. 10.* indicatur, colliguntque nonnulli ex hoc ipſo loco, Leuitas armatos templum cuſtodiuiſſe. Addit Ioiada: *quisquis ingredietur* שדרות *ordines* (veſtros) *interficietur*, *aderitisque regi*, *cum exibit*, *& cum intrabit*. Vocem שדרות non intellexerunt LXX interpretes, hinc eam retinuerunt: *εἰς τοὺς σαδηρώθ*. Vulgatus perperam; *ſeptum templi*. Ordines ea voce, a כרר deriuanda, denotari, certum, cum nihil frequentius, quam vt litterae כ & ש inter ſe permutentur. Cuncta eum in modum, prout iuſſerat, peracta a centurionibus, qui Leuitas iis locis, qui ſingulis partibus adſignati erant, collocabant; ipſos vero centuriones Ioiada ſcutis & lanceis, quas Dauid in vſum templi conſecerat, inſtruxit. Ad curſores autem ſiue ſatellites quod attinet, hi extra templum, h. e. extra atrium Leuitarum in atrio populi ſtant conſtituti, & excubias agebant ante introitum magnum ſeu portam orientalem, ab vtroque, dextro & ſiniſtro, latere. Dicuntur fuiſſe *apud regem circumquaque*, quia intra portam iſtam, vbi & altare holocauſti, rex erat conſtituendus & conſecrandus. Cunctis rite diſpoſitis, Ioiada Ioaſum, regis filium regnique adeo legitimum heredem, produxit, impoſuitque ei coronam, & עדות *teſtimonium*, hoc eſt, librum legis dedit; quanquam non deſint, qui per עדות *inſignia* aut *veſtes regias* intelligant. Vnctus praeterea eſt, & ita rex conſtitutus. Quod cum factum eſſet, populus comploſis manibus clamauit: *viuat rex*! Athalia vero audito ſtrepitu העם הרצים *currentium populi*, hoc eſt, concurrentis populi, ad templum ſe contulit, cumque regem more conſueto ad columnam in atrio Leuitarum prope altare erectam ſtantem, ducesque ſeu centuriones Leuitarum circa regem, populumque varia laetitiae ſigna edentem, vidiſſet, laceratis veſtibus exclamauit: *conſpiratio!* Tum Ioiada centurionibus ſatellitum mandauit, vt comprehenſam, extra ordines, ſatellitum ſcilicet, adeoque extra atrium Israelitarum educerent, & interficerent. Aedem enim ſacram, aut atria, eius ſanguine commaculari noluit. Abducta itaque & in introitu equorum domus regiae interfecta eſt. Duplex hinc a Ioiada factum eſt fedus, alterum inter Deum & populum, non excluſo rege, ad verae religionis reſtaurationem, alterum inter regem & populum, quo populus regi obſequium,

um, eiusque ſalutem ſibi curae fore, promiſit. An rex iterum populo aliquid promiſerit, non conſtat. HVGO GROTIVS, ad *b. l.* id moris apud Ebraeos fuiſſe, negat. Interim & ſine promiſſione, ex ipſa officii ratione ad regnum ſecundum iuſtitiae & aequitatis leges adminiſtrandum, obſtrictus erat. Deſtructa hinc a populo Baalis aedes, ab Athalia haud dubie excitata, eiusque imagines confractae, ſed Matthan quoque, Baalis ſacerdos, ante aram eius interfectus. Sacrorum praeterea ordo, ab Athalia turbatus, reſtitutus; & rex a Ioiada comitantibus centurionibus, & ducibus, & ſatellitibus, populoque vniuerſo, ex templo in regiam per *ianuam curſorum regiae*, vel vt *II. chron. XXIII. 20.* vocatur, per *portam ſuperiorem regiae*, deductus, & in ſolo regio collocatus eſt; eratque Ioaſus ſeptem annos natus, cum regnare inciperet. Ioiadam in toto hocce negotio nihil admiſiſſe, quod reprehendi debeat, nemo temere dubitauerit. Athalia enim per tyrannidem regnum, contrucidatis liberis regiis, occupauerat. Supererat legitimus heres, cui regnum vindicandum erat. Conſulendum praeterea ſaluti & ſecuritati ipſius Ioaſi fuit, qui non ſine periculo diutius in templo latitare poterat; conf. HVGO GROTIVS ad *b. l.* In omnibus autem hisce ſingularem Numinis prouidentiam admirari fas eſt; quippe qua effectum, vt hac ratione, quidquid de ſtirpe Achabi ſupererat, periret.

Ioaſus autem, cum regni adminiſtrationem ſuſcepiſſet, bene ſe geſſit, quamdiu Ioiada vixit. Fecitque toto eo tempore, quae Deo grata erant, niſi quod excelſa non amouerit, in quibus populus more antiquo vero Deo ſacrificia offerebat. Cumprimis vero ad reſtaurandum templum animum adiecit Ioaſus. Mirum alicui videri poſſet, iam tum reſtauratione opus fuiſſe: cum templum vix ſesquiſeculum ſtetetit. Sed ratio *II. chron. XXIV. 7.* indicatur, corruptam ſcilicet ſub Athalia aedem ſacram fuiſſe, filiis eius ea perfracta, pecuniam & vaſa ſacra inde aufferentibus, & in cultum Baalim conuertentibus. Quanquam nonnulli hoc non de ipſo templo, ſed de aedificiis minoribus ad templum ſpectantibus, intelligere velint. Pecuniam itaque ad templum reſtaurandum rex colligi voluit hunc in modum: *omnem pecuniam rerum conſecratarum* (הקדשים) *quae infertur in aedem Iebouae; pecuniam tranſeuntium* (in ebraeo eſt כסף עובר איש *pecunia viri tranſeuntis*, hoc eſt, ſecundum IM. TREMELLIVM, quae viritim a ſingulis colligebatur, quanquam alii de pecunia, quae in vſu eſt, capere malint, alii omnino mendum ſubeſſe ſuſpicentur) *pecuniam animarum aeſtimationis cuiusque, omnem pecuniam, quam venerit in animum cuiusque* אשר יעלה על לב איש *inferre in aedem Iebouae, ſument ſibi ſacerdotes quisque a notis &c.* Ebraeorum magiſtri hoc interpretantur, partim de ſemiſiclo, qui a quouis mare conferendus erat ad

coemenda ſacrificia iugia, matutina & veſpertina, ſumtusque neceſſarios, partim de votiuis pecuniis, vbi aliquis libere aliquid vouit, aut aeſtimationem capitis ſui dare tenebatur. Et ad ſemiſiclum quidem quod attinet, fundamentum eius rei ſibi inueniſſe viſi ſunt in eo, quod *II. chron. XXIV. 9.* vocatur *munus Moſis ſerui Dei ſuper Israelem in deſerto.* At, cum obſtare videatur, quod hac ratione ſumtus neceſſarios ad ſacrificia quotidiana non habuiſſent, ſi iſtam pecuniam ſtructurae templi impendiſſent, alii collectam equidem annuam ſemiſicli, ſed extraordinariam, intelligere malunt, atque id auctorem libri chronicorum quoque innuere putant, cum in deſerto ad tabernaculi erectionem munus extraordinarium collectum fuerit. Hanc pecuniam a notis quisque ſibi colligere debebat, cum ſacerdotes & Leuitae per populum diſperſi eſſent, nec quisquam temere ex populo eſſet, qui non vni ex ſacerdotibus aut Leuitis notus eſſet. Et acceperunt quidem iſti pecuniam, ſed aedem ſacram non reſtaurarunt. Conuocatis ergo ad ſe ſacerdotibus rex hoc exprobrauit, neue amplius ſub praetextu reſtaurandi templum pecuniam acciperent, illis vetuit: *adſenſeruntque ſacerdotes, ſe non accepturos pecuniam a populo, nec inſtauraturos ruinas aedis.* Sunt, qui putant, cauſſam neglectae inſtaurationis fuiſſe, quod ſacerdotes noluerint aeſtimationem impendi in reparationem aedis; adeoque horum verborum hunc eſſe ſenſum cenſent, quod ſacerdotes eam ob temporum rationem omitti maluerint, quam in reparationem aedis conuerti. Vnde & ab imputatione pecuniae per fraudem interuerſae excuſabuntur; conf. CHRISTIAN. SCHOTANVS *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſt. tom. II. pag. 934.* Verum, qui ita ſentiunt, ſupponere videntur, cenſum ſemiſicli ordinarium ad templi reſtaurationem adhibendum fuiſſe, quod aegre tulerint ſacerdotes, cum tamen antea oſtenſum ſit, de cenſu extraordinario hoc poſſe intelligi. Senſus itaque hic eſt, ſacerdotes pecuniam, quam ad reſtaurationem templi impendere debuiſſent, in vſus proprios conuertiſſe, eamque ob cauſſam reprehenſos, & iniquitatis conuictos, conſenſiſſe, ne ipſimet amplius pecuniam acciperent ad aedis ſacrae reſtaurationem, ſed vt alia ratione colligeretur. Certe ſacerdotes atque Leuitas in culpa fuiſſe, ex *II. chron. XXIV. 5.* aperte conſtat, cum ibi dicatur, regem praecepiſſe, vt rem maturarenr, eos vero minime feſtinaſſe. Nec omnes tamen eiusdem criminis arguerim, cum haud dubie inter eos, viri quidam integri ac probi fuerint, ſed pauci. Ne ergo ſacerdotes atque Leuitae pecuniam amplius interuertere poſſent, Ioiada, iubente rege, vt *II. chron. XXIV. verſ. 8.* diſerte dicitur, arcam cum foramine in eius operculo iuxta altare ad dextram, qua quiuis aedem Iehouae ingrediebatur, poſuit: in quam ſacerdotes, liminis cuſtodes, omnem pecuniam, quae in aedem ſacram inferebatur, coniicerent.

Nimi-

Digitized by Google

Nimirum cum arca iſta in atrio ſacerdotum fuerit, non poterant ipſi Iſraelitae pecuniam in eam coniicere, ſed ſacerdotibus eam tradere debebant: qui cum ſpectantibus iis, qui pecuniam adferebant, aliisque, eam in arcam clauſam coniiciebant, non poterant quidquam eius per fraudem intervertere. Cum ergo arca repleta eſſet, veniebat ſcriba regius & pontifex maximus, claudebantque ſaccis (ita enim vox יצורו accipienda) & numerabant pecuniam, eamque praefectis operarum tradebant, diſtribuendam fabris, lapicidisque, & in materiam ligni, lapidum, aeris, ferri, impendendam. Excipiebatur pecunia ſacrificiorum pro reatu & peccato, quae, ſecundum legem, ſacerdotum erat. Praefecti iſti operarum viri admodum honeſti & integri fuiſſe videntur, cum rationes acceptae pecuniae, vt diſerte dicitur, ab iis non fuerint exactae. Hac ratione cum ingens pecuniae vis collecta eſſet, non tantum reſtauratio templi perfecta eſt, ſed haud exigua ſumma ſupererat, quam cum regi & Ioiadae attuliſſent, varia inde vaſa in vſum templi confecta ſunt. Sacrificia tum more recepto oblata, & cuncta in Numinis cultu, quamdiu Ioiada vixit, rite peracta. Is vero ſenex admodum, centum & triginta annos natus, obiit, & ob egregia in rempublicam Iudaicam & eccleſiam merita, monumentis regis illatus eſt.

Eo vero mortuo, dici non poteſt, quam celeriter facies rerum mutata ſit. Venerunt namque, vt *II. chron. XXIV.* 17. dicitur, principes Iudae, *ſeque proſtrauerunt coram rege*, libertatem ſcilicet ab eo petentes, Deum, quem quisque vellet, colendi. Hoc enim ſubintelligendum eſſe, ſequentia docent. Rege etiam petitis illorum adnuente, relicta veri Dei aede, coluerunt ſtatuas & ſimulacra, eoque iram Dei in ſe prouocarunt. Excitauit equidem Deus prophetas, qui grauiſſimis adhortationibus eos in rectam reuocare viam adlaborarunt; quos inter & Zacharias fuit, Ioiadae ſacerdotis filius, qui in loco ſublimi ſtans, vt audiri ab omnibus poſſet, populum adlocutus eſt, & grauiſſimas calamitates ob legem Dei violatam illi denuntiauit. Cum ipſi Iehouam deſeruiſſent, fore, dixit, vt ab eo iterum deſererentur. Sed tantum abeſt, vt exhortationibus hisce prophetarum locum relinquerent, vt potius Zachariam iuſſu regis in ipſo atrio templi lapidibus obruerent, & ita interficerent. Quod profecto tanto turpius fuit facinus, quanto plura maioraque Ioiadae, patris Zachariae, in ipſum regem extitere merita. An Zacharias hicce idem ille ſit, qui *Matth. XXIII. 35.* inter templum & altare interfectus dicitur, disputari ſolet. Certe locus caedis conuenit. Nec obſtat, quod Zacharias ille, cuius apud Matthaeum mentio, vocetur Barachiae filius. Nihil enim frequentius apud Iudaeos fuit, quam vt duobus quis inſigneretur nominibus, adeoque Ioiadas, Barachias quoque adpellari potuit. Sunt equidem qui apud Matthaeum, illum

Zacha-

Zachariam Barachiae filium intelligunt, quem FL. IOSEPHVS a zelotis interfectum narrat, *de bello iudaico lib. V. cap. I.* Quem adeo per modum vaticinii commemorari oportet; vid. ABR. CALOVIVS, ad *Matth. loc. cit.* Sed eo quidem ſine neceſſitate deueniendum non erat, cum nullam magni momenti rationem videam, cur prior ſententia admitti nequeat. Qui enim poſt Zachariam iſtum Ioiadae filium, a Iudaeis vsque ad aetatem Chriſti occiſi ſunt, non excluduntur. Merebatur autem inter vltimos cumprimis Zacharias ille commemorari, ob caedem maxime notabilem, in ipſo quippe atrio templi perpetratam. IOAN. CHRYSOSTOMI, aliorumque ſententia, verba Chriſti de Zacharia vate, qui poſt captiuitatem Babylonicam vixit, & cuius adhuc liber canonicus exſtat, intelligenda eſſe, in cenſum non venit, cum iſtum Zachariam a Iudaeis interfectum eſſe, non conſtet. Sed hoc *ὡς ἐν παρόδῳ* Cum Zacharias ille Ioiadae filius, moreretur, dixit: *videbit Iehoua, & poenas repetet.* Quod & mox contigit. Anno enim vertente Syri, expugnata Philiſtaeorum vrbe Gatho, cum exercitu Iudaeam ingreſſi ſunt, principibusque populi, iis haud dubie, qui Ioaſo permittendae idololatriae auctores fuerant, e medio ſublatis, magnam praedam Damaſcum ad regem miſerunt. Non equidem numeroſus admodum Syrorum fuit exercitus, longeque maiores fuerunt, quas Iudaei illis opponebant, copiae. Nihiloſecius hi inferiores ex proelio diſceſſerunt, cladem que ingentem paſſi ſunt, idque Deo ita disponente, vt eorum impietatem hac ratione puniret. Ex *II. reg. XII. 17.* conſtat, Syros ingentibus muneribus ex theſauris templi & regis depromtis, placatos, ab Hieroſolyma diſceſſiſſe. Quod cum iis, quae hactenus commemorauimus, ſatis conuenit, vt adeo non neceſſe ſit, duplicem Syrorum expeditionem, quarum altera in libro regum, altera in libro chronicorum commemoretur, ſtatuere, vt ſine ratione faciunt R. LEVI BEN GERSON, FRANCISCVS VATABLVS, IAC. SALIANVS, CHRIST. SCHOTANVS, aliique. Etſi enim in libro regum *loc. cit.* ipſius Chazaelis fiat mentio, & in libro chronicorum exercitus eius, nihil tamen impedit, quo minus Chazaeli tribuantur, quae ab exercitu eius geſta ſunt. Priusquam Syri abirent, rex Ioaſus in morbum grauiſſimum inciderat; qua occaſione nonnulli ex ſeruis eius, qui caedem filiorum Ioiadae ſacerdotis aegre ferebant, vſi, contra eum conſpirarunt, eumque in lecto ſuo trucidarunt. Licet autem *verſ. 21.* vnius tantum filii Ioiadae, Zachariae, a Ioaſo occiſi, mentio fiat, nihil tamen obſtat, quo minus & alios, fratris forte mortem aegre ferentes, interficere potuerit. Sepultus equidem Ioaſus eſt in ciuitate Dauidis, at in regia monumenta non illatus. Nomina illorum, qui contra eum conſpirarunt, leguntur *II. chr. XXIV. 26.* & *II. reg. XII. 21.* Et in poſteriori quoque loco dicitur, eum occiſum, *domi Millonis ad Sillam deſcendentem.* Vbi,

Digitized by Google

Vbi, quid per *domum Millonis* intelligatur, ſatis notum, pars ſcilicet vrbis Hieroſolymae, quae erat inter templum & vrbem Dauidis; conf. *II. Sam. V. verſ. 9. II. chron. XXXII. verſ. 5.* Cum additur: היורד סלא nonnulli, VT FRANCISCVS VATABLVS, putant, domum Millo fuiſſe in cliuo loci adpellati *Sella*. At HVGO GROTIVS: *qua deſcenditur ex domo in viam publicam, quae cum adiectitia littera alibi dicitur* מסלה.. Probabilius, locum quendam Hieroſolymis ita dictum. In libro chronicorum *cap. XXIV. 27.* additur: *filii autem eius,* ורב המשא עליו *& multitudo oneris ſuper ipſum, & inſtauratio aedis Dei, ſcripta ſunt* במדרש ספר *in hiſtoria libri regum.* Vox ורב, vt puto, recte, per *& multitudinem* vertitur, etſi punctatio וְרֶב inuſitata ſit. Nec ſane Maſoretharum emendatio: יֶרֶב rem expedit. Ad rem ipſam quod attinet, nonnulli de magnitudine muneris, quo obſidionem vrbis Hieroſolymae redimere coactus eſt, alii autem de vaticiniis contra eum editis, hoc capiunt. conf. IOAN. CLERICVS, ad *h. l.*

§. XVIII.

Iehoachazus, quem Iehui in regno Iſraelitico ſucceſſorem fuiſſe, antea diximus, patris in idololatria preſſit veſtigia; hinc Syris a Deo caſtigandus tradebatur, in priſtinum tamen quodammodo ſtatum, eo quod Dei miſericordiam imploraſſet, reſtituendus. Cum annos ſeptendecim populo Iſraelitico praefuiſſet, naturae debitum perſoluit. Qui ei ſucceſſit filius, Ioaſus, patre non fuit melior. Eo rerum ſummam tenente, Eliſaeus vates obiit. Qui cum decumberet, rex eum inuiſens, praedictionem victoriarum, quas a Syris reportaturus eſſet, accepit. Praedictioni etiam euentus reſpondit, Benhadado Syrorum rege, Chazaelis filio & ſucceſſore, tribus proeliis victo, vrbibusque, a Chazaele quondam captis, recuperatis. *

* Ad temporum rationes ſpectat, quod *II. reg. XIII. verſ. 1.* dicitur, anno vigeſimo tertio Ioaſi, regis Iudae, regnare coepiſſe Iehoachazum, Iehui filium, in Iſraelem. Obſtare videtur, quod Ioaſus rex Iudae regnare inceperit anno ſeptimo Iehui, qui per annos tantum XXVIII decem tribubus praefuit. Ab his enim ſi ſeptem annos demas, remanent tantum XXI. Sed ceſſabit hocce dubium, ſi dicamus, Ioaſum anno ſeptimo Iehui ineunte imperium ſuſcepiſſe, Iehoachazum autem idem feciſſe, ſtatim ſub initium anni vigeſimi tertii Ioaſi. Tum enim demtis fere duobus annis remanent XXI. Dicitur porro, Iehoachazum Samariae regnaſſe per *annos ſeptendecim*; cum tamen deinceps *verſ. 10.* adſeratur, Iehoaſum, Iehoachazi

filium, anno Ioaſi regis Iudae trigeſimo ſeptimo Samariae regni habenas ſuscepiſſe, qua ratione Iehoachazo tantum XIV, aut ad ſummum XV anni linquuntur. At & hocce ceſſabit dubium, ſi Iehoaſus, rex Iſraelis, cum patre Iehoachazo per aliquot annos ſimul regnaſſe ſtatuatur; quod non infrequens fuiſſe conſtat. Iehoachazus autem, peccatis Ieroboami, filii Nebathi, mordicus adhaeſit, colendo vitulos ab eo conſtitutos. Tantum apud omnes Iſraelis reges praepoſtera valuit regnum conſeruandi cupiditas, cum, vt ſaepius dictum, metuerent, ne Iſraelitae Hieroſolymam adſcendentes iterum cum Iudaeis coniungerentur. Ad iram itaque prouocatus Deus, per Chazaelem, Syriae regem, amplis victoriis illuſtrem, & eius filium Benhadadum, vltionem in eos exercuit. Mirum in modum itaque cum Iſraelitae a Syris vexarentur, Iehoachazus iram Dei deprecatus eſt, qui & preces eius exaudiuit atque ſeruatorem Iſraelitis conceſſit, ita, vt Syrorum poteſtati ſe ſubtraherent, & ſecure, vt antea, habitarent. Poenitentiam Iehoachazi ſeriam fuiſſe, non equidem dubitauerim, etſi minime fuerit conſtans. Per מושיע *ſeruatorem*, non poteſt ipſe rex Iehoachaz intelligi, cum ſeruator hic diſerte ab eo diſtinguatur, nec filius regis Ioaſus, vt R. LEVI BEN GERSON pluresque alii ſentiunt, cum nulla adpareat ratio, cur non ſuo nomine deſignatus ſit, qui tam notus erat, patremque in regno excepit; nec Eliſaeus vates intelligi poteſt, cum de tali ſermo ſit, qui forti quodam facinore, victoriaque ab hoſtibus reportata, Iſraelitas in libertatem adſeruit. Relinquitur itaque, ducem quendam bellicum, eumque virum fortem intelligi, qui iugum Syrorum Iſraelitarum ceruicibus depulit, cuius cum forte adeo notum nomen non fuerit, auctori quoque huius libri illud exprimere non placuit; conf. CHRIST. SCHOTANVS, *bibliotb. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 937. ſeqq.* Quantopere autem populus Iſraeliticus per iſtam calamitatem attritus fuerit, inde conſtat, quod ei tantum ſuperfuerint quinquaginta equites (FLAV. IOSEPHVS quingentos habet) decem currus & decem millia peditum. Reliquas enim copias deleuerat Chazael, וישימם כעפר לדוש *& poſuit eos vt puluerem ad calcandum*, vel, vt vulgatus reddit: *redegerat quaſi puluerem in tritura areae.*

Mortuo Iehoachazo rege, atque ſepulto, regni Iſraelitici habenas ſuscepit filius eius Ioaſus, qui in impietate & vitulorum cultu patris exemplum ſecutus eſt. Videntur autem Syri Iſraelitas denuo in ſeruitutem redegiſſe, etſi forte paullo mitius iis imperitauerint. Cum ergo Eliſaeus, cui vitae finis inſtabat, decumberet, rex Ioaſus in anguſtiis conſtitutus ad eum acceſſit, dixitque: *o mi pater! mi pater! currus Iſraelis, eiusque equites!* Verba haec ſunt ipſius Eliſaei, cum Elias in coelum raperetur, quibus Ioaſus vſus videtur, tum ad dolorem ſuum ob inſtantem prophetae mor-

mortem ſignificandum, tum & ad auxilium eius contra Syros implorandum. Eliſaeus itaque ſymbolica quadam ratione victoriam, quam rex a Syris reportaturus eſſet, ſignificaturus, iuſſit adferri arcum & ſagittas, manumque adponere, quemadmodum ipſe manus ſuas manibus regis impoſuit; tum feneſtram ad ortum aperiri praecepit, & ſagittam emitti. Quod cum rex feciſſet, Eliſaeus, quid iſta actione ſibi voluiſſet, explicaturus, *ſagitta*, inquit, *haec erit liberationis contra Syros, concidesque Syros Aphekae, donec eos abſumſeris.* De exercitu nimirum Syrorum loquitur, quem Aphekae percuſſurus, penitusque deleturus erat; non de tota gente Syrorum, quam deinceps penitus eum occiſurum negat; *verſ. 19.* Vnde nulla hic eſt pugna. Potuiſſet equidem rex Ioaſus & totam gentem Syrorum concidere, niſi incredulitas ipſius obſtitiſſet. Idque ſequenti ratione patuit. Eliſaeus eum vlterius ſumere ſagittas iuſſit, iisque terram percutere. Quod cum rex tribus tantum vicibus feciſſet, propheta in illum excanduit, & *percutiendo*, inquit, *quinquies aut ſexies, concidiſſes Syros, donec eos abſumſiſſes, nunc vero ter tantum eos caedes.* Plerique hoc ita intelligunt, ac ſi Ioaſus ſagittas in manus ſumſerit, & iis terram percuſſerit. Sed B. SEBAST. SCHMIDIVS, ſenſum eſſe, putat, quod eiaculando ſagittas terram percutere debuerit, quod & fecerit; ad *h. l.* Cum vero Eliſaeus ad illum dixiſſet, vt *ſagittas* ſumeret, indicauit, plures eum ſagittas eiaculari debere; rex timidus autem & verbis prophetae vix fidem habens tres tantum ſumſit, & eiaculatus eſt. Non itaque ſine ratione propheta in regem excanduit, quod ter tantum iaculatus eſſet, cum ex verbis eius facile intelligere potuiſſet, ſaepius ſe iaculari debere, quia dixerat: *ſume ſagittas.*

Interea mortuo & ſepulto Eliſaeo, annoque inde iam elapſo, copiae praedonum Moabitarum in terram Iſraelitidem venerunt; quibus conſpectis nonnulli, qui in mortuo quodam ſepeliendo occupati erant, eum in ſepulcrum Eliſaei coniecerunt, & ita diſceſſerunt. Forte id ob vicinitatem ſepulcri factum, in quod adeo feſtinanter mortuum, poſtquam ſepulcrum aperuiſſent, coniecerunt, vt eo citius fugam arripere & praedones Moabitas euadere poſſent. Quod diximus, id anno poſt mortem Eliſaei elapſo factum, in ebraeo ita exprimitur: בא שנה *venit annus*, quod cum paullo obſcurius dictum ſit, diuerſimode quidem id viri docti explicant. LXX interpretes vertunt: ἐλθόντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, vulgatus: *in ipſo anno;* alii aliter. Planiſſimum, ſi ita verba explicentur: *cum copiae praedonum Moabitarum venirent* בא שנה *venerat annus*, ſcilicet nouus, hoc eſt, annus iam elapſus erat. Contigit autem, vt corpus hominis mortui in ſepulcrum Eliſaei proiectum, dum oſſa prophetae attingebat, vitam reciperet. Quod ingens profecto fuit miraculum, quo & Eliſaeus, vt nonnulli putant, ipſo

Digitized by Google

Elia ſuperior exſtitit. Eum autem in finem, Deo ſic diſponente, editum videtur, vt Iſraelitae intelligerent, etſi mortuus eſſet Eliſaeus, eius tamen praedictionibus euentum reſponſurum. Ceterum, vt de morte Eliſaei ὡς ἐν παρόδῳ aliquid addamus, admodum ſenem eum fuiſſe oportet, cum diem ſupremum obiret. Filiis enim prophetarum, inde a translatione Eliae, quae circa initium regni Iorami contigit, praefuit. Ioramus vero cum regnauerit annos XXII, Iehu XXVIII, Ioachaz XVII, conficiuntur inde anni LVI. Iam ſi ponatur, quod in *ſeder olam rabba* traditur, deceſſiſſe Eliſaeum anno decimo Ioaſi, ſequitur, eum LXVI annis praefuiſſe ſcholae propheticae. Praedictionibus Eliſaei, vt eo, vnde digreſſi ſumus, redeamus, quantum ad Ioaſum attinet, accurate reſpondit euentus. Victis enim Syris, apud quos Chazaelem patrem filius Benhadadus in regno exceperat, vrbes patri ſuo Ioachazo ereptas, Ioaſus recuperauit. Dicitur: *Ter eum* (Benhadadum) *concidit Ioaſus, vrbesque Iſraelis recuperauit.* Tria iſta proelia diuerſa fuiſſe videntur ab eo, quod in Aphek commiſſum, cum id praedictio Eliſaei, ſecundum explicationem antea traditam, requirat. FLAVIVS IOSEPHVS in hacce hiſtoria more ſuo nonnulla perperam tradit. Sed cum non magni momenti ſint, ea mittimus.

§. XIX.

In regno Iudae, Amazias Ioaſi filius initio eam ingreſſus eſt viam, quae Deo non diſpliceret, etſi Dauidis laudem non attingeret. In regno confirmatus, percuſſores patris, eiusque caedis conſcios, capitali ſupplicio adfecit; at liberis illorum ignouit, haud immemor legis Moſaicae, quae liberos parentum culpam luere, vetat. Paratis hinc copiis Idumaeos adgreſſus eſt, vicitque, plurimis illorum interfectis, cum prius centum millia Iſraelitarum, a vate monitus, eo quod idololatrae eſſent, ab exercitu dimiſiſſet. Cum autem inter ſpolia Idumaeorum idola abduxiſſet, ea ipſemet colere coepit; inſigni dementiae exemplo, neſcio quam felicitatem ab iis exſpectans, quae populum illorum cultui addictum ſeruare non potuerant.* Vati quoque, qui hoc nomine eum reprehenderat, atrocia quaeuis comminatus, in inſtituto perrexit. Mox proſperis rebus elatus in perniciem ruit. A Ioaſo enim, Iſraelis rege, quem magna temeritate ad bellum prouocauerat, victus captusque eſt, in cuius poteſtatem cum etiam vrbs Hieroſolyma veniſſet, muri eius diruti, templum ſpoliatum, magnaque praeda inde abacta; immo non niſi obſidibus acceptis, Iſraelis rex inde diſceſſit. Paullo poſt tamen ipſe Ioaſus rex Iſraelis exſtinctus eſt: quo cum Amazias quindecim adhue an-

annos ſuperſtes fuiſſet, & ipſe, coniuratione ſuorum facta, trucidatus eſt.*

* Regni habenas Amazias, Ioaſi, Iudae regis filius, ſuſcepit, anno ſecundo Ioaſi regis Iſraelitici, *II. reg. XIV. 1.* Obſtare equidem videtur, quod Ioaſus rex Iſraelis anno XXXVII Ioaſi, regis Judae, patriſque Amaziae, regnare inceperit, *II. Reg. XIII. 10.* Cum enim Ioaſus ille rex Iudae paterque Amaziae XL annos regnauerit, ſequitur, Ioaſum Iſraelis regem iam tres quatuorue annos regnaſſe, cum Amazias apud Iudaeos ad regnum perueniret, adeoque hunc non anno ſecundo, ſed tertio aut quarto Ioaſi Iſraelitici, patri ſucceſſiſſe. Verum & hocce euaneſcet dubium, ſi ſtatuamus, Amaziam per biennium vna cum patre regnaſſe, & ita, viuente adhuc patre, regni habenas, anno Ioaſi Iſraelitici ſecundo, ſuſcepiſſe. Idque non ſine ratione adſeri, vel inde liquet, quod *II. chron. XXIV. 25.* referatur, Ioaſum regem Iudae, priusquam Syri ex Iudaea diſcederent, in morbum grauiſſimum incidiſſe. Cum ergo ipſe regnum adminiſtrare non poſſet, filium ab eo in imperii ſocietatem adſumtum, valde eſt probabile. Amazias itaque, viginti quinque annos natus erat, cum patri ſuccederet, & initio non male rem geſſit. Fecit enim, quae grata Deo erant, etſi a laude Dauidis procul adhuc abeſſet. Excelſa namque, in quibus populus Deo vero ſacra faciebat, non amouit. Adeo difficile eſt, malum, quod inueteratum nimis eſt, tollere. Rebus ſuis firmatis, a patris ſui percuſſoribus poenas ſumſit, vt tamen liberis eorum parceret, quod & in lege Moſaica ſancitum erat, *Deut. XXIV. 16.* cuius hic ſe obſeruantem Amazias demonſtrauit. Et ſane, iniquum eſſe, vt liberi ob delicta parentum puniantur, vel ipſa ratio omnes condocet; etſi apud varias gentes tam barbari mores inualuerint, vt, ſi quis regi inſidiatus eſſet, aut vim intuliſſet, omnes eius cognati e medio tollerentur. Ipſi Macedones legem habebant, *qua cautum erat, vt propinqui eorum, qui regi inſidiati erant, cum ipſis necarentur*, vt vel ex Q. CVRTIO RVFO conſtat, *lib. VI. cap. XI.* quam tamen deinceps abrogauit Alexander. AMMIANVS quoque MARCELLINVS inter *abominandas*, quas vocat, *Perſarum leges*, has refert, *per quas ob noxam vnius omnis propinquitas perit*; *lib. XXIII. cap. VI. pag. m. 416.* Mitto reliqua.

Hiſce peractis, Amazias ad ſubigendos iterum Idumaeos (FLAVIVS IOSEPHVS Amalekitas & Gabilitas addit, *antiquit. iud. lib. IX. cap. X.*) animum adiecit. Ioramus namque, ſub quo defecerant, fruſtra eos ad obſequium reuocare tentauerat, vt ſupra diximus; conf. *II. reg. VIII. 20. II. chron. XXI. 8.* Congregatum itaque populum in domos patrum diſtribuit, chiliarchasque & centuriones conſtituit, cumque eum, connumeratis,

qui annum vigeſimum attigerant, luſtraſſet, inuenit trecenta millia delectorum, qui arma ferre poterant, iiteque armati erant. Iſte vero exercitus, cum nondum ei ſufficere videretur, centum millia fortium virorum centum talentis ex Iſraelitis conduxit; quos tamen, monitus a vate diuino, edoctusque, ſe neutiquam proſpere rem geſturum, ſi hoſce idololatras ſecum retineret, iterum dimiſit. Aegre equidem, vt hoc faceret, induci potuit, cum videret, centum talenta, quae Iſraelitis dederat, hac ratione amitti. Sed, cum vates adſereret, longe plura Deum illi dare poſſe, tandem conſenſit; Iſraelitae autem, qui dimittebantur, vehementer offenſi ſunt, magnamque animo aduerſus Iudaeos conceperunt iram. Cum exercitu hinc in hoſtem profectus Ioas, praelio בגיא המלח in *valle ſalis* commiſſo, Idumaeos vicit, decemque millia eorum interfecit. Tum את הסלע *rupem*, ſeu, vt alii volunt, vrbem *Sella*, expugnauit, quam, incertum quam ob cauſſam, mutato nomine יקתאל dixit. Vox סלע *rupem* equidem ſignificare poteſt, ſed dubium fere non eſt, quin arx aut munimentum aliquod in ea fuerit, quia Amazias eam bello cepiſſe dicitur. Sunt, qui candem hancce vrbem fuiſſe putant, quae Petra dicta fuit, & Arabiae Petreae nomen dedit. Idumaeam enim deinceps ſub Arabiae nomine comprehenſam, conſtat. Certe Petram, Arabiae vrbem, Idumaeae diſerte adſcribit EVSEBIVS: πέτρα, πόλις ἐν γῆ ἐδὼμ τῆς Ἀραβίας, & HIERONYMVS: *Petra, ciuitas Arabiae in terra Edom*; conf. ADR. RELANDVS, *Palaeſt. libr. I. cap. XII. pag. 70. 71.* De voce יקתאל non erimus ſolliciti, cum ipſi Ebraeorum magiſtri, ſe, quid ea ſibi velit, neſcire fateantur. Amazias ex illa rupe decem millia captiuorum praecipitata, leto dedit. Cuiusmodi quid Idumaei crudelitate ſua & feritate haud dubie promeriti ſunt. Ceteroquin enim durum nimis aliczi videri potuiſſet. Interea copiae illae Iſraelitarum, quas Amazias, a propheta monitus, dimiſerat vagatae ſunt per vrbes Iudae *a Samaria ad Bethhoronem vsque, occideruntque tria millia hominum, & multam praedam abſtulerunt, II. chron. XXV. 13.* Nimirum, Samaria & Bethchoron erant equidem vrbes tribus Ephraim, ſed haud dubie tractus ſaltem aliquis deſignatur, in quo vrbes fuerunt, ad tribum Iudae ſpectantes. In eo itaque tractu, Iſraelitae, ſe dimiſſos aegre ferentes, tria hominum millia interfecerunt, magnamque inde abſtulerunt praedam. SEBASTIAN. SCHMIDIVS tamen verba haec ita accipit, quod Iudaei ex Iſraelitis iſtis praedatoribus tria millia occiderint, praedamque receperint, ad *II. reg. XIV. verſ. 5.* Sed prior explicatio planior, minusque coacta, mihi videtur.

Amazias autem inſigne ſtultitiae ſpecimen edidit. Idola enim Idumaeorum, quos vicerat, in Iudaeam translata in deos ſibi conſtituit, adoratione & ſuffitu eos colens. Nimirum deos gentis victae, ei, per quem victo-

ctoria obtigerat, praeponere, non tam impietas erat, quam inſania. Inſaniae huic addidit pertinaciam. A vate enim diuino hoc nomine reprehenſus; id adeo moleſte tulit, vt tacere iuberet, niſi percuti vellet. Paruit equidem vates, ſed non ſine ratione inde collegit, Deum regi valde iratum, ſummamque ei imminere calamitatem. Idque & euentus comprobauit. Victoria enim ab Idumaeis reportata elatus, Ioaſo quoque Iſraelis regi arma inferre decreuit. Cauſſam belli nonnulli in eo quaerunt, quod Iſraelitae illi, quos Amazias ex exercitu ſuo dimiſerat, vrbes quasdam tribus Iudae vaſtaſſent, vt antea dictum, hinc damni ab illis dati reparationem poſtulaſſe Amaziam. Verum id merito reiicitur, cum ſcriptura ſacra eius rei mentionem nullam faciat; & ſi vel maxime Amazias id obtentui ſumſit, πρόφασις tamen ſaltem fuit, non vera cauſſa. Haud obſcure ex ſcriptura conſtat, praecipuam cauſſam fuiſſe ſtultam animi elationem; quanquam non negauerim, hac ipſa inductum eum iura, quae familiae Dauidicae in decem tribus Iſraelis competere putabat, ſibi vindicare voluiſſe. Ita & FLAV. IOSEPHVS ſentit, qui, eum Ioaſo Iſraelis regi ſcripſiſſe, ait, ὑπακούειν αὐτῷ σὺν παντὶ τῷ λαῷ, ὡς καὶ πρότερον ὑπήκουε τοῖς προγόνοις αὐτοῦ, Δαβὶδ δὴ καὶ Σαλομῶνι *vt ipſius imperata faciat, cum ſuo populo, ſicut ante hoc idem populus maioribus eius Dauidi & Salomoni paruit; antiquit. iud. lib. IX. cap. X. pag. 317.* Acceſſerunt & praui conſiliarii, qui regem in iſta ſententia confirmauerunt, vt ex *II. chron. XXV. verſ. 17.* liquet. Cuncta autem Deus ita direxit, vt Amazias ſtultitiae ac impietatis ſuae poenas daret. Miſit itaque nuntios ad regem Iſraelis, qui ei dicerent: נתראה פנים *videamur faciebus*; quae erat formula ad bellum aliquem prouocandi, cum in bello facies hoſtiliter oppoſitae eſſe ſoleant. Reſpondit rex Iſraelis: *carduus, qui in Libano miſit ad cedrum in Libano, qui diceret: colloca filiam tuam filio meo; at tranſierunt ferae, quae in Libano, conculcaruntque carduum.* Senſus apologi haud obſcurus eſt. Amaziam enim cum carduo ad cedrum mittente comparat, & cum virium imbecillitate ſtultam vanamque ambitionem illi exprobrat; per petitionem filiae cedri, poſtulari eius indignitatem & iniquitatem oſtendit; calamitatem denique ingentem, quam ſua imprudentia ſibi attracturus eſſet, per conculcationem a beſtiis agri ſignificat. Quo ipſo vt eum a bello ſuſcipiendo dehortatur, ita eundem in finem porro addit: *conciciſti Idumaeos, ideo te extulit animus tuus, gloria tua fruere, ac mane domi tuae, cur me laceſſeres in perniciem tuam, tuque & Iuda tecum caderetis?* Saluberrimis hisce monitis neutiquam paruit Amazias, adeoque res ad proelium Bethſemeſi, quod erat Iudae oppidum, venit, in quo caeſi ab Iſraelitis Iudaei, atque in fugam dati ſunt. Ipſe quoque Amazias captus: Ioaſus autem Hieroſolymam vr-

Digitized by Google

vrbem victor intrans, moenia illic a porta Ephraim vsque ad portam anguli (in ebraeo eſt שער הפנה quae *II. chron. XXV. 23.* שער הפונה *porta ſpeculae* vocatur) quadringentorum cubitorum longitudine deiicit. Quod eum in finem feciſſe videtur, vt Hieroſolymitanos ad tributum ſibi pendendum cogere poſſet, quam ob cauſſam & בני התערבות *obſides* ab iis accepit. Ablato hinc omni auro argentoque, & omnibus vaſis domus Dei, quibus cuſtodiendis praefectus erat Obed-Edom, hoc eſt, Obed-Edomi poſteritas, itemque omnibus theſauris domus regiae, Samariam reuerſus eſt. FLAV. IOSEPHVS haec omnia paullo aliter narrat, quam ſcriptura ſacra. Exercitum enim Amaziae, ante pugnam, metu diuinitus perculſum iniiſſe fugam, ait; & ita deſertum a ſuis Amaziam captum eſſe; tum Ioaſum Amaziae mortem minitatum, niſi Hieroſolymam ſibi tradi praeciperet, atque id ita etiam factum, *loc. cit.* Verum, proelium inter vtrumque exercitum commiſſum, ſcriptura diſerte teſtatur, & hinc reliqua ſua ſponte corruunt. Ioaſus rex Iſraelis paullo poſt, quam haec geſta erant, mortuus atque Samariae ſepultus eſt, anno ſcilicet Amaziae decimo quarto; vnde Amazias quindecim adhuc annis Ioaſo ſuperfuit, *II. reg. XIV. verſ. 17. II. chron. XXV. verſ. 25.* Ad coniurationem quod attinet, cum *II. chron. XXV. verſ. 25.* dicatur: *a tempore quo defecit Amazia a Iehoua, conſpiratio contra eum facta eſt Hieroſolymis*, colligi poſſe videtur, non tum demum, cum interfectus eſt, ſed pridem antea, conſpirationem contra eum factam. Hinc, vt omnia rite ſibi conſtent, exiſtimant nonnulli, eum ſtatim poſt cladem a Ioaſo acceptam, cum iterum dimiſſus eſſet, ab Hieroſolymitanis, calamitatem eius imprudentia ac temeritate ſibi attractam aegre ferentibus, regno exutum, & forte Vſiam filium eius ei ſubſtitutum, aut eius ſaltem nomine ab aliis regnum adminiſtratum; Amaziam vero Lachiſum ſe recepiſſe, atque ibi velut in exilio contemtum ab omnibus vixiſſe, toleratum tamen, donec ad regnum recuperandum, poſt quindecim circiter annorum decurſum, res nouas moliri inſtituerit, tum enim miſſos Lachiſum, qui eum ibi interficerent. Atque hinc nonnulli colligunt, caedem eius non plane iniuſtam fuiſſe; certe filius eius & ſucceſſor Vſias eam vltus non dicitur. Corpus mortui equis vectum eſt Hieroſolymam, atque in monumentis regiis in vrbe Dauidis ſepultum. Pro eo, quod *II. reg. XIV. verſ. 20.* eſt בעיר דויד *in vrbe Dauidis*, *II. chron. XXV. verſ. 27.* legitur בעיר יהודה *in vrbe Iudae.* Sed, cum Hieroſolymae ibi nulla mentio, nullum eſt dubium, quin per *vrbem Iudae*, ipſa Hieroſolyma intelligatur. Quod licet ceteroquin infrequens ſit, non tamen, quo minus id fieri queat, quid obſtet, video.

§. XX.

Digitized by Google

§. XX.

Qui Amaziam in regno Iudae excepit, Azarias, ſiue Vſias, vero Numinis cultui deditus, omni quoque felicitatis genere a Deo eſt cumulatus. Fuerunt ſub eo res Iudaeorum florentiſſimae. Exercitum habebat inſtructiſſimum, quo Philiſtaeos, aliasque gentes ſibi ſubiecit; Gathum quoque, aliasque vrbes expugnauit, nudauitque moenibus. Sed Hieroſolymae vrbis moenia reſtaurauit, nouaque munimenta adiecit. Cum vero ſacerdotum officia inuaderet, & ſacro thure adolere vellet, nec, admonitus licet, a coepto deſiſteret, ſubito leproſus factus, filio Iothamo reipublicae adminiſtrationem relinquere coactus, ipſemet in priuatas aedes coniectus, quod vitae ſupererat, miſere transegit, donec anno regni quinquageſimo ſecundo mortalium rebus eximeretur.

* Vſiae, qui & Azarias dictus eſt, res paucis perſtringuntur *II. reg. XIV. 21. 22.* & *XV. 1.* ad *8.* plenius autem *II. chron. XXVI.* deſcribuntur. Et in priori quidem loco *cap. XVI. 1.* dicitur, Azariam anno vigeſimo ſeptimo Ieroboami II regis Iſraelis, regnare coepiſſe, quod ramen iis, quae de annis Amaziae & initio regni Ieroboami dicta ſunt, plane repugnat. Nimirum, cum quatuordecim annos regnaſſet Amazia, victus eſt a Ioaſo, rege Iſraelis, Ieroboami II patre; Ioaſus vero, vt antea diximus, mox rebus mortalium exemtus eſt, cui ſtatim ſucceſſit Ieroboamus II. Hinc & *II. reg. XIV. verſ. 23.* diſerte dicitur, Ieroboamum Ioaſi filium, anno Amaziae decimo quinto regni Iſraelitici habenas ſuſcepiſſe. Amazias, vt itidem antea dictum, poſtea adhuc quindecim annos vixit; adeoque cum eo interfecto Vſias regni plenam poſſeſſionem adiret, Ieroboamus quatuordecim aut quindecim circiter annos Iſraelitis imperauerat. Non ergo anno Ieroboami II vigeſimo ſeptimo, ſed decimo quinto Vſias in gente Iudaea regnare coepit. Hinc ergo, vt ſe expediant, viri docti varia excogitarunt; quibus recenſendis aut diiudicandis non immorabimur. Expeditiſſima equidem via hocce dubium tollendi videtur, ſi interregnum tredecim circiter annorum ſtatuatur; vid. MICHAEL WALTHERVS, *harm. bibl. ad II. reg. XIV. 21. pag. 268.* Sed cum praeter alia & hoc obſtet, quod per eiusmodi interregna in regibus Iudae chronologia valde turbetur, praeferenda illorum ſententia, qui annum vigeſimum ſeptimum Ieroboami ab eo tempore numerandum cenſent, quo cum patre Ioaſo regnare coepit, aut etiam ſucceſſio decreto quodam ei deſtinata; quod ſi factum ſtatuamus, duodecim circiter annis ante mortem patris, & his quindecim anni a morte patris vſque

que ad initium regni Vſiae addantur, reſultabunt inde anni XXVII, aut ſi anni quatuordecim a morte patris eius vsque ad regnum Vſiae praeterlapſi ſtatuantur, & Ieroboamus tredecim annis antea in regni ſocietatem receptus ponatur, res eodem redibit. De Vſia porro dicitur, eum ſedecim annos natum fuiſſe, cum regnare inciperet, regnum tenuiſſe annis quinquaginta duobus. Nimirum hoc ita intelligendum, eo tempore, cum patre interfecto regnare incepit, eum fuiſſe annos ſedecim natum. Sequitur inde, eum vnius tantum anni fuiſſe, cum pater a Ioaſo Iſraelis rege victus regno exueretur. Hinc enim vsque ad mortem eius quindecim anni effluxere; adeoque Vſias ſedecim tum annorum fuit. Confirmatur hinc, quod ante diximus, patre Amazia in exilium eiecto, nomine Vſiae regnum a proceribus, ſaltem ad tempus, fuiſſe adminiſtratum.

Inter opera eius primo loco commemoratur, quod Elatham Idumaeae vrbem, quae olim in poteſtate Iudaeorum fuerat, iterum Idumaeis ereptam, muniuerit. Cumque hoc ab eo factum dicatur, *poſtquam obdormiit rex cum maioribus ſuis*, haud ſine ratione quidam inde colligunt, eum iam ante patris obitum regia quadam poteſtate gauiſum. Multa deinde feliciter proſpereque geſſit, fauentemque ſibi Deum habuit, eo quod ſincere eum coleret. Ab idololatria enim alienus fuit: excelſa tamen tolerauit. Atque ita ſe geſſit, quamdiu Zacharias vixit, quem ducem atque magiſtrum habuit, hominem המבין בראות האלהים *intelligentem in videndo Deum*, hoc eſt, cui ſubinde viſiones diuinae obtingere ſolebant. Vatem fuiſſe, innuit. At chaldaeus vertit: מלף ברחלתא דיי *doctor in metu Iehouae.* Hunc & R. SALOM. IARCHI ſequitur, aliique. Immo & ſeptuaginta interpretes habent: *τοῦ συνιέντος ἐν φόβῳ κυρίου*, plane ac ſi pro בראות *in viſionibus* legiſſent ביראת *in timore.* Sed, vt a recepta lectione diſcedamus, nulla nos cogit neceſſitas; praeſertim cum res ipſa doceat, hanc eſſe prophetae deſcriptionem, alias quoque non inſolentem; conf. *Daniel. I. verſ. 7.* Eo itaque animo cum erga Deum eſſet Vſias, ſumma in rebus omnibus vſus eſt felicitate. Elatham vrbem ad ſinum Arabicum ſitam, Idumaeis ab eo ereptam, iam diximus. Non minus & contra Philiſtaeos proſpere rem geſſit. Moenibus enim Gathi, Iabnae, & Aſdodi, ſiue Azoti, quae praecipuae erant Philiſtaeorum vrbes, dirutis, in Aſdodaeorum aliquorumque Philiſtaeorum regionibus, vt victos in obſequio contineret, vrbes exſtruxit. Praeterea & Arabes habitantes בגור—בעל *in Gur-Baal* bello vicit, vt & המעונים *Meoneos.* Vox *Gur-Baal* alibi non occurrit, adeoque cuiusnam loci nomen fuerit, non conſtat. LXX interpretes habent: *τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς πέτρας*, Arabiam forte Petraeam deſignantes. Cuius ſententiae nulla itidem ratio reddi poteſt. De מעונים *Meonaeis* ſupra dictum. Ammonitae itidem tributum pen-

pendere coacti. Hinc fama rerum ab eo geſtarum in ipſam Aegyptum penetrauit, gentibus ſcilicet, quae inter Palaeſtinam & Aegyptum habitabant, perdomitis. Bellis feliciter geſtis, tempore pacis varia aedificia exſtruxit, & quae in bello, praeſertim ad vrbium defenſionem, vſui eſſe poterant, comparauit. Turribus hinc variis munita Hieroſolyma, quales & in deſerto exſtruxit. Praeſidia in his haud dubie collocauit, contra gentium vicinarum latrocinia. FLAV. IOSEPHVS eas φρουρὰς adpellitat. Copiarum habuit trecenta & ſeptem millia & quingentos. Hae ſaepe luſtrabantur per Ieielem ſcribam & praetorem Maaſeiam. Inter duces eminebat Chananias. Principum fortiumque virorum numerus erat bis millium & quingentorum. Omnibus iſtis copiis iuſta arma pro temporum iſtorum ratione comparata. Noua quoque inſtrumenta bellica ad ſagittas, lapidesque ingentes promte iaculandos, excogitata. Ex quibus omnibus magna regis huius fuit celebritas. Bellicae autem rei ita ſtudioſus fuit, vt nec agriculturam nec pecuariam negligeret. Pecoris vim ingentem aluit in vallibus & campis, vineasque & ſegetes habuit in montibus, ſpeciatim in Carmelo, tribus Iudae monte, in quo olim Nabal praedia ſua & greges habuerat; *I. Sam. XXV. 2.* Iſta autem felicitate ſuamet culpa excidit. Animo enim elatus ad eam dementiam venit, vt ſacerdotum inuaderet officia. Eam enim templi partem, quae *ſanctum* dicitur, ingreſſus eſt, vt ſuffitum offerret ſuper ara thymiamatum. Forte coniungere exemplo aliarum gentium ſacerdotium cum imperio voluit. At ſtatim eum ſecutus Azarias ſacerdos ſummus cum ſacerdotibus octoginta, qui erant בני חיל *viri fortes.* Hi reſiſtebant regi, fas ei eſſe negantes, offerre ſuffitum domino, quippe quod ſacerdotum, poſterorum Aaronis, qui ad ſuffiendum eſſent conſecrati, eſſet proprium. Egredi itaque e ſancto iubent, cum ea in re peccauerit, idque *ei a Deo non fore gloriae*, hoc eſt, non permiſſurum Deum, vt ea in re gloriam quaereret. Rege vero in iram efferueſcente, cum iam acerram ad ſuffiendum manu teneret, & cum ſacerdotibus rixaretur, ſubito lepra in fronte eius exorta eſt. Quod cum ſacerdotes conſpicerent, feſtinanter eum exire iubent: immo & ipſe ſe proripiebat, quia plaga ſe a Deo percuſſum ſentiebat. Et hicce quidem morbus ei, quamdiu vixit, adhaeſit, vnde & ſeorſim in aedibus ſeparatis habitare coactus eſt. In ebraeo eſt, quod habitauerit בבית החפשית *in domo libertatis.* Chaldaeus hoc interpretatur: *& habitauit extra Ieruſalem*; quorſum & R. LEVI BEN GERSON tendit, qui rationem denominationis hanc reddit, quod homini leproſo nihil negotii ſit cum aliis hominibus, adeoque liber ſit ab omnibus operibus. Alii ſpeciatim ad libertatem ab onere regnandi hoc referunt. At talmudici doctores, quos R. SAL. IARCHI ſequitur, de domo ſepulcrorum, ſeu coemi-

miterio capiunt, quod, eo in loco domum ſibi exſtruendo, ſolitarius vixerit; eo quod *pſalm. LXXXVIII. 6.* dicatur: בַּמֵּתִים חָפְשִׁי *inter mortuos liber.* Sed tot ambagibus opus non eſt, cum res ipſa doceat, liberam domum dici, quae ſeparata eſt ab aliis atque remota. LXX interpretes, cum vocem חפשית non intelligerent, eam more ſuo retinuerunt: *ἀπφουσώθ·* Pro חפשית *II. chron. XXVI. 21.* legitur חפשות eodem ſenſu. Cum ergo Vſias hac ratione regno praeeſſe non poſſet, adminiſtrationem eius filius Iothamus ſuscepit. Cum mortuus eſſet, ſepelierunt eum *cum maioribus ſuis*, hoc eſt, non minus ac maiores eius, non autem eodem in loco, ſed בשדה הקבורה *in agro ſepulturae.* Nimirum ſepultus equidem eſt in ciuitate Dauidis, vt *I. reg. XV. verſ. 7.* dicitur, at in ſepulcra regia non eſt illatus, ſed in agro quodam, qui in ciuitate Dauidis erat, & in quo alia ſepulcra erant, ſepultus eſt. Regiis autem ſepulcris ideo illatus non eſt, quia erat leproſus.

FLAVIVS IOSEPHVS in rebus Vſiae exponendis more ſuo ingenio ſuo mire indulget. Lapſum eius valde exaggerat, dum non tantum διεφθάρη, inquit, τὴν διάνοιαν ὑπὸ τοῦ τύφου, καὶ χαυνωθεὶς θνητῇ περιουσίᾳ τῆς ἀθανάτου καὶ πρὸς ἅπαντα διαρκοῦς τὸν χρόνον ἰσχύος ὀλιγώρησεν, *corruptus eſt arrogantia, & inflatus mortali potentia, immortalem illam ac ſempiternam coepit non magni facere*, ſed &, nec religionis, nec pietatis admodum fuiſſe obſeruantem, ait, vt ad paternam impietatem videretur procliuior. Occaſionem praeterea perpetrati facinoris, ſeu tempus, feſtum aliquod fuiſſe, autumat: *cum veniſſet ſolemnis feſti celebritas, ſumto ſacerdotali habitu, ingreſſus templum, ad aureum altare Deo ſuffitum facturus adſtitit;* cum ſacerdotes illi reſiſterent, regem mortem eis comminatum, dicit, niſi quieſcerent: ὀργισθεὶς, ἠπείλησεν αὐτοῖς θάνατον, εἰ μὴ τὴν ἡσυχίαν ἄξουσι, *iratus mortem illis, ni quieſcerent, minatus eſt.* Haec omnia vt ſine ſcripturae ſuffragio dicuntur, ita eodem prorſus deſtituitur, quod porro adſerit: μεταξὺ δὲ, σεισμὸς ἐκλόνησε τὴν γῆν μέγας, καὶ διαστάντος τοῦ ναοῦ, φέγγος ἡλίου λαμπρὸν ἐξέλαμψε, καὶ τῇ τοῦ βασιλέως ὄψει προσέπεσεν· ὡς τῷ μὲν εὐθέως λέπραν ἐπιδραμεῖν, πρὸ δὲ τῆς πόλεως, πρὸς τῇ καλουμένῃ ἐρωγῇ τοῦ ὄρους ἀποῤῥαγῆναι τὸ ἥμισυ τοῦ κατὰ τὴν δυσμὴν, καὶ κυλισθὲν τέσσαρας σταδίους ἐπὶ τὸ ἀνατολικὸν ὄρος στῆναι· ὡς τάς τε παρόδους ἐμφραγῆναι, καὶ τοὺς παραδείσους τοὺς βασιλικοὺς· *& ecce tibi terra vehementer concutitur, fiſſoque ſuperno templo radius ſolis os regis improbum ferit, quod e veſtigio lepra contactum eſt; acceſſit huic & alind prodigium, quod eodem terrae motu ante vrbem in loco, qui dicitur Eroge, dimidium montis ad occidentem vergentis reuulſum, per quatuor ſtadia volutum obiectu demum orientalis montis conſtitit, obſtructa via publica, & oppreſſis ruina hortis regiis; antiquitat. iudaic. libr.*

IX.

IX. cap. XI. p. 319. Sane quidem tempore Vſiae regis terrae motum in Iudaea contigiſſe, ex *Zachar. cap. XIV. 5.* conſtat. At eodem hoc contigiſſe tempore, quo Vſias lepra infectus eſt, nullibi dicitur, adeoque ex ingenio ſuo hocce fingit IOSEPHVS. De fiſſo ſuperne templo, & radio ſolis in os regis immiſſo, altum itidem in ſcriptura ſacra ſilentium. Quod de dimidio montis ad occidentem vergentis reuulſo dicit, haud dubie ex *Zachar. XIV. 4.* arripuit, vbi tamen de ſtatu noui teſtamenti, ſub ſchemate fiſſurae montis repraeſentato, ſermo eſt, quod variis, iisque prorſus illepidis figmentis auxit. Mitto reliqua, in quibus itidem a ſcripturae narratione diſcedit. Sub initium regni Vſiae Hoſeas atque Amos vaticinari coeperunt, *Hoſ. I. 1. Amos. I. 1.* Eſaias circa finem, *Eſa. I. 1.* qui & de rebus ab eo geſtis commentarios conſcripſit, *II. chron. XXVI. 22.*

§. XXI.

Ioaſi regis Iſraelitici filius & in regno paterno ſucceſſor, Ieroboamus ſecundus, ea equidem fecit, quae Deo non placebant, vitulos quippe exemplo maiorum colens: ſecunda tamen fortuna vſus eſt, eo quod Deum populi Iſraelitici, ad incitas fere redacti, miſereret. Fines namque terrae Iſraeliticae ab introitu Chamathae, vsque ad mare mortuum recuperauit. Per vnum etiam & quadraginta annos regnum tenuit.* Filius quidem eius Zacharias illi ſucceſſit, ſed poſt duos menſes e medio ſublatus eſt a Sallumo, cumque eo Iehu poſteritas interiit, quarta nimirum generatione; quod ita fore Deus praedixerat. Nec Sallumi parricidae diuturna fuit felicitas. Poſt vnius enim menſis imperium, a Menahemo, regiarum copiarum duce, interfectus eſt; qua ratione Menahemus ſimul regno potitus eſt. Hic cum in Tiphſacum vrbem omnem furorem effudiſſet, quod eum non ſtatim recepiſſet, mox a Phule Aſſyriorum rege in anguſtias coniectus eſt, quem ingenti pecuniae ſumma placauit.** Mortuum excepit filius Pekaiah, a Pekacho filio Remaliae mox interficiendus, qui per viginti annos Iſraelis regnum tenuit, minus quidem feliciter. Ea enim aetate Tiglat-Pilleſſer, Aſſyriorum rex, plurimis occupatis Iſraelitarum vrbibus, incolas in captiuitatem abduxit.*** Pekachum Hoſeas tandem interfecit, vltimus rex Iſraelitarum. Imperii enim eius anno nono Salmaneſſer, Aſſyriorum rex, cuius iugum antea receptum excutere voluerat, expugnata poſt triennalem obſidionem vrbe Samaria, quidquid populi Iſraelitici ſupererat, in captiuitatem vltra Euphratem abduxit.*

 * De

* De Ieroboamo II Ioaſi filio, rege Iſraelis, *II. reg. XIV. 23.* dicitur, eum anno decimo quinto Amaziae, regis Iudae, regnare coepiſſe. Solus ſcilicet tum regnare coepit, cum iam antea a patre in regni ſocietatem adſumtus, aut ſucceſſor eius deſignatus eſſet, vt antea ad §. *praeced.* disputauimus. Veſtigiis maiorum in colendis vitulis eum inſtitiſſe, ibidem adſeritur. Hoc ſcilicet *ratio*, quam vocant, *ſtatus*, requirere videbatur. Ionas Amitthais filius, propheta מגת החפר *Gath-cheuerenſis*, de quo in ſequentibus plura dicemus, felicitatem armorum aduerſus Syros ei praedixit. Summa enim calamitas, in qua Iſraelitae conſtituti erant, Deum ad miſericordiam permouerat. In ebraeo eſt: *viderat enim Deus:* את עני ישראל מֹרֶה מאוד vbi vox מרה nonnullis aliquid negotii faceſſit. Cum enim מרה ſignificet *rebellis fuit*, *rebellauit*, haec ſignificatio huc non quadrare videtur, IAC. GVSSETIVS, in *comment. lingu. ebr. p. 480.* plane haeſitat. Nonnulli, vſitatam ſignificationem retinentes, vocem hanc non ad עני, ſed ad vocem ישראל referunt, vt ſenſus ſit: *viderat Deus calamitatem Iſraelis rebellis valde;* conf. R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* At hoc aliis durum nimis videtur. LXX interpretes habent: πικρὰν σφόδρα; & vulgatus: *amarum nimis*, reſpicientes haud dubie ad radicem מרר *amarus fuit.* Et ſane nihil inſolens eſt, ſi dicamus, verbum מרה aliquando a cognata radice מרר ſignificationem mutuari; vt adeo non neceſſe ſit, punctorum vocalium mutationem quandam cum IOANNE CLERICO, ad *h. l.* ſtatuere, ac ſi pro מֹרָה legendum eſſet מָרָה. Interim & propria vocis ſignificatio admitti poteſt, ſi calamitas pertinax, & *quae remediis reſiſtit*, intelligatur. Ita IOANNES COCCEIVS: *non cedentem remediis, & quae per nulla ſolatia vincitur, vt deſinat eſſe moleſta;* in *lexico pag. 450.* Additur porro: ואפס עצור ואפס עזוב ואין עזר בישראל *& non eſſe, qui ſe contineat, & non eſſe, qui relictus ſit, & non eſſe auxiliatorem Iſraeli;* hoc eſt, vt idem IOANNES COCCEIVS, *loc. cit. pag. 636. & 637.* explicat, vix aliquos ſupereſſe vel latentes vel omiſſos; quanquam magis adhuc placeant, qui ita exponunt: neque ex iis, quae claudi ſolent in apotheces vel armaria, neque ex iis, quae expoſita ſunt quibusuis, hoc eſt, plane nihil ſupereſſe. Is ergo cum rerum ſtatus apud Iſraelitas eſſet, nec Deus delere prorſus Iſraelitarum nomen, ſeu ita eos diſpergere, ne peculiarem rempublicam conſtituerent, decreuiſſet, per Ieroboamum II ab hoſtium tyrannide eos liberauit, vt Ionas praedixerat. Is namque, victis Syris, fines Iſraelis recuperauit *ab introitu Chamatae vsque ad mare planitiei*, ad ortum ſcilicet Iordanis, vbi terminus ſeptentrionalis erat Chamatha, meridionalis *mare mortuum*, quod hic vocatur *mare planitiei.* Immo & Damaſcum ipſam atque Chamatam

matam reſtituit ליהודה בישראל *Iudae in Iſrael*, hoc eſt, quae Iudae olim fuerant, nunc Iſraeli reſtituit, ſeu ſubiecit. Nimirum Dauid Damaſci olim praeſidium habuerat, *II Sam. VIII. 6.* Chamatenſiumque rex ſtipendiarius fuit Salomoni, *I. reg. IV. 21.* Iſti ergo reges cum ex tribu Iudae oriundi eſſent, ideo dicitur, Chamatam & Damaſcum olim Iudae fuiſſe. Ieroboamus tamen non Iudae, ſed Iſraeli, qui poſt Salomonis tempora a Iuda diſceſſerat, eas vrbes reſtituit. Ita IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* quae explicatio, vt planior, reliquis a SEBASTIANO SCHMIDIO, ad *h. l.* commemoratis, mihi praeferenda videtur.

** Ieroboamo II, cum per annos vnum & quadraginta ſummam rerum tenuiſſet, mortuo, filius eius Zacharias ſucceſſit. Contigiſſe id dicitur, anno trigeſimo octauo Azariae ſiue Vſiae, regis Iudae, *II. reg. XV. verſ. 8.* Sed & hic ingens ſe ſtatim offert dubium. Cum enim Azarias ſeu Vſias anno decimo quinto vel decimo ſexto Ieroboami, ex quo ſcilicet mortuo patre ſolus rerum potitus eſt, regnare coeperit, vt ad §. *praecedentem* demonſtratum, & vero Ieroboamus per annum vnum & quadraginta regnauerit, ſequitur, eum mortuum eſſe anno regni Azariae vigeſimo ſexto, vel vigeſimo ſeptimo. Quindecim enim annis, quibus Ieroboamus ante Azariam rerum potitus eſt, ſi addas XXVI, ſumma inde reſultat XLI annorum. Si ergo Ieroboamus anno Azariae vigeſimo ſexto, vel vigeſimo ſeptimo, mortuus eſt, quo pacto Zacharias anno Azariae trigeſimo octauo ſuccedere potuit? Hic iterum varias, vt hocce dubium tollant, viri docti ingrediuntur vias; ſed planiſſime mihi rem omnem expedire videntur, qui interregnum vndecim vel duodecim circiter annorum, poſt mortem Ieroboami vsque ad imperium Zachariae, conſtituunt. Sane turbulentus admodum fuit eo tempore regni Iſraelitici ſtatus, vt ex dicendis conſtabit; vnde, interregnum aliquod fuiſſe, mirum non eſt. conf. ABR. CALOVIVS, ad *h. l.* Imitatus eſt Zacharias maiorum ſuorum in colendis vitulis impietatem; cuius etiam mox poenas dedit. Cum enim per ſex ſaltem menſes imperium tenuiſſet, Sallumus, Iabeſi filius, contra eum inſurrexit, eumque palam inſpectante populo occidit, & regnum ad ſe rapuit. Comprobata ita euentu fuit praedictio Numinis, poſteros Iehui ad quartam generationem vsque regnum Iſraelis poſſeſſuros. Nec diuturna Sallumi fuit felicitas, quippe qui per vnicum ſaltem menſem imperium tenuit. Menachemus enim Gadis filius, quem FLAVIVS IOSEPHVS *στρατηγὸν ducem exercitus* vocat, Thirzae, quae regia olim ſedes erat, agens, Samariam aduolat, caeſoque Sallumo, ipſe occupat thronum. Hinc Thiphſachum vrbem excidit, & quidquid incolarum erat in vrbe, aut circumiacente regione (inde a Thirza) iugulauit, inaudito crudelitatis exemplo ne grauidis quidem mulieribus parcens, ſed eos diſcindens; quia ſiue ſtudio in Sallu-

Digitized by Google

Sallumum, ſiue alia de cauſſa, portas ei clauſerat. Eſt equidem vrbs Thiphſachum, quam Graeci Tapſacum vocant, ad Euphratem ſita, cuius *I. reg. IV. 24.* mentio iniicitur, quam & R. LEVI BEN GERSON, aliique ex eadem gente, intelligunt; indeque colligunt, Menachemum non erga Iſraelitas, ſed erga ethnicos iſtam crudelitatem exercuiſſe; ſed, falli eos, manifeſtum eſt. Satis enim ex verbis ſacri ſcriptoris conſtat, Thipſacum non procul a Thirza ſitam fuiſſe: hanc autem ab Euphrate admodum remotam fuiſſe, vel inde conſtat, quia regia olim fuit ſedes. Non tantum autem Menachemus iſta crudelitate ſatis, qualis eſſet, oſtendit, ſed idololatriam etiam domus Ieroboami continuando grauiter Deum offendit. Impietatis itaque ſuae poenas dedit, cum Phul rex Aſſyriorum arma ei intulit; quibus cum reſiſtere non poſſet, mille talentis argenti bellum ab eo redemit, eiusque amicitiam ſibi comparauit. Hanc vero pecuniae ſummam vt colligeret, tributum Iſraelitis, ne quidem exceptis גבורי חיל *viris fortibus*, impoſuit, & a ſingulis quinquagenos ſiclos argenti exegit. Prima haec eſt Aſſyriorum poſt Nimrodi tempora in ſcriptura mentio. Colligitur inde rectiſſime, hac demum aetate auctam eorum potentiam. Eſtque admodum probabile, vicinorum, ſpeciatim Syrorum & Iſraelitarum contentiones occaſionem regni fines dilatandi, potentiamque augendi, illis praebuiſſe. Hinc itaque cum Syros per iſta bella eneruatos ſubiugaſſent, iam ad Iſraelitas procedebant. Sed de rebus Aſſyriorum in ſequentibus ex inſtituto dicemus. Mortuus eſt Menachemus, cum per annos decem regno Iſraelitico praefuiſſet, ſucceſſoremque habuit filium Pekaiam.

*** Pekaiah, Menachemi filius, anno quinquageſimo Azariae, regis Iudae, Iſraelitis imperare coepit; *II. reg. XV. 23.* Dubium equidem hic oritur, quod Menachemus anno Azariae trigeſimo nono regnare coeperit. Cum ergo per annos decem regnum tenuerit, ſequitur, Pekaiam anno Azariae quadrageſimo nono patrem in regno excepiſſe. Sed ſi ſupponatur, Menachemum circa finem anni Azariae trigeſimi noni regnum ſuſcepiſſe, ſique aliquot menſes effluxerint, priusquam Pekaiah regni paterni poſſeſſionem adiret, quod facile fieri potuit, aut ſi Menachemus aliquot menſes ſupra annis decem regnaſſe ſtatuatur, recte dicetur, Pekaiam anno Azariae quinquageſimo rerum habenas ſuſcepiſſe. Vt autem Pekaiah a peccatis domus Ieroboami minime abſtinuit, ita imperium per biennium ſaltem tenuit. Conſpirauit enim contra eum Pekachus, filius Remaliae, tribunus eius, eumque Samariae in palatio domus regiae cum Argobo & Arie confodit. Argob & Arieh nomina praecipuorum Pekaiae miniſtrorum eſſe videntur, quos Pekachus vna cum rege interfecit. Vulgatus pro nominibus locorum ea habet; nec abludit R. SALOM. IARCHI, qui, palatium iuxta haec loca

ca

Digitized by Google

ca fuiſſe, exiſtimat. Alii pro nominibus eorum, qui cum Pekacho fecerint, ea habent. Sed prima praeferenda eſt ſententia. Haud obſcure enim indicat ſcriptor ſacer, Argobum & Arieh fuiſſe cum Pekaiah; ſed Pekachum ſecum habuiſſe quinquaginta viros Gileaditidas, quibus cum illi reſiſtere non poſſent, interfecti ſunt. Pekaiah itaque eiusque praecipuis miniſtris occiſis, regnum ad ſe rapuit Pekachus, idque factum anno Azariae Iudae regis quinquageſimo ſecundo. Regnum tenuit per annos viginti; exemplumque maiorum in peccatis Ierobоami ſecutus eſt. Iam res Israelitarum magis magisque ad vltimam ruinam vergere coeperunt. Tiglath-Phileſſer namque Aſſyriorum rex variis vrbibus Nephtaliticae, Iione, Abel-Bethmaacha, Ianoacho, Kedeſo, Chatſore, immo omni tractu tribus Nephtaliticae, ſeu Galilaea, & regione Gileaditide, occupatis incolas in Aſſyriam tranſtulit. Nouum hoc eſt documentum creſcentis eo tempore potentiae regum Aſſyriorum, qua de re deinceps. Pekachus ab Hoſea, Elae filio, qui contra eum conſpirauerat, confoſſus periit.

* De Hoſea, vltimo Israelis rege *II. reg. XVII. 1.* dicitur, eum anno duodecimo Achazi, regis Iudae, regnare coepiſſe, regnumque tenuiſſe per annos nouem. Sed cum *II. reg. XV. 30.* Hoſeas anno vigeſimo Iothami imperium ſuſcepiſſe dicatur, varia hinc oriuntur dubia. Primo namque Iothamus *ib. verſ. 33.* tantum ſedecim annos regnaſſe dicitur; adeoque annus vigeſimus, ex quo regnare coeperat, reuera erat annus quartus Achazi. Deinde hic omnino anno duodecimo Achazi imperium ſuſcepiſſe dicitur. Sed quod ad prius attinet, fieri potuit, vt Iothamus per aliquot annos vna cum patre regnaret; adeoque annus decimus ſextus, ex quo ſolus regnauit, eſſet eiusdem vigeſimus, ex quo cum patre regnare inceperat. Quanquam &, quae aliorum eſt ſententia, dici queat, Hoſeam reuera anno Achazi quarto imperium ſuſcepiſſe, ſcriptorem autem ſacrum annos regum Iudae a regno Iothami, etſi iam ante quadriennium mortui, ob cauſſas nobis non ſatis perſpectas, deſignare maluiſſe, quam ab annis regiminis Achazi. Ad poſterius autem quod attinet, in diuerſas iterum viri docti abeunt ſententias, ſuntque omnino, qui exiſtimant, mendum hic in rextu eſſe, quod eo facilius contingere poruerit, quod numeri olim litteris ſeu ſignis arithmeticis fuerint expreſſi; adeoque pro בשנת יב *anno duodecimo*, legendum putant בשנת ד *anno quarto.* Ita & IOANNES CLERICVS ad *h. l.* Sed violentam hanc eiusmodi nodos non ſoluendi, ſed ſecandi rationem non eſſe admittendam, ſaepius iam monuimus. Miſſis vero & aliorum conciliationibus, expeditiſſimam hinc emergendi viam eſſe cenſemus, ſi dicamus, Hoſeam anno equidem quarto Achazi, ſeu vigeſimo Iothami, contrucidato Pekacho, regnum inuaſiſſe, ſed ob motus & diſcordias

Digitized by Google

cordias inteſtinas, tranquillam eius poſſeſſionem anno demum Achazi duodecimo adeptum; conf. ABR. CALOVIVS, ad *h. l.* Licet autem Hoſeas anteceſſoribus ſuis paullo melior eſſet, ea tamen fecit, quae Deo neutiquam placebant. Quod anteceſſoribus ſuis melior fuiſſe dicitur, hoc nonnulli ita capiunt, quod eos, qui Hieroſolymam ad verum Deum colendum adſcendere voluerint, non impediuerit. Id namque reliquos feciſſe Iſraelitarum reges. Addunt, vitulos Ieroboami per reges Syriae & Aſſyriae iam fuiſſe ablatos; vid. CHRIST. SCHOTANVS, *bibliothec. hiſtor. ſacr. vet. teſt. tom. II. pag. 960.* Vtcumque haec ſe habeant, iram Numinis, quam Iſraelitae ita in ſe concitauerant, vt vltima iam illis fata inſtarent, euitare non potuit. Salmanaſar namque, tertius Aſſyriorum rex, inter eos, quorum ſcriptura meminit, eum ſibi tributarium fecit. Quo id factum anno, non conſtat. Iugi autem iſtius pertaeſus Hoſeas, cum Soo, Aegyptiorum rege, fedus contra Aſſyrium init. Sitne Sous hicce idem, qui in catalogis regum aegyptiorum Sabachon dicitur, vt IO. MARSHAMVS exiſtimat, deinceps ad §. *XXXV.* disquiremus. Quod cum Aſſyrius comperiſſet, intelligeretque, ab Hoſea tributum ſibi denegari, expeditione ſuſcepta regem cepit, vinctumpue in carcerem coniecit: tota tum Iſraelitarum regione ſibi ſubiecta, ipſam tandem vrbem Samariam poſt triennalem obſidionem expugnat, populumque, qui ſupererat, Iſraeliticum in Aſſyriam abduxit. Sunt, qui putant, (quos inter & R. LEVI BEN GERSON eſt) Hoſeam regem expugnata demum vrbe Samaria captum, & in vincula coniectum eſſe; ſed, vt ab ordine a ſcriptore ſacro obſeruato diſcedamus, nulla nos cogit neceſſitas. Atque iſtam quidem calamitatem peccatis ſuis, cumprimis idololatria foediſſima pertinaciſſimaque ſibi attraxerant, vt ſcriptor ſacer verbis grauiſſimis docet, *II. reg. XVII. 7.* ad *24.* Prima mali origo erat infelix decem tribuum a regno Iudae per Ieroboamum ſeparatio, & hinc ob rationes politicas idololatriae introductio, eiusdemque ob easdem rationes continuatio. Ad ipſam vero regni Iſraelitici euerſionem quod attinet, tres eius gradus obſeruare licet. Primus eſt in morte Ieroboami II, aut Zachariae filii ipſius, abnepotis Iehu, qui, poſtquam ſex menſes imperaſſet, a Sallumo interfectus eſt, vt antea diximus. Qui Zachariam exceperunt, non tam reges, quam latrones ac tyranni fuere, auguſto regum nomine prorſus indigni, qui tyrannidem male partam, neque melius habitam, foede amiſerunt. Alter euerſionis gradus fuit in victoria Tiglath-Phileſſeris, regis Aſſyrii, qui armis in Pekachum verſis totam Gileaditin, Galilaeam & Nephtalitin peruaſtauit, vt itidem ſupra commemorauimus. Tertius denique gradus acceſſit in expeditione Salmanaſſaris, qui capto rege Hoſea, tota regione vaſtata, expugnata vrbe Samaria, reliquum populum in Aſſyriam

Digitized by Google

am abduxit. His vltimus adhuc addi poteſt, cum aliarum gentium coloniae in regionem & vrbes Samariae inuectae ſunt. Quo pacto haec omnia diſtincte a vatibus praedicta ſint, erudite oſtendit HERMANNVS WITSIVS, in *δεκαφύλῳ*, ſiue *de decem tribubus Iſraelis*, *libro ſingulari*, eiusdem *aegyptiacis* addito, *cap. II. pag. 320. ſeqq.*

Vt de ſtatu decem harum tribuum poſt abductionem aliquid addamus, nullum eſt dubium, quin nonnulli ex plebe ab Aſſyriis in terra Iſraelitica relicti ſint, idque ex praedictione Eſaiae vatis, *cap. XVII. 3. ſeqq.* itemque Amoſi *cap. III. 12.* Ad eos autem quod attinet, qui deportati ſunt in captiuitatem, qui praecipui fuerunt, & maximam conſtituerunt partem, ſedes iis ſcriptor ſacer attributas memorat *in Chalach & in Chabor fluuio Gozan, & in vrbibus Mediae*; *II. reg. XVII. 6.* De hiſce locis, de quibus viri eruditi non ſatis inter ſe conueniunt, audire iuuat SAM. BOCHARTVM: *Chalach*, inquit, *eſt Ptolomaei Colachera, ad aquilonem Aſſyriae. Chabor eſt eiusdem Ptolomaei ὁ χαβώρας τὸ ὄρος, mons Chaboras inter Mediam & Aſſyriam, vbi tabulae perperam habent Cuoatras. A quo monte ad mare Caſpium euntibus, medio fere ſpatio occurrit Gauſania, vrbs, id eſt,* גוזן *Gozan, inter duos Cyri alueos; quam regioni & fluuio proximo nomen dediſſe, veriſimile eſt, antequam ibi locorum Perſae dominarentur, a quibus Cyrus dici coepit iſte amnis, vt vicinus alter Cambyſes, in gratiam Cyri & Cambyſis, Phaleg. libr. III. cap. XIV. pag. 220.* Sed quod ad Chabor attinet, longe rectius intelligitur Chaboras fluuius, quem tabulae Ptolomaei ad laeuam Aſſyriae ponunt, incidens in Euphratem, cum & regio circa illum Gauzanitis dicatur, vt erudite monuit IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* add. IAC. BASNAGE, in *hiſtoria Iudaeorum* gallice ſcripta, *lib. VI. cap. IV. tom. IV. pag. 985. ſeqq.* Pro Media, *I. chron. V. 26.* vbi itidem ſedes Iſraelitarum, ab Aſſyriis iis adſignatae, referuntur, legitur הרא *Hara.* Qua de re idem BOCHARTVS *loc. cit.* ita diſſerit: *Neglecta adſpiratione Hieronymus legit Ara. Nempe Media etiam a Graecis alio nomine Aria, & Medi Arii appellantur.* Id quod variis veterum teſtimoniis confirmat, quae inter & illud HERODOTI eſt: *οἱ δὲ Μῆδοι ἄρχοντα παρείχοντο Τιγράνην, ἄνδρα Ἀχαιμενίδην· ἐκαλέοντο δὲ πάλαι πρὸς πάντων Ἄριοι. Medi autem ducem habebant Tigranem Achaemenidem. Porro quondam ab omnibus Arii appellabantur.* Ceterum, cum hac ratione vrbes Iſraelitis adſignatae, aut in Aſſyria, aut in regionibus Aſſyriae vicinis reperiantur, & ſcriptura inſuper teſtetur, Iſraelitas in Aſſyriam & Mediam quae eo tempore Aſſyriis paruit, abductos, nulla profecto vt idem BOCHARTVS rectiſſime pronuntiat, eſt ratio, cur vel in Colchidem & Iberiam, vel in Armeniam minorem, vel in vltimam Scythiam relegentur: quanquam negare nolim, nonnullos ſucceſſu temporis in regiones remotiores, ipſam etiam

iam Scythiam, vel commerciorum gratia, vel alias ob cauſſas, penetraſſe. Maximam autem partem ibidem perſtitiſſe, probabile eſt, donec plurimi, ſoluta praeſertim captiuitate Babylonica, Iudaeis ſe adiungerent, eodem in poſterum nomine deſignandi, reliquis in iisdem ſedibus manentibus, aut hinc inde per orbem vniuerſum per varia fata diſpergendis. Patet hinc, fabulis atque commentis iudaicis adnumerandum eſſe, quod auctor *libri IV. Eſrae, cap. XIII. 40. ſeqq.* hac de re commemorat. Summa huc redit: decem tribus ab Aſſyriis deportatas, nouo religionis, quam in patria male obſeruauerant, amore captos, conſilium ſibi cepiſſe, vt relicta gentium multitudine in vlteriorem regionem, nullis vnquam hominibus habitatam, proficiſcerentur; iſti vero conatui cum Euphrates fluuius obſtaret, Deum non ſine miraculo aquas eius ſtitiſſe, vt eum tranſire poſſent. Vnius hinc & dimidii anni itinere confecto, tandem in deſideratam ſibi regionem veniſſe, cuius nomen ſit *Harſaret*, ibique eos vsque ad tempus vltimum permanſuros, tumque refluis, vt ante, Euphratis aquis, reuerſuros. Quae eiusmodi ſunt, vt nemo temere iis fidem ſit adhibiturus: refutauit tamen ea inſuper HERMANNVS WITSIVS, in δεκαφύλῳ, ſiue de *decem tribubus Iſraelis, cap. IV. §. VIII. ſeqq. p. 343.* Redolet haec narratio fabulam Iudaeorum ſatis notam de fluuio ſabbathico, quam praeter alios ELIAS LEVITA refert, in תשבי ad *voc.* סמבטיון; de qua & plura dabunt IOANNES BVXTORFIVS, *lexic. talmud.* voc. סבט, itemque NICOLAVS FVLLERVS, *miſcellan. lib. I. cap. IX.* Interim fabulae iſtius antiquitas inde eluceſcit, cum auctor libri quarti Eſdrae, quisquis etiam ſit, non diu poſt reſurrectionem Chriſti vixiſſe videatur, eo quod tum in Barnabae, tum in Clementis priori ad Corinthios epiſtola, nonnulla ex hocce libro citentur, vti obſeruatum IOANNI ALBERTO FABRICIO, in *codice apocr. noui teſtam. pag. 936.*

Licet autem iſta ſua ſe futilitate prodant, nonnullorum tamen animos opinio, de Iſraelitis in neſcio quas longinquas regiones delatis, peruaſit; nec defuerunt, qui hinc inde eius rei veſtigia ſibi deprehendiſſe viſi ſunt. Sunt enim, qui per Scythiam diſperſos Tartaris originem dediſſe putant; immo ſunt, qui nomina tribuum Dan, Zebulon, Naphtali, in Tartaria magna ſibi inueniſſe viſi ſunt; conf. IOAN. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS, in *ſynopſi hiſtoriae vniuerſalis*, quae exſtat in *pera librorum iuuenilium, tom. III. part. I. pag. 548.* Varia pro iſta ſententia adfert STEPHAN. MORINVS, in *diſſert. de cognatione Lacedaemoniorum & Ebraeorum*, quae ſecunda eſt inter diſſertationes octo, Dordraci anno M DCC iunctim editas, *pag. 87.* Verum, ſi cuncta paullo accuratius conſideres, ad tenues & inanes ea redire coniecturas, facile deprehendes. Inter mera commenta haec referenda eſſe, luculenter iam oſtendit NIC. FVLLERVS, *l. c.* Nec meliore

liore nititur fundamento illorum ſententia, qui decem tribuum reliquias in ipſa America ſibi inueniſſe viſi ſunt. Ingreſſus in eam vel potius ab ANTON. MONTEZINO, Iudaeo Luſitano, alias AARON LEVI dicto, in eam ſe induci paſſus eſt, MENASSE BEN ISRAEL, qui & in libro, cui titulum fecit: *ſpes Iſraelis*, Amſtelodami anno MDCL edito, eam defendere conatus eſt. Librum iſtum in linguam anglicanam tranſtulit MOSES WALL; eodem vero etiam tempore THOMAS THOROWGOOD idiomate anglicano librum edidit, in quo eandem ſententiam propugnauit, a qua nec LVDOVICVM HENNEPINVM, aliosque, alienos eſſe, erudite obſeruatum IO. ALBERT. FABRICIO, in *bibliographia antiquaria*, *cap. I. §. X. pag. 17. ſeqq.* Vt vero omnia, quae pro ea adferri poſſunt, ad tenuem quandam rituum ac ceremoniarum conuenientiam redeunt; ita iam pridem inania iſta commenta a viris doctis exploſa ſunt, praeſertim a THEOPHILO SPIZELIO, *in eleuatione relationis Montezinianae de repertis in America tribubus Iſraeliticis, & diſcuſſione argumentorum pro origine gentium Americanarum Iſraelitica, a Menaſſe ben Iſrael in* מקוה ישראל *ſeu ſpe Iſraelis, conquiſitorum*; *cum celeberrimi viri, Ioan. Buxtorffii de iudaico iſto conatu ad Theophilum Spizelium, epiſtola, Baſileae, M DC LXI. 8.* Eidem, quem antea laudauimus, doctiſſimo viro IO. ALBERTO FABRICIO, *l. c.* obſeruatum, OLAVM RVDBECKIVM, celeberrimi Atlanticae ſcriptoris filium, in *Lapponia* ſua *illuſtrata*, probatum iuiſſe, reliquias decem tribuum quaerendas eſſe, neque in Aſia, neque in Africa, nedum in America, ſed in regione ſeptentrionali Europae, Lapponia, idque cum itidem tum aliis quibusdam coniecturis probabile reddere, tum ex congruentia rituum quorundam & morum, euincere voluiſſe. Sed plura de ſtatu decem tribuum poſt earum in captiuitatem Aſſyriacam abductionem, dabunt HERMANNVS WITSIVS, in δεκαφύλῳ, ſeu de *decem tribubus Iſraelis, libro ſingulari, cap. IV. ſeqq. pag. 340. ſeqq.* IAC. BASNAGE, in *hiſtoria Iudaeorum libr. VI. cap. II. tom. IV. pag. 931. ſeqq.* MELCH. LEIDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. libr. III. cap. IV. pag. 270. ſeqq.* De ethnicis in terram Iſraeliticam traductis, & orta hinc vtriusque religionis, Iſraeliticae & ethnicae commixtione, ex inſtituto deinceps dicetur, ad §. *XXXIX.*

§. XXII.

Azaria ſiue Vſia Iudae rege vita defuncto, Iothamus, qui patre adhuc viuo, ſed lepra infecto, reipublicae adminiſtrationem ſuſceperat, cum re ipſa regium quoque nomen adeptus eſt. Patrem pietate & verae religionis ſtudio non aequauit modo, ſed ſuperauit, ſacrarum rerum adminiſtrationem iis, quibus a Deo demandata erat, er-

relinquens. Ianuam idem templi ſuperiorem reſtaurauit, ornauitque, & vrbes quasdam in Iudaea turribus inſtruxit. Ammonitas quoque perdomuit, & maius, quam ſoliti fuerant, tributum pendere coegit. In eo ſaltem Deo parum gratus, quod lucos & loca excelſa, idolis conſecrata, non deſtruxit. A Deo itaque derelictus, impedire non potuit, quo minus Pekah, Israelitarum rex, & Rezin rex Syrorum, Iudaeae fines depopularentur. Cum per annos ſedecim imperio praefuiſſet, vitam cum morte permutauit. *

* Vt perſequamur nunc, quae de Iudae regibus dicenda reſtant, Vſiam excepit filius Iothamus, qui anno ſecundo Pekachi Remaliae filii, regis Israelis, regnare coepit, cum annos viginti natus eſſet, imperiumque per annos ſedecim tenuit. Laudatur ob pietatem, & quod patris in iis, quae bona ſunt, veſtigia preſſerit. Maiora his encomia addunt Iudaei, interque hos FLAVIVS IOSEPHVS: οὗτος ὁ βασιλεὺς οὐδὲ μιᾶς ἀρετῆς ἀπελείπετο, ἀλλ' εὐσεβὴς μὲν, τὰ πρὸς τὸν θεὸν, δίκαιος δὲ τὰ πρὸς ἀνθρώπους ὑπῆρχεν· ἐπιμελητὴς δὲ τῶν κατὰ τὴν πόλιν· *Huic regi nulla virtus defuit, erga Deum pio, iuſto erga homines, & reipublicae ſtudioſo; antiquit. iudaic. lib. IX. cap. XI. pag. 320.* Interim excelſa non amouit, ſed permiſit, vt populus in iis Deum coleret. Laudatur *II. chron. XXVII. 2. quod non ingreſſus ſit templum*, eo ſcilicet modo, quo pater eius Vſias hoc fecerat; ſed reprehenditur, quod *populus deprauatis fuerit moribus.* Cum in ebraeo dicitur: משחיתים *corrumpentes*, ſubintelligendum, דרכיהם *vias ſuas.* Maiori ſcilicet ſtudio populum ab idololatria, aliisque vitiis, retrahere potuiſſet. Inſtaurauit idem ianuam aedis Iehouae ſuperiorem, & בחומת העפל in *muro Opheli* (qui locus fuit in vrbe Hieroſolyma, teſte FLAVIO IOSEPHO *de bello iud. libr. VI. cap. XIII.*) multum aedificauit; vrbes quoque in montanis Iudae muniuit; & in ſiluis villas turribus inſtructas condidit. Ammonitas tributum ſibi per annos tres pendere coegit. Circa vltima regni eius tempora Rezin Syrorum, & Pekachus Israelitarum rex, moleſtiam ei faceſſiuerunt. Permittente hoc factum eſt Deo, qui hac ratione tribus Iudae peccata punire voluit; conf. *II. reg. XV, 32.* ad *38.* item *II. chron. XXVII, 1.* ad *9.*

§. XXIII.

Patri Iothamo longe diſſimillimus fuit Achazus, filius & ſucceſſor. In omne enim ſe dedit nequitiae & impietatis genus, Baalisque ſimulacra, & alia idola coluit. Rezini Syrorum, & Pekacho

cho Iſraelitarum regi caſtigandus traditus, non tamen reſipuit. Hinc & ab Idumaeis & Palaeſtinis vexatus, Aſſyrios, vt opem ferrent, magna vi auri & argenti iis tradita, implorauit, nec tamen ex voto impetrauit. Aſſyrius namque hac occaſione vtendum ratus, impetu in Syros facto, eos vincit, & Damaſco direpta, populoque Rirem translato, Rezinem regem interficit. Pekah quoque, Iſraelitarum rex, vrbes quamplurimas eidem Aſſyriorum regi tradere coactus eſt, quarum incolas in captiuitatem abduxit, vt iam antea diximus. Achazus vero, cum Damaſcum, vt Aſſyrio regi obſequium ſuum teſtaretur, veniſſet, altare aliquod ibi conſpexit, quod adeo ei placuit, vt ad eius exemplum Hieroſolymis aliud confici voluerit, in templo collocandum, aeneo illo Salomonis ex loco ſuo amoto. Cum imperii annos ſedecim, vitae autem triginta ſex impleuiſſet, rebus mortalium exemtus, ad plures abiit. *

* Rerum ſummae admotus eſt Achazus anno decimo ſeptimo Pekachi, Remaliae filii, regis Iſraelis, *II. reg. XVI. 1.* Nimirum annus primus Iothami, patris Achazi, incidit in annum ſecundum Pekachi, *II. reg. XV. 32.* Vnde ſequitur, eiusdem Iothami annum decimum ſextum reſpondere decimo ſeptimo Pekachi; eo itaque currente, nec dum finito, mortuus eſt Iothamus, & Achazus filius eius ei ſucceſſit. Et hic quidem viginti tum annos natus erat, regnoque per annos ſedecim praefuit. Patri autem prorſus diſſimilis, Iſraeliticorum regum imitatus eſt impietatem, adeo vt Baalis etiam ſtatuas coleret, *II. chron. XXVIII. verſ. 2.* Immo & filium ſuum ad exemplum Cananaeorum העביר באש *transire fecit per ignem II. reg. XVI. 3.* quod *II. chron. XXVIII. 3.* ita exprimitur: *ſuffitum obtulit in valle filii Hinnom* ויבער את בניו באש *& combuſſit liberos ſuos igne, pro exſecranda conſuetudine gentium, quas Iehoua e conſpectu Iſraelitarum expulerat.* Colligunt inde nonnulli, Achazum liberos ſuos partim igne luſtraſſe, ſecundum priorem locum, partim combuſſiſſe, ſecundum poſteriorem. Vtrumque enim in gente ebraea vſitatum fuiſſe, volunt; immo ex hisce ipſis locis probant. Sed hosce falli manifeſtum eſt, cum luſtratio per ignem, ſeu februatio, apud Ebraeos non fuerit vſitata; & phraſis ebraea העביר בנים באש non vertenda ſit: *transire facere filios per ignem*, ſed, *tradere filios in igne*, vt pluribus CAMPEGIVS VITRINGA docet, *obſeruation. ſacrar. lib. II. cap. I. pag. 252.* & nobis iam ſupra obſeruatum eſt, ad *per. II. ſect. I. §. XXXVI. pag. 764. ſeqq.* Quare & in vtroque hocce loco vnum idemque de Achazo refertur, & quod in priori dicitur, eum *transire feciſſe filium ſuum per ignem*, id in poſteriori explicatur, quod *filios ſuos igne combuſſerit.* Nec inde diuerſi-

tas

tas quaedam argui poteſt, quod in poſteriori loco in plurali dicatur, *filios ſuos*, in priori autem in ſingulari: *filium ſuum*. Non inſolens enim in ſcriptura ſacra eſt, vt ſingularis numerus pro plurali ponatur.

Ceterum, cum hic prima vice vallis Hinnom, ceu locus, in quo liberi comburebantur, commemoretur, de eo aliquid obſeruare haud abs re fuerit. Et IOANNES quidem SELDENVS, & locum iſtum deſcribit, & denominationis quoque rationem reddit, dum *vallis*, inquit, *filiorum Hinnom* (quod ebraice eſt גיא vel גי בן חנם) *in agro ſuburbano erat, a vagitu ſeu lamentis puerorum, dum exurebantur, ita nominata. Nam* חנם *Hinnom a* נהם *nahem, id eſt, gemuit, aut rugiit, volunt deductum. Locus ille Siloe fontibus irrigabatur, & D. Hieronymi aeuo amoenus erat, nemoroſus & hortorum beatus deliciis; atque inde animaduertit ille, alias gentes occupaſſe morem, vt capita fontium & lucos rebus ſacris tam frequenter olim deſtinarent.* Recitatis hinc HIERONYMI verbis, cur eadem vallis Tophet dicta ſit, explicat: *Tophet vero a* תוף *id eſt, tympano, perunt, quod ne lamenta illa & grauiſſimi eiulatus a parentibus exaudirentur, tympanis, dum ſacra fiebant, vicinia perſonaret; de diis Syris ſyntagm. I. cap. VI. pag. 172. 173.* Et eſt ſane Ebraeorum haec ſententia & traditio, conſentiuntque quoad originem & rationem vocis Tophet, & alii, qui & eandem vocem *Eſa. XXX.* 33. per תפתה exprimi putant; conf. SALOM. GLASSIVS, *philolog. ſacr. pag. 1016.* Non deſunt tamen, qui Iudaeorum iſtam traditionem vel hoc nomine in dubium vocant, quod maiora tympana, quae nunc ſunt in vſu, veteribus fuerint ignota, minora vero, quae fidicinae pulſauerint inter ſaltandum, tantum ſonitum edere non potuerint, vt impedirent, quo minus audirentur eorum voces, qui inuiti comburebantur. Ita IOANNES CLERICVS, ad *II. reg. XXIII. 10.* Accedit, quod a תופים *tympanis* non commode poſſit deriuari תופת *Tophet.* Vnde SEBASTIANVS SCHMIDIVS a verbo ſyriaco תוף, quod Syris ſignificat *remouere*, Rabbinis *exſpuere*, hanc vocem deriuare mauult, vt adeo Tophet ſit *piaculum aliquod remouendum igne aut expiandum, vt remoueat poenas, & ſecum auferat*; ad *II. reg. XXIII. 10.* Ad voces גי הנום quod attinet, praeeuntes quidem IOANNES SELDENVS ſibi habet nonnullos ex ebraeae gentis doctoribus, ſpeciatim R. SIMEONEM, in *Ialkut. ad cap. VII. Ierem.* Verum longe rectius alii docent, Hinnom eſſe nomen proprium viri, cuius olim vallis iſta fuerit; vnde & non tantum *vallis Hinnom*, ſed & *vallis filiorum Hinnom* vocatur; vid. PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. cult. &c. part. IV. cap. II. pag. 566. 567.* Cum vero locus iſte ob foedam idololatriam, infantum Molocho oblatorum vlulatus, elatas ſordes, & perpetuum ignem infamis, & adeo ad inferorum horrorem repraeſentandum aptiſſimus eſſet, factum

Digitized by Google

ctum eſt, vt apud Iudaeos locus damnatorum eadem voce גיהנים exprimeretur, indeque etiam eſt vox γέεννα, in nouo teſtamento occurrens; vid. IO. LIGTFOOTVS, *hor. ebr. in Matth. cap. V. pag. m. 286.*

Ad Achazum vt reuertamur, Deus vt impietatem eius puniret, Rezin regem Syrorum & Pekachum regem Iſraelitarum contra eum excitauit, a quibus multi Iudaeorum interfecti, multi & a Syris in captiuitatem Damaſcum abducti ſunt. Prima eſt haec expeditio ab vtroque rege in Iudaeam ſuſcepta, quae *II. chron. XXVIII. 5. ſeqq.* deſcribitur. Diuiſis vero copiis irruiſſe in Iudaeam videntur, & duabus cladibus atriuiſſe Achazum. In proelio inter Iudaeos & Iſraelitas commiſſo, ceciderunt vno die Iudaeorum centum & viginti millia, qui omnes viri fortes erant. Zichri praeterea vir bellicoſus, ex tribu Ephraim, Maeſeiam filium regis, itemque Azrikamum domui regis praefectum, & Elkanam, ſecundum a rege, ſua manu obtruncauit. Captiuos Iſraelitae ex Iudaeis abduxerunt ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum, magnamque praedam Samariam auexerunt. Dum vero cum captiuis ad Samariam adpropinquabant, Odedus vates diuinus obuiam iis proceſſit, iramque Numinis, ni captiuos dimitterent, denuntiauit. Quo eius ſermone permoti principes quidam ex tribu Ephraim viri, auctoritate ſua effecerunt, vt captiui dimitterentur, quos veſtibus iterum calceisque inſtructos, cibo etiam potuque recreatos, infirmis in aſinos poſitis, Hierichunten ad fratres ſuos deduxerunt; *II. chron. XXVIII. 5.* ad *16.* Interea Achazus ad regem Aſſyriorum miſit, vt eum contra Syros & Iſraelitas concitaret. Qua re, vt videtur, irritati Syri & Iſraelitae, altera vice expeditionem in Iudaeam ſuſceperunt, vrbemque Hieroſolymam obſederunt, qua de re *II. reg. XVI. 5. ſeqq.* agitur. Conſtitutum nimirum Syris atque Iſraelitis fuit, eiecto Achazo, filium Tabeelis Iudaeae regem conſtituere, *Eſa. VII. 6.* Quis Tabeel hicce fuerit, num Iudaeus, an aliquis ex magnatibus Syriae, non conſtat. Eodem fere etiam tempore Idumaei pariter ac Philiſtaei contra Iudaeos inſurrexere, & Philiſtaei quidem varias illis eripuerunt vrbes, *II. chron. XXIX. verſ. 16. 17. ſeqq.* Pertinetque huc, quod *II. reg. XVI. verſ. 6.* dicitur: *illo tempore reſtituit Rezin Aramaeorum rex Elatham Syris, eiecitque Iudaeos ex Elathis* (quo facto) *Idumaei ingreſſi Elatham illic habitarunt, ad hodiernum vsque diem.* Hoc equidem dubium nonnullis aut obſcurum nimis videtur, quo pacto Syris haecce vrbs reſtituta dici poſſit, & ab iis etiam inhabitata, cum Idumaeos eam incoluiſſe conſtet, & a Syriae finibus nimis etiam fuerit remota. Ea res etiam Maſorethas permouiſſe videtur, vt pro וארומים legendum cenſuerint: ואדומים. Immo hinc & alii concludunt, pro לארם legendum eſſe לאדום. Qui τὸ keri ſequuntur, & in

in reliquis textum minime corruptum ſtatuunt, ita hinc ſe expediunt, vt dicant, Syriae regem vrbem hanc occupaſſe, & Edomitis habitandam dediſſe, ita tamen, vt Syris eſſet ſubdita; Iudaeos vero inde eieciſſe, quos Vzias eo transtulerat, *II. chron. XXVI. 2.* Eadem vero etiam ratione dici poteſt, quod non tantum Syriae rex hanc vrbem imperio ſuo ſubmiſerit, ſed Syris etiam quibusdam eam inhabitandam dederit. Vnde, vt cum Maſorethis pro וארומים legamus ואדומים, non neceſſe fuerit. In ſummis ergo anguſtiis cum Achazus, tum ob hoſtium potentiam, tum ob Aſſyriorum, quorum auxilium implorauerat, moram, conſtitutus eſſet, Eſaias vates eum erexit, & liberationem ab hoſtibus promiſit, *cap. VII. 6. ſeqq.* Dicit ibi inter alia vates diuinus, fore, vt intra annos LXV confringatur Ephraim. *Deinde*, inquit, *intra ſexaginta quinque annos confringetur Ephraim, vt non ſit populus.* Non dicit, *vt prorſus non ſit*, ſed *vt populus non ſit*, hoc eſt, vt rempublicam non habeat. Dubium ergo non eſt, quin hoc ad decem tribuum in captiuitatem Aſſyriacam transportationem ſpectet.

Sed magna hic de annorum iſtorum computatione oritur difficultas. Ab eo enim tempore, quo haecce prophetia edita eſt, vsque ad deportationem tribuum, nonniſi XXIII effluxere anni. Qua re inductus HVGO GROTIVS, textum hic ſollicitat. *Omnino*, inquit, *videtur error eſſe in ſcriptura ebraica, addito* ים *ad* שש. Legendum ergo putat שש וחמש *ſex & quinque*, id eſt, *vndecim. Ex quibus duo* (ita pergit) *pertinent ad vltima tempora Phaceae regis; nouem autem ad tempora Hoſeae itidem regis decem tribuum &c.* Verum hancce eiusmodi nodos non ſoluendi, ſed ſecandi rationem violentam, ſaepius iam reiecimus. Accedit, quod a more loquendi Ebraeorum alienum ſit, loco *vndecim*, *ſex & quinque* dicere; cuius locutionis, aut ſimilis etiam, vix vllum proferri poterit ex ſcriptura ſacra exemplum. Plerique ergo in eo conſentiunt, initium huius computationis ad antiquiora referendum eſſe tempora, licet rurſus in certo termino figendo inter ſe non conueniant. Nonnulli ad Amoſi prophetiam hic reſpici putant, acſi ſenſus eſſet: ego Eſaias repeto, confirmo & illuſtro prophetiam Amoſi, qui iam ante annos fere XLV ruinam & exitium denuntiauit Iſraelitis decem tribuum, *Am. IV. 23. V. 27.* atque ipſi etiam Damaſco *Am. I. 3.* denuntioque, quod non denuntiauit Amoſus, intra LXV illos annos a vaticinio iſto Amoſi computandos, paullatim atterendum, tandem conterendum Iſraelem eſſe, vt populus eſſe deſinat. Ita doctores ebraei R. SAL. IARCHI, R. ABEN ESRA, R. ISAAC. ABARBANEL, quos plurimi ex chriſtianis magno numero ſequuntur. Praeterquam vero, quod haec interpretandi ratio admodum coacta ſit, vel hoc etiam nomine admitti nequit, quod

Digitized by Google

quod Amoſiani vaticinii nulla apud Eſaiam mentio, immo nullum adſit veſtigium, ex quo cognoſci queat, Eſaiam vatem ad iſtud reſpicere; vt reliqua taceam, quae huic ſententiae opponi poſſunt, in medium adlata ab HERM. WITSIO, in δεκαφύλῳ ſeu de *decem tribubus Iſraelis libro ſingulari*, *cap. II.* §. *XVI.* Ipſe vero vir doctiſſimus IOAN. COCCEIVM ſecutus, omnia ex facili fluere putat, ſi computationem incipere liceat a morte Ierobeami II, in qua abolitum eſt legitimum regnum Iſraelis. Iam Zacharias, inquit, filius eius tandem ad gubernacula admotus eſt, & nonniſi ſex menſes imperio potitus, reliqui fures potius ac praedones fuerunt, quam reges. Docere ergo Eſaiam putat, LXV annos poſt abolitum regnum, populum quoque confractum iri, ne ſit populus. Nec enim inſolens eſſe ſcripturis, vt aeram vetuſtiorem a ſua conſummatione denominent: cuius rei ex libro iudicum varia proferri exempla queant. Verum ſi vel maxime iſta computandi ratio non prorſus ſit inſolens, non temere tamen eam admittendam eſſe, multumque habere obſcuritatis, nemo non fatebitur. Obſtant praeterea aperta vaticinii huius verba: בעוד *adhuc ſexaginta quinque anni*, diſerte indicantia, initium iſtorum ſexaginta quinque annorum a tempore editi vaticinii capiendum eſſe. Quare illorum praeferenda ſententia, qui oraculum hocce de totali decem tribuum Iſraelis abductione interpretantur. Nimirum initium abductionis factum a Salmanaſſare *II. reg. XVII. 6. XVIII. 9. 10. 11.* ſed finem impoſuit Aſſarhaddon, abductis reliquis Iſraelitis, & coloniis aliarum gentium, in regione & vrbibus Samariae collocatis. Ita annorum in vaticinio deſignatorum ſibi conſtat ratio. A primo enim Achazi anno, quo editum hocce oraculum videtur, ad Hiſkiam elapſi ſunt anni XV; *II. reg. XVI. 2.* Hiſkiae anni numerantur XXIX; *II. reg. XVIII. 2.* Quibus ſi addas annos XXI Manaſſis, prodibit inde ſumma LXV annorum. Vltima autem iſta Iſraelitarum abductio, & coloniarum in illorum regionem & vrbes introductio, anno circiter vigeſimo primo Manaſſis contigiſſe videtur; conf. ABRAH. CALOVIVS, ad *Eſa. loc. cit.*

Sed vt eo, vnde digreſſi ſumus, redeamus, cum Achazus ob moram Aſſyriorum, vt antea diximus, in anguſtiis conſtitutus eſſet, a prophetha quidem erectus ac confirmatus, diuinarum promiſſionum mox ſenſit veritatem, vrbe Hieroſolyma a Deo, etiam ſine Aſſyriorum ope, ſeruata. Quia tamen verbis prophetae fidem non adhibuerat, Aſſyriae rex, cuius animum magnis muneribus, ex theſauris templi & domus regiae ſumtis, ſibi conciliare adniſus fuerat, non tantum opem non tulit, ſed adflixit potius. Hoc diſerte *II. chron. XXVIII. 20.* dicitur: *venit deinde ad eum Tiglath-Philneſer, Aſſyriorum rex, qui eum ad magnas anguſtias redegit, nec*

 vires

vires eius auxit. Additur: licet Achazus magna ei munera dederit, non tamen illi fuiſſe auxilio. Damaſcum tamen vrbem Aſſyrius obſidione cinxit, & expugnatam deſtruxit, Rezine interemto, & populo Kirem, Mediae, vt videtur, vrbem, in captiuitatem abducto. Etſi enim LXX interpretes vna cum vulgato Κυρήνην ſeu Cyrenas habeant, probari tamen nequit, hanc Africae vrbem eo tempore Aſſyrii regis imperio fuiſſe ſubiectam. Impleta ita, quae diuini vates, Eſaias atque Amoſus, de Damaſco vrbe praedixerant. Quo pacto Pekachus ab Aſſyriis caſtigatus ſit iam ſupra ad §. XXI. dictum; conf. *II. reg. XV. 21. ſeqq.* Cum Damaſcum Tiglath-Pileſer euertiſſet, Achazus ei obuiam iuiſſe dicitur, *II. reg. XVII. 10.* ad obſequium ſcilicet teſtandum, adeoque haud dubie inuitus. Id enim ex iis, quae hactenus dicta ſunt, ſequitur. Cum ergo Damaſci eſſet, aram ibi vidit, quae cum placeret, formam eius expreſſam ad pontificem Vriam miſit, qui ſecundum eandem Hieroſolymis ſimilem exſtrueret. Eam idolorum cultui deſtinatam, non dicitur, nec veroſimile. Probabilius, eum vero Deo in hoc altari ſacrificia offerre voluiſſe. Vnde, quid eum ad hoc induxerit, praeter ineptam ἐθελοθρησκείαν, vix dixeris. Debuiſſet ab hocce inſtituto regem reuocare Vrias ſacerdos; qui tantum abeſt, vt hoc faceret, vt placendi ſtudio abreptus, ſe ad morem voluntati regis in omnibus gerendum, promtum paratumque oſtenderet. Damaſco ergo Hieroſolymam redux rex, aram Damaſcenae ſimilem exſtructam inuenit, inque ea adoleuit, holocauſtum ſuum & farreum munus, & libamen ſuum effudit, & reliqua fecit, quae in altari aeneo, ex lege conſtructo, fieri ſolent. Altari hinc aeneo Salomonis e loco ſuo moto, in nouo ſeu magno altari ea omnia in poſterum peragi voluit, quae hactenus in aeneo iſto peracta fuerant; ad hoc vero, ſeu aeneum Salomonis quod attinet, dicebat: יהיה לי לבקר *erit mihi ad quaerendum.* LXX interpretes haec verba reddunt: εἰς τὸ πρωῒ *ad matutinum*, quaſi legiſſent: לַבֹּקֶר quod tamen ineptum. Nec rectius vulgatus: *paratum erit ad voluntatem meam.* Senſus namque eſt, *erit mihi ad quaerendum*, ſi ſcilicet aliquod ſacrificium in eo offerre velim; hoc eſt, ego diſpiciam, an extra ordinem aliquando ſacrificium in eo offerre libeat. Patet itaque, altare illud nouum ordinarium eſſe debuiſſe, vetus autem ſeu Salomoneum, velut pro extraordinario fuiſſe reputatum. Quae ad pecuniae ſummam, quam Aſſyriis dare debebat, congerendam in templo mutauerit, ſcriptor ſacer his verbis exprimit: *Praeterea rex Achazus abſcidit* המסגרות והמכונות *clauſuras baſium*, ſeu potius, *limbos & baſes* (concharum aenearum) forte vt venderet vel monetam inde cuderet; *amouitque ab iis conchas. Labrum etiam aeneum demiſit, e bubus aeneis, qui ei ſuberant, atque pauimento lapideo*

(ab

(ab ipſo confecto) *impoſuit. Quin etiam tectum ſabbathi, quod aedificatum fuerat in aede, & introitum regis exteriorem amouit a Iehouae aede, propter Aſſyriorum regem.* Vbi cumprimis, quid per מוסך השבת *tectum ſabbathi* intelligatur, quaeri ſolet. LXX interpretes haud dubie neſciuerunt ipſi, quid ſibi vellent, dum verterunt: *τὸ θεμέλιον τῆς καθέδρας*, quanquam fieri potuerit, vt legerint ſeu legendum cenſuerint, מיסד הַשֶּׁבֶת *fundamentum ſellae.* Et ipſi ſane Ebraeorum doctores ignorant, quid ſit *tectum ſabbathi.* Coniecturis ergo cum indulgendum, probabile eſt, fuiſſe porticum quandam, aut ſimile quidpiam, extra templum aedificium, laminis aeneis tectum, in quo populus die ſabbathi, cum omnes vna vice ob nimiam multitudinem ingredi non poſſent, commoratus fuerit, donec egredientibus ex templo prioribus, reliquis quoque illud intrare liceret. Sic & per *introitum regis*, forte veſtibulum aliquod intelligitur, quod cum aere tectum ornatumque eſſet, Achaz itidem aeque ac tectum ſabbathi, diruit, vt pecuniam inde conflaret, quam traderet Aſſyriorum regi. Et haec quidem Achazi fuere fata. FLAV. IOSEPHVS hic equidem more ſuo a textu ſacro in quibusdam diſcedit: ſed cum ea non magni momenti ſint, iis non immorabimur.

§. XXIV.

Peſſimi patris optimum quandoque filium eſſe poſſe, Ezechiae, Achazi filii, exemplo patuit. Is cum imperium adeptus eſſet, reſerato templo, ſordibusque inde eiectis, Deum iterum ſecundum legis Moſaicae praeſcriptum coli, ſacrificiisque placari voluit. Paſchatos quoque feſtum, conuocatis Hieroſolymam non Iudaeis modo, ſed & Iſraelitis, celebrauit, quod diu hactenus intermiſſum fuerat. Hinc exciſa vndique & exſtirpata idola; nec ſerpenti aeneo a Moſe ipſo erecto, rex religioſiſſimus pepercit, cum nonnulli eodem ad idololatriam abuterentur. * Secunda hinc etiam fortuna vſus, Palaeſtinos bis proelio victos, perdomuit. Aſſyriis autem ſe imparem credens, vectigal, quod patri Achazo impoſitum, ſe ſoluturum pollicetur, pacemque ter centenis talentis impetrat; ſed non diuturnam. Hieroſolymam enim obſidione cinxit Sennacheribus, legatis eius magna inſolentia & regi, & vero Deo ipſi inſultantibus. Dum autem ob famam de Thirhacae Aethiopum regis aduentu Aſſyriorum rex reuocabatur, fremens furensque litteras minarum plenas, contumeliisque refertas, ad Ezechiam miſit, qui ad Deum iterum conuerſus ab eo ſolo auxilium petit, & exſpectat, mox & impetrat, Aſſyriorum centum

tum & octoginta millibus ab angelo interfectis, ipſo rege ſumma feſtinatione Niniuem ſe recipiente, ibique a filiis ſuis mox interficiendo.** Ezechias autem nouo beneficio a Deo adficitur, dum a morbo grauiſſimo liberatus, prorogationem vitae ad annos quindecim ab eo impetrat, miraculo ſingulari in ſciaterico, ne hac de re dubitaret, confirmatus. At, dum legatis Babyloniis per oſtentationem quandam theſauros ſuos oſtendit, haec omnia Babyloniis aliquando in praedam ceſſura, ab Eſaia vate audire cogitur. Peracto, quod ei a Deo adhuc conſtitutum erat, tempore, placide ex vita diſceſſit, cum per annos viginti nouem regni habenas tenuiſſet.***

* Ezechias, qui & Hiskias dicitur, filius fuit Achazi, quem ex Abi, Zachariae filia, ſuſcepit. Viginti quinque annos natus erat, cum regnare coepit, regnauitque viginti nouem Hieroſolymis, *II. reg. XVIII. 2.* Cum Achaz tantum triginta ſex annos vixerit, *II. reg. XVI. 2.* ſequitur, ſi eo mortuo Hiskias fuit annos natus XXV, illum anno aetatis circiter vndecimo filium huncce genuiſſe. Quod cum vix credibile videatur, non deſunt, qui & hic textum ſollicitant, ac ſi pro כה XXV olim ſcriptum fuerit כ XX; conf. IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* Verum rectius alii obſeruant, non inſolens eſſe in ſcriptura ſacra, vt anni inchoati, aut non completi, praetermittantur; quod & in annis Achazi fieri potuit. Sic, cum XX annorum fuiſſe dicatur, cum regnare inciperet, nihil obſtat, quo minus annus incompletus addatur, vt adeo eo adnumerato fuerit XXI annorum; ſic &, cum ſedecim annis, ſcilicet completis regnauerit, addi adhuc poteſt decimus ſeptimus, ſeu incompletus; vt adeo anno aetatis trigeſimo octauo moreretur. Iam, ſi porro ſupponatur, Ezechiam XXIV annorum completorum fuiſſe, & vigeſimum quintum ſaltem ingreſſum, cum pater moreretur, Achazus annos XIV natus eſſe potuit, cum filium Ezechiam gigneret. Vt vero ea quis aetate liberos procreet, apud gentes praeſertim orientales non eſt inſolens; conf. ABR. CALOVIVS, ad *II. reg. XVIII. 2.*

Cum regni habenas ſuſcepiſſet Ezechias, prima cura fuit, purgato templo, cultum Numinis ſecundum legis Moſaicae praeſcriptum reſtaurare. Eum enim clauſis templi foribus plane intermiſſum fuiſſe, ex *II. chron. XXIX. verſ. 3.* condiſcimus; *is igitur* (Ezechias) *primi anni, quo regnauit, menſe primo aperuit fores aedis Iehouae, easque inſtaurauit.* Quod & deinceps ipſe rex in oratione, qua ſacerdotes & Leuitas ad purgandum templum, cultumque Numinis reſtituendum, grauiter adhortatur, indicat: *clauſerunt etiam fores porticus, exſtinxerunt lucernas, ſuffitum non adoleuerunt, nec holocautoma Deo Iſraelis in ſanctuario obtulerunt.* Quo pacto autem

Digitized by Google

tem haec omnia ex voluntate regis peracta, cultusque diuinus ſolenni quadam ratione reſtitutus ſit, fuſe *II. chron. XXIX. 12.* vsque ad *fin.* deſcribitur; quae vt hic repetamus, neceſſe non eſt. Hinc paſchatos feſtum diu hactenus intermiſſum, magna celebratum ſolennitate. Differre illud Hiskias in annum ſequentem noluit; adeoque, cum dies XIV menſis Niſan iam praeteriiſſet, ſequenti menſe illud celebrauit, idque aliquando fas eſſe, ex *Num. IX. verſ. 10. 11.* collegiſſe videtur. Tempore autem ordinario id celebrare non potuit, eo quod templum prius repurgandum eſſet, nec ſacerdotum mundorum tantus ſtatim praeſto eſſet numerus, quantum feſti ſolennitas requirebat. Inuitati & Israelitae ſunt, qui ex decem tribubus ſupererant, & quibus Hoſeas rex imperitabat, quiue non tam ſeuere, quam anteceſſores eius, populum a ſacris vero Deo Hieroſolymae faciendis abſtinuiſſe videtur. Nec ſine Numinis hoc contingebat directione ſingulari, quia ſimul hac ratione Israelitae ante vltimam perniciem denuo ad poenitentiam inuitabantur. Plerique tamen hanc inuitationem adſpernati ſunt, immo nuntios deriſerunt, & ſubſannarunt. Ex tribu Aſſer, Manaſſe & Zabulon, nonnulli comparuerunt; immo ex *verſ. 18.* conſtat, plurimos quoque ex tribu Ephraim & Iſaſchar adfuiſſe. Cum vero inter eos, qui ad paſcha celebrandum confluxerant, plurimi, quod immundi eſſent, agnum paſchalem mactare non poſſent, Leuitis hocce munus datum, quod ceteroquin patrum familias erat proprium. Ita namque viri eruditi ſentiunt: quamuis rurſus nec deſint, qui primum ſaltem agnum paſchalem, quem Israelitae in Aegypto comederunt, a patribus familias mactandum fuiſſe, contendant, deinde hocce ius ſpectaſſe ad ſacerdotes. In his & HVGO GROTIVS eſt ad *h. l.* qui ex diſpenſatione Hiskiae factum putat, quod Leuitae in agnorum paſchalium mactatione ſacerdotum munere functi ſint; quod tamen ex textu vix colligas, ex quo potius patet, quod loco patrum familias Leuitae agnos paſchales mactauerint. Interim illorum ſententia, qui, ſacerdotum hoc munus fuiſſe, autumant, pondus accipit ex auctoritate IOSEPHI de *bello iudaic. lib. VII. cap. XVII.* vt contra ſecus ſentientibus PHILO fauet, in *vita Moſis lib. III. pag. 686.* Veritati maxime conſentaneum puto, agnos paſchales plerumque, non tamen ſemper, in templo, ſed a patribus familias, niſi immundities aut aliud quid his obſtabat, fuiſſe mactatos; adeoque illorum, qui patribus familias hocce ius vindicant, potiores mihi rationes eſſe videntur. Legenda, quae hac de re diſputat MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republica Ebraeor. part. I. lib. IX. cap. IV. pag. 548. ſeqq.* Cum multi ex populo pio animi propoſito ad feſtum hocce celebrandum acceſſiſſent, & licet mundi non eſſent, כטהרת הקדש *ſecundum puritatem ſanctuarii*, (quae adeo a puritate interna & morali haud obſcure

ſcure hic diſtinguitur) nihiloſecius tamen agnum paſchalem comederent, hoc vt illis condonaret, Hiskias Deum precatus eſt; quas quidem eius preces Deus etiam exaudiuit, וירפא העם & *ſanauit populum*, hoc eſt, hoc condonauit, vel remiſit ei, nec ideo illi iratus fuit. Signo quodam externo hoc innotuiſſe, vix dubitare licet; etſi ideo Iudaeorum commentum, neminem pollutum edere paſcha potuiſſe, quin ſtatim moreretur, admittendum non ſit. Reliqua de ſolenni paſchatis huius celebratione, ex *II, chron. XXX.* nota ſunt. Hisce rite peractis, omnes Israelitae, qui erant in vrbibus Iudae, egreſſi ſunt, & fregerunt ſtatuas, ceciderunt lucos, demolitique ſunt loca excelſa & altaria ex vniuerſo Iuda, Beniamine, Ephraimo & Manaſſe, donec aboleuiſſent, *II. chron. XXXI. 1.* Adprobante & laudante Hiskia, hoc eos fecisſe, vix eſt, quod dubitemus, etſi non negauerim, peculiarem quoque inſtinctum diuinum ſubfuiſſe. Quod autem in regionibus decem tribuum iſta perficere potuerint, nemo mirabitur, qui cogitauerit, eos partim Aſſyriis ſubiectos fuiſſe, qui res ad religionem ſpectantes parum curaſſe videntur, partim ſub Hoſea rege in tam turbato rerum ſtatu fuiſſe, vt talia impedire non voluerint, nec potuerint.

De ipſo, quoque Hiskia *II. reg. XVIII. 4.* dicitur, eum amouiſſe loca excelſa, confregiſſe ſtatuas, excidiſſe lucos & comminuiſſe ſerpentem aeneum, quem fecerat Moſes, additurque: *quia vsque ad ea tempora Israelitae ei thymiamata offerebant.* Nimirum, quod ad aeneum ſerpentem Moſis attinet, vltima verba aperte docent, pridem ante Hiskiae tempora cultum eius inualuiſſe. Potuit fieri, vt initio nonnulli animo non malo ad ſimulacrum illud in honorem veri Dei, ſuffitum adolerent; alii deinde aucta ſuperſtitione, verum Deum Israelis ſub iſta imagine colerent; vnde tandem ſerpens hicce aeneus in inſtrumentum foediſſimae idololatriae euaſit. Ebraeorum doctores ſub regibus Iudae demum hanc ſuperſtitionem originem ſumſiſſe, autumant. Et ſane Dauid vix eiusmodi quid videtur paſſurus fuiſſe. Alii tamen originem huius ſuperſtitionis ad tempora iudicum referunt, adeoque verba haec *vsque ad ea tempora, &c.* ita capiunt; ab eo tempore, quo idola colere coeperunt, vsque ad tempora Ezechiae &c. Ita PETRVS IVRIEV, *hiſtor. critic. dogm. & cult. &c. part. IV. tract. VIII. cap. III. pag. 740. ſeqq.* Eo autem facilius fieri potuit, vt Israelitae aut verum Deum, aut ſucceſſu temporis aliam quandam diuinitatem ſub imagine ſerpentis venerarentur, quod & aliae gentes ſerpentibus diuinitatem quandam tribuerent, & eos pro numinibus colerent. Sic aſpides ab Aegyptiis τιμᾶσθαι ἰσχυρῶς, *vehementer coli*, ex PHYLARCHO tradit AELIANVS, *lib. XVII. de animalib. cap. V.* vt aliarum gentium exempla taceam, quae GERHARDVS IOANNES VOSSIVS

vs exhibet, *de orig. & progreſſu idololatriae lib. IV. cap. LXIII. p. 558.* & quem iam laudaui PETRVS IVRIEV, *loc. cit. pag. 741.* Rectiſſime autem feciſſe Hiskiam, quod ſerpentem iſtum aeneum deſtruxerit, non eſt, quod dubitemus. Etſi enim R. SAM. LANIADO excuſare ſerpentis aenei cultores velit, quod nonniſi in honorem veri Dei, & memoriam miraculi per aeneum ſerpentem editi, illi adoleuerint, in *keli iakar*, *ſeu comm. ad h. l.* parum tamen hac ratione proficit, cum idololatriae non minus rei ſint, qui ſub quacunque imagine aut ſymbolo verum Deum colunt, quam qui aliquid praeter verum Deum pro numine venerantur. Hiskias praeterea, vt oſtenderet, ſerpentem iſtum aeneum eiusmodi cultu neutiquam dignum eſſe, eum vocauit נחושתן h. e. *aes eorum*, ſeu *aeneam molem*, a נחשת *aes*, quaſi dicas, hoc aes eſt, praetereaque nihil. Alii tamen non ab Hiskia in contemtum, ſed ab Iſraelitis, qui ſerpentem iſtum colebant, eum ita vocatum, contendunt, vt adeo נחושתן fuerit velut nomen proprium huius idoli. Ita AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. III. loc. V. pag. 453.* & alii, quorum tamen rationes mihi non probantur. Plura de hocce ſerpente dabit IOANNES BVXTORFFIVS, *exercitat. de ſerpent. aeneo, pag. 482. ſeqq.* Quo pacto Hiskias certas ſacerdotum & Leuitarum claſſes conſtituerit, & illorum ſustentationi proſpexerit, ex *II. chron. XXXI.* conſtat.

** Cum ſincerus veri Dei cultor eſſet Hiskias, magna in rebus omnibus, etiam in bellis contra hoſtes ſuos ſusceptis, vſus eſt proſperitate. Philiſtaeos namque magna clade adfecit, *II. reg. XVIII. 8.* Tum annua tributa & obſequium Aſſyrio regi negauit. Tiglath-Pileſer, rex Aſſyrius, patrem Hiskiae, Achazum ſibi ſtipendiarium fecit. Tiglath-Pileſerum excepit Salmanaſſer, qui Iſraelitas ſubigens non attigit Iudaeam. Vnde colligas, Hiskiam adhuc in fide perſtitiſſe. Inter Salmanaſſarem & Sennacheribum nonnulli ponunt Sargonem ex *Eſa. XX. 1.* aliis tamen, hoc nomine aut Salmanaſſarem aut Sennacheribum venire, contendentibus, aut, quod probabilius, Aſſarhaddonem, qua de re in ſequentibus ſuo loco dicemus. Sub Sennacheribo itaque demum defeciſſe Hiskias videtur, qui ideo anno regni eius decimo quarto Iudaeam cum exercitu ingreſſus, vrbes quaſdam munitas poteſtati ſuae ſubiecit. Aſſyrio cum ſe imparem videret Hiskias, legatis Lachiſum, vbi Aſſyriorum exercitus conſederat, ad regem miſſis, veniam defectionis petit, & impetrat, ea lege, vt trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri perſolueret. Huic ſummae conficiendae cum argentum & aurum, quod in domo Dei & regis erat, non ſufficeret, valuis & poſtibus templi aurum, quod ipſe obduxerat, detraxit, vt Aſſyrio regi daret. Hic vero, accepta licet pecunia, contra fidem datam, in inſtituto Hieroſo-

eroſolymam obſidendi perſeuerat. Quod cum intelligeret Hiskias, conſilio cum principibus proceribusque inito, fontes aquarum, qui extra vrbem erant, obturare conſultum ducit; ne ob aquae penuriam exercitus Sennacheribi diu ibi ſubſiſtere poſſet. Omnia praeterea, quae ad hoſtem fortiter excipiendum repellendumque neceſſaria erant, diligenter comparat, ciuesque bono animo eſſe iubet, eo quod ipſe Deus a partibus illorum ſtaret; *II. chron. XXXIII. 2. ad 9.* Aſſyrius itaque Thartanem, רב־סריס *praefectum eunuchorum*, & רב־שקה *praefectum pincernae* (aliis *Rabh-Sabris*, & *Rabh-Schakeh* nomina propria virorum ſunt) cum ingentibus copiis Hieroſolymam miſit. Eo cum veniſſent, & ad aquae ductum piſcinae ſuperioris, quae eſt ad viam ſtratam agri fullonis ſubſtitiſſent, vt Hiskias ad ſe ad colloquium prodiret, poſcunt. Rex vero cum ipſe prodire nollet, ex praecipuae dignitatis viris quosdam ad eos miſit, Eliakimum, Chilkiae filium, domui regiae praefectum, Sebnam סופר *ſcribam*, ſeu qui regis epiſtolas & id genus alia ſcribebat, & Ioachum, Aſaphi filium, המזכיר, *qui regi a commentariis erat*, ſeu res memoratu dignas quotidie occurrentes litteris conſignabat. Hos praefectus pincernarum adlocutus, non minori iactantia res ſui regis euehebat, quam contemtu Hiskiam deprimebat. Cumprimis oſtendere volebat, cum nihil illis ſuppeteret, in quo ſpem fiduciamque collocare poſſent, nihil aliud ſupereſſe, quam vt ſe regi Aſſyrio dederent. Ab Aegyptiis enim ſi auxilium ſperarent, magnopere eos falli, quippe qui inſtar arundinis fractae ſint, cui ſi quis innitatur, ſubeat volam, eamque pertundat; vt adeo plus damni, quam emolumenti illis adlaturi ſint. Nec eſſe, quod dicant, ſe Iehouae Deo ſuo confidere; hunc namque illis propitium non fore, cum Hiskias excelſa & aras eius ſuſtulerit, & in vnico altari Hieroſolymae ſacra fieri voluerit. Qua in re iſti homines aut malitiam, aut ignorantiam ſuam prodebant. Ea enim, quae vero Deo vel maxime diſplicebant, Hiskias amouerat, adeoque fecerat, quod non poterat non ei longe eſſe gratiſſimum. Vt virium imbecillitatem exprobrarent Hiskiae, oblata ſponſione, nomine regis ſui duo millia equorum pollicebantur, ſi Hiskias totidem viros equitandi peritos exhibere poſſet. Indeque porro concludebant, Iudae regem ne minimum equidem ducum regis ſui ſuſtinere poſſe, ſi vel maxime Aegyptus currus & equites ſuppeditaret. Inſigni tandem ſermonem finiebat mendacio: *an ſine Iehoua adſcendi ad locum, vt eum deleam? Immo Iehoua mihi dixit: vade in illam terram, eamque corrumpito!* Hoc enim ad fucum Iudaeis faciendum ita fingebat homo callidus, niſi dicas, eum a pſeudopropheta quodam deceptum fuiſſe. Eliakimus, & qui cum eo aderant, a praefecto pincernarum poſtularunt, vt non ebraea, ſed ſyriaca lingua vteretur, quippe cuius

Digitized by Google

ius & ipſi periti eſſent; ne ſcilicet populus talia audiendo animum abiiceret. Ille vero iſtud in rem ſuam vertens, in populi gratiam talia a ſe proferri, adfirmabat; hinc magna voce eadem lingua ebraea partim dicta repetiit, partim talia adiecit, quae populum, vt ab Hiskia deficeret, inducere poterant. Per ſummam blaſphemiam addebat, Iehouam Iudaeos a manu regis Aſſyrii liberare non poſſe, cum nullus ex gentium ab eo deuictarum diis id potuiſſet. *Vbi ſunt*, inquit, *dii Chamatae & Arphadi? vbi dii Sepharuaiimorum, Henae & Hivvae? Num eripuerunt Samariam manui meae &c.* Haec cum protuliſſet, populus quidem conticuit; Eliakimus autem cum ſociis laceratis veſtibus ad Hiskiam iuerunt, eique verba praefecti pincernarum renuntiarunt. Praefectum iſtum pincernarum gente iudaeum, ſed apoſtatam fuiſſe, Ebraeorum magiſtri contendunt; idque inde colligunt, quod ebraei ſermonis peritus fuit, tum & quod miniſtri Hiskiae, cum blaſphemias proferret, veſtes lacerauerint, quippe quod ad blaſphemias hominis gentilis facere ſoliti non fuerint. Verum vt poſterius gratis & ſine certo fundamento adſeritur, ita, quod ad prius attinet, nihil obſtat, quo minus homo aſſyrius linguae ebraeae peritus eſſe potuerit, quemadmodum Eliakimus & ſocii, quos rex Hiskias ad eum miſerat, linguam ſyriacam callebant. Cum ergo rex Hiskias ex ſuis, quae praefectus pincernarum dixerat, audiuiſſet, laceratis veſtibus, ſacco coopertus, templum ingreſſus eſt, ſimulque Eliakimum & Sebnam, ſenioresque ſacerdotum, ſaccis tectos, ad Eſaiam vatem miſit, qui, quantis in anguſtiis conſtitutus eſſet, ei exponerent, vtque preces pro ſe ad Deum funderet, rogarent. Eſaias regem bono animo eſſe iuſſit, cum blaſphemiae, quas in verum Deum praefectus pincernarum conieciſſet, eum neutiquam laterent: fore propediem, vt rumorem hoſtis contra eum aduentantis ſibi audire videretur, & hinc metu perculſus, in terram ſuam reuerſurus, vbi gladio ſit percutiendus. Praefectus autem pincernarum, reuerſus eſt ad Sennacheribum, qui relicta Lachis, Libnam vrbem oppugnabat. Quo tempore Sennacheribus accepto nuntio, Thirhakam Chuſitidis regem (מלך כוש quod vulgo de rege Aethiopiae intelligunt, quemadmodum & LXX pariter, ac vulgatus, reddiderunt) cum exercitu contra ſe aduentare, litteras ad Hiskiam miſit, contumeliarum & blaſphemiarum in Deum plenas, & eadem fere repetentes, quae praefectus pincernarum iam dixerat. Has a legatis acceptas, lectaſque, Hiskias in templo coram Domino explicuit, additis precibus, quibus magnitudinem veri Dei ſupra idola gentium extollit, eumque, vt ſalutem dando, gloriam ſuam adſerat, orat. Mentem ſcriptoris ſacri non adſecutus eſt FLAV. IOSEPHVS, quando, Hiskiam contemſiſſe litteras, dicit, ob fiduciam in Deum, eaſque complicatas in aede depoſuiſſe. Vix autem rex pius pre-

Digitized by Google

preces ſuas abſoluerat, cum ex Eſaia vate intelligeret, eas a Deo exauditas fuiſſe; ſimulque per eundem vatem ei ſignificatum, quantumuis ſe efferat Sennacheribus, & tum reliquas gentes, tum maxime Iudaeos contemtim habeat, nihil tamen eum effecturum, cumque ipſi Deo conuiciatus ſit, Deum non aliter, ac cum iumento, cum eo acturum, hamoque naribus eius immiſſo, frenoque labiis, per viam, per quam veniſſet, eum in locum ſuum reducturum. Neue de euentu & veritate praedictionis quisquam dubitare poſſet, ſignum additum: *Hoc anno comede ſponte nata, ſecundo etiam anno per ſe orta, tertio denique ſementem facite, & metite, vineas plantate & fructus earum comedite.* Nimirum, etſi fruges ab Aſſyriis corruptae atque vaſtatae erant, non tamen eſſe, vt primo aut ſecundo anno famem timerent, cum ſponte nata in cibum illis ſuffectura ſint. Tertio demum anno eos pro lubitu poſſe ſerere, metere, vineas plantare, & reliqua agere, quae pacem ſecuram atque tranquillitatem publicam arguunt. Hinc vero, quod cibus illis non defuturus eſſet, etſi per duos annos ſponte natis veſci debebant, vt ſingularem Numinis prouidentiam & benignitatem intelligere poterant; ita tertii anni pax & tranquillitas, vaticinii de liberatione a metu, quem Aſſyrii illis incutiebant, non poterat non comprobare veritatem. Non itaque obſtat, quod ſignum hoc futurum, non praeſens, ſit: debebant namque eo demum tempore, quo ſignum hoc futurum eſſet, ex eo veritatem diuinae praedictionis cognoſcere. Nec inſolens, ad confirmationem fidei rei futurae, futurum quoque ſignum adhibere. Interim & ipſe euentus mox praedictionis veritatem comprobauit. Eadem enim nocte egreſſus eſt angelus Iehouae, & in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia hominum occidit. Speciatim angelum Domini כל גבור חיל ונגיד ושר *omnes viros fortes, ducesque & praefectos in caſtris Aſſyriorum interfeciſſe*, *II. chron. XXXII. v. 21.* dicitur. Percuſſit nimirum eos ſubito, vt ſtatim, nulla edita voce, conciderent. Reliqui itaque, qui adhuc in viuis erant, cum mane pedem tentoriis efferrent, omnia cadaueribus plena viderunt. Tanta ergo tamque inſperata clade rex perculſus, & vt *II. chron. XXXII. 21.* dicitur, *pudore ſuffuſus*, Niniuen, quae eo tempore Aſſyriorum regum ſedes erat, rediit, ibique, cum in aede Nisrochi Dei ſui adoraret, a filiis ſuis Adrammelecho & Saretſer confoſſus periit, ſucceſſoremque habuit Aſarhaddonem.

Audiendus quoque hic nobis, ſed ſimul caſtigandus eſt FLAVIVS IOSEPHVS. In Peluſii enim, quae Aegypti vrbs eſt, oppugnatione occupatum fuiſſe Sennacheribum, ſcribit, cum audiret, aduentare Tharſicem (haud dubie pro *θαρσικὴν* legendum *θαρακὴν*) regem Aethiopum, Aegyptiis laturum ſuppetias, & per deſertum copias ducere, vt improuiſos adoriatur Aſſyrios: Ταραχθεὶς οὖν (ita

per-

pergit) *ὑπὸ τούτων ὁ βασιλεὺς Σαναχήριβος* (quod hic deeſt, IOSEPHVS SCALIGER, in *not. ad fragm. pag. 45.* haud infeliciter ita ſupplet: *λύει τὴν πολιορκίαν· Ἡρόδοτος δὲ γράφει Σαναχήριβον) ἐπὶ τὸν ἱερέα τοῦ Ἡφαίστου στρατεύσαι, λέγων ὡς οὗτος ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα ἦλθεν ἱερέα ὄντα. Turbatus ergo hisce rex Sanacheribus (ſoluit obſidionem. Herodotus vero ſcribit, Sanacheribum) in ſacerdotem Vulcani expeditionem ſuſcepiſſe, dicens, hunc regem veniſſe in regem Aegyptiorum, qui erat ſacerdos.* Refert hinc ea, quae HERODOTVS habet, *libr. II. cap. CXLI.* Sennacheribum Peluſii obſidionem ſoluere coactum, eo quod Aegyptii regis numen ab eo exoratum, tantam vim murium vna nocte Aſſyriis immiſerit, vt eorum arcus & reliqua arma comederint; quo factum ſit, vt exarmatus rex a Peluſio exercitum ſuum abducere coactus ſit. Praeter HERODOTVM, & BEROSVM, chaldaicarum rerum ſcriptorem, Sennacheribi meminiſſe, obſeruat, tumque porro, Aſſyriorum exercitum vna nocte peſte abſumtum, regem vero eorum domum reuerſum filiorum inſidiis periiſſe, commemorat. Filios Sennacheribi, a quibus interfectus eſt, Adramelechum & Selennarum vocat, a quibus eum in templo Araſci occiſum perhibet; ſucceſſor autem Sennacheribi illi Aſſarachodas audit; *antiquit. iudaic. lib. X. cap. I. & II.* Enim vero, vt reliqua taceam, a quolibet facile obſeruanda, ea, quae ad Libnam geſta ſunt, turpiter confundit cum obſidione Peluſii. Non enim in Peluſii oppugnatione erat Sennacheribus, cum rumor de regis Aethiopum aduentu eum terrore percelleret, ſed Libnam, Iudaeae vrbem, oppugnabat. Quodſi vel maxime dicas, partem copiarum eodem tempore Peluſium oppugnaſſe, ipſe tamen rex in exercitu erat, qui circa Libnam haerebat; ibique rumorem de aduentu regis Aethiopum accepit; mox vero exercitus eius, qui prope Hieroſolymam caſtra habebat, ab angelo Domini percuſſus eſt. Reprehendit etiam IOSEPHVS HERODOTVM, quod Sennacheribum, regem Arabum vocauerit. Sed in codicibus HERODOTI, quos hodie habemus, eum vocat *βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων* Arabum vero etiam regem ob Ammonitas, Moabitas, Idumaeos, Palaeſtinos deuictos vocare potuit, quippe qui ei Arabum nomine venire videntur. Quodſi & cetera, quae ex HERODOTO IOSEPHVS adfert, expendantur, facile patebit, non recte eum HERODOTVM inſpexiſſe. Sed hoc *ὡς ἐν παρόδῳ*.

*** Ante Sennacheribi fugam caedemque hoc contigiſſe, quod de Hiſkiae morbo & reſtitutione narratur, nonnulli ex Ebraeorum doctoribus exiſtimant. Sed, vt ab ordine ſacri ſcriptoris hic diſcedamus, nulla nos cogit neceſſitas. Conſentiunt & reliqua, & optime inter ſe cohaerent, quia ſtatim poſt recuperatam valetudinem, Merodachus, rex Babylonio-

 rum,

rum, legatos ſuos ad Hiſkiam miſit, tumque pax vsque ad mortem Hiſkiae fuiſſe, *Eſa. XXXIX. 8.* dicitur. Nec obſtat, quod Deus, dum vitae prolongationem regi promittit, ſimul liberationem promittat a manu regis Aſſyriorum, *II. reg. XX. verſ. 8.* Per iſtam enim cladem, mortemque Sennacheribi, nondum ita fractae erant Aſſyriorum vires, vt nihil amplius Hiſkias ab iis ſibi metuerit. Cauſſa morbi, in quem Hiſkias incidit, non indicatur. Iudaei hic more ſuo commentis indulgent. Nonnulli dicunt, eum parum gratum erga Deum fuiſſe, quod publicas ei ob liberationem ab Aſſyriis egiſſe gratias, non legatur. Alii autem hunc ei immiſſum morbum perhibent, quod noluerit vxorem ducere, & filium gignere. Genus quoque morbi non conſtat, niſi quod *verſ. 17.* dicatur, maſſam ficuum impoſitam על השחין *inflammationi.* Ita enim alibi vox haecce vſurpatur, quam LXX interpretes hic per ἕλκος, vulgatus per *vlcus* reddunt. Quicunque autem morbus fuerit, certe letalis erat. Quod cum Eſaias vates regi indicaret, hic ad Deum conuerſus, precibus ardentiſſimis, multisque lacrymis, vitae ab eo petit prolongationem. FLAVIVS IOSEPHVS id potiſſimum doluiſſe putat, quod ſine liberis eſſet & ſucceſſore. Sed, licet & alii ex eadem gente Hiſkiam tum nondum vxorem habuiſſe, ſupponant, dum, vt antea diximus, hanc ipſam ob cauſſam morbum ei a Deo immiſſum fingunt, vnde tamen hoc probabunt? Nec audiendus HVGO GROTIVS, triſtitiam hanc regis inde aut ortam, aut auctam, docens, quod *minus clare reuelata ſpe vitae aeternae mors etiam magis timebatur.* In veteri enim teſtamento ſpem vitae aeternae minus clare reuelatam, ſine omni fundamento dicitur. Potuerunt cauſſae quaedam, etſi nobis ignotae, accedere, quae & mortis formidinem, omnibus hominibus communem, & deſiderium vitae longioris, in eo augerent. Vix a rege diſceſſerat Eſaias, cum reuerti ad eum a Deo iuberetur, atque ei indicare, preces eius a Deo eſſe exauditas, ſanitati eum reſtitutum iri, & tertio die in templum Domini adſcenſurum; adieciſſe Deum vitae eius annos quindecim. Nimirum, ſi naturae ordinem, cauſſasque inde procedentes ſpectes, moriendum fuiſſet Hiſkiae. Deo autem naturae auctori facile fuit, hunc ordinem immutare, atque quindecim adhuc annos vitae eius addere. Hinc maſſam ficuum inflammationi Eſaias imponi iuſſit, quod cum factum eſſet, ſtatim rex conualuit. Num in ipſis ficubus vis quaedam ſanandi hunc morbum fuerit aut Deus praeter ordinem naturae hoc effecerit? dubitat vir clariſſimus, IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* qui & hunc in finem ex DIOSCORIDE, *lib. I. cap. CLXXXIII.* & PLINIO, *lib. XXIII. cap. VII.* quaedam de ficubus adfert. FRANCISCVS VALESIVS, etſi concedat, in ficubus aliquam ſanandi facultatem eſſe, hanc tamen Hiſkiae ſanationem per miraculum factam, recte concludit;

Digitized by Google

dit; de *ſacra philoſophia cap. XXXIX.* Recte & HVGO GROTIVS: *non quod in ficubus vis eſſet medendi morbo deplorato, ſed ſignum diuinae efficaciae.* Cum promiſſionem de reſtitutione ſanitatis Hiskias acciperet, ſignum a propheta petiit, ex quo intelligeret, ſe tam cito reſtitutum ſanitati iri, vt die tertio in templum adſcendere poſſet. Hoc vero cum non tam ex incredulitate, quam imbecillitate quadam, ad fidei confirmationem peteret, Deus quoque illi conceſſit. Quamuis & illorum intuitu Deus hoc facere potuit, qui exiſtimare poterant, Hiskiam caſu fortuito, aut per media naturalia ſanitati reſtitutum, qui hac ratione non ſine miraculo id contigiſſe, condocendi erant. Reſpondit itaque propheta: *hoc erit tibi a Iehoua ſignum (ex quo intelligas) Iehouam factūrum id, quod dixit. An progredietur vmbra decem gradibus, an vero decem gradibus retrocedet?* Regeſſit Hiskias: *facile eſt, vmbram decem gradibus declinare, retrocedat potius decem gradibus.* Tum vero Eſaias Deum inuocauit, *qui reduxit vmbram per gradus, per quos deſcenderat in gradibus Achazi, per decem gradus retrorſum.* Vocem מעלות LXX interpretes vertunt: βαθμὸς aut ἀναβαθμὸς, vulgatus: *lineas* aut *gradus.* Nimirum partes intelliguntur; in quas lineis quibusdam ſciaterici horologii area erat diuiſa, per quas vmbra progredi aut regredi ſubito, lucente ſole, nec regrediente aut progrediente, ſine miraculo non potuit. IOSEPHVS SCALIGER, cochleam aliquam aut gradus palatii ſignificari, contendit; ridens eos, qui horologium intelligunt, *praefat. ad can. chronolog.* Cum vero res ipſa doceat, gradus hosce ita fuiſſe comparatos, vt vmbrae motus in iis obſeruatus fuerit, adeoque ipſe curſus ſolis, num aliud quid, quam horologium aliquod, eſſe potuerunt? Interim de forma & ſtructura eius nihil definire licet, quemadmodum nec illud ſatis conſtat, num tantum ad motum ſolis, an vero etiam ad horas indicandas, gradus ſiue lineae iſtae fuerint comparatae.

Quaeri autem porro ſolet: num vmbra ſola retroceſſerit, an vero vmbra cum ſole ſimul? Prius, praeeunte FRANCISCO VATABLO, ARIA MONTANO, LVCA BRVGENSI, aliisque, adſerit HVGO GROTIVS, itemque IOANNES CLERICVS, ad *h. l.* At plerisque tum veterum, tum recentiorum interpretum, poſterior ſententia placet, quae & ob rationes grauiſſimas priori eſt praeferenda. Primo namque ſolem ipſum retroceſſiſſe, *Eſa. XXXVIII. 8.* diſerte dicitur: *ecce! reuerti faciam vmbram graduum, vltra quos* (gradus) *deſcendit* (ſol) *in horologio Achazi, per ſolem retrorſum decem gradibus; & reuerſus eſt ſol decem gradibus, in gradibus, vltra quos* (ſol) *deſcenderat.* Ita enim verba ebraea vertenda ſunt, vt recte docet SEB. SCHMIDIVS, ad *Eſa. l. c.* Qua quidem ratione manifeſtum eſt, ſolem ipſum, non ſolum vmbram, retroceſſiſſe, hanc vero per ſolem retractam fuiſſe. Patet itaque, quod ſe-

ſecundo loco notandum, quando *II. reg. XX. 10.* vmbrae tantum mentio iniicitur, hoc non poſſe non de ipſo ſole intelligi. Vmbra enim ſolis motum ſequitur, & ſole retrocedente retrocedit & ipſa. Accedit denique, quod tantum hoc fuerit miraculum, vt legati a Merodacho Babyloniae rege ad Hiskiam miſſi, vt recuperatam ſingulari Numinis beneficio ſanitatem illi gratularentur, ſimul *in portentum, quod in terra factum inquiſiuerint, II. chron. XXXII. 31.* Nimirum Chaldaeorum ſapientes, homines rerum coeleſtium peritiſſimi, haud dubie miraculum hoc obſeruauerant, & deinde per famam acceperant, in gratiam Hiskiae, Iudaeorum regis, id editum eſſe. Ea de re ergo, vt certiores redderentur, & cauſſam rationemque eius adcuratius condiſcerent, eorum rogatu legatis a rege in mandatis datum, vt hanc in rem paullo adcuratius inquirerent. IOANNES CLERICVS equidem, vt hocce argumentum euitet, legationem hanc, quae in libro chronicorum memoratur, diuerſam fuiſſe ab ea, cuius *II. reg. XX. verſ. 12. ſeqq.* mentio iniicitur, contendit. Cum enim priores legati, qui miſſi erant, vt Hiskiae recuperatam ſanitatem gratularentur, reuerſi eſſent, & Chaldaeorum ſapientes ex iis aliquid de hocce miraculo accepiſſent, tum hos ipſos ſapientes miſiſſe aliquos, qui in rem iſtam paullo adcuratius inquirerent; & hosce adeo, qui altera vice, non a rege, ſed a ſapientibus miſſi ſint, vocari מליצי שרי בבל *interpretes principum*, hoc eſt, ſapientum, *Babyloniae*. Verum, cum vtriusque legationis eaedem prorſus fuerint circumſtantiae, ſine ratione diſtingui mihi videntur. Quemadmodum enim in libro regum memoratur, quo pacto Hiskias legatis Babyloniis theſauros ſuos oſtendendo Deum grauiter offenderit, ita & de legatione in libro chronicorum dicitur: *deſeruit eum Deus, vt hominem tentaret, ſciretque quidquid erat in animo eius*, quod aliter, quam de animi elatione per theſaurorum oſtentationem ſe prodente, intelligi nequit. Nec probatum, quod dicitur, per שרי בבל *principes Babyloniae*, ſapientes ſignificari, niſi tales intelligantur, qui ſimul proceres & adminiſtri reipublicae fuerint, ex quorum conſilio reges omnia agere conſueuerint. Tum, diuerſam hanc legationem ab ea, quae in regum libro memoratur, fuiſſe, inde probari nequit, cum inſolens non ſit, vt, quod reges ex conſilio procerum faciunt, interdum ſolis regibus, interdum & ſolis proceribus tribuatur. Atque haec cum ita ſe habeant, fruſtra dicitur, poſteriores legatos tum demum miſſos, cum ſapientes Chaldaeorum ex prioribus aliquid de hocce miraculo accepiſſent. Cuncta nimirum eo ſpectant, vt lectoribus vir doctiſſimus perſuadeat, neutiquam tantum iſtud, quod in vmbrae retroceſſione contigit, fuiſſe miraculum, vt ſapientes Babyloniae aliquid de eo ſcire potuerint, niſi a legatis regis, ex Iudaea reuertentibus, aliquid de eo accepiſſent.

Digitized by Google

ſent. Sed, cum hactenus dicta luculenter oſtendant, ſine omni fundamento duplicem eiusmodi legationem ſupponi, ſequitur omnino, miraculum hoc non in Iudaea tantum, ſed & in Babylonia, immo toto obſeruari potuiſſe orbe, adeoque non vmbram ſaltem, ſed ipſum ſolem retroceſſiſſe. Veterum Ebraeorum eandem fuiſſe ſententiam, conſtat ex *Eccleſiaſt. cap. XLVIII. verſ. 26.* Patrum eccleſiae, idem ſentientium, GREGORII NAZIANZENI, HIERONYMI, AVGVSTINI, THEODORETI, aliorumque, teſtimonia exhibet NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtam. aetate mundi V. diſſertat. VIII. pag. 189. ſeqq.* Sanitati reſtitutus Hiskias, proſpera in omnibus fortuna vſus eſt, magnasque opes ac diuitias collegit. Spectant huc, quae *II. chron. XXXII. 26. ſeqq.* leguntur, quanquam ordo rerum non tam adcurate ibi obſeruari videatur. Quae enim de animi eius elatione & poenitentia dicuntur, praeſertim, ſi theſaurorum oſtentationem apud legatos Babylonios reſpiciant, coniungenda ſunt cum *verſ. 23.*

Ad ipſam vero Babyloniae regis legationem quod attinet, rex ille Berodach-Baladan vocatur, & alias Merodach, per ſolennem litterarum mutationem audit. Merodachus hicce idem, qui PTOLOMAEO Mardokempadus vocatur, eſſe, haud ſine ratione creditur, qua de re in ſequentibus, ad §. XXXV. plura dicentur. Hicce ergo Merodachus legatos ad Hiskiam miſit, *quia audiuerat, eum aegrotaſſe.* Sanitatem itaque recuperatam ei gratulari voluit. Accedebat altera cauſſa, *II. chron. XXXII. 32.* vt iam antea diximus, indicata, quod de ingenti miraculo, in gratiam Hiskiae edito, eiusque ratione certior fieri cuperet. Hiskias, qui id honori ſibi ducebat, cum legatos audiuiſſet, *totam domum rerum pretioſarum, argentum, aurum, aromata & oleum optimum*, paucis, quidquid pretioſi ac magnifici habebat, illis oſtendit. Si quaeras, vnde Hiskiae tantae diuitiae, cum Sennacheribo, quidquid erat in theſauris templi & regiae, dediſſet, vt ſupra dicitur, *II. reg. XVIII. 15.* iam antea obſeruauimus, eum, poſtquam conualuit, magnas opes & diuitias collegiſſe; immo eo tempore vndequaque munera ad Hiskiam adlata, *II. chron. XXXII. 23. ſeqq.* indicatur. Nec obſtat, quod *II. reg. XX. 12.* Merodachus *non multo poſt*, ſcilicet, quam conualuerat, legatos ad eum miſiſſe dicatur. Hoc enim cum latitudine quadam accipiendum; vt adeo temporis haud exiguum interuallum intercedere potuerit. Potuit etiam, cum Sennacheribo templi regiaeque theſauros tradere cogeretur, occultiores quosdam ſibi reſeruare theſauros, quos illi non tradidit. Videtur autem Hiskias hac ratione Babyloniorum amicitiam contra Aſſyrios ambiiſſe, dum oſtendendo, non ſine iactantia quadam, diuitias & potentiam ſuam, ſimul inſinuare voluit, ſe minime indignum eſſe, quocum Babyloniae rex contra Aſſyrios fedus & amicitiam ineat. Qua in re quin pecca-

Digitized by Google

cauerit, non eſt, quod dubitemus. Quare & ab Eſaia vate, cui rogatus, quid feciſſet, ipſe expoſuit, ei indicatum, fore, vt, quidquid theſaurorum ab ipſo & maioribus eius congeſtorum ſupereſſet, Babylonem transferatur, ex poſteris quoque eius quosdam eunuchos, ſeu aulicos fore, in palatio regis Babyloniae. Cui praedictioni quo pacto euentus reſponderit, ſequentia docebunt. Haec vero praedictio licet Hiskiae minime iucunda eſſe poſſet, in Numinis tamen voluntate acquieſcere ſuarum duxit eſſe partium. Hoc enim verba eius: *bona ſunt verba Iehouae*, ſibi volunt. Subiecit vero: הלא אם שלום ואמת, *annon pax & fides erunt diebus meis?* quae, licet a LXX interpretibus, vulgato, aliisque, adfirmatiue accipiantur: *ἔστω εἰρήνη ſit pax*, poſſunt tamen & interrogandi vim retinere, ſi ſupponatur, reſponſionem Eſaiae, qua pacem, quamdiu victurus eſſet, fore, adfirmauit, ſubintelligendam eſſe. Atque ita tandem Hiskias poſt viginti nouem annorum regnum, cum maioribus ſuis obdormiuit.

§. XXV.

Optimi rurſus patris peſſimum quandoque eſſe filium, Manaſſes, Ezechiae filius & ſucceſſor, ſuo exemplo docuit. Superſtitione enim velut lymphatus, non tantum loca idolis deſtinata, quae pater deſtruxerat, reſtituit, ſed plura idola, quam vnquam ab alio Iudae rege factum, coluit, ipſum veri Dei templum altaribus idolis conſecratis, & falſorum numinum ſtatuis contaminauit, ariolis, pythonibus, ſimilisque furfuris hominibus aurem praebuit, populumque vt ipſius exemplum imitaretur, induxit. Vt autem nullum ſuperſtitionis, quo ſe non pollueret, genus praetermiſit, ita eo vsque progreſſus eſt, vt ipſos ethnicos ſtultitia & impietate ſuperaret. Vates vero rectiora monentes tantum abeſt, vt audiret, vt potius iis iraſceretur, multorum inſuper virorum innocentum effuſo ſanguine. Tantae impietatis vt poenas promeritas daret, a Deo derelictus, & ab Aſſyriorum regis copiis captus, ac Babylonem, quae eo tempore Aſſyriorum regibus parebat, abductus eſt. Ibi cum vinculis compedibusque conſtrictus teneretur, tantae calamitatis cauſſam ſecum reputans, ad Deum mentem ſerio conuertens, lacrymis multis gemitibusque delictorum ab eo petiit veniam, facileque, qua erga mortales, modo ſerio reſipiſcant, Deus eſt benignitate, impetrauit. Hinc & libertati redditus, cum Hieroſolymam rediiſſet, vt priſtinam vitae rationem emendaret, & quos ad peccandum induxerat, exem-

Digitized by Google

emplo ſuo ad meliorem mentem traduceret, nihil fecit reliqui. Sublatis quoque idolis, quae ipſemet coluerat, veri Dei cultum, remotis, quae eidem aduerſa erant, reſtituit atque reſtaurauit. Atque ita demum anno imperii quinquageſimo vitam cum morte commutauit. *

* Cum Manaſſes duodecim annorum eſſet, quando regnare incepit, poſt Hiskiae morbum eum natum eſſe oportet, quippe poſt quem Hiskias annos vixit quindecim. Siue per prauam educationem, quam forte miniſtris ſuis Hiskias commiſit, corruptus, ſiue alia ratione inductus, longe aliam, quam pater tenuit, vitae rationem ingreſſus eſt. Abominanda enim gentium, quas Deus e conſpectu Iſraelitarum expulerat, facta imitatus eſt; excelſa loca a patre Hiskia deleta inſtaurauit, erexit altaria Baali, lucumque, vt Achabus Iſraelitarum rex fecerat, excitauit, & omnem coelorum exercitum adorauit. In ipſa aede domini, de qua Iehoua dixerat: *Hieroſolymae ponam nomen meum*, aras condidit exercitui coeli, in duobus aedis atriis. Filium praeterea ſuum per ignem traiecit, ועגן ונחש *& auſpicatus eſt, & auguratus eſt.* ועשה אוב וידעונים *& fecit ſeu inſtituit pythonem & ariolos*, vt IM. TREMELLIVS & FRANCISCVS IVNIVS omnium optime reddunt. De variis hisce diuinationum generibus copioſe ſupra dictum eſt, ad *period. II. ſect. I.* §. *XXXVI.* Poſuit & פסל האשרה *ſculptile luci*, in aede domini. Quod hic *ſculptile luci* vocatur, *II. chron. XXXIII. 6.* ſculptile סמל *ſimulacri* dicitur. Videtur autem eiusmodi ſimulacrum innui, quod alias in luco collocari conſueuerit, obſcoenum haud dubie, vt Priapi, aut Veneris, quod vna cum luco in aedem domini tranſtulit, vt ex *II. reg XXIII. 6.* colligere licet. Hoc regis exemplo ſeducti Iudaei eo vsque progreſſi ſunt, vt ſuperſtitione & impietate gentes, quae ante eos hanc terram incoluerant, ſuperarent. Ideo & funeſta quaeuis illis cecinere diuini vates. Tale malum ob peccata Manaſſis ſe inducturum in Iudam & Ieruſalem, Deus comminatus eſt, quo audito aures tinniant. Extenſurum ſe ſuper Ieruſalem *regulam Samariae & perpendiculum domus Achab;* hoc eſt, funditus ſe deleturum Iudam & Ieruſalem, vt Samariam ac domum Achab prorſus deleuerat; metaphora a fabris deſumta, qui nouam domum exſtructuri, omnia prioris rudera adcurate remouent, vt aream ita probe expurgatam ad libellam aequare poſſint. Addit, ita ſe eam *abſterſurum, quemadmodum abſtergi ſolet paropſis, quam vbi quis abſterſit, inuertit in anteriorem partem.* Verbum enim מחה in *abſtergendi*, ſeu *detergendi* ſignificatione accipiendum eſſe, ſimilitudo a paropſide deſumta docet. Denique, *ſe reliquias hereditatis ſuae deſerturum* dicit, *tradıturumque in ma-*

num hoſtium eius, vt omnibus hoſtibus ſuis praedae ſit ac direptioni. Sed iſtas comminationes Manaſſes in minimis poſuit, qui inſuper ſanguine innoxio effuſo, Hieroſolymam vrbem commaculauit. In prophetas eum caedibus graſſatum, auctor eſt FLAVIVS IOSEPHVS. An Eſaias ab eo ſerra diſſectus ſit, quod nonnulli tradunt, in ſequentibus diſceptabimus. Tam atrocia itaque crimina puniturus Deus, adduxit duces exercitus regis Aſſyriorum, qui *inceſcatum Manaſſen vinxerunt duabus catenis, & Babylonem abduxerunt.* In ebraeo eſt וילכדו את מנשה בחוחים quod IMMAN. TREMELLIVS, atque FRANCISCVS IVNIVS reddunt: *& ceperunt Menaſchen in ſpinis quibusdam*, quaſi inter ſpinas, ſeu in vepreto, deliteſcentem ceperint. Et ſane propria haec vocis חוח eſt ſignificatio; vid. IOANNES COCCEIVS, *lex. hac voc. pag. 219.* Quia tamen & metaphorice *hamum* ſeu *vncum piſcatorium* ſignificat, *Iob. XL. verſ. 21.* alii de inſidiis hoc accipiunt, vt ſenſus ſit: *ceperunt Manaſſen hamis*, hoc eſt, per inſidias, quas illi ſtruxerant. Quam interpretationem neutiquam inconcinnam eſſe, res ipſa docet. Babylonem quod eum abduxerint, id mirum nemini videbitur, cum eo tempore Babylonia in poteſtate regis Aſſyrii fuerit, quem Eſarchaddonem, ſeu Aſſaradinum fuiſſe, probabile videtur, vt in ſequentibus dicemus. Cum Babylone vinctus in carcere teneretur, ad Deum ſe conuertit, orationeque ſubmiſſa, ſerio, ſe ſcelorum, quae hactenus geſſerat, poenitere, teſtatus eſt. Hinc & Deus ſe exorari paſſus eſt, eiusque ſupplicationem exaudiuit, effecitque, vt Hieroſolymam in regnum ſuum reduceretur. Et ita intellexit Manaſſes, *Iehouam eſſe Deum.* Regno reſtitutus, nihil prius nihilque antiquius habuit, quam vt remotis idolis, omnique cultu idololatrico abrogato, veri Numinis cultum inſtauraret. Quo minus tamen populus in locis excelſis vero Deo ſacrificia faceret, impedire non potuit. Variis idem aedificiis ſuae, populique ſecuritati proſpexit, quem in finem & vrbibus munitis in Iuda duces copiarum praefecit; vid. *II. chron. XXXIII. verſ. 14. ſeqq.* De oratione eius, qua peccata ſua coram Deo confeſſus, atque deprecatus eſt, *l. c. v. 18.* dicitur, quod vna cum reliquis eius rebus geſtis, itemque cum *verbis videntium, qui eum adlocuti ſunt*, hoc eſt, ſermonibus prophetarum, quibus tum ante, tum poſt captiuitatem ad poenitentiam, ſeriamque mentis mutationem & conſtantiam, eum adhortati ſunt, exſtet, in *rebus geſtis regum Iſraelis*, hoc eſt, *Iudae.* Exſtat quidem & hodie oratio quaedam ſub Manaſſis nomine, ſed eam ab alio quodam confictam, minimeque genuinam eſſe, in ſequentibus oſtendemus. Genuina vero illa oratio cum peccatorum, quae commiſerat, adcurata deſcriptione, exſtitit etiam in *orationibus Chozai*, qui vnus ex iſtius temporis prophetis fuiſſe videtur, cuius itidem ſcripta ad nos non peruenerunt.

Cum

Digitized by Google

Cum poſt quinquaginta annorum regnum Manaſſes obiiſſet, non in monumentis regum, ſed in horto domus ſuae ſepultus eſt, quod num ideo factum ſit, quod indignum ſe iudicaret, qui vna cum reliquis Iudae regibus ſepeliretur, an aliam ob cauſſam, non conſtat.

§. XXVI.

Excepit Manaſſen filius Amon, patris fatis & exemplo nec ſapientior, nec melior factus. In omne enim ſe dedit impietatis genus, vt pater ante captiuitatem ſuam fecerat, abiectoque veri Numinis cultu, idola iterum ſectatus eſt. Hinc intra biennium ab iis, qui contra illum conſpirauerunt, interfectus periit, facinoris auctoribus mox iterum a plebe interemtis.* Et ita ad Ioſiam, Amonis filium, rerum ſumma peruenit, qui, licet adhuc octennis eſſet, ſtatim tamen magnae virtutis ſpecimina dedit. Cumprimis hoc ſibi datum credidit, vt deſtructis & ſublatis deorum ſimulacris, omnia ſuperſtitionis veſtigia & monumenta euerteret prorſus, atque deleret. Dumque templum inſtaurat, inuentum Moſaicae legis exemplum diu amiſſum, cuius lectione territus, cum grauiſſimas Dei comminationes, in legis transgreſſores pronuntiatas, intelligeret, ad Chuldam prophetidem ſciſcitatum Dei voluntatem mittit, quae diuino adflatu perculſa, Hieroſolymae vrbi, gentique Iudae, maximas calamitates, ſed poſt mortem demum Ioſiae, incubituras praedixit. Quas vt auerteret, in remouendo, quidquid adhuc ſupererat, idololatriae & ſuperſtitionis, non tantum in Iudaea, ſed & in terra Iſraelis, maius adhuc ſtudium poſuit: paſcha quoque magna ſolemnitate celebrat, vel hoc exemplo ad Moſaicam legem obſeruandam populum inducturus. Dum vero Nechoni, Aegypti regi, per Iudaeam cum exercitu tranſituro, ſe opponit, in praelio vulneratus, delatus tamen Hieroſolymam, animam beatam Deo reddidit. Rex fuit omni laude digniſſimus, cuius adeo mortem praematuram merito non tantum Iudaei omnes, ſed & Ieremias vates, ingenti luctu proſecuti ſunt.**

* Conſtant haec, quae de Amone diximus, ex *II. reg. XXI. 19.* ad *finem*, & *II. chron. XXXIII. 21.* ad *fin.* Nec quidquam quod addi queat, ſupereſt. Licet autem iuſto Dei iudicio, altero regni anno, occiſus ſit, idque impietate ſua promeruerit, inde tamen non ſequitur, eos, qui illum interfecerunt, recte egiſſe, vt nonnulli exiſtimant.

** Ioſias, Amonis filius, octo annos natus erat, cum regnare inciperet,

peret. A patris autem impietate maxime alienus, ad exemplum Dauidis recta via inceſſit, & ita in omnibus ſe geſſit, vt Deo gratus eſſet. Celebratur in ſcriptura annus regni eius octauus, duodecimus & decimus octauus. Octauo enim regni ſui anno, cum ſedecim annorum adoleſcens eſſet, *coepit quaerere Deum progenitoris ſui Dauidis*, *II. chron. XXXIV. 3.* Anno regni duodecimo purgare coepit Iudam & Hieroſolymam, ab idolis, eorum inſtrumentis, excelſis, ſtatuis, ſignisque ſculptilibus & conflatilibus. Deſtruxerunt etiam in eius conſpectu altaria Baalim, & ſubdiales ſtatuas, quae impoſitae erant eis, ſuccidit & lucos, ſculptiliaque ac fuſilia perfringens, & comminuens, ſparſit eorum puluerem ſuper ſepulcra eorum, qui eis ſacra fecerant; immo & oſſa ſacerdotum in eorum altaribus combuſſit, *loc. cit. verſ. 4. 5.* Vocem חמנים, qua alii templa ſoli dicata denotari putant, rectius per *ſtatuas ſubdiales* verti, iam ſupra ad *period. I. ſect. III.* §. *XVIII.* item ad §. *VI.* huius ſectionis, obſeruauimus. Neque tantum Hieroſolymam, & vrbes tribus Iudae, ſed & vrbes Manaſſe, Ephraimi, Simeonis, vsque ad Nephtalin, & circumiacentes ſolitudines, eadem ratione ab idololatria repurgauit, itinere hunc in finem per vrbes iſtas, atque tractus, ſuſcepto. Anno regni decimo octauo, Ioſias ad reſtaurandum templum animum adiecit, eumque in finem pecuniam in aedem domini illatam, & per liminis cuſtodes a populo collectam, ſumma eius prius rite ſubducta, a Chilkia ſummo ſacerdote, iis qui reficiendo templo praefecti erant, vt eam fabris diuiderent, ad emendum lapides & ligna, mercedemque operis ſoluendam, tradi voluit. Nec rationem pecuniae ſubducere neceſſe erat, quia illorum, qui operi praefecti erant, fides cognita ſatis atque perſpecta erat. Dum vero in eo erant, vt templum reſtaurarent, Chilkia, ſummus ſacerdos, librum legis inuenit, eumque Saphani dedit, qui cum eum legiſſet, ad regem acceſſit, omnia, ad pecuniam quod attinet, ex eius voluntate peracta, ſimulque librum legis inuentum, ſignificans. Rex eum mox a Saphane ſibi praelegi voluit; quod cum factum eſſet, indeque intellexiſſet, quam negligenter in lege diuina obſeruanda populus iudaicus hactenus ſe geſſiſſet, & quam graues contra comminationes Deus in legis transgreſſores pronuntiaſſet, laceratis veſtibus, Chilkiae ſacerdoti ſummo, aliisque praecipuae dignitatis viris mandauit, vt dominum ſuper verbis iſtis legis, quibus atrocia quaeuis populo iudaico denuntiabantur, conſulerent. Iſti ergo cum Chuldam prophetidem adiiſſent, & quid ab ea condoceri vellent, expoſuiſſent, regi iterum renuntiare iubentur, euentum omnino grauiſſimis iſtis comminationibus reſponſurum, quia Iudaei impietate ſua & idololatria iram Numinis in ſe prouocaſſent; Ioſiam autem regem, quia per iſtas comminationes emollitus, mentem meliorem

orem

orem induiſſet, calamitates imminentes non viſurum, ſed maioribus ſuis potius adgregandum, & in monumenta eorum tranquille inferendum eſſe.

Varia hic de libro legis, quem Chilkia inuenit, diſputari ſolent, & primo quidem, quid per eum hic intelligatur. Sunt namque, qui cum IO. CHRYSOSTOMO, non integrum pentateuchum, ſed tantum deuteronomium, amiſſum & inuentum cenſent; quibus & Ebraeorum doctores ſuffragantur, exiſtimantes, comminationes, quibus tantopere Ioſias perculſus fuit, eas eſſe, quae *Deut. XXVIII. 36.* exſtant. Alii non tantum integrum pentateuchum, ſed reliqua quoque prophetarum, aliorumque virorum θεοπνεύστων, quae ad eam aetatem vsque edita erant, ſcripta intelligunt, quae itidem in ſanctuarium fuerint illata. Idque inde videtur colligi poſſe, quod *verſ. 16.* innuatur, in iſto libro legis non generales tantum, quales pentateuchus continet, ſed ſpeciales omnino comminationes & praedictiones exſtitiſſe, quibus ſignificabatur, ob mores Iudaeorum inemendabiles, iam decretum Deo eſſe, per captiuitatem Babylonicam poenam de populo iudaico ſumere. Cuiusmodi comminationes & praedictiones ſpeciales in prophetis, qui ante Ioſiam vixerunt, exſtant, ſpeciatim in Eſaia *cap. XXIX.* & alibi. In more autem poſitum fuiſſe Ebraeis eo tempore, vt praeter deuteronomium, etiam alii ſanctorum virorum libri, in ſanctuario ad latus arcae reponerentur; ex inſtituto docet vir doctiſſimus IOAN. HENRICVS MAIVS in *diſſertat. de libris canonicis in arca federis reconditis*, quae ſecunda eſt inter *diſſertationes* eius *quatuor ſelectiores de ſcriptura ſacra*, *cap. II. §. V. pag. 65. ſeqq.* Ex *II. chron. XXXIV. 14.* videtur equidem colligi poſſe, per librum legis tantum libros Moſis intelligendos, cum ibi dicatur; *reperit Chilkia ſacerdos librum legis Iehouae* ביד משה *per manum Moſis*, ſcilicet datae aut ſcriptae. Sed cum nihil frequentius, quam vt a potiori parte fiat denominatio, liber Moſis vocari potuit, cui etiam aliorum ſcriptorum θεοπνεύστων libri fuere adiuncti. Dum vero ibi dicitur: ביד משה *per manum Moſis*, res ipſa docet, aliquid ſubintelligendum. Quidnam vero illud ſit, non aeque conſtat. IOAN. quidem CLERICVS, ad *b. l.* ſupplet: נתונה *datae*, reiicitque illorum opinionem, qui כתובה *ſcriptae* ſubaudiunt, ne concedere cogatur, ipſum Moſis autographon intelligi. Sed rationes, quibus hoc euincere conatur, nondum adſenſum a me impetrant. Nihil enim obſtat, quo minus & Moſis, & aliorum, ſcriptorum θεοπνεύστων, eo tempore adhuc exſtare potuerint autographa. Hinc & ipſe HVGO GROTIVS de Moſis autographo hoc intelligit, ad *II. reg. XXII. verſ. 8.* Quaeri autem porro ſolet, quando liber legis amiſſus ſit, & quam diu? Veteres namque Ebraei, quibuscum & R. SALOMO IARCHI, ad *b. l.* facit, tradunt, ab Achaſo omnia legis exempla combuſta, & tum quoque codicem

Digitized by Google

dicem ſanctuarii amiſſum eſſe. Reiicit hanc ſententiam R. DAVID KIMCHI, quod probabile non ſit, Hiskiam, cuius tam diuturnum regnum fuit, huius rei nullam geſſiſſe curam; indeque concludit, hoc contigiſſe ſub Manaſſeh. Sed, cum Manaſſeh, poſtquam ad mentem ſaniorem redierat, cultum veri Numinis ſerio reſtaurauerit, veroſimilius aliis videtur, codicem ſanctuarii tum amiſſum, cum templum pollutum eſt, vt a Ioſia purgandum iterum fuerit, atque reſtaurandum, quod haud dubie ſub Amone patre Ioſiae atque anteceſſore, contigit. Forte tota haec controuerſia ceſſabit, ſi modo recte intelligatur, quo pacto codex ſanctuarii & amiſſus, & iterum inuentus, dicatur. Non enim aliter hoc intelligendum puto, quam quod neglectus fuerit, cum inter ipſos ſacerdotes pauci ſcripturae ſacrae haberent rationem. Quod certe pridem ante Ioſiam fieri potuit. Chilkia autem cum in templi reſtauratione occupatus eſſet, liber legis forte in ſanctuario, aut alio loco haud incommodo, ſe ei obtulit, quem Saphani tradidit, regi ab eo praelegendum. Commenta autem ſua nobis narrant veteres Ebraei, codicem huncce muro templi, ne ab Achaſo combureretur, incluſum fuiſſe, tradentes; nec rectius ſentiunt, qui inter rudera ſeu quisquilias librum huncce iacuiſſe, ſibi aliisque perſuadent. Ceterum, cum neglectus admodum fuerit codex ſacer, paucique exſtiterint, qui eius curam gererent, mirum non eſt, nec regem ipſum comminationes, quae in eo perſcriptae erant, cognitas perſpectasque habuiſſe. Inde vero inferre non licet, quod nonnulli faciunt, neminem inter omnes Iudaeos codicis ſacri exemplum habuiſſe. Haud dubie enim hinc inde exſtiterunt viri pii, qui haberent, etſi reges pariter ac ſacerdotes eum parum curarent. Quod ſi inſuper comminationes iſtas, quas rex legit, non in pentateucho, ſed aut in Eſaia, vel alio quodam prophetarum, exſtitiſſe dicas, eo minus inde, pentateuchi apud alios nulla exſtitiſſe exempla, inferri poterit.

Cur proceres iſti, quos rex ad conſulendum dominum miſit, non ad Ieremiam, aut alium quendam prophetarum, ſed ad Chuldam prophetidem, iuerint non conſtat. Forte nec Ieremias, nec alius propheta eo tempore fuit Hieroſolymis, forte & alia cauſſa fuit. De Chulda dicitur, quod habitauerit Hieroſolymis, במשנה *in parte ſecunda*. LXX interpretes cum eam vocem non intelligerent, retinuerunt: ἐν τῇ Μεσενὰ. Chaldaeus autem cum ſcholas ſuas & ſynagogas vbique ingerat, hic quoque, habet: בבית אולפנא *in domo doctrinae*. Probabilius, ſuburbium aliquod intelligi, quae & R. SALOM. IARCHI eſt ſententia. Rex Ioſias itaque, cum iſta, quae Chulda dixerat, cognouiſſet, vt iram Numinis placaret, nuntiis miſſis, ad reſtaurandum cum vero Deo fedus, omnes Iudae ſeniores Hieroſolymam conuocauit. Tum rex vna cum ſenioribus Iudae, vrbisque Hiero-

Digitized by Google

Hieroſolymae, itemque cum ſacerdotibus & prophetis, qui, ſi antea Hieroſolymae non fuerunt, eo venire poterant, & populo vniuerſo in aedem ſacram ſe contulit, omnibusque audientibus verba libri federis, qui in templo inuentus erat, legit. Stabat autem rex על העמוד *ad columnam*, ſeu *iuxta columnam: πρὸς τὸν ϛύλον*, vt LXX interpretes habent; qui videtur locus ille fuiſſe, in quo reges ſtare conſueuerint; conf. R. SAL. IARCHI & R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* Qui particulam על *ſuper* vertunt, in ſuggeſtu columnae inſtar eleuato, regem ſtetiſſe, autumant. Sed prior praeferenda explicatio. Recitatis, quae ad rem praeſentem faciebant, ſacri codicis verbis, rex fedus coram Domino fecit, omniaque eius praecepta ſancte ſe obſeruaturum, teſtatus eſt, idemque etiam populus fecit. Hisce peractis, rex Chilkiam magnum ſacerdotem, ſecundi ordinis ſacerdotes, & cuſtodes liminis, omnia vaſa, quae facta fuerant Baali & luco, & omni exercitui coeli, ex templo efferre iuſſit, eaque combuſſit, in campeſtribus ſeu planitie Kidronis, cineres autem eorum Bethelem tulit. Quos *ſacerdotes ſecundi ordinis* diximus, in ebraeo vocantur כהני המשנה, *ἱερεῖς δευτερώσεως*, vt LXX vertunt, vulgatus autem & alii reddunt: *ſacerdotes ſecundi ordinis.* Ebraei doctores duos ſummi ſacerdotis vicarios intelligunt, סגנים dictos, qui vicibus eius fungebantur, cum ipſe aut ob immunditiem, vel aliam ob cauſſam, officio ſuo fungi non poterat. Hi & inſpectores velut templi erant, iisque Leuitae, qui liminis cuſtodes erant, parebant, quibus adeo & hocce officium conueniebat. Non tantum autem vaſa haec & inſtrumenta idololatriae in planitie Kidronis combuſſit, ſed cinerem quoque Bethelem transferri curauit, ad locum illum polluendum. Oſtendere namque hac ratione voluit, quantopere & vitulorum cultus ſibi diſpliceret. Sunt, qui putant, quae hocce *verſ. 4. capitis XXIII.* libri poſterioris regum vsque ad *verſ. 21.* commemorantur, contigiſſe ante templi inſtaurationem, librumqe legis inuentum; adeoque ſcriptorem ſacrum ab ordine temporis hic diſceſſiſſe; vid. CHRISTIANVS SCHOTANVS *bibliotb. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. pag. 985.* Verum, etſi Ioſias iam anno regni duodecimo, adeoque ante librum legis inuentum, templum purgare, & idola deſtruere & euertere incepit, *II. chron XXXIV. 3.* idem tamen inſtitutum poſt federis ſolennem renouationem vlterius proſecutus eſt, atque continuauit.

Dicitur itaque porro, quod abrogauerit ſacrificos, quos inſtituerant reges Iudae, vt ſuffitum offerrent in locis excelſis per vrbes Iudae & circa Hieroſolymam. In ebraeo eſt: השבית את כמרים *ceſſare fecit Chamarim.* Vbi, quinam כמרים nomine veniant, viri eruditi non ſatis inter ſe conueniunt. Nonnulli idololatrarum hierophantas intelligunt, qui ita dicti ſint, quod nigris induti eſſent veſtibus, cum כמר ſit *nigreſcere;* conf. IOAN.

SELDENVS, *de diis Syris*, *ſyntagm. I. cap. VI. pag. 171. 172.* Alii a verbo כמר quod apud talmudiſtas eſt *ſecluſit*, ſacrificulos idololatricos כמרים dictos exiſtimant, eo quod latebras & receſſus quaererent, vt eo tutius vulgo imponerent; vid. R. IACOB ABENDANA, *ſpicil. ad Michlal Iophi*, ad *h. l.* Quod tamen longius petitum: nec probatum, ſacrificulos idololatricos receſſus & latebras quaeſiuiſſe. Alii ſpeciatim ſolis, & qui eius in hoc orbe ſymbolum referebat, ignis, ſacerdotes intelligunt; cumque Camarina vrbs Babyloniae, praecipua fuerit ſacerdotum ignis ſedes, hinc eos nomen trahere potuiſſe. Quam ſententiam vel hoc nomine reiicit PETRVS IVRIEV, quod voce כמרים non ſolis tantum, ſed aliorum etiam idolorum ſacerdotes intelligantur; *hiſtor. crit. dogm. & cult. part. IV. cap. IV. pag. 768.* Verum licet omnino hac voce non ſolis modo, ſed aliorum etiam idolorum miniſtri deſignentur, non tamen כמרים cum כהנים ſiue *ſacerdotibus*, vno eodemque habendi ſunt loco. Nimirum, quidquid ſit de vocis origine, id vel ex hoc ipſo, de quo verba facimus, loco liquet, כמרים eos dictos, qui idolis ſuffitum offerebant. Hoc ergo inter כמרים & כהנים interceſſiſſe diſcrimen videtur, quod illorum officium fuerit ſuffitum adolere, horum autem, ſacrificia offerre. Hinc Baal ſuos habebat כמרים & כהנים *Zeph. I. 4.* Eaque haud dubie ratione in reliquis idolis res ſe habuit. Ceterum, quod hic dicitur: ויקטר *vt ſuffitum offerret*, id vti ad כמרים, non autem ad reges Iudae referendum eſſe res ipſa docet, ita & ſingularem numerum pro plurali, quod & alias haud inſolens eſt, poſitum, palam eſt. Non itaque neceſſe eſt, vt τὸ ו hic excidiſſe credamus, vti IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* coniicit. Hoſce כמרים autem Ioſias non interfecit, ſed tantum *ceſſare fecit*, ſeu exauctorauit. Nimirum eos ſacerdotes & miniſtros idololatricos, qui ex ordine ſacerdotali erant, non interfecit, ſed exauctoratos, & ignominia adfectos, dimiſit, reliquos vero interfecit. Patet hoc, ſi conferantur, quae *verſ. 9. & 20.* hac de re dicuntur. Iſti, de quibus diximus, Chamarim, ſuffitum obtuliſſe dicuntur Baali, ſoli, lunae, planetis, & toti exercitui coeli. Vocem ebraeam מזלות cum IM. TREMELLIO, aliisque, pro planetis accipimus, etſi vulgatus habeat: *duodecim ſignis*, ſcilicet, zodiaci. Duodecim enim ſignorum zodiaci cultum apud Ebraeos receptum fuiſſe, parum eſt probabile: etſi me non fugiat, viros quoſdam doctos ita cenſere. LXX interpretes, cum vocem hanc non intelligerent, more ſuo eam retinuerunt: τοῖς μαζουρὼθ. Ioſias vero etiam eduxit lucum ex aede domini, eumque in valle Kedronis combuſſit, comminuitque in cinerem, quem ſepulcris hominum plebeiorum inſperſit. Lucus ſcilicet ille intelligitur, quem rex Manaſſes in aede domini plantauerat, vti ad §. *praecedentem* obſeruauimus. Hunc vna cum ſculptili ſeu idolo, quod in eo cole-

Digitized by Google

colebatur, eduxit Ioſias, atque combuſſit, comminuitque. Cineres in ſepulcra hominum plebeiorum proiecit, non omnium, ſed idololatrarum, in eorum, qui iam mortui erant, contemtum, & terrorem viuentium. Diruit etiam בתי הקדשים *domus*, ſeu *conclauia cynaedorum*, *quae erant in aede domini*. Per קדשים *cynaedos* ſignificari, notum eſt. Nec vlla praegnans eſt ratio, quae nos cogat, a propria vocis ſignificatione diſcedere, &, quod nonnulli faciunt, de ſpirituali ſcortatione, ſeu idololatria, eandem explicare. Eo vsque autem impietas & furor idololatricus proceſſerat, vt hiſce hominibus manſiones ſeu conclauia in ipſa aede domini eſſent ad inhabitandum conceſſa; in quibus etiam mulieres commorabantur, *quae texebant domos luco*, hoc eſt, tentoria conficiebant, in luco collocanda, in quibus idolo ſacra faciebant, & omne flagitiorum perpetrabant genus. Sacerdotes praeterea omnes, qui generis ſacerdotalis erant, & hactenus idololatrici cultus miniſtri fuerant, ex reliquis vrbibus euocatos, Hieroſolymam adduxit, iisque azyma eo tempore conceſſit, vt deinde de reliquis quoque ſacerdotum cibis partem caperent, ne fame illis pereundum eſſet; a miniſterio autem templi eos arcuit. Loca ſimul excelſa, in quibus ſacerdotes iſti ſacra fecerant, per totam terram Iudae polluit, deſtruxitque *loca edita portarum*, quae ad portas vrbium conſtitui ſolebant, vt ingredientes & egredientes proſperos negotiorum ſucceſſus ab idolis, quae in iis colebantur, impetrarent, aut, ſi impetraſſe ſe putabant, gratias iis agerent. Cumprimis excelſum, quod erat *ad ingreſſum portae Ioſuae, praefecti vrbis*, deſtruxit. Videtur id a Ioſua, ceu iudice ſupremo & praefecto vrbis, non procul a loco iudicii conſtitutum fuiſſe, vt deo cuidam iuſtitiae praeſidi, in eo ſacra fierent. Polluit Ioſias etiam *Tophetum in valle filiorum Hinnom, ne quis transmitteret filium aut filiam ſuam Molecho*. Topheth namque lucus fuit in valle Hinnom, quandoque & ipſa vallis Hinnom ita dicta. De cuius vocis origine & ſignificatione cum ad §. *XXIII.* huius ſectionis dictum ſit, hic nihil addimus.

Sed equos etiam aboleuiſſe dicitur, quos conſecrauerant reges Iudae ſoli, currusque ſolis igne abſumſiſſe. Perſis in more poſitum fuiſſe, equos ſoli conſecrare, vel ex Q. CVRTIO RVFFO conſtat. Ordinem namque, quem in itinere exercitus Darii tenuit, deſcribens, *currum deinde*, inquit, *Ioui ſacratum albentes vehebant equi; hos eximiae magnitudinis equus, quem ſolis appellabant, ſequebatur, libr. III. cap. III.* Idem & ex XENOPHONTE conſtat, *de inſtit. Cyri, pag. 216. & de expedit. Cyri libr. IV. pag. 333.* vt alios taceam. Ebraeorum magiſtri, R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique, quod hic de equis ſolis dicitur, ita capiunt, ac ſi equi currusque ſolis ſemper parati fuerint, vt adoratores ſolis, ſoli orienti quam velociſſime obuiam

Digitized by Google

ire poſſent. Quod abſonum eſt. Sunt, qui tradunt, equos ſoli conſecratos, eidem pro victima oblatos atque mactatos eſſe, quod XENOPHON *locis citatis* innuit. Idemque confirmat OVIDIVS, rationem ſimul, cur ſoli equos conſecrauerint, reddens:

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,

Ne detur celeri victima tarda Deo. *faſtor. lib. I. p. m. 33.* De Maſſagetis idem refert HERODOTVS, equos ideo ſoli mactaſſe, *quod deorum perniciſſimo e quadrupedibus omnibus perniciſſimum conueniret, libr. I. circa finem.* Fieri tamen etiam potuit, vt quosdam equos in honorem ſolis, ceu ſymbolum eius, nutrirent, vt Apis in Aaegypto in honorem Iſidis alebatur. Talis haud dubie erat equus eximiae magnitudinis, qui equus ſolis dicebatur, cuius CVRTIVS meminit. Et IVSTINVS quoque generatim ſaltem dicit: *equos eidem Deo* (ſoli) *ſacratos ferunt*; *hiſtor. lib. I. cap. X.* Ad iſtos autem ſolis equos, quod attinet, quos Ioſias ſuſtuliſſe dicitur, per eos omnino nonnulli ſtatuas, equi formam referentes, ſolique conſecratas, intelligunt. Sane, cum loci, in quo ſteterint iſti equi, ſimul fiat mentio, verbum נתנו vix aliter, quam per *poſuerunt*, verti poteſt: quos *poſuerunt*, ſeu *collocauerunt reges Iudae &c.* Quae loquendi ratio de ſtatuis rectiſſime capitur. Ita PETRVS IVRIEV, qui & per *currus ſolis*, aediculas ſacras, easque currus ſpeciem referentes, in quibus ignis ſacer fuerit conſeruatus, intelligit; & haſce aediculas ſacras etiam חמנים dictas fuiſſe, contendit; *hiſtor. crit. dogm. & cult. part. IV. cap. II. pag. 723. 724.* it. *cap. I. pag. 718.* Conſtituti autem ſeu poſiti iſti equi, vel ſtatuae equum referentes, fuere, *ab introitu domus Iehouae, ad cubiculum Nethanmelechi eunuchi*, quod erat בפרורים *in Pharurim.* Vbi, quid vox פרורים ſibi velit, non ſatis conſtat. Nonnulli, vt nomen proprium loci, eam retinuerunt, vt vulgatus atque B. LVTHERVS. Plerique Ebraeorum ea voce *ſuburbia* ſignificari putant, quod tamen ab hoc loco alienum eſt. Locus enim in templo indicatur, in quo equi iſti, aut equorum potius ſtatuae, collocatae fuerunt. Rectius alii per *veſtibula* interpretantur, vt ſignificetur, cubiculum Nethanmelechi eunuchi fuiſſe in veſtibulis introitus; conf. SEB. SCHMIDIVS ad *h. l.*

Neque hic ſubſtitit zelus Ioſiae, ſed *aras quoque quae erant ſupra tectum coenaculi Achazi, quas fecerant reges Iudae, & quas fecerat Manaſſes, in duobus atriis templi*, demolitus eſt, pulueremque earum in torrentem Kedron abiecit. Quod ſi enim Manaſſes, poſtquam ad mentem ſaniorem rediit, aras, quas in atriis templi conſtituerat, remouit; fieri tamen potuit, vt Amon eas reſtitueret. Pari ratione intelligendum videtur, quod de excelſis Salomonis, a Ioſia deſtructis, dicitur; ea ſcilicet, a piis Iudae regibus, qui poſt Salomonem regnarunt, deſtructa, ſed ab idololatris reparata

Digitized by Google

parata eſſe, quamquam & fieri potuerit, vt iſta excelſa ſub piis etiam regibus manſerint. Quidquid denique ſtatuarum & ſimulacrorum erat, confregit, concidit, comminuit, & loca, in quibus fuerant, oſſibus humanis repleuit, vt omnibus exſecrationi eſſent. Immo vlterius progreſſus, & altare, quod Ieroboamus, primus rex Iſraelitarum, in loco edito fecerat, vna cum ipſo loco excelſo, & luco, qui in eo erat, demolitus eſt, & cuncta in puluerem redegit. Aſſyrii, qui eo tempore terram Iſraelitidem tenebant, hoc impedire aut non potuerunt, aut non voluerunt, parum curantes, quid de altari iſto fieret. Cum etiam Ioſias oſſa ex ſepulcris, quae in vicinia erant, deſumta, in altari iſto ad iſtud polluendum comburi iuberet, adcurate impletum eſt, quod Deus hac de re praedixerat; vid. *I. reg. XIII. verſ. 2.* Conſpecto autem eo in loco monumento quodam ſepulcrali, (hoc enim vox ציון ſignificat) ab oppidanis, Iſraelitis ſcilicet, qui adhuc ſupererant, ſepulcrum hoc eſſe vatis, qui praedixerat ea, quae nunc impleta eſſent, edoctus eſt. Quod documento eſt, fuiſſe inter Iſraelitas, qui prophetarum vaticinia diligenter obſeruarent, & ad poſteros propagarent, cum, vaticinii iſtius, contra altare Bethelis editi, memoria poſt trium ſeculorum interuallum nondum eſſet deleta. Hoc ergo cum rex intellexiſſet, oſſa vatis moueri vetuit; eaque ratione vna cum oſſibus alterius vatis, in idem ſepulcrum coniectis, intacta manſerunt. Quod Bethele fecerat, idem & in reliquis Samariae vrbibus fecit, cuncta, quae ad idolorum cultum ſpectauerant, remouens ac deſtruens. Sed omnes quoque ſacerdotes excelſorum, qui non erant ex tribu Leui, interfecit. Et hiſce peractis, Hieroſolymam reuerſus eſt.

Repurgata ergo hunc in modum terra Iudae, pariter ac Iſraelis ab idololatria, paſchatos feſtum celebrare ſecum conſtituit; idque eodem adhuc regni eius anno decimo octauo contigit. Eum in finem omnes ſacerdotum & Leuitarum familias coire voluit, vt quiſque in ordine ac loco ſuo conſtitutus ea ageret, quae officii illi demandati ratio poſtulabat. Leuitis inter alia mandauit, vt arcam in conclaui, quod ei Salomo aedificauerat, reponerent, *II. chron. XXXV. verſ. 3.* Quae quidem ſacri ſcriptoris verba commento cuidam iudaico occaſionem praebuerunt. Sunt namque ex Ebraeorum magiſtris, qui tradunt, Salomonem in templo ſub humum, locum abditum ſecretumque ſumma cura paraſſe, cum ex vatum reſponſis didiciſſet, futurum olim, vt templum ab Aſſyriis ſolo aequaretur. In hoc autem ſpecu vnguentum ſacrum, & arcam foederis, atque Aaronis baculum, cum reſiduo mannae, tum lapides vrim & thummim, poſuiſſe Ioſiam, eorumque omnium nihil quidquam Iudaeis reſtitutum eſſe, cum reuerſi Babylone in patrias ſedes templum ſecundum exſtruerent; reuelanda au-

Digitized by Google

autem haec omnia tempore Meſſiae, ipſisque tunc reſtituenda. Ita doctores talmudici, in *maſſechet Ioma*, *gemara*, *cap. V.* quorum veſtigia legunt R. SAMVEL LANIADO, R. BECHAI, R. IEHVDA HALLEVI, aliique, apud IO. HENRICVM HOTTINGERVM, *theſaur. philolog. lib. II. cap. III. ſect. II.* & IO. BENED. CARPZOVIVM, *diſſert. quonam arca peruenerit*? quae ſecunda eſt inter diſſertationes eius iunctim editas, *cap. I. §. VII. & VIII.* conf. & PETRVS CVNAEVS. *de republ. Ebraeor. lib. I. cap. XIV. pag. m. 91.* Quam lubrico autem haec traditio nitatur fundamento, nemo non videt. Dum enim ſcriptor ſacer dicit, iuſſiſſe Ioſiam, vt arca ſacra in conclaui, quod ei aedificauerat Salomo, reponeretur, nihil aliud voluit, quam quod iterum in loco ſuo, hoc eſt, ſancto ſanctorum, debuerit reponi; quod ex ipſis Iudaeis agnoſcit R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* Interim id inde liquet, arcam federis ex loco ſuo, ſeu ſancto ſanctorum, fuiſſe amotam: quod quando, aut qua ratione, contigerit, non conſtat. Is, quem iam laudaui, R. SAL. IARCHI, exiſtimat, a regibus impiis Manaſſe & Amone dimotam a loco ſuo arcam, & eius loco idola in ſancto ſanctorum poſita. Sed, ſi ipſum ſanctum ſanctorum hac ratione pollutum & contaminatum fuiſſet, dubito, an ſcriptores ſacri tam grande ſcelus ſilentio fuiſſent praetermiſſuri. Probabilius, ab ipſis Leuitis in turbato iſto rerum omnium ſub Manaſſe, atque Amone ſtatu, conſilio non malo, & ne iniuria forte arcae inferretur, eam ex ſanctuario in alium locum translatam, ibique reconditam. Idque ipſa Ioſiae euincere videntur verba, quibus velut rationem reddit, cur in conclaui ſuo reponenda ſit arca: אין לכם משא בכתף *non erit vobis onus in humero*, hoc eſt, non amplius vobis neceſſe fuerit, ex vno loco in alium eam transferre; quod ob idololatrarum furorem factum videtur; conf. IOAN. BENEDICTVS CARPZOVIVS, *diſſert. cit. cap. II. §. VI.* Iam, quod ad ipſam paſchatos celebrationem attinet, id praecipue obſeruatione dignum, agnos paſchales in templo fuiſſe mactatos, ſanguinemque eorum altari adſperſum; quorum poſterius quidem a ſacerdotibus fiebat, prius & a Leuitis; vid. *II. chron. XXXV. 11.* Praeter ordinem, moremque receptum, hoc factum, non eſt, quod dubitemus. Erat enim alias patrum familias, mactare agnum paſchalem. Videtur autem id ideo factum, quod ob impuritatem quandam, aut aliam quamcunque ob cauſſam, patres familias ad mactationem agni paſchalis eo tempore parum idonei cenſerentur. Videtur quoque tantum Hieroſolymis res eum in modum peracta, non in aliis locis, vbi itidem paſcha haud dubie celebratum fuit. Quae ex ſacrificiis paſchalibus euchariſticis populo ſuppeditabantur, in conuiuiis magna cum hilaritate abſumebantur. Leuitae autem, cum ea, quae pro populo neceſſaria erant, curaſſent, tum demum & ſibi, ſacerdotibusque, paſcha

ſcha pararunt, his quippe in adolendis holocauſtis & adipe, vsque ad noctem occupatis. Cum vero *II. reg. XXIII. 22.* dicitur, non celebratum fuiſſe eiusmodi paſcha *a temporibus iudicum, qui ius dixerant Israeli, per omnia tempora regum Israelis & regum Iudae*, ſenſus eſt, tam adcurate, & ſollicite ſecundum praeſcriptum legis Moſaicae paſcha non fuiſſe celebratum *a temporibus iudicum*, hoc eſt, poſt tempora iudicum, cum *II. chron. XXXV. 18.* dicatur: *a temporibus Samuelis prophetae.* Finito paſchate, quidquid adhuc ſuperſtitionis ſupererat, ex terra Iudaea & vrbe Hieroſolyma ſuſtulit, *II. reg. XXIII. 24.* ſeque adeo totum ſummo ſtudio ad legem Moſis compoſuit. Hinc & ante eum non fuiſſe rex dicitur, *qui rediiſſet ad Iehouam toto corde, toto animo, & totis viribus, ſecundum vniuerſam Moſis legem*, quemadmodum & nec poſt eum, qui ſimilis eſſet, exortus ſit. De Hiskia equidem idem dicitur, eſtque veriſſimum, ſi animum ſpectes; at, ſi reformationem ſummo ſtudio peractam conſideres, nemo eſt, qui cum Ioſia comparari poteſt.

Interim tamen Deus ab ira ſua, & conſilio puniendi per captiuitatem Babylonicam populum iudaicum, reuocatus non eſt. Etſi enim Ioſias rex religioſiſſimus eſſet, populus tamen parum ſincere, magisque ex metu, ne regis indignationem incurreret, quam animi ſententia, ſe hac in re gerebat. Vnde & prophetarum contra eum edita oracula impleta ſunt. Primum autem irae diuinae documentum erat, infelix regis optimi exitus. Ex eo enim tempore omne calamitatum genus populo iudaico incubuit. Necho namque Aegypti rex, Aſſyriis bellum illaturus, ad oppugnandum Charchemiſium ad Euphratem expeditionem ſuscepit. De Nechone hocce, quem bellicoſum regem fuiſſe, ex HERODOTO etiam conſtat, *libr. II. cap. CLIX.* itemque de Aſſyriorum rege, cui arma inferre voluit, quisnam ille fuerit, in ſequentibus erit dicendi locus. De cauſſa belli nihil praeter coniecturas adferre licet, nec noſtra magnopere, vt eam ſciamus, refert. Charchemiſch oppidum fuiſſe videtur, quod a Graecis & Latinis Cercuſium vel Cirſeſium vocabatur, ſitum ad confluenta Euphratis & Chaborae in Meſopotamia; vid. CHRISTOPH. CELLARII, *geograph. ant. lib. III. cap. XV.* Dum ergo Necho per fines Iudae cum exercitu tranſiturus erat, Ioſias, aut de animo Nechonis non ſatis certus, aut alias ob rationes, id permittere minime conſultum duxit, ſed obuiam ei iuit. Aegypti autem rex nuntios ad Ioſiam miſit, qui ſignificarent, ſe non illi, ſed regi Aſſyrio bellum illaturum, mandatumque ſibi a Deo, vt feſtinaret; deſiſteret ergo a conſilio ſe oppugnandi, ne Deus, qui ſecum eſſet, illum perderet. Hoc num de vero Deo, an vero de idolo quodam aegyptio intellexerit, non adeo euidens eſt. Quod ſi de vero Deo hoc intelligatur, prophetam

quen-

quendam ebraeum ad Nechonem miſſum fuiſſe, neceſſe eſt, qui hoc ei ſignificaret. Quod & a vero non abhorret. Ioſias autem iſta parum curans, nec credens, vt videtur, a vero Deo iſta profecta, ad proelium committendum in vallem Megiddonis ſe contulit, veſte quidem mutata, ne agnitus in proelio ab Aegyptiis potiſſimum impeteretur. A ſagittariis nihiloſecius impetum in eum facientibus grauiter vulneratus, & ex acie abductus, Megiddone mortuus eſt; vnde auectum ſerui eius Hieroſolymam detulerunt, ac in ipſius ſepulcro ſepelierunt, *II. reg. XXIII. verſ. 30.* & *II. chron. XXXV. verſ. 24.* Proelii huius mentionem etiam HERODOTVS facit: καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. μετὰ δὲ τὴν μάχην, Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε· *terreſtri autem acie congreſſus cum Syris ad Magdolum, victoria potitus eſt, & poſt proelium Cadytin, magnam Syriae vrbem, cepit; libr. II. cap. CLIX.* Vbi per Syros eum Iudaeos intelligere, dubio caret. Ex Megiddone vel Mageddone, Magdolum fecit, aut, ſi mauis, Μάγδωλον, aegyptiacam vrbem, quae fuit ad mare rubrum, cum Mageddone ad mare mediterraneum confudit, vt cum IO. MARSHAMO, IO. CLERICVS cenſet, ad *II. reg. XXIII. verſ. 29.* Ad Cadytin autem vrbem quod attinet, cuius non tantum *loc. cit.* ſed & *libr. III. cap. V.* HERODOTVS meminit, is, quem laudaui, vir doctiſſimus, IOANNES CLERICVS per eam *Kedeſch* ſeu *Kadeſch*, Galilaeae ſuperioris haud ignobilem vrbem, intelligit. Alii vero hoc nomine ipſam vrbem Hieroſolymam venire putant, illudque a קרושה *ſancta*, vel קריתתא *combuſta* deriuant. Quam quidem ſententiam rationibus minime contemnendis impugnat HADRIANVS RELANDVS, *Palaeſtin. lib. III. p. 669.* ipſemet coniiciens, Gath vrbem Philiſtaeorum quondam regiam, hoc nomine adpellatam. Sed priorem ſententiam, Cadytin eſſe vrbem Hieroſolymam, erudite defendit, auctor clariſſimus obſeruationis, de *Cadyti, magna Syriae vrbe*, quae exſtat, in *noua variorum ſcriptorum collectione, faſciculo I.* Halae Magdeburgicae, anno M DCC XVI edito, qui & ad rationes RELANDI reſpondet, & aliorum ſententias ſub examen reuocat, & de origine vocis *Cadytis*, varias coniecturas proponit. Ad Ioſiam vt redeamus, mortuum omnes ingenti luctu, prout merebatur, proſecuti ſunt. Ipſe Ieremias vates, qui ab anno eius decimo tertio, cum rex expurgandis idolis occuparetur, vaticinari coepit, יקונן *lamentatus eſt*, ſeu threnum fecit. FL. IOSEPHVS hoc ita exprimit: Ἱερεμίας ὁ προφήτης ἐπικήδειον αὐτῷ συνέταξε μέλος θρηνητικὸν, *Hieremias etiam epicedium illi ſcripſit lugubri carmine*; additque: ὃ καὶ μέχρι νῦν διαμένει, *quod nunc quoque exſtare videmus; antiquit. iudaic. libr. X. cap. VI.* Fortaſſis threnos Ieremiae, quos hodie habemus, epicedium illud in Ioſiam ab eo compoſitum eſſe, exiſtimauit. Praeterea,

can-

Digitized by Google

cantores, inquit ſcriptor ſacer, *& cantrices in lugubribus ſuis carminibus de Ioſia loquuntur, ad hunc vſque diem, conſuetudinemque hanc in Iſraele inſtituerunt.* Senſus eſt, tam inſignem celebremque fuiſſe luctum, quo Ioſiam Iudaei proſecuti ſunt, vt in formulis luctus, carminibusque lugubribus, quibus Ebraei per aliquot aetates vſi ſunt, eius mentionem fecerint. Additur: *en autem ea ſcripta* על הקינות *in lugubribus carminibus*, quo ipſo collectio quaedam eiusmodi threnorum indicari videtur. FLAVII IOSEPHI *παρεράματα* in hiſtoria Ioſiae, cum nec multa, nec magni momenti ſint, praetermittimus.

§. XXVII.

Iam extrema ante Babylonicam captiuitatem aderant tempora. Ioachazus Ioſiae degener filius, a plebe rex conſtituitur, quem poſt tres menſes Necho Aegypti rex, ab Aſſyriaca expeditione recedens, captum vinctumque, in Aegyptum abduxit, vbi miſere periit. * Idem vero Aegypti rex, cum Iudaeos maximo tributo mulctaſſet, Eliakimum, qui & Iehoiachimus dicitur, alterum Ioſiae filium, fratremque Ioachazi, regem illis dedit, qui cum impiorum regum veſtigia premeret, vatesque rectiora monentes adeo non audiret, vt eos aut occideret, aut alia ratione male haberet, Nebucadnezar mox rex Babyloniorum adfuit, & poſt victorias ab Aegyptiis, Syris, ac Phoenicibus reportatas, expugnata vrbe Hieroſolyma, regi ipſi, vt Babylonem eum abduceret, vincula iniecit, qui tamen & libertatem & regnum recuperauit, cum & vectigal, & obſequium, Babyloniorum regi pollicitus eſſet. Interim cum ingenti praeda, captiui plurimi genere, forma, aetate, praeſtantes, Babylonem traducti. Iehoiachimus autem cum accepti immemor beneficii, fidemque datam fallens, ad Aegyptios iterum deficeret, a Nebucadnezare captus, vinculisque conſtrictus, mox iugulatus, ſepulturae etiam honore poſt mortem caruit. ** Filius Iechonias ei equidem ſucceſſit, ſed poſt trium menſium imperium ſe Nebucadnezari tradere coactus, Babylonem itidem cum familia, principibusque viris, & flore populi iudaici traductus, diuitiis, quae ſupererant, templi, eodem auectis. ***

* Mortuo Ioſia, populus terrae, hoc eſt, plebs, ſumſit Ioachazum, Ioſiae filium, eumque vnxit, & patris loco regem conſtituit. Cum Ioachazus iſte *II. reg. XXIII. 31.* viginti tres annos natus dicatur, quando re-

 gno

gno admotus eſt, frater vero eius Eliakim ſiue Ioiakim, qui eodem anno, poſt tres ſcilicet menſes, ei ſucceſſit, eo tempore viginti quinque annos natus fuerit, *ibid. verſ. 36.* recte inde colligitur, Eliakimum inter filios Ioſiae fuiſſe natu maiorem. Nec enim probabile, quod alii volunt, inter regnum Ioachazi & Eliakimi, aliquot annorum interceſſiſſe ſpatium. Obſtare equidem videtur locus *I. chron. III. 15.* vbi Ioachaz qui ibi Iochanan vocatur, primogenitus dicitur. Sed hoc intelligendum videtur, quod primogenitus fuerit ex Chamutale, vxore Ioſiae dilecta: *II. reg. XXIII. 31.* Valde itaque etiam eſt veroſimile, Ioſiam, Ioachazum Eliakimo, etſi natu maiori, praetuliſſe, quod illum ex vxore dilecta ſuſcepiſſet. Hinc vero omnium turbarum, omnisque calamitatis origo. Ioſiae namque ſententiam cum populus adprobaret, & Ioachazum regem faceret, Eliakimus vtpote natu maior, magnam hoc ipſo ſibi fieri iniuriam ratus, ad Aegypti regem ſe contulit, eius opera regnum ſibi vindicaturus. Quod & ex voto ei ſucceſſit. Rex enim Aegyptius cum Ioachazum ad ſe euocaſſet, ad Riblam in terra Chamataea eum in vincula coniecit, in Aegyptum deducendum, vbi & mortuus eſt. Mulcta hinc centum talentorum argenti, & vnius auri, terrae Iudaeae impoſita, Eliakimum regem conſtituit, eumque mutato nomine Iehoiakimum dici voluit. Erat enim eo temqore in more poſitum, vt domini ſeruorum nomina mutarent. Vnde & rex Aegyptius, ſe dominum Eliakimi eſſe, hoc ipſo ſignificare voluit. De Ioachazo autem adhuc obſeruandum, a populo eum vnctum dici, quia in diſſidio, ſeu renitente fratre, electus erat, ſecundum Ebraeorum obſeruationem, iam alibi a nobis expoſitam. Addunt iidem, balſamo eum vnctum, non oleo vnctionis, eo, quod hoc a Ioſia iam abſconditum eſſet; quod tamen illorum commentum ad §. *praeced.* iam exploſimus. Ceterum, imperium tenente Ioachazo, Ieremias ea vaticinatus eſt, quae *cap. XXII. 1. - 12.* legimus. Ibi vero *verſ. 11.* per Schallum ipſum Ioachazum ſignificari, viris doctis obſeruatum eſt. Nimirum fieri potuit, vt idem & Schallum diceretur, ſiue boni ominis cauſſa, quod ſperaretur pacificus, ſiue per ironiam, quod Schallumo regi Israelis *II. reg. XV. 13.* ſimimilis futurus eſſet. Non tamen ideo confundendus cum Schallumo quarto Ioſiae filio, de quo deinceps.

** Eliakimus, ſeu Ioiakimus, frater Ioachazi natu maior, viginti quinque annos natus erat, cum a rege Aegypti, rex conſtitueretur. Cum per tres annos regnum tenuiſſet, a Nebucadnezare, quem pater in regni conſortium adſumtum, ſumma cum poteſtate exercitui praefecerat, ſub iugum miſſus eſt. Anno quarto Ioiakimi, qui primus fuerit Nebucadnezaris, hoc factum eſſe *Ierem. XXV. 1.* dicitur. Sed *Dan. I. 1.* hoc factum dicitur, anno Ioiakimi tertio. Conciliari tamen facile prophetae inter ſe poſ-

Digitized by Google

poſſunt, ſi dicamus, Ieremiam annos regiminis Ioiakimi a morte Ioſiae incipere, eo quod Ioiakimus, ceu primogenitus, regnum ſibi vindicaret; Danielem autem annos iſtos numerare ab eo tempore, quo regni poſſesſionem adiit; aut, quae aliorum eſt ſententia, non minus nobis probanda, Danielem loqui de anno tertio finito, Ieremiam de anno quarto inchoato. Ex eodem Danielis loco *cap. I.* 2. nonnulli colliguur, Ioiakimum Babylonem tum abductum fuiſſe; certe quod Deus eum, cum parte inſtrumentorum domus Dei, in manum Nebucadnezaris tradiderit, diſerte ibi dicitur. Interim pactis conditionibus ſeruitutis, mox reſtitutus fuit. Deportati etiam nonnulli ex nobilioribus adoleſcentibus Babylonem, ex quibus forma & ingenio praeſtantes Nebucadnezar deligi iusſit, vt litteris & ſapientia Chaldaeorum imbutos, aulicis miniſteriis admoueret, quos inter & Daniel fuit, *Dan. I.* 3. 4. Prima haec fuit inter deportationes maiores. Qua de re in ſequentibus. Ioiakimus autem cum per tres annos Nebucadnezari ſeruiiſſet, iugum eius abiecit, *II. reg. XXIV.* 1. Tum Deus *copias praedonum Chaldaeorum*, *Syrorum*, *Moabitarum*, *Ammonitarum* in eum immiſiſſe dicitur, *ibid. verſ.* 2. Nimirum, cum Nebucadnezar defectionem Ioiakimi accepiſſet, gentes vicinas Iudaeorum, Babyloniis iam parentes, aut forte federe iunctas, in Ioiakimum concitauit, vt vna cum cohortibus Chaldaeorum, quae iis in locis commorabantur, incurſiones in Iudaeam facerent, regemque vexarent, donec ipſe iuſto cum exercitu aduentaret. Idque cum contigiſſet, captus Ioiakimus, & gemina catena vinctus eſt, vt Babylonem abduceretur, *II. chron. XXXVI.* 6. De poſteriori enim Ioiakimi captiuitate hunc locum intelligendum, res ipſa docet. Hinc cum aut in itinere, aut carcere mortuus eſſet, ſepulcro caruit, prout Ieremias vates praedixerat, *cap. XXII.* 18. & *XXXVI.* 30. licet intuitu communis naturae legis *II. reg. XXV.* 6. dormiuiſſe cum patribus ſuis dicatur. Ioiakimus hicce, qui per annos vndecim ſummam rerum tenuit, rex impius atque infelix fuit, merito hinc leoni regionem deuaſtanti comparatus, *Ezech. XIX.* 5. 6. 7. Hinc & Ieremias crimina eius grauisſima illi exprobrare, iramque diuinam denuntiare iuſſus eſt, *cap. XXII.* 13. - 23. *XXVI.* 20. 23. alibique. Vrias quoque filius Semaiae, eodem tempore calamitates vrbi Hieroſolymae, & terrae Iudaeae, imminentes praedixit: quod Ioiakimus adeo aegre tulit, vt eum morte adficere ſecum conſtitueret; cumque vates in Aegyptum auffugiſſet, retractum inde gladio percusſit, cadauerque in ſepulcra populi contemtisſima abiecit. Idemque mortis ſupplicium Ieremias, ope Ahikami, filii Saphanis, vix euaſit, *Ierem. XXVI. v.* 20. 24. Sub hocce rege Ioiakimo Ieremias etiam iugum ferreum collo circumdare iuſſus eſt, in ſignum ſeruitutis, quam cum Iudaeis gentes vicinae ſub Nebu-

bucadnezare, Babyloniae rege, ſubituræ eſſent, *Ierem. XXVII. 1. 2. ſeqq.* Anno quarto eiusdem regis, Ieremias ſollemnem illam concionem habuit, quae *cap. XXV.* legitur. Sed & omnes prophetias ſuas per Baruchum filium Neriae litteris conſignare iuſſus eſt, *cap. XXXVI. 1.-4. ſeqq.* item *XLV. 1.-5.* Qui liber cum anno ſequenti in templo publice legeretur, ad regem delatus, diſcerptus, atque combuſtus eſt, immo Ieremiam pariter ac Baruchum ad necem quaerere iuſſit; fruſtra quidem, quia Deus eos abſcondiderat. Ieremias autem alium conficere iuſſus eſt, in quibus eadem & alia adhuc ſcriberentur, *Ierem. XXXVI. 9. 26. 32.* Sexto eiusdem regis, vt nonnulli putant, anno, Ieremias cingulum ſuum ad Euphratem iuſſu Numinis abſconditum, repetiit, *Ierem. XIII. 6.-27.* Septimo vero anno, Ioiakimus a Nebucadnezare defecit; vnde noua belli tempeſtas per aliquot annos duratura, donec tandem rex impius ea, qua diximus, ratione periret.

*** Ioiakimo ſucceſſit filius eius Iehoiachin, qui & Iechonias, item Choniah, *Ierem. XXII. 24.* dicitur; patre nec melior, nec felicior. Per tres enim tantum menſes imperium tenuit. Octodecim eum annorum fuiſſe, cum regnare inciperet, *II. reg. XXIV. v. 8.* adſeritur, at *II. chron. XXXVI. 9.* dicitur, eum fuiſſe octo annorum. Nimirum, cum pater eius regnum obtineret, filium huncce ſucceſſorem in regno deſignauit, quod & alias regibus Iudae & Iſraelis in more poſitum erat; & tum Iechonias octo annorum fuit. Cum vero abducto in captiuitatem, mortuoque patre, ipſe regni habenas capeſſeret, octodecim annorum fuit. Videtur autem inuito & inconſulto Nebucadnezare, regnum per fauorem populi inuaſiſſe. Mox ergo exercitus Babylonicus adfuit, & vrbem Hieroſolymam obſidione cinxit. Quod *II. chron XXXVI. 10.* dicitur, in *reuolutione anni*, vel *anno vertente*, veniſſe ſeruos Nebucadnezaris ad vrbem Hieroſolymam oppugnandam, non ita capiendum, ac ſi annus, ex quo rerum potiri coeperit Iechonias, effluxerit, quippe quem per tres tantum menſes, &, vt in chronicorum libro additur, decem dies, imperium tenuiſſe, conſtat; ſed ſenſus eſt, circa initium noui anni exercitum Nebucadnezaris ad vrbem Hieroſolymam acceſſiſſe. Poſtquam autem & ipſe Nebucadnezar aduenerat, Iechonias rex cum matre, ſeruis, ducibus, eunuchis egreſſus, poteſtati eius ſe permiſit. Factum hoc *II. reg. XXIV. 12.* dicitur, anno octauo, ex quo Nebucadnezar regnare coeperat. Dubium hic ſibi nonnulli mouent ex *Ierem. LII. v. 28.* vbi deportatio quaedam anno ſeptimo Nebucadnezaris facta, memoratur, quam eandem cum illa, qua Iechonias deportatus eſt, fuiſſe, exiſtimant: idque vt tollant, annos Nebucadnezaris aliter in Babylonia, aliter in Iudaea numeratos fuiſſe, autumant; conf. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, ad *h. l.* Verum diuerſam fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe deportationem, de qua Ieremias loquitur, ab ea, qua Iechonias deportatus fuit, ex dicendis conſtabit. Licet autem Iechonias Nebucadnezari ſe dediſſet, hic tamen forte metuens, ne patris perfidiam imitaretur, Babylonem abductum in carcerem coniecit, ex quo anno trigeſimo ſeptimo, poſtquam abductus erat, ab Euilmerodacho liberatus, & ad honores euectus fuit, *II. reg. XXV. verſ. 27. Ierem. LII. v. 31.* Calamitates, quae regem huncce exceperunt, ei praedixerat Ieremias vates, cuius inter alia & hocce de eo exſtat oraculum: *ſcribite virum iſtum liberis carentem, virum non proſperaturum in diebus ſuis: nam non proſperabitur de ſemine eius quisquam, ſeſſurus in ſolio Dauidis, & dominaturus amplius in Iuda, cap. XXII. 30.* Quibus verbis cum ſignificari videatur, Iechoniam ſine prole moriturum, haud exigua inde oritur difficultas, quod *Matth. I. verſ. 12.* in genealogia Chriſti, Salathiel Iechoniae filius, & huius poſteri, iuſta ſerie commemorentur. Hoc vero qui de ſucceſſione in ius regiae dignitatis, cum HVGONE GROTIO capiunt, non cogitant, hoc cum inſtituto Matthaei, genealogiam texentis, prorſus non conuenire. Sed recte aliis iam obſeruatum, vocem ערירי, quae apud Ieremiam exſtat, non tantum *orbum liberis* notare, ſed *deſtructum*, *infelicem*, & *miſerum*; quam & AQVILAE ſecunda editio per *ἀναύξυτον*, *non creſcentem*, & THEODOTIO per *ἐκκύρηκτον* exponunt, quod idem eſt, ac *praeconis voce eiectus.* HIERONYMVS *abdicatum*, *abominabilem*, reddidit. Infelicitas itaque Iechoniae atque calamitas ſignificatur, quod liberos equidem ſit habiturus, ſed ex quibus nemo patri in regia dignitate ſit ſucceſſurus. Quod & ſequentia verba, *ἐπεξηγητικῶς* addita, confirmant: *nam non proſperabitur de ſemine eius quisquam, ſeſſurus in ſolio Dauidis.* Liberos autem Iechoniam habuiſſe, eo minus dubitandum, quia diſerte id refertur *I. chron. III. 17. 18.* Alii, vocem ערירי de orbitate equidem exponunt, ſed comminationem prophetae cum conditione intelligendam contendunt, niſi Iechonias reſipiſceret. Cum ergo reſipuerit in carcere, eum non tantum ex carcere liberatum, ſed prole etiam donatum; conf. IOAN. GEORG. DORSCHEVS, ad *Luc. III. v. 23.* Verum, ſi comminatio iſta effectu caruiſſet, dicendum eſſet, poſteris Iechoniae & regiam dignitatem reſtitutam, quod tamen factum non eſt. Prior ergo, quae & planior, mihi praeferenda videtur expoſitio; conf. ABRAHAM. CALOVIVS, ad *Luc. III. verſ. 23.* Non tantum autem Nebucadnezar Iechoniam cum matre & ducibus, itemque omnes theſauros, qui reliqui erant, templi & regiae, abduxit, ſed & *totam Hieroſolymam*, hoc eſt, potiſſimam ciuium partem, omnes viros fortes, artifices & mercatores, Babylonem deportauit, vt nemo fere praeter tenuiſſimam plebem remaneret. In vniuerſum qui abducebantur, erant decem millia, *verſ.*

 14.

14. ſcilicet ſeptem millia virorum fortium ſiue militum, mille artifices & mercatores, reliqua duo millia ad domum regis, & matris eius, pertinebant; conf. IMMANVEL TREMELLIVS, ad *h. l.* Altera haec fuit deportatio ex maioribus, anno Nebucadnezaris, vt diximus, octauo facta, vti prima anno eius primo contigit. Ea autem, cuius Ieremias *cap. LII. verſ. 28.* meminit, quaeue anno ſeptimo Nebucadnezaris contigit, prima eſt inter minores. Qua de re deinceps plura.

§. XXVIII.

Licet autem infimae ſaltem ſortis homines in Iudaea ſupereſſent, regem tamen illis Nebucadnezar dedit Matthaniam, tertium Ioſiae filium, & Iechoniae patruum, quem Zedekiam vocari voluit. Hic praedeceſſorum malis nihil ſapientior redditus, verorum vatum monita in minimis poſuit, nec de fide Nebucadnezari ſeruanda ſollicitus fuit. Ad eam equidem poſt annum imperii quartum denuo ſe obſtrinxit; ſed vt eius violatione, inſuper habitis verorum vatum monitis, Babylonii regis iram eo grauius in ſe concitaret, a quo per triennium in vrbe Hieroſolyma obſeſſus, fruſtraque a Ieremia vate, vt ſe dederet, admonitus, cum fuga ſibi conſulere vellet, captus perfidiae poenas promeritas dedit. Trucidatis namque in eius conſpectu filiis eius & proceribus, ipſemet oculis priuatus, Babylonemque adductus, in ſqualore carceris vitam finire coactus eſt. Tum & vrbe Hieroſolyma incenſa, templo deſtructo, vaſis & quidquid rerum pretioſarum ſupererat, ablatis, ruinae & deuaſtationi iudaicae gentis vltima velut manus impoſita.* A tempore autem, quo templum Salomoneum exſtrui coepit, vsque ad vltimam gentis iudaicae deſolationem, effluxere CCCC XXVII anni; contigitque adeo hoc anno mundi MMM CCCC XX. A regni Iſraelitici diuiſione autem, vsque ad hanc aetatem effluxere anni CCC XC. **

* In locum Ioiachini ſeu Iechoniae, Babylonem abducti, Nebucadnezar Matthaniam, tertium Ioſiae filium, ſubſtituit, quem & mutato nomine eius, Zedekiam vocauit, *Ierem. XXXVII. 1. II. reg. XXIV. 17.* Quatuor namque Ioſias reliquit filios, Ioachazum, Eliakimum, qui & Ioiakimus dictus, Matthaniam, qui a Nebucadnezare Zedekiae nomen obtinuit, & Schallumum. Omnes fuere impii, nec patris imitati ſunt exemplum; omnes etiam grauiſſimas experti ſunt calamitates. Iechonias autem

tem Ioiakimi filius & Ioſiae nepos, in captiuitatem equidem abductus, ſed ex carcere tandem eductus, & liberaliter habitus, Dauidicam ſtirpem propagauit; vti iam ad §. *praeced.* diximus. Zedekias vltimus rex Iudaeorum fuit, & per annos vndecim Hieroſolymis regnauit, in anteceſſorum ſuorum ſtrenue pergens impietate, *II. reg. XXIV. 17. 18. 19. II. chron. XXXVI. 10. 11. 12. Ier. XXXVII. 1. 2.* Deus equidem iterum Iudaeis reliquis tempus ad vitam emendandam conceſſit, ſtatu reipublicae vtcunque pacato; ſed iſtud non curauit Zedekias, qui vna cum populo ſuperſtite, peccatis grauiſſimis iram Numinis in ſe prouocauit, *Ierem. LII. 3. II. reg. XXIV. 20.* Pertinet huc viſio prophetae Ieremiae oblata, quae *cap. XXIV.* deſcribitur. Praeterea ſub hocce rege Ietemias ea praedixit, quae *cap. XLIX. verſ. 34.-39.* exſtant, qui & iugum, quod portauerat, regibus Edom, Moab, Ammon, Tyri & Zidonis, per eorum legatos, qui Hieroſolymam venerant, forte vt Zedekiae regiam dignitatem gratularentur, mittere, ſimulque iis indicare iuſſus eſt, haſce gentes omnes Babyloniae regi ſubiiciendas eſſe. Hi namque reges, vna cum Zedekia conſilia agitaſſe videntur, qua ratione Babyloniae regi reſiſtere, aut iugum eius excutere, potentiamque infringere poſſent. Grata erant haec conſilia populo, qui nihil magis in votis habebat. Hinc pſeudoprophetae, vt fauorem eius captarent, in errore iſto eum confirmare adnitebantur, fore, dicentes, vt potentia Babyloniae regis propediem infringeretur, cuius rei illuſtre exemplum exſtat *Ierem. cap. XXVIII. 1. 2. ſeqq.* Interea Zedekias Eleaſam filium Saphanis, & Gemariam filium Hilkiae, ad Nebucadnezarem miſit, per quos & Ieremias epiſtolam ad ſeniores, ſacerdotes, prophetas, atque ad totum populum a Nebucadnezare deportatum, deferendam curauit, in qua Iudaeos ſui in captiuitate officii admonet, poſt annos LXX elapſos liberationem promittit, &, ne a pſeudoprophetis ſibi imponi patiantur, commonefacit; *Ierem. XXIX. 1. 2.* ad *23.* Cum vero Schemaia legatis, vt videtur, Zedekiae, Babylone redeuntibus, ad Zephaniam & reliquos ſacerdotes Hieroſolymitanos, litteras increpatorias aduerſus ſuperiorem Ieremiae epiſtolam ſcripſiſſet, iis quidem audiente Ieremia recitatis, hic ſeueram contra Schemaiam Dei ſententiam pronuntiat, *cap. XXIX. 24.* ad *32.* Sunt, qui legationem iam memoratam eandem eſſe putant cum ea, qua Seraia filius Neriae Babylonem iuiſſe dicitur *Ierem. LI. 59.* Sed diſtinguunt alii. Neque Seraia tam vt legatus miſſus, quam regem eo abeuntem comitatus eſt. Verba enim textus ebraei ſi conſulas, regem ipſum Babylonem iuiſſe intelliges. Quae profectionis iſtius cauſſa fuerit, non magis conſtat, quam quae cauſſa fuerit legationis antea memoratae. Vix tamen dubitandum videtur, quin Zedekias denuo Nebucadnezari fidem & obſe-

obſequium pollicitus ſit. Fieri etiam potuit, vt a Nebucadnezare Babylonem euocaretur, vt quarundam actionum ſuarum rationem redderet. Seraiae huic Ieremias vaticinia de excidio Babylonico in libro deſcripta tradidit, praelegenda primum, & in Euphratem deinde proiicienda. Factum hoc anno regni Zedekiae quarto, *Ierem. LI. 59. ſeqq.*

Anno regni ſui ſeptimo Zedekias rex a rege Babyloniae defecit, inito cum Aegypti rege federe, & ita vltimam tandem ſibi & vrbi Hieroſolymae attraxit perniciem, *II. reg. XXIV. 20. II. chron. XXXVI. 13.* add. IACOBVS VSSERIVS, in *annal* ad *ann. 3411. pag. 72.* Quam male hocce conſilium regi ceſſurum eſſet, emphatice praedixit Ezechiel *cap. XXVII. 15. 24.* conf. & *cap. XVIII. XIX.* item *XXI.* Similiter & Ieremias infelicem iſtorum conatuum exitum praedixit, & grauiſſima quaeque, ob impietatem populi iudaici prorſus inemendabilem, eidem denuntiauit, *cap. XVIII. & XIX.* percuſſus ideo a Pashure, & in carcerem coniectus, miſerrimeque adflictus, *cap. XX.* non tamen deterritus, quo minus cordate Zedekiae indicaret, quae dominus ſibi mandauerat, *cap. XXI.* Sed euentus mox vaticiniorum comprobauit veritatem. Anno namque nono Zedekiae, die decimo, menſis decimi, Nebucadnezar Hieroſolymam obſidione cinxit, vt a Zedekia, rege rebelle, poenam ſumeret, *II. reg. XXV. 1. II. chron. XXXVI. 17. Ierem. XXXIX. 1. LII. 4.* Durauit obſidio menſes octodecim, vsque ad annum vndecimum Zedekiae, deſignata ab Ezechiele, *cap. XXIV.* Circa initium obſidionis Ieremias, iubente Deo, Zedekiae regi praenuntiat, Hieroſolymam a rege Babyloniae capiendam & comburendam, regem vero ipſum in Babyloniam abducendum, ibique morientem honorifice ſepeliendum eſſe; quamobrem propheta atrio cuſtodiae, quae erat in domo regis, incluſus eſt, *Ierem. XXII. XXXIII.* item *XXXIV. 1.* ad *7.* Mox tamen dimiſſus videtur; vid. *cap. XXXVII. 4.* Iudaei autem, ſuppetias regis Aegyptii ſperantes, vrbem dedere nolebant; cumque Ieremias illis oſtenderet, ſpem hancce vanam eſſe, ſi vitae & ſaluti conſulere vellent, nihil ſupereſſe aliud, quam vt imperio regis Babyloniae ad exemplum Iechoniae ſe ſubmitterent, indicto ſecundum legis Moſaicae conſtitutionem iubilaeo, vitae emendationem prae ſe ferebant; quam tamen non veram, ſed ſimulatam fuiſſe, mox patuit. Aegypti enim regis, Pharaonis Hophrae copiis ex Aegypto egreſſis, vt Zedekiae ſuccurrerent, Chaldaei, vt eis occurrerent, obſidionem ſoluerunt, Iudaeis, qui ad Nebucadnezarem defecerant, numero DCCCXXXII Babylonem deportatis, *Ierem. LII. verſ. 29.* Quarta haec eſt deportatio, inter minores autem ſecunda, facta anno decimo octauo Nebucadnezaris.

Interea Iudaei reliqui iam extra omne periculum ſe conſtitutos rati, ſeruos & ancillas, quas dimiſerant, iterum

iterum repetebant, hypocriſin ſuam ita aperte prodentes, grauiſſimeque ideo a propheta reprehenſi, *cap. XXXIV.* Fugato autem Pharaonis exercitu, Nebucadnezar ad obſidionem vrbis Hieroſolymae rediit. Tum Ieremias a Zedekia conſultus, de eo in manum Nebucadnezaris tradendo, reſponſum dat, ſimul tamen a rege impetrat, vt ex fouea carceris, qui erat in domo Ionathanis, in quam coniectus fuerat, quod in ſuſpicionem veniſſet, ac ſi ad Chaldaeos transire voluiſſet, in atrium cuſtodiae transferretur, *Ierem. XXXVII. 11. ſeqq.* Cum autem nihiloſecius pergeret, euentum obſidionis praedicere, principum quorundam virorum conſiliis adductus rex Zedekias, vt in foueam Malchiae conijceretur, permiſit, vt ibi periret; vnde iterum opera Ebedmelechi eductus, & denuo a rege de euentu obſidionis conſultus, eadem, quae antea, reſpondit, regique, vt ſe Chaldaeis dederet, ſuaſit, cum hac ratione ſaluti ſuae conſulere poſſet, *Ierem. XXXVIII.* per integrum. Tandem anno vndecimo Zedekiae deſinente, menſe quarto, die nono, cum inualuiſſet fames Hieroſolymis, perrupta eſt vrbs, & a Chaldaeis occupata, *II. reg. XXV. 2. 3. 4. Ier. XXXIX. 2. 3. LII. 5. 6. 7.* Capta vrbe, Zedekias rex, omnesque viri militares, noctu auffugerunt. Verum Chaldaeorum copiae in campeſtribus Ierichuntis eum adſecutae, captum Riblam ad Nebucadnezarem deduxerunt, vbi, occiſis prius in conſpectu ipſius liberis eius, occoecatus, & catenis deinde vinctus, Babylonem deportatus eſt. Reſpondit ita euentus prophetarum vaticiniis, quod oculis ſuis oculos regis Babyloniae viſurus & Babylone moriturus, eam tamen vrbem non viſurus eſſet, *Ierem. XXXII. 4. XXXIV. 3. Ezech. XII. 13.* Menſe ſequenti ſeu quinto, die ſeptimo, Nebuſaradan praefectus ſatellitum (שר טבחים) a Nebucadnezare miſſus, Hieroſolymam ingreſſus eſt, comparatisque per biduum rebus, die decimo templum Dei, ac palatium regis, cum reliquis aedificiis Hieroſolymitanorum concremauit, *II. reg. XXV. 8. Ierem. XXXIX. 8. LII. 13.* Alii exiſtimant, die ſeptimo ignem hisce aedificiis fuiſſe ſubiectum, at die decimo ea deflagraſſe. Eodem menſe quinto Nebuſaradan, muris Hieroſolymarum circum quaque deiectis, eos qui relicti fuerant, in ciuitate, & reliquum vulgi, vna cum theſauris regis atque principum, & inſtrumentis domus Dei, Babylonem deportauit, *II. reg. XXV. 10. 17. II. chron. XXXVI. 18. 19. 20. Ierem. XXXIX. 8. LII. 14. ſeqq.* Atque haec quinta fuit deportatio, ſeu tertia inter maiores, facta anno Nebucadnezaris decimo nono; quam vltima demum, ſiue ſexta, vel inter minores tertia, anno Nebucadnezaris vigeſimo tertio excepit, qua reliquiae Iudaeorum, quae poſt excidium in terra Iudae remanſerant, nec in Aegyptum fugerant, abductae ſunt, *Ier. LII. 20.*

** Vt temporum ratio hic ſibi conſtet, obſeruandum, ab anno Salomo-

lomonis quarto; quo templum exſtruere incepit, quiue adeo connumerandus eſt, vsque ad finem regiminis eius, effluxiſſe annos xxxvii, inde vero vsque ad extremam deſolationem terrae Canaan, annos ccc xc. Prius dubio caret; poſterius autem ab Ezechiele vate indicatur *cap. IV. 5.* hisce verbis: *ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum CCC XC. dies.* Vbi per dies ccc xc, annos intelligendos eſſe, ex ſequentibus luculenter patet. Terminum a quo, vt loqui ſolent, horum ccc xc annorum, defectionem Ieroboami eſſe arbitror, de quo ſaepius in ſcriptura dicitur, quod Israelitas peccare fecerit. Nec enim illis adſentire poſſum, qui, annos hosce a defectione Salomonis numerandos eſſe, cenſent. Namque non de vnius regis, ſed totius populi, & quidem Israelitarum, prout a Iudaeis diſtinguuntur, peccatis, propheta loquitur. Sed nec illorum ſententia mihi placet, qui terminum a quo, quartum annum Rehabeami & Ieroboami ſtatuunt. Licet enim *II. chron. XI. 17.* Israelitae adhuc tribus annis poſt obitum Salomonis, domino ſeruiiſſe dicantur, hoc tamen non de omnibus, ſed de quibusdam ſaltem intelligendum eſt. De termino ad quem, non minus diuerſae extant ſententiae. Sunt, qui putant, eum eſſe excidium vrbis & templi; ſed alii in omnimoda terrae deuaſtatione, annos hosce peccatorum domus Israel finiri, exiſtimant. Et hisce quidem merito ſuffragamur. Ezechiel namque accepto nuntio de percuſſa Hieroſolyma, praedixerat *cap. XXIII. 21. 29.* plane vaſtatum iri terram; quod accidit, cum Nebucadnezar Tyrum obſideret, anno regni ſui xxiii, hoc eſt, quarto poſt excidium. Tum enim Nebuſat-adan, Iudaeorum reliquias deportauit, ac terra penitus inculta relicta eſt, *Ierem. LII. 30.* Nec obſtat, quod vrgeri ſolet, intentionem Ezechielis fuiſſe, obſidionem vrbis Hieroſolymae deſcribere. Namque ab illa obſidione initium factum eſt iſtius deuaſtationis, quae quadriennio poſt templi & vrbis euerſionem finita eſt, anno ſcilicet Nebucadnezaris vigeſimo tertio, vid. *Ierem. XXXIX. XL. LII.* it. *II. reg. XXV.* Sed nec hoc obſtat, quod hi anni dicantur anni peccatorum domus Israel. Licet enim regnum Israelis iam diu ante vaſtationem terrae Iudae, euerſum ſit, quia tamen non pauci Israelitarum tempore deuaſtationis Samariae ad Iudaeos ſeceſſerunt, *II. chron. XXXIV. 29.* tribus Iudae, nomine Israelis rectiſſime deſignatur. In hoc ipſum vero interuallum ccc xc annorum peccatorum domus Israel, incidunt etiam *XL anni peccatorum domus Iudae*, ab eodem vate Ezechiele commemorati, *cap. IV. 6.* De quibus obſeruandum, terminum ad quem quadraginta iſtorum annorum, conuenire cum termino ad quem ccc xc annorum defectionis Israeliticae. In obſidione enim Hieroſolymae, & ſubſecuta deuaſtatione terrae, tum Iudaei, tum reliquiae domus Israel, peccatorum ſuorum dede-

runt

Digitized by Google

runt poenas. Diſtinctim autem ideo anni peccatorum domus Iudae, & quidem XL numerantur, quod poſtremis XL annis maxime in regno Iudae peccata inualuerunt. Cum vero non omnes de termino ad quem annorum defectionis Israeliticae conſentiant, vt antea obſeruauimus, ſequitur etiam, non omnes, qui terminum ad quem annorum defectionis Israeliticae, & annorum peccati Iudae, eundem ſtatuunt, de termino a quo, annorum peccati Iudae, idem ſentire poſſe. Secundum noſtram ſententiam, cum terminus ad quem annorum defectionis Israeliticae ſit deuaſtatio omnimoda terrae, ſiue annus Nebucadnezaris vigeſimus tertius, adeoque & terminus ad quem annorum peccati Iudae, in hunc annum cadat, ſequitur, terminum a quo quadraginta horum annorum rectiſſime ſtatui annum decimum octauum regis Ioſiae, quo templum Hieroſolymitanum reſtaurari inceptum, & autographum legis repertum, publiceque praelectum eſt. Nimirum ab anno decimo octauo regiminis Ioſiae vsque ad finem eius, effluxerunt anni XIII; hinc vsque ad Iechoniam XI; inde vsque ad templi vrbisque euerſionem itidem XI; hinc denique vsque ad reliquiarum populi abductionem anni V; vnde exſurgit ſumma annorum XL.

Sed vt ad annos CCC XC peccatorum domus Israel redeamus, ſupereſt, vt oſtendamus, calculo huic ab ipſo ſpiritu ſancto ſuppeditato, reſpondere annos regum Iudae & Israelis. Nimirum ad reges Iudae quod attinet, Rehabeam regnauit annis XVII, Abiam III, Aſſah XLI, Ioſaphath XXV, Ioram VIII, Ahazia I, Athalia VI, Ioas XL, Amazia XXIX, Azaria ſiue Vzia LII, Iotham XVI, Ahas XVI, Ezechias XXIX, Manaſſes LV, Amon II, Ioſias XXXI, Ioahas menſibus III, Ioiakim annis XI, Iechonia menſibus III, & decem diebus, Zedekias annis XI. Exſurgit hinc equidem ſumma annorum CCC XCIII, menſium VI, & decem dierum. Verum, ſi obſeruemus, in ſcriptura ſacra, cum anni regum Iudae & Israelis indicantur, ſubinde annos nondum completos pro completis poni, currentes pro exactis, ſubinde & in conſortium regni admiſſos fuiſſe filios viuis parentibus, quorum anni tamen integri recenſentur, non tantum annos regum Iudae, demtis tribus & ſex menſibus, ad numerum annorum CCC XC reducere fas fuerit, ſed via quoque hac ratione plana & facilis, ad reliquas difficultates, in annis regum Iudae ac Israelis occurrentes, tollendas, aperitur. Hisce annis CCC XC, ſi addas annos XXXVII Salomonis, qui ab anno eius quarto, vna connumerato, quo templum aedificari coeptum eſt, vsque ad mortem eius elapſi ſunt, exſurget inde ſumma annorum CCCC XXVII, qui a condito templo, vsque ad omnimodam terrae iudaicae deuaſtationem, effluxerunt. Templi autem vrbisque Hieroſolymae excidium cum contigerit anno Nebucadnezaris decimo nono, adeoque quatuor annis ante extremam terrae

rae iudaicae deſolationem, ſequitur a iacto templi fundamento, vsque ad eius deuaſtationem, annos effluxiſſe CCCC XXIII. Non equidem neſcio, a templi exſtructione vsque ad eius deſtructionem vulgo annos numerari CCCC XXVII, aut omnino XXVIII; cui ſententiae etiam AEG. STRAVCHIVS, chronologus longe ſolertiſſimus, adſtipulatur, in *breuiario chronologico lib. IV. c. XXII.* ſed planiſſimis noſtram computandi rationem inniti principiis, ex hactenus dictis patebit; quam etiam ſequitur ABRAHAMVS CALOVIVS, in *chronolog. bibl. ſect. VI. pag. 87.*

Ad annos autem regum Iſraelis quod attinet, eorum calculus ita ſe habet: Ieroboamus regnauit annis XXII, Nadab II, Baaſa XXIV, Ella II, Simri per ſeptem dies, Amri annis XII, Ahab XXII, Ahazia II, Ioram XII, Iehu XXVIII, Ioahaz XVII, Ioas XVI, Ieroboamus ſecundus XLI, Sacharia ſex menſibus, Sallum per vnum menſem, Menachem annis X, Pekaiah II, Pekah XX, Hoſeas IX. Exſurgit inde ſumma annorum CC XLI, menſium VII, totidemque dierum. Quodſi vero calculus hicce conferatur, cum annis regum Iudae, qui interea regno potiti ſunt, ſumma inde oritur annorum CC LIV; vt adeo numerus annorum regum Iudae, a numero annorum regum Iſraelis, XIII circiter annorum interuallo differat. Verum, ſi cogitetur, in regno Iſraelis ſubinde fuiſſe interregna, quorum quaedam per vndecim aut nouem annos durarunt, facili negotio XIII iſti anni hac ratione ſuppleri poſſunt; rectiſſimeque adeo ſtatuitur, a tempore, quo Ieroboamus primus apud Iſraelitas a Iudaeis ſeiunctos regnare coepit, vsque ad regni huius deſtructionem, effluxiſſe annos CC LIV. His ſi addantur anni C XXXVI, qui ab anno ſexto Hiskiae, quo regni Iſraelitici deſtructio per Samariae vrbis expugnationem, & decem tribuum deportationem, contigit, vsque ad extremam terrae iudaicae deuaſtationem, effluxerunt, iterum inde exſurgit ſumma annorum CCC XC, qui ſunt anni peccatorum domus Iſrael; quibus ſi addantur anni XXXVI Salomonis, de quibus antea dictum, habemus iterum ſummam annorum CCCC XXVII, qui a condito templo vsque ad extremam terrae iudaicae deſolationem elapſi ſunt. Atque ex hisce omnibus tandem conficitur, templum, vrbemque Hieroſolymam concrematam anno mundi MMM CCCC XVI; vltimam autem terrae iudaicae deuaſtationem contigiſſe anno mundi MMM CCCC XX. Etenim, ſi annis MM DCCCC XCIII, quot a condito mundo vsque ad id tempus, quo templum Salomoneum aedificari coeptum eſt, elapſi ſunt, vt ſupra ad ſectionis praecedentis §. *XXI.* demonſtrauimus, addas CCCC XXIII, oritur inde ſumma annorum MMM CCCC XVI. Quodſi vero annis iſtis MM DCCCC XCIII, addantur anni CCCC XXVII, quot ad extremam vsque terrae deſolationem effluxere, exſurgunt inde anni MMM CCCC XX. Conſentiunt hac

in

in re praeſtantiſſimi chronologorum, ſpeciatim, IAC. VSSERIVS, in *annalib. aetat. mundi V. & VI. pag. 74. & 75.*

§. XXIX.

In hocce de quo hactenus diximus, temporis interuallo, ob populi Iſraelitici & Iudaici peccata, variasque, quae eos ideo exceperunt, calamitates, triſti atque funeſto, plurimi tamen vates, virique & ſapientiae & ſanctitatis laude inclyti, exſtitere. Ne quid enim de iis, quorum in prouerbiis Salomonis mentio iniici creditur, * dicam, nec de iis, quorum nomina non exprimuntur, ** pertinent huc Achia Silonita, *** Semaia, * Iddo, ** Aſarias, filius Oded, *** Chanan ſiue Hananias, * Iehu, ** Elias, *** Micha, * Iehaziel, ** Elieſer, *** Eliſaeus, * Zacharias, ** Oded, *** Vrias, * atque Hulda prophetis; ** cumprimis autem, quorum ſcripta ad nos peruenerunt, Ionas, *** Hoſeas, * Amos, ** Ioel, *** Eſaias, * Micha, ** Nahum, *** Habacuc, * Obadias, ** Zephanias, *** Ieremias. * Summi quoque ſacerdotes, qui ſacrorum curam hocce tempore geſſerunt, huc referendi. ** Ad Tobiam autem, qui itidem ad hanc aetatem referri ſolet, atque ac Iuditha, quod attinet, incertum adhuc, an vnquam exſtiterint. ***

* Agur ſcilicet, filius Iake, & illi, ad quos hic ſententias ſuas direxit, Ithiel & Vchal. Horum namque in inſcriptione capitis *XXX. prouerb.* mentio iniicitur. Haec enim ibi leguntur verba: דברי אגור בן־יקה המשא: נאם הגבר לאיתיאל לאיתיאל ואכל *Verba Agur filii Iake, prophetia*, ſiue doctrina, (nihil enim obſtat, quo minus vox משא ita capiatur.) *Dixit vir* (ſcilicet Agur) *ad Ithiel; ad Ithiel*, inquam, *& Vchal.* Sunt equidem, qui voces יקה, אגור, אוכל & איתיאל non pro nominibus propriis, ſed appellatiuis habent, quibus exemplum praeiuit vulgatus, haecce verba ita reddens: *verba congregantis filii vomentis. Viſio, quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus eſt, ait.* Quemadmodum vero, qui ita ſentiunt, in verbis hisce exponendis in diuerſas iterum partes abeunt, ita in ſenſu plano & perſpicuo inde eruendo, incaſſum fere laborant. IOANNES COCCEIVS per *Agur* Salomonem intelligit, per *Iakeh* Dauidem; cum אגור *recollectum* ſignificet, יקה autem *obedientem*, vnde יקהה *obedientia, Geneſ. XLIIX. 10. Prouerb. XXX. 17.* Optime haec in vtrumque quadrare putat, quia Dauid conſtans in obedientia fuit; Salomo autem aberrauit, ſed *recollectus* eſt, ſeu

n n n 3

ſeu per veram reſipiſcentiam ad Deum rediit. Salomonem vero loquentem introducere הגבר *virum* fortem & robuſtum לאיתיאל *laſſatum Dei cauſſa* (compoſitam enim hanc vocem putat ex לאיתי *laboraui*, & אל *Deus*;) qui tamen *praeualuit*; ita enim τὸ ואוכל capit; vt adeo aenigmatice denotetur homo, *qui ingenio maximo praeditus & animi fortitudine, congreſſus eſt cum Deo ad eum cognoſcendum, & amplectendum maximo cum labore & defatigatione, atque etiam vicit, vt Deum agnouerit & amplexus ſit.* Refert hanc COCCEII ſententiam, & ceu ingenioſam laudat HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacr. part. I. lib. I. cap. XVIII. §. XXIV. pag. 219.* Mihi autem, ne quid diffitear, aeque ac reliquae omnes, quae voces iſtas, de quibus ſermo eſt, pro nominibus adpellatiuis habent, admodum coacta videtur. Certe, ſi hoc ſibi Salomo voluit, dicendum, eum reuera aenigma ſcribere voluiſſe. Recte itaque praefertur illorum ſententia, quibus voces iſtae ſunt nomina propria; quibus & MARTINVS GEIERVS noſter adſtipulatur, ad *prouerb. XXXI.* qui & Agurum filium Iake celebrem fuiſſe virum, cenſet, vel aliquem *illorum temporum*, vt HVGO GROTIVS, ad *h. l.* loquitur, *Theognidem aut Phocylidem*, ſuamque ob pietatem & ſapientiam ea aetate in vulgus notum, cuius ſententias ob ſingulare illic latens acumen atque pretium vel Salomo ipſe, vel collectores ſententiarum eius, ad hocce referre voluerint corpus. Quis vero, ſi ſtatum, dignitatem & reliqua ſpectes, Agur iſte aut pater eius Iake fuerit, aut quando vixerint, non magis conſtat, quam quinam Ithiel & Vchal fuerunt, ad quos Agur ſententias ſuas direxit, licet & hos ſapientiae ſtudioſos & cultores fuiſſe, haud ſine ratione credas, cum Agur ſuas ſententias iis ſpeciatim conſecrare, operae pretium duxerit. PETRVS DANIEL HVETIVS in eo nobiscum conſentit, Agur, nomen proprium eſſe viri ſapientis, qui & diuerſus a Salomone fuit, eum autem non auctorem, ſed collectorem ſententiarum facit, quae nomen eius prae ſe ferunt, eumque poſt Salomonis tempora ſub regibus Iudae vixiſſe, exiſtimat, *demonſtrat. euangel. part. I. propoſ. IV. pag. 342.* Qua de re in ſequentibus erit dicendi locus, cum ſcripta Salomonea enarrabimus. Lamuelis mentio *prouerb. XXXI. 1. & 4.* iniicitur. Sed hocce nomine ipſum Salomonem venire, iam ſupra ad §. *XXI.* ſectionis praecedentis obſeruauimus. Conſentit nobiscum hac in re praeter iam laudatos, PETRVS DANIEL HVETIVS, *loc. cit. pag. 343.* & AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. III. loc. XCIII. pag. 652.*

** conf. *I. reg. XIII. 1. XVIII. 4. XX. 13. 22. 28. 35. 38. ſeqq. II. chron. XXV. 7. ſeqq. XXXIII. 18.*

*** Sub Salomonis regno vixit, & Ieroboamo Hieroſolymis egreſſo obuiam factus, imperium in decem tribus Iſraelis praedixit, praedictionemque, lacerata noua veſte in fragmenta

ta duodecim, quorum decem Ieroboamo dedit, confirmauit; *I. reg. XI. 9.* conf. quae ad §. *II.* huius ſectionis hac de re diximus. Idem iam prae ſenio caligans, vxori Ieroboami, de ſalute filii aegrotantis ſciſcitanti, non illius ſolum mortem, ſed familiae Ieroboami interitum, & excidium regni Iſraelis, indicauit, *I. reg. XIV. 4. ſeqq.* Dictum hac de re itidem ſupra eſt ad §. *IV.* huius ſectionis.

* Sub Rehabeamo, Salomonis filio, vixit, ad quem, quas habuit, orationes *II. chron. XI. 2.* & *XII. 5.* commemorantur.

** Eodem cum Semaiah tempore floruit, & vna cum illo res geſtas Rehabeami litteris conſignauit, *II. chron. XXII. 15.* quemadmodum & deinceps Abiae, filii Rehabeami, *II. chron. XIII. 22.*

*** Aſa in Iudaea regnante vixit, regemque pium in inſtituto, veri Dei cultum, profligata idololatria, reſtituendi, non tantum confirmauit, ſed & magis incitauit; *II. chron. XV. 1. ſeqq.* conf. quae ſupra ad §. *VI.* huius ſectionis diximus. Odedum, Azariae patrem, eundem cum Iddo, antea nobis memorato, fuiſſe exiſtimant. Certe & Odedum vatem fuiſſe, ex *II. chron. XV. 8.* colligitur.

* Hic Aſam, Iudae regem, ob fedus cum Benhadado rege Syriae, & ob fiduciam in ipſo potius, quam Iehoua, collocatam increpuit, & bella imminentia praedixit, rege hoc adeo aegre ferente, vt prophetam in carcerem coniiceret; vt ſupra ad §. *VI.* huius ſectionis pluribus expoſuimus; conf. *II. chron. XVI. 7.*

** Chananis ſeu Hananiae, iam memorati, fuit filius, qui Baeſae, regi Iſraelis, ob ſcelera grauiſſima, iram Numinis & familiae interitum denuntiauit, *II. reg. XVI. 1.* Ioſaphatum autem Iudae regem, quod Achabo regi Iſraelis impio ſuppetias tuliſſet, graui oratione reprehendit, *II. chron. XIX. 2.* Iungenda, quae ad §. *XI.* hac de re dicta ſunt.

*** Vitam & fata Eliae iam ſupra exhibuimus, §. *IX. X. XI.* & *ſeqq.* An ordinis Carmelitici conditor ſit, itidem ad §. *IX.* iam diſputauimus. De ſcriptis autem, quae eidem tribuuntur, ad §. *XXXIII.* verba faciemus.

* Iemlae fuit filius, qui Achabo Iſraelis, & Ioſaphato Iudae regibus, euentum belli, quod contra Syros ſuſcipere voluerunt, praedixit *I. reg. XXII. 1. ſeqq.* Qua de re quantum ſatis eſt, ſupra dictum ad §. *XI.*

** Zachariae filius, ſub Ioſaphato Iudae rege vixit, quem cum vniuerſo populo bono animo eſſe, omnemque fiduciam in Deo collocare iuſſit, cum ingens Ammonitarum & Moabitarum exercitus Iudaeam inuaſiſſet, certiſſimum Numinis auxilium illis promittens; quod & euentus comprobauit, *II. chron. XX. 14. ſeqq.* Diximus hac de re ſupra ad §. *XI.*

*** Eliezer hicce Dodauae dicitur filius, & Ioſaphatum Iudae regem, ob amicitiam cum Achazia Iſraelis rege initam redarguit, *II. chron. XX.*

37.

37. Sed addenda, quae itidem ſupra ad §. *XI.* circa finem hac de re dicta ſunt.

* Eliſaei vitam, fata, & miracula ex inſtituto iam enarrauimus ſupra ad §. *XII. XIII. XIV.*

** Ioiadae ſummi ſacerdotis, cui vitam & regnum debebat Ioaſus rex, filius, idemque ſummus ſacerdos & propheta, a populo in atrio templi iuſſu regis lapidibus obrutus, eo quod iram Numinis ob eius ſcelera illi denuntiaſſet; vt pluribus ad §. *XVII.* expoſuimus; conf. *II. chron, XXIV. 20. 21.*

*** Odedus inter Iſraelitas vixit, cum Achazus regno Iudae & Pekah regno Iſraelis praeeſſet. Eius ſermone permoti Iſraelitae captiuos Iudaeos dimiſerunt, vt ſupra ad §. *XXIII.* commemorauimus; conf. *II. chron. XXVIII. 9.*

* Vrias Semaiae filius ex Kiriath-Iearim, Ioiakimo regi, & populo iudaico eadem, quae Ieremias, praedixit; quamobrem, cum Ioiakimus rex eum morte adficere vellet, in Aegyptum auffugit, ſed retractus inde gladioque percuſſus eſt, vt iam ad §. *praecedentem XXVII.* obſeruauimus; conf. *Ierem, XXVI. 20.* Hisce, quos hactenus enumerauimus, addendus adhuc videtur Chozai, cuius *II. chron. XXXIII. 19.* mentio iniicitur. *Oratio autem eius*, ſcilicet Manaſſis, inquit ſcriptor ſacer, *cum exoratus eſt illi Deus, & totum peccatum eius & praeuaricatio eius, & loca, in quibus exſtruxit excelſa, ac conſtituit lucos & ſculptilia, antequam ſe deprimeret, ecce ſunt ſcripta inter verba Chozai.* Ita enim IMMANVEL TREMELLIVS, aliique, hunc locum recte reddunt. Qui enim vltima verba ita vertunt: *ecce ſunt ſcripta inter verba videntium*, vt generatim ſaltem prophetae indicentur, non perpendunt, quod non ſcriptum ſit חוזים, ſed חוזי *Chozai.* Hicce autem Chozai, Manaſſis res geſtas litteris conſignauit, quod & alias prophetae facere ſolebant.

** Eam proceres Iudaeorum a Ioſia rege miſſi conſuluerunt ſuper comminationibus, quas in libro legis inuento legerant; reſponſumque tulerunt, Iudaeos omnino iſtarum comminationum vim ob impietatem ſuam experturos, at Ioſiam regem, eo quod ſerio reſipuiſſet, in pace moriturum, vt pluribus ad §. *XXVI.* expoſuimus; conf. *II. reg. XXII. verſ. 14. ſeqq.* & *II, chron. XXXIV. verſ. 22.*

*** Ionas, Amithai filius, ex Gath-chepher, ſi non primus, certe inter primos fuit, quorum ſcripta θεόπνευστα ad nos peruenerunt. Sub Ieroboamo ſecundo enim Iſraelis rege vixit, cui & inſignem illam victoriam a Syris reportandam praedixit, *II. reg. XIV. verſ. 25.* Ebraeorum magiſtri eum filium Sareptanae iſtius viduae, quem ad vitam reuocauit Elias, fuiſſe, tradunt. Idque ex nomine patris eius *Amithai* colligunt, quod *veritatem* ſignificat; vidua autem iſta poſt ſuſcitatum puerum Eliae dixit: *nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo VERITAS eſt,*

Digitized by Google

eſt. I. reg. XVII. 24. Eſſe itaque Ionam *filium Amithai*, hoc eſt, filium veritatis. En acumen! Refelli autem hoc commentum vel inde poteſt, quod patria Ionae non Sarepta fuit, ſed *Gath-achepher*, in tribu Zabulon non longe a Sephori, quae Diocaeſarea adpellatur, verſus Tiberiadem, vt auctor eſt HIERONYMVS, *prooem. comment. in Ion.* Qui ſi verus loci ſitus fuit, ex Galilaea fuit, maleque olim negarunt Iudaei, prophetam aliquem ex Galilaea ortum traxiſſe; vid. HADR. RELANDI *Palaeſtina libr. III. pag. 787.* Quo pacto propheta hicce ad Niniuitas ire, eisque vltimam perniciem denuntiare, niſi reſipiſcerent, a Deo iuſſus ſit, quaeue eum, cum hoc facere abnueret, exceperint fata, ex libro, qui nomen eius praefert, ſatis notum eſt. Quando vero iter hocce Niniuiticum contigerit, non aeque conſtat, nihilque niſi coniecturas oppido incertas hac de re adferri poſſe, oſtendit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. m. 432.* Ergo & de rege, qui eo tempore imperio Aſſyriaco potitus eſt, nihil certi adfirmare licet. Ad fugam Ionae quod attinet, cum *a facie Dei* fugiſſe dicitur, non ita hoc capiendum, ac ſi diuinae omnipraeſentiae ſe ſubtrahere voluerit; nimis enim ineptus fuiſſet, ſi eiusmodi cogitationes animum eius ſubiiſſent; ſed legationem iſtam, quam Deus illi iniungere volebat, ſe declinare hac ratione poſſe, exiſtimabat. *Fugere* enim *a facie* idem eſſe, ac *nolle ſtare*, ſeu *detrectare miniſterium*, IOANNI TARNOVIO, ad *h. l.* itemque IOANNI COCCEIO, aliisque, obſeruatum eſt. Nec diſplicet illorum ſententia, qui hac loquendi ratione ſignificari, putant, quod Iudaeam reliquerit, terram illam, cui ſpecialiori quadam ratione Deus praeſens eſſe, credebatur, & in qua prophetis ſe manifeſtare ſolebat. Haud dubie enim credidit, extra hancce terram non temere alicui diuinas reuelationes obtingere. Ita SALOMO IARCHI, aliique ex gente ebraea. Ad cauſſam autem quod attinet, quae Ionam impulit, vt legationem hanc detrectaret; de ea itidem non omnes idem ſentiunt. Nonnulli ex patribus, vt THEODORETVS & THEOPHYLACTVS, quibus & ex recentioribus quidam adſtipulantur, veritum Ionam putant, ne vitae periculum incurreret, ſi Niniuitae vita moribusque emendatis poenam, quam illis denuntiare iubebatur, declinantes, illum pro pſeudo-propheta haberent. At iſtud quidem metuendi, nulla ei erat ratio. Si enim reſipiſcerent, ſimul intellecturi erant, poenam illis denuntiatam, ſe euitaturos. Si vero non reſipiſcerent, poena illis denuntiata certo quoque eos manebat. Alii, hanc eum detrectaſſe legationem putant, ne Iſraelitas in pudorem coniiceret, qui toties a vatibus moniti, mentem tamen moresque non mutarunt. R. SAL. IARCHI, aliorumque ex ebraea gente, haec eſt ſententia. Mitto illorum placita, quae nihil

 pror-

prorſus veroſimilitudinis habent. Potuit autem fieri, vt variae rationes, quae Ionae animum ab hac legatione alienum redderent, concurrerent, quas inter forte praecipua fuit, quod animo proſpiceret, ab Aſſyriis vltimam Iſraelitis imminere perniciem; adeoque illos perire potius, quam ſua concione, ſi eam admitterent, ſeruari maluit. Atque hoc etiam ex *cap. IV.* colligas. Poenam enim, quam Niniuitis iuſſu Numinis denuntiauerat, eos euaſiſſe, non aliam ob cauſſam tam aegre tuliſſe videtur, quam quod doleret, ſua concione eos ſeruatos, qui aliquando gentem Iſraeliticam penitus euertere poſſent.

Declinaturus itaque hanc legationem Ionas, cum Ioppem ſe contuliſſet, nauem ibi conſcendit, quae תרשישה *Tarſiſum* itura erat. Quo nomine quin hic locus aliquis ita dictus intelligatur, nullum eſt dubium. Etſi enim vox תרשיש alias pro *mari* ſeu *oceano* capiatur, haec tamen hic locum non inuenit ſignificatio, cum certus itineris terminus, ſeu locus, vel vrbs quaedam indicetur, quam nauis illa, & cum ea Ionas, petebat. Nec enim mari ſe nauis quaedam committit, vt non ad certum locum tendat. Perperam itaque a chaldaeo aliisque ita accipitur. Quis vero ille locus fuerit? non aeque liquet. Sunt, qui Tarſum Ciliciae metropolin, patriamque Pauli intelligunt, quibus & IOANNES TARNOVIVS, ad *h. l.* adſtipulatur; alii vero, vt THEODORETVS, Carthaginem, alii denique Tunetum vrbem, quae Arabibus Tarſis dicatur. SAM. BOCHARTVS in eo totus eſt, vt probet, Tarſis vel Hiſpaniam eſſe, vel partem Hiſpaniae, quam Tyrii maxime frequentauerint; in *Phaleg. lib. III. cap. VII. pag. 793.* Vnde alii concludunt, Tarſchiſch eſſe Tarteſſum, vrbem in inſula quadam Hiſpaniae Baeticae. Idque equidem admitti poteſt, etſi non ſemper in ſcriptura haec ſignificatio obtineat; cum & aliae vrbes ac regiones ſint, quae eodem nomine veniant; vt vel ex iis patet, quae ad *period. I. ſect. II. §. IX. pag. 178.* obſeruauimus. Cum nauis ſe mari iam commiſiſſet, ſubito orta ingens tempeſtas, omnes, qui in ea erant, in magnum vitae periculum adduxit. Id vero irato Numine ſibi contingere, nonnulli exiſtimantes, quod forte aliquis ob inſignia ſcelera ei inuiſus inter illos eſſet, iactis ſortibus, quis ille eſſet, explorare placuit; deprehenſusque Ionas atque in mare miſſus, mox a piſce abſorptus eſt; in cuius ventre cum tribus diebus noctibusque fuiſſet, precibus ad Deum fuſis, in littus a piſce eiectus ſaluus euaſit. De piſce illo, qui Ionam deglutiuit, copioſe diſputat SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. II. libr. V. cap. XII.* eum non cetum, ſeu balaenam, ſed canem carchariam, qui & lamia a gulae vaſtitate dicitur, fuiſſe, contendens. Cetos enim, & quotquot animalia pulmone ſpirant, gulae meatus habere anguſtiores, quam vt ſolidum hominem deglutire poſſint. Nec

Nec obſtare, quod *Matth. XI. 44.* Ionas fuiſſe dicatur ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, *in ventre ceti.* Non enim ſemper hanc vocem cetum proprie ſic dictum denotare, ſed ſaepius pro quolibet piſce magno ſumi. Quod ſi tamen cetus ingentis magnitudinis fuiſſe ſtatuatur, quod & ſcriptura ipſa innuit, dum דג גדול *piscem magnum* a Deo ad hoc praeparatum dicit, nihil tandem obſtare, alii putant, quo minus ille, qui proprie ita dicitur, intelligatur; conf. IOAN. CONRAD. DIETERICVS, *antiquitat. bibl. pag. 508.* Quod autem Ionas in ventre iſtius piſcis tamdiu viuere potuerit, & ſaluus tandem ac incolumis euaſerit, id profecto non ſine ingenti contigiſſe miraculo, res ipſa docet.

In terra igitur iterum conſtitutus, denuo mandatum a Deo accipiebat, vt Niniuen ſe conferret, &, quae vrbi huic eiusque incolis imminerent fata, illis exponeret, niſi reſipiſcerent. Dicitur Niniue fuiſſe *vrbs magna Dei, conſtans itinere tridui.* Vocem לאלהים ad magnitudinis notionem augendam, additam, plerorumque tum ebraeorum, tum chriſtianorum interpretum eſt ſententia. Et ſane indoli linguae ebraeae hoc eſt conueniens. Nec tamen praetermittendum, quod SALOM. GLASSIVS noſter recte obſeruauit, nomen Dei eo modo adiectum πρώτως, *proprie & formaliter* cauſſam efficientem denotare, intenſiuam autem ſignificationem eſſe ἐπομένην, ſecundariam & materialem; *philolog. ſacr. pag. 422.* Cura itaque Numinis circa hanc vrbem prouida neutiquam excluditur, ſed vel maxime potius hac voce inſinuatur, quam & ipſa Ionae vatis ad eam legatio ſatis ſuperque demonſtrat. Magnitudo autem vrbis huius cum per *iter trium dierum* deſcribitur, non de longitudine ſola, ſed de ambitu vrbis, hoc eſt intelligendum, quod & praeter alios ABEN ESRAE recte obſeruatum, dum intelligendum docet סביב המדינה *vrbis ambitum.* Conſentiunt de magnitudine huius vrbis ſcriptores ethnici, quos inter cumprimis DIODORVS SICVLVS conſulendus, *libr. II. pag. 65.* vbi eam ex inſtituto deſcribit. Nino vrbis conditori id conſtitutum fuiſſe, ait, *vt vrbem exſtrueret tantae magnitudinis,* ὥστε μὴ μόνον αὐτὴν εἶναι μεγίστην τῶν τότε ἐσῶν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ἀλλὰ μηδὲ τῶν μεταγενεστέρων ἕτερον ἐπιβαλλόμενον ῥᾳδίως ἂν ὑπερθέσθαι, *vt non ſolum vrbium, quae tum temporis per totum orbem exſtabant, eſſet maxima, ſed neque poſterorum vllus quidquam moliri maius facile aggrederetur.* Et quibusdam interiectis: τηλικαύτην πόλιν οὐδεὶς ὕστερον ἔκτισε κατά τε τὸ μέγεθος τοῦ περιβόλου, καὶ τὴν περὶ τὸ τεῖχος μεγαλοπρέπειαν, *talem vrbem nemo condidit deinceps, neque magnitudine ambitus, neque moenium magnificentia.* Cumprimis vero obſeruandum, quod DIODORVS moenium ambitum ſtadiorum CCCCLXXX fuiſſe, dicat. Hoc enim trium dierum itineri reſpondet, ſecundum SAMVEL. BOCHARTVM, in *Phaleg. libr. IV. cap.* XX.

Digitized by Google

XX. pag. 285. add. IS. CASAVBONVS, ad *Strabonis libr. I. pag. 23.* Numinis mandato morem gerens Ionas, Niniuen ſe confert, &, quae Deus ei iuſſerat, exponit. Niniuitae non tantum pronis haec accipiebant auribus, ſed verbis etiam prophetae fidem adhibentes, ieiunio, aliaque ratione, admiſſorum ſe poenitere criminum, ſerio teſtati ſunt. Quamobrem Deus etiam hac ratione placatus, hac quidem vice vrbi populoque pepercit. Quod cum Ionas moleſte ferret, Deus eleganti exemplo eum rectiora condocuit. Extra vrbem enim cum tabernaculum ſibi exſtruxiſſet, euentum rei exſpectaturus (nondum enim omnem ſpem, fore, vt Niniue periret, abieciſſe videtur, ſiue exiſtimauerit, Deum a decreto non receſſurum, etiamſi poenitentiam egiſſet, ſiue, num poenitentia ſeria fuiſſet, dubitaret, ſiue denique crederet, Deum ſuis aliquid daturum precibus) Deus ſubito קיקיון *kikaion* creſcere fecit, quae gratam Ionae vmbram praeberet; indeque cum voluptatem ſingularem caperet, altero ſtatim die haecce planta a verme percuſſa ſubito exaruit. Indignanti hanc ob rem Ionae Deus oſtendit, longe iuſtiores ſibi cauſſas eſſe, vt vrbi parceret, in qua plus, quam centum viginti millia hominum eſſent, qui iuſtam aetatem nondum attigerant, eorumque adeo peccatorum, quae rationis vſum plenum requirunt, hactenus immunes erant, quam illi, optandi, vt planta iſta diutius floruiſſet. Vocem קיקיון LXX interpretes, Syrus, & alii per *cucurbitam* vertunt; vulgatus autem, itemque AQVILA, SYMMACHVS, aliique per *hederam*; diſputatumque olim acriter hac de re fuit inter HIERONYMVM atque AVGVSTINVM, quorum ille *hederam*, hic *cucurbitam* intelligebat. Alii equidem aliud quid intelligunt. Talmudiſtae, aliique ebraeae gentis doctores, itemque IOANNES COCCEIVS, HVGO GROTIVS, IOANNES TARNOVIVS, Kikaion *ricinum* eſſe, contendunt, qui alias arabice *Alcherna* dicatur, idque variis rationibus comprobat AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. IV. loc. LXXXVIII. p. 852.* Quae de fabulis Graecorum, quibus hiſtoria Ionae occaſionem dediſſe dicitur, praeter alios PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euangel. prop. IV. pag. m. 433.* adfert, longius mihi petita videntur.

* Primum inter prophetas minores, ſecundum diſpoſitionem, quae in codice ſacro exſtat, Hoſeas obtinet locum, primusque omnium συγχρόνων fuiſſe cenſetur, qui futura praedicere adgreſſus eſt. Prophetico autem munere ſub Vzia, Iothamo, Achazo & Ezechia, regibus Iudae, & ſub Ieroboamo ſecundo, filio Ioaſi, rege Iſraelis, functus eſt; idque per annos ſexaginta, & quod excedit; immo ſunt, qui annos, quos in hocce munere exegit, ad nonaginta vsque proferunt, adeo vt Iſraelitici regni, teſte HIERONYMO, *futuram praenuntiauerit cladem, & luxerit ingruen-*

entem, *& praeteritam ad emendandum Iudam commemorauit*, in *Hoſ. cap. I.* Quodſi pſeudo-EPIPHANIO, & pſeudo-DOROTHEO, in *vitis prophetarum*, credimus, Hoſeas ex tribu Iſaſchar oriundus fuit, oppido Bethſemes, non Belemoth, vt perperam legitur, quod poſt IOANNEM DRVSIVM, in *Hoſ. I. verſ. 1.* recte obſeruauit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euang. propoſ. IV. pag. 420.* Pater Hoſeae Beeri vocatur, diſcernendus a Baenah, quem captiuum abduxit Tiglath-Pileſer, *I. chron. V. v. 6.* Hic enim, ne de nominis diſcrepantia dicam, princeps Rubenitarum fuit, cum pater contra prophetae ex tribu Iſaſchar fuiſſe credatur. Obſeruandum hoc ideo erat, quia Ebraeorum doctores hos inter ſe permiſcent. Memorabile eſt, quod *vxorem fornicationum*, ſeu fornicationi deditam, accipere, & *liberos fornicationum* ex ea ſuſcipere a Deo iuſſus eſt, ad redarguendos, & ſpiritualis fornicationis conuincendos Iſraelitas. Hoc vero quoniam cum ſanctitate Numinis pugnare, & muneri prophetae minus conueniens eſſe videtur, varia comminiſcendi viris eruditis inde ſuppeditata fuit occaſio; illis, ni fallor, proxime ad veritatem accedentibus, qui, eum mulierem ſcortatricem legitimo ſibi iunxiſſe matrimonio, ſtatuunt. Dixi hac de re ex inſtituto in *diſſertat. de peccatis typicis*, quae exſtat in *ſyntagmate diſſertationum theologicarum* §. *XXXII. ſeqq.*

** Amoſum huncce patrem fuiſſe Eſaiae vatis, non tantum pſeudo-EPIPHANIVS, in *vitis prophetarum*, ſed & CLEMENS Alexandrinus tradit *ſtrom. libr. I. pag. 327.* itemque GEORGIVS CEDRENVS, in *ſynopſi* ſiue *compendio hiſt. pag. 107.* aliique. Sed in errorem eos induxit linguae ebraeae ignorantia, vt iam HIERONYMO *prooem. in Amos*, recte obſeruatum. Pater enim Eſaiae non עמוס, vt propheta noſter; ſed אמוץ vocatur. Noſter propheta inſuper fuit pecuarius ex Thekoa. Thekoam pſeudo-EPIPHANIVS, *loc. cit.* in terra Zabulon locat; at alii ad tribuum Iudae referunt; vid. ADRIAN. RELANDVS, *Palaeſt. libr. III. pag. 1028.* Forte plures huius nominis vrbes fuere. De ſe ipſo autem Amos *cap. VII. verſ. 14.* ita loquitur: *non ſum propheta*, *nec filius prophetae ſum*, hoc eſt, nec magiſter, nec diſcipulus in ſcholis prophetarum, *ſed bubulcus ego ſum*, qui tamen egregius diſcipulus factus eſt in ſchola domini, & illuſtris doctor in congregatione Iſraelis, *& quaerens ſycomoros. Et accepit me Iehoua ab ouibus*, *quas ſequebar*, *& dixit mihi Iehouah: abi propheta ad populum meum Iſraelem.* Cuſtos igitur fuit pecoris, aut proprii, aut alieni, opilio, & quidem pauperculus, quippe quaerens ſilueſtres ficus in cibum. Ex tribu Iuda licet oriundus, ſi ſcilicet per Thekoam eam vrbem, quae in hac tribu ſita fuit, intelligamus, vidiſſe tamen ſe verba ſua, dixit: על ישראל *ſuper Iſrael:* adeoque Iſraelitis potiſſimum deſtinatus propheta eſt, licet contra

 Iudam

Iudam etiam, & alias gentes vaticinatus ſit, imminentemque omnibus calamitatem praedixerit. Crebras Amoſo ab impio Bethelis ſacerdote Amaſia inflictas plagas, cum idolorum cultum ſumma libertate carperet, mortem denique ipſi ab Amaſiae filio, eliſis claua temporibus, illatam, in *vitis prophetarum*, EPIPHANIVS & DOROTHEVS, ſcriptores pſeudonymi, memorant. Quod vt inter fabulas forte referendum, ita certum, Amaziam Bethelis ſacerdotem, hoſtilem erga Amoſum oſtendiſſe animum, quod reprehenſum ab eo vitulorum cultum aegre ferret, & Ieroboami regis animum aduerſus illum concitare voluiſſe, *Amos VII. 10. ſeqq.* Temporis, quando Amoſus vaticinari coepit, deſignationem nonnulli in *terrae motu*, cuius *cap. I. verſ. 1.* mentionem facit, ſibi inueniſſe viſi ſunt. Hunc enim terrae motum tum contigiſſe putant, cum Vſias rex ob arrepta temere ſacerdotum munera lepra percuſſus, petulantiae ſuae poenas daret. Ita praeter alios FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquitat. iudaic. lib. IX. cap. XI.* cuius hac de re verba iam ſupra ad §. *XX.* huius ſectionis, produximus. Admodum etiam hoc veroſimile videtur PETRO DANIELI HVETIO, *demonſtrat. euangel. propoſit. IV. pag. 425.* Et ſane tempore Vſiae regis terrae motum contigiſſe, etiam ex Zacharia conſtat, *cap. XIV. verſ. 5.* Eum vero eodem tempore, quo Vſias lepra percuſſus eſt, contigiſſe, nullibi dicitur. Nec FLAVII IOSEPHI ad hoc nobis perſuadendum ſufficit auctoritas. Temporum inſuper repugnare rationes, oſtendit NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. aetate mundi V. diſſert. X. art. III. p. 199.*

*** De Ioele aliud nihil conſtat, quam quod fuerit filius Pethuelis. Pſeudo-EPIPHANIVS Rubenitam facit, ex agro Bethor, vel, vt alii legunt, Bethoron, qui locus in tribu Ephraimitica eſt. Haec cum non ſatis inter ſe conſentiant, PETRVS DANIEL HVETIVS varias, vt ea concilier, coniecturas proponit, *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. pag. 422.* Docuiſſe illum Hieroſolymis, vel certe in tribu Iuda, inde colligitur, quod *cap. I. 9. 14. 16.* domus Dei, & *cap. II. 15.* Zionis meminerit. De aetate Ioelis variae ſunt virorum doctorum ſententiae. Eum poſt expugnatam ab Aſſyriis Samariam, & exciſum Iſraelis regnum, Manaſſe inter Iudaeos regnante, futura praedixiſſe, inde nonnulli colligunt, quod regnum Iudae tantum praedictionibus ſuis perſtringat, nulla Iſraelitici facta mentione. Ita in *ſeder olam rabba* & *zucha*, alibique, doctores ebraei ſentiunt, quos & nonnulli ex chriſtianis ſequuntur. At R. ISAAC ABARBANEL Hoſeae tempore eum vaticinatum ſtatuit, ſed ante Amoſum, cum ab eo verſu auſpicatus ſit Amos prophetiam, quo Ioel ſuam concluſerat, iſto nimirum: *Dominus de Sion rugiet; praefat. in duodecim prophetas.* Quam ratiocinationem *rabbinicam, hoc eſt, ſtolidam & ineptam* vocat PETRVS DANIEL HVETIVS,

ETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. m. 422.* ABARBANELIS nihiloſecius ſententiam amplectitur CAMPEGIVS VITRINGA, & hiſce tuetur rationibus: I) quod inter hoſtes Iudaeorum, Aegyptii & Idumaei tantum occurrant, *cap. III. 19.* Aſſyriorum & Babyloniorum nulla in hacce prophetia facta mentione; locum enim *cap. II. 20.* aeque ac ſuperiora ad *plagam locuſtarum* pertinere; II) quod eadem plane improperet crimina Tyriis, qui captiuos ex Iudaea omnis ſexus & aetatis multos abduxerant, inclementer habuerant, & vendiderant exteris, agrosque illorum inuaſerant & occupauerant, quae Amoſus, & ſimile iis denuntiet iudicium, *cap. III. 2: 7.* collat. cum Amoſi *cap. I. 9. 10. 11.* III) quod quo tempore Ioel concionatus eſt, ſacra apud Iudaeos ſuo adhuc ſteterint ordine, *cap. II. verſ. 15. 16. 17.* IV) laetiora tempora etiam in Iudaea cum omnium rerum vbertate polliceatur, *cap. II. 18. 19.* V) quod, quam Ioel Iudaeis praedixit, inſtantem calamitatem famis & ſterilitatis, Amos demonſtret, Israelitas modo preſſiſſe, & adhuc dum premere, *cap. IV. 6. 7.* Hiſce & ABARBANELIS rationem antea commemoratam, duriori HVETII cenſura parum motus, addit: in *typo doctrinae propheticae, hiſtoriae* & *chronologiae* eius *ſacrae* addito, *cap. IV. pag. 35. 36.* Eidem ſententiae adſtipulatur HIERONYMVS *praefat. in duod. proph.* item in *Ioelem* & *commentar.* in *Ioel. I. 1.* hac cumprimis ſubnixus ratione, quod in ebraicis codicibus Hoſeae ſubnexus ſit Ioel; quibuscunque autem prophetarum libris temporis nota praefixa non eſt, hi ad ea tempora ſint referendi, quae in libro proxime praecedenti adnotata ſunt. Quae ratio etſi nihilo firmior ſit, quam iſta ABARBANELIS, ſine cenſura tamen dimittitur ab HVETIO, omnino autem probatur NAT. ALEXANDRO, *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. aetat. mundi IV. differt. X. artic. II. pag. 198.* In eo plerosque conſentire video, Ioelem eodem fere cum Hoſea tempore vixiſſe; nec ipſe repugnat HVETIVS, qui eum Hoſeae aut ſupparem aut aequalem fuiſſe, largitur, at vaticinium ab eo poſt decem tribuum deportationem conſcriptum contendit, hac cumprimis inductus ratione, quod altum de regno Israelitico apud eum ſit ſilentium. Ego vero non video, cur propheta ad Iudaeos miſſus, neceſſario etiam regni Israelitici mentionem facere debuerit. Non magni itaque momenti haec erit ratio; quemadmodum nec ex loco *cap. III. 2. 3.* quidquam praeſidii capit, cum ipſemet fateatur, in more poſitum propheteis eſſe, rem futuram ſubinde vt praeteritam enunciare. CAMPEGII itaque VITRINGAE, viri clariſſimi, rationibus, quae potiores mihi eſſe videntur, accedere nullus dubito.

* Eſaias, qui primum inter maiores, quos vocant, prophetas locum tenet, filius fuit Amozi. Quis vero ille Amoz, nobis non conſtat, etſi, ſpectabilem virum & haud obſcurum inter Iudaeos fuiſſe, facile largiri queam,

queam. Illorum, qui per linguae ebraeae ignorantiam eundem cum Amoſo propheta faciunt, errorem antea iam profligauimus. Amozum Eſaiae patrem, fratrem fuiſſe Amaziae regis, Ebraeorum eſt traditio, omni fundamento deſtituta. Legitur illa in Gemara *cod. megill.*, *fol. 10. col. 2.* locum integrum exhibente CAMPEGIO VITRINGA, *prolegom. commentar. in Eſ. pag. 2.* idque in *ſeder olam zutha*, item in *Iuchaſin*, in *Schalſcheleth bakkabbalah*, porro a R. SAL. IARCHIO, R. IS. ABARBANELE, ad *Eſa. I. 1.* aliisque repetitur. Eodem loco habendum, quod referunt, eum ſocerum fuiſſe Manaſſis regis: *Tradunt Ebraei*, inquit HIERONYMVS, ad *fin. cap. XX. Eſaiae*, *Eſaiam ſocerum fuiſſe Manaſſae, filii Ezechiae, regis Iuda.* Auctor epiſtolae de *ſcientia legis*, quae exſtat *tom. IV. opp. Hieronymi, edit. Baſil. pag. 76.* eum Ezechiae regis ſocerum facit: *Eſaias vir in ſua gente nobiliſſimus, qui ſocer Ezechiae fuiſſe refertur.* Lubrica haec omnia ſunt & incerta. Ex peruerſa inſuper capitis ſeptimi interpretatione profectum, quod nonnulli itidem ex Iudaeis tradiderunt, duos eum ſuſcepiſſe filios, Iaſub & Emmanuelem.

Celebris praeterea multorumque calculis comprobata eſt traditio, vatem noſtrum ad ſummam ſenectutem perueniſſe, vitamque ad Manaſſis, impii regis, tempora vsque protraxiſſe, a quo poſtquam varia ratione exagitatus eſſet, miſere tandem fuerit contrucidatus, ſerra quippe inter cedri aſſeres viuus diſſectus. Magno conſenſu hoc tradunt Ebraeorum magiſtri, doctores talmudici, in tractatu *iebamoth*, *fol. 49.* & in *ſanhedrin*, *fol. 103.* R. SALOM. IARCHI, & R. IS. ABARBANEL, ad *Eſa. cap. I.* refragante tamen R. ABENESRA, qui ſimpliciſſimum eſſe putat, ſtatuere, Ieſaiam mortuum eſſe tempore Hiskiae. Ebraeis hac in re accedunt ex chriſtianis, & antiquis quidem eccleſiae doctoribus IVSTINVS martyr, qui Iudaeos adloquens ὃν πρίονι, inquit, ξυλίνῳ ἐπρίσατε, *quem ſerra lignea diſſecuiſtis*, in *dial. cum Tryphone Iudaeo*, *pag. m. 379.* TERTVLLIANVS de *patientia cap. XIV.* LACTANTIVS, *libr. IV. diuinar. inſtitut. cap. XI.* AMBROSIVS, in *Luc. cap. XX. pag. 197.* AVGVSTINVS, de *ciuit. Dei*, *lib. XVIII. cap. XXIV.* HIERONYMVS, ad *Eſa. LVII. verſ. 1.* aliique plurimi. Ad Muhammedanos hanc traditionem pertranſiiſſe, patet ex iis, quae HERBELOTIVS refert, in *bibliotheca orientali*, *pag. 500.* Immo & praeſidium aliquod ſententiae ſiue traditionis nonnulli ſibi inueniſſe viſi ſunt in loco, *Ebr. XI. verſ. 17.* vbi de ſanctis, qui ob fidem celebrantur, dicitur: ἐπρίσθησαν, *diſſecti ſunt.* Obſtare nihiloſecius alii putant, quod, ſi ſub Manaſſe demum interfectus fuit, propheta vltra cxx annos viuendo confecerit, quod, licet non ſit ἀδύνατον, non tamen etiam temere ſit admittendum; praeterea, quod in titulo ſeu inſcriptione libri, quem reliquit, prophetaſſe dicatur ſub Vzia, Iotham, Achaz, Ezechia, nulla Manaſſis facta

cta mentione, quod tamen fieri debuiſſet, ſi tempora eius attigiſſet. Non equidem rurſus iis, qui a tam antiqua, totque Iudaeorum & chriſtianorum calculo adprobata traditione diſcedere, ſibi religioni ducunt, deſunt, quae ad haec regerant. Namque ad longaeuitatem Eſaiae quod attinet, eam iſto tempore non adeo infrequentem fuiſſe, vel Ioiadae patere exemplo, qui tempore Ioaſi regis vixit, & cum moreretur, CXXX annos natus erat, *II. chron. XXIV. 15.* In titulo vero ſeu inſcriptione libri Eſaiae, illos tantum commemorari reges, ſub quibus vaticinia, quae eo in libro exſtant, edita ſint; adeoque non neceſſe fuiſſe, vt & Manaſſis ibidem mentio iniiceretur. Interim id certum, lubrico admodum & incerto fundamento totam hanc traditionem inniti. Non aliunde enim orta videtur, quam quia de Manaſſe *II. reg. XXI. v. 16.* & *XXIV. v. 3. 4.* dicitur, Manaſſen ſanguinem innocentem effudiſſe. Nec antiquitas traditionis quenquam mouebit. Antiquiſſimae enim & aliae ſunt traditiones, quas tamen falſas eſſe, nemo dubitat. Multitudo quoque illorum, qui eam propagarunt, parum ad rem facit. Inter Iudaeos enim pariter ac veteris eccleſiae doctores nihil frequentius, quam vt in eiusmodi rebus vnus ſequatur alium. Ex verbis Pauli *Ebr. XI. 37.* equidem conſtat, quosdam, qui fidei documentum praebuerunt, diſſectos eſſe. Quod tempore Antiochi Epiphanis, magna crudelitate in Iudaeos ſaeuientis, fieri potuit. Speciatim, de Eſaia eum loqui, probari nequit.

Supereſt, vt de tempore, quam diu Eſaias vixerit, & vaticinatus ſit, disquiramus. ABVLPHARAGIVS aetatem eius centum & viginti, munus autem propheticum octoginta quinque annorum ſpatio definiuit, in *hiſtor. dynaſt. pag. 43.* Non multum hinc abiit IOANNES LIGTFOOTVS, initium muneris prophetici, quo functus eſt, ad annum Vſiae vigeſimum tertium, & finem ad mortem Hiskiae referens, vt ſumma inde exſurgat annorum LXXXVII, in *chron. temp. vet. teſtam. tom. I. opp. p. 97.* Sunt, qui vlterius progrediuntur, & annos nonaginta, immo plures eum in munere prophetico exegiſſe, ſibi perſuadent; ſed incertis omnes nituntur fundamentis. Ex inſcriptione ſeu titulo libri eius conſtat, edita ab eo haecce vaticinia, in *diebus Vziae, Iothami, Achazi,* & *Hiskiae.* Horum regum ſi in ſummam colligantur anni, exſurgunt inde centum & vndecim vel duodecim. Vzias enim rerum ſummam tenuit annos LII, Iothamus & Achaz vterque XVI, & Hiskias XXIX. Per tot vero annos prophetam vaticinatum, parum eſt credibile. Annos integros Iothami & Achazi illi dandos eſſe, res ipſa poſtulat. Inde vero conficiuntur, vt antea diximus, anni XXXII, vel ſi Achazi vltimus illi cum filio communis ſtatuatur, XXXI. Ad Vziae autem & Hiskiae annos quod attinet, vt eos in-

integros Eſaiae tribuamus, nulla nos cogit neceſſitas. Anno regni Hiskiae decimo quarto, cum a morbo grauiſſimo rex liberatus vitae prolongationem ad annos quindecim a Deo obtineret, Eſaiam adhuc in viuis fuiſſe conſtat. Haud dubie tamen iam admodum ſenex eo tempore fuit, fierique adeo potuit, vt paullo poſt moreretur. Liceat ergo nobis ex annis Hiskiae illi tribuere quindecim, qui, ſi annis XXXII antea memoratis addantur, conficiuntur inde anni XLVII. Eſto autem, ex annis Hiskiae illi tribuendos eſſe XVIII, ex annis autem Vziae decem vltimos, ſumma inde annorum exſurgit LX, quos in munere prophetico transegit. Quod vti ſat magnum eſt temporis interuallum, ita cur plures anni illi adſignandi ſint, nulla adparet ratio. Quod ſi vlterius ponatur, annorum triginta aut quadraginta fuiſſe Eſaiam, cum ad munus hocce a Deo vocaretur, ſequitur, eum annos XC, vel omnino C viuendo confeciſſe. Pluribus hoc confirmat, & ad rationes, quae in contrarium adferri poſſunt, reſpondet vir doctiſſimus, CAMPEGIVS VITRINGA, *prolegom. commentar. in Eſa. pag. 4.* vbi & probat, Hoſeam ante Eſaiam munus propheticum ſuscepiſſe, quem tamen Amos in hocce munere praeceſſerit, vti Ioel vtrumque anteuerterit. De libris Eſaiae ad §. *XXXIII.* dicemus.

** Michaeas hicce, cuius poſt Ionam conſpicitur liber, diſcernendus ſedulo eſt a Michaea filio Iemlae, qui Achabo praedixit interitum, *I. reg. XXII. 17.* centumque adeo & quadraginta annis ante noſtrum Michaeam vixit. Patria noſtri Moreſchet fuit, vnde *cap. I. verſ. 1.* מורשתי *Moraſchites* dicitur. Moreſchet autem a Mareſcha vrbe diſtinguendam eſſe, recte monuerunt viri docti, & vel ex *verſ. 15. capitis I.* noſtri prophetae patet. Perperam itaque, chaldaeus Michaeam ex Mareſcha fuiſſe, dicit, quem & praeter alios B. LVTHERVS noſter ſecutus eſt. HIERONYMVS, in *prologo* ad hunc prophetam, patriam eius *Maraſti* vocat, quod tamen nomen gentile eſt, ductum a *Moreſchet*, adſeritque, ſua aetate viculum haud grandem fuiſſe iuxta Eleutheropolin vrbem Palaeſtinae. Similia & EVSEBIVS habet in *onomaſtico;* vrbem hanc ad ortum Eleutheropolis ſitam docens, refragante viro clariſſimo, HADRIANO RELANDO, in *Palaeſtina lib. III. pag. 902.* vbi & reliqua legi poſſunt. Michaeam noſtrum σύγχρονον fuiſſe Eſaiae, Amoſo & Hoſeae, inde conſtat, quod ſub Iothamo, Achazo & Hiskia, regibus Iudae, munere prophetico functus eſt, vt *cap. I. 1.* diſerte dicitur. Vnde & ſimul patet, eum poſt mortem Vziae regis, adeoque paullo ſerius, quam Eſaiam, hocce munus ſuscepiſſe; quocum tamen ita eum conſentire, vt iisdem quandoque cum eo verbis vſus ſit, viris doctis obſeruatum eſt. Exemplum exſtat *Eſa. cap. II. v. 2.* ſi cum *Mich. IV. verſ. 1.* conferatur. Honorifica Michae mentio a Ieremia fit, *cap. XXVI. v. 18.* vbi

Digitized by Google

bi ſimul, cum morte violenta non periiſſe, indicatur. Eo maior itaque auctoris, qui ſub EPIPHANII nomine de *vitis prophetarum* ſcripſit, in mentiendo eſt impudentia, dum Michaeam ex alto a Ioramo filio Achabi regis Iuda, quem ob ipſius, patrumque noxas crebris obiurgationibus perſtrinxerit, praecipitatum interiiſſe, ſcribit. Quas ineptias non ſcutica, ſed flagello animaduertendas eſſe, recte PETRVS DANIEL HVETIVS pronuntiat, cum neque rex Iudae Achab fuerit, aut Ioramus ipſius filius, ſed Iſraelis, nec Iorami aeuo Michaeas Moraſchites vixerit, ſed poſt eius aetatem annis minimum centum ac triginta; *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. pag. 437.* vbi & reliqua tum pſeudo-EPIPHANII, tum pſeudo-DOROTHEI commenta explodit.

*** De Nahumi aetate mirifice inter ſe diſſentiunt viri docti. FLAVIVS IOSEPHVS eum ad Iothami, Iudae regis, tempora refert, vaticinia autem aduerſus Niniuitas ab eodem edita, poſt centum & quindecim annos, tempore Ioſiae completa fuiſſe, exiſtimat, *antiquitat. iudaic. libr. IX. cap. XI.* In alterum extremum procurrit CLEMENS Alexandrinus, eum ipſo Ezechiele recentiorem fingens, *ſtrom. libr. I.* Paullo propius ad verum acceſſerunt auctor chronici *ſeder olam* dicti, & ex eo R. IS. ABARBANEL, aliique Ebraeorum magiſtri, Nahumum eiusque praedictiones Manaſſis, qui Hiskiae regi ſucceſſit, aeuo tribuentes. HIERONYMVS, THEODORETVS, THEOPHYLACTVS, aliique, Hiskia rerum ſummam tenente, Nahumum floruiſſe cenſent: quod & longe veroſimillimum videtur. Conſentiunt & plerique recentiorum, in eo ſaltem in diuerſa iterum abeuntes, num poſt cladem Sennacheribi, an ante eam, vaticiniorum ab eo editorum aetas ſit figenda? Prius CAMPEGIO VITRINGAE placet, qui ex clade iſta Sennacheribi argumentum prophetiae deſumtum, & occaſionem, integrum interitum Nini & regni Aſſyriaci praedicendi, captatam, exiſtimat, in *typo doctrinae propheticae cap. IV. §. XIV. pag. 37.* Certe primum caput Nahumi interpretes magno conſenſu de clade Sennacheribi, quam in Iudaea accepit, exponere, HERMANNVS WITSIVS quoque obſeruat, *miſcellaneor. ſacror. part. I. libr. I. cap. XVIII. §. LII. pag. 237.* PETRVS vero DANIEL HVETIVS, HIERONYMVM ſecutus, in primo Nahumi capite cladem Sennacheribi praenuntiari, adeoque hoc vaticinium ante cladem Sennacheribi editum, reliqua autem duo libelli eiusdem capita ad toleratas olim ab Iſraelitis aerumnas, irrogatasque Iudaeis ab Aſſyriis contumelias & exciſam demum a Nabuchodonoſore Niniuen pertinere, exiſtimat. Putat etiam hac ratione eos, qui, Nahumum ſub Manaſſe vixiſſe, autumant, conciliari cum iis poſſe, qui eum ad Ezechiae aetatem referunt. Vaticinium enim, quod primo capite exſtat, temporibus Ezechiae produiſſe, poſt deportatas decem tribus, atque euentum ſortitum, cum Sennacheribi

copiae ab angelo deletae ſunt; reliqua vero capita diu multis poſt annis primum a Nahumo fuiſſe adiecta, exitum vero habuiſſe, partim cum Niniuen vaſtauit Cyaxares, Medorum rex, Ioſiae temporibus, partim etiam ac praecipue, cum eam Nabuchodonoſor aliquot poſt annis funditus deleuit; *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. 441.* Quibus fidem facile adhiberem, modo probabili quadam ratione vir doctiſſimus demonſtraſſet, vltima capita poſt primum tam longo temporis interuallo edita eſſe. Quidquid huius ſit, nobis id ſufficit, conſenſu praeſtantiſſimorum virorum, nec ſine rationibus, quae id ſuadeant, Nahumum ad Ezechiae aetatem referendum eſſe. Ceterum de ipſo Nahumo nihil aliud conſtat, quam eum fuiſſe האלקשי *Elkoſchitam*, hoc eſt, ſi HIERONYMO credimus, ex Elceſi Galilaeae viculo oriundum. Pſeudo-DOROTHEVS, eum ab Elceſi fuiſſe, dicit, *trans Bethabaram de tribu Simeon.* Idem & pſeudo-EPIPHANIVS habet, apud quem haud dubie pro βηγαβάρ legendum βηθαβαρὰν, vt recte HVETIO obſeruatum, *loc. cit. pag. 439.* Sed potior hic nobis merito eſt auctoritas HIERONYMI, qui Elceſi pro Galilaeae viculo habens, eum longe a Bethabara remouet. Dubium vero etiam, annon Nahum a familia potius Elkoſchita dicatur, prout chaldaeus interpres, aliique, ex gente ebraea, hanc vocem capiunt; conf. IOAN. HENRICVS HEIDEGGERVS, *enchirid. bibl. p. 343. 344.*

* Habacucum filium fuiſſe mulieris Sunamitidis, quem Eliſaeus vitae reſtituit, Ebraei veteres tradiderunt, argumento ex conuenientia nominis Habacuc, cum verbis, quibus Eliſaeus Sunamitidi filium pollicitus eſt חבקת בן *amplecteris filium, II. reg. IV. v. 16.* ducto. Quod, quam lubricum ſit, omnibus patet. Recentiores quidam ex eadem gente, ſpeciatim ISAAC ABARBANEL, prophetam huncce tempore Manaſſis vixiſſe, perhibent, quemadmodum rurſus alii, eum paullo ſerius, tempore forte Iehoiakimi, vixiſſe, exiſtimant, vt IAC. VSSERIVS, in *annalibus* ad *ann. 3395.* quem & IO. HENRICVS HEIDEGGERVS ſequitur, in *enchiridio biblico, pag. 350.* Immo ſunt, qui eum captiuitatem Babylonicam viuendo attigiſſe, arbitrantur; illi ſcilicet, qui prophetam hunc eundem eſſe putant, qui cibaria ad Danielem inter leones iacentem ab angelo vectus detulit, biennioque ante obiit, quam in libertatem reſtituti Iudaei in patriam remeaſſent. Haec & HIERONYMI eſt ſententia, quem inter recentiores praeter alios NAT. ALEXANDER ſequitur, qui &, ſub Ioiakimo Habacucum vaticinia ſua edidiſſe, contendit, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. mundi V. differt. X. artic. IX. pag. 219.* PETRVS vero DANIEL HVETIVS, geminum fuiſſe Habacucum, adſerit, alterum Danielis obſonatorem, alterum prophetam huncce, de quo nunc nobis ſermo eſt, Manaſſis coaeuum, de tribu Simeonis, cum, illum Leuitica prognatum eſſe tribu, titulus hiſto-

Digitized by Google

hiſtoriae *Beli & draconis*, quem ex editione LXX ſenum repraeſentat HIERONYMVS, declaret; *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. pag. 444.* Sed cum inter commenta referendum videatur, quidquid in libro iſto apocrypho, qui de dracone Babylonico agit, de Habacuco Danielis obſopatore narratur, & apud ipſum Danielem Habacuci nulla fiat mentio, ea res vt negotium nobis faceſſat, neceſſe non eſt. Praeferenda reliquis haud dubie ſententia illorum, qui, Habacucum ſub Manaſſe vixiſſe, credunt, eo quod non tantum fas omne & iura euerſa deplorat, ſed & interitum regni Iudae & imminentem captiuitatem Babylonicam praenuntiat. Idem etiam ex collatione verborum, quae *II. reg. XXI. verſ. 10.* exſtant, cum iis, quae *Habac. I. verſ. 5.* leguntur, recte colligi, obſeruat HERMANNVS WITSIVS, *miſcellaneor. ſacror. part. I. libr. I. cap. XVIII. §. LII. pag. 237.* Nec refragatur CAMPEGIVS VITRINGA, etſi ad Ioſiae aetatem prophetam huncce referre malit, in *typo doctrinae propheticae part. I. cap. IV. §. XV. pag. 38.* Quae pſeudo-EPIPHANIVS & pſeudo-DOROTHEVS de patria & fuga Habacuci, redituque in patriam tradunt, reliquis iſtorum hominum commentis adnumeranda ſunt. Legendus interim de iis PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. 443.*

** Obadias, quem alii Abdiam vocant, quis fuerit, nobis non conſtat. Auctoris enim, qui ſub EPIPHANII nomine alios fallere voluit, adferentis, eum fuiſſe Sichemitam ex agro Betachamar, nulla apud nos eſt auctoritas. Ebraeorum plerique, ſed & nonnulli chriſtianorum, eum praefectum illum Achabi fuiſſe, putant, qui centum prophetas furori Iezabelis ſubductos abſcondit & pauit, *I. reg. XVIII. 3. 4.* Addunt, fuiſſe eum natione Idumaeum & proſelytum. Sed vt prius non alio argumento, quam nominis ſimilitudine nititur, quod vtique admodum infirmum, ita nec certius eſt poſterius. Inde ſaltem id colligitur, quod in libello ſuo Idumaeos maxime perſtringat; quod facere potuit, etſi ipſe Idumaeus non eſſet. Nec probabile, prophetam in aula Achabi vixiſſe, aut viuere potuiſſe eo tempore, quo Iezabel rerum domina, prophetas omnes Iehouae ad necem quaerebat; multo minus credibile, eum aulico officio functum. Nec certiora ſunt, quae alii tradunt, fuiſſe eum Obadiam illum, cuius *II. chron. XXXIV. 12.* mentio iniicitur, aut pentacontarchum illum, qui ab Achazia ad Eliam miſſus, duobus iam igne coeleſti abſumtis, ſimilem poenam pietate ſua effugit, deductoque ad regem propheta, ei demum comes adhaeſerit, quippe quod pſeudo-EPIPHANII atque DOROTHEI inane commentum eſt. Quemadmodum vero incertum eſt, quis Obadias ille fuerit, ita non minus dubium, quando vixerit. Id haud obſcure patet, eius aetate res Iudaeorum & Hieroſolymae imprimis adflictas fuiſſe, eam-

que adflictionem auxiſſe atque promouiſſe Idumaeos, quibus ideo ingentes calamitates praedicit. Hoc vero num ad tempora captiuitatis Babylonicae, an ad priora referendum ſit? non aeque liquet. Hinc & HERMANNVS WITSIVS nihil hac de re definire audet, quin potius aetatem prophetae huius ἄδηλον eſſe pronuntiat, *miſcellaneor. ſacror. part. I. lib. I. cap. XVIII. §. LIII. pag. 238.* Admodum tamen veroſimile ad priora eum referendum tempora, atque ſub Achazo vixiſſe, adeoque σύγχρονον fuiſſe Eſaiae, Hoſeae atque Amoſo. Quo enim tempore Rezin, Syriae, & Pekah, Iſraelis reges, de regno Iudae exſcindendo, & terra inter ſe partienda conſilium iniuerant, & Achazi exercitum fugauerant, *II. chron. XXVIII. 6. 17. Eſa. VII. 6.* Idumaei hoſtibus Iudaeorum ſe iunxerunt, omnemque occaſionem Iudaeos vexandi arripuerunt; vid. CAMPEGIVS VITRINGA, in *typo doctrinae prophet. cap. IV. §. XIII. pag. 37.* Suffragantur eidem ſententiae PETRVS DANIEL. HVETIVS, *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. pag. 428.* NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. aetat. mundi V. diſſert. X. artic. IV. pag. 201.*

*** Zephaniam, quem & alias Sophoniam vocant, tempore Ioſiae regis vixiſſe, & vaticinia ſua edidiſſe, dubio caret, cum ipſemet hoc *cap. I. 1.* indicet. Eſtque admodum veroſimile, eum ſub initium regni huius vixiſſe, antequam profanos & ſacrilegos idolorum cultus a Manaſſe inductos ſuſtuliſſet, (quod anno regni eius duodecimo factum, ex *II. chron. XXXIV. 3.* conſtar) eo quod Iudaeos propter iſtos acriter obiurgat, *cap. I. 4. 5.* Eos ipſos impios & profanos ritus haud obſcure indicat, qui *II. reg. XXIII. 4. 5. 6. 10.* a Ioſia ſublati dicuntur. A quibusdam vates hicce abnepos Ezechiae regis creditur, quia *cap. I. 1.* dicitur: *filius Cuſchi, filii Gedaliae, filii Amariae, filii Ezechiae.* Verſatur in ea ſententia R. ABEN ESRA, ad *h. l.* Nec temporum rationes repugnant. Sed certi quid hac de re adfirmare non licet, cum non conſtet, an, qui inter maiores eius numeratur, Ezechias, rex ille, an alius fuerit? Nihil enim obſtat, quo minus & aliis idem nomen haeſerit. Interim concatenata iſta maiorum ſeries indicare videtur, eum ex clara & illuſtri proſapia fuiſſe oriundum. Quod enim ebraei quidam doctores aiunt, omnes hosce Zephaniae maiores fuiſſe prophetas, eo quod non alii prophetarum parentes in ſacro codice nominentur, quam qui & ipſi prophetae fuerint, futile eſt.

* Ieremiam filium Hilkiae fuiſſe, conſtat. Num eius, qui legem Domini ſub Ioſia inuenit, *II. reg. XXII. 8.* incertum. Fuit praeterea de ſacerdotibus, qui erant in Anathoth, tribus ab vrbe Hieroſolyma milliaribus diſtante, in terra Beniamin, *Ierem. I. verſ. 1.* Ex qua familia ſacerdotali fuerit, itidem non liquet. Abiathar equidem agrum in Anathoth habuit, *I. reg. II. 26. Ioſ. XXI. 18.*

19.

19. Sed inde nihil colligere licet. Ab anno decimo tertio Ioſiae diutiſſime munere prophetico functus eſt, ante & ſub captiuitate Babylonica, incerto, VT FRIDERICVS SPANHEMIVS iudicat, termino vaticiniorum & vitae; *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. pag. 387.* Sunt tamen, qui eum per annos XL vaticinatum contendunt, XVIII ſub Ioſia, XI ſub Ioiakimo, & XI ſub Zedekia. Ita IOANNES LIGTFOOTVS, in *chron. temp. & ord. text. vet. teſtam. tom. I. opp. pag. 103.* cui, vt & aliis, inde enata occaſio, comparationem inter Ieremiam & Moſen inſtituendi, qui itidem per annos quadraginta populo Israelitico praefuit; conf. HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacr. part. I. libr. I. pag. 239.* Corruptiſſimis poſt Ioſiam temporibus, ſub Ioiakimo cumprimis & Zedekia, multa paſſus eſt Ieremias, quippe cui cum falſis prophetis,cum ſacerdotibus,cum populo, cum ipſis regibus erat colluctandum. Ingrata namque iis erant, quae denuntiabat, nec alia tamen, quam quae a Deo acceperat, illis denuntiare poterat. Poſſent omnia eius fata hic ordine enarrari, niſi ſupra ad §. *XXVII.* & *XXVIII.* quae de iis dici poſſunt, iam attigiſſemus. Poſt vrbis Hieroſolymae & templi deſtructionem congregati iterum ſunt, qui ex infima plebe ſupererant, quibus Nebucadnezar Gedaliam filium Ahikami praefecit. Iis & Ieremias, a Nebuſaradane vinculis ſolutus, & donis adfectus, cum Barucho acceſſit. Gedalia autem ab Ismaele interfecto, Ieremias cum reliquis Iudaeis a Iochanane filio Karealı in Aegyptum abductus, noua ibi vaticinia contra Iudaeos, Aegyptum, aliasque gentes edidit. Iis ergo cum itidem populares ſuos irritaſſet, lapidibus demum Taphnis oppreſſum, aiunt, eoque illud epiſtolae ad Ebraeos ἐλιθάσθησαν, *lapidibus caeſi ſunt, cap. XI. verſ. 37.* pertinere credunt. Addunt porro, Alexandrum cum Aegyptum ingrederetur, corpus Ieremiae ſecum deportaſſe Alexandriam, ibique ſepeliiſſe. Ita ELMACINVS, *hiſt. eccleſ. pag. 128.* & ABVLPHARAGIVS, *hiſtor. orient. dynaſt. III.* Sed haec partim incerta, partim vero abſimilia, & inter Arabum nugas referenda. Quibus non multum ſapientiores videntur, qui ex eo, quod obitus eius in ſcriptura expreſſus non eſt, eum ad hanc diem ſupereſſe in viuis autumant, & cum Elia ſupremis mundi temporibus adpariturum; quae quorundam veteris eccleſiae doctorum eſt ſententia; vid. PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. propoſit. IV. pag. 376.* De ſcriptis Ieremiae ſuo loco dicemus. An Pythagoras Ieremiam in Aegypto viderit, audieritque, in ſequentibus itidem diſceptabimus.

** Zadoki, quem primum in templo Salomoneo ſacerdotem ſummum fuiſſe conſtat, & de quo ad ſectionis praecedentis §. *XXII.* diximus, genus ad Seraiam vsque, qui vltimus fuit in eodem templo, *I. chron. VI. 8. ſeqq.* ſequentem in modum deducitur: Zadok, Achimaaz,

maaz, Azaria, Iochanan, Azariah, Amaria, Achitob, Zadok, Schallum, Hilkia, Azarias, Seraia. Simile ſummorum ſacerdotum ſtemma initio ab Aarone ſumto, *Eſrae VII. 1. ſeqq.* exhibetur, niſi quod inter ſacerdotes ſummos templi Salomonei quatuor primi ſimul cum Achitobo, Zadoki primi patre, praetermittuntur, quod breuitatis cauſſa factum, quidam Ebraeorum magiſtri cenſent. Longe aliam ſacerdotum ſummorum ſeriem ſub templo primo nobis tradunt doctores ebraei, ſpeciatim auctor *ſeder olam zuta*; ad quam licet propius accedat ſeries FLAVII IOSEPHI, quam ad ſucceſſionem, quae ex ſcriptura ſacra conſtat, non tamen cum ea vsque quaque conuenit. Quodſi autem vel maxime Iudaei iſti inter ſe conciliari poſſint, quod tentat IOANNES SELDENVS, de *ſucceſſ. in pontif. lib. I. cap. V.* quo pacto tamen cum ſcriptura ſacra in concordiam redigi queant, nulla adparet ratio. Idque eo magis, quod itidem ſupponant, filios patribus ſucceſſiſſe: qua ratione omnino ex *I. chron. VI. verſ. 8. ſeqq.* catalogus ſummorum pontificum conficiendus eſſet. Sed in hoc ipſo quoque loco, haud leue dubium occurrit, dum *verſ. 10.* dicitur: *Iochanan genuit Azariam: is ſacerdotio functus eſt in aede, quam Salomo Hieroſolymae exſtruxerat.* Primo namque non ſatis perſpicuum, num ad Iochananem, an ad filium eius Azariam, verba haec de ſacerdotio referenda ſint. Deinde, nec Iochananem, nec Azariam, ſed Zadokum Achitobi filium, primum in templo Salomoneo ſacerdotem ſummum fuiſſe conſtat, poſitumque eſt extra controuerſiam. Ad hocce diuerſimode reſponderi ſolet dubium. Praecipuum mihi hoc videtur, verbis: *is ſacerdotio functus eſt in aede &c.* non id ſignificari, quod, ſiue Iochanan, ſiue Azaria primus in templo Salomoneo fuerit ſummus ſacerdos, ſed hoc ſaltem, quod ſingulare quid ſiue memorabile ſub ipſius ſacerdotio contigerit. Quodſi ergo ad Iochanan verba haec referantur, eundem hunc cum Ioiada eſſe putant (namque vnius viri duo pluraue aliquando fuiſſe nomina, conſtat,) eumque ideo hic cum certo elogio commemorari, quod magna eius, tempore Athaliae & Ioaſi, fuerit auctoritas, *II. reg. XI. 4.* Sin vero ad Azariam verba haec referre placeat, eius ſignificari auctoritatem cenſent, qua regi Vziae adolere in altari cupienti reſtitit, *II chron. XXVI. 17. 18.* Atque in iſta tam diu adquieſcendum ſolutione, donec rectius quid excogitetur. Id certum eſt, primum, vti diximus, in templo Salomoneo ſacerdotem ſummum fuiſſe Zadokum, vltimum Seraiam, qui iuſſu Nebucadnezaris cum aliis viris principibus Iudaeorum interfectus eſt, *II. reg. XXV. 18. ſeqq.* Filius Seraiae fuit Iehoſedec, qui in captiuitatem abductus, ſacerdotio, quod iure ſucceſſionis ad illum pertinebat, fungi non potuit, *I. chron. VI. verſ. 15.* add. IOANNES SELDENVS, *loc. cit. pag. 125.*

*** To-

*** Tobias, qui in graeco libri, qui ab eo nomen habet, textu Τωβὶτ vocatur, *cap. I. verſ. 1.* ſecundum eundem rextum graecum ita deſcribitur, quod fuerit filius Tobielis, filii Ananielis, filii Aduelis, filii Gabaelis, ex ſemine Aſaelis, tribuque Nephtalim. Additur porro, eum temporibus Salmanaſſaris Aſſyriorum regis, captiuum fuiſſe abductum e Thisbe, *quae ſita eſt ad dexteram Nepthali proprie ſic dictae, in Galilaea ſuper Aſer, verſ. 2.* Verſio autem vulgata latina ita habet: *Tobias ex tribu & ciuitate Nephtali, quae eſt in ſuperioribus Galilaeae, ſupra Naaſon, poſt viam, quae ducit ad occidentem, in ſiniſtro habens ciuitatem Sephet.* Occurrunt autem varia quae totam hanc de Tobia narrationem ſuſpectam reddunt, vt non tam hiſtoria, quam fabula, non malo conſilio ad erudiendum pariter ac delectandum excogitata eſſe videatur. Etenim, vt alia taceam, Tobias ſenior, ſe cum familia & tota tribu ſua in diebus Salmanaſſaris in captiuitatem abductum ſignificat, cum tamen ex *II. reg. XV. 28.* conſtet, tribum Naphtali, ex qua ipſe ortum duxit, ante triginta retro annos a Tiglat-Pilaſſare in captiuitatem deportatam fuiſſe. Praeterea Tobias ille ſenior, cum annos natus eſſet CII, mortemque ſibi inſtare intelligeret, in oratione ad filium, fore ſignificat, vt templum Hieroſolymitanum, quod incenſum & combuſtum ſit, iterum aedificetur; *cap. XIV. 7.* Ita namque in verſione latina, quam ex chaldaico ſermone confecit HIERONYMVS, quamue Romanenſes ceu authenticam ſequuntur, diſerte legitur. Templum vero Hieroſolymitanum eo tempore, quo Tobias ille ſenior mortuus eſt, nondum incenſum aut combuſtum fuiſſe, ita demonſtrari poteſt: Tobias deportatus eſt in captiuitatem tempore Salmanaſſaris regis Aſſyriorum; Salmanaſſar autem Israelitas captiuos abduxit anno nono Hoſeae regis, *II. reg. XVII. 6.* hoc eſt, circa ſextum annum Ezechiae regis Iudae. A ſexto vero anno Ezechiae, vsque ad templi conflagrationem, anni interceſſerunt circiter CXXX. Iam ſi ponamus, Tobiam vix natum & in cunis adhuc vagientem deportatum fuiſſe, cum idem exactis CII annis mortuus ſit, triginta tamen fere annos mortem eius templi conflagrationem anteceſſiſſe oportet. Qui ergo de templo ceu iam incenſo, & iterum aedificando, loqui potuit? Forte prophetice? Sed hoc gratis dici, ſatis ſuperque oſtendit IOANNES RAINOLDVS, in *cenſura apocryphorum praelect. LXV. tom. I. pag. 726. ſeqq.* Si dicas, poſſe in quibusdam errare hiſtoricum, vt ideo ipſa hiſtoriae veritas non ſit in dubium vocanda; reſpondeo, errores tam craſſos, tamque manifeſtos, totam rem merito ſuſpectam reddere. Nec obſtat, quod in textu graeco Tobias ſenior annorum CLVIII fuiſſe dicatur, cum moreretur, & templi, non vt iam incenſi, ſed incendendi & deſtruendi, iniiciatur mentio. Praeter-

terquam enim quod Romanenſes verſionem latinam HIERONYMI graeco textui praeferunt, haec ipſa verſionum diſcrepantia narrationem iſtam eo magis ſuſpectam reddit. Confirmatur noſtra inde ſententia, quod tota narratio, quae in hoc libro exſtat, fabulam ſapiat. Qua de re nemo dubitauerit, qui cogitauerit, quae de Raphaele angelo, Tobiae iunioris comite, referuntur, & praecipuum libri huius momentum conficiunt. Tobiae quoque nomen, quod *bonum dominum* ſignificat, nomina item Raphaelis & Aſmodaei, quae in Iudaeorum de angelis bonis & malis fabulis haud ignota, ad ſcenam hanc inſtruendam ſatis adcommodata, vti etiam recte obſeruatum IO. ALBERTO FABRICIO, *prolegom. in Tobiam pag. 18.* Quod ſi vel maxime Tobias aliquis exſtitit, qui narrationi huic occaſionem dedit, pleraque tamen, quae in hocce libro occurrunt, ab auctore conficta eſſe, dubitari nequit, adeoque eum pro poetico magis, quam hiſtorico habendum eſſe, recte IO. RAINOLDVS pronuntiauit *loc. cit.* Denique nec illud praetermittendum, quod FL. IOSEPHVS nullam Tobiae huius mentionem faciat, qui tamen non temere quidquam, quod ad gentis ſuae decus facit, praetermittere ſolet. Equidem apud alios Iudaeos, ſpeciatim in libro *Iuchaſin*, mentio eius iniicitur, vnde, hiſtoriae eos admittere veritatem, etſi librum Tobiae in canonem librorum ſacrorum non recipiant, concludit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euangel. prop. IX. p. m. 306.* idque repetit LVD. EL. DV PIN, *diſſert. prelim. ſur la bible libr. I. cap. III. §. VIII. pag. 85.* Sed qui cogitauerit, nihil ſolemnius in hac gente eſſe, quam vt fabulas pro veris hiſtoriis habeant, iſtud illorum teſtimonium non magni ponderis eſſe, facile concedet. Cum autem liber Tobiae olim in chaldaica lingua exſtiterit, mirum non eſt, Iudaeos aliquam iſtius rei habere notitiam.

* De Iuditha diuerſae itidem, & a ſe diſcrepantes virorum doctorum exſtant ſententiae, aliis pro fabula, quidquid de ea narratur, habentibus, aliis, veram eſſe hiſtoriam, contendentibus. Qui poſteriorem ſententiam tuentur, de tempore iterum mirifice inter ſe diſſentiunt, praeſertim in eo, num ante, an poſt captiuitatem populi iudaici Babylonicam iſtud, quod de Iuditha narratur, contigerit. Poſterius qui defendunt, in eo equidem conueniunt, ſub Perſarum regum imperio Iuditham memorabile iſtud edidiſſe facinus, rurſus tamen, ſi, quis ille Perſarum monarcha fuerit, ſub quo iſtud contigerit, quaeratur, in partes ſcinduntur. Alii namque IVLIO Africano, & qui eum ſequitur, EVSEBIO Caeſareenſi ſubſcribentes, per Nabuchodonoſorem in libro Iudithae memoratum, Cambyſen, alii Darium Hyſtaſpidem, alii Xerxem, alii denique cum SVLPITIO SEVERO Artaxerxem Ochum intelligunt. Sed omnibus hiſce generatim recte opponitur, quod nomen Na-

Nabuchodonoſoris nulli regum Perſarum conueniat, quod nullus regum Perſarum in Niniue vrbe regni rerumque ſuarum ſedem habuerit, quod nullo idoneo hiſtoriarum monumento probari queat, vlli horum regum ducem fuiſſe, cui nomen Holophernes, qui tantae auctoritatis fuerit, quiue contra Iudaeos miſſus ſit; & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Speciatim ad Cambyſem quod attinet, quem plerique eorum, qui Iudithae facinus poſt captiuitatem Babylonicam contigiſſe putant, per Nabuchodonoſorem intelligunt, praeter rationes generales iam allatas & hoc obſtat, quod anno Nabuchodonoſoris decimo tertio, ſecundum verſionem vulgatam, vel ſecundum textum graecum, decimo octauo, Holophernes expeditionem iſtam ſuscepit, in qua manu Iudithae periit, cum tamen Cambyſes vltra nouem annos non regnaſſe perhibeatur. Recte id iam obſeruatum SVLPITIO SEVERO: *Plerique tamen* (Nabuchodonoſorem) *Cambyſen Cyri regis filium putant eſſe: quod victor Aegyptum atque Aethiopiam penetrauerit. Sed huic opinioni eadem hiſtoria ſacra repugnat. Nam duodecimo regis illius anno Iudith fuiſſe ſignatur. Porro Cambyſes non vltra nouem annos rerum potitus eſt*; *hiſtor. ſacr. libr. II. cap. XIV. pag. m. 200. 201.* Plura contra hanc ſententiam adferunt AVGVSTINVS TORNIELLVS, *annal. tom. II. pag. 302.* & IO. RAINOLDVS, in *cenſura libror. apocryphor, vet. teſt. praelect. LXV. ſeqq. pag. 728. ſeqq.* vbi ſpeciatim MICHAELEM MEDINAM, eius defenſorem, refellit. Ad Darium Hyſtaſpidem quod attinet, pro quo ARIAS MONTANVS, aliique militant, idem, quem iam laudauimus, IO. RAINOLDVS luculenter oſtendit, nec hunc intelligi poſſe. Summatim rationes, quas pluribus edisſerit, ita complectitur: *Quod de Cambyſe vobis demonſtraui, eum neque regnaſſe in Niniue, neque anno duodecimo & decimo tertio, miſiſſe Holofernem contra Iudaeos, neque contradixiſſe nuntiis eius Iudaeos & Samaritanos, neque exſtitiſſe tum temporis templum, neque incoluiſſe Iudaeos Samariam, aut paruiſſe Samaritanos Eliachimo, denique Ioachim non fuiſſe ſummum ſacerdotem, iſta omnia aeque firma ſunt in regno Darii Hiſtaſpis; loc. cit. praelect. LXIX. pag. 787.* Pro Xerxe praeter alios ſtat AVGVST. TORNIELLVS, in *annalib. tom. II. pag. 203. ſeqq.* Sed eaedem, quas generatim contra Perſarum reges attulimus, in nullum eorum quadrare, quae de Nabuchodonoſore in libro Iudithae dicuntur, ſpeciatim & contra Xerxem rationes militant. Ipſum Xerxem Niniue regnaſſe, tam aperte falſum eſt, vt impudentiſſimus foret, qui hoc adſerere vellet. Quod ſi per Nabuchodonoſorem dux aliquis Xerxis intelligatur, qui imperio Aſſyriaco praefuerit, & id narrationi libri Iudithae aperte repugnat, in quo Nabuchodonoſor non vt dux regis alterius, ſed vt rex, qui ipſemet rerum

 in

in ampliſſimo imperio potitus eſt, deſcribitur. Artaxerxem denique Ochum ſub Nabuchodonoſoris nomine latitare, auctor eſt SVLPITIVS SEVERVS, ſed rationibus tam leuibus nixus, vt non temere cuiquam hoc ſit perſuaſurus. *Vnde*, inquit, *ſi in hiſtoria opinari licet*, *ſub Ocho rege*, *qui poſt Artaxerxem ſecundum fuit*, *haec geſta crediderim*; *idque vel ex hoc coniicio*, *quod idem Ochus*, (*vt in ſecularibus quibusdam ſcriptis legi*) *natura immitis*, *cupidusque bellorum traditur. Nam & arma finitimis intulit*, *& Aegyptum*, *quae ante multos annos defecerat*, *bello recuperauit*; *loc. cit. pag. 201.* Sed haec nondum ſufficere, vt Nabuchodonoſorem Iudithae, Artaxerxem hunc fuiſſe, euincant, nemo non intelligit. Atque haec cum ita ſe habeant, a plurimis ex ipſis Romanenſibus haec ſententia, Iudithae facinus poſt captiuitatem Babylonicam contigiſſe, reiicitur, vt a ROBERTO BELLARMINO, de *verbo Dei*, *lib. I. c. XII.* & a BERNHARDO DE MONTFAVCON in libro peculiari, de *veritate hiſtoriae Iudithae*, gallicano idiomate ſcripto, editoque anno M DC XC *pag. 201. ſeqq.*

Interim, qui ante captiuitatem Babylonicam hoc contigiſſe putant, nec melius ipſi inter ſe conueniunt, nec felicius ex dubiis, quibus & haec ſententia premitur, ſe expediunt. Nonnulli namque Arphaxadum illum, in libro Iudithae memoratum, Phraortem Medorum regem, qui, poſtquam multas gentes imperio ſuo ſubiugaſſet, teſte HERODOTO, in proelio aduerſus Aſſyrios periit, eſſe ſtatuunt. Ita praeter IOANNEM MICRAELIVM, HIERONYMVM VECHIETTVM, aliosque, HERMANNVS CONRINGIVS, in *aduerſariis chronologicis*, a IOANNE GEORGIO GRAEVIO, in *ſyntagmate variar. diſſertation. rarior.* editis, *cap. IV. pag. 152. 153.* Ad Nabuchodonoſorem quod attinet, nonnulli ex iis, qui Phraortem pro Arphaxado habent, Nabuchodonoſoris illius magni, qui deſtructo templo Hieroſolymitano Iudaeos in captiuitatem abduxit, patrem intelligunt, ſimulque expeditionem Holofernis in Iudaeam ad tempora Ioſiae referunt. Alii vero non ad Ioſiae, ſed Manaſſis tempora eam referentes, per Arphaxadum, Deiocem, Medorum regem, CTESIAE ac HERODOTO memoratum, qui ante Phraortem rerum potitus eſt, intelligendum, Nabuchodonoſorem autem Merodac-Baladanem eſſe, exiſtimant; cuius ſententiae auctor ROBERTVS BELLARMINVS eſt, *lib. I. de verbo Dei*, *cap. XII.* quem & alii ſubinde ſequuntur. IACOBVS vero VSSERIVS Merodac-Baladanem per Nabuchodonoſorem intelligi poſſe, abnuens, quippe qui iam ante tempora Manaſſis mortuus ſit, nec Aſſaradini in vllo eius imperio ſucceſſor fuerit; Saosdochinum potius Aſſaradini, vel Aſſaraddonis, ſiue filium, ſiue generum, eiusdem certe in imperio Aſſyriaco ſucceſſorem, pro Nebuchodonoſore illo habendum conten-

ten-

tendit, in *annalib. ad annum mundi 3335.* BERNHARDVS denique DE MONTFAVCON, quem omnium recentiſſime pro veritate hiſtoriae Iudithae pugnaſſe antea diximus, & cuius paullo adcuratius conſideraſſe rationes, iuuabit, primo quidem illis ſubſcribit, qui per Arphaxadum, Phraortem Medorum regem, HERODOTO memoratum intelligunt. Miratur idem, neminem hactenus id animaduertiſſe, praeter IACOBVM ZIEGLERVM, quem IOANNES BENEDICTVS ſecutus ſit, doctor Pariſienſis. Sed praeter alios & HERMANNVM CONRINGIVM eandem fouiſſe ſententiam, iam antea nobis obſeruatum eſt. Et ſane, ſi alia non obſtarent, quo minus pro vera hiſtoria haec de Iuditha narratio haberi poſſet, haec ſententia alteri, quae Deiocem pro Arphaxado habet, citra controuerſiam eſſet praeferenda. Quae enim HERODOTVS de Phraorte narrat, haud male profecto in Arphaxadum illum quadrant, vt luculenter oſtendit HERMANNVS CONRINGIVS, *loc. cit.* Ad Nabuchodonoſorem quod attinet, ſupponit, Aſſaradinum Aſſyriae regem, PTOLOMAEO memoratum, eundem eſſe cum eo, quem ſcriptura Aſſarhaddonem vocat, qui & Babylonem imperio ſuo adiecerit, & Manaſſem Iudae regem Babylonem abduxerit, & hinc in illorum tandem concedit ſententiam, qui per Nabuchodonoſorem, Saosduchinum, Aſſaradini filium & ſucceſſorem intelligunt. Nemini autem mirum videri debere dicit, regem hunc vocari Nabuchodonoſorem; id enim aut ideo fieri, quod rex Aſſyrius ſubiugata Babylone, Babylonicum adſciuerit nomen, aut, quod auctori libri Iudith placuerit, hunc Iudaeorum perſecutorem, nomine deſignare perſecutoris Iudaeorum omnium maximi, praecipue cum non abludat iudaicae nationis conſuetudo, quae omnes orientis reges, quorum imperium experta fuit, vno nomine adpellare conſueuerit. Tandem temporum rationes hunc in modum colligit, vt mortem Phraortis contigiſſe, contendat, anno Manaſſis XXXVIII; obſidionem Bethuliae XXXIX, qui fuerit Iudithae L, initium regni Cyaxaris, ob interregnum poſt mortem Phraortis, anno Manaſſis XLIII, primam Niniues obſidionem XLV, Niniues deſolationem anno Ioſiae XXIV, mortem Iudithae anno Ioachimi V, vel VI.

Sed & huic viri doctiſſimi ſententiae aeque ac reliquis, quae Iudithae illud facinus ante captiuitatem Babylonicam collocant, dubia adhuc grauiſſima obſtant. Nihil dicam de nomine Nabuchodonoſoris; etſi rationes, quibus euincere vult, cur illud regi Aſſyrio datum ſit, coniecturae ſint incertae, leuiſſimaeque. In more etiam Ebraeis poſitum, reges, quorum imperium experti erant, vno communi nomine adpellare, certe exemplo Ahasueri & Pharaonis comprobari nequit. Nec illud nunc vrgebo, quod Iuditha ſecundum eius calculum, cum facinus illud perpetrauit, iam L annorum fuerit; quae aetas, an cum forma eius tantopere laudata conueniat, dubi,

dubitari poſſet. Mitto iſta, cum non neſciam, ea vtcunque defendi poſſe. Maioris momenti eſt, quod regnante Manaſſe hoc contigiſſe adſerit, cum tamen nec Manaſſis, nec vllius alius Iudae regis, in hacce narratione vlla fiat mentio. Reſpondet quidem MONTFAVCONIVS, Manaſſem poſt reditum ex captiuitate non tam rebus gerendis, quam agendae poenitentiae intentum fuiſſe, vt auctor ſit FLAVIVS IOSEPHVS. Forte & aliis vrbibus muniendis contra irruentis hoſtis pericula, occupatum fuiſſe, adeoque Bethuliam ſummi ſacerdotis curae reliquiſſe; Bethuliam inſuper non tribus Iudae, ſed Simeonis vrbem fuiſſe, quae proinde ſacerdotem quidem ſummum cum reliquis Iudaeis, non vero regem communem agnouerit, id quod ex *II. chron. XXX.* colligi poſſe exiſtimat. Sed hacce nondum difficultati huic remouendae ſufficiunt. Manaſſem enim poſt reditum ex captiuitate, poenitentiae agendae ita intentum fuiſſe, vt a rerum adminiſtratione ſe abſtineret, perperam & ſine vllo teſtimonio adſeritur. Neque FLAVIVS IOSEPHVS hoc dicit, qui *libr. X. antiquitat. iudaic. cap. III.* de Manaſſe agit. Immo potius eum, reſtitutis in veterem ſtatum religionis ritibus, ad munienda Hieroſolyma curam transtuliſſe, auctor eſt, quod profecto documento eſt rerum adminiſtrationem poſt reditum eius ex captiuitate neutiquam ab eo intermiſſam. Sed ab ipſo etiam MONTFAVCONIO hoc euertitur, dum ſecundo loco reſpondet, eum aliis vrbibus muniendis occupatum, Bethuliam ſummi ſacerdotis curae reliquiſſe; quamuis ipſa quoque haecce reſponſio mera coniectura eſt, non tantum fundamento deſtituta, ſed ne probabilis quidem. Cur enim ſummo ſacerdoti, & non potius vni ex belli ducibus, curam defendendae vrbis Bethuliae commiſiſſet? Nec, ex *II. chron. XXX.* id colligi poteſt, quod auctor inde probari cupit. Immo contrarium inde ſequitur. A rege enim, non a ſummo ſacerdote, mittebantur, qui reliquos decem tribuum Iſraelitas ad celebrandum Hieroſolymae paſcha, inuitare debebant, *verſ. 1.* iidemque litteras, non ſummi ſacerdotis, ſed regis & principum Iudae manu ſcriptas, ſecum ferebant, *verſ. 6.* Alterum, idque palmarium argumentum, quod illis, qui ante captiuitatem Babylonicam Iudithae facinus contigiſſe, putant, opponitur, hoc eſt, quod *cap. V. v. 18. 19.* templi deſtructi & populi ex captiuitate reuerſi mentio fiat. Qui nodus ROBERTO BELLARMINO tam inſolubilis viſus eſt, vt ſecandum eum duxerit, contendens, ab aliena manu hunc locum libro Iudithae inſertum. MONTFAVCONIO autem mitior via placuit. Verba enim iſta, *ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος*, non totalem templi deſtructionem per Nabuchodonoſorem factam, ſed eius ſaltem profanationem, qua temporibus Manaſſis, quibus in eo tanquam in *vulgari pauimento* obambularant, iſtudque impuri homines diripuerant, dehoneſtatum ſit, denotare,

Digitized by Google

tare, contendit. Etſi enim εἰς ἔδαφος καταβάλλειν apud PLVTARCHVM, & εἰς ἔδαφος καθελεῖν apud THVCYDIDEM, phraſin latinam *ſolo aequare* exprimat, an tamen hoc ſenſu, εἰς ἔδαφος γεγονέναι, vspiam reperiatur, dubitat. Accedere putat, quod Achior ita hoc in loco ſermonem inſtituat, vt ſaepius domum Dei εἰς ἔδαφος γεγονέναι, ex eo colligi queat, cum tamen poſt captiuitatem Babylonicam, quo tempore Iudithae facinus contigiſſe ſecus ſentientes credant, vnica ſolum vice templum Hieroſolymitanum penitus deſtructum, profanatum contra atque direptum ſit ſaepius. Sed nec hoc MONTFAVCONIVS praetermittit, quod *Iudith. IV. verſ. 3.* populus poſt reditum ex captiuitate Babylonica luſtraſſe altare & domum Dei dicatur, quod de reditu ex illa captiuitate, in quam a Nabuchodonoſore abductus eſt, capi nequeat: tum enim non luſtrandum, ſed nouum plane templum exſtruendum fuiſſe; & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Verum & haec quam leuia ſint, & ad nodum iſtum ſoluendum parum idonea, nemo non intelligit. Phraſin illam εἰς ἔδαφος γεγονέναι, ex analogia ſimilium, vt εἰς ἔδαφος καταβάλλειν, nihil aliud ſignificare poſſe, quam *ſolo aequare*, tamdiu certum manebit, donec MONTFAVCONIVS euidenter contrarium demonſtrauerit. Achiorem ita loqui, vt ſaepius domum Dei εἰς ἔδαφος γεγονέναι ſignificet, ego deprehendere non potui: immo clariſſima eius verba repugnant: *Vbi vero a via, quam illis praeſcripſerat, deflexerunt, multis bellis valde vehementer attriti ſunt, atque in alienam terram abducti, TVM etiam templum Dei ipſorum ſolo aequatum eſt, vrbesque eorum ab hoſpitibus occupatae.* Bellorum quidem multorum meminit, ſed vnius ſaltem templi deſtructionis. Quod & cum veritate rei adcurate conſentit. Sed nec illud quidquam ad rem facit, quod *Iudith. IV. 3.* Iſraelitae ex captiuitate reduces, luſtraſſe altare, & vaſa ſacra & templum, dicantur. Haud dubie enim de templi dedicatione hoc eſt intelligendum, quam eius noua exſtructio praeceſſerat. Conuentumque populi inſtitutum, idem auctor diſerte dicit; cuius non alia temere excogitari ratio poteſt, quam templi dedicatio, cultusque diuini ſollemnis reſtauratio. Accedit, quod *loc. cit. verſ. 2.* dicatur, Iudaeos ab Holoferne vehementer ſibi timuiſſe, & *propter Hieroſolymam templumque Dei ſui, fuiſſe perturbatos*, ne ſcilicet iterum ſolo, vt antea factum, aequaretur.

Cum ergo poſterior haec ſententia, quae Iudithae facinus ante captiuitatem Babylonicam editum ſtatuit, non minoribus difficultatibus prematur, quam prior illa, quae poſt captiuitatem Babylonicam illud collocat, conſultiſſimum fuerit, illis accedere, qui cum B. LVTHERO noſtro, res in libro Iudithae memoratas non hiſtoriam eſſe exiſtimant, ſed drama aliquod ſeu ποίημα ſacrum, a pio quodam homine effictum, qui docere hac ratione

one voluerit, quomodo Deus fideles ſuos Israelitas ſubinde adiuuare, & ex praeſentiſſimis periculis mirabiliter eripere ſoleat. Fauere etiam huic opinioni nomina in hocce libro occurrentia, iisdem obſeruatum eſt. Iudith enim notare *populum iudaicum*, Holophernem *ducem profanum*, Bethuliam *virginem*. Nec alienus ab hac ſententia eſt HVGO GROTIVS, in *praefat. ad lib. Iudith*, etſi nomina iſta paullo aliter explicet. Accedit etiam ſilentium FLAVII IOSEPHI, qui, ſi reuera aliquid eiusmodi contigiſſet, illud non fuiſſet praetermiſſurus. Quod quidem telum diuerſa ratione declinare adnituntur, qui ſecus ſentiunt; ſed operam eos, oleumque perdere, oſtendit vir clariſſimus IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, *proleg. in Iudith*, §. *VI. pag. 104. ſeqq.* Intercedit hic rurſus BERNHARDVS DE MONTFAVCON, & quo minus narratio haec pro fabula haberi queat, ſequentia obſtare, putat: quod temporis deſignatio & circumſtantiae quaedam, veram hanc eſſe hiſtoriam, ſuadeant; quod nihil parabolae ſimile in hac narratione occurrat, cum in parabolis anni principum atque regum, eorumque proelia & victoriae, tam ſollicite adnotari non ſoleant; quod in fine huius libri feſti iniiciatur mentio, quod in rei iſtius memoriam celebrauerint Ebraei, auctore quidem, ad ſua vsque tempora hunc morem viguiſſe, teſtante: quibus denique antiquitatis eccleſiaſticae conſenſum addit. Verum, primum argumentum praua nititur hypotheſi, ac ſi ſatis iam euictum ſit, Arphaxadum eſſe Phraortem, Nabuchodonoſorem Saosduchinum &c. Secus rem ſe habere, ex hactenus dictis conſtat. Incerti itaque argumentum poteſt, atque vel ex hoc ipſo, quod temporum rationes aliaeque circumſtantiae hiſtoricae ſibi non conſtent, recte colligi, res in libro Iudithae memoratas pro vera hiſtoria non eſſe habendas. Parabolarum praeterea non vna eſt ratio: immo narratio haec de Iuditha non tam parabola, quam drama aliquod ſacrum eſt, in qua nihil obſtat, quo minus ad veroſimilitudinis quandam ſpeciem ei conciliandam, anni quidam regum, & principum proelia & victoriae, commemorentur. Quod in rei iſtius memoriam feſtum aliquod apud Iudaeos inſtitutum dicitur, id falſitatem potius, quam veritatem iſtius narrationis euincit. Nullum enim feſti iſtius apud Iudaeos occurrit veſtigium. Videtur autem auctor libri Iudith, hiſtoriam Eſtherae prae oculis quodammodo habuiſſe, & eam in quibusdam imitari voluiſſe, & ad feſtum Purim, ob liberatos a truculentis Hamanis conſiliis Iudaeos, inſtitutum, alluſiſſe. Eccleſiaſticae denique antiquitatis conſenſus non magni in hac quaeſtione eſt ponderis; adeoque nec diutius eidem immorabimur.

§. XXX.

§. XXX.

Et per vates quidem iſtos, quos commemorauimus, conſeruata & propagata fuit vera religio Iſraelitica, quae ceteroquin per inualeſcentem idololatriam, & ſuperſtitionem, ſubinde valde obſcurabatur. Propagata per eosdem non modo, ſed amplius illuſtrata eſt doctrina de Meſſia, quae verae religionis caput, & velut ſummam conſtituit, adeo, vt non tantum de eius officio & aduentu certiſſime futuro multa praeclare ediſſererent, ſed & de natiuitate ex virgine, deque loco natiuitatis, paſſione etiam, morte, & reſurrectione talia praedicerent, quae ante hanc aetatem fidelibus veteris teſtamenti non ita nota erant.*

* Latiſſimus hic ſe nobis aperiret campus, veram iſtius temporis theologiam ex ſcriptis prophetarum exhibendi; ſed inſtituti rationem habentes, eundo per ſumma rerum capita, praecipua ſaltem, quae memoratu digna ſunt, ſummatim complectemur. Vtque ab ipſo praecurſore Chriſti incipiamus, Ioanne baptiſta, typum eius atque imaginem luculentiſſimam in Elia propheta conſpicimus. Idque inde extra dubium ponitur, quod ipſe Deus apud Malachiam *cap. IV. verſ. 5.* dicit: *ecce! ego mittam Eliam prophetam, priusquam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Enimuero eos, qui hoc de ipſo Elia intelligunt, eumque ante diem extremi iudicii adpariturum, ſibi aliisque perſuadere conantur, magnopere falli, ſupra iam ad §. *XII.* huius ſectionis obſeruauimus. De Ioanne baptiſta loqui prophetam, ipſe ſeruator noſter aperte nos condocet, *Matth. XVIII. v. 10. Marc. IX. 11.* Vnde & angelus, qui natiuitatem Ioannis baptiſtae patri eius Zachariae adnuntiauit, de eo dixit: *ipſe illum* (Meſſiam) *praecedet, in ſpiritu & virtute Eliae*; *Luc. I. v. 17.* Eliam vero non tantum typum Ioannis, ſed ipſius etiam Chriſti fuiſſe, inſtituta comparatione oſtendit IOANNES HENRICVS MAIVS, in *oeconomia tempor. veter. teſtam. cap. XLVII. §. VII. pag. 862. ſeqq.* De Ioanne autem baptiſta, luculentum etiam exſtat vaticinium Eſaiae, *cap. XL. v. 3. ſeqq. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri, omnis vallis exaltabitur, &c.* Haec enim verba de Ioanne baptiſta intelligenda eſſe, & res ipſa docet, & ſcriptores noui teſtamenti teſtantur, Matthaeus *cap. III.* 3. Marcus, *I.* 3. Lucas, *III. 4.* Ioannes, *I. 23.*

Iam ad ipſum Meſſiam quod attinet, de eius natiuitate paſſim prophetae huius temporis loquuntur, vt Eſaias *cap. VII. 14. IX. 6. XI. 1.* Michaeas *cap. VI. 1. &c.* Speciatim vero Eſaias vates, ingenti miraculo ex virgine eum naſciturum, nos condocet: *Propter hoc dabit Dominus ipſe*

 vobis

Digitized by Google

vobis ſignum: ecce! virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel; *cap. VII. 14.* Vbi quidem per העלמה virginem illibatam ſeu puellam, quae nunquam virum experta eſt, intelligi, ex perpetuo huius vocis in ſcriptura ſacra vſu patet. Nec obſtat locus *Prouerb. XXX. 19.* cum ibi ſermo ſit de inſidiis, quas vir virgini ſtruit, vt eius compos fiat. Suffragatur deriuatio vocis a verbo עלם, qua indicatur puella in aedibus paternis ſe continens, domique adeo ſub oculis parentum latens & velut abſcondita. Ea enim ratione virgines educare & cuſtodire, veteribus, orientis praeſertim populis, in more poſitum erat; quem morem praeter HVGONEM GROTIVM, ad *Matth. I. 23.* pluribus illuſtrat IS. CASAVBONVS, *exercit. I. aduerſ. Baron. pag. 106.107.* Tantum praeterea tamque excellens hic deſcribitur ſignum, quod cum quouis, ſeu in coelo, ſeu in terra, comparari queat. Quid vero eximii fuiſſet, ſi iuuencula ex viro concepiſſet, peperiſſetque filium? Nonne quotidie hoc contigit? Nec eſt, quod quemquam moueat, ſignum hoc liberationem ab hoſtibus, a quibus Achazus ſibi metuebat, non praeceſſiſſe, ſed poſt multa demum ſecula ſecutum eſſe. Non enim ſignum, quod vocant προγνωστικόν, ſed confirmatiuum intelligitur, quod rem ſignatam inſequi poteſt. Nimirum ſigno hocce fidem de Meſſia in animis piorum excitare atque confirmare voluit propheta, ſimulque indicare, cum ſuo tempore Meſſias ex populo iudaico naſciturus eſſet, & quidem ex partu virgineo planeque miraculoſo, fieri non poſſe, vt a Syris & Iſraelitis populus iudaicus penitus exſcindatur, nullamque adeo eos tantopere ſibi metuendi habere cauſſam. Mitto reliqua, quae de illuſtri hocce oraculo diſputari ſolent, cum ea a viris doctiſſimis, PETRO DANIELE HVETIO, *loc. cit.* & CAMPEGIO VITRINGA, ad *Eſa. VII. 14.* iam luculenter ſint expoſita. Vt vero ex hoc ipſo loco conſtat, Meſſiam verum fore hominem, ita & aliis idem confirmatur teſtimoniis, iis maxime, in quibus eum de ſemine Ieſſe & Dauidis fore dicitur, vt *Eſa. XI. 1. ſeqq. Ierem. XXIII. 5. 6. XXXIII. 15. ſeqq.* Sed & verum Deum Meſſiam fore, prophetae huius temporis aperte ſatis inſinuant. Eſaias enim iterum de natiuitate eius verba faciens, eum diſerte vocat אל גבור *Deum fortem*, *cap. IX. 6.* Qui enim aut de Hiskia, aut alio quodam rege, qui merus homo fuit, ſermonem ibi eſſe putant, nihil aliud agunt, quam vt ſe ipſos traducant turpiter. Conſentit & Ieremias vates: *in diebus eius* (germinis iuſti Dauidi excitandi) *ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit ſecure, & hoc erit nomen eius, quo adpellabitur:* יהוה צדקנו *Dominus iuſtitia noſtra.* Res ipſa namque & verborum ordo ac nexus docent, adpellationem hanc: *Dominus iuſtitia noſtra*, non poſſe ad alium referri, quam ad germen illud iuſtum, quod Deus excitaturus erat Dauidi, hoc eſt, ad Meſſiam. Atque is quidem

quidem cum diſerte יהוה hic vocetur, quod nomen vero Deo proprium eſſe, omnes fatentur, non poterat vtique luculentius quid de diuinitate Meſſiae dici. Legenda erudita diſſertatio STEPHANI LE MOYNE ad locum *Ierem. XXIII, 6.* de *Iehouah iuſtitia noſtra*, Dordraci M DCC edita. Conſentit & Michaeas vates. De Bethlehemo enim patria Meſſiae dum verba facit, de ipſo quidem Meſſia ita loquitur: ומוצאתיו מקדם מימי עולם *& egreſſiones eius olim a diebus ſeculi.* Hoc enim cum de natiuitate Meſſiae, qua humanam naturam, capi nequeat, quam in tempore factam nemo negauerit, nihil aliud supereſt, quam vt concludamus, aliam adhuc eius natiuitatem eſſe, qua ceu filius Dei ab omni aeternitate a patre eſt genitus. Friuolum eſt, quod PHILIPPVS A LIMBORCH in medium adfert, Iudaeis ac Socinianis ſine neceſſitate palmam porrigens, per iſtam loquendi rationem *antiquitatem familiae* deſignati, *in amica collat. cum erudito Iudaeo, de verit. chriſt. relig. pag. 224.* Satis enim notum eſt, *egreſſus* ſtilo ſcripturae non proſapiam, ſed natiuitatem; & verba, *ab olim*, *a diebus ſeculi*, non antiquitatem, ſed ipſam aeternitatem ſignificare. Ex hoc autem Michaeae loco etiam conſtat, patriam Meſſiae, ſeu locum natiuitatis, qua humanam naturam, fore Bethlehemum. Verba eius aperta ſunt: *Et tu Bethlehem Ephrata* צעיר להיות באלפי יהודה *parum eſt, vt ſis in millibus Iehudae ex te mihi prodibit, qui ſit dominator in Iſrael, &c.* Vbi quidem vocem צעיר aduerbialiter, prout vertimus, accipiendam exiſtimo, cum hac ratione pugna omnis, inter haecce verba prophetae, & prout *Matth. II. 6.* allegantur, euaneſcat. Ad rem ipſam enim quod attinet, Ieſum ceu verum Meſſiam Bethlehemi natum, nemo, apud quem ſcriptorum noui teſtamenti vlla auctoritas, dubitauerit. IOANNIS BODINI autem ratiunculas, quibus hoc in dubium vocare auſus eſt, *de abd. rer. ſublim. arcanis lib. V.* exploſit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel, prop. IX. cap. X. pag. 701. ſeqq.*

Non minus luculenta ſunt, quae de triplici Meſſiae officio, regio, prophetico & ſacerdotali, prophetae in hocce temporis interuallo vaticinati ſunt. Et ad regium quidem quod attinet, id Eſaias vates innuit, quando, *puer*, inquit, *natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, &c.* & iterum: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia, a modo & vsque in ſempiternum, &c. cap. IX. 6. 7.* conf. & *cap. XI. 4.* ad *10. XXXII. 1. XL. 10. XLIX. 7. ſeqq. LII. 7.* Concinit & Ieremias: *ecce! dies venient, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauidi germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra, &c.* conf. &. *cap. XXX. 8. 9. 21. XXXIII. 17. ſeqq.* Sic &

Digitized by Google

& Michaeas: *& regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, &c. cap. IV. 7.* & *cap. V. 2.* de Bethlehemo dicit: *ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, &c.* Ad propheticum Meſſiae munus cumprimis iſtud pertinet, quod ipſemet doctoris munere functurus ſit, & alios, qui eodem fungantur, miſſurus. Atque hac de re luculenta iterum prophetarum huius aetatis exſtant teſtimonia. *Ibunt populi multi*, inquit Eſaias, *& dicent, venite & adſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & DOCEBIT nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex,* & *verbum Domini de Ieruſalem; cap. II. 3.* Quae totidem fere verbis repetit Michaeas, *cap. IV. 2.* Rurſus apud Eſaiam ipſe Meſſias, *Dominus*, inquit, *dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, &c. cap. L. 4. Ecce! teſtem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus; c. XLII. verſ. 6.* Immo hunc in finem ſe a patre vnctum eſſe, vti prophetae in veteri teſtamento aliquando vngebantur, iterum ipſemet Meſſias teſtatur: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad adnuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & praedicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem & praedicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer omnes lugentes; cap. LXI. 1. 2.* Conſentit & Ioel: *filii Sion exſultate, & laetamini in Domino Deo veſtro, qui dedit vobis doctorem iuſtitiae.* Alii equidem vertunt: *doctores iuſtitiae*, quemadmodum & B. LVTHERVS noſter; quod cum de doctoribus noui teſtamenti a Chriſto conſtitutis intelligendum ſit, itidem ad munus eius propheticum pertinebit. Rectius autem in ſingulari numero de vno doctore, κατ' ἐξοχὴν tali, verba prophetae capi, alii dudum oſtenderunt. Quod vero Meſſias & alios miſſurus ſit, qui doctorum officio ſint functuri, ſalutaremque omnibus adnuntiaturi doctrinam, tum reliqui prophetae hinc inde, tum maxime Ieremias teſtatur: *& dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos ſcientia ac doctrina; cap. III. verſ. 15.* De noui enim teſtamenti tempore haec intelligenda eſſe, quae ſequuntur, neminem dubitare ſinunt: *tum fiet, cum multiplicaueritis vos, & fructum feceritis in terra, in diebus iſtis, ait Dominus, non dicetis amplius, arca fœderis Iehouae, neque adſcendet ſuper eos, &c.* Quod vero & miraculis doctrinam ſuam confirmaturus, languoresque varios ſanaturus eſſet Meſſias, ſpeciatim quod caecis reſtituturus eſſet viſum, ſurdorum aures aperturus, mutorum ſoluturus linguam, Eſaias itidem vates nos condocet. *Deus ipſe*, inquit, *veniet, & ſaluabit vos; tunc aperientur oculi caecorum, & auris ſurdorum patebit, tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum; cap. XXXV. 5. 6.* Sic &, quod *cap. LIII. verſ. 4.* dicitur: *vere languores*

res noſtros ipſe tulit, *& dolores noſtros ipſe portauit*, de morbis a Chriſto ſanatis ipſe interpretatur Matthaeus, *VIII. 16. 17.* liberationem a morbis ſpiritualibus, hoc eſt, peccatis, & eorum poena, minime excludens.

Nimirum, vt ad ſacerdotale, officium Meſſiae nunc accedamus, quod per ſacerdotium veteris teſtamenti adumbratum fuit, illud in eo conſiſtebat, quod ipſemet ſuo ſanguine, ſuaque morte, hominum expiaturus eſſet crimina. Idque quemadmodum Ieſus Nazarenus verus Meſſias fecit, ita haec eum facturum, apertiſſime & ſine vllo inuolucro praedixit Eſaias: *profecto infirmitates noſtras ipſe tulit*, *& dolores ipſe noſtros baiulauit*, *& nos reputauimus illum plaga adfectum*, *percuſſum a Deo & adflictum*; *& vulneratus eſt*, *propter praeuaricationes noſtras*; *caſtigatio pacis noſtrae ſuper ipſo*, *& in liuore eius ſanati ſumus*; *cap. LIII. verſ. 4. 5.* Quae quidem prophetae verba de alio, quam de Meſſia, capi non poſſe, & res ipſa docet, & luculentiſſimis haud difficulter oſtendi poteſt rationibus. Eum non de pluribus, vel de populo iudaico, ſed de certo quodam homine loqui, qui a populo ſemper & exſerte diſtinguitur, ex toto contextu, praecipue ex *verſ. 8.* liquet. Inter omnes vero homines nec illius, nec aliorum temporum quiſquam reperitur, in quem enunciata in hocce oraculo quadrent, niſi ſolus Meſſias. Quod adeo manifeſtum eſt, vt veteres Iudaei, chaldaeus paraphraſtes, doctores talmudici, aliique conceſſerint, de Meſſia hic ſermonem eſſe. Loca illorum praeter alios adferunt IOANNES HORNBECKIVS, *libr. VI. contra Iudaeos*, *cap. I.* & THEODOR. HACKSPANIVS, *part. II. notar. pag. 666.* Accedit reliquorum Iudaeorum titubatio atque diſſenſus, dum inter ſe prorſus non conueniunt, de quonam haecce verba interpretari debeant. Nonnulli namque de Moſe hic agi cenſent, de Abrahamo alii, alii de Ioſua, & rurſus alii de Ieremia, quam ſententiam, etſi longe ineptiſſimam, quod mireris, defendendam tamen ſibi ſumſit HVGO GROTIVS, ad *h. l.* Plerique de populo iudaico, inter gentes varie vexato, capiunt, vt R. SAL. IARCHI, R. DAV. KIMCHI, ad *h. l.* & auctor libri *Coſri*, *pag. 110.* aliique. Sed, & hanc locum non inuenire ſententiam, antea iam oſtendimus. Apud chriſtianos, de Meſſia prophetam loqui, vel hoc nomine extra controuerſiam poſitum eſſe debet, quod ſcriptores noui teſtamenti diſerte id teſtantur; conf. *Matth. VIII. verſ. 17. actor. VIII. verſ. 32. I. Petr. II. verſ. 24.* De Meſſia itaque dicitur, quod *infirmitates noſtras ipſe tulerit*, *& dolores noſtros ipſe baiulauerit.* Hoc Matthaeus equidem, vt antea diximus, de morborum ac infirmitatum, quibuscum mortalibus conflictandum eſt, ablatione, ſeu aegrotorum ſanatione, accipit; ſed vt non excludat, quod verba praecipue ſignificant, Meſſiam omnia ea,

quae in nobis rationem poenae habent, quorſum & morbi corporis ſpectant, ita in ſe ſuſcepiſſe, vt ea ipſemet *ferret*, ſeu *portaret*, adeoque dolores inde orientes reuera ſentiret, & hac ratione ea, quae nos ſentire debebamus, a nobis *aufferret*, quemadmodum & morbos corporis ab iis, quos ſanauit, abſtulit. Atque hunc verborum prophetae ſenſum eſſe, non tantum inde liquet, quod *noſtros* tuliſſe morbos, *noſtras* portaſſe infirmitates dicatur, ſed ſequentia etiam luculenter id euincunt. Cum enim dixiſſet, *& nos reputauimus eum plaga adfectum, percuſſum a Deo, & adflictum*; hoc eſt, putauimus, errore ducti, ac ſi non propter noſtra, ſed ipſius peccata, haec ei obtigiſſent, addit: *& ipſe vulneratus eſt*, מפשעינו *propter praeuaricationes noſtras, attritus* מעונתינו *propter ſcelera noſtra.* Vbi quidem particula מ recte per *propter* vertitur, qua ſignificatione & alias gaudet, vt *Deut. VII. 8. pſalm. XII. 6.* & alibi. Ex reliquis enim, quas habet, ſignificationibus, nulla huic loco conuenit; vid. SALOM. GLASSIVS, *grammat. ſacr. libr. IV. tract. I. pag. m. 856.* Sic & eam vertunt LXX interpretes: *αὐτὸς δὲ ἐτραυματίσθη διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν*· & HIERONYMVS: *ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Vtque omne dubium eximatur, propheta porro addit: מוסר שלומנו עליו *caſtigatio pacis noſtrae ſuper illum*; h. e. caſtigationem ſeu poenam, qua nobis pax adquiſita eſt, ipſe ſubiit, *& liuore eius ſanati ſumus*, hoc eſt, per eius vulnera ſanitas nobis obtigit. Verbis itaque luculentiſſimis diuinus vates docet, Meſſiam noſtra in ſe ſuſcepturum peccata, eaque paſſione ſua & morte expiaturum; id quod officii, quo functurus erat, ſacerdotalis poſtulabat ratio. Reliqua, quae ad paſſionem, mortem, ſepulturam, & reſurrectionem Meſiae pertinent, idem vates in ſequentibus tam luculenter deſcribit, vt non futura praedicere, ſed praeterita enarrare videatur. *Exigitur*, inquit, *verſ.* 7. (poena) *& ipſe adfligitur, neque aperit os ſuum; vt parua pecus ad mactationem ducitur, & velut ouis coram tonſoribus ſuis obmuteſcens, neque aperit os ſuum.* Tum de reſurrectione pergit: *a coarctatione & a iudicio tollitur, at generationem eius quis enarraturus eſt? &c.* conf. & *verſ. 10. 11.* Ad ſepulturam autem pariter accertas mortis circumſtantias ſequentia pertinent: *& ſtatuet*, (ſcil. populus, aut potius hoſtes eius, vt verbum imperſonaliter capiatur) *impios* (milites, ceu homines profanos) *ſepulcro eius* (ſeu ad ſepulcrum eius, eſt enim ellipſis particulae ב aut ſimilis) *& diuitem* (hoc eſt, homines iniquos, quales plerique diuitum ſunt) *in mortibus eius*, (hoc eſt, cum hominibus iniquis, & inter latrones eum interficient) *eo quod non fecit violentiam, neque* (eſt) *dolus in ore eius &c.* De paſſione quoque Meſiae, ſimulque de humani

ni generis, quae inde fluit, redemtione apertiſsime idem vates loquitur, *cap. LXIII. verſ. 1. & ſeqq. Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Bosra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuae. Ego* (ita reſpondet Meſſias) *qui loquor iuſtitiam & propugnator ſum ad ſaluandum. Quare ergo* (ita eccleſia quaerere pergit) *rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus,* (ita reſpondet iterum Meſſias) *& de gentibus non eſt vir mecum &c.*

Inter reliquos huius aetatis prophetas Hoſeas & de reſurrectione Chriſti, & de redemtione, quae per eum nobis obtigit, egregie verba facit. Et de reſurrectione quidem *cap. VI. 2. Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuscitabit nos, & viuemus in conſpectu eius;* de redemtione autem hominum *cap. XIII. v. 14. Ero mors tua, o mors! morſus tuus ero, inferne &c.* Quae quidem oracula de alio, quam de Meſſia, capi non poſſe, ſolide oſtendit ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *haec loca.* De effuſione ſpiritus ſancti, qua apoſtoli ceu legati Meſſiae, ad munus ſuum rite obeundum, ſolemni velut ratione initiati ſunt, notiſſimum eſt illud Ioelis vaticinium: *et erit poſt haec, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem &c. cap. II. 28.* De gentium autem vocatione, per apoſtolos facta, paſſim Eſaias vates loquitur: *ecce! teſtem populis dedi eum,* inquit Deus, *ducem ac praeceptorem gentibus; ecce! gentem, quam neſciebas, vocabis, & gentes, quae te non cognouerunt, ad te current, &c. cap. LV. 4. 5.* Item *cap. LX. verſ. 3. ſeqq. et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui, &c.* conf. & *Eſa. II. 2. 3. XI. 9. 10. XIX. 18. ſeqq. XXV. 6. ſeqq. XXVII. 13. XXXV. 1. ſeqq. LII. 10. ſeqq. LIV. 1. ſeqq. LIX. 19. LXII. 2. 11. 12. Ierem. III. 17. XVI. 19. ſeqq. Amos IX. 11. 12. Mich. IV. 1. ſeqq.* Fore denique, vt veteri federe abrogato, nouum ſanciretur, prae reliquis Ieremias teſtatur: *Ecce! dies venient, dicit Dominus, & feriam cum domo Iſrael & cum domo Iudae fedus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, &c.* Plura non addo, cum haec ad ſummam quandam doctrinae ſacrae, prout ea aetate a prophetis propoſita fuit, exhibendam ſufficiant.

§. XXXI.

Cultus externi a Salomone, templo aedificato, ſplendidiſſime inſtructi, diuerſa fuit ratio. Mox enim intermiſſus, mox reſtitutus fuit, prout reges Iudae, aut Deum verum, aut idola colebant. Hinc templum ipſum mox collapſum, mox reſtauratum, ſubinde ſpoliatum, per idola, aut res idolis ſacras profanatum, clauſum et-

etiam aliquando, & tandem deſtructum penitus. * Arca federis loco ſuo aliquando mota, hinc reſtituenda, poſt templi deuaſtationem prorſus amiſſa. ** Interim haud raro in externo cultu, ipſoque templo, omnem fiduciam collocantes Iudaei, de vita moribusque emendandis parum erant ſolliciti, ſeueriſſime ideo a vatibus obiurgandi. *** Vſias autem rex, ſacerdotum munus audacter ſibi vindicando, temeritatis ſuae poenas dedit grauiſſimas. *

* Conſtat hoc abunde ex iis, quae ſupra de ſingulis Iudae regibus diximus. Fuerunt inter eos pii & impii. Per hos cultus Numinis profanatus, & ſacra contaminata, adeo vt in ipſo templo idola colerent, altaria iis exſtruerent, conſtituerent lucos, quod a Manaſſe factum ſupra §. *XXV.* & *XXVI.* obſeruauimus. Clauſum etiam aliquando templum, cultumque adeo Numinis plane intermiſſum fuiſſe, itidem ſupra ad §. *XXIV.* ex inſtituto docuimus. Ad pios reges quod attinet, nonnulli quidem verum Deum coluerunt, feceruntque, quae non diſplicebant Deo, nec tamen eo vsque progreſſi ſunt, vt abrogata idololatria, amotisque excelſis, veri Numinis cultum reſtaurarent, vt Aſa, Ioas, Amazia, & alii. Hoc vero qui fecerunt, tres ſaltem commemorantur, aeterna ideo laude dignisſimi, Ioſaphatus, Ezechias, atque Ioſias. De Ioſaphato ſupra dictum §. *VIII.* & *XI.* de Ezechia, §. *XXIV.* de Ioſia, §. *XXVI.* Hi in tollenda idololatria, templo repurgando, verique Numinis cultu reſtituendo, omne collocarunt ſtudium. Feſta quoque a Deo conſtituta ſecundum Moſaicae legis praeſcriptum celebrari voluerunt, ſpeciatim paſchatos, quod ſolemni quadam ratione ſub Ezechia atque Ioſia factum, vt itidem ſupra §. *XXIV.* & *XXVI.* copioſius expoſuimus. Huc & ſolemnis illa federis renouatio ſub Ioſia pertinet, de qua itidem *l. c.* dictum. Synagogas in hocce temporis interuallo fuiſſe, non legimus. Sunt equidem nonnulli, qui certis temporibus conuentus apud prophetas inſtitutos putant, in quibus prophetae alios diuinarum rerum notitia imbuerint. Idque inde colligunt, quod maritus mulieris Sunamitidis, cuius filium a mortuis reſuſcitauit Eliſaeus, ad mulierem, cum ad prophetam abitura eſſet, dixit: *Quare tu itura es ad ipſum hodie; cum nec nouilunium ſit, nec ſabbathum? II. reg. IV. verſ. 23.* Verum ex hisce verbis conuentus eiusmodi ſacros in ſcholis prophetarum probari non poſſe, ſupra iam ad §. *XIV. huius ſectionis* nobis obſeruatum eſt.

** Quo pacto arca federis de loco ſuo amota, per Ioſiam vero in eundem, hoc eſt, ſanctum ſanctorum, reſtituta ſit, ſupra ad §. *XXVI.* ex inſtituto expoſuimus. Nunc paucis

cis ſaltem celebris expedienda eſt quaeſtio, quorſum in templi deuaſtatione peruenerit, aut quid cum illa actum ſit? Diuerſae enim admodum virorum doctorum hac de re ſunt ſententiae. Nonnulli namque eam cum tabulis legis & reliquis, quae continebat, a Ieremia propheta in ſpelunca quadam montis Horebi abſconditam, contendunt; teſtimonio auctoris *lib. II. Maccab. cap. II. verſ. 4. ſeqq.* freti. Quemadmodum autem idem auctor refert, arcam iſtam aliquando reſtituendam eſſe, ita non deſunt, qui & hoc ſibi perſuaderi paſſi ſunt, in eo iterum diſſentientes, num poſt reditum populi iudaici ex captiuitate Babylonica hoc factum ſit, an vero in fine mundi demum haec reſtitutio ſit exſpectanda. Prius AVGVSTINVS TORNIELLVS adſerit, *annal. tom. II. ad annum mundi 3610.* poſterius praeter pſeudo-EPIPHANIVM, & pſeudo-DOROTHEVM, THEOPHYLACTVS, in *epiſt. ad Ebr. cap. V.* eidemque ſententiae SIXTVS SENENSIS, *bibliothec. ſanct. lib. VIII. pag. 854.* aliique ex Romanenſibus, adſtipulantur. Ebraeorum magiſtri, ſi de hacce quaeſtione ſententiam dicere iubeantur, in diuerſas abeunt partes, nec certi quid, vbi pedem figant, inueniunt. Talmudici quidam doctores, laudati IO. BVXTORFIO, in *exercitat. de decalogo, theſi XLI., & L.* arcam federis cum aliis vaſis ſacris, Babelem deductam autumant. Alii autem, quos ſupra iam ad §. *XXVI.* indicauimus, eam a Ioſia rege in loco quodam, ab ipſo Salomone ad hoc praeparato, abſconditam eſſe, contendunt. Singularis autem eſt ſententia R. ASARIAE, in *Meor Enaiim part. III. cap. LI.* apud IO. BENEDICTVM CARPZOVIVM, in *diſſertat. quonam arca peruenerit, cap. I. §. X.* arbitrantis, arcam primis annis adhuc in templo ſecundo fuiſſe, & a Graecis forſitan abductam aliquando, quod ob varia bella facile fieri potuerit. Quod hominis Iudaei commentum quorſum tendat, nemini obſcurum eſſe poteſt. Ita enim aliquid ſibi inueniſſe viſus eſt, quod reſponderet ad locum, *Hagg. II. verſ. 10.* vbi gloria domus poſterioris maior, quam prioris, dicitur, quem chriſtiani Iudaeis nunquam non opponere ſolent. Suffragantes tamen, quod ad reſtitutionem attinet, etiam ſibi habet alios, ex ipſis chriſtianis, quorum nonnulli eo vsque progrediuntur, vt ſemper in templo ſecundo arcam iſtam fuiſſe, adſerant, donec templum iſtud a Tito deſtrueretur, adduntque, a Romano iſto imperatore inter ſpolia arcam federis in triumpho deductam fuiſſe. Id AVGVSTINVS TORNIELLVS lectoribus ſuis perſuaſum cupit, *l. c.* ad *annum mundi 388.* Immo CHRISTIANVS ADRICHOMIVS eam adhuc hodie Romae in templo Lateranenſi, auro tamen denudatam, conſpici, auctor eſt, in *theatro terrae ſanctae, in deſcript. Ieruſ. cap. LXXVII.* Verum, vt in hiſce rite diiudicandis ab vltima ſententia initium faciamus, eam admitti non poſſe, vel inde patet, quod ipſimet doctores ebraei ma-

magno conſenſu tradant, arcam federis in templo ſecundo non fuiſſe. Talmudici doctores inter quinque iſtas res, quas in templo ſecundo defuiſſe adſerunt, arcam federis primo loco collocant, in *maſſecheth ioma, gemar. cap. I.* Verba illorum exhibet IO. BENED. CARPZOVIVS, *diſſert. cit. cap. II.* §. *IX.* vbi & aliorum, tum Ebraeorum, tum chriſtianorum hac in re ſuffragia magno numero adducit, quemadmodum & *cap. I.* §. *XI.* ſententiam illorum, qui arcam federis a Tito imperatore in triumpho ductam autumant, ſolide confutauit. Et ſane vel vnicus hic nobis ſufficere poteſt FLAV. IOSEPHVS, cui in rebus, quae illi notiſſimae fuerunt, non temere deneganda fides. Hic vero non tantum inter ea, quae a Tito in triumphum ducta ſunt, quaeue *lib. VII. de bello iud. cap. XXIV.* adcurate commemorat, arcae nullam mentionem facit, ſed *lib. IV. eiusdem operis, cap. VI. pag. m. 918.* in templo ſecundo, in ſancto ſanctorum nihil fuiſſe, diſerte teſtatur. Τὸ δ' ἐνδοτάτω μέρος, inquit, εἴκοσι μὲν ἦν πηχῶν· διείργετο δ' ὁμοίως καταπετάσματι πρὸς τὸ ἔξωθεν· ἔκειτο δ' οὐδὲν ὅλως ἐν αὐτῷ, ἄβατον δὲ καὶ ἄχραντον καὶ ἀθέατον ἦν πᾶσιν· ἁγίου δὲ ἅγιον ἐκαλεῖτο· *Intima vero templi pars viginti cubitorum erat: diſcernebatur autem ſimiliter velo ab exteriore, NIHILQVE PRORSVS IN EA ERAT POSITVM; inacceſſa vero & inuiolata & inuiſibilis omnibus habebatur, ſanctique ſanctum vocabatur.* Quod vero R. ASARIAS dicit, arcam federis in templum ſecundum equidem illatam, ſed a Graecis direptam, id eadem, qua ab eo profertur, facilitate etiam reiicitur. Probare namque debebat, primo illatam in templum ſecundum arcam, qua de re in ſcriptura ſacra nihil legimus; deinde & hoc, a Graecis eam fuiſſe direptam. Abſconditam eam fuiſſe a Ioſia rege, in loco a Salomone ad hoc praeparato, ſupra ad §. *XXVII.* iam profligauimus, oſtendimusque, commentum hocce ex peruerſa verborum ſcripturae interpretatione ortum eſſe. Ad illorum ſententiam quod attinet, qui arcam cum reliqua ſupellectile pretioſa templi, Babelem abductam contendunt, ea neutiquam probabilitatis ſpecie deſtituitur. Vnde & magni nominis, inter chriſtianos, viros eidem adſtipulari videas, ſpeciatim IO. BVXTORFIVM, *diſp. phil. de decalogo, theſ. XLIX.* IO. RAYNOLDVM, in *cenſura apocryphor. tom. II. praelect. CXXXVII. pag. 138.* aliosque. Sed obſtat, quod non tantum non abducta, ſed nec reſtituta legatur. Si enim abducta fuiſſet, haud dubie cum reliquis vaſis ſacris etiam fuiſſet reſtituta. Reſtitutam vero non fuiſſe, vel ex *Esr. I. 11.* patet, vbi reſtituta dicuntur vaſa quinque millia & quadringenta, nulla arcae federis facta mentione. Illi denique, qui a Ieremia eam abſconditam volunt, non alio nituntur fundamento, quam teſtimonio auctoris *libri ſecundi Maccabaeorum.* Quod lubricum

cum omnino eſt, cum iſte liber nullius ſit auctoritatis, nec in re tanti momenti fidem promereatur. Accedit vero, quod Ieremias eo tempore, quo capta a Babyloniis vrbs Hieroſolyma fuit, in vinculis & carcere fuerit, ab ipſis hoſtibus liberandus; a quibus cum aliis Ramam etiam perductus eſt, inde demum cum viatico & munere dimittendus, yt Mitzpam ad Gedaliam ſeſe conferret, aut, quocunque vellet, vaderet. Venit autem ad Gedaliam, & ibi manſit, donec illo occiſo, a reliquis Iudaeis in Aegyptum abduceretur. Quo pacto itaque arcam ex templo auferre, & ad montem Nebo transportare potuerit, nulla excogitari ratio poteſt. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt libere profiteamur, nobis non conſtare, quorſum arca federis in iſta templi & vrbis Hieroſolymitanae deuaſtatione deuenerit, aut, ſi aliquid dicendum, probabile eſſe, eam vna cum templo a Chaldaeis combuſtam eſſe, quae eſt etiam ſententia IOAN. BENEDICTI CARPZOVII, in *diſſertat. citat. cap. II. §. XIV.*

*** Paſſim hancce Iudaeorum ſuperſtitionem reprehendunt prophetae, & diſerte teſtantur, cultum iſtum externum, quantumuis a Deo ipſo praeſcriptum, eidem tamen, ſi ſine fide, animique puritate ſit, parum gratum eſſe. *Audite verbum Iehouae*, inquit Eſaias, *doctores Sodomi, auribus percipite doctrinam Dei noſtri, populi Hamorae. Quorſum mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum? dicit Iehoua: ſatur ſum holocauſtis arietum, & adipe pinguium; & ſanguine iuuencorum agnorumque & hircorum non delector. Quod aduenitis (an) vt compareatis in conſpectu meo? quis quaeſiuit hoc a manu veſtra, vt conculcetis atria mea? Ne pergitote offerre munus vanitatis, ſuffitus abominationi eſt mihi, nouilunio & ſabbatho conuocando conuocationem, non poſſum (ferre) iniquitatem, neque interdicti die. Nouilunia veſtra, & ſtatas ferias veſtras odit anima mea, ſunt mihi laborioſae, defeſſus ſum ferendo &c. cap. I. verſ. 11. ſeqq.* Pari ratione Ieremias: *Quorſum mihi thus Scheba aduenit,* (dicit Dominus) *& calamus odoratus praeſtantiſſimus e terra longinqua? holocauſta veſtra non (ſunt) accepta, & ſacrificia veſtra non ſunt ſuauia mihi, cap. VI. v. 20.* Et iterum: *Sic ait Iehoua exercituum, Deus Iſraelis, bonas efficite vias veſtras, & actiones veſtras; tum faciam, vt habitetis in loco hoc. Nec habetote fiduciam veſtram in rebus falſis, dicendo: templi Iehouae, templi Iehouae, templi Iehouae, iſta (ſunt;) ſed omnino bonas efficitote vias veſtras, & actiones veſtras, ſed omnino exercetote ius inter virum vnum & alterum &c. cap. VII. verſ. 3. 4. 5.* Nec aliter Amoſus, eadem fere Dei nomine iis inculcans, quae Eſaias effatus erat; *Odi,* (dicit Deus) *ſperno dies feſtos veſtros, neque odoratus ſum diebus interdicti veſtris. Nam ſi obtuleritis mihi holocauſta & munera veſtra, non accepta habebo, & eucha-*

riſticum pinguium veſtrorum non intuebor. Amouendo a me ſtrepitum canticorum tuorum, etiam melos nabliorum tuorum non audiam, &c. cap. V. verſ. 21. 22. 23. Denique & Michas vates his ſuffragatur, praeclare ſimul, quaenam vera ratio ſit colendi Deum, nos condocens: *Quanam re (inſtructus) veniam ante Iehouam, incuruabo me (honorem habens) Deo excelſo? veniamne ante eum cum holocauſtis? cum vitulis anniculis? An accepta haberet Iehoua millia arietum? myriadas torrentium olei? an darem primogenitum meum (pro) defectione mea? fructum ventris mei (pro) peccato animae meae? Indicaui tibi, o! homo, quid (ſit) bonum; ecquid Iehoua requiſiuit abs (te) niſi vt exerceas ius & ames benignitatem, & modeſte ambules cum Deo tuo? cap. VI. verſ. 6. 7. 8.*

* Dictum hac de re, quantum ſatis eſt, ſupra ad §. XX.

§. XXXII.

Matrimoniorum eadem, vt antea, fuit ratio. Salomo vxorum & pellicum numerum vltra modum multiplicando, exemplo ſuo demonſtrauit, quam facile mortales in iis, quae per conniuentiam quandam tolerantur, ad extrema procedant. * Quanto periculo ſe exponant, qui vxores aliena ſacra ſectantes, ducunt, idem omnes docere poteſt. ** Sed & aliorum Iſraelis atque Iudae regum fata idem comprobant. *** In ſtatu politico per regni diuiſionem maxima iterum rerum contigit mutatio. Quae vti infauſta fuit toti populo Iſraelitico; ita cumprimis ad abducendos a veri Dei cultu Iſraelitarum animos, falſamque religionem & introducendam & fouendam, plurimum contulit. *

* Fidem fere ſuperat, quod *I. reg. XI. verſ. 3.* dicitur, fuiſſe Salomoni vxores principes ſeptingentas, & pellices trecentas. Nec tamen ea de re dubitandum, cum ſcriptor ſacer diſerte hoc adſerat. Fierique potuit, vt non tam ad voluptatem, quam ad oſtentationem, tantam vxorum & pellicum multitudinem ſibi comparauerit. Sed &, ſi cum R. SAM. LANIADO dicamus, eum tot equidem vxores primarias ſecundariasque habuiſſe, quibus pro lubitu vti potuiſſet, nec tamen cum omnibus rem habuiſſe, aut cum R. ISAAC ABARBANEL, pleraſque ſemel ab eo cognitas, deinceps ſecluſas & ab aliorum commercio remotas fuiſſe, non erit, cur alicui numerus iſte incredibilis videatur. Vtriusque hac de re verba refert IOANNES BVXTORFIVS, de *ſponſalib. & diuortiis §. XLI. pag. 48. 49.* Non itaque neceſſe fuerit, locum iſtum, de quo ſermo eſt, de gynaeceo ſal-

tem

tem interpretari, non autem de vxoribus, quas reuera Salomo habuerit, quae eſt ſententia WOLFGANGI FRANZII, de *interpretat. ſcript. orac. LI.* & MICHAELIS WALTHERI, *harmon. bibl. pag. 424.* Verba enim aperta, quo minus id fieri queat, obſtant. Nouum equidem inde exſurgit dubium, quod *cantic. VI. 8.* dicatur: *Sexaginta ſunt reginae, & octoginta concubinae, & adoleſcentularum non eſt numerus.* Quod vt diluat, in omnem ſe verſat partem ABARBANEL; ſed ipſe R. SAMVEL reſpondet, hunc minime huc pertinere locum, quippe qui non litteraliter, ſed myſtice ſit intelligendus. Ceterum, grauiter hac in re peccaſſe Salomonem, non eſt, quod dubitemus, cum diſerte Deus regibus prohibuerit, ne vxorem numerum vltra modum multiplicarent, *Deut. XVII. 17.*

** Conſtat hoc ex *I. reg. XI. 1. & 4.* conf. quae ſupra diximus, ad §. *II.* huius ſectionis. Hinc & Nehemias, exemplum hocce Salomonis, Iudaeis ex captiuitate Babylonica reuerſis, propoſuit, vt illos a coniugiis cum ethnicorum filiabus abſtraheret: *Annon cum illis peccauit Salomo, rex Iſraelis, quamuis in gentibus multis non fuerit rex par ei, & dilectus Deo ſuo eſſet, adeo vt conſtituerit eum Deus regem ſuper totum Iſraelem; etiam ipſum ad peccandum induxerunt feminae alienigenae*; *Nehem. XIII. verſ. 26.* add. & *Sirac. XLVII. verſ. 21.*

*** Omnium inſtar Achabus erit rex Iſraelis; qui, poſtquam Izabelem, Eth-baalis Sidoniorum regis filiam in matrimonium duxit, nullum fuit tam turpe flagitium, aut idololatriae genus, in quod non & ipſe ſemet daret, & populum eodem inficeret; conf. *I. reg. XVI. 31.* Pari ratione cum Ioramus Ioſaphati filius, rex Iudae, filiam Achabi in matrimonium duxiſſet, non maiorum pietatis laude celebrium, ſed impiorum Iſraelis regum ſecutus eſt veſtigia; *II. reg. VIII. verſ. 18. II. chron. XVIII. verſ. 1.* Mitto reliqua. Satis inde liquet, quanti periculi res ſit, vxores a ſacris genuinis alienas in matrimonium ducere.

* Dictum etiam hac de re copioſe fuit ſupra §. *III. & IV.* huius ſectionis. Patet vero hocce exemplo, quam difficile ſit, ab errore quodam, aut falſis ſacris, homines abducere, ſi commodum aliquod, aut vtilitatem inde ſperent. Licet enim nonnulli inter reges decem tribuum ceteroquin non adeo mali eſſent, numquam tamen, vt vitulorum iſtum cultum a Ieroboamo inſtitutum, tollerent, in animum inducere potuerunt. Quod ſaepius ſcriptura, nec ſine ἐμφάσει repetit. Ad reipublicae iudaicae rationes pertinent etiam iudices illi a Ioſaphato conſtituti, de quibus, quae obſeruatu digna ſunt, iam ad §. *VIII. & XI.* commemorauimus, vbi & ex ipſa horum iudicum conſtitutione oſtenſum, nullum eo tempore in gente iudaica fuiſſe ſynedrium.

§. XXXIII.

Litterarum ſtudia inter tot viciſſitudines, turbato ſubinde & reipublicae & eccleſiae ſtatu, non intermiſſa aut profligata penitus, vt credamus, par eſt; immo ipſa vatum, aliorumque ſapientum virorum, hoc docent exempla.* Scholas Bethele, Ierichunte, Gilgale, alibique floruiſſe, nonnulli volunt. ** Scripta quoque varia hoc tempore edita, vel Salomonis & prophetarum, quae in ſacro codice exſtant, monumenta teſtantur. ***

* De prophetis, aliisque viris ſapientiae aut ſanctitatis laude celebribus, qui in hocce temporis interuallo vixerunt, iam ſupra dictum, ad §. *XXIX.* Commemorari vero adhuc poterant Rechabitae, quorum apud Ieremiam mentio iniicitur, *cap. XXV. 6. 7.* Hi enim a Kenaeis originem ducebant, apud quos litterarum ſtudia vel maxime olim floruiſſe, Ebraeorum magiſtri tradunt, vti iam a me eſt obſeruatum, ad *period. II. ſect. II.* §. *XVI. pag. 752.* Apud Ieremiam autem vatem non ob ſapientiae aut litterarum ſtudium, ſed ob pietatem erga patrem, cuius mandatum adcurate obſeruabant, a vino ſe abſtinentes, nec domum, aut agrum, aut vineam poſſidentes, ſed habitantes in tentoriis, laudantur. Nec tamen monachos, quales eccleſia Romana hodie oſtentat, ex Rechabitis exſculpſeris. Praeterquam enim, quod in matrimonio vixerint, totum hocce Ionadabi inſtitutum eo ſpectabat, vt poſterorum commodis & ſecuritati conſuleret, neue Iſraelitis, quos inter ceu peregrini degebant, poſſeſſionem terrae his a Deo deſtinatam ſibi vindicando, moleſti eſſent, ſimul vero, vt ad temperantiae & continentiae ſtudium, quod plurima ſecum commoda vehit, eo fortius eos adſtringeret. Modum autem ſingularem colendi Deum illis praeſcribere, aut aliquid, quo Deo gratiores, quam reliqui homines, eſſent, vel omnino aliquid promereri poſſent, eis iniungere, id vero ne in mentem quidem ei venit. Legenda, quae hac de re diſſerit HERMAN. WITSIVS, *diſſert. de Rechabitis*, THOMAE GOODWINI *Moſi & Aaroni* praemiſſa, §. *XVII. ſeqq.* Ceterum non tantum floruiſſe hac aetate in gente ebraea ſapientiae ſtudium, ſed diuerſos quoque velut ordines eruditorum fuiſſe, nonnulli ex hisce Eſaiae verbis *cap. XIII. v. 18.* colligunt: איה סופר איה שוקל איה סופר את המגדלים Quae verba IM. TREMELLIVS ita vertit: *vbi eſt legis peritus? vbi penſator? vbi cenſor turrium?* Paulus autem apoſtolus *I. Cor. I. 20.* ea ita exprimit: ποῦ σοφὸς, ποῦ γραμματεὺς, ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου· IACOBVS nimirum ALTINGIVS, vt hinc diuerſos ſapientum ordines conficiat, verba haec ita explicat: *Fuit*

it סופר γραμματεὺς *ſcriba*, *qui textum ſimpliciter interpretaretur*; *fuit* שוקל συζητητὴς *diſputator*, *qui argumentorum & rationum pondera ad veritatis trutinam examinaret*, *& fuit* סופר את המגדלים σοφὸς *ſapiens*, *qui altiſſima & abditiſſima myſteria perſcrutaretur*; *in heptade oration. academ. pag. 283.* Satis quidem ingenioſe; dubito autem, an aeque ſolide. Nihil enim obſtat, quo minus generatim, qui ſapientiae ſtudio dediti erant, diuerſis hisce adpellationibus exprimantur. Interim id recte inde colligitur, viros ſapientiae laude florentes, hac aetate inter Ebraeos exſtitiſſe.

** In hisce enim locis prophetarum filii commorati dicuntur, Bethele quidem *II. reg. II. 3.* Ierichunte *ibid. verſ. 5.* Gilgale, *ibid. cap. IV. v. 38.* De reliquis ſcholis, & academiis, quae hac aetate inter Iudaeos fuiſſe dicuntur, audire iuuabit IACOBVM ALTINGIVM, *loc. cit. pag. 283.* Cum enim dixiſſet, ſcholam illam Samuelis, quae Ramae fuiſſe perhibetur, & de qua ſupra dictum, forte cum aliis quibusdam vsque ad captiuitatem Babylonicam conſeruatam fuiſſe, haec porro ſubiicit: *Iarchides quidem adfirmat, quadringenta octoginta gymnaſia Hieroſolymis fuiſſe aetate Eſaiae; quae ſane ſufficiebant ad corpus academicum conſtituendum.* Sed quo hoc IARCHIDES adſerit fundamento? Num eius ad hoc nobis perſuadendum ſufficit auctoritas? Sed pergit ALTINGIVS: *Vnius vero diſerta mentio exſtat in hiſtoria regis Ioſiae*, *qui*, *Chuldam prophetiſſam per miniſtros conſulturus*, *ad eam miſit* במשנה *vbi habitabat*, *id eſt*, בבית אולפנא *in domo doctrinae. Domus publica ea fuit Hieroſolymis*, *vbi doctrina coeleſtis repetebatur*, *& auditoribus inculcabatur.* Sane vocem במשנה quae verti poteſt *in parte ſecunda*, ſcilicet vrbis, chaldaeus, ſcholas & gymnaſia vbique ingerens, transfert בבית אולפנא *in domo doctrinae.* Sed rectius ſuburbium aliquod intelligi, iam ſupra docui ad ſectionis huius §. *XXVI.* *At Kimchius*, ita porro ALTINGIVS, *ibidem plura iſtius generis collegia exſtitiſſe*, *adſeuerat*, *quando ex prophetis συγχρόνοις Ieremiam in locis publicis ſiue compitis concionatum adſerit*; *Zephaniam vero docuiſſe* בבתי כנסיות *in domibus congregationum*, *ſeu ſcholis publicis*; *Chuldam denique mulieribus erudiendis occupatam fuiſſe.* Haud difficile fuit KIMCHIO, eiusmodi quid adſerere; ſed probationem non video. Diſtinctas hinc eo tempore doctorum fuiſſe profeſſiones, ALTINGIVS ex *Eſa. XXXIII. 18.* colligit, qua de re quid cenſendum ſit, iam antea dictum. Vlterius autem idem auctor ſubiicit: *Hi omnes communi nomine* פעלי אסופות *domini congregationum dicebantur*; *quod plures diſcipulos docendo colligerent & congregarent ad corpus academicum*; *vel etiam*, *quod plures & diſperſas ſententias in vnum ſyſtema colligerent*, *ſuisque communicarent auditoribus.* Sunt vtrique, qui vtroque modo voces בעלי אסופות *Kohel.*

XII. 11. explicant; nec deſunt tamen, qui contendunt, haec verba per adpoſitionem cohaerere cum *clauis infixis*, adeo vt ipſi claui dicantur בעלי אסופות *domini collectionum*, hoc eſt, inſtrumenta vel media firmiter res, alioquin disiunctas, inuicem colligentia: vid. MART. GEIERVS, ad *h. l.* Atque de academiis quidem eius temporis cum ita diſſeruiſſet ALTINGIVS, quaenam etiam docentium diſcentiumque fuerint priuilegia, nos condocet: *Denique conſeruata & ampliata docentibus ac diſcentibus priuilegia Maimonides, ſummae auctoritatis & fidei homo, nos docet, cautum legibus fuiſſe, recenſens, vt vtrique liberi eſſent ab operis publicis, quae munitiones ſpectant, faciendis; itemque ab excubiis obeundis, & contributionibus in eas praeſtandis; immunes inſuper a tributis & vectigalibus ordinariis omnibus (ſiue ea vrbana forent, ciuibus impoſita, ſiue prouincialia, oppidanis & agrariis ex aequo ferenda) nec non ab extraordinariis ſeu indictiuis, largitionibus nempe in reges faciendis.* Ego ſi vel maxime concedam, MAIMONIDEM ſummae auctoritatis & fidei fuiſſe hominem, admodum tamen dubito, an ei, de rebus a ſua aetate adeo remotis, & quarum nullum in ſcriptura ſacra exſtat veſtigium, tam audacter verba facienti, ſtatim credendum ſit. Tandem vero idem auctor, non tantum academias, ſed & triuiales ludos, itemque gymnaſia pro adultioribus ea aetate inrer Iudaeos fuiſſe, contendit: *triuiales ludos nullis in vrbibus defuiſſe, dubium eſſe nequit. Illud autem argumento eſt, quod idem Maimonides in quauis vrbe, immo & vico centum & viginti familias complectente* מלמד תינוקות *praeceptorem paruulorum fuiſſe, aſſereret; quem non conſtituiſſe, incolas illius loci anathemati, & ſi ne tunc quidem eum adſciscerent, locum ipſum excidio ſubiecerit: quod item gymnaſia adultorum frequentia exſtiterint; ad quae vtique promoueri non potuerunt, niſi triuialibus ſtudiis ſatis imbuti. De gymnaſiis enim iſtiusmodi intelligendum; quod & de Bethele & de Hierichunte (non longe ab inuicem diſſitis vrbibus) memoratur, numerum diſcipulorum ſeu ſtudioſorum, eorumque virilis aetatis, ſatis frequentem vtrobique fuiſſe, quibus informandis prophetae praeerant, quorum ipſi FILII adpellantur, non minorem illis honorem deferente ſcriptura, qui animis bonas artes ingenerant, quam qui generarunt corpora. Quod ad omnes Israelitarum vrbes extendit Kimchius, ſaepius vero repetita de filiis prophetarum mentio confirmat; vt gymnaſia & triuiales ſcholas non minus, quam academias ad deportationem Babylonicam continuaſſe, veriſimile fiat.* Haec vero vt lubrico admodum, maximam partem, ac incerto nituntur fundamento; ita cumprimis, quod de diſcrimine inter academias & gymnaſia docet, ex nimio ſtudio, veterum Ebraeorum inſtituta ad noſtri ſeculi rationes adcommodandi, profluxiſſe videtur.

*** Inter ſcripta huius aetatis pri-

primum merito, praecipuumque locum tenent Salomonea, quorum primum, quod in ſacro codice exſtat, eſt *liber prouerbiorum*, ebraice משלי שלמה dictus. Vox משל cum ceteroquin *ſimilitudinem* ſignificet, & per παραβολὴν a Graecis reddatur, ſubinde tamen de quibusuis ſententiis adhibetur, acumen aliquod & ingenium ſingulare prae ſe ferentibus, ſimulque ad vitam inſtruendam, moresque emendandos, comparatis. Eiusmodi משלים, ſeu *ſententiarum tria millia* protuliſſe Salomonem, *I. reg. IV. 31.* dicitur, ex quibus haud dubie praeſtantiſſimae ſelectiſſimaeque fuere, quas libro hocce, diuino impulſus ſpiritu, complexus eſt. Id iam ſupra quoque nobis obſeruatum ad *period. II. ſect. III.* §. *XXVI. pag. 219.* Salomonem itaque libri huius auctorem eſſe, conſtat, qua de re & ipſa eius inſcriptio neminem dubitare ſinit. Nec audiendus profecto eſt HVGO GROTIVS, Salomonem ſolum collectorem fuiſſe ſententiarum, ante ipſum prolatarum, merito ideo caſtigatus ab ABR. CALOVIO, ad *prouerb. I. 11.* An totus autem hicce liber eundem auctorem agnoſcat, ideo dubitari poſſet, quod *cap. XXV. 1.* dicatur: *Hae quoque ſunt parabolae Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae regis Iuda;* & *cap. XXX. 1. Verba Aguris filii Iake*, item *cap. XXXI. 1. Verba regis Lemuel.* Verum ad primum locum quod attinet, nihil aliud indicatur, quam viros quosdam ſanctos rerumque diuinarum peritos, qui tempore Hiskiae vixerunt, ex reliquis Salomonis ſententiis, quae nondum hocce libro comprehenſae erant, hasce ſelegiſſe, & libro huic addidiſſe. Collectorum itaque ſaltem munere functi ſunt, cum auctor iſtarum ſententiarum ipſe quoque fuerit Salomo. De ſenſu verborum, quae exſtant *cap. XXX. verſ. 1.* ex inſtituto ſupra iam diſputauimus, ad §. *XXIX.* huius ſectionis, cum de Agure verba faceremus; vbi & oſtendimus, Agurem huncce virum fuiſſe ſapientiae laude celebrem. Siue autem dicas, ante Salomonem eum vixiſſe, & illum huius rite diſpoſuiſſe ac in ordinem redegiſſe, ſuisque adieciſſe, ſententias, vt B. MARTINVS GEIERVS noſter cenſuit, in *prolegom. ad prouerb. Sal. pag. 2,* ſiue eum poſt Salomonem vixiſſe, & hasce ſententias ex reliquiis Salomoneis collegiſſe, VT PETRVS DANIEL HVETIVS arbitratur, *demonſtrat. euangel, part. I. prop. IV. pag. 342.* res eodem tandem redit, poſſuntque & hae ſententiae vtroqe modo recte Salomoni tribui. Per Lemuelem denique *cap. XXXI. 1.* memoratum, ipſum Salomonem intelligi, itidem ſupra ad §. *XXI.* huius ſectionis euictum eſt. Quae *cap. XXXI.* continentur, Batſchebae ſunt monita ad Lemuelem, ſeu filium Salomonem, quae recenſuit, ſuisque ſententiis adiecit ipſe Salomo. Ad tempus quod attinet, quando liber hicce a Salomone ſcriptus ſit, Ebraeorum quidem ſcitum fertur, canticum canticorum a Salomone iuuene, prouerbia a viro, & eccleſiaſtem a ſene

 ſcripta

ſcripta eſſe. Idque characteribus horum librorum ſatis conueniens eſſe, LVDOV. ELIAS DV PIN iudicat, *diſſert. prelimin. ſur la bible lib. I. cap. I. §. XII. pag. 104.* IO. autem DE PINEDA tum prouerbia, tum eccleſiaſtem, a Salomone iam ſene, adeoque, poſtquam ad mentem ſaniorem rediit, ſcripta contendit, *de rebus Salom. libr. VIII. cap. I.* De eccleſiaſte quidem id fere dubio caret, indiciisque minime obſcuris conſtat. At de reliquis Salomonis libris, quando ab eo compoſiti ſint, nihil certi adfirmari poteſt.

Alterum inter ſcripta Salomonea locum tenet *Eccleſiaſtes*, vt vulgo vocari ſolet. Salomonem huius auctorem eſſe, vel prima eius verba: קהלת בן דוד מלך בירושלים quemlibet condocere poſſunt. De voce equidem קהלת, quid ea ſibi velit, & cur Salomoni tribuatur, non vna omnium eſt ſententia. Pleriſque veroſimile videtur, nomen aliquod generis feminini, e. g. נפש *anima*, aut חכמה *ſapientia*, ſubintelligendum eſſe, vt ſenſus ſit: *anima congregatrix*, ſeu *ſapientia congregatrix*, quae in Salomone fuit; conf. B. SALOMO GLASSIVS, *philolog. ſacr. pag. 435.* Sed obſtare maxime videtur, quod nomen hocce ſubinde & cum nominibus maſculini generis conſtruatur. THOMAS CARTWRIGHTVS, in *comment. ad Kohel. I. 1.* vocem קהלת ex forma Pyal deriuat, vocem נפש itidem ſubintelligens, vt ſenſus ſit: *anima congregata vel adgregata*; adeoque Salomonem *congregatum*, *adgregatum eccleſiae*, ſcilicet per poenitentiam, ſignificari; quod vero feminino genere קהלת *adgregatam*, (ſcilicet *animam*) vocet, id adgregationis ſeu poenitentiae εἰλικρίνειαν ſeu ſinceritatem inſinuare. Eandem calculo ſuo ſententiam comprobat IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *enchiridio biblico*, *libr. I. cap. XXXIX. §. II.* quam tamen longius petitam nemo non intelligit. Multo minus audiendus HVGO GROTIVS, librum hunc קהלת dici a ſententiarum collectione, & συναθροιστὴν potius, quam ἐκκλησιαστὴν dicendum; quo nomine merito ABR. CALOVIO vapulat ad *Kohel. I. 1.* Ipſa ſane libri inſpectio docet, eundem non ex variis aliorum ſententiis compilatum, ſed vno continuoque filo & nexu rerum atque verborum compoſitum eſſe, etſi ſimul profanorum hominum referantur, minime tamen adprobentur, ſententiae. Rem acu mihi tangere videntur, qui vocem קהלת inſtar nominis proprii eſſe volunt, quo ipſe Salomo ob ſapientiam venerit, quod feminino genere ob reſpectum ad vocem חכמה *ſapientia*, efferatur. Ita enim & res ipſa ſibi conſtat, & ratio reddi poteſt, cur, cum feminini generis formam habeat, cum nominibus tamen maſculini generis conſtruatur: conf. MARTINVS GEIERVS, ad *Kohel. cap. I. v. 1.* Ratio autem, cur nomen hocce Salomoni datum ſit, vel ipſe ſibi iſtud impoſuerit, maxime probabilis haec eſt, quod ſapientia eius varios homines, diſcendi cupiditate flagrantes, immo etiam exteros ex variis gentibus & regionibus longinquis,

quis, *I. reg. IV. 34.* ad eum traxerit, & velut collegerit. Vt ergo Salomoni hocce nomen prorſus conuenit, ita inde etiam ſequitur, eum libri huius auctorem eſſe; quod & inde conſtat, quia ſe vocat *filium Dauidis*, *regem in Hieruſalem.* Immo, vt omne dubium eximatur, auctor huius libri ſe omnium ſuae aetatis ſapientiſſimum fuiſſe, diſerte innuit, *cap. I. verſ. 16.* & *cap. XII. v. 9.* Aedificia praeterea ſua, quae exſtruxerit, hortos, quos plantauerit, piſcinas & alia, quibus operam dederit, varias voluptates, quas ſectatus fuerit, & diuitias incomparabiles, quibus fuerit praeditus, commemorat; quae omnia profecto in ſolum Salomonem quadrant. Mirum itaque, fuiſſe, qui aut Hiskiae cum talmudicis doctoribus *tract. babba batra cap. I.* aut Eſaiae, aut Zorobabeli, librum hunc tribuerint. Etſi enim Hiskias rex fuerit, & quidem Iudae, non tamen pro rege omnium ſapientiſſimo, vt Salomo, haberi poteſt. Nec eſt, quod quemquam moueat, auctorem libri non dici *regem Iſraelis*, ſed in *Hieroſolymis.* Quamuis enim Salomo non Iudae modo, ſed totius rex Iſraelis fuerit, nihil tamen obſtat, quo minus & a regia ſede *rex Hieroſolymae* dici potuerit. Eo minus itaque aut Eſaiae, aut Zorobabeli, liber hicce tribui poteſt; quod & cur faciendum ſit, nulla, ne probabilis quidem, adferri ratio poteſt. HVGO GROTIVS illis itidem accedens, qui, Salomonem huius libri auctorem eſſe, negant, eum ſerius ſub illius regis poenitentia ducti nomine, ſcriptum exiſtimat. Eiusque rei argumentum ſe habere putat multa vocabula, quae non alibi, quam in Daniele, Esdra & chaldaeis interpretibus, reperiantur; ad *Kobel. I. 1.* Immo vlterius deinceps ad *cap XII. 11.* progreditur, eosque, qui hunc librum ſub perſona Salomonis collegerunt, mandatum habuiſſe a Zorobabele, contendit, qui adeo pro auctore eius praecipuo ſit habendus, & *Kobel. XII. 11. paſtoris* nomine veniat. At non ſub nomine ſolum Salomonis, ſed ab ipſo Salomone huncce librum ſcriptum eſſe, non tantum inſcriptio antea memorata diſerte docet, ſed & inde conſtat, quod auctor libri ſaepius in prima perſona de ſe loquatur, e. g. *ego aedificaui &c.* taliaque de ſe enuntiet, quae non niſi in Salomonem quadrant, vnde & ſimul commentum illud de Zorobabele ſua ſponte corruit. Ad vocabula illa quod attinet, quae GROTIVS pro chaldaeis, vel ſyriacis habet, ea ebraea potius eſſe, & nihil obſtare, quo minus iam Salomonis tempore in vſu fuerint, etſi alibi non occurrant, luculenter oſtendit ABRAHAMVS CALOVIVS, qui & veram cauſſam, cur GROTIVS librum hunc in poſteriora tempora reiecerit, mihi deter xiſſe viſus eſt; ſcilicet, quod viderit, de iudicio futuro, & altera vita, quaedam in hocce libro haberi, quae tempori Salomonis non conuenire exiſtimat, eo quod poſt Esdram demum *explicatius proponi coeperit*, *patientia piorum*, *iudicium vniuerſale*, *vita aeterna*,

terna, ſupplicia gehennae, vti in *praefat. in libr. Sapient.* loquitur. Quae tamen quam lubrica ſint, & quam falſa, ab aliis iam eſt demonſtratum.

Occurrunt equidem in hocce libro quaedam, quae minus recte intellecta ſecuritati carnali, & impiis Epicuraeorum opinionibus fauere videntur; vnde non tantum de auctore dubium oriri poſſet, ſed omnino cum diuina libri huius auctoritate ea pugnare videntur. Quae res & Iudaeos induxit, vt inter apocrypha hunc librum reiicere aliquando voluerint, quamuis re adcuratius expenſa mutauerint deinde ſententiam, & in canonem eum retulerint; conf. IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *theſ. philolog. libr. II. cap. I. ſect. III.* Minus hinc praeclare & vir doctiſſimus, IOANNES CLERICVS, cum ſub theologi Bataui nomine RICHARDI SIMONIS *hiſtoriam criticam vet. teſtam.* ſub cenſuram vocaret, de hocce libro ſenſit, parumque probabile eſſe, exiſtimauit, *Spiritum Dei voluiſſe, ratiocinia & argumenta Sadduceaorum, vel peiora etiam, in omni ſua efficacia prolixe exponere, vt nonniſi duobus tribusue verbis ea refelleret.* Immo, cum obſeruaſſet, GROTIVM contendiſſe, eccleſiaſtem ſub Salomonis quidem nomine ſcriptum eſſe, ſed ab alio, qui in Chaldaea vixerit: *Quae coniectura*, inquit, *ſi vera ſit, liber iſte non erit niſi quidam animi luſus, eorum, qui in captiuitate Babylonica fuerunt.* Addit denique, *notum ſibi quendam eſſe ſacrae critices peritiſſimum, qui ſuſpicatur, auctorem huius libri iis fuiſſe imbutum opinionibus, de immortalitate animae & vita futura, quas deinceps tenuerunt Sadducaei.* Interim ipſe ſatius eſſe exiſtimat, nihil ſuper iſta quaeſtione determinare. Auctor vero *diſcurſus de libertate cogitandi*, quem ANTONIVM COLLINVM ferunt, Salomonem equidem libri huius auctorem agnoſcit, ſaltem id prae ſe fert, ſed hoc ipſo probare contendit, Salomonem in numerum *libere cogitantium*, hoc eſt, ſi rotunde & ſine ambagibus rem efferre velis, atheorum, referendum eſſe; *pag. 218, ſeqq.* Sed rectius hi omnes de libro hocce ſentirent, ſi modo initium atque finem eius paullo adcuratius ſecum expenderent. Ex initio enim condiſcere potuiſſent, auctorem, rerum humanarum omnium, cogitationum, adfectuum, ipſius etiam ſapientiae (humanae) vanitatem demonſtrando, nihil aliud agere, quam vt homines ad verum atque perenne bonum, quod in ſolo Deo inuenitur, quaerendum, perducat. In fine autem libri diſerte, & citra ambages omnes, nihil aliud ſibi conſtitutum eſſe, profitetur: *Summa rei eſt, his omnibus auditis: Deum ipſum reuerere, & praecepta eius obſerua, quia hoc eſt totum hominis. Nam omne opus Deus ipſe adducet in iudicium cum omni re occulta, ſiue bonum ſiue malum.* Quae profecto longe alium auctorem, quam aut Sadducaeorum, aut Epicuraeorum diſciplinis innotritum, produnt. Vnde & ſua ſponte ſequitur,

Digitized by Google

tur, ſi quae hinc inde occurrunt ſententiae, quae prima fronte impiis aut Sadducaeorum, aut Epicuraeorum erroribus fauere videntur, eas neutiquam auctorem ex ſua, ſed aliorum mente protuliſſe. Is nimirum Salomoni ſcopus in hocce libro eſt propoſitus, vt de finibus bonorum atque malorum diſſerat. Varias itaque ſtatim ab initio profert opiniones, easque ad examen ſe ſuum reuocaſſe, ac tandem repudiaſſe, ait, & in ea demum acquieſcit, quae Deum timendum ac mandata eius obſeruanda eſſe, tradit. Nec deſunt, qui cuncta ita explicant, vt nihil in hisce, quod a ſana doctrina alienum ſit, deprehendatur; conf. PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. pag. 350: ſeqq.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. III. loc. XCVI. pag. 657. ſeqq.* HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. XVIII. §. XXXV. pag. 226. ſeqq.*

Sequitur tertium inter ſcripta Salomonea, *Canticum canticorum*. Hoc equidem talmudici doctores, in *tract. babba bathra cap. II.* Ezechiae regi, eiusque familiaribus tribuunt; quorum auctoritatem R. MOSES KIMCHI, aliique ſecuti videntur, qui ab Eſaia propheta ex canticis Salomonis excerptum illud fuiſſe ſuſpicati ſunt, vtpote qui inter Ezechiae familiares cenſeri poſſit. Recentiores tamen eiusdem gentis doctores a Salomone ſcriptum eſſe ſtatuunt, cum iuuenili floreret aetate, quae amoribus magis dedita eſt. Idque profecto vel titulus libri huius, Salomonem auctorem prodens, quemuis condocere poteſt. Accedit, quod nihil in hocce cantico occurrat, quod aut dedeceat regem Salomonem, aut ab eius genio, indole, conditione alienum ſit. Canticis etiam componendis eum operam dediſſe, vel ex *I. reg. IV. verſ. 32.* conſtat. Sunt equidem nonnulli, qui in hocce cantico amores carnales, ſi non plane impuros, Salomonis & Sulamitidis, vt filia Pharaonis forte vocata fuerit, celebrari, contendunt. Quorum ſi admittatur ſententia, indignum profecto ſi non Salomone, certe ſpiritu ſancto, cuius inſtinctu atque adflatu conſcriptum creditur, fuerit. Ingreſſus vero in eam eſt SEBASTIANVS CASTALIO, in verſione ſua latina, in carmen amatorium canticum hocce conuertens, notatus ideo ab ANTONIO POSSEVINO, *tom. II. apparat. ſacri, pag. 372.* & a SIXTO SENENSI, *biblioth. ſanct. pag. 664.* aliisque. HVGO GROTIVS eundem ſecutus eſt errorem, adeo vt ſpurciſſimis verſibus laſciuiorum poetarum verba Salomonis illuſtrare non ſit veritus, quanquam ſimul credat, typice amorem Chriſti & eccleſiae in hoc cantico adumbrari; refutatus ideo ex inſtituto ab ABRAHAMO CALOVIO, in *bibliis illuſtratis ad canticum hocce.* Horum non tantum veſtigia preſſit, ſed fere vlterius etiam progreſſus eſt vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS, adſerens, canticum hocce eſſe *eclogam*, ſiue *idyllion, quo Salomo ſub perſona paſtoris amores ſuos canat,*

fortaſſis cum filia Pharaonis, ſtilo bucolico, qualis eſt graecorum latinorumque poetarum, niſi quod pro genio gentis & poeſios ebraicae, multo durior & magis dithyrambicus ſit. Immo comparationes, quibus Salomo *cap. IV.* vtitur, cum iis contendi poſſe, autumat, quibus Polyphemus amores ſuos cecinit apud OVIDIVM *metamorphoſeon lib. XIV.* Sed fuerunt, qui hanc viri docti ſententiam ſtatim refellerent, quos inter HERMANNVS WITSIVS non ſine neruo rationes hunc in modum ſubduxit: *Salomonis nomen carmen ipſum praefert. Salomonem hominum omnium ſapientiſſimum fuiſſe, omnis hiſtoria ſacra tradit. Si vero non niſi ſuos, & amicae cuiusdam ſuae amores hoc cantico cecinerit, ſtilo tam turgido, & comparationibus tam enormibus, neſcio, quomodo ſapientiae laudem hoc opere tueri poſſet. Et profecto Polyphemo aliquo dignius carmen foret, quam ſapientiſſimo, cultiſſimo & politiſſimo regum. Quid etiam mentis eccleſiae fuit, vt tam turgidum idyllion, quod nullo modo cum Theocriti & Virgilii bucolicis, aut Catulli epithalamiis conferri meretur, & in quo vix mica ſanae mentis eſſet, niſi maiora ſubſint, tanquam pretioſiſſimum depoſitum tanta ſedulitate cuſtodiret? Hui! quam pro theſauro carbones! miſcellan. ſacror. part. I. libr. I. cap. XVIII. §. XXXIX. pag. 229.* Diſputat & hac de re contra IO. CLERICVM, IO. VAN DER WAYEN, in *differt. de vocab.* λόγος *pag. 120. ſeqq.* vbi ſimul probare adnititur, THEOCRITVM, a quo alii poetae, vt alia plurima, ita epithalamii quoque condendi leges didicerint, ab hocce cantico ſua expreſſiſſe; quod tamen parum mihi videtur veroſimile. Rectius, puto, alii obſeruant, in cantico canticorum talia occurrere, quae a genio & natura & indole carminis bucolici, ſeu paſtoralis, plane abhorreant. Quidquid huius ſit, non ſecundum litteram, ſed ἀλληγορικῶς intelligenda eſſe, quae in hocce cantico dicuntur, & res ipſa docet, & plerique chriſtianorum interpretum iam dudum perſpexerunt, immo & ex ebraeis doctoribus MOSES BEN MAIMON, eoque adhuc antiquior, chaldaeus paraphraſtes, vti recte a PETRO DANIELE HVETIO obſeruatum, *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. 357.* Idque prorſus ſuadet tum conditio ſponſi, qui vt rex potentiſſimus deſcribitur, *cap. I. 4. 12. III. 9. 11.* & ſimul vt paſtor ouium, *cap. I. 7.* quod Salomoni non conuenit; tum ſponſae, quae paſſim vt regina deſcribitur, & ſimul vt cuſtos vineae *cap. I. 6.* & paſcens oues, *verſ. 8.* & percuſſa ac ſpoliata a cuſtodibus ac vigilibus, *c. V. 6.* immo non vt ſponſa ſolum, ſed & vt ſoror exhibetur *cap. III. 12. VIII. 1. 8.* Cumprimis ex pulchritudinis deſcriptione id patet; quae ſi de corporis forma acciperetur, non poſſet non in multis ridicula & perabſurda videri; conf. *cap. IV. 2. V. 7. VI. 5. VII. 2. 4. 10.* Accedit denique, quod & in aliis ſcripturae locis coniunctio arctiſſima Chri-

Chriſti & eccleſiae ſub eodem ſchemate amoris coniugalis deſcribatur, vt *pſalm. XLV. per integr. Eſa. LIV. 5. LXI. 10. LXII. 4. 5. Ierem. II. 32. Ezech. XVI. 8. Hoſ. II. 16. 19. Matth. IX. 15. XXII. 2. XXV. 1. II. Cor. XI. 3. Eph. V. 31. 32.* alibique. Atque hinc etiam patet, nec illorum admittendam ſententiam, qui litteraliter & hiſtorice de amore coniugali, eoque puro & licito, *μυστικῶς* autem de Chriſti & fidelium coniunctione, Salomonem loqui, exiſtimant, quibus LVD. ELIAS DV PIN ſuffragatur, *diſſert. prelim. ſur la bible lib. I. cap. III. §. XIV. pag. 107.* Quae enim e. gr. de conditione & forma ſponſae dicuntur, non magis in ſponſam, quam amicam, quam quis amore impudico complectitur, quadrant; vt reliqua taceam. Noſtram ſententiam ipſa libri huius inſcriptio confirmat. Dum enim שיר השירים *canticum canticorum* vocatur, perinde hoc eſt, ac ſi dicas, canticum longe excellentiſſimum, ob argumenti ſcilicet dignitatem ſublimitatemque. Quas enim alii huius denominationis rationes adferunt, longius petitae ſunt.

Denique ad ſcripta genuina Salomonis etiam referendus pſalmus CXXVII. Huius enim eum auctorem eſſe, inſcriptio nos condocet. Addunt his nonnulli *pſalmum XLV.* cuius argumentum cum cantico canticorum prorſus conuenit. Sunt &, qui *pſalmum LXXII.* item omnes pſalmos, qui vocantur *graduum*, Salomoni tribuunt, quos tamen recte refellit IOAN. EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, de *origine ſacrae ſcripturae lib. IX. cap. XXXVI. pag. 336.* Ad *pſalterium* vero *Salomonis* quod attinet, quod ex Auguſtanae bibliothecae vetuſtiſſimis membranis ab ANDR. SCHOTTO deſcriptum, a IO. LVDOVICO DE LA CERDA e graeco ſermone latine redditum, & cum eiusdem ſcholiis ad calcem *aduerſariorum ſacrorum* Lugduni anno M DC XXVI editum eſt, quodue pſalmis octodecim graece, ſed ſtilo ebraismis referto ſcriptis, conſtat, etſi ipſe IO. LVD. DE LA CERDA dubius incertusque, quid de eo ſtatuat, haereat, perperam tamen Salomonis prae ſe ferre nomen, minimeque illi tribui poſſe, recte pronuntiauit PETRVS DAN. HVETIVS, in *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. pag. 397. ſeqq.* conf. & IOAN. EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, de *origine ſacrae ſcripturae libr. IX. cap. XXXVIII. ſeqq. pag. 337. ſeqq.* IO. GEORGII NEVMANNI peculiaris de *pſalterio Salomonis diſſertatio*, Wittebergae anno M DC LXXXVII edita; itemque IO. ALBERTVS FABRICIVS, in *codice pſeudepigrapho vet. teſtam. pag. 914. ſeqq.* vbi & integrum hocce pſalterium Salomonis cum verſione & ſcholiis IOANNIS LVDOVICI DE LA CERDA exhibet. Solet & a quibusdam Salomoni tribui *liber ſapientiae*, qui in codice ſacro inter apocryphos exſtat; quam ſententiam etiam propugnandam ſuſcepit vir doctiſſimus, NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS, *obſeruation. Hal.*

Hallenſ. tom. V. obſeruat. XIII. Nec ſane, vel praeſtantisſimorum virorum iudicio, liber hicce Salomone prorſus indignus eſt. Quo minus tamen ei tribui queat, multa obſtant. Auctorem enim poſt Iudaeos a gentibus ſubiugatos ſcripſiſſe, inde colligas, quod *cap. XV. verſ. 14.* illi memorentur, *οἱ ἐχθροὶ τοῦ λαοῦ (σου) δυναστεύοντες αὐτόν· hoſtes populi (tui) qui illum opprimunt.* Idem euincunt voces variae, quae ſe ad ſacra Graecorum, Salomonis tempore longe recentiora, referunt, vt *στεφανηφορεῖν, βραβεῖον, πρυτανεῖς,* &c. Graece namque, non ebraice liber iſte ſcriptus eſt, (vnde nouum ſimul argumentum exſurgit) hinc nec a Iudaeis ad veteris teſtamenti canonem relatus. Nec quidquam ad rem facit, quod auctor ſub Salomonis perſona loquatur. Non enim inſolens eſſe, vt quis ſub alterius nomine ac perſona librum aliquem componat, notum eſt. Negari equidem nequit, a veteris ecclesiae doctoribus librum hunc ſub Salomonis nomine ſubinde allegari. Sed iidem, qui hoc faciunt, alibi haud raro teſtantur, eum Salomonis non eſſe. Vnde ſequitur, conſuetudinem magis, quam veram animi ſententiam eos ſecutos, quando eum Salomoni tribuerunt; quod & allatis in medium praecipuorum teſtimoniis, luculenter comprobat IO. ALBERTVS FABRICIVS, in *praefatione* libro *ſapientiae* praemiſſa, *p. 224. ſeqq.* qui & *bibliotb. graecae lib. III. cap. XXIX.* §. *III. pag. 735. ſeqq.* plura hac de re ſuppeditat. Nec praetermittendum, doctisſimos quosdam ex ipſis Romanenſibus viros, etſi ex eccleſiae ſuae ſententia librum *ſapientiae* canonicis adnumerent, non tam ab ipſo Salomone conſcriptum, quam ex ſententiis eius ab alio quodam collectum, adfirmare. Ita ROBERTVS BELLARMINVS ſtatuit, de *verbo Dei, lib. I. cap. XIII.* eodemque redit ſententia PETRI DANIELIS HVETII, *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. pag. 309.* qui tamen ſimul fatetur, *etſi collectiones iſtae ex ſegminibus Salomoniciis contextae ſint, atque conſutae, non tamen vt mere Salomonis ſcriptiones fuiſſe babitas; vtpote quas priuati homines pro arbitrio ſuo & captu digeſſiſſent.* Antea etiam dixerat, *vnam hanc fuiſſe ex plurimis ſententiarum compilationibus ac eclogis, a viro pio ac ſtudioſo excerptam, & graeco deinde ſermone liberius explicatam.* Quod profecto ſufficit, ne Salomo pro libri iſtius auctore habeatur. Atque id etiam ex eiusdem eccleſiae doctoribus recentiſſimis agnoſcit SCIPIO SGAMBATVS, *archiuor. veter. teſtam. lib. III. tit. XXVI. p. 525.* Quis autem verus & genuinus eius auctor ſit, certo definiri nequit; etſi pro PHILONE ſeniore rationes maxime probabiles militent; vti iam a me obſeruatum *introduct. in biſt. philoſ Ebraeor. pag. 61. 62.* Sed hac de re ſuo loco plura dicemus. Nunc id ſolum addimus, IOAN. PICVM MIRANDVLANVM *praefat. ad. beptaplum* innuere, exſtare ſub hocce titulo; *Sapientia Salomonis,* apud

apud Ebraeos librum, qui diuerſus ſit ab eo, qui in codice ſacro exſtat, quemue is Philoni tribuit. Sed errare PICVM, oſtendit SCIPIO SGAMBATVS, *loc. cit. pag. 529.* cum, quidquid hac de re dicat, hauſtum ſit ex R. MOSIS NACHMANIDIS *praefatione in pentateuchum*, qui equidem ibi librum idiomate ebraeo, ſeu chaldaeo, vel potius dialecto Hieroſolymitana, ſcriptum commemoret, cui titulus ſit: חכמתא רבתא דשלמה *ſapientia magna Salomonis;* quem tamen a noſtro diuerſum non eſſe, res ipſa doceat. Errat vero rurſus & ipſe SGAMBATVS, dum inde concludit, librum *ſapientiae* dialecto primum Hieroſolymitana ſcriptum, & in graecam linguam deinceps translatum, cum nihil obſtet, quo minus liber iſte ex lingua graeca in chaldaeam transferri potuerit. Salomonis ad Vaphrem Aegypti regem, & huius ad Salomonem epiſtolas, quas ex EVPOLEMO exhibet EVSEBIVS, *praeparat. euangel. libr. IX. cap. XXXI.* confictas, ſuppoſititiasque eſſe, nemo dubitat. Idem de Salomonis & Hirami Tyriorum regis epiſtolis cenſendum, quas ex eodem EVPOLEMO exhibet EVSEBIVS, *loc. cit. cap. XXXII.* & de quibus iam ſupra dictum, ad *period. II. ſect. III. §. XXI.* De reliquis ſcriptis ſpuriis, quae Salomonis nomen perperam prae ſe ferunt, ſpeciatim magicis quibusdam, vt *clauicula Salomonis*, & aliis eiusdem generis, conf. IO. ALBERT. FABRICIVS, *cod. pſeud-epigrapho vet. teſt. pag. 1031. ſeqq.*

A Salomone ſi diſcedamus, Elias propheta ſe nobis offert. De hoc enim *II. chron. XXI. 12. ſeqq.* memoriae proditum legimus: *Ideo venerunt ad eum* (Ioramum regem) *litterae ab Elia propheta, his verbis: ſic dixit Iehoua Deus Dauidis &c.* Cum vero Elias iam tempore Ioſaphati, qui pater fuit Iorami, in coelum fuerit ſublatus, dubium inde oritur, qua ratione epiſtolam ad Ioramum mittere potuerit? Hinc vt ſe expediant viri docti, nonnulli quidem non de Elia Thisbite, ſed alio quodam ignobiliore, qui tempore Iorami vixerit, hoc intelligendum putant. Quod tamen, cum iunioris iſtius Eliae nulla vſpiam iniiciatur mentio, parum videtur probabile; quemadmodum rurſus violentum eſt, ſi quis pro Elia legendum cenſeat Eliſa; quae, vt aliorum, ita & IOANNIS CLERICI eſt ſententia, ad *II. chron. XXI. 12.* Ab ipſo Elia Thisbite profectam hanc epiſtolam, AVG. TORNIELLVS, IM. TREMELLIVS, B. LVTHERVS, aliique, magno conſenſu contendunt, rationibus minime contemnendis fulti. Praeterquam enim, quod ſecus ſentientes nullo idoneo fundamento nitantur, accedere, aiunt, quod in textu ἐμφατικῶς cum ה demonſtratiuo dicatur הנביא, quod indicio ſit, non alium, quam Thisbiten illum, ſignificari. Sed ſi haec admittatur ſententia, difficultas de tempore ſcriptae epiſtolae recurrit. Vbi quidem nonnulli, cum Elias iam tempore Ioſaphati in

 coe-

coelum ſublatus ſit, citra ambages adſerunt, epiſtolam hanc in coelo ab Elia ſcriptam, & per angelum quendam ad Ioramum regem delatam eſſe. Non tantum Iudaeis quibusdam haec ſententia tribuitur, ſed ex Romanenſibus etiam nonnulli eandem acriter tuentur, inde vt argumentum aliquod pro inuocatione ſanctorum depromere queant. Quam parum vero hoc ſit veroſimile, vel me non monente, quilibet intelligit. Nec enim vlla ratione credibile eſt, Deum in gratiam impii regis eiusmodi quid feciſſe, cuius nullum alias exemplum exſtat; immo, quod nec neceſſarium erat, cum plures aliae eſſent rationes, quibus Deus ei voluntatem ſuam manifeſtare poterat. Quod cum alii ſecum perpenderent, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ſcriptam hanc epiſtolam ab Elia, cum Ioſaphatus adhuc in viuis eſſet, quippe qui iam tum viderit, quo animo Ioramus eſſet, etſi vitia coram patre diſſimularet, & qualis futurus eſſet. Quae etſi minime contemnenda ſit ſententia, propius tamen adhuc ad rem accedere videntur, qui, Eliam in terris adhuc degentem alicui imperaſſe, contendunt, vt, quae Deus reuelauerat, ſuo tempore regi impio Ioramo perſcripta exhiberet. Nec profecto inſolens, vt prophetis aliquid aut iniungeret, aut reuelaret Deus, quod poſt illorum mortem demum ab aliis exſecutioni mandandum erat; conf. *I. reg. XIII. 1.* collat. cum *Eſa. XL.* it. *I. reg. XIX. 15.* collat. cum *II. reg. IX. 1.* & *II. reg. VIII. 11.* add. IO. EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, de *origine ſcripturae ſacrae libr. IX. cap. XVIII.* HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. tom. I. pag. 234.* & peculiaris diſſertatio IO. ANDR. SCHMIDII, theologi Helmſtadienſis, de *libris & epiſtolis coelo & inferno delatis.* De reliquis autem ſcriptis Eliae falſo tributis, vt eius *apocalypſi,* conferendus, quem ſaepe iam laudauimus, IO. ALBERTVS FABRICIVS, in *cod. pſeud-epigrapho vet. teſt. pag. 1072. ſeqq.* qui & de celebri *iſta traditione domus Eliae, de mundo per ſex millia annorum duraturo*, diligenter diſſerit *pag. 1079. ſeqq.*

Ad reliquos prophetas quod attinet, qui ad hocce temporis interuallum referuntur, quorumue ſupra ad §. *XXIX.* vitam paucis dedimus, Ionam ſcilicet, Hoſeam, Amoſum, Ioelem, Eſaiam, Micham, Nahumum, Habacucum, Obadiam, Zephaniam, & Ieremiam, libros, qui in codice ſacro ebraeo ſub illorum nomine eſtant, eos quoque auctores agnoſcere, non temere quisquam dubitauerit, ex inſtituto vero hoc euicit, rationibusque ſolidis comprobauit PETRVS DANIEL HVETIVS *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. 370. ſeqq.* De libro autem Baruchi & epiſtola Ieremiae, quae eidem adnecti ſolet, non perinde cenſendum. Baruchum enim illum, vel quisquis libri iſtius auctor eſt, non eundem eſſe cum ſcriba Ieremiae, cuius *Ierem. XXXVI. & XLV.* mentio iniicitur,

vel

vel inde liquet, quod amanuenſis ille Ieremiae, qui hocce nomine venit, poſt excidium vrbis vna cum Ieremia in Aegyptum traductus dicatur, *Ierem. XLIII. 6.* At libri huius, de quo hic nobis ſermo, auctor, in Babylone collocatur. Eo autem ex Aegypto illum conceſſiſſe, nec ſolidis hiſtoriarum monumentis probari poteſt, nec probabile eſt. Accedit, quod liber hicce non ebraice, ſed graece ſcriptus ſit, quod & ſtilus ipſe, ex ebraiſmo nihil trahens, euincit. Baruchum vero illum, qui Ieremiae ab epiſtolis fuit, graece potius, quam ebraice, ſcribere maluiſſe, quis ſibi perſuadeat? Relinquitur itaque, aut Baruchum hunc diuerſum fuiſſe ab illo, qui Ieremiae fuit amanuenſis, aut nomen illud prorſus fictitium eſſe. Vnde &, ſcriptum eum iſto tempore, quo auctor eum ſcriptum exiſtimari voluit, dici non poſſe, ſua ſponte ſequitur. Atque hinc etiam patet, epiſtolam illam Ieremiae, quae Baruchi libro adnecti ſolet, aut in pleriſque codicibus ſextum omnino libri Baruchi caput conſtituit, minime genuinam eſſe. Namque, vt reliqua taceam, nec ea ebraeo, ſed graeco idiomate ſcripta eſt, quo, cur Ieremias vſus ſit, nulla, ne probabilis quidem, ratio reddi poteſt. De libro Tobiae atque Iudithae, qui itidem inter apocryphos exſtant, quid ſentiendum ſit, haud difficulter ex iis, quae ſupra ad §. *XXIX.* de ipſo Tobia atque Iuditha diſputauimus, cognoſcere licet. Inde enim vti conſtat, incertum adhuc eſſe, an omnino Tobias aliquis aut Iuditha exſtiterit; ita ſimul multo minus, quando vixerint, definiri poſſe, intelligitur. Sequitur hinc etiam, tempus, quando vterque liber ſcriptus ſit, eſſe incertum, etſi ex quibusdam indiciis, quae ſupra iam attigimus, haud obſcure colligatur, poſt reditum Iudaeorum ex captiuitate Babylonica vtrumque conſcriptum eſſe. *Oratio Manaſſis*, quae itidem inter apocrypha ſcripta exſtat, ſi genuina eſſet, ad haec non minus referenda eſſet tempora. Sed, licet rege hocce per ſeriam poenitentiam animum a vitae ante captiuitatem actae vitiis purgante, minime indigna ſit, eam tamen genuinam eſſe, non temere quisquam adfirmauerit. Antiquiſſimus, qui eius mentionem facit, eſt pſeudo-CLEMENS, *lib. II. conſtitut. apoſtolicar. cap. XXII.* quem & omnino huius orationis auctorem eſſe, vir clariſſimus, IO. ALBERT. FABRICIVS coniicit, in *prolegomenis*, *orationi Manaſſis*, cum *libris Tobiae*, *Iudith*, *Sapientiae*, *&c.* editae, praemiſſis, *pag. 208. ſeqq.* Quisquis autem orationis iſtius auctor ſit, occaſionem eam fingendi inde haud dubie ſumſit, quod *II. chron. XXXIII. 18. ſeqq.* dicitur, orationem Manaſſis, qua peccata ſua coram Deo confeſſus atque deprecatus eſt, exſtare in *rebus geſtis regum Iſraelis*, h. e. Iudae; itemque in *orationibus Chozai*, qui vnus ex iſtius temporis prophetis fuiſſe videtur. Quemadmodum autem *orationis* iſtae *Chozai* pariter ac *res* ge-

geſtae regum Iſraelis dudum perierunt; ita & vera ac genuina oratio Manaſſis vna cum iis intercidit. Vnde ſimul, ὡς ἐν παρόδῳ intelligere licet, *orationes Chozai* aeque ac *res geſtas regum* tum *Iſraelis* tum *Iudae*, quarum ſubinde tum in *libris regum*, tum *chronicorum*, mentio iniicitur, ad ſcripta huius aetatis, ſed deperdita, referendas eſſe. Sunt equidem, qui exiſtimant, *res* iſtas *geſtas regum Iſraelis & Iudae* non diuerſas eſſe a *libris chronicorum*, quos hodie habemus; R. DAVID KIMCHI autem ad *init. lib. I. chron. res geſtas regum Iſraelis*, caute vult diſcerni a *rebus geſtis regum Iudae*, & non illas, ſed has cum libris chronicorum easdem eſſe, contendit. Sed neutram admitti ſententiam poſſe, inde patet, quod non tantum ex *rebus geſtis regum Iſraelis*, ſed & *regum Iudae* talia adlegentur, quae in libris chronicorum non exſtant. conf. IOAN. GOTTLOB CARPZOVII, *introduct. ad libros hiſtoric. biblior. vet. teſtam. cap. XVI.* §. *II. pag. 280.* De ſcriptis ſuppoſititiis, quae Eſaiae & Ieremiae tribuuntur, vid. IO. ALBERTVS FABRICIVS, in *cod. pſeudepigrapho vet. teſtam. pag. 1086. ſeqq.*

§. XXXIV.

Vt veritatem diuinam obſcuraret, erroresque & mendacia propagaret, infernalis genius hac aetate nihil fecit reliqui. Hinc idololatriae & ſuperſtitionis progreſſus, & incrementum ſtupendum. Apud Iſraelitas, poſtquam a tribu Iudae & Beniamin diſceſſerant, vitulorum cultus a Ieroboamo introductus, ſemper permanſit. * Acceſſit per Achabum praecipue Baalis cultus; ** ſed & Baalzebub Acronitarum Deus commemoratur. *** Abductis in captiuitatem decem tribubus, commixtio quaedam religionis verae & ethnicae ſecuta eſt, vnde Samaritaniſmi origo. * Apud Iudaeos veri Dei cultus diutius equidem permanſit, & ſubinde reſtauratus fuit, interim nec defuerunt, qui Baalem, Molochum, Aſtaroth, & alia idola colerent, & in excelſis ſacra facerent; ne quid nunc de altari Damaſceno in templum illato, ** & de aeneo ſerpente ab Hiskia deſtructo, *** dicam. Commemorantur praeterea hac aetate inter gentium idola Miphlezeth, * Rimmon, ** Niſroch. *** Apud Graecos itidem, aeque ac Latinos ſuperſtitio indies aucta, * accedentibus apud illos poetis, quos theologos vocabant, Homero, ** Heſiodo, *** aliisque, quorum opera error & ſuperſtitio latius diffundebatur. Philoſophiae equidem & ſapientiae ſtudium apud Grae-

Graecos hac aetate itidem ortum, ſuperſtitioni remedium aliquod adferre videbatur. Sed praeterquam, quod a pauciſſimis veritati locus, vt decebat, relinquebatur, ſubinde contingebat, ſequenti praeſertim aetate, vt nonnulli in alterum fere extremum, quod atheismus eſt, prolaberentur. *

* Dictum hac de re, quantum ſatis eſt, ad ſectionis huius §. *IV.*

** Vt Baalis cultum Achabus introduceret, plurimum contulit Izabela, Ethbaalis Sidoniorum regis filia, quam in matrimonium duxerat. Id iam ſupra nobis obſeruatum ad ſectionis huius §. *VIII.* Atque inde intelligitur, cum nomen *Baal* apud varias gentes vſitatum fuerit, hic tamen illud ſpeciatim idolum intelligi, quod apud Phoenices hoc nomine veniebat. Quod quale fuerit, de eo fuſe iam ſupra ad *period. II. ſect. II.* §. *XVII. p. 757.* diſputauimus. Quae vt hic repetantur, neceſſe non eſt.

*** Mentio idoli huius *II. reg. I. 2.* iniicitur. Quale autem fuerit, & cur ita dictum ſit, de eo mirifice viri docti inter ſe diſſentiunt; vti in rebus obſcuris, & vbi coniecturis tantum locus conceditur, fieri adſolet. Nonnulli, iique inter eruditos haud infimi ordinis, eandem diuinitatem, quae Sidoniis atque Tyriis *κατ᾽ ἐξοχὴν* Baal, Latinis autem Iupiter, & Graecis ζεὺς dicitur, hoc nomine venire, contendunt. Ad denominationem autem quod attinet, IOANNES quidem DRVSIVS hocce idolum בעל. זבוב dictum exiſtimat, quod ſtatua ſeu ſimulacrum eius haberet caput muſcae figuram referens; idque ſecundum Syrorum, idola ex figuris hominum & beſtiarum componentium, morem. Praeterea, quod in nouo teſtamento Βεελζεβοὺλ dicatur, quod *Deum ſtercoris* ſignificet, id inde fieri, quod a Iudaeis per contemtum hocce nomen idolo huic datum ſit. *Haec mea coniectura eſt*, inquit, *quam puto veram eſſe*, *& ita opto Deum animae meae propitium;* ad *Matth. XII. verſ. 25.* Iureiurando itaque ſententiam ſuam confirmat, quod longe rectius, in re tam exigui momenti, intermiſiſſet. IOSEPHVS SCALIGER vtrumque nomen *Baal-ſebub* & *Baal-ſebul* ignominioſum, adeoque idolo huic per contemtum impoſitum fuiſſe cenſet. Verum nimirum nomen *Baal-zebucb*, vel in multitudinis numero, *Baal-zebucbim* fuiſſe, arbitratur, hoc eſt, *Deus ſacrificiorum*, ſed a Iudaeis per contemtum mox *Baal-zebub*, mox *Baal-zebul* dictum; de *emendat. temp. in fragment. pag. 26.* Atque hanc GERHARDVS IOANNES VOSSIVS quoque calculo ſuo adprobat ſententiam, de *idololatr. gentil. libr. II. cap. IV.* quin & HVGO GROTIVS, ad *Matth. XII. v. 25.* qui & addit, *Beel-ſebub* eundem ſibi videri Deum, quem Phoenicii vocauerint *Beel-ſamen*, hoc eſt, Deum coelorum. Pro confirmanda etiam

Digitized by Google

hac ſententia facere videtur, quod non adeo inſolens apud Ebraeos fuerit, pro nomine vero contumelioſum aliud in ignominiam atque dedecus ſubſtituere, quemadmodum eandem ob cauſſam prophetae nomen *Bethel*, hoc eſt, *domus Dei*, mutarunt in *Beth-auen*, hoc eſt, *domus iniquitatis*. Sed ſi ex hisce auctoribus quaeras, cur idolum hocce Acronitarum vocatum ſit *Baal-ſebub*, hoc eſt, *deus muſcarum*, tum demum ipſimet deprehendent, quam ſit ſibi curta ſupellex. Etenim, quod Iudaei tradunt, in templo Hieroſolymitano, nullam vnquam conſpectam fuiſſe muſcam, quarum ceteroquin immenſam vim ſacrificiorum multitudo eo attrahere debebat; in gentilium autem templis integra muſcarum examina ſacrificiorum carnibus incubuiſſe, id plane ingenio rabbinico dignum exiſtimo. Quodſi etiam hoc admittatur, nulla tamen adferri ratio poteſt, cur Acronitarum ſaltem, & non potius Sidoniorum aut Tyriorum idolum, hocce nomine inſignitum ſit. Nec quod de nominum ignominioſorum pro propriis ſuppoſitione dicitur, adeo firmo nititur talo. Etſi enim generatim idola gentilium, nominibus, contemtum ſignificantibus, in ſcriptura ſacra exprimantur; ſpeciatim tamen genuinum idoli cuiusdam nomen in aliud contumelioſum mutatum fuiſſe, non legimus. Pro *Bethel* enim quod aliquando *Beth-auen* dictum, praeterquam quod id nomen loci fuerit, a prophetis etiam in ſermonibus comminatoriis factum, non autem vſu receptum fuit. Accedit, quod maximum momentum trahit, *Baal-zebubi* nomen Acronitarum idolo non ab eius contemtoribus, ſed ab ipſo Achazia, qui illud religioſo cultu proſequebatur, datum eſſe.

Atque haec cum ita ſint, alii inde concludunt, Acronitarum idolum Baal-zebubi nomine neutiquam per contumeliam venre, ſed hoc verum eius fuiſſe nomen, idque honorificum, cum & alias ethnicis haud infrequens fuerit, ſimilia diis ſuis cognomina imponere; cum apud eos Hercules aliquis χορνωπίων *locuſtarius*, a locuſtis depellendis, Apollo μυοκτόνος, ab interficiendis muribus, & ab aliis Deus aliquis μυιώδης *muſcarius* celebretur. Ego quidem haec ita comparata eſſe exiſtimo, vt non temere quis adſenſum ſuum iis ſit denegaturus. Quare id ſolum ſupereſt, quisnam ſub hocce nomine deus lateat? IOSEPHVM SCALIGERVM, GERHARDVM IOANNEM VOSSIVM, atque HVGONEM GROTIVM, eum qui κατ' ἐξοχὴν Tyriis atque Sidoniis Baal dictus eſt, quiue etiam Baal-Samen eſt adpellatus, eo tegi, exiſtimare, iam antea obſeruauimus. Hisce & IOANNES SELDENVS accedit, in explicanda tamen ſignificatione vocis *Baal-ſebub* ab iis diſſentiens, *ſyntagm. II. de diis Syris*, *cap. VI.* PETRVS vero IVRIAEVS, vir doctiſſimus, in aliam ingreditur ſententiam, per Baal-Zebub, Plutonem potius indigitatum, contendens, *hiſtor. critic. dogm. & cult. &c. part. IV. cap. III. p. 632. ſeqq.* Primo namque rationem euiden-

dentem ita reddi poſſe, cur Baal-Sebub in nouo foedere vocetur *princeps daemoniorum*, quod alias viris doctis tam obſcurum viſum, vt IOANNES SELDENVS quoque profiteatur: *atqui, quam ob rem ad principem daemoniorum denotandum vſurpetur Baal-Zebub, aut Beel-Zebub, fateor, originem me omnino latere*; *loc. cit.* Et licet alii rationem quandam eius rei commenti ſint, eam tamen parum veriſimilem eſſe, IVRIAEVS oſtendit. Plutonem vero principem fuiſſe *deorum Manium*, ſeu *deorum infernalium*, hoc eſt, *daemonum*, conſtat. Enim vero, etſi vox *daemon*, in theologia gentili aliquando etiam in bonam partem accipiatur; & apud Platonicos eos praecipue denotet, qui inter deos coeleſtes & homines medium locum tenent; ſaepius tamen apud ipſos ethnicos ſcriptores in malam partem eam accipi, & *malignos ſpiritus* denotare, variis veterum teſtimoniis comprobat. Deinde & iſtud argumento eſſe, quod Pluto *deus Acherontis* vocetur, immo & ipſe Pluto quandoque *Acheron* audiat, vt in notiſſimo illo VIRGILII verſu:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Acherontis autem vocem non commodius, quam ab *Accaron*, poſſe deriuari, vbi Baal-Zebub, ſeu Pluto, ſpecialiori quadam ratione fuerit cultus. Sane, quae ab aliis adferuntur vocis huius deriuationes, admodum coactae eſſe videntur. Eo autem veroſimiliorem hanc reddi ſententiam, exiſtimat, quod oraculum iſtud Beel-zebubi, quod Achazias conſuluit, nihil aliud, quam templum Plutoni, ceu deo inferorum, conſecratum fuiſſe videatur, in quo ab euocatis mortuorum animabus ſeu manibus, futura exquirebantur, quam diuinationem νεκρομάντειαν, itemque ψυχομάντειαν dictam conſtat, quamue eo tempore etiam inter Iſraelitas non inuſitatam fuiſſe, vel Saulis exemplo, de quo ſupra dictum, condocemur. Plutonis denique cultum apud Phoenices in vſu fuiſſe, adlato SANCHVNIATHONIS apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. I. cap. X.* teſtimonio, comprobat. Quodſi vero quaeras, cur Pluto *Baal-zebub*, ſeu *deus muſcarum*, dictus ſit, muſcas aeque ac locuſtas inter praecipua calamitatum genera, quibus orientis populi adfligantur, referendas eſſe, obſeruat. Cum ergo ſecundum gentilium theologiam eligendus deus aliquis eſſet, qui auctor eiusmodi calamitatum eſſet, easque adeo non minus immittere, quam auertere poſſet, aptiorem non occurriſſe, quam hunc inferorum principem Plutonem, ad quem, quidquid malorum erat, quidquid horrorem incutere poterat, merito referebatur. Idem vero quod etiam *Beel-Zebul* vocatus ſit, a Graecis forte originem ducere, qui vocem hanc genio linguae ſuae adcommodauerint, aut, ſi iam apud ipſos Phoenices hoc in vſu fuit, varias quidem & huius denominationis reddi rationes poſſe, quas inter maxime veroſimilis ſit, ab ebraea & Phoenicia voce זבול, quae *habitatio*.

rionem ſignificat, eam petendam eſſe, eo quod Plutonis ſedes ea ſit habitatio, vnde reditus non pateat, *irremeabilis* hinc *vnda* poetae dicta. Immo a vero non abhorrere, Phoenices, priori denominationi, vtpote non adeo honorifiicae, poſteriorem hanc praetuliſſe. Quae quidem omnia lectoribus diiudicanda relinquo: dubito tamen, an in re adeo obſcura veroſimilius quid dici queat. Quinam vero dii, tum naturales, tum animales, ſeu ex antiquiſſimis humani generis propagatoribus ac patriarchis, ſub hacce Plutonis imagine lateant, idem auctor vberius ediſſerit, *loc. cit. pag.* 640. *ſeqq.* Qua de re plura addere inſtituti noſtri non patitur ratio.

* Cum decem tribus Iſraelis in captiuitatem abductae eſſent, Salmanaſſer rex Aſſyriorum Babylone, Chuta, Havva, Chamata, & Sepharuaiimis nouos colonos adduxit, qui Samariam ceteraſque vrbes Iſraelitarum incolerent. Hi vero, cum a veri Numinis cultu alieni eſſent, a leonibus, feriſque beſtiis vexati, ab Aſſyriae rege vnum ex ſacerdotibus captiuis impetrarunt, qui rationem verum Deum rite colendi eos condoceret. Quam equidem & admiſerunt, vt tamen ſimul patriam retinerent idololatriam. *At vnaquaeque gens*, inquit ſcriptor ſacer, *fecit deos ſuos*, *quos collocauit in templis editorum locorum*, *quae Samariae incolae fecerant*; (ſic fecit) *vnaquaeque gens in vrbibus*, *quas habitauit. Babylonii fecerunt Succoth-benoth*, *Chuthaei Nergalem*, *Chamatenſes Aſimam*, *Havvaei Nibhchazum & Thartakum*, *Sepharphaiimaei igne adoleuerunt liberos ſuos Adrammelecho & Anammelecho diis Sepharuaiimorum*, *&c. II. reg. XVII. v.* 30. *ſeqq.* Idolorum haecce, quae hic commemorantur, nomina admodum obſcura ſunt; vnde in iis explicandis, coniecturis ſaltem, iiſque longe incertiſſimis, locus relinquitur. Iudaeorum equidem magiſtri in *tract. talmud. Sanhedrin fol.* 63. tradunt, *Succothbenoth* idolum Babyloniorum, fuiſſe gallinam cum pullis; *Nergal* Cuthaeorum, gallum ſilueſtrem; *Aſimam* Chamatenſium, hircum depilatum; *Nibhchas* Havvaeorum, canem latrantem, & eorundem *Tartak* aſinum; Sepharphaiimaeorum denique *Adrammelech*, mulum, & *Anammelech* eorundem, equum. Quae paſſim ab eiuſdem gentis doctoribus, R. SALOM. IARCHI, R. DAVID KIMCHI, R. ISAAC ABARBANELE, aliiſque, ad *II. reg. XVII. verſ.* 30. *ſeqq.* repetuntur. Praeterquam vero, quod haec non alio fundamento, quam leuiſſima quadam vocum alluſione & etymologiis admodum incertis, nituntur, res ipſa docet, iſta a Iudaeis in odium Samaritanorum conficta eſſe. Hiſce ergo procul faceſſere iuſſis, eos potius audiamus, qui veroſimilius quid de hiſce idolis in medium proferunr. Ad *Succoth* itaque *benoth* quod attinet, primo quidem certum, idolum aliquod, quod Babyloniis in honore fuit, innui. Colonis enim, qui ex Babylonia venerunt, illud tribuitur. Certum etiam, idolum aliquod

quod feminini generis innui, cum *Succoth-benoth* ſignificet *tentoria filiarum.* Admodum itaque veroſimile, non tam idolum aliquod, quam fanum ſeu aediculam Mylittae Veneris, cuius cultus laſciuus apud Babylonios in vſu fuit, deſignari, quae eſt ſententia IOAN. SELDENI, de *diis Syris ſyntagm. II. cap. XXVII.* GERH. IOAN. VOSSII, de *idololatria gentil. lib. II. cap. XXII.* & HVG. GROTII, ad *II. reg. XVII. 30.* &, qui copioſius eam comprobat, PETRI IVRIAEI, *hiſtor. crit. dogm. &c. part. IV. cap. VII. pag. 690. ſeqq.* niſi cum aliis dicere velis, per metonymiam ipſum idolum, ſeu Venerem Babyloniam, aut eius cultum, deſignari. De *Adrammelech & Anammelech* conſentiunt fere eruditi, ipſum Molochum hisce nominibus indicari, de quo & eius cultu copioſe ſupra dictum ad *per. II. ſect. I. §. XXXVI. pag. 608.* Et ſane cultus ratio, qui hisce idolis exhibitus fuit, id aperte ſuadet, ſiquidem Adrammelecho & Anammelecho non minus, quam Molocho, liberi concremabantur. Vocem *Melech* idem eſſe, ac Moloch, conſtat; voces *Adar* autem & *Ana* haud dubie ad attributum aliquod ſpeciale Molochi exprimendum additae ſunt; cumque אדיר *fortem*, *magnum*, *excellentem* ſignificet, *Adrammelech* idem eſſe videtur, ac rex magnus & potens; verbum autem ענה cum *reſpondere* ſignificet, *Anammelech* inde forte dictus eſt, quod preces hominum exaudiret; vid. GERHARDVS IOAN. VOSSIVS de *idololatria gentil. lib. II. cap. V.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. III. loc. IV. p. 450. ſeqq.* PETRVS IVRIEV, *hiſt. crit. dogm. &c. part. IV. cap. II. p. 567.* Ad Cuthaeorum idolum *Nergal* quod attinet, cum ניר aut נר in lingua ebraea *lucernam*, item *ignem* denotet, גלל autem *voluit*, & גלא *reuelauit*; ſignificatio vocis *Nergal* eſſe poteſt, *ignis ſe ipſum voluens*, ſeu *lucerna illuſtrans & manifeſtans*; quae denominatio cum ſoli conueniat, eum hac voce denotari, eo facilius credi poterat; quo notius eſt, ſolis cultum apud Chaldaeos pariter ac Perſas, olim fuiſſe vſitatiſſimum. Vocem אשימא, qua Chamatenſium idolum exprimitur, ſunt, qui per leuem transpoſitionem ab אש שמיא *ignis coeli* deriuandam cenſent, aut etiam ab אש יומא *ignis diurnus*, vt ea itidem ſol, ſplendidiſſimum coeli aſtrum, quod a Deo diei regimini praefectum eſt, denotetur. Atque ad eundem ſolem etiam refertur a nonnullis vox נבחז, qua Havvaeorum idolum indicatur. Namque פחז in lingua ebraea *rapiditatem*, *rapidum*, ſignificat, in chaldaea autem *ſaltare*, *currere*, *feſtinare*; quae in ſolem haud inepte quadrare videntur. Iudaeorum magiſtri, vt antea obſeruauimus, *canem latrantem* hac voce ſignificari, contendunt, quia נבח eſt *latrauit*. Et ſane apud Aegyptios Anubin ſub forma canina cultum fuiſſe, vel illud VIRGILII;

Omnigenumque Deum monſtra & latrator Anubis,

Aeneid. lib. VIII. v. 698. nos dubitare non ſinit. Sed an ad alias gentes mon-

Digitized by Google

ſtroſa iſta idololatria tranſierit, incertum eſt, immo vix credibile. Non magis credibile, per *Thartack* aſinum ſignificari, cum nullo exemplo condoceri queat, aſinum in vlla gente olim fuiſſe adoratum. Veroſimiliora itaque proferre ſibi videntur, qui רתך in lingua chaldaea *currum* ſignificari, obſeruantes, vnde תרתק fieri potuerit, *currum ſolis* hac voce indicari, exiſtimant. Poetis olim in more poſitum fuiſſe, ſolem ſub imagine hominis currum regentis, exhibere, vel illud OVIDII de Phaetonte loquentis:

currus petit ille paternos
Inque diem alipedum ius & moderamen equorum

metamorphoſ. lib. II. v. 47. comprobat. Legenda, quae de his omnibus diſſerit PETR. IVRIAEVS, *l. c. p. 658.* Sed cum cuncta ad coniecturas longe incertiſſimas redeant, ſatius fuerit, ignota nobis prorſus horum idolorum eſſe nomina, profiteri. Interim foediſſimi exemplum ſyncretiſmi hinc capere licet, ſimulque intelligere, quam difficulter homines inueteratos deponere errores queant, vt coniungere potius veri Dei & idolorum cultum, hoc eſt, lucem cum tenebris, veritatem cum mendacio, malint, quam ſolum verum Deum ea, qua decet, ratione colere. Corruptae mentis, inſitaeque prauitatis, hoc eſt indicium certiſſimum, ex qua cum reliquis intellectus, pariter ac voluntatis vitiis, eiusmodi ſyncretiſmum religionum procedere, non eſt, quod dubitemus. Et Deus quidem eum initio tolerauit, eo, quod videret, fore, vt tandem ab iſto idolorum cultu deſiſterent, quod & ſequenti aetate factum nouimus. Poſt Iudaeorum enim ex Babylonica captiuitate reditum, eiusmodi idolorum cultum apud Samaritanos deſiiſſe, conſtat; etſi nihiloſecius inter eos & Iudaeos odium plus quam Vatinianum interceſſerit, qua de re in ſequentibus erit dicendi locus.

** Repetenda, quae de hocce altari ſupra ad §. *XXIII.* huius ſectionis diximus.

*** Etiam hac de re, quantum ſatis eſt, dictum ad ſectionis huius §. *XXIV.*

* Occurrit vox haecce *I. reg. XV. 11.* & *II. chron. XV. 15.* qua quid ſignificetur, ad §. *VI.* huius ſectionis diſputauimus.

** Idoli huius, quod Damaſci colebatur, non alibi, quam *II. reg. V. verſ. 18.* mentio iniicitur, vbi Naaman, Syrus, ex Eliſaeo vate quaerit, an regi, cum aedem Rimmonis ſacrorum cauſſa ingrederetur, vt ſolitum ei officium praeſtaret, ſibi adeſſe fas eſſet? A Syris itaque hocce idolum adoratum, dubio caret. Quale autem fuerit, non conſtat. Cum רמון lingua ebraea *malum punicum* ſignificet, Venerem nonnulli indicari putant, quippe cui mala punica ſacra fuerint. Praeferenda mihi videtur eorum coniectura, qui vocem hanc a רומם vel רמם *excelſus fuit*, deriuant, vt Deus ille innuatur, quem Phoe-

Phoenices, teſte SANCHVNIATHONE, *Elion* vocabant, hoc eſt, vt PHILO BYBLIVS interpretatur, ὕψιςος, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. I. cap. X.* IOANNIS SELDENI haec eſt ſententia, *de diis Syris ſyntagm. II. c. X. p. 330.* quam & calculo ſuo adprobat PETRVS IVRIEV, *hiſtor. critic. dogm. &c. part. IV. cap. XI. p. 660.* conf. & IOANNES CLERICVS, ad *II. reg. V. 18.*

*** Aſſyriorum hocce fuit idolum, quod Niniuae colebatur. In eius enim aede Sennacheribus Aſſyriorum rex, cum ab infelici in Iudaeos expeditione rediiſſet, a filiis percuſſus, interiit, *II. reg. XIX. 37.* LXX interpretes *II. reg. XIX.* 37. pro נסרך habent Μεσερὰχ ſiue Μεσορὰχ, alibi autem *Eſa. XXXVII. 38.* Ναβαρὰχ vel Ἀβαρὰχ. Vnde parum lucis capias. Cum נסר lingua chaldaea *tabulam* ſignificet, Ebraeorum magiſtri hinc tabulam ex arca Noachi exſculpſerunt. Sic R. SAL. IARCHI, ad *Eſa. XXXVII. 38.* vocem hanc explicat נסר מתיבתו של נוח *tabula ex arca Noachi.* Aliis hinc ſuppeditata fuit occaſio, vt adſererent, *Niſrach* denotaſſe parvulam ciſtam, arcae Noachi imaginem exhibentem, ſub qua Noachus, ſeu Ianus, cultus fuerit. Sed cum lubrico admodum haec ſententia nitatur fundamento, illi potius audiendi videntur, qui *aquilam* hac voce deſignari obſeruant; cum נשר רך *aquilam iuuenem* ſignificet, ſimulque ſub hac imagine Belum Aſſyriaci regni conditorem cultum, contendunt. Multa erudite pro hac ſententia in medium adfert PETRVS IVRIEV, *loc. cit. part. IV. cap. XI. p. 661. ſeqq.* quibus tamdiu acquieſcere poſſumus, donec veroſimiliora excogitentur.

* De graecanicae theologiae primis praecipuisque auctoribus, Cadmo atque Orpheo, iam ex inſtituto dictum ad *per. II. ſect. II. §. XVIII. p. 789. ſeqq.* it. *pag. 799. ſeqq.* Ex quibus etiam, qualis eo tempore theologia iſta fuerit, intelligere licet. Sed id quoque inde patet, religionem atque theologiam Graecorum, quae antiquiſſimis temporibus ſimpliciſſima erat, ab orientis populis variis, cumprimis autem Phoeniciis, immo & ab Aegyptiis, maximum incrementum accepiſſe. Certe θεογονίας Graecorum, quales HOMERVS atque HESIODVS ad nos transmiſerunt, ab iis, quas orientis populi habuerunt, deriuandas eſſe, non dubitabit, qui eas cum SANCHVNIATHONIS illa conferre, operae duxerit pretium. Sed & hoc iam ſupra obſeruatum *l. c. p. 786. & 787.* Legenda & quae hanc in rem diſſerit PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. &c. part. III. c. VI. p. 446.* In hocce itaque, in quo nunc verſamur, temporis interuallo, infinitarum fabularum acceſſione, figmentisque innumeris de Saturno, Ioue, Marte, Dionyſio, Apolline, Iunone, Minerua, &c. aucta & ad faſtigium fere perducta eſt theologia illa fabuloſa, commentorum, quibus nomina linguae phoeniciae, plerumque non ſatis intellectae, aliaeque cauſſae, occaſionem dederunt,

runt, varietate, & verorum pariter ac falſorum, domeſticorum & peregrinorum commixtione, mirum in modum intricata, quam poetae, theologi inde dicti, praecipue Heſiodus atque Homerus, deſcripſere. Praecipuos deorum, quos Graeci eo tempore venerati ſunt, hunc in modum vnico fere faſce complectitur HESIODVS:

Ἐννύχιαι στεῖχον, περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι,
ὑμνεῦσαι Δία τ' αἰγίοχον, καὶ πότνιαν Ἥρην
Ἀργείην, χρυσέοισι πεδίλοις ἐμβεβαυῖαν,
Κούρην τ' Αἰγιόχοιο Διὸς γλαυκῶπιν Ἀθήνην,
Φοῖβόν τ' Ἀπόλλωνα, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
Ἠδὲ Ποσειδάωνα γαιήοχον ἐννοσίγαιον,
Καὶ Θέμιν αἰδοίην, ἑλικοβλέφαρόν τ' Ἀφροδίτην
Ἥβην τε χρυσοστέφανον, καλήν τε Διώνην,
Ἠῶ τ', Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε Σελήνην,
Λητώ τ', Ἰαπετόν τε, ἰδὲ Κρόνον ἀγκυλομήτην,
Γαῖαν τ', Ὠκεανόν τε μέγαν, καὶ Νύκτα μέλαιναν.
Ἄλλων τ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων.

Nocte incedunt (Muſae) *perpulchram vocem emittentes,*
Celebrantes Iouemque aegida tenentem,
& venerandam Iunonem Argiuam, aureis calceamentis incedentem:
Filiamque Aegiochi Iouis, coeruleos oculos habentem Mineruam:
Phoebumque Apollinem, & Dianam ſagittis gaudentem,
Atque Neptunum terram continentem, terrae motorem,
Et Themin venerandam, & blandis oculis Venerem,
Hebenque aurea corona decoram, formoſamque Dionen,
Auroramque, ſolemque magnum, ſplendidamque lunam,
Latonamque, Iapetumque ac Saturnum verſipellem
Terramque, Oceanumque vaſtum & Noctem atram,
Aliorumque immortalium ſacrum genus, ſemper exſiſtentium.

Θεογον. p. m. 6. Neque tantum numina, quae Graeci coluerunt, praecipua hinc intelligere licet, ſed confuſos ſimul atque erroneos, quos poetae, & ad illorum exemplum alii, ſibi de iis formarunt, conceptus. Quod enim ſupremi entis, rerumque omnium conditoris erat nomen, non tantum hominibus, iisque variis vitiorum generibus obrutis, tribuerunt, ſed rebus etiam aliis, ſoli, lunae, terrae, oceano, nocti; vnde profecto non poterant non abſona quaeuis & ſecum pugnantia conſequi. Ad ipſam vero colendi deos rationem quod attinet, praeter preces, quas ad eos fundere

dere ſolebant, huc pertinent *ſacrificia*, *libamina*, & *ſuffitus*. Colligi hoc poſſe videtur ex iſto HESIODI praecepto, quod *lib. I. oper. & dier. v. 334. ſeqq.* exſtat:

Καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
Ἁγνῶς καὶ καθαρῶς, ἐπὶ δ' ἀγλαὰ μηρία καίειν.
Ἄλλοτε δὴ σπονδῇς θυέεσσί τε ἱλάσκεσθαι·

Pro facultate autem ſacra facito immortalibus diis,
Caſte & pure, nitidaque femora adole.
Interdum certe libaminibus atque hoſtiis placa.

Vbi quidem ad ſacrificia quod attinet, ea ita oblata fuiſſe, vt oſſa femoralia comburerentur, vel ex hoc ipſo HESIODI loco condiſcimus. Libaminum itidem diſerte mentionem iniicit, cum per τὰς σπονδὰς, *libationes* ſignificari, notum ſit. Σπονδὴ enim & λοιβὴ ſunt idem apud Graecos, & λείβειν idem eſt, quod σπένδειν, teſtibus HESYCHIO & VARINO, in *lexicis*. Σπένδειν autem ſeu λείβειν proprie nihil aliud ſignificat, quam χεῖν *fundere*. Vltima denique verba θυέεσσί τε ἱλάσκεσθαι, de *ſuffitu*, ſi nonnullos audias, accipere poſſes, cum θύειν, vnde τὸ θύος eſt, apud ſcriptores antiquiſſimos proprie non ſignificet *mactare*, ſed ψαιστὰ, hoc eſt, fructus, folia item & glandes diis offerre. Addunt, obſeruatum hactenus non eſſe, τὸ θύειν apud HOMERVM vnquam *mactandi* ſignificatione eſſe adhibitum, ſed τῶ θυμιᾷν, quod IVLIVS, POLLVX *onomaſt. libr. I. cap. I. num. XXIV.* interpretetur per ἀρώματα λύειν ἐν πυρὶ, *aromata igne reſoluere.* Immo & ATHENAEVS auctor eſt, HOMERVM loco verbi θύειν, prout ſacrificandi ac mactandi ſignificationem habet, vſurpaſſe verbum ῥέζειν, *dipnoſophiſt. libr. XIV. cap. XXIII.* Verum, quin apud HESIODVM hocce verbum, & quod inde deductum eſt, θύος in mactandi ſignificatione accipiendum ſit, nullum fere videtur eſſe dubium. A libatione enim & crematione hoc diſtinguit. Nec inuſitata iſta eſt verbi θύειν apud alios auctores veteres ſignificatio. Vt autem in verbis HESIODI antea adlatis ſenſus ſibi conſtet, non praetermittendum puto, quod ſcholiaſtes IOANNES TZETZES, ad *h. l.* obſeruauit: *μηριαῖα ὀστέα τοῖς θρυλλουμένοις θεοῖς ἔθυον· oſſa femorum ſacrificarunt vulgaribus diis.* Vnde ſenſus hic eſſe videtur, non tantum oſſa femorum vulgaribus diis concremanda, ſed interdum libaminibus etiam & hoſtiis mactatis deos placandos. Inter animalia autem, quae immolabant hoſtias, praecipua erant taurus & bos, ſeu vacca, capra, aries, aper, ouis, agnus, eque volatilibus gallus, gallina, & ſimilia. Apud HOMERVM paſſim in *odyſſea* legitur, Vlyſſem ariete, apro & tauro litaſſe. Et *Iliad. II. v. 727.* dicitur:

Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι

Taurum & Alphio, taurum & Neptuno.

 Quod

Quod porro HESIODVS monet, ſacra non tantum caſte & pure, ſed ita quoque peragenda, ne excederetur facultatum modulus, id ex eo confirmari poteſt, quod Draco, antiquiſſimus Athenienſium legislator, ſanciuit apud PORPHYRIVM: ἐπεὶ καὶ Δράκοντος νόμος μνημονεύεται τοιοῦτος· θεσμὸς | αἰώνιος τοῖς Ἀττίδα νενομένοις, κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον· θεοὺς τιμᾶν καὶ ἥρωας ἐγχωρίους ἐν κοινῷ, ἐμποινίμοις νόμοις πατρίοις, ἰδίᾳ κατὰ δύναμιν, σὺν εὐφημίᾳ, καὶ ἀπαρχαῖς καρπῶν καὶ πελάνοις ἐπετείοις· *Et Draconis quidem lex talis memoratur: lex eſt antiquiſſima aeternaeque auctoritatis in Attica, venerandos eſſe deos, atque heroas patrios & indigenas publice, ſecundum patrias ſanctiones, priuatim vero bonis verbis, frugumque primitiis & libis annuis pro facultatum modulo; de abſtinentia ab animalib. nec. libr. IV. §. XXII. pag. 179.* De reliquis, quae hic adhuc moneri poterant, conferendi antiquitatum graecarum ſcriptores, interque eos IOAN. PHILIPPVS PFEIFFERVS, *antiquit. graecar. lib. I. cap. VIII. pag. 12. ſeqq.* De oraculis, quae hac tempeſtate apud Graecos fuerunt, iam ſupra dictum, ad *period. II. ſect. II. §. XVIII. pag. 798. ſeqq.*

Iam ad Romanos quod attinet, eorum itidem aeque ac aliarum gentium, initio ſimplicior religio fuit, tum deorum dearumque numero, tum ritibus variis ac ceremoniis, per Numam Pompilium, aliosque, deinceps augenda. Quodſi eorum a Troianis originem deriuemus, quae recepta multorumque ſuffragiis comprobata eſt ſententia, dubium non erit, quin & religionis Romanae primordia a Troiana fuerint deriuanda. Idque & AVGVSTINVS perſpexit, cuius digna ſunt, quae hic legantur, verba: *Hinc fortaſſis & Numa Pompilius, pace abundans, ſed, quo donante, neſciens nec requirens; cum cogitaret otioſus, quibusnam diis tuendam Romanam ſalutem regnumque committeret, nec verum illum atque omnipotentem ſummum Deum curare opinaretur iſta terrena, atque recoleret Troianos deos, quos Aeneas aduexerat, neque Troianum, neque Lauinienſe ab ipſo Aenea conditum regnum, diu conſeruare potuiſſe, alios prouidendos exiſtimauit, quos illis prioribus (ſiue qui cum Romulo iam Romam tranſierant, ſiue quandoque Alba euerſa fuerunt tranſituri) vel tanquam fugitiuis cuſtodes adhiberet, vel tanquam inualidis adiutores; de ciuitate Dei lib. III. cap. XI.* Alibi idem Hipponenſium praeſul, Aeneam effigies deorum penatium, cum Troiam relinqueret, ſecum abstuliſſe, adſerit, *loc. cit. lib. X. cap. XVI.* Idque & VIRGILIVS confirmat, apud quem Iuno ita loquitur:

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat aequor,
Ilium in Italiam portans, victosque penates,

Ae-

Aeneid. libr. I. verſ. 71. 72. Sic & in ſequentibus Hector in ſomnio Aeneae adparens:

> *Sacra ſuosque tibi commendat Troia penates,*
>
> *Hos cape fatorum comites: his moenia quaere,*

lib. II. verſ. 293. Quinam autem dii iſti penates fuerint, iam olim dubitatum, diſputatumque fuiſſe, ex MACROBIO diſcimus, *ſaturnal. libr. III. cap. IV.* Cum enim dixiſſet: *de diis quoque Romanorum propriis*, id eſt, *penatibus*, *adſperſa eſt huic operi* (Virgilii) *non incurioſa ſubtilitas*, Nigidii hac de re primum adfert ſententiam: *Nigidius enim de diis libro decimo nono requirit, num dii penates ſint Troianorum Apollo & Neptunus, qui muros eis feciſſe dicuntur, & num eos in Italiam Aeneas aduexerit. Cornelius quoque Labeo libro de diis penatibus eadem exiſtimat, &c.* Varronis hinc addit: *Varro humanarum ſecundo, Dardanum refert deos penates ex Samothrace in Phrygiam, & Aeneam ex Phrygia in Italiam detuliſſe*; tum porro ſubiungit: *Qui ſint autem dii penates, in libro quidem memorato Varro non exprimit. Sed qui diligentius eruunt veritatem, penates eſſe dixerunt, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus. Eſſe autem medium aethera Iouem, Iunonem autem imum aera cum terra, & Mineruam ſummum aetheris cacumen, &c.* Et haec etiam ſententia, penates deos Romanorum non alios eſſe, quam deos Samothraces, hoc eſt, Iouem, Iunonem, & Mineruam, vti admodum veroſimilis, ita inde quoque robur accipit, quod Caſſius Hemina apud eundem MACROBIVM, *loc. cit.* dicit: *Samothracas deos, eosdemque Romanorum penates, proprie dici μεγάλους θεούς.* confer. PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. &c. part. III. cap. IV. pag. 424. ſeqq.* Fruſtra equidem haec omnia diſputari videntur, ſi quis cum SAMVELE BOCHARTO Aeneae in Italiam aduentum in dubium vocet, Romanorumque originem a Troianis deriuari poſſe, neget. Immo inter argumenta, quibus BOCHARTVS Aeneae in Italiam aduentum impugnat, praecipuum fere eſt, quod antiquiſſimis temporibus deorum, quos Troiani venerati ſint, nulla apud Romanos mentio. *Aeneam*, inquit, *ſi in Italiam veniſſet, ſine dubio plurimum commendaturum fuiſſe cultum Veneris, quam dicebat matrem ſuam.* Sed ignotum antiquiſſimis temporibus apud Romanos fuiſſe Veneris nomen, Cingii pariter ac Varronis auctoritate comprobat MACROBIVS: *Sed Cingius, in eo libro, quem de faſtis reliquit, ait, imperite quosdam opinari, Aprilem menſem antiquos a Venere dixiſſe, cum nullus dies feſtus, nullumque ſacrificium inſigne Veneri per hunc menſem a maioribus inſtitutum ſit. Sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris vlla, vt ceterorum coeleſtium, laus celebratur. Cingio etiam Varro conſentit, adfirmans, nomen Veneris ne ſub*

ſub regibus quidem apud Romanos, vel latinum, vel graecum fuiſſe, & ideo non potuiſſe menſem a Venere nominari; ſaturnal. lib. I. cap. XII. Poſt Venerem inter praecipuos Troianorum deos commemorandus videtur Apollo, qui & Pergami habebat templum, hoc eſt, in arce ciuitatis, vbi Homerus fingit, quod Apollo abſconderit Aeneam, curarique fecerit, per Latonam matrem ſuam, & Dianam ſororem, vulnera, quae accepit in certamine cum Diomede. At non maiorem Apollinis, quam Veneris, notitiam habuiſſe Romanos veteres, vel ex hisce ARNOBII, quae *libro II.* exſtant, liquere videtur: *Non doctorum litteris continetur, Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta neſcire?* hoc eſt, nonne docent monumenta ſapientum, quod Apollo non reperiatur in indice deorum factorum a Numa? Praeterea & Rhea ſeu Cybele mater deorum, inter numina Troiana locum inuenit, quae ex Creta in Phrygiam transuecta, omni tempore maiori ſuperſtitione ibi culta fuit, quam in Creta inſula; ſed Romae tandem anno vrbis conditae quingenteſimo quinquageſimo cultus eius receptus fuit. Eo enim, ex imperio certi cuiusdam oraculi, auecta fuit ex Peſſinunte oppido Phrygiae, permittente rege Attalo, & adducta Romam magna pompa. Haec ſimiliaque pro ſententia ſua vrget, quem iam laudaui, SAMVEL BOCHARTVS, in *differt. epiſtolica: num Aeneas vnquam fuerit in Italia? p. m. 7. ſeqq.*

Quemadmodum autem iam ſupra ad *period. II. ſect. II. §. XVIII. pag. 821.* monuimus, Aeneae in Italiam aduentum non prorſus in dubium vocari poſſe, etſi forte multa fabuloſa & commentitia narrationi huic ſint admixta? ita rationes a BOCHARTO in medium adlatae, & a Troianorum deorum cultu ſerius apud Romanos recepto, petitae, ſententiam contrariam nondum extra omnem dubitationem ponunt. Si enim vel maxime concedamus, rem ita, prout eam propoſuit, ſe habere, varias ob rationes contingere potuit, vt quorundam deorum Troianorum cultus non ſtatim publice reciperetur, aut intermiſſus ad tempus, ſolemniori quadam ratione deinceps reuocaretur. Quidquid huius ſit, Numam Pompilium cultum deorum non primum quidem inueniſſe, (vt ſtolide forte nonnulli ſibi perſuadent) ſed multum auxiſſe, poſitum eſt extra controuerſiam. Paucis rem omnem complectitur L. ANNAEVS FLORVS: *Ille* (Numa) *ſacra & ceremonias, omnemque cultum deorum immortalium docuit; ille pontifices, augures, ſalios, ceteroſque per ſacerdotia; annum quoque in duodecim menſes, faſtos dies nefaſtosque, deſcripſit. Ille ancilia atque palladium, ſecreta quaedam imperii pignora, Ianumque geminum, fidem pacis ac belli; inprimis focum Veſtae virginibus colendum dedit; vt ad ſimulacrum coeleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma vigilaret. Haec omnia quaſi monitu deae Egeriae, quo magis bar-*

barbari acciperent; *libr. I. cap. II.* Fuſius autem haec omnia ediſſerunt, adeoque primam Romanae theologiae faciem exhibent T. LIVIVS, *hiſtor. libr. I. cap. XIX.* PLVTARCHVS, in *Numa*, *tom. I. opp. pag. m. 60. ſeqq.* DIONYSIVS HALICARNASSEVS, *antiquitat. Roman. lib. II. pag. m. 124.* & ex veteris eccleſiae doctoribus AVGVSTINVS, de *ciu. Dei*, *lib. II. cap. XVI.* & alibi; itemque LACTANTIVS, *diuinar. inſtitution. lib. I. cap. XXII.* Et DIONYSIVS equidem HALICARNASSEVS auctor eſt, Numam, quae iam a Romulo tradita accepiſſet, velut optime conſtituta, immota reliquiſſe; quod ſi quid autem ab illo animaduertiſſet praetermiſſum, id de ſuo addidiſſe, multasque adeo areas iis adſignaſſe diis, quibus nulli dum honores tributi eſſent; multa etiam templa & aras erexiſſe, attributo ſuo cuique numini feſto, & inſtitutis, qui ſacra curarent, ſacerdotibus, latisque legibus permultis de caſtimonia, de ceremoniis, luſtrationibus, ceteroque cultu & honore deorum: ὅσας (θεραπείας καὶ τιμὰς) ὅθ' Ἕλληνις, ὅτε βάρβαρος ἔχει πόλις, ὅδ' αἱ μέγιςον ἐπ' εὐσεβείᾳ φρονοῦσαί ποτε; *adeo vt hac parte longe a tergo relinqueret quamuis ciuitatem, ſiue graecam, ſiue barbaram, quantumuis pietatis nomine celebrem.* Praeterea, vt idem DIONYSIVS porro refert, Romulum, vt qui mortali homine factus eſſet auguſtior, templo & alternis annis ſacrificio ſub Quirini cognomento coli voluit, & omnia, quae ad religiones ac ceremonias pertinent, octo libris, ſecundum totidem ſacrorum claſſes, complexus eſt. Prima ex hisce ſacrorum claſſibus *curiorum* erat; altera *flaminum*, quos Graeci ςεφανηφόρες vocabant; tertia *tribunis celerum* tributa erat; quarta *auguribus*, quo nomine generatim veniebant, qui omnium diuinationis generum erant peritiſſimi, eratque eorum diſciplina apud Romanos vt antiquiſſima, ita & ſanctiſſima, quippe qui ſine auguriis ac auſpiciis nihil incipere ſolebant; quinta *virginibus*, ſacrum ignem cuſtodientibus, quas a dea, cui miniſtrabant, *Veſtales* vocare ſolebant; ſexta claſſis *ſaliorum* erat; ſeptima *fecialium*, & octaua denique *pontificum.* De quibus omnibus, vt & reliquis Numae inſtitutis ſacris, quo minus plura dicamus, inſtituti ratio prohibet. Ceterum quod FLORVS, *loc. cit.* breuiter de Numa dixit: *haec omnia quaſi monitu deae Egeriae, quo magis barbari acciperent*, id praeter alios non tantum confirmat, ſed fuſius ediſſerit T. LIVIVS: *ne luxuriarentur otio animi, quos metus hoſtium, diſciplinaque militaris continuerat, omnium primum rem ad multitudinem imperitam, & illis ſeculis rudem, efficaciſſimam, deorum metum iniiciendum ratus eſt; qui cum deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet, ſimulat, ſibi cum dea Egeria congreſſus nocturnos eſſe; eius ſe monitu, quae acceptiſſima diis eſſent ſacra inſtituere, ſacerdotes ſuos cuique deorum praeficere; libr. I. cap. XIX.*

 Et

Et deinceps: *lucus erat, quem medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua: quo quia ſe perſaepe Numa ſine arbitris, velut ad congreſſum deae inſerebat, Camoenis eum lucum ſacrauit, quod earum ibi concilia cum coniuge ſua Egeria eſſent*; *cap. XXI.* Intelligebat equidem recte Numa, ad continendum in obſequio populum, animorumque ferociam mitigandam, religione opus eſſe, eaque in re non prorſus fallebatur. Sed, vt de vera religione eiusque fine ſecundario hoc admitti poteſt, ita falſa, quae a ſuperſtitione non differt, ſi hunc in finem adhibeatur, non poteſt non longe plura, grauioraque ciuibus ſingulis, & toti reipublicae, attrahere incommoda. Praeterea, cum, ab Egeria dea, ſacra inſtituta ſe accepiſſe, fingeret, quae ipſe tamen excogitauerat, a fraudis & impoſturae crimine abſolui nequit; quod in rebus diuinis in homine, qui tantam virtutis & pietatis prae ſe ferebat ſpeciem, longe foediſſimum erat, & apud prudentiores ethnicorum non poterat non omnem ſuſpectam reddere religionem. Licet autem forte & alii ex gentilium legum latoribus eiusmodi artibus vſi ſint, de verae tamen religionis conditoribus, ſpeciatim Moſe, quod nonnulli faciunt, eiusmodi quid ſuſpicari, non minor ſtultitia foret, quam impietas. Reliqua ad theologiam, & religionem Romanorum ſpectantia, in ſequentibus expediemus.

** Inter graecanicae theologiae magiſtros Homerus, poetarum princeps, primum praecipuumque tenet locum; de cuius patria non magis, quam de aetate, qua vixit, certi quid pronuntiare non licet. De patria namque eius iam olim ſeptem vrbes, quarum quaelibet tanti viri gloriam ſibi tribuebat, inter ſe contendiſſe, notum eſt, quarum nomina Varro apud A. GELLIVM, *noct. Atticar. lib. III. cap. XI.* ſequenti epigrammate comprehendit:

Ἕπτα πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι·

Septem vrbes contendunt de origine Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ius, Argus, Athenae.

His vero & aliae deinceps acceſſere vrbes, quae Homerum in ciuitatem ſuam adſciuerunt. Immo fuerunt, qui eum aut Syrum aut Aegyptium facerent, quemadmodum LVCIANVS more ſuo ludens, eum Babylone natum, ab ipſo Homero ſe didiciſſe, adſerit, *lib. II. verae hiſtor. pag. 676.* Diligenter omnes iſtas de patria Homeri ſententias collegit, & ſub examen reuocauit LEO ALLATIVS, in *diatriba de patria Homeri*, in qua id agit, vt eum popularem ſuum, hoc eſt, ex Chio inſula oriundum, euincat. Et ſane Chius atque Smyrna reliquis omnibus in hoc certamine dubiam reddidere palmam. Praecipuas,

as, quae pro vtraque adferri poſſunt, rationes in compendio exhibet LVDOLPHVS KVSTERVS, in *hiſtoria critica Homeri ſect. I. pag. 2. ſeqq.* qui & cum aliis viris doctiſſimis recte in eam ingreditur ſententiam, inutilem & ſuperuacaneam eſſe omnem eam operam, quae in patria Homeri inueſtiganda collocatur. Non minus vero incertum eſt, qua aetate Homerus vixerit, auctoribus tam graecis, quam latinis in diuerſa abeuntibus. Graecorum diuerſas de aetate Homeri ſententias ſummatim complectitur TATIANVS, *orat. ad Graecos* §. *XLIX. pag. 107.* edit. WILHELMI WORTHI; itemque CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. lib. I. pag. 327.* Latini fere in eo conſentiunt, Homerum centum & ſexaginta annis ante vrbem conditam, ſiue D CCCC XII ante natum Chriſtum, floruiſſe. Ita CORNELIVS NEPOS in primo chronicorum apud AVL. GELLIVM, *noct. Atticar. libr. XVII. cap. XXI. pag. m. 437.* quem VELLEIVS PATERCVLVS, PLINIVS, IVVENALIS ſequuntur, diſſentiente Caſſio apud GELLIVM, *loc. cit.* qui, centum & ſexaginta annis poſt bellum Troianum Homerum vixiſſe, auctor eſt; adçoque centum annis eum antiquiorem facit, quam reliqui. In iſta ſententiarum pugna Latinorum conſenſum ſequi mauult LVDOLPHVS KVSTERVS, quoniam inter duo extrema mediam viam eligunt, *hiſtor. crit. Homeri, ſect. I.* §. *II. pag. 8.* Nec multum ab hac ſententia diſcedit IOAN. MARSHAMVS, ſaltem NEPOTEM minus a ſcopo abeſſe, quam ceteros profitetur. Ipſemet autem auctoritate marmoris Arundelliani fretus, floruiſſe Homerum, pronuntiat *ſub Diogneto Athenarum rege, anno Attico 676. per. Iulianae 3807. annis poſt Troiae cladem 302. antequam Olympia ab Iphito & Lycurgo inſtaurata ſint, annis 23. antequam Coraebus ſtadium vicerit, annis 131. canon. chron. ſec. XV. pag. 436. & 437.* Licet autem aetas Homeri adcurate determinari nequeat, hoc tamen apud omnes extra dubium poſitum, ad hocce temporis, in quo nunc verſamur, interuallum eum referendum eſſe. Certum etiam, eum omnium ſcriptorum graecorum, quos hodie habemus, eſſe antiquisſimum, quod & iam FLAVIO IOSEPHO obſeruatum: ὅλως δὲ παρὰ τοῖς ἕλλησιν ὐδὲν ὁμολογέμενον εὑρίσκεται γράμμα τῆς Ὁμήρε ποιήσεως πρεσβύτερον; *omnino vero apud Graecos nullum inuenitur ſcriptum indubitatum, quod poeſi Homeri antiquius ſit; lib. I. contra Apion. pag. 1034.*

Quantam vero Homerus non apud Graecos modo, ſed omnes gentes, quas eruditionis lumen peruaſit, conſecutus ſit auctoritatem, quot praeſtantiſſimorum omni aetate virorum elogiis condecoratus ſit, notius eſt, quam vt a me hic commemorari debeat. Praecipua eius elogia, alphabeti ordine diſpoſita, & diligenter collecta, omnium conſpectui ſubiecit IACOBVS DV PORTVS Anglus, in *appendice ad gnomologiam Homericam.* Eos, qui ex inſtituto integris ſcriptis

 vel

vel orationibus Homerum concelebrarunt, vt Dionem Chryſoſtomum, Maximum Tyrium, ceteroſque, indicat IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, *bibliothec. graec. libr. II. cap. I.* §. *X. pag. 261.* itemque IOSVA BARNESIVS, in *praefat.* operum Homeri Cantabrigiae anno M DCC XI a ſe editorum, §. *XII.* Apud Graecos tanta fuit Homeri auctoritas, vt non tantum a principibus viris, cumprimis ab Alexandro magno, maximo in pretio haberetur, ſed vt omnino diuini etiam ei decernerentur honores. Apud Argiuos enim, ceu numen cum Apolline ad ſacrificia ſibi parata rite vocabatur, vt auctor eſt AELIANVS, *hiſtor. var. libr. IX. cap. XV.* De apotheoſi autem eius marmor, ſeu vetuſtiſſimum aliud monumentum in agro Marino, ſeu Ferentino, duodecim millibus paſſuum Roma diſſito, repertum teſtatur, quod poſt alios eruditiſſimis notis illuſtrauit vir ſummus GISBERTVS CVPERVS. Reliqua autem, quae de poetae huius celebritate dici poterant, exhibet LVDOLPHVS KVSTERVS, in *hiſtoria crit. Homeri ſect. II. III. IV. & V.* Tanta itaque Homeri cum iam apud veteres fuerit auctoritas, mirum non eſt, fuiſſe, qui in eius ſcriptis fontem omnis doctrinae, omniſque ſapientiae ſibi inueniſſe viſi ſunt. Non tantum enim poetas conſummatum, quod nemo hactenus ſuperauerit, in eo conſpicere exemplar, plurimi ſibi perſuaſerunt, ſed geographiae quoque, aſtrologiae, muſices, reliquarumque matheſeos partium, philoſophiae itidem, ſpeciatim moralis doctrinae, eum peritiſſimum, omniumque adeo, quibus humanae eruditionis circulus abſoluitur, artium, quendam velut promum condum eſſe, contendunt. Legenda, quae hanc in rem diſſerit IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, *bibliotb. graec. lib. II. cap. VI. pag. 342. ſeqq.* Cum vero non omnes iſtam πανσοφίαν ſtatim primo intuitu in Homero inuenirent, nec tamen dubitarent, eam in illo contineri, ad allegoricas interpretationes prolapſi ſunt. Metrodorum Lampſacenum id feciſſe, teſtatur TATIANVS: καὶ Μητρόδωρος δὲ ὁ Λαμπσακηνὸς ἐν τῷ περὶ Ὁμήρȣ λίαν εὐήθως διείλεκται, πάντα εἰς ἀλληγορίαν μετάγων; *Certe Lampſacenus ille Metrodorus in libro de Homero prorſus ſtolide diſſeruit, nihil non ad allegoriam referens, orat. ad Graecos,* §. *XXXVII. pag. m. 80.* Idem & Heraclidem Ponticum, Proclum, aliosque feciſſe notum eſt, de quibus legenda, quae erudite diſſeruntur *obſeruat. Hallenſ. tom. III. obſeruat. I.* §. *IX. X. pag. 16. ſeqq.* Fuerunt &, qui, cum omnino ex ſcripturae ſacrae riuis ſua irrigaſſe arua, ſibi perſuaderent, vt ex antiquis eccleſiae doctoribus IVSTINVS martyr: καὶ τȣ̃ χάριν τȣ́τȣ γέγονε μνήμη νυνί; ἵνα δείξωμεν τὸν ποιητὴν καὶ τῶν ἀπὸ τῆς θείας τῶν προφητῶν ἱστορίας πολλὰ εἰς τὴν ἑαυτȣ̃ μεταβαλόντα ποίησιν· *Cuius autem rei gratia haec modo illata eſt mentio? vt oſtendamus, permulta eſſe a poeta ex diuinis quoque propheta-*

rum

rum libris in opus ſuum relata; &c. cobort. ad Graecos §. *XXIX. p. m. 105.* vbi & ſpeciatim, quae Moſes de mundi creatione & paradiſo refert, in Homero ſe deprehendiſſe ſibi viſus eſt. Similia & aliis in mentem venerunt; ſed nemo vlterius progreſſus eſt, quam GERHARDVS CROESIVS, qui totam Ebraeorum hiſtoriam ex Homero exſculpere voluit, in libro, Dordraci M DCC IV ſequenti titulo edito: Ὅμηρος Ἑβραῖος ſiue *hiſtoria Ebraeorum ab Homero, hebraicis nominibus ac ſententiis conſcripta in Odyſſea & Iliade.* Haec vero omnia cuiusmodi ſint, quam abſona, quam coacta, quam procul a mente poetae diſcedentia, quilibet ſua ſponte intelligit. Ceterum de praeſtantia Homeri & noſtra aetate acriter in Gallia diſputatum fuit, minori profecto cum fructu, quam forte ingenii, quam quisque ex hoc certamine referre conatus eſt, gloria. Cum enim vir doctus DE LA MOTHE Homeri Iliada verſibus gallicis ita expreſſam, vt defectus, quos in Homero ſibi deprehendere videbatur, emendaret, vna cum diſcurſu, in quo libere, quae in poeta hocce aut laudanda aut vituperanda ſint, expoſuit, Pariſiis anno M DCC XIV edidiſſet, admiratores Homeri, qui omnis etiam minimi naeui eum expertem volunt, maximopere offendit. Inter hos etiam ANNA DACERIA fuit, femina ceteroquin eruditiſſima, & ob varia ingenii monumenta percelebris, quae iam antea M DCC XI Iliada Homeri in linguam gallicanam translatam ediderat, ſimulque in eam ingreſſa erat opinionem, poetam hunc omnibus numeris ita abſolutum & conſummatum eſſe, vt grauiſſimo crimine ſe obſtricturus eſſet, qui vitium aliquod in eo ſe deprehendiſſe diceret. Haec itaque, zelo non minori, ac ſi religio chriſtiana in ſummum adduceretur periculum, correpta, *de cauſſis corrupti iudicii* (*des cauſes de la corruption du gout*) libellum edidit Pariſiis anno M DCC XIV impreſſum, in quo pro Homero defendendo omnis ingenii explicuit vires, & MOTTHAEVM tantum non laeſae Homericae maieſtatis reum agit. Acceſſerunt tamen & alii ad hoc certamen, vt TERASSONIVS abbas, dans *la diſſertation critique ſur l' Iliade d' Homere &c.* BOIVINVS, dans *l' apologie d' Homere & bouclier d' Achille;* auctor anonymus, *des cauſes de la corruption du gout, ou ſupplement au liure de Madame Dacier, &c.* & alii, quorum nonnulli pro Homeri gloria, alii contra eum, non minori animorum contentione, quam ſi Troiam ipſam aut impugnarent aut defenderent, dimicarunt.

Et ſane nunquam Homerus tot admiratores habuit, vt non quosdam etiam inueniret, qui minus praeclare de eo ſentirent, immo quaedam in illo reprehenderent. Nihil de Zoilo Epheſio dicam, acerrimo illo Homeromaſtige, quem nouem contra eum ſcripſiſſe libros, auctor eſt SVIDAS, voc. Ζωΐλος. Id ſaltem obſeruo, quod PLATO quoque eum cum reliquis poetis e republica ſua eiecerit, fabulasque il-

Digitized by Google

lorum vulgo legi vetuerit. Verba philoſophi *lib. II. de republ. pag. 377.* haec ſunt: καὶ θεομαχίας, ὅσας Ὅμηρος πεποίηκεν, οὐκ παραδεκτέον εἰς τὴν πόλιν, οὔτ' ἐν ὑπονίαις πεποιημένας, οὔτ' ἄνευ ὑπονοιῶν· *Deorum pugnas, quas Homerus finxit, non oportet in ciuitatem admittere, ſiue figuratę, ſiue proprie eae intelligendae ſint.* Et antea *p. 377.* idem philoſophus de poetarum fabulis ita pronuntiauerat: Ἆρ' οὖν ῥᾳδίως οὕτω παρήσομεν τοὺς ἐπιλυχόντας ὑπὸ τῶν ἐπιτυχόντων μύθους πλασθέντας ἀκούειν τοὺς παῖδας, καὶ λαμβάνειν ἐν ταῖς ψυχαῖς, ὡς ἐπιτοπολὺ ἐναντίας δέξας ἐκείναις, ἃς ἐπειδὰν τελεωθῶσιν, ἔχειν, οἰησόμεθα δεῖν αὐτούς; οὐδ' ὁπωστιοῦν παρήσομεν· *an ergo permittemus, quosuis pueros quasuis promiſcue fabulas audire, & animis ſuis concipere opiniones contrarias plerumque illis, quas cum viri euaſerint, habere eos debere putabimus? neutiquam permittemus.* Cum vero alibi idem PLATO Homerum maximis ornet elogiis, immo ἄριστον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν adpellitet, haec vt inter ſe concilient viri docti, Platonem, aiunt, Homerum non tam e republica ſua eieciſſe, quam non recepiſſe, tanquam poetam ſublimiorem captu imperitorum ciuium ſuorum. Timuiſſe enim eum, ne, ſi promiſcuas Homeri fabulas de diis legerent, nec in arcana naturae, ſub inuolucris eorum latentia, penetrare poſſent, prauis forte opinionibus imbuerentur. Ita LVDOLPHVS KVSTERVS, in *hiſtor. crit. Homeri ſect. II. & VI. p. 54.* Et ſane diffitendum non eſt, hanc Platonis cenſuram, non Homerum tantum, ſed pleroſque poetas graecos ferire, qui de diis talia, quae hominibus non poterant non noxia eſſe, fingebant. Nimis tamen etiam praeclare forte de Homero ſenſit, ſi haec mens eius fuit, dum ad ſenſus potius arcanos ſe recipere, quam talia admittere voluit, quae cum auctoritate & ſapientia poetae conſiſtere non poſſe videbantur. Liberius ſuam de poetarum principe aperuerunt ſententiam, qui noſtra praeſertim aetate praeiudicatas, quae veterum perſtrinxerunt oculos, animo eiecerunt opiniones. Ex his auctorem eruditiſſimum obſeruationis I, quae *tom. III. obſeruation. Hallenſ.* exſtat, audire iuuat. Cum enim docuiſſet, veterum poetarum carmina non tantum inter publica ſolemnia, ſed & priuata conuiuia decantata fuiſſe, de Homero haec ſubiicit: *Quid multa? ipſe Homerus talis cantor fuit, qui caecitate, paupertate & indigentia eo adactus, vt in Graecia mendicaret, & ad gratiam erogantium poemata ſua caneret.* *Teſtatur id ſaepius in vita Homeri Herodotus, ſiue quisquis ſit alius, quod caecus fuerit, pauper & vitae neceſſariis deſtitutus,* ἄπορος ἐὼν τοῦ βίου. *Ideoque Cumae a coriario quodam ob carmina receptus, vbi &* ἐν ταῖς λέσχαις τῶν γερόντων *in ſenum conuenticulis carmina ſua recitauerit, quod & Phocaeae quoque feciſſe eum teſtatur, cum a Cumano ſenatu de victu publico repulſam tulerit; & clarius, quod apud Phocenſes* ἀπὸ τῆς ποιήσεως τὴν βιω-

βιωτὴν ἔχε &c. §. *XV. p. 30. 31.* Talis ergo cum fuerit Homerus, vix quisquam tanta eruditione, tantaque ſapientia eum praeditum ſibi perſuaſerit, quantam poſteri illi tribuerunt, quantamque in ſcriptis eius deprehendiſſe ſibi viſi ſunt quam plurimi. Fato autem velut quodam contigit, vt ſtatim poſt Homeri mortem quidam magnae dignitatis viri exſiſterent, qui carminum eius amore caperentur; hinc cum ipſa aetate auctoritas eius, ſapientiaeque ac eruditionis opinio creuit, & multorum ita faſcinauit mentes, vt totius eruditionis circulum in eius opere quaererent, & hinc talia in eo ſe inuenire ſibi viderentur, quae ei ne per ſomnium quidem vnquam in mentem venerunt.

Sed, vt exemplo quodam, qualis Homeri ſapientia fuerit, oſtendamus, miſſis reliquis, theologiam eius paucis conſiderabimus. Hoc enim noſtri inſtituti requirit ratio. De diis eum talia tradidiſſe, quae a pueris ſine periculo corruptionis legi nequeant, ipſemet, vt antea iam obſeruauimus, PLATO pronuntiauit. LVCIANVS, vt illepidas illas abſonasque gentilium de diis ſuis fabulas haud ſemel more ſuo irriſit, falſeque perſtrinxit, ita &, quae de Homeri theologia ſententia eius fuerit, facile intelligitur, quod & ſubinde, praeſertim in *Ioue tragoedo, tom. II. opp. p. m. 128. ſeqq.* haud obſcure indicat. Eo minus itaque mirum, veteris eccleſiae doctores, acerrimos idololatriae gentilium hoſtes, impias Homericae theologiae ineptias paſſim demonſtraſſe. Vel MINVTIVM FELICEM hac de re audire iuuabit, qui, cum varia de diis gentilium abſurda enarraſſet, de Homero haec ſubiicit: *Et Plato ideo praeclare Homerum illum inclutum, laudatum & coronatum, de ciuitate, quam in ſermone inſtituebat, eiecit. Hic enim praecipuus bello Troico deos veſtros, etſi ludos facit, tamen in hominum rebus & actibus miſcuit; hic eorum paria compoſuit, ſaucianit Venerem, Martem vinxit, vulnerauit, fugauit. Iouem narrat a Briareo liberatum, ne a diis ceteris ligaretur: & Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus fleuiſſe; & ceſto Veneris inlectum, flagrantius, quam in adulteras ſoleat, cum Iunone vxore concumbere. Alibi Hercules ſtercora egerit, & Apollo Admeto pecus paſcit; Laomedonti vero muros Neptunus inſtituit, nec mercedem operis infelix ſtructor accipit: illic Vulcanus Iouis fulmen cum Aeneae armis in incude fabricatur, cum coelum & fulmina & fulgura longe ante fuerint, quam Iupiter in Creta naſceretur, & flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari, nec ipſe Iupiter non vereri &c. in Octauio cap. XXII. p. m. 78. ſeqq.* Similia & LACTANTIVS, *inſtitut. diuin. lib. I. cap. IX. ſeqq. p. m. 16. ſeqq.* vbi deorum gentilium flagitia, ipſi maximam partem Homero commemorata, recenſet, quamue haec indigna ſint natura diuina, demonſtrat, & ex graecis patribus CLEMENS Alexandrinus in *protreptico*, ſiue *cohortat. ad gentes p. m.*

m. 21. ſeqq. Horum veſtigia cum & alii premant, longe tamen aliter de theologia Homeri admiratores eius ſentiunt, qui nihil, niſi quod praeclarum ſit, in ea ſibi inueniſſe viſi ſunt. His praeter alios non ita pridem acceſſit GERARDVS CROESIVS in Ὁμήρῳ Ἑβραίῳ, ſiue *hiſtoria Ebraeorum ab Homero expoſita, tom. I. cap. XII.* vbi ex inſtituto de theologia Homeri agit. Non aliter namque eum, quam ipſam ſcripturam ſacram de Deo rebusque diuinis loqui, immo eum ſua ex ſcriptura accepiſſe, lectoribus perſuadere adnititur. Scripturam namque ſacram ſaepe nomine אלהים & Θεοὶ, item *filiorum Dei*, ita vti, vt eo *homines a Deo ſigillatim dilectos, aut collocatos a Deo in gradu eminentiori, atque in poteſtate ac regimine in alios homines, ſpeciatim viros Dei vice fungentes ad alios, vt Dei adminiſtros, vt legatos, verba ac iuſſa Dei ad alios deferentes homines*, denotet, vt ex locis *Gen. VI. v. 2. Exod. IV. v. 26. XVII. v. 8. 9. 28.* aliisque, pateat. Pari ratione & Homerum intelligendum, cum deorum multitudinem inducere videtur. *Iam ex his*, inquit, *diuinis nominibus Homero nata eſt occaſio, Deum varie adpellandi. Nimirum nominat Homerus promiſcue iam Θεὸς, iam Θεὸν. Et nominat homines praecellentes, a Deo electos, caros Dei, Deique amantes, praeſertim lectos, legatos, miniſtros Dei, deſtinatos ad quoddam ſingulare opus, qui, quae magna praeſtant, qui excitati a Deo, quaedam perferunt ad homines, Θεὸς & filios Dei. Vidit agnouitque hoc Max. Tyrius* διαλ. *XIII. quum ſcribit, Homerum vocare genitos Ioue, ſimiles diis, eos, quorum celebrat virtutem, non homines plebeios minimeque induſtrios, &c.* Cum vero Homerus non tantum imbecillitates, quibus homines obnoxii ſunt, ſed & flagitia maxima diis ſuis tribuit, haec CROESIVS ita excuſare adnititur: *Ceterum, vt ſcriptura ſacra haud praetermittit adnotare graues errores; nec ſilentio praeterit enormia facinora & crimina patriarcharum, & illorum virorum, qui vice Dei fungebantur, ceteris imperantes, quibus parere, quorum verbis audientes eſſe, omnibus neceſſe erat, qui igitur non* φύσει *dii erant, verum, vt ſcriptura nuncupat, appellatiui; ita Homerus quoque talia non omittit referre de viris atque heroibus, ſibimet viſis adeo eximiis, in ſuo vtroque opere; nempe, vti eadem ſcriptura oſtendens per ea exempla, quanta ſit hominum cunctorum etiam* εὐσέβειαν ἐκτετιμηκότων, *etiam optimorum, imbecillitas, fragilitasque, inducens Apollona appellantem homines miſeros, fragiles, imbecilles, ſimiles foliis, Il. XXX. verſ. 464.* Multa alia hunc in modum pro Homero eiusque theologia differit, & eo vsque progreditur, vt ſe non dubitare adſerat, quin cautius quandoque de Deo rebusque diuinis locutus ſit, quam quidam chriſtiani. *Sane*, inquit, *ſcribit in his Homerus, homo gentilis, multo cautius, quam quidam chriſtiani olim & nunc ſcripſere de Dei filio, & quam ſcripſit de Dei filio in ſuo poemate graeco,*

co, in metaphraſi in euangelium S. Iohannis, Nonnus Panopolita, Aegyptius, &c. Ita CROESIVS. Pari fere ratione DACERIA de Homeri theologia pronuntiat, *omnia* ſcilicet, *quae in eo occurrunt de diis paradoxa, ita comparata eſſe, vt ad imitationem quaſi reuelatae veritatis ficta, & de angelis, ſiue, vt in ſacris litteris adpellentur, ſubalternis diis, intelligenda ſint; vnde iure ſuo de Homero Strabo dixerit, quod ipſe* ὁ ἰδὼς θεῶν εἰκόνας ἢ μόνος ἰδὼν, ἢ μόνος δείξας *exſtiterit. Homerum namque deos nonniſi allegorico ornatu depingere, iamque poetam, vt theologum, iam vt phyſicum, iam vt morum doctorem decet, loqui. Theologum ſimplicem Dei eſſentiam in plura attributa, quaſi tot perſonas, ſub nomine Iouis, Iunonis, Neptuni, diſtinguere, & ea, quae ipſorum naturae, ſaniorique etiam theologiae conueniunt, de iis perhibere. Phyſicum cauſſas rerum naturales ſub deorum habitu proponere, hiſque mores, ſermones & actiones, rerum ab ipſis effectarum naturae conuenientes, attribuere. Ethicum denique, virtutes hominum ac vitia ſub ſchemate deorum repraeſentare, horumque propria illis ſueto poetis more tribuere.* Et hac quidem ratione omnia ab Homero dicta commodo explicari ſenſu, & cum ſcriptura ſacra conciliari poſſe; cuius rei ipſa in *notis* ſuis varia ſpecimina adfert. Paullo adcuratius tamen adhuc theologiam Homeri delineatura, fatetur equidem, plenum aliquod riteque cohaerens ethnicae theologiae ſyſtema ex Homero vix concinnari poſſe, id tamen ex eius lectione patere, quod *primum aliquod ens ſupremumque Deum, cui ſubalterni omnes pareant, humani arbitrii libertatem, fatique duplicis rationem, cum iſta libertate ac praedeſtinatione concordantem, animae immortalitatem, ſupplicia praemiaque poſt mortem exſpectanda, agnoſcat;* praeterea, *quod ex eius ſententia doctrinaque homines nihil boni habeant, quod a Deo non acceperint, ſecundi omnes agendarum rerum ſucceſſus piis precibus impetrandi, ab illo promanent, aduerſa omnia & mala hominibus ſtultitia ſua liberique abuſu arbitrii attrahantur, Dei prouidentia animalium quoque curam habeat, & columba Iouis decreto capiatur, vti in ſacris paſſer non ſine patris diuini voluntate decidere in terram dicitur &c.* Ita ſententia feminae doctiſſimae exprimitur, in *actis erud. Lipſ. ſupplement. tom. V. ſect. X. p. 440.* Sed, vt de toto Homeri poemate, ita etiam de eius theologia, longe aliter ſentit DE LA MOTHE, in *diſcurſu de Homero*, Iliadi in linguam gallicanam a ſe translatae, praemiſſo. Merito namque Homerum multorum incurriſſe cenſuram, pronuntiat, deos quod introduxerit vitiis non tantum & calamitatibus aeque ac homines obnoxios, ſed potentia quoque ac ſapientia, his quandoque inferiores; immo nec mortis periculo exemtos, ſaltem qui medicorum opus habeant auxilio, ſine quo illis pereundum fuiſſet. Eſſe equidem, qui contendant, Homerum veram diuinitatem in fato con-

conſtituiſſe, ſed in fati notione neutiquam eum ſibi conſtare, quippe quod mox neceſſarium & immutabile ſit ex eius ſententia, mox mutabile & ab alio dependens. Alios equidem rurſus in iſta deorum multitudine, attributa vnius veri Dei ſe inueniſſe, ſibi viſos, quam ſi amplectaris ſententiam, dicendum quoque fuerit, cum reliqui dii rebellione ſuſcitata contra Iouem inſurrexerunt, attributa diuina contra communem eſſentiam rebellaſſe. Enim vero ad allegorias ſi te receperis, nihil tam ineptum, tamque abſonum eſſe, quod non hac ratione emolliri aut excuſari queat; nihil praeterea in tota Iliade occurrere, quod non in ſenſu proprio & litterali accipiendum ſit. Et haec ſane veritati prorſus conſentanea mihi quoque videntur. Nimirum, ſi dicendum, quod res eſt, menti Homeri aeque ac aliorum gentilium hominum, maxime plebeiorum, confuſa admodum Numinis notio ſediſſe videtur. Hinc interdum, ſed raro, talia profert, quae ſummi Numinis perfectiones, immortalitatem, aeternitatem & reliquas indicare videntur, cuiusmodi quaedam in vnum collecta exhibet ADAMVS RECHENBERGIVS, theologus Lipſienſis clariſſimus, in *diſſertat.* de *theologia Homeri*, quae exſtat in *volumine* eius *exercitation.* in *nou. teſt. hiſtor. eccleſiaſtic. &c. p. 263. ſeqq.*

Sunt, qui exiſtimant, vt vnicum hoc adhuc addam, *Batrachomyomachiam*, quae inter Homeri ſcripta exſtat, a ſcriptore quodam antiquo eum in finem compoſitam, vt, quae Homerus in Iliade ſua de diis eorumque circa bellum Troianum cura finxit, riſui omnium atque ludibrio exponeret. Quod ſi ita ſe haberet, vel primum auctor iſte, inter eos promereretur locum, qui theologiae Homericae ineptias viderunt & perſtrinxerunt. Ingreſſus vero in hanc ſententiam eſt DANIEL HEINSIVS, in edititione *Batrachomyomachiae* ipſius ſtudio curata, quae Arnhemii MDCXLIX, 8. prodiit, eumque ſecutus eſt IOANNES CLERICVS, *biblioth. choiſ. tom. XXII. part. II. p. 268. ſeqq.* IOSVA equidem BARNESIVS omnes ingenii neruos intendit, vt probet, poemation hoc ipſum Homerum auctorem agnoſcere, & ab eo adhuc puero confictum, primum ingenii, quo praeditus fuerit, ſpecimen exhibere, idque Homero puero minime indignum eſſe, probare adnititut in *argumento*, *Batrachomyomachiae* praemiſſo. Mihi tamen prior longe veroſimilior videtur ſententia. Nihil enim ad ſententiam Homeri de diis, eorumque occupationibus, exagitandam, aptius excogitari poterat. Non Homerum, ſed Lucianum quemdam hic loqui, facile animaduertes, modo ſerio mentem aduertere velis. Quae enim Homerus diis ſuis circa hominum ſtudia & actiones in Iliade ſua tribuit, ea pari ratione iisdem in Batrachomyomachia circa mures & ranas adſcripta videas. Homerum, alios que Graecorum, multa diis indigna de iis & cogitaſſe & dixiſſe, conſtat, idque inde proueniſſe, quod confu-

ſam

Digitized by Google

ſam admodum & erroneam de Deo notionem haberent, nullum videtur eſſe dubium, vt antea quoque de Homero obſeruauimus. Sed tam inſanum, tamque ſtupidum quemquam inter eos fuiſſe, vt ſerio de diis talia aut crederet, aut diceret, qualia in hocce carmine continentur, fidem ſuperat. Ecquis enim, vt reliqua taceam, non rideat, cum Pallas ſe excuſatura, cur nec muribus, nec ranis auxilium ferre poſſet, ita loquitur:

Ω πάτερ, ὐκ ἄν πώποτ' ἐγὼ μυσὶ τειρομένοισιν
Ελθοίμην ἐπαρωγὸς, ἐπεὶ κακὰ πολλά μ' ἔοργαν,
Στέμματα βλάπτοντες, καὶ λύχνυς ἕινεκ' ἐλαίυ,
Τῦτο δέ μου λίην ἔδακε φρένας, διον ἔρεξαν.
Πέπλον μου κατέτρωξαν, ὃν ἐξύφηνα καμῦσα
Εκ ῥοδάνης λεπτῆς, καὶ σήμονα λεπτὸν ἔνησα,
Τρώγλας τ' ἐμποίησαν· ὁ δ' ἠπητής μοι ἐπέστη,
Καὶ πράσσει με τόκυς· τῦτυ χάριν ἐξώργισμαι·
Χρησαμένη γὰρ ὕφηνα, καὶ ὐκ ἔχω ἀνταποδῦναι.

O pater! non certe vnquam ego muribus cum vexentur
Venerim auxiliatrix, quoniam mala multa mihi fecerunt,
Coronas deſtruentes & lucernas, cauſſa olei.
Hoc autem meas valde momordit mentes, quod fecerunt.
Peplum meum corroſerunt, quod texui, elaborando
Ex trama ſubtili, & ſtamen ſubtile neui,
Foraminaque fecerunt; at ſartor mihi inſtitit;
Exigitque a me vſuras; huius gratia irata ſum;
Mutuata enim ſubtexui, & non habeo, vnde reſtituam.

verſ. 177. *ſeqq.* Sed haec, vt, quae Homeri theologia fuerit, cognoſcamus, ſufficiant.

*** Antiquiorne Homero ſit Heſiodus, an iunior, iam olim diſceptatum fuiſſe, A. GELLIVS nos condocet: *ſuper aetate Homeri atque Heſiodi non conſentiunt: alii Homerum, quam Heſiodum, maiorem natu eſſe ſcripſerunt, in quis Philochorus & Xenophanes; alii minorem; in quis L. Accius poeta, & Ephorus hiſtoriae ſcriptor, noct. Attic. libr. III. cap. XI.* Immo litem, quae hac ſuper re inter grammaticos orta eſt, Heraclidem Ponticum duplici dialogo περὶ τῆς Ο'μήρυ καὶ Ἡσιόδυ ἡλικίας dirimere voluiſſe, auctor eſt DIOGENES LAERTIVS, *lib. V. ſect. LXXXVII.* Meminit quoque eius rei PAVSANIAS, in *Boeoticis p.* 768. & ceu controuerſiae, ex qua parum ad nos vtilitatis redundet, SENECA, *epiſt. LXXXVIII.* De Accio poeta idem, quem iam laudauimus, A. GELLIVS addit, quod in *primo didaſcalico leuibus admodum argumentis vtatur, per quae oſten-*

oſtendat, Heſiodum natu priorem. Quod Homerus, inquit, (ita pergit GELLIVS) *quum in principio carminis, Achillem eſſe filium Pelei, diceret, quis eſſet Peleus, non addidit: quam rem procul, inquit, dubio dixiſſet, niſi ab Heſiodo iam dictum videretur; de Cyclope itidem, inquit, vel maxime, quod vnoculus fuit, rem tam inſignem non praeteriſſet, niſi aeque prioribus Heſiodi carminibus vulgatum eſſet; loc. cit.* Grauiora tamen alii ſibi inueniſſe argumenta viſi ſunt, quibus eandem ſententiam tuerentur, quos inter & IVL. CAESAR SCALIGER eſt, *poet. p. 101.* & IVSTVS LIPSIVS, ad *Velleii lib. I. cap. V.* qui *maiorem ſimplicitatem* & *rudiorem antiquitatem in Heſiodo comparere, quam in Homero*, pronuntiat. At ſecus CLAVDIO SALMASIO videtur, contendenti, longe ſuauiorem Heſiodum & comptiorem, eoque minus antiquitatis redolentem cenſeri debere, ad *Solinum p. 867.* cui iudicio etiam ſubſcribit LVDOLPHVS KVSTERVS, in *hiſtor. crit. Homeri c. I. §. IV. p. 11.* Sed recte mihi hac de re pronuntiaſſe videtur vir clariſſimus, IO. ALBERTVS FABRICIVS, dum recitatis hiſce de hacce controuerſia opinionibus, hancce ἐπίκρισιν ſubnectit: *Sed, quod pace doctiſſimorum virorum dictum eſto, magna in vtroque ſimplicitas, nec minor elegantia in vtriusque poematis comparet vt aetatem diuerſam ex adeo diuerſi argumenti ſcriptis tam parum diuerſis, coniicere, fortaſſis ſit operam perdere; biblioth. graec. lib. I. c. XIII. p. 86. 87.* Interim communior eſt ſententia, Heſiodum aliquanto poſt Homerum vixiſſe, quam & veriorem iudicat LVDOLPHVS KVSTERVS, in *hiſtor. crit. Homeri, ſect. I. §. IV. p. 11.* ad SVIDAM prouocans, cuius hac de re ſunt verba: Πορφύριος καὶ ἄλλοι πλεῖστοι νεώτερον ἑκατὸν ἐνιαυτῶν ὁρίζουσι; *Porphyrius & alii plurimi iuniorem (Heſiodum) centum annis ſtatuunt.* Prouocant & ad CICERONEM atque SOLINVM, quorum vterque, Heſiodum poſt Homerum vixiſſe, tradidit. Iungendus his praeter alios VELLEIVS PATERCVLVS, qui, *huius temporis*, inquit, *aequalis Heſiodus fuit, circa centum viginti annos diſtinctus ab Homeri aetate &c. libr. I. c. VII.* At VARRO, vir rerum antiquarum peritiſſimus, Heſiodum Homero aequalem fecit, permotus epigrammate quodam, quod in tripode ſcriptum eſt, qui in monte Helicone ab Heſiodo poſitus traditur, apud A. GELLIVM, *noct. Atticar. libr. III. c. XI.* Idem hoc epigramma eſſe videtur, in quo Heſiodus cum Homero certaſſe, eumque viciſſe perhibetur, quodue *anthol. libr. III. fol. 270.* apud DIONEM CHRYSOSTOMVM, *orat. II.* de *regno*, & in *certamine Homeri atque Heſiodi p. 26.* ex edit. IOSVAE BARNESII, exſtat, & ita ſe habet:

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ᾽ ἀνέθηκε,
Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον·

Heſiodus Muſis Heliconidis hunc conſecrauit,
Qui hymno vicit Chalcide diuinum Homerum.

Exſtat

Exſtat & aliud epigramma apud EVSTATHIVM, ad *Iliad. ά pag. 5.* & *Scholiaſtem Pindari ad Nemeon. II.* quo memoratur, Heſiodum cum Homero certaſſe, at non in Chalcide, quod prius teſtatur, verum in Delo. Verum vtrumque hoc epigramma ab admiratoribus Heſiodi confictum eſſe, contendit CLAVDIVS SALMASIVS, ad *Solinum pag. 869.* in poſteriori inſuper nec victum Homerum, nec cum Heſiodo certaſſe dicitur, ſed vtrumque Apollinem celebraſſe. Ad libellum vero quod attinet, cui titulus: *ἀγὼν Ὁμήρε καὶ Ἡσιόδε*, quem alias iam editum, nuper etiam Iliadi Homeri praemiſit IOSVA BARNESIVS, illum itidem confictum, & poſt Adriani tempora ſcriptum eſſe, viri quidam longe doctiſſimi exiſtimant, rem in medio relinquente, quem iam laudauimus, IOSVA BARNESIO. Quidquid huius ſit; conficta ſint iſta & parum genuina, certamen aliquod inter Homerum atque Heſiodum interceſſiſſe, non videtur prorſus negari poſſe, ſiquidem conſtans eius rei fama apud veteres fuit, mentionemque eius faciunt PLVTARCHVS, *ſympoſiac. libr. V. quaeſt. II.* & in *conuiuio ſeptem ſapientum pag. 153. ſeqq.* PHILOSTRATVS, in *heroicis*, LIBANIVS, in *Socratis apologia* §. *XXIX. pag. 633.* aliique, laudati BARNESIO, *loc. cit. p. 20.* Quod ſi ita ſe habeat, non etiam dubitandum, quin eodem tempore Homerus Heſiodusque vixerint, etſi hic illo iunior fuerit. Qua quidem ratione nec illi magnopere diſſentient, qui Heſiodum poſt Homerum vixiſſe cenſent, cum plerique fateantur, non adeo magnum eſſe temporis ſpatium, quod inter vtrumque interceſſerit.

Inter ſcripta Heſiodi, quae adcurate recenſet IO. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graecae libr. II. cap. VIII. pag. 372. ſeqq.* ad noſtrum praecipue inſtitutum pertinet eius *Θεογονία*, quippe quae ſpecimen quoddam theologiae graecanicae, qualis eo tempore fuit, exhibet. Summam eius, vt & reliquorum Heſiodi ſcriptorum M. MANILIVS, *lib. II. aſtronomicῶν pag. m. 30.* paucis complectitur. Homerum enim cum laudaſſet, mox de Heſiodo haec ſubiungit:

- - - - - Sed proximus illi,
Heſiodus memorat diuos diuumque parentes,
Et chaos enixum terras, orbemque ſub illo
Infantem, & primum titubantia ſidera corpus,
Titanasque ſenes, Iouis & cunabula magni,
Et ſub fratre viri nomen, ſine fratre parentis,
Atque iterum patrio naſcentem corpore Bacchum
Omniaque immenſo volitantia numina mundo.

Obſeruatum viris doctis eſt, ſpeciatim THOMAE BVRNETIO, per *Θεογονίαν* veteres nihil aliud, quam coſmogoniam, *Φυσιογονίαν* ac *γεογονίαν* ſignificare voluiſſe, in *theoria telluris lib.*

lib. II. cap. VII. it. *in archaeologia philoſophica pag. 397. 399. ſeqq.* Nec abnuo, modo hoc ita capiatur, quod θεογονίαι iſtae praeter rerum omnium origines, memoriam antiquiſſimorum hominum, quorum olim quaedam fuit celebritas, fuerint complexae. Supra enim iam ad *period. II. ſect. II. §. XVIII. pag. 786. 787.* oſtenſum, vt iam antea quoque, cum generatim de theologia graecanica huius aetatis verba faceremus, repetitum fuit, θεογονίας iſtas ad exemplum eorum, quae Moſes de rerum omnium originibus, primiſque hominibus, litteris conſignata reliquit, primum ab orientis populis fuiſſe concinnatas, & ab his per Phoenices ad Graecos fuiſſe propagatas. Hinc & nullum prorſus eſt dubium, quin multis in iſtis θεογονίαις ex hiſtoria & lingua Phoenicum, quae non multum ab ebraea differt, lux egregia adfundi queat, cuius rei varia ſpecimina poſt SAM. BOCHARTVM, dedit IOAN. CLERICVS, in *notis* ſuis ad *Heſiodum*. Praeterquam vero, quod tum reliqui tum & Graecorum poetae commentis variis fabuliſque θεογονίας iſtas auxerunt, veritatem Moſaicae narrationis mirum in modum corruperunt, ſupremi Numinis nulla fere habita ratione, rebus autem creatis, cumprimis hominibus, diiſque interdum variis vitiorum ſordibus commaculatis, diuinitatis notione adcommodata, foediſſimae idololatriae ideo merito rei. Hinc ipſe HESIODVS, poſt *coelum* & *terram*, quae ante omnes deos, qui ipſius aeuo maximi habebantur, fuerunt, deos ex his genitos commemorat: οἵ τ᾽ ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοὶ, δωτῆρες ἐάων, *quique ex his prognati ſunt, dii, datores bonorum, verſ. 46.* qui primam velut deorum claſſem conſtituunt, ſicuti altera filiorum Saturni eſt. δεύτερον αὖτε Ζῆνα, θεῶν πατέρ᾽ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν, *ſecundo loco Iouem, patrem deorum*, qui ea aetate maxime colebantur, *atque hominum verſ. 47.* Duplex itaque hicce ordo deorum, hoc eſt hominum in deorum numerum relatorum, iſtius aetatis hominibus ſaltem notus erat; altius ſi adſcendebant, nihil antiquius reperiebant, quam coelum & terram, hiſque vetuſtius chaos, nec vltra progrediebantur. Veri itaque Dei aut tenuis, aut obſcura admodum, & confuſa notio animis eorum haerebat, quae magis adhuc corrumpebatur, cum ad homines mortales, quae veri Dei erant, transferebant. Haec genuina theologiae iſtius eſt facies, cuius ſpecimen nobis reliquit Heſiodus. Haec vero omnia indigna vero Deo eſſe, perſpicaciores ex ipſis gentilibus facile intelligebant, vt vel ex iis, quae antea de theologia Homeri diximus, liquet. Hinc & Pythagoras finxit, ſe animam Heſiodi vidiſſe apud inferos vinculis adſtrictam columnae aeneae, ſtridentemque propter ea, quae de diis finxerat, teſte DIOGENE LAERTIO, *lib. VIII. ſect. XXI.* Praeter Heſiodum θεογονίας ſcripſerunt Abaris, Muſaeus, Pherecydes Athenienſis, Orpheus, Ariſteas, Epimenides, Anti-

Digitized by Google

tiphon, Hecateus, Andron, Dromocrides, Aemilius Macer, aliique, de quibus vid. IO. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. II. cap. VII.* §. *XV. pag. 377.*

* *Septem ſapientes*, inquit AVGVSTINVS, *poſt poetas theologos claruerunt, quia genere vitae quodam laudabili praeſtabant hominibus ceteris, & morum nonnulla praecepta ſententiarum breuitate complexi ſunt*; de *ciuit. Dei lib. XVIII. cap. XXV.* Fuerunt quidem ea aetate, qua ſeptem illi vixiſſe perhibentur, plures, qui ſapientiae laudem conſecuti erant; ſeptem tamen ex illis prae reliquis celebrantur. HERMIPPVS in libro de *ſapientibus*, decem & ſeptem fuiſſe tradit, quorum ex numero ſeptem illos alii aliter eligant, apud DIOGENEM LAERTIVM, *libr. I. ſect. XLI.* Septemdecim autem eos ita computat, vt primo loco ponat Solonem, tum Thalem, Pittacum, Biantem, Chilonem, Cleobulum, Periandrum, Anacharſin, Acuſilaum, Epimenidem, Leophantum, Pherecydem, Ariſtodemum, Pythagoram, Laſum—Charmantidae, ſeu Siſymbrini, ſiue, vt Ariſtoxenus tradit, Chabrini filium, Hermioneum, Anaxagoram. At conſentiunt in eo plerique, ſeptem tantum fuiſſe, quibus olim id nominis ſpecialiori quadam ratione datum, quanquam, quinam iſti fuerint, rurſus non prorſus inter ſe conueniant; vt ex eodem DIOGENE LAERTIO, *l. c. ſect. XLI.* condiſcere licet. PLATO, cui ἄνθρωποι τελέως πεπαιδευμένοι audiunt, hoc ordine eos recenſet: Thales Mileſius, Pittacus Mitylenaeus, Bias Priennenſis, Solon Athenienſis, Cleobulus Lyndius, Myſon Chenaeus, & Chilon Lacedaemonius, in *Protagora pag. m. 343.* edit. IO. SERRANI. PLATONEM ſequitur PAVSANIAS, hoc ſaltem obſeruans, quod pro Periandro Corinthio Cypſeli filio enumeret Chenenſem Myſonem; in *Phocicis* ſiue *lib. X. cap. XXIV. pag. m. 857.* Hunc omiſſum quandoque, ſubſtituto in eius locum Periandro, διὰ τὴν ἀδοξίαν αὐτοῦ propter obſcuritatem eius, auctor eſt DIOGENES LAERTIVS, *lib. I. ſect. CVIII.* CLEMENS autem Alexandrinus exiſtimat, omiſſum Periandrum a PLATONE, quod tyrannus fuerit, adeoque ſapientiae elogio indignus. Cum enim ſex illos, PLATONI quoque commemoratos, recenſuiſſet, & de ſeptimo obſeruaſſet, in varias de eo auctores abire ſententias, aliis quidem Periandro Corinthio, aliis Anacharſi Scythae, aliis Epimenidi Cretenſi, aliis alii cuidam, locum hunc adſignantibus, ſubiicit: *Plato autem pro Periandro, tanquam ſapientia indigno, propterea quod fuerit tyrannus, ponit Miſonem Cheneum*; *ſtrom. lib. I. pag. 299.* Ceterum PLATO ipſe hosce, quos commemorauerat, ſapientes, ita porro deſcribit: οὗτοι πάντες ζηλωταὶ καὶ ἐραςαὶ καὶ μαθηταὶ ἦσαν τῆς Λακεδαιμονίων παιδίας· καὶ καταμάθοι ἄντις αὐτῶν τὴν σοφίαν τοιάυτην οὖσαν,. ῥήματα βραχέα ἀξιομνημόνευτα ἑκάςῳ εἰρημένα· *Hi omnes aemuli, ſtudioſi, & quaſi*

quaſi amatores fuerunt Lacedaemoniae eruditionis, in cuius etiam diſciplinam ſeſe tradiderunt, illiusque huiusmodi rationem exſtitiſſe, perſpicuum eſt culibet ex breuibus illis dictis, & illuſtri memoria dignis, quae illorum nominibus circumferuntur. Addit porro, communiter eos conueniſſe, & communi ſententia ſuae illius ſapientiae primitias Apollini conſecraſſe, quae templo Delphico inſcriptae, omnium vocibus celebrentur, *γνῶθι σεαυτόν*, *noſce te ipſum*, & *μηδὲν ἄγαν*, *ne quid nimis; l. c. p. m.* 343. Ex quo quidem PLATONIS loco vt ſimul, quodnam ſapientum iſtorum inſtitutum fuerit, liquet, ita diuerſas iam olim hac de re exſtitiſſe ſententias ex DIOGENE LAERTIO diſcimus: Δάμων, inquit, ὁ Κυρηναῖος, γεγραφὼς περὶ τῶν φιλοσόφων, πᾶσιν ἐγκαλεῖ, μάλιστα δὲ τοῖς ἑπτά· Αναξιμένης δέ φησι, πάντας ἐπιθέσθαι ποιητικῆς· ὁ δὲ Δικαίαρχος οὔτε σοφοὺς, οὔτε φιλοσόφους φησὶν αὐτοὺς γεγονέναι, συνετοὺς δέ τινας καὶ νομοθετικούς; *Damon Cyrenaeus, qui de philoſophis ſcripſit, omnes inſimulat, & ſeptem inprimis. Anaximenes autem omnes, ait, poeticae magis fuiſſe ſtudioſos. Dicaearchus, neque ſapientes, neque* [illegible]*ſophos eos fuiſſe, adſerit, ſed* [illegible]*tatos plane viros, legumque latores; lib. I. ſect. XL.* Ita equidem eſt, vitae potius integritate, & morum grauitate, quam doctrinae copia, aut ingenii ſubtilitate, ſapientiae laudem conſecuti ſunt; nec tamen doctrinae, etſi pro iſtius temporis ratione rudioris, gloria illis prorſus deneganda, ſiquidem ſententiis quibusdam ſeriis, & apophtegmatibus aliorum informabant mores; quae tanto plus ponderis & auctoritatis habebant, quod ab illis profectae erant, quorum vitae doctrina reſpondebat, immo qui vita & exemplo plus docebant, quam ſcriptis & ſermone. Eo vero minus ſapientum ideo nomine eos indignos cenſeo, quo magis omnium recte ſentientium iudicio vera ſapientia vita potius moribusque, quam ſermone aut ingenii acumine proditur. In virtute itaque, vitaeque integritate, cum praecipuam laudem quaererent, ſuo etiam merito id conſecuti ſunt, vt ciuitatibus ſuis praeficerentur. *Septem,* inquit TVLLIVS, *fuiſſe dicuntur vno tempore, qui ſapientes & haberentur & vocarentur. Hi omnes, praeter Mileſium Thalem, ciuitatibus ſuis praefuerunt; lib. III. de orat. cap. XXXIV.* Solon etiam Athenienſibus, Pittacus vero Mitylenaeis ἐνομοθέτησαν, vt CLEMENS Alexandrinus loquitur, *lib. I. ſtrom. pag.* 300. Solus ex iis Thales eam philoſophandi rationem, quae rerum naturalium cauſſas perſcrutatur, cum virtutis ſtudio coniunxit; quod & PLVTARCHVS hisce verbis exprimit: καὶ ὅλως ἔοικεν ἡ Θάλεω μόνον σοφία τότε περαιτέρω τῆς χρείας ἐξικέσθαι τῇ θεωρίᾳ, τοῖς δὲ ἄλλοις ἀπὸ τῆς πολιτικῆς ἀρετῆς τοὔνομα τῆς σοφίας ὑπῆρξε· *Omnino ſola tunc videtur Thalis ſapientia vſum exceſſiſſe ſpeculatione, reliqui ciuilibus ab artibus nomen inuenerunt.*

ſa-

ſapientiae, in *Solone*, *tom. I. opp. pag. m. 80.*

Ad aetatem, qua ſeptem hi ſapientes floruerunt, quod attinet, Thaletem anno primo tricesimae quintae olympiadis natum, quinquageſima autem & octaua olympiade mortuum eſſe, ex APOLLODORO in *chronicis* refert DIOGENES LAERTIVS, *lib. I. ſect. XXXVIII.* Pittacum Mitylenaeum circa olympiadem quadrageſimam ſecundam maxime floruiſſe, mortuumque eſſe anno tertio olympiadis quinquageſimae ſecundae, idem DIOGENES auctor eſt, *lib. I. ſect. LXXIX.* Et hinc de reliquorum aetate iudicium ferendum, cum σύγχρονοι fuerint; quod tamen ita intelligendum, vt vnus ſenior, iunior alter fuerit, adeoque inter ſingulos temporis aliquod diſcrimen interceſſerit. De Thalete quod diximus, id CLEMENS quoque Alexandrinus confirmat, *libr. I. ſtrom. pag. 332.* atque TATIANVS, *orat. ad Graecos* §. *LXIV. pag. 141.* Vterque enim dicit, eum circa quinquageſimam olympiadem vixiſſe; quod tamen haud dubie παχυλῶς & cum latitudine quadam accipiendum; conf. NIC. LE NOVRRY, in *apparatu ad bibliothecam maximam veterum patrum*, *libr. III. diſſertat. II. cap. XVII. pag. 119. ſeqq.* AVGVSTINVM autem aut erraſſe, aut parum adcurate locutum exiſtimo, dum Thaletem eo tempore vixiſſe perhibet, quo Romulus Romae regnauit. *Romulo*, inquit, *regnante Thales Mileſius fuiſſe perhibetur, vnus e ſeptem ſapientibus, qui poſt theologos poetas, in quibus eſt Orpheus, maxime omnium nobilitatus eſt,* σοφοὶ *adpellati ſunt, quod eſt latine ſapientes*; *lib. XVIII. de ciuitate Dei cap. XXIV.* Enim vero cum Thales anno primo Olympiadis xxxv, vt antea dictum, natus ſit, & anno ſecundo eiusdem olympiadis Romae iam regnauerit Ancus Martius, Numae Pompilii nepos, ſub Romulo profecto florere non potuit; conf. DIONYSIVS PETAVIVS, in *rationario temporum part. I. lib. II. cap. VII. pag. 62. & cap. XII. pag. 76.* Ad iudaicae autem gentis ſtatum ſi reſpicere velis, paullo ante captiuitatem Babylonicam, aut quodammodo circa eius initium, ſapientes hosce floruiſſe, ex hactenus dictis ſequitur; quamquam nonnulli, qui reliquis fuere iuniores, & vlterius vitae ſuae terminum proferre potuerint. Nec adeo admitti poteſt, quod EVSEBIVS tradit, Graecorum ſapientes omnes ſub Cyro floruiſſe. Cum enim dixiſſet, poſt Orpheum, Linum ac Muſaeum, qui theologorum omnium antiquiſſimi atque principes falſae de multitudine deorum opinionis fundamenta iecerint, viros omnino ſeptem philoſophiae laude in Graecia claruiſſe, quos ipſi quoque *ſapientes* nominarint, addit: ἀμφὶ Κῦρον δὲ ὅιδε τὸν Περσῶν ἤκμασαν βασιλέα· ἔτος δ' ἦν ὁ χρόνος, ἐν ᾧ τῶν παρ' Ἑβραίοις προφητῶν οἱ πάντων ὕστατοι προεφήτευον, τῶν μὲν Τρωικῶν ὕστερον ἔτεσι πλέον ἢ ἑξακοσίοις· *Atqui Cyro Perſis imperante floruerunt omnes; quo tempore pro-*

prophetarum apud Ebraeos omnium nouiſſimi exſtiterunt annis poſt Troiana tempora amplius ſexcentis, *praepar. euang. lib. X. cap. IV. pag. m. 470.* Sub Cyro ergo ſi vixerunt omnes, poſt captiuitatem Babylonicam eos vixiſſe oportet. Quod cum iis, quae ex DIOGENE LAERTIO, aliisque fide dignis ſcriptoribus conſtant, vix conciliaueris. Quidquid huius ſit, rectius ſe habent, quae idem EVSEBIVS porro de illis ſubiicit: ἐνταῦθά που νέοι τῷ χρόνῳ οἱ ἑπτὰ γενόμενοι σοφοὶ, ἐπὶ κατορθώσει μνημονεύονται ἀγωγῆς τῆς ἠθικωτέρας, ὧν πλέον οὐδὲν τῶν βοωμένων ἀποφθεγμάτων μνημονεύεται· *Ceterum eo circiter aeuo, cum recentiores iſti ſeptem ſapientes emerſiſſent, humanioris quidem & caſtigatioris diſciplinae magiſtri fuiſſe perhibentur, ſed tamen praeter celebres quaſdam eruditaſque ſententias nihil admodum reliquerunt.* De eo equidem, an aliqui ex iis aliquid litteris conſignatum reliquerint, diſputatur. Speciatim de Thalete Mileſio; nonnullis id adfirmantibus, negantibus aliis apud DIOGENEM LAERTIVM, *lib. I. ſect. XXIII.* add. IO. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. I. cap. XXXV. §. III. pag. 238.* Sententiis quibusdam doctrinas ſaluberrimas continentibus, nec ingenio interdum ac acumine deſtitutis, mores hominum eos formaſſe, conſtat, & antea iam eſt obſeruatum. Quae etiam docendi, hominesque ad ſapientiam erudiendi ratio, vt ipſi Salomoni vſitata fuit, temporibusque adeo antiquiſſimis conuenit, ita minime contemnenda. Plurimum enim eiusmodi ſententiae ad flectendos animos valent, praeſertim ſi ab iis proficiſcantur, quorum vita doctrinae reſpondet. Nonnullae etiam reconditas plane veritates continent, quae non niſi ab iis, quibus humani cordis intimi receſſus explorati fuerunt, potuerunt proficiſci. Quare & CLEMENS Alexandrinus haſce ſententias ob breuitatem, quae vtilitate non careat, laudat, *ſtrom. lib. I. pag. 299.* quod & ipſum PLATONEM feciſſe, ex verbis eius, antea iam a nobis recitatis, liquet. De ſententiis autem iſtis, iam olim ſcriptores inter ſe diſſenſiſſe, cum alii aliam tribuerint, auctor eſt DIOGENES LAERTIVS, *lib. I. ſect. XLI.* qui eas ordine recenſet, quod & AVSONIVS facit, in *ludo, ſiue ſententiis ſeptem ſapientum*; ad cuius imitationem etiam IOACHIMVS CAMERARIVS, *ludum ſeptem ſapientum* ſcripſit, cum aliis eiusdem generis libellis ad *comparandam eruditionem* ſpectantibus, ſtudio & opera THOMAE CRENII recuſum, Lugduni Batauorum, M DC XCIX. PHILIPPI praeterea BEROALDI, Bononienſis, exſtat *heptalogus*, ſiue *de ſeptem ſapientum ſententiis libellus.* Sed ego quoque ſententias praecipuas ſeptem iſtorum ſapientum, in iuſtum & concinnum ordinem diſpoſitas, & commentario quodam expoſitas, aliquot diſſertationibus olim in academia Halenſi exhibui; quae iunctim deinceps editae, ſub titulo: *Sapientia veterum*,

hoc

hoc eſt, dicta illuſtriora ſeptem Graeciae ſapientum, diſſertationibus aliquot academicis explicata, proſtant.

Quodſi theologiam horum ſapientum conſideremus, quam paucis attingere, vel maxime inſtituti noſtri poſtulat ratio, eos in multis veritatem perſpexiſſe, & a ſuperſtitione, quae tum cum reliquis populis, Graecorum quoque inuaſerat animos, alienos fuiſſe, deprehendimus. Sic Thales Mileſius interrogatus, *τί τὸ θεῖον quid Deus?* reſpondit: *τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχων, μήτε τελευτὴν, quod initio & fine caret.* Quo ipſo, vnum ſaltem ſe admittere Deum, eumque initio & fine carentem, hoc eſt, aeternum, ſeu qui ſemper exſtiterit, ſemperque exſtiturus ſit, haud obſcure indicat. Eratque illud *πολυθεότητι* gentilium ſatis aperte oppoſitum. Sed non minus luculentum & elegans eſt alterum eius effatum: *πρεσβύτατον τῶν ὄντων, θεὸς, ἀγέννητον γάρ· κάλλιστον κόσμος, ποίημα γὰρ θεοῦ· antiquiſſimum eorum omnium, quae ſunt, Deus; ingenitus enim: pulcherrimum mundus; a Deo enim factus eſt.* Prius ſane effatum etiam de mundo capi poterat, ac ſi non alium, quam hocce vniuerſum, admiſiſſet Deum; ſed hanc eius mentem non eſſe, poſterius hocce nos condocet, in quo dum mundum *ποίημα θεοῦ* vocat, Deum eius conditorem eſſe, ſignificat. Vnde & in mitiorem partem accipiendum patet, quando, *mentem mundi Deum eſſe*, dixit, apud PLVTARCHVM, *de placitis philoſophorum libr. I. cap. VII.* Per Deum vero eum non ipſam naturam, ſed ſubſtantiam quandam intellectu & ſapientia ſumma praeditam, intellexiſſe, inde quoque colligere licet, quod interrogatus: *lateretne deos homo male agens?* reſponderit: *ne cogitans quidem.* Ipſas nimirum cogitationes noſtras Deo perſpectas eſſe, ſignificat. Quod eiusmodi eſt, vt nihil praeſtantius de Deo dici poſſit. Optandum ſaltem, vt ipſi chriſtiani hoc ſecum perpenderent, ſeque hac ratione a prauis cogitationibus abduci paterentur. PITTACI Mitylenaei inter reliqua & hocce egregium effatum exſtat, quo iubet *εὐσέβειαν ἀσκεῖν, pietatem colere.* Sed idem tamen in Deum iniurius eſt, dum fati legibus eum ſubiicit, adſerens: *neceſſitati ne deos quidem reluctari.* Hic nimirum ille error eſt, qui multorum animos iam tum adflauit, a quo nec Thales alienus fuit, inter alia & hocce pronuntians: *ἰσχυρότατον ἀνάγκη· Κρατεῖ γὰρ πάντων· Fortiſſimum neceſſitas: cuncta enim ſuperat.* Exſtat & hocce eiusdem Pittaci effatum: *obſcuros eſſe futurorum euentus.* Quorſum & illud pertinet, quod interrogatus, quid eſſet optimum? reſpondit: *τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, quod in praeſentia occurrit, bene agere.* Quo ipſo nimiam equidem & intempeſtiuam mortalium circa futura curioſitatem damnaſſe videtur, quem in modum & Torquatus apud CICERONEM, *exſpectare quidem ſapientem futura*, inquit, *& ab iis tamen non pendere; lib. I. de finib.* &

SENECA ex mente Epicuri: *ſtulti vita ingrata eſt, trepida eſt, tota in futurum fertur; epiſt. XV.* Forte tamen etiam inualeſcentem eo tempore apud Graecos circa oracula & diuinationes ſuperſtitionem perſtringere voluit, ſiue nihil ipſe diuinationibus tribueret, ſiue exceſſum in illis improbaret. Quod BIAS Prienaeus dixit: περὶ θεῶν λέγε ὡς εἰσὶν, *de diis* (ſiue rebus diuinis) *loquere, vti ſunt,* longe rectius & modeſtius, quam pleroſque eius aetatis homines eum cenſuiſſe, demonſtrat. AEGIDIVS MENAGIVS hoc ita explicat: *id eſt, de diis hoc vnum adfirmato, eſſe illos quidem, ſed, qui vel quales ſint, ne tentandum quidem eſt explicare, cum id ſupra ingenii noſtri modulum ſit; in not. ad Diog. Laert. pag. 51.* Quem plane in ſenſum & CORNELIVS TACITVS: *ſanctius & reuerentius viſum, de actis deorum credere, quam ſcire; de moribus Germanor. cap. XXXIV. num. 4.* Hoc ſi poetae iſtius temporis obſeruaſſent, non tam multa incondita & abſona de diis cecíniſſent. Nec ad hodiernum vsque diem multi Deo tam indigna de eo proferrent, ſi monito huic locum relinquere vellent. Ab improbis praeterea hominibus Deum minus recte coli, idem Bias egregie nos docuit. Percontanti enim impio homini, quid eſſet pietas? nihil reſpondit: cumque ille ſilentii cauſſam ſciſcitaretur, *taceo*, inquit, *quia de rebus nihil ad te pertinentibus quaeris.* Nauigabat quoque cum impiis aliquando Bias, vti idem, quem ſequimur, DIOGENES LAERTIVS, auctor eſt, & cum exorta tempeſtate nauis quateretur fluctibus, illique deos inuocarent, *ſilete*, inquit, *ne vos hic illi nauigare ſentiant.* Intellexit quippe vir ſapiens, improborum precibus non placari Deum. Puram Deus requirit mentem, ex qua ſi proficiſcantur preces, eae demum gratae ſunt, nec irritae vnquam, ſi expediat homini, voti ſui compotem fieri. Eleganter PLINIVS: *animaduerto etiam deos ipſos* (Deum ipſum) *non tam adcuratis adorantium precibus, quam innocentia & ſanctitate laetari: gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit; panegyr. in Traian. cap. VI.* Praeterea nec illud chriſtiano homine indignum eſt, quod idem Bias porro pronuntiauit: ὅ τι ἂν ἀγαθὸν πράττῃς, εἰς θεοὺς ἀνάπεμπε· *quidquid boni egeris, in Deum refer.* Nihil namque hominem ſibi ipſi vult tribuere, aut ſuae dare gloriae, ſed ad Deum, ceu auctorem ac fontem omnis boni, ſi quid boni agat, referre. SOLONIS illud eſt: θεοὺς τίμα· *Deos honora.* Quod haud dubie de honore naturae diuinae conuenienti intellexit. Videntur enim & homines ſuperſtitioni deditì Deum honorare, ſed, ſi rem paullo adcuratius conſideres, ſumma potius eum adficiunt ignominia. Solonem autem eo, quo diximus, id intellexiſſe modo, ſapientia viri nos dubitare non ſinit. Accedit, quod multa a gente ebraea accepiſſe videatur, quod & de Thalete, ali-

aliisque Graeciae ſapientibus, viris doctis obſeruatum; conf. PETR. DAN. HVETIVS, *demonſtrat. euang. prop. IV. cap. II. §. V. ſeqq. pag. 76. ſeqq.* Certe leges, quas Solon Athenienſibus dedit, in nonnullis cum Ebraeorum legibus ita conuenire, vt ex iis expreſſae videantur, a me ex inſtituto demonſtratum, in *ſapientia veterum*, ſeu *dictis illuſtrioribus ſeptem Graeciae ſapientum explicatis*, *diſſertat. V.* quae *legum Solonis cum Moſaicis comparationem* exhibet. Inter reliquos Chilo Lacedaemonius adhuc nobis commemorandus eſt. Ab Aeſopo enim interrogatus, *quidnam faceret Iupiter, ſeu deus?* reſpondit: τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινῶν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψῶν· *excelſa humiliat, & humilia extollit.* Prouidentiam nimirum diuinam non tantum agnoſcit, ſed rectiſſime etiam indicat, humiles quod extollantur, & in excelſo loco conſtituti deprimantur; id ſine ea neutiquam contingere; immo hoc opus eius eſſe longe praeclariſſimum, certiſſimumque ſimul indicium. Pari fere ratione beatiſſima virgo Maria in cantico ſuo pronuntiat: *deturbat potentes de ſoliis, humiles extollit, Luc. I. v. 52.* Sed mitto reliqua, cum haec ſpeciminis loco eſſe queant, inde vt intelligatur, qualis iſtorum ſapientum theologia fuerit. Naeuis ea non caruit, multo minus ad ſalutem conſequendam ſufficiebat; nec tamen ſine ſumma Numinis benignitate contingebat, vt rationis lux Graecis eo tempore tam clare adfulgere inciperet; qua ſi recte vti voluiſſent, facile tandem ad ſalutarem Dei agnitionem peruenire potuiſſent. Sed pauciſſimi iſta curabant, plerisque ſuperſtitioni inhaerentibus, immo magis ad ineptiſſima quaeuis progredientibus, philoſophis autem, qui prae ceteris ſapiebant, ad vanas inutilesque ſpeculationes prolabentibus, adeo vt nonnulli ad atheismum tandem declinarent. Atque id, ſi nonnullis credimus, ipſi Thaleti contigit, cui, vtpote ſcholae Ionicae auctori, ſicuti toti ſcholae Ionicae, atheismus paſſim exprobratur. Sed id quidem perperam, vt ab aliis ex inſtituto oſtenſum. Legenda, quae in compendio hac de re dixi, in *theſibus theolog. de atheismo & ſuperſtitione, cap. I. §. X. p. 21.* De reliquis philoſophis, iis praeſertim, qui in atheismi ſuſpicionem venerunt, in ſequentibus etiam quaedam dicentur. De ſeptem autem hisce Graeciae ſapientibus, de quibus hactenus dictum, praeter DIOGENEM LAERTIVM, qui ſingulorum vitas deſcripſit, ceteroſque ſparſim iam laudatos, plura quoque dabit PLVTARCHVS, in *conuiuio ſeptem ſapientum tom. II. opp. p. 146. ſeqq.* conf. & *Hiſtoire de ſept ſages par Mr.* DE LARREY, Roterodami anno *M DCC XIII. 8.* De Anacharſi Scytha, ſapientiae laude itidem clariſſimo, quem & ipſum ad hancce aetatem referre ſolent, DIOGENES LAERTIVS legendus, *lib. I. ſect. II. ſeqq.* De eius theologia ſpeciatim, quod moneamus, non occurrit. De Epime-

nide autem & Pherecyde, qui & ipſi adhuc ſapientum nomine, prout a philoſophis diſtinguuntur, veniunt, in ſequentibus erit dicendi locus.

§. XXXV.

Quae de Iſraelitarum & Iudaeorum rebus ex ſcriptura ſacra retulimus, magnam partem etiam ethnicorum ſcriptorum teſtimoniis comprobari poſſunt.* Ad reliquarum autem gentium ſtatum quod attinet, apud Aegyptios quidem quorundam regum ea fuit potentia, vt aliis etiam gentibus, ſpeciatim Iudaeis, aliquid negotii faceſſere auſi ſint. ** Aſſyriorum imperium, quod minus celebre hactenus fuit, deſtructum penitus eſt, cum Sardanapalus, vt ferunt, ab Arbace, Mediae praefecto, ad eas anguſtias redactus eſſet, vt ipſemet vitae finem ſibi acceleraret. Vnde ſimul Medici regni, quod itidem in hocce temporis interuallum cadit, origo intelligitur. Deinceps vero Aſſyrii ſuos iterum reges habuerunt, ex quibus Aſſaradinus, ſiue vt in ſcriptura ſacra vocatur, Aſſar-haddon, Babylonicum regnum cum Aſſyriaco coniunxit. Sed non diuturna admodum iſta Aſſyriaci imperii fuit felicitas, quippe quod mox finem habuit partim Medis, partim Babyloniis illud inuadentibus, & hiſce tandem cum aliis Aſiae regnis & regionibus id ſibi ſubiicientibus. *** Et Babyloniorum quidem iſtud imperium ſub Nebucadnezare ſecundo ad ſummum potentiae faſtigium peruenit, a quo & Iudaei, templo deſtructo, in captiuitatem ſunt abducti.* Tyriorum reges ad Pygmalionem vsque commemorantur, fueruntque eorum pariter ac Sidoniorum res florentiſſimae, donec Tyrus a Nebucadnezare poſt diuturnam obſidionem capta ſolo aequaretur.** Syrorum quidam reges, qui hac aetate inclyti fuerunt, in ſcriptura ſacra celebrantur;*** ex qua & res Idumaeorum, aliarumque gentium vicinarum, notae ſunt.* Lydorum atque Phrygum aliunde conſtant.** De Graecorum rebus iam certiora adcuratioraque ob olympiadum epocham hac aetate conſtitutam, innotuerunt.*** Apud Athenienſes Archontum regimen continuatum, ſed diuerſa ratione. Draco apud eos leges tulit, quas deinceps Solon mitigauit, qui & nouas dedit, multaque ad reipublicae ſtatum ſpectantia conſtituit.* Lacedaemoniorum rem publicam Lycurgus legibus ſaluberrimis inſtruxit.** Inter Corinthiorum principes Periander eminet, vnus ex ſeptem Graeciae ſapientibus, qui tyrannidem apud eos exercuit.*** Nec praetermittendum regnum Macedonicum ab Heraclidis, ſeu Carano Heracli-

raclida, hac aetate fundatum.* Multo minus Romanae vrbis tacenda origo, ad hanc itidem aetatem cum primis, qui in ea rerum potiti ſunt, regibus referenda. **

* Salomonis aeque ac Dauidis, & Saulis, & Samuelis EVPOLEMVM mentionem facere, in quodam περὶ τῆς Ἡλίε πρεφητείας, *de Eliae prophetia*, opere, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. c. XXX.* iam ſupra ad *period. II. ſect. III.* §. *XXVIII.* obſeruauimus. Salomonis ad Vaphrem Aegypti regem, & huius ad Salomonem, Salomonis itidem ad Hiramum Tyriorum regem, & huius rurſus ad Salomonem epiſtolas ex eodem EVPOLEMO refert EVSEBIVS, *l. c. lib. IX. c. XXXI. ſeqq.* Has vero ſuppoſititias eſſe, ſupra equidem iam pronuntiauimus, ad *period. II. ſect. III.* §. *XXI.* & ad huius ſectionis §. *XXXIII.* Interim inde firmiter colligere licet, res Salomonis, ſpeciatim templi ſplendidiſſimi, ab eo excitati ſtructuram, ethnicis ſcriptoribus minime ignotam fuiſſe. De amicitia quoque, quae Salomoni cum Hiramo interceſſerit, ex DIO, Phoeniciarum rerum ſcriptore, varia commemorat FLAVIVS IOSEPHVS, *lib. I. contra Apionem p. m. 1042.* & *lib. VIII. antiquitat. cap. II.* Sic & MENANDER in ſuis de rebus Phoenicum commentariis ſummae illius ſiccitatis meminit, quae ſub Achabo Iſraelis rege, florente Elia vate, Ithabalo apud Tyrios regnante, contigit, eamque indictis ſupplicationibus depulſam, magnamque vim tonitruum & imbrium ſecutam, teſtatur apud FLAVIVM IOSEPHVM, *antiquitat. iudaic. libr. VIII. cap. VII. p. m. 286.* Praelii inter Ioſiam, & Nechonem Aegypti regem, in quo ille periit, HERODOTVM mentionem facere, *libr. II. cap. CLIX.* ſupra iam indicatum eſt, ad *period. II. ſect. IV.* §. *XXVI. p. 456.* vbi & obſeruatum, per *Cadytin*, magnam Syriae vrbem, HERODOTO memoratam, nonnullos ipſam vrbem Hieroſolymam intelligere. Ioachimi regis Iudae, & Ieremiae prophetae, ex EVPOLEMO mentionem facit ALEXANDER polyhiſtor, cuius hac de re fragmentum exhibet EVSEBIVS, *praeparat. euangel. libr. I. cap. XXXIX. p. 454.* Non pigebit quemquam id hic quoque legiſſe: *Tum Ioachimum,* inquit, *regnum capeſſiſſe, cuius tempore Hieremias propheta oracula ſua ediderit. Quippe hunc a Deo miſſum, Iudaeos, interim dum idolo cuidam aureo, Baalem vocabant, ſacrificium facerent, deprehendiſſe, quibus impendentem calamitatem praedixerit. Ac Ioachimum quidem, viuum illum ac ſpirantem cremare voluiſſe: at contra nuntiaſſe prophetam, hoc eos lignorum genere Babyloniis opſonia curaturos, & canales ad deriuandas Tigris & Euphratis vndas foſſuros eſſe, poſteaquam eorum in manus ac poteſtatem veniſſent. Itaque Nabuchodonoſorum Babyloniorum regem, vbi rem, quomodo ab Hieremia pronuntiata fuerat, reſciuiſſet, Aſtibaren Medorum regem, vti huius expeditionis ſo-*

ſocius eſſe vellet, obſecraſſe; coniunctoque Babyloniorum ac Medorum exercitu, qui praeter decem curruum millia, peditum octoginta ſupra centum, equitum vero centum & viginti millibus conſtaret, primum quidem Samariam, Galilaeam, Scythopolim & Iudaeos Galaatidem incolentes deleuiſſe; mox vero ipſam quoque Hieroſolymam, Ioachimumque regem viuum cepiſſe, & quidquid in templo auri, argenti, aeriſque fuit, detractum, Babylonem miſiſſe, praeter arcam, & incluſas in ea tabulas; hanc enim penes Hieremiam manſiſſe. Qua quidem in narratione, vt in aliis eiusdem generis, vti multa ſunt, quae cum ſcriptura ſacra non conueniunt, ita rem ipſam comprobant, ethniciſque ſcriptoribus res Iudaeorum non prorſus ignotas fuiſſe, demonſtrant. Hiſce adhuc alia addi poſſent, quae breuitatis ſtudio omittimus, legi autem apud PETRVM DANIELEM HVETIVM poſſunt, *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. p. m. 295.* qui & in Graecorum fabulis, hiſtoriae huius interualli, ſpeciatim eorum, quae de Iona vate ſcriptura ſacra commemorat, veſtigia quaedam ſibi inueniſſe viſus eſt, *p. 433.* Quae tamen quo loco a nobis habeantur, alibi iam indicauimus.

* De Vaphre, Aegypti rege, eodemque Salomonis ſocero, ſupra iam diximus, ad *period. II. ſection. III.* §. *XXVIII. pag. 235.* Hinc porro in ſcriptura ſacra commemoratur Seſacus ſiue Siſacus, qui non tantum Ieroboamum Salomonis hoſtem in tutelam ſuam recepit, *I. reg. XI. 40.* ſed omnino filio Salomonis Rehabeamo arma intulit, *I. reg. XIV. 25.* & *II. chron. XII. 2.* Siſacum hunc eundem eſſe cum Seſoſtri, Aegypti rege, tot veterum monumentis celebrato, IOAN. MARSHAMI eſt ſententia *can. chron. ſect. XIV. pag. 376.* quam ſupra iam ex inſtituto profligauimus, ad *period. II. ſect. II.* §. *XVIII. pag. 778.* Plerique ex recentioribus Seſakum hunc dynaſtiae *XXII.* quae *Bubaſtitarum* fuit, primum eſſe putant, qui Seſonchis dicitur, apud AFRICANVM, Seſonchoſis apud EVSEBIVM, at Concharis, vt nonnullis videtur, apud SYNCELLVM. Poſt SCALIGERVM, VSSERIVM, aliosque, ita ſentit PAVLVS PEZRONIVS, in *antiquitat. temp. reſtitut. cap. XIII. p. 208. 209.* & NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi V. cap. IV. p. 133.* Nec contemnenda haec ſententia videtur, quippe cui & nominis conuenientia fauet, nec temporum rationes repugnant, fatente IACOBO PERIZONIO, qui nihiloſecius illis ſuffragari mauult, qui, Seſacum hunc Semendim fuiſſe, contendunt, primum dynaſtiae XXI regem, *Aegyptiar. orig. inueſtigat. cap. XIV. pag. 217.* Id dubio carere videtur, Seſacum hunc nouae dynaſtiae fuiſſe regem, quippe qui animum erga Salomonis familiam, adeoque & deceſſorem ſuum, qui ſocer Salomonis fuit, inimicum, non vna ratione, vt antea iam obſeruauimus, demonſtrauit. Vſiae, regis Iudae temporibus, in Aegypto regnaſſe fertur Bocchoris, cui totam dynaſtiam XXIV, quae

quae Saitarum eſt, tribuunt MANETHO, IVL. AFRICANVS, & GEORGIVS SYNCELLVS, eique annos regni tribuunt quadraginta quatuor. At Gnephactum patrem eius ante eum regnaſſe, ex DIODORO SICVLO conſtat, *libr. I. pag. 59.* quem PLVTARCHVS Technatem vocat, *de Iſide pag. 359.* vbi expeditionem eius in Arabiam commemorat. Bocchoris autem tum ob prudentiam, tum ob iuſtitiam celebratur, indeque τȣ̃ σοφȣ̃ cognomen meruit, ſed culpatur ob auaritiam, vt auctor eſt DIODORVS SICVLVS, *libr. I. pag. 59.* qui & leges eius ſequentes, quas de commerciis tulerit, commemorat: I) *vt, ſi quis pecuniis mutuo acceptis absque ſyngrapha, ſe debere neget, interpoſito iuramento abſoluatur a debito*; II) *vt per interuentum ſyngraphae foenerantes vltra duplum per vſuram ſortem non augeant*; III) *vt de obaeratorum facultatibus duntaxat vſurae exigantur, ſed corpus nullo modo in nexum ducatur.* Addit idem DIODORVS, hanc legem Solonem Athenis inuexiſſe ſibi videri, quam σεισάχθειαν nominauerit, id eſt, *onus excuſſum*, qua ciues vniuerſos ab aere alieno in corporis nexum credito liberauerit.

Bocchoridi regnum eripuit Sabacon, rex Aethiopum, ſiue Arabum, mari rubro vicinorum, eumque viuum combuſſit. Sabaco hicce primus fuiſſe dicitur in dynaſtia XXV, quae & Aethiopum adpellatur. Addunt porro, cum per annos XII Aegypti imperium tenuiſſet, eum in Aethiopiam receſſiſſe filio ſuo Suecho, ſeu Seuecho, Aegypti inferioris rege conſtituto, qui itidem per annos XII regnum illud tenuerit. Suechum hunc eundem eſſe putant cum Sua, ſiue So, cuius auxilium contra Salmanaſſarem, Aſſyriorum regem, implorauit Hoſeas, rex vltimus Iſraelitarum, *II. reg. XVII. 4.* Suechi filium, & ſucceſſorem Taracum fuiſſe perhibent, quemue ſcriptura ſacra Tharacca, vel Thiraca, vocet; & ſecundum EVSEBIVM annos viginti regnauerit. Aethiopiae ſimul cum regem fuiſſe, conſtare ex *Eſa. XXXVII. 9.* eundemque ab Ezechia Iudae rege in belli ſocietatem vocatum contra Sennacheribum, regem Aſſyriorum, *II. reg. XIX. verſ. 9. Eſa. XXX. 2.* Taraco defuncto Sabacon, quem relicto filiis Aegypti inferioris regno, in Aethiopiam receſſiſſe, antea diximus, in Aegyptum regreſſus, ſub initium regni Manaſſis, regis Iudae, Nechaonem primum, Saitarum in Aegypto regem, vicit atque occidit. Ante Nechaonem, Nechepſus, & ante hunc Stephinates in iſta Saitarum dynaſtia collocatur. Stephinates namque in vrbe Sais circa annum decimum tertium Ezechiae regis nouam dynaſtiam conſtituit, in qua Nechepſus eum excepit, & hunc Nechaon, a Sabacone victus. Sabacon autem cum iterum annos ſex Aegypti regnum poſſediſſet, tandem anno ſexto Manaſſis, regis Iudae, mortuus eſt. Ita quidem, prout hactenus Aegyptiarum rerum ſeriem ſub Sabacone expoſuimus, eam digeſſit PAVLVS PEZRONIVS, IVLII AFRICANI praecipue veſtigiis inſiſtens, in

antiquit. temp. reſtit. pag. m. 234. ſeqq. Praecipuum quod huic ſententiae opponi dubium poteſt, hoc eſt, quod HERODOTVS Sabaconem huncce annos quinquaginta in Aegypto regnaſſe auctor ſit, cum ſecundum MANETHONEM, & qui eum ſequuntur, illi tantum tribuendi ſint anni duodecim. Ad quod tamen PEZRONIVS ita reſpondet, poſſe omnino Sabaconi annos quinquaginta imperii in Aegypto tribui, ſi illis duodecim, quibus ipſe ibidem regnauit, addantur illi, quibus per filium & nepotem regnauit, duodecim ſcilicet Suechi & viginti Taraci, & rurſus ſex, quibus ipſe poſt mortem Taraci Aegypti inferioris imperium tenuit. Summa enim hinc exſurgit annorum quinquaginta; *loc. cit. p. 236. 237.* Et ita cuncta ſecum conſentire, omniaque euaneſcere dubia exiſtimat. Sed aliorum alia de Aegyptiorum, qui hac aetate floruerunt, regibus, eſt ſententia. IACOBVS enim VSSERIVS, atque IOANNES MARSHAMVS Suam ſeu Soum, cuius auxilium contra Aſſyrios implorauit Hoſeas, eundem faciunt cum Sabacone; ille in *annalib. pag. 97. & 99.* hic in *canone chronico pag. 84. 85.* Rurſus tum ab hiſce, tum a PEZRONIO, multis modis diſſentit IAC. PERIZONIVS. Cum enim adlatis variis de Soo placitis, rectius forſan illos ſentire, pronuntiaſſet, qui Soum non alium a Bocchori eſſe ſtatuunt, ipſe tandem in eam ingreditur ſententiam, Soum ſcripturae ſacrae, & Sethonem HERODOTI, vnum eumdemque eſſe cum Zeto, vltimo dynaſtiae XXIII rege, vt ita Seuechus relinquatur dynaſtiae Aethiopum. Probabile praeterea ei videtur, Sabaconem & Taracum ſeu Taraconem, vtrumqe Aethiopem, vnum eundemque fuiſſe hominem, quem diuerſis his nominibus diuerſi ſcriptores inſigniuerint, vnde & factum ſit, vt MANETHO duo haec nomina in duos diuerſos homines diſtinxerit. Immo parum abeſt, quin & ipſum Seuechum, quem SYNCELLVS Sebechon adpellitet, eundem cum Sabacone exiſtimet; idque eo magis, quia HERODOTVS Sabaconi annos quinquaginta tribuit, eosque, neque hos integros, ſed XLV tantum annos MANETHO in hosce tres, Sabacum, Sebechum & Taracum quaſi diuidit. Neque tamen pro certo hoc adfirmare audet, ſed rem omnem in medio relinquit. Vt vero quod dixerat, Soum eundem eſſe cum Zeto vltimo dynaſtiae XXIII, quae Tanitarum fuit, apud IVL. AFRICANVM, rege, confirmet, vlterius obſeruat, plures tunc ſimul Aegypti in diuerſis eius partibus fuiſſe reges, etiam quos MANETHO non memoret. Inter hos aequales Bocchori illi fuiſſe videntur, primi dynaſtiae XXVI Saitarum reges, ſiquidem quartus eius rex Nechao, Pſammitichi pater, aeque ac Bocchoris a Sabacone occiſus apud HERODOTVM legitur. Idem Sabaco regno depuliſſe in paluſtria Anyſin, HERODOTO itidem memoratum, dicitur, vt adeo vnus ille Sabaco tres minimum reges diuerſos, partim regno, partim etiam vita ſpoliauerit. Immo & his Zetum adnumerari poſſe,

ſe, exiſtimat, qui proxime ante Bocchorin, & dein Sabaconem ab AFRICANO ponitur. Cum ergo Sous in ſcriptura ſacra tempore Sennacheribi ante aduentum Aethiopis dicatur Pharao Aegypti, & Sethon HERODOTI eodem prorſus tempore contra Senacheribum bellum geſſerit, atque adeo neceſſario ante, non poſt diutinum illud Sabaconis Aethiopis regnum regnauerit, minime a vero abhorrere inde concludit, Soum illum ſeu Sethonem eſſe Zethum Manethonis, cui Aethiops auxilium tulerit contra Senacheribum, ſed quem dein, hoc iam regreſſo oppreſſerit; quae & cauſſa forte ſit, quare Zetus ille dynaſtiae ſuae fuerit vltimus. Illo autem iam oppreſſo, Aethiops (vti porro auctori probabile videtur) dein Bocchorin vicit, captumque neci dedit, tum Anyſin fugauit, Nechaonem denique occidit, atque ita totam ſibi Aegyptum ſubiecit; quam tamen iam ſenex tempore Eſarhaddonis Aſſyrii, qui Aegyptum inuaſit, reliquiſſe videtur, in Aethiopiam ſuam rediens, quae res anarchiae & dodecarchiae Aegyptiorum fuerit cauſſa. Haec longe probabiliora auctori videntur, quam ex Soo facere ipſum Sabaconem Aethiopem. Scripturam enim ſacram in hiſtoria Hiskiae diuerſos plane facere *regem Aegypti*, & *regem Cuſchi*, hoc eſt Aethiopiae *II. reg. XVIII. & XIX.* & *Eſa. XXXVI.* ac *XXXVII.* Soum vero diſerte decem fere annis ante nominari, vt cum quo conſpirauerit contra regem Aſſyriae, rex Israelis Hoſeas. Vnde concludit: *ſi ergo Aegyptus illo tempore & decem annis poſt, proprios adhuc habuit Pharaones, ſeu reges, ab Aethiopum regibus diuerſos, tum certe Sous illius temporis rex Aegypti non fuit, quod nonnulli adfirmant, ille Sabaco Aethiops, qui Aegyptum occupauit, & diu ſimul cum Aethiopiae regno tenuit.* Ita quidem PERIZONIVS, *Aegypt. origin. inueſtigat. cap. XIII. pag. 208. ſeqq.* Suntque ea, quae ex eius mente hactenus attulimus, ita comparata, vt ſatis ſibi conſtare videantur: cuncta tamen, ſi dicendum, quod res eſt, ad meras coniecturas redeunt.

Quidquid ergo huius ſit, id certum eſt, poſt Sabaconis ſiue obitum, ſiue ex Aegypto diſceſſum, anarchia quaedam exorta eſt, & per duos circiter annos durauit, vt auctor eſt DIOD. SICVLVS, *hiſtor. lib. I. p. 59.* Hanc vero mox excepit δωδεκαρχία. *Aegyptii* enim, inquit HERODOTVS, *libertatem adepti, reges duodecim conſtituerunt. Namque ſine rege nullo temporis momento viuere poterant. Illi omnem Aegyptum in duodecim partes diuiſerunt, &* ἐπιγαμίας ποιησάμενοι *iunctis inter ſe affinitatibus, regnabant, pactionibus initis, ne mutuo aufferre imperium conarentur, neue quis plus alio quidpiam obtinere quaereret, ſed vt eſſent inter ſe quam amiciſſimi; lib. II. cap. CXLVII.* Duodecim iſti reguli concordiae inter ſe initae monumentum quoque relique-

runt, labyrinthum, paullo ſupra ſtagnum Moerios maxime vrbem verſus, quae dicitur crocodilorum, quem ſe fama maiorem adſpexiſſe, teſtatur HERODOTVS, *lib. II. cap. CXLVIII.* Eos per annos quindecim Aegypto imperaſſe, auctor eſt DIODORVS SICVLVS, *lib. I. p. 42.* Vnius autem regis imperio, vt tota Aegyptus iterum ſubiiceretur, ſequenti factum ratione memorant. Sub initium dodecarchiae iſtius oraculum editum ferunt, illum totius Aegypti regno potiturum, qui in Vulcani templo aenea phiala libaret. Cum ergo quodam tempore reges duodecim ſacra feciſſent, pontifex eis, aberrans numero, vndecim phialas porrexit. Tum Pſammitichus, qui eorum poſtremus ſtabat, phialam non habens, aenea galea ſibi detracta libauit, idque procul omni dolo ab eo factum. Sed reliqui oraculi memores, & hinc in ſuſpicionem, ac ſi regnum adfectaret, adducti, in paluſtria Aegypti eum relegarunt. Ibi conſtitutus Pſammitichus, & de iniuria ſibi illata vlciſcenda cogitans, conſulto Latonae oraculo reſponſum accepit, ὡς τίσις ἥξει ἀπὸ θαλάσσης χαλκέων ἀνδρῶν ἐπιφανέντων, *vltionem et adfuturam e mari viris aeneis adparentibus.* Quod cum initio non intelligeret, mox tamen praedatores quidam Iones & Cares, aere armati in terram exieunt. Hoc cum ei nuntiatum eſſet, oraculum agnoſcens, inito cum Ionibus & Caribus federe, eorum auxilio Aegyptum vniuerſam imperio ſuo ſubiecit, idque per annos quinquaginta quatuor tenuit; vid. HERODOTVS, *hiſtor. lib. II. c. LII.* Haud minimum autem imperii tempus in obſidione Azoti, ſeu Asdodi, quae Palaeſtinae vrbs eſt, tranſegit, quippe quae viginti nouem annos duraſſe dicitur; nec diuturniorem, iudice HERODOTO, vrbs obſidionem ſuſtinuit, *lib. II. c. CLVII.* Ex Aſſyriorum haud dubie expeditionibus didicerat, quantum momenti Aegyptiis in hacce vrbe ſitum eſſet. Eam ergo cum in poteſtatem ſuam redegiſſet, deſtruxiſſe videtur, ſiquidem Ieremias *cap. XXV. 20.* tempore Ioiakimi *reſiduum Asdodi* memorat, quod tunc exſtiterit, vt ſolent vrbium illuſtrium reliquiae, victore mortuo, ſe iterum congregare in vrbis ſpeciem. Reliqua de Pſammiticho in compendio exhibet IOANNES MARSHAMVS, in *can. chron. ſect. XVII. p. 540. ſeqq.* Succeſſorem Pſammitichus habuit Nechaonem, ſeu Nechum huius nominis ſecundum, principem bellicoſum & ad magna adſpirantem. *Comparauit*, inquit HERODOTVS, *copias bellicas & conſtruxit triremes, tam in mari ſeptentrionali, quam in ſinu Arabico ad mare rubrum, quarum naualia adhuc cernuntur, lib. II. cap. CLIX.* Idem Aſſyriis, Babyloniorum regibus eo tempore iam parentibus, bellum illaturus ad oppugnandum Charchemiſium, ad Euphratem expeditionem ſuſcepit. Dum ergo per fines Iudaeae cum exercitu tranſiturus erat, Ioſias rex Iudaeae id minime conſultum ducens, hoc impedire voluit. Cumque, monitus licet ab Aegypti rege, non

Iudae-

Digitized by Google

Iudaeis, ſed Aſſyriis ſe bellum inferre, ſignificante, a coepto non deſiſteret, proelio in valle Megiddonis commiſſo, inferior diſceſſit, immo ipſemet grauiter vulneratus animam efflauit. Copioſius haec ſupra expoſita ſunt ad §. *XXVI.* huius ſectionis, vbi & HERODOTI iam attulimus locum, in quo huius expeditionis & proelii mentionem iniicit. Deinceps idem Nechao Ioachazum Ioſiae filium, regem Iudae, Riblam ad ſe euocatum, in vincula coniecit, in Aegyptum deducendum, Eliakimo Iudae rege conſtituto, quem mutato nomine Iehoiakimum dici voluit, *II. reg. XXIII. 33.* conf. quae ſupra ad §. *XXVII.* dicta ſunt. Poſt quadriennium autem Nabuchodonoſor, filius Nabopollaſſaris regis Chaldaeorum, a patre in conſortium imperii adſumtus, Nechaonem debellauit, illique, quidquid eius ditionis a Rhinocorura vsque ad Euphratem fuerat, abſtulit, *II. reg. XXIV. verſ. 7. Ierem. XLVI. v. 2.* Regno Nechaonis huius ſex annos tribuit IVLIVS AFRICANVS, ſeptendecim HERODOTVS. Reliquit illud Pſammi filio & ſucceſſori, ſuſcepta in Aethiopiam expeditione celebri, quod & per ſex annos tenuit, vt & IVL. AFRICANVS auctor eſt, & HERODOTVS, *libr. II. cap. CLIX.* Eo autem vita functo, regnum obtinuit eius filius Hophra, vt *Ierem. XLIV. v. 30.* vocatur, LXX interpretibus *Vapres*, latino *Ephres*, HERODOTO autem *Apries* dictus. Rex fuit potentiſſimus, qui bellum Sidoni intulit, & cum Tyriis pugna nauali dimicauit. Hieroſolyma a Babyloniis capta, totaque Palaeſtina deuaſtata, reliqui Iudaeorum ad eum confugerunt. Exitium eius clademque, toti Aegypto a Nabuchodonoſore imminentem, praedixerunt prophetae, Ieremias, *cap. XLIV. verſ. 30.* & Ezechiel *cap. XXIX. verſ. 2. ſeqq.* quae quo pacto ſecuta ſit, in ſequentibus exponemus.

*** Quod hactenus obſcurum fuit, imperium Aſſyriacum, in hocce demum temporis interuallo efflorescere coepit. Quod vt eo rectius intelligatur, repetenda, quae ad *period. II. ſect. II.* §. *XVIII. pag. 773. ſeqq.* diximus. Inter obſcuriores illos reges, quos EVSEBIVS, GEORGIVS SYNCELLVS, aliique, ſed non prorſus inter ſe conſentientes, recenſent, eminet Sardanapalus, qui & Tonos Concoloros dicitur, ſub quo cum imperium Aſſyriacum a Medis deſtructum ſit, prima eius eaque ſatis incerta periodus cum eo deſiit. Hic cum omnes maiores ſuos luxuria ac ignauia ſuperaret, ad eum videndum (quod nemini ante eum permiſſum fuerat) Arbace Medorum praefectus difficulter tandem admiſſus, inuenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cum mollitia corporis & oculorum laſciuia omnes feminas anteiret, penſa inter virgines partientem. Cuius rei indignitate permotus ab eo defecit, aliisque in facinoris ſocietatem

 fa-

facile pertractis, bellum ei infert, cuius poſt aliquot vario euentu commiſſa proelia, hic tandem finis fuit, vt victus Sardanapalus in regiam ſe reciperet, exſtructaque ibi, & incenſa pyra, & ſe & diuitias ſuas in incendium mitteret, *hoc ſolo imitatus virum*, IVSTINVS loquitur, *hiſtoriar. libr. I. cap. III.* Copioſius, variis adhuc additis circumſtantiis, haec enarrat DIODORVS SICVLVS, *lib. I. cap. VII.* Monumentum ſibi confeciſſe dicitur, in quo imago lapidea hominis, dextrae manus digitos conferentis, conſpiciebatur, ac ſi crepitum digitis editurus eſſet, cum hac inſcriptione, litteris aſſyriacis exarata: *Sardanapalus, Anacyndaraxae filius, Anchialem & Tarſum vna die aedificauit. Tu autem hoſpes ede, bibe, lude, cetera enim ne huius ſunt digna*; id eſt, ne huius quidem digitorum crepitationis. Refert hoc ex CLITARCHO, ATHENAEVS, *dipnoſoph. lib. XII. pag. 530.* & STRABO, *geograph. lib. XIX. pag. 672.* conf. & DIODORVS SICVLVS, *loc. cit. pag. m. 79.* item ARRIANVS, de *expedit. Alexandri libr. II. pag. m. 67.* Non deſunt rationes, quibus ea, quae vulgo de Sardanapalo referuntur, in dubium vocari poſſent; ad minimum, quae de potentia, antiquitate, & amplitudine regni Aſſyriaci hic vulgo ſupponuntur, non aliis, quam CTESIAE fabulis, niti fundamentis, conſtat, vt ſupra a nobis eſt demonſtratum. Deſtructo hac ratione Aſſyriaco, Medorum ſimul ortum eſt imperium, idque ſecundum calculum DIONYSII PETAVII, circa annum circiter octauum Iehu Israelis regis, & tertium Ioaſi, Achaziae Iudae regis filii, in *ration. temp. part. I. lib. II. cap. IV. pag. 55.* Qui CTESIAM ducem ſequuntur, imperio Aſſyriaco vsque ad Sardanapali interitum, annos mille trecentos, aut etiam plures tribuunt. Sic & TROGI POMPEII epitomaſtes IVSTINVS: *imperium Aſſyrii mille trecentis annis tenuere*; *lib. I. cap. III.* conf. & DIODORVS SICVLVS, *libr. I. pag. 115.* Pari ratione & AVGVSTINVS imperii huius annos mille trecentos & quinque numerat, de *ciuitat. Dei lib. XVIII. cap. XX.* HERODOTVS contra, Aſſyrios ſuperiorem Aſiam annis quingentis & viginti a Nini initio tenuiſſe, auctor eſt *lib. I. cap. XCV.* quem & propius, quam reliquos omnes, ad veritatem acceſſiſſe, patet ex iis, quae ad *period. II. ſect. II. §. XVIII. pag. 773. ſeqq.* hac de re diximus.

Ceterum, vt reliqua nunc proſequamur, Aſſyrii poſt aliquod temporis ſpatium Medorum iterum ſe ſubtraxere imperio, vrbeque Niniue, quam Medi deuaſtauerant, reſtaurata, noui exſtitere reges, qui late dominati ſunt, adeo, vt quidam ex illis Babylonem quoque tenuerint, ipſimet deinceps rurſus a Babyloniis ſubiugandi. Primus ex hisce Phul fuit, *II. reg. XV. 29.* memoratus; tum Tiglat-Phul-Aſar, *ibid. verſ. 29.* Tertius Salmanaſar eſt, qui regnum Iſraeliticum inuaſit, & decem tribuum Iſraelitas in captiuitatem abduxit, per Mediam, Ba-

Babyloniam, aliasque orientis prouincias, diſpergendos, *II. reg. XVII. 2. ſeqq.* Nomen Salmanaſari in Tyriorum archiuis exſtitiſſe, ex MENANDRO docet FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. IX. cap. vlt.* Salmanaſarum Senacheribus excepit, de quo, quae ſcitu digna ſunt, iam ſupra expoſuimus, cum de Hiskia verba faceremus, quocum plurimum negotii ei interceſſiſſe conſtat, §. *XXIV.* huius ſectionis. Aſſar-haddonem patri, a filiis Adramelecho, ac Sarezero interfecto, ſucceſſiſſe, ex *II. reg. XIX. 37.* diſcimus. Hic & Aſſaradinus dicitur, Aſſyriacumque imperium ad ſummum potentiae gradum euexit, coniuncto quippe cum eo Babylonico. Ab eius ducibus Manaſſen, Iudae regem captum, vinctumque, & Babylonem abductum conſtat, & ſupra quoque §. *XXV.* iam a nobis obſeruatum eſt. Eundem hunc eſſe, qui *Tob. I. 21.* Sarchedon, & *Eſa. XX. 1.* Sargon dicitur, poſt IOAN. MARSHAMVM, *can. chron. ſect. XVII. pag. 514.* recte obſeruauit IAC. PERIZONIVS, *Aegyptiar. origin. inueſtigat. cap. XIII. pag. 217.* Falluntur enim citra controuerſiam, qui Sargonem aut eundem cum Senacheribo, aut a Senacheribo pariter ac Aſſarhaddone diuerſum faciunt. Poſt Aſſarhaddonem DIONYSIVS PETAVIVS Nabuchodonoſorem, diuerſum eum a Nabuchodonoſore Babylonio ponit, in *rationario tempor. part. I. lib. II. cap. VI.* Non aliam quidem ob cauſſam, quam vt Nabuchodonoſorem illum, cuius in hiſtoria Iudithae mentio iniicitur, alicubi inueniat. Sed cum ea ſupra iam a nobis exploſa ſit fabula, vt hic aliquid addamus, neceſſe non eſt. Alii poſt Aſſarhaddonem Saosduchinum, & poſt hunc Chynoladanum ponunt, quorum vterque praeter Aſſyriacum, Babylonicum tenuerit imperium. Tum vero Nabopolaſſarus Babylonius, exercitui praefectus, inito cum Aſtyage, Cyaxaris Medorum regis filio, federe, iunctaque adfinitate, Niniuen, Aſſyriorum metropolim, & in ea Chynaladanum expugnauit, vt ex ALEXANDRI POLYHISTORIS fragmento, a GEORGIO SYNCELLO relato, colligunt. Ioſia regnante euerſam Niniuen auctor eſt HIERONYMVS, *prooem. comment. in Ionam*; ſuntque, qui Eſaiae pariter, ac Nahumi vatum praedictiones, illius, *cap. X.* huius, *cap. I. II. III.* huc referunt, excidium autem iam peractum ab Ezechiele *cap. XXXI.* deſcribi, contendunt. Sed quae de Saosduchino & Chynoladano referuntur, non ſatis certa ſunt: ſaltem in ſcriptura ſacra nulla poſt Aſſaradonem, regis Aſſyrii, ſed tantum Babyloniorum, mentio.

Iam ad Medos quod attinet, horum ab Arbace, quem a Sardanapalo defeciſſe, antea diximus, conditum imperium vulgo perhibent; ſed ita, vt Medis libertatem reddiderit, qua etiam gauiſi fuerint, donec poſt haud exiguum temporis interuallum, Deioces ab illis in regem eligeretur. HERODOTVS autem nulla Arbacis facta men-

mentione, Aſſyrios tantum narrat annis DXX Aſiam obtinuiſſe, ab iis defeciſſe poſtea Medos, qui cum perdiu ſine legibus & imperio vixiſſent, ad vltimum regem ſibi praefecerint Deiocem, cuius in iure dicendo prudentiam fuerant experti, a quo & vrbs Ecbatana, ſedem Medorum regibus praebitura, condita fuerit, *libr. I. cap. XCVII. ſeqq.* Deioces hicce cum regni fines ad Halyn fluuium vsque prolataſſet, & per annos quinquaginta tres imperaſſet, ſucceſſorem habuit filium Phraortem, qui Perſas ſub Medorum poteſtatem redegit, Aſſyriis autem cum bellum intuliſſet, proelio victus, cum maxima exercitus parte periit, anno, poſtquam regno potitus erat, ſecundo & viceſimo. Excepit eum Cyaxares filius, qui vrbe Nino, ſeu Niniue, expugnata, Aſſyrios ſubegit, Scythas quoque, qui Aſiae imperium eo tempore ſibi vindicabant, vicit, & cum Lydis ſexennale bellum geſſit. Imperabat eo tempore Lydis Halyattes, Croeſi pater, quocum tandem Cyaxares pacem fecit, ea lege, vt Ariana Halyattis filia, Aſtyagi filio Cyaxaris, in matrimonium collocaretur. Cum annis quadraginta Cyaxares imperium obtinuiſſet, obiit, relicto Aſtyage filio, qui annis triginta quinque itidem Medis imperauit. Et hicce Medorum regum vltimus fuit. Mandanem enim, vnicam filiam Cambyſi Perſae, mediocris fortunae homini & ſedato inſuper ingenio praedito, ſomnium, funeſta quaedam a filia aut eius liberis ſibi imminere ſignificans, irritum redditurus, in matrimonium dedit. Ex ea natus Cyrus, & mirabili quadam ratione ab aui crudelitate ſeruatus, cum ad imperium Perſarum perueniſſet, auum in bello captum regia dignitate exuit, & Medos Perſis in poſterum obedire coegit. Haec omnia, quae de Medorum regibus diximus, fuſius ediſſerit HERODOTVS, *hiſtor. libr. I. cap. XCVII. ſeqq.* Et in eo quidem CTESIAS, DIODORVS SICVLVS, EVSEBIVS, GEORGIVS SYNCELLVS, cum HERODOTO conſentiunt, regum Medorum vltimum eſſe Aſtyagem, quamuis in regum ſerie, numero, nominibus, annisque, plurimum ab eo differant. Sed HERODOTVM ſequi praeſtat, cum, quae reliqui, de regum iſtorum ſucceſſione ac nominibus tradunt, dubia valde atque incerta ſint, vti IOANNES MARSHAMVS oſtendit, *can. chron. ſect. XVII. pag. 225. ſeqq.* Cum HERODOTO praeter APPIANVM ALEXANDRINVM, *praefat. p. 5.* conſentit DIONYSIVS HALICARNASSENSIS. Cum enim de Aſſyriorum imperio dixiſſet, antiquum illud fuiſſe, & ad tempora fabuloſa productum, non magnam tamen Aſiae obtinuiſſe partem, de Medico addit: ἡ δὲ Μηδικὴ καθελοῦσα τὴν Ἀσσυρίων, καὶ μείζονα δυναστείαν περιβαλομένη, χρόνον οὐ πολὺν κατέσχεν, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῆς τετάρτης κατελύθη γενεᾶς· *Medicum autem cum illud Aſſyriorum ſuſtuliſſet, & maiore potentia auctum eſſet, non longo tempore durauit, ſed quarta generatione euerſum eſt; lib. I. pag. 2.*

* Quod

* Quod de Aſſyriaco imperio obſeruauimus, idem nunc de Babylonico quoque nobis dicendum venit. Cum ignobile id hactenus atque obſcurum fuiſſet, hac demum aetate caput extulit, & ob reges quosdam longe potentiſſimos celebrari coepit. Cum Medi longe lateque in oriente dominarentur, cum Aſſyriis & Chaldaeos, ſeu Babylonios illis paruiſſe, perhibent. Sed vtrique iugum tandem excuſſerunt; Babyloniis quidem Nabonaſſarum regem creantibus, qui cum anno periodi Iulianae ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo, olympiadis octauae anno ſecundo, annis ante aeram Chriſti ſeptingentis quadraginta ſeptem, regnare coepiſſet, orta hinc eſt *aera Nabonaſſari*, qua in aſtronomicis veterum rationibus vſus eſt PTOLOMAEVS, mathematicorum princeps. Meminit aerae huius CENSORINVS: *Nam, vt a noſtris, ita ab Aegyptiis quidam anni in litteras relati ſunt, vt, quos Nabonazara* (Ναβοναζάρȣ) *nominant, quod a primo imperii eius anno conſurgunt*; de *die natali cap. XXI. pag. m. 156.* Plura de aera hacce dabunt SCALIGER, in *can. iſag.* DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina temporum libr. IX. cap. LI. LII.* SETHVS CALVISIVS, in *iſagog. chronolog. cap. XI.* IOAN. MARSHAMVS, in *can. chron. ſect. XVII. pag. 503. ſeqq.* Quod autem a nonnullis Nabonaſſarus hicce pro primo Babyloniorum rege habetur, aut admitti nequit, aut non ita intelligendum, quod omnium primus regnum iſtud condiderit, ſed tantum, quod iſtud reſtaurarit. Ignobile enim licet hocce regnum ante haec tempora eſſet, non tamen nullum plane fuit; immo antiquiſſimum potius iſtud eſſe, a Nimrodo quippe conditum, ſuo iam loco demonſtrauimus. Fallitur hinc etiam IO. MARSHAMVS, dum ipſam vrbem Babylonem hac demum aetate conditam exiſtimat, *can. chron. ſect. XVII. pag. 506. ſeqq.* Sed hac de re, quantum ſatis eſt, iam ſupra dictum, ad *period. I. ſect. II.* §. *X. pag. 184. ſeqq.* item *ad period. II. ſect. II.* §. *XVIII. pag. 777.* Inter eos, qui Nabonaſſarum exceperunt, memorabilis in canone PTOLOMAEI eſt Mardokempadus, quippe quem eundem eſſe, qui ad Hiskiam, Iudaeorum regem, legatos miſit, quique *Eſa. XXXIX. 1.* Merodach Baladam, & *II. reg. XX. 12.* Berodach Baladanis filius vocatur, viri docti exiſtimant; qua de re itidem iam ſupra dictum ad ſectionis huius §. *XXIV.* Qui poſt Mardokempadum rerum apud Babylonios potiti ſunt, iterum obſcuriores ſunt; quorum vltimus Meſeſſimordacus vocatur. Poſt huius mortem Babylonii octo annis absque rege vixiſſe perhibentur, donec Aſſaradinus, quem ſcriptura Aſſarhaddonem vocat, Babylonicum regnum, cum Aſſyriaco coniunxit: qua de re iam antea, cum de Aſſyriorum imperio faceremus verba, diximus. Aſſaradini in vtroque regno ſucceſſorem perhiberi Saosduchinum, & huius Chyni-

 la-

ladanum, itidem iam commemorauimus.

Tum vero Babylonii excuſſo Aſſyriorum iugo, Nabopolaſſaro, qui & Nabuchodonoſor primus vocatur, paruerunt. Rex hicce bellicoſiſſimus, cum imperii habenas ſuscepiſſet, vt ea, quae rex Aegypti Necho in Syria occupauerat, ei eriperet, exercitum duxit contra Aegyptiorum praeſidium; *Ierem. XLVI. 2.* FLAVIVS IOSEPHVS addit, Nechonem, Aegypti regem, cum magnis copiis ad Euphratem ſe oppoſuiſſe Nabuchodonoſoro, & collatis ſignis victum fuiſſe; Babylonium autem traiecto Euphrate totam Syriam, vsque ad Peluſium, excepta Iudaea, ſibi ſubieciſſe; *antiquitat. iudaic. libr. X. cap. VII.* Anno regni ſui vigeſimo Nabopolaſſarus filium ſuum Nabuchodonoſorum in conſortium regni adſumſit, eumque cum ingenti exercitu miſit aduerſus rebellem ſatrapam, quem Aegypti, Coeleſyriae, Phoeniciaeque locis poteſtati ſuae ſubiectis, praefecerat. Eo peracto, Nabuchodonoſor Iudaeam peragrauit, cumque Hieroſolymam obſidione cinxiſſet, Ioiakimum vt ſe dederet, coegit, cum is per annos tres regnum tenuiſſet, captiuosque quosdam abduxit, quos inter & Daniel propheta fuit. Conferenda, quae ſupra diximus, ad ſectionis huius §. *XXVII.* Mortuo interea Nabopolaſſaro patre, cum annis *XXI.* regnaſſet, Nabuchodonoſor Babylonem reuerſus, regni poſſeſſionem adiit. Conſtant haec ex BEROSO, chaldaicarum rerum ſcriptore, cuius fragmentum ex *lib. III. chaldaicarum originum* nobis conſeruauit FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquitatum iudaic. lib. X. cap. XI.* & *lib. I. contra Apionem pag. 1044.* quod & EVSEBIVS exhibet, *praeparat, euangel. lib. IX. cap. XI.* Cum vero hactenus dictis lucem egregiam adfundat, id itidem recitare, ſed breuitatis cauſſa latinis ſaltem verbis, nos minime pigebit. *Nabopollaſſarus*, inquit, *pater illius, audita ſatrapae defectione, quem Aegypti, Coeloſyriae, Phoeniciaeque locis praefecerat, cum par labori amplius non eſſet, Nabuchodonoſorum filium cum parte copiarum aduerſus illum proficiſci iubet. Is contra rebellem acie commiſſa, victor totum illum tractum cum auctore defectionis in poteſtatem recepit. Per idem tempus Nabopollaſſarus Babylone moritur, cum regnaſſet annis vno & viginti. Quo accepto nuncio Nabuchodonoſorus rebus in Aegypto ac reliqua omni regione compoſitis, captiuisque e Phoenicia, Syria, & Aegypto cum omni ſuo exercitu ac praeda cuidam amicorum traditis, cum mandato, vt in Babyloniam deportaret, ipſe cum paucis Babylonem per ſolitudinem aduolat.* Obſeruare hic operae pretium fuerit, ſcripturam ſacram regni Nabuchodonoſoris initum ab expeditione iſta, quam in Syriam & Iudaeam, viuente adhuc patre, ſuscepit, ducere, cum BEROSVS contra apud FLAV. IOSEPHVM, & PTOLOMAEVS in regum Babyloniorum canone, annos eius ab obitu patris numerent, a quo tres & quadragin-

ginta imperii annos illi tribuunt. Et vltimam hanc computandi annos regni eius rationem etiam ſequitur Daniel. Etſi enim Nabuchodonoſor, cum primam aduerſus Iudaeos expeditionem ſuſciperet, anno tertio regis Ioiakimi, eo quod a patre in conſortium imperii adſumtus eſſet, iam regis nomine illi veniat, *cap. I. verſ. 1.* deinceps tamen, anno illius ſecundo ſomnium ipſius a ſe expoſitum ſignificans, *cap. II. verſ. 1. 30.* eum annum intelligit, qui poſt obitum patris eius ſecundus erat. Quod ex tota rerum ſerie facile intelligitur. Hoc ipſum itaque, cuius iam mentionem fecimus, ſomnium, vna cum indicatione eius ac interpretatione a Daniele facta, inter memorabilia, quae circa regni eius initium, anno ſcilicet ſecundo contigerunt, vel primum obtinet locum; *Daniel. II. verſ. 2. ſeqq.* Poſt aliquot annos Ioiakimum Iudaeae regem, eo quod a ſe defeciſſet, Nebucadnezar captum vinculis conſtrinxit, Babylonem abducendum. Mox & Iehoiachin, ſeu Iechonias, quod aut inuito Nebucadnezare imperium paternum inuaſerat, aut in eum itidem rebellauerat, cum per tres tantum menſes regnaſſet, ei ſe reddere coactus eſt. Factum hoc *II. reg. XXIV. v. 12.* dicitur anno octauo, ex quo Nebucadnezar regnare coeperat. Conferenda iterum, quae ſupra diximus, ad §. *XXVII.* huius ſectionis. Iehoiachini, ſeu Iechoniae loco, Nebucadnezar Matthaniam, eius patruum, regem conſtituit, eumque Zedekiam adpellauit. Hic praedeceſſorum non cautior redditus exemplo, Babyloniorum ſe ſubtrahere iugo conatus eſt; ſed poſt annum imperii quartum denuo Nebucadnezari obſequium promiſit. De fide autem ſeruanda parum ſollicitus, cum Babylonii regis iram eo grauius in ſe concitaſſet, vt euerſa vrbe Hieroſolyma, temploque incenſo, gens iudaica in Babylonicam captiuitatem deportaretur, in cauſſa fuit. Anno nono Zedekiae, vrbs Hieroſolyma a Nebucadnezare obſidione cincta eſt, quae per menſes octodecim durauit, vsque ad annum vndecimum Zedekiae. Tum captus rex Zedekias, oculisque orbatus, Babylonem abductus, vrbs Hieroſolyma vna cum templo concremata, Iudaei, qui adhuc reliqui erant, paucis quibusdam iisque pauperibus exceptis, Babylonem migrare coacti. Factum hoc anno Nebucadnezaris decimo nono. Fuſius haec omnia ſupra iam expoſita ſunt ad §. *XXVIII.* Reliqua autem ad Nebucadnezaris hiſtoriam ſpectantia in ſequentibus expediemus.

** De origine Tyri vrbis & primis regibus, ſpeciatim Hiramo, cui cum Dauide pariter ac Salomone amicitia interceſſit, diximus ad *period. II. ſect. II.* §. *XVIII. pag. 783.* & ad *per. II. ſect. III.* §. *XXVIII. pag. 254.* Reliquorum regum nomina ad Pygmalionem vsque, ex MENANDRO EPHESIO refert FLAVIVS IOSEPHVS *contra Apion. lib. I. pag. 1043.* Inter hos maxime me-

memorabilis eſt Ithobalus, de quo ita MENANDER: τοῦτον ἀνεῖλεν Εἰθόβαλος, ὁ τῆς Ἀςάρτης ἱερεὺς, ὃς βασιλεύσας ἔτη τριάκοντα δύο, ἐβίωσεν ἔτη ἑξήκοντα ὀκτώ· Ἀβροχία τε ἐπ' αὐτοῦ ἐγένετο, ἀπὸ τοῦ ὑπερβερεταίου μηνὸς, ἕως τοῦ ἐρχομένου ἔτους ὑπερβερεταίου· Ἱκετείαν δ' αὐτοῦ ποιησαμένου, κεραυνοὺς ἱκανοὺς βεβληκέναι· *Hunc* (Pheletem) *ſuſtulit Ithobalus, Aſtartae ſacerdos, qui vixit annos ſexaginta octo, regnauit annos triginta duos. Defectus pluuiarum fuit eo regnante, a menſe Hyperberetaeo vsque ad inſequentis anni Hyperberetaeum, cum vero ille ſupplicationes indixiſſet, magna vis tonitruum ſequuta eſt.* Vix eſt, quod dubitemus, Ithobalum hunc eſſe Ethbaalem, cuius filiam Izebelam Achabus in matrimonium duxit, quaeue tot malorum in gente Iſraelitica cauſſa exſtitit. Idque & ſupra, cum de Achabo verba faceremus, ad §. *XIII.* huius ſectionis, nobis obſeruatum. Praeterquam enim, quod nominis id conuenientia docet, defectum illum pluuiarum, cuius MENANDER meminit, ſub Achabo contigiſſe, ſcriptura ſacra teſtatur. Obſtare equidem videtur, quod Ethbaal Izebelae pater *I. reg. XVI. 31.* non Tyri, ſed Sidonis rex vocetur. Sidonis autem reges diuerſos fuiſſe a regibus Tyri, ex *Ierem. XXV. 22.* videtur colligi poſſe: *& cunctis regibus Tyri, & vniuerſis regibus Sidonis, & regibus terrae inſularum, &c.* conf. *Ierem. XXVII. verſ. 2. 3.* Rurſus Tyrios pariter ac Sidonios iisdem regibus paruiſſe, ex *I. reg. V. 6.* & *I. chron. XXII. 4.* conſtare videtur. Idque ſane confirmat FLAVIVS IOSEPHVS, aut MENANDER potius apud IOSEPHVM, *antiquit. iudaic. lib. VIII. cap. VII.* quando Ithobalum diſerte Τυρίων καὶ Σιδωνίων βασιλέα vocat. Quare & Ethbaal, cum Tyriorum rex eſſet, recte etiam rex Sidonis vocari potuit. Forte aliquando Tyrii & Sidonii communes reges, interdum proprios habuerunt. Ita enim, quae pugnare inter ſe videntur, conciliari poterunt.

Poſt Ithobalum maxime memoratu dignus eſt Pygmalion, qui ſororis Eliſae, ſeu Didonis coniugem Sichaeum, opibus eius inhians, vita priuauit. At Dido, gaza omni clam in naues impoſita, nec paucis fugae comparatis ſociis, nauigauit in Africam, vbi ab Hiarba Maurufiorum regulo agrum mercata, oppidum condidit, quod Byrſam primum, (arcis id nomen fuit) exinde Carthaginem vocarunt; conf. SOLINVS, *cap. XXX.* IVSTINVS, *hiſtoriar. libr. XVIII. cap. IV.* qui in quibusdam paullo aliter rem narrat. Didonem autem Phoenices non tam deduxiſſe in Africam, ſed eos, qui antea iam eo commigrauerant, adiiſſe, neque tam Carthaginem condidiſſe, quam inſtauraſſe & auxiſſe, Byrſa adiecta, oſtendit SAM. BOCHARTVS, *Chanaan lib. I. cap. XXIV. pag. 511.* Sed nobis id ſupra quoque iam obſeruatum eſt, ad *per. II. ſect. II. §. XVIII. pag. 799.* Nomen phoenicium Carthaginis fuiſſe

ſe *Carthada*, id eſt, קרתא הדת vel קרת חדתא *urbs noua*, arcem vero בצרה, hoc eſt, *munimentum*, vocatam, quod cum Graeci pronuntiarent *Byrſa*, voxque Βύρσα *corium bouis* ſignificet, fabulam inde, de corio bouis in minutiſſimas ligulas ſecto, ortam eſſe, docet, quem iam laudauimus, SAMVEL BOCHARTVS, *loc. cit.* Profectio Didonis anno ſeptimo Pygmalionis tribuitur a FLAVIO IOSEPHO, qui ex annis regum Tyriorum colligit, Carthaginem anno, poſt templum Hieroſolymitanum inchoatum, CXLIV conditam, *contra Apion. lib. I. p. 1043.* eumque ſequitur DIONYSIVS PETAVIVS, *rationar. temp. part. I. libr. II. cap. IV. p. 53.* At ſecundum IOANNEM MARSHAMVM anno templi CXX regnare coepit Pygmalion, anno vero CXXVI Dido in Africam fugiens Carthaginem condidit, aut reſtaurauit, *can. chron. ſect. XV. p. 409.* Cum ergo hoc trecentis circiter annis poſt cladem Troianam contigerit, ingenio nimis indulſit VIRGILIVS, aequalem Aeneae Didonem ſtatuens. Fugae autem Didonis hiſtoriam in compendio cecinit *Aeneid. lib. I. v. 342.* ad *373.* Magis ex veritate hiſtoriae SERVIVS: *Dido vero nomine Eliſſa antea dicta eſt, ſed poſt interitum, a Poenis Dido adpellata, id eſt virago, Punica lingua; quod cum a ſuis ciuibus cogeretur cuidam de Afris regibus nubere, & prioris mariti amore teneretur, forti ſe animo & interfecerit, & in piram iniecerit, quam ſe ad expiandos prioris mariti manes exſtruxiſſe, fingebat*, ad *Virgilii l. c.*

Ad Tyrios vt redeam, illi, cum Chaldaeorum res ſub Nebucadnezare ad ſummum potentiae faſtigium perueniſſent, eandem, ac multae aliae gentes vrbesque, fortunam experti ſunt. Poſt Hieroſolymorum enim cladem, Tyrus quoque poſt diuturnam obſidionem a rege Nebucadnezare capta, ſoloque aequata eſt, vt ex *Ezechielis XXVI. v. 2. ſeqq.* patet. Confirmat idem FLAVIVS IOSEPHVS, ex Phoenicum commentariis referens, *ſub Ithobalo rege*, (qui, licet eiusdem nominis, diuerſus tamen ab eo fuit, quem antea laudauimus,) *Nabuchodonoſorum obſediſſe Tyrum annis tribus & decem.* Interiectis deinde nonnullis addit; Ἑβδόμῳ μὲν γὰρ ἔτει (ita legendum pro περὶ) τοῦ Ναβουχοδονοσόρου ἤρξατο πολιορκεῖν Τύρον· *Septimo ſiquidem anno regni ſui Nabuchodonoſor coepit obſidere Tyrum.* Idem etiam ex PHILOSTRATI *hiſtoria Indica & Phoenicia* refert, *antiquitat. iudaic. lib. X. cap. XI. obſeſſam a Nebucadnezare Tyrum per annos tredecim, quo tempore Ithobalus rex Tyri fuit.* Ipſum autem obſidionis impetum violentum, tum expugnationem, & tandem excidium, tam graphice Ezechiel vates depingit, *cap. XXVI. 7. 8. ſeqq.* vt nihil luculentius hac de re dici queat. Licet itaque excidii huius apud Graecos, aliosque ſcriptores profanos, (ſi ab iis diſcedas, quae antea ex IOSEPHO commemorauimus) nulla fiat mentio, de rei veritate tamen non eſt dubitandum, cum non omnia a Graecis aliisque ſcriptoribus litteris conſignata

 ſint,

ſint, nec omnium ſcripta ad nos peruenerint. Recte id obſeruatum HIERONYMO, in *Ezech. cap. XXVI. p. 841. Qui*, inquit, *huic hiſtoriae contradicunt, Graecas & Phoenicum, maxime Nicolai Damaſceni, & alias barbarorum aiunt ſe legiſſe hiſtorias, & nihil ſuper oppugnatione a Chaldaeis inueniſſe Tyriae ciuitatis; cum probare poſſimus, multa dici in ſcripturis facta, quae in graecis voluminibus non inueniuntur.* Hactenus bene. Non aeque probanda, quae ſequuntur: *Poteſt ergo, quod dicitur*: nec aedificaberis vltra: *ſic accipi: quod nequaquam vltra ſit regina populorum, nec proprium habeat imperium, quomodo habuit ſub Hiram, & ceteris regibus, ſed vel Chaldaeis, vel Macedonibus, vel Ptolomaeis, & ad poſtremum Romanis regibus ſeruitura ſit.* Nimirum, cum apud prophetam legeret, Tyrum numquam iterum reſtaurandam, & nihilo-ſecius Tyrus iterum effloruerit, donec denuo ab Alexandro magno deſtrueretur, hinc ſe expedire non potuit. Sed quo pacto hocce dubium ſoluendum ſit, ex dicendis patebit. Eiusdem generis eſt, quod porro dicit: *Tyrum fuiſſe inſulam, & nullum habuiſſe de terra introitum, in graecis, latinisque & barbaris hiſtoricis legimus: ſed poſtea a Nabuchodonoſoro (vel vt nonnulli, ab Alexandro) iactos eſſe aggeres, & oppugnatione, vineisque & arietibus locum praeparatum, ac de inſula factam eſſe peninſulam.* Immo cum deinceps in *c. XXVII. p. 845.* monuiſſet, eſſe nonnullos, qui prophetiam nominatim de Nabuchodonoſoro editam, ad Alexandrum magnum referant, ipſe tandem in *c. XXIX. p. 871.* aggerem Alexandri magni Nabuchodonoſoro tribuit. Verum ex hisce facile eluctari HIERONYMVS difficultatibus, & errores, quos admiſit, euitare potuiſſet, ſi ſciuiſſet, quod viris eruditis recte obſeruatum, quae Ezechiel vates de excidio Tyri canit, de veteri Tyro, ſeu Palaetyro, vrbe maritima, ſed in continenti poſita, eſſe intelligenda. Id enim circumuallationes, machinae, equitatus, quorum apud Ezechielem mentio fit, indicant. Hanc Nebucadnezar expugnauit, diruit, ſolo aequauit, nunquam iterum reſtituendam. Tyrii autem, cum extrema ſibi imminere viderent, relicta antiqua ſede, in inſulam commigrarunt, vnde deſtructio *veteris Tyri* origo fuit *nouae*, ſeu inſularis, in qua iterum a regibus & iudicibus, vt ſuo loco dicemus, regnatum eſt, donec ab Alexandro magno ſubiugaretur, qui iacto aggere ex inſula peninſulam fecit. HIERONYMVS autem ima miſcet ſummis, ad Alexandrum referens, quae ad Nebucadnezarem ſpectabant; mireque ſe torquens, quod numquam aedificanda a vate dicatur, cum tamen deinceps Tyrus exſtiterit. Sed verbis prophetae omnino euentus reſpondit, cum Palaetyrus numquam iterum reſtaurata fuerit. Duplicem autem, quam commemorauimus, Tyrum, geographi veteres PTOLOMAEVS, STRABO, PLINIVS agnoſcunt; conf. IO. MARSHAMVS, in *can. chron. ſect. XVIII. p. 576. ſeqq.*

*** Quo

*** Quo pacto Syri a Dauide ſubiugati ſint, ſupra expoſuimus, ad *period. II. ſect. II.* §. *XV.* item ad *eiusdem ſectionis* §. *XXVIII.* Quo pacto etiam Rezon Eliadae filius, tempore Salomonis Syriam Damaſcenam, in qua hactenus Salomo poſt Dauidem milites ſtationarios habuerat, occupauerit, Syriaeque regnum adeo reſtaurauerit, itidem ad huius ſectionis §. *II.* ediſſeruimus; vbi & FLAVII IOSEPHI, cuncta hic inter ſe commiſcentis, παρορόματα profligauimus. Opportune hinc poſt Salomonis mortem, Syris regni Iſraelitici accidebat diuiſio, quippe quae obſtabat, vt eo minus populi ebraei iugo iterum ſubmitti poſſent. Rezon itaque regnum ſuum in poſteros ad Hazaelem vsque transmiſit; quem ex alia proſapia fuiſſe, ex *II. reg. VIII. 8. ſeqq.* condiſcimus. Obſtare equidem videtur, quod *I. reg. XV. 18.* Benhadadus Syriae Damaſcenae rex, filius Tabrimmon, nepos Hezionis dicatur. Sed Hezionem iſtum eundem cum Rezone eſſe, non ſine ratione ſuſpicatur IOANNES MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XIII. p. 346.* Et Benhadadus quidem iſte Hezionis vel Rezonis nepos, inter Syriae reges longe fuit potentiſſimus celeberrimusque. Cum enim Achabus apud Iſraelitas rerum potiretur, Samariam obſidione cinxit, habuitque in exercitu ſuo XXXII regulos, *I. reg. XX. I.* Obſidionem tamen ſoluere coactus eſt, victo eius ab Iſraelitis exercitu, & in fugam verſo. Anno ſequenti, cum denuo arma contra Iſraelitas cepiſſet, iterum inferior ex proelio diſceſſit, caeſis inſuper vno die Syrorum centum millibus, praeter viginti ſeptem millia, quos ruina moenium Aphekae vrbis oppreſſit; ipſo Benhadado vix effugiente, at mox Achabi, intempeſtiua miſericordia ducti, gratiam, contra Numinis voluntatem impetrante. Copioſius haec omnia ad §. *X. huius ſectionis* ſunt expoſita. Tribus hinc circiter elapſis annis, Achabus bellum in Syros iterauit, Ramothas Gileaditidis vrbem occupaturus. Videtur enim Benhadadus federis lege, qua omnes vrbes, quas pater eius Iſraelitis eripuerat, ſe redditurum promiſit, non ſtetiſſe. Achabus autem in proelio cum Syris commiſſo, ſagitta ictus, miſere periit. Conferenda, quae ad §. *XI. huius ſectionis* fuſius hac de re dicta. Si Benhadadus hicce idem fuit, quem ab Hazaele vita priuatum *II. reg. VIII. 15.* legimus, qua de re ad §. *XIV.* huius ſectionis dictum, ad eundem etiam referenda ſunt, quae de Naamane, exercitus eius praefecto, quem Eliſaeus a lepra liberauit, *II. reg. V. 1. ſeqq.* item de exercitu eius ab Eliſaeo deluſo, *II. reg. VI. 8. ſeqq.* & Samaria a Syris iterum fruſtra obſeſſa, ſed ad ſummam tamen anguſtiam redacta, *II. reg. VI. 24. ſeqq.* legimus, tumque dicendum fuerit, eum per longum admodum temporis ſpatium Syris imperaſſe. Probabilius tamen aliis videtur, duos eiusdem nominis, patrem & filium, fuiſſe reges, vt quaedam ad illum, reliqua ad hunc referenda ſint.

Benha-

Benhadadum itaque excepit Hazael, cui Eliſaeus, ad quem a rege aegrotante miſſus erat, vt ex eo ſciſcitaretur, an valetudinem eſſet recuperaturus, praedixit, eum Syriae regem fore, ſimulque quot mala populo Iſraelitico adlaturus eſſet, cum lacrymis & gemitu ſignificauit. Quod cum Hazael intellexiſſet, ſimulque habere, quam exſpectare regnum mallet, regem in lecto iacentem, iniecta ſtragula ſuffocauit; *II. reg. VIII. 15.* Regnum cum adeptus eſſet, res Syrorum maxime contra Iſraelitas promouit. Quae enim ad ortum Iordanis ſunt, totam terram Galaad, & Gaditarum, & Rubenitarum, & Manaſſaeanorum, ab Aroer, quae eſt ad torrentem Arnonem, ad Galeaditidem & Baſanitidem, iis ademit, *II. reg. X. 33.* Nec dubium, quin & iis, quae Eliſaeus de crudelitate eius *II. reg. VIII. 12.* praedixerat, adcurate euentus reſponderit. Contigerunt haec, cum Iehu rerum apud Iſraelitas potiretur. Deinde vero & ſub Ioachazo, filio Iehu, Deus Iſraelitas in manum Hazaelis, & filii eius Benhadadi, tradidiſſe dicitur, *II. reg. XIII. 3.* Tantam vero & Hazael, & anteceſſor eius Benhadadus, apud ſuos conſecutus eſt auctoritatem, vt vterque in deorum numerum relatus ſit, vt auctor eſt FLAV. IOSEPHVS: Μέχρι νῦν, inquit, αὐτός τε ὁ Ἄδερ καὶ ὁ Αζάηλος ὁ μετ᾽ αὐτὸν ἄρξας ὡς θεοὶ τιμῶνται διὰ τὰς εὐεργεσίας καὶ τῶν ναῶν τὰς οἰκοδομίας, οἷς ἐκόσμησαν τὴν τῶν Δαμασκηνῶν πόλιν· πέμπουσι δ᾽ αὐτοῖ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐπὶ τε τιμῇ βασιλέων καὶ σεμνύονται τὴν τούτων ἀρχαιότητα, οὐκ εἰδότες ὅτι νεώτεροι εἰσὶ καὶ οὐκ ἔχουσιν οἱ βασιλεῖς ἔτη χίλια καὶ ἑκατόν· *Ipſe Ader* (hoc eſt Adadus vel Benadadus) *& Azaelus, qui poſt eum regnauit, adhuc coluntur propter beneficia & aedificationes templorum, quibus ornarunt Damaſcenorum vrbem. Pompas vero illi celebrant quotidie in eorum regum honorem, & gloriantur propter eorum antiquitatem, ignari, eos eſſe recentiores, & ipſos reges mille & centum annorum antiquitatem non habere; antiquitat. iudaic. lib. IX. cap. II.* Succeſſorem Hazael habuit filium Benhadadum, *II. reg. XIII. 3. & 24.* qui cum populum Iſraeliticum mirum in modum adfligeret, atque vexaret, rexque Iehoachazus iram Dei deprecaretur, Deus מושיע *ſeruatorem* quemdam, ſeu ſtrenuum belli ducem excitauit, qui Syrorum iugum ab Iſraelitarum ceruicibus depulit; *II. reg. XIII. 5.* Videntur autem deinceps Syri denuo Iſraelitas in ſeruitutem redegiſſe; quia Ioas, Iehoachazi ſucceſſor, in ſummis anguſtiis conſtitutus, ad Eliſaeum vatem aegrotantem acceſſit, vt per eum auxilium a Deo impetraret. Quo pacto Eliſaeus ſymbolica quadam ratione, victorias, quas a Syris reportaturus eſſet, ſignificauerit, quo pacto etiam euentus praedictioni huic adcurate reſponderit, Syris tribus proeliis a Ioaſo deuictis, vrbibusque, quas Syri occupauerant, recuperatis, ex *II. reg. XIII. v. 14. ſeqq.* conſtat, & fuſius ſupra ad §. *XVIII.* huius ſectionis

eſt

Digitized by Google

eſt expoſitum. Continuauit deinde victorias iſtas contra Syros Ieroboamus II rex Israelis, qui & fines Israelis recuperauit, ab *introitu Chamatae, vſque ad mare planitiei*, *II. reg. XIV. 25.* ad ortum ſcilicet Iordanis, vbi terminus ſeptentrionalis erat Chamata, meridionalis *mare mortuum*, quod hic vocatur *mare planitiei*; immo & Damaſcum ipſam atque Chamatam reſtituit ליהודה בישראל *Iudae in Iſrael*, *II. reg. XIV. verſ. 28.* hoc eſt, quae Iudae olim fuerant, nunc Israeli reſtituit, ſeu ſubiecit. Ita enim hoc intelligendum eſſe, ad §. *XXI.* huius ſectionis docuimus.

Poſt Benhadadum, Azaelis filium, Rezin apud Syros rerum potitus eſt, qui vna cum Pekacho, Israelis rege, mouit contra Achazum, regem Iudae; multique Iudaeorum tum interfecti & a Syris in captiuitatem Damaſcum abducti ſunt; *II. chron. XXVIII. 5. ſeqq.* Achazus autem ad regem Aſſyriorum miſit, vt eum contra Syros & Israelitas concitaret. Quare, vt videtur irritati Syri & Israelitae, altera vice expeditionem in Iudaeam ſuſceperunt, vrbemque Hieroſolymam obſederunt: *II. reg. XVI. 5. ſeqq.* Animus nimirum Syris atque Israelitis fuit, filium Tabeelis, Iudaeae regem conſtituere; *Eſa. VII. 6.* Huc & pertinet, quod *II. reg. XVI. 6.* dicitur: *Illo tempore reſtituit Rezin Aramaeorum rex Elatham Syris, eiecitque Iudaeos ex Elathis* ;(quo facto) *Idumaei ingreſſi Elatham illic habitarunt, ad hodiernum vſque diem*; quod quo pacto intelligendum ſit, ſupra ad §. *XXIII.* huius ſectionis expoſitum. Achazus autem Iudaeae rex, verbis Eſaiae vatis, quibus auxilium diuinum & liberationem ab hoſtibus illi pollicebatur, fidem non adhibens, Aſſyriae regem magnis muneribus, ex theſauris templi & regiae ſumtis ſibi conciliare adnitebatur. Aſſyriae autem rex non tantum Achazo opem non tulit, ſed adflixit eum inſuper, vt ex *II. chron. XXVIII. verſ. 20.* patet. Interim tamen Tiglath-Phileſſer, rex Aſſyriae, Damaſcum vrbem obſidione cinxit, Rezine rege interemto, & populo Kirem, Mediae, vt videtur, vrbem, in captiuitatem abducto; *II. reg. XVI. v. 9.* Qua quidem ratione, quae diuini vates Eſaias *c. VIII. 4.* & Amos *c. I. 4. 5.* contra Damaſcum vaticinati ſunt, impleta fuere. Et hicce quidem regni Syriaci finis fuit. Videntur autem deinceps res ſuas reſtauraſſe; ſed denuo vincendi & deuaſtandi a Nebucadnezare; id quod haud obſcure ex *Ierem. XLIX. verſ. 27.* colligas.

* Idumaeos a Dauide ſubiugatos, ex *II. Sam. VIII. 14.* conſtat, dictumque hac de re ad *period. II. ſect. III.* §. *XV. p. 118.* Sub Salomone autem frenum mordere coeperunt. Hadadus enim Idumaeus, ex regia ſtirpe oriundus, cum Dauid, quidquid maſculini ſexus in Idumaea eſſet, perdere decreuiſſet, puer adhuc in Aegyptum abductus, ibique educatus, de morte Dauidis & Ioabi certior redditus, in patriam rediit, regnumque

Digitized by Google

recuperauit; conf. quae ad §. *II.* huius ſectionis dicta ſunt. Licet autem hoc haud dubie inuito factum ſit Salomone, nondum tamen penitus Idumaei Iudaeorum excuſſiſſe iugum videntur. Immo facta regni Israelitici diuiſione, Idumaei Iudaeis adhaeſerunt, vt Moabitae Israelitis. Licet autem reges ſuos haberent, hi tamen reuera ſaltem praefecti erant, ſeu regum Iudae vicarii. Hinc *I. reg. XXII. v. 48.* dicitur: *Rex nullus erat in Idumaea, ſed praefectus a rege*, ſcilicet Iudae. Subinde ſane iugum prorſus excutere conatos, & aliis Iudaeorum hoſtibus ſe adiunxiſſe, vel ex *II. chronicor. XXII. 23.* conſtat. Inter hoſtes enim, quos mirabili victoria Ioſaphatus deletos vidit, etiam Idumaei ibi commemorantur. Nec dubium, quin poſt iſtam victoriam ſtrictiori obſequio Ioſaphato paruerint; conferenda, quae ad §. *XI.* huius ſectionis diximus. Rurſus equidem rex Idumaeorum commemoratur, qui cum Ioſaphato, rege Iudae, & Ioramo, rege Israelis, arma contra Moabitas coniunxit, *II. reg. III. 9.* Sed de praefecto, ſeu vicario regis Iudae hoc eſſe intelligendum, res ipſa docet. Sub Ioramo vero, rege Iudae, Ioſaphati filio, Idumaei a Iudaeis defecerunt, & licet clade quadam a rege Iudae adficerentur, hic tamen eos ad obſequium reuocare non potuit. Hinc *II. reg. VIII. 20.* dicitur: Idumaeos *defeciſſe, & regem ſibi conſtituiſſe*, talem ſcilicet, qui Iudaeorum regibus parere nollet; & *v. 22. defecerunt Idumaei a ditione Iudae vsque ad hodiernum diem;* hoc eſt, ita defecerunt, vt in defectione ſua perſiſterent, nec vnquam ad officium redirent. Iungenda, quae fuſius ad §. *XV.* huius ſectionis hac de re diximus. Videtur equidem deinceps Amazia rex Iudae Idumaeos iterum ſibi ſubiicere voluiſſe, qui & inſigni eos clade adfecit, *II. reg. XIV. 7.* & *II. chron. XXV. 11.* Sed imperio tamen ſuo eos ſubmittere non potuit; conf. quae ad §. *XIX.* huius ſectionis diximus. Non itaque Iudaeis amplius paruerunt Idumaei, ſed ſuos reges habuiſſe videntur, donec ab Hircano ſubacti, iudaicae gentis ſacra ſuſciperent. Et ea quidem ratione Iſaaci patriarchae de hac gente vaticinio euentus reſpondit, vti iam ſupra obſeruatum, ad *period. I. ſect. III.* §. *X. p. 252.* Ceterum vt infenſum admodum erga Iudaeos animum ſubinde oſtenderunt Idumaei, ita & ipſimet duriora fata experti ſunt, a vatibus quidem ſacris illis praenuntiata; conf. *Amos I. 11. 12. Eſ. XXI. 11.* item *pſal. CXXXVII. 7.*

Moabitas a Dauide ſubiugatos grauiterque ſimul caſtigatos ex *II. Sam. VIII. 2.* conſtat, dictumque hac de re ſupra, ad *period. II. ſect. III.* §. *XV. p. 116.* Poſt regni Israelitici diuiſionem Moabitae decem tribubus adhaeſerunt; licetque reges ſuos haberent, hi tamen regum Israeliticorum erant tributarii, *II. reg. III. v. 4.* Sub Achazia autem, Achabi filio, defecit Meſa, Moabitarum rex, tributum recuſando. Hinc Ioramus Achaziae frater reducere eos ad obſequium voluit,

luit, inuitato ad belli ſocietatem Ioſaphato Iudae rege, qui & vna cum pro-rege Idumaeorum copias ſuas cum Iſraelitarum copiis coniunxit. In loca autem aqua deſtituta tres iſti reges cum exercitu delati, in magnas coniecti ſunt anguſtias, pereundumque omnibus fuiſſet, niſi ingenii miraculo ab Eliſa vate edito, inde fuiſſent liberati. Caeſi hinc Moabitae, & ingenti clade adfecti, vaſtitatemque maximam regioni eorum intulerunt Iſraelitae, vrbes eorum deſtruentes, agros fertiles lapidibus implentes, fontes aquarum obſtruentes, arboresque frugiferas exſcindentes. Tandem & Kirhareſeth regiam ſedem, obſidione cinxerunt, in qua cum ipſe rex Moabitarum eſſet, & extrema ſibi iam imminere videret, oblato in ſacrificium filio ſuo primogenito, Iſraelitas tam enorme facinus abominantes, adduxit, vt obſidionem ſoluerent; irritusque adeo eorum in ſubiugandis iterum Moabitis fuit conatus; *II. reg. III. 4. ſeqq.* addantur, quae ex inſtituto hac de re ad §. *XIII* huius ſectionis dicta ſunt. Quemadmodum autem Moabitae inter eas quoque gentes fuere, quas mirabili victoria Ioſaphatus exſtinctas vidit, *II. chron. XX. 23.* ita deinceps imperante Iſraelitis Ioazo, non tam bello, quam latrocinio Iſraelitas inuaſerunt, *II. reg. XIII. v. 20.* Cum vltima tandem Iudaeis fata imminerent, Chaldaeis, Syrisque & Ammonitis, Moabitae quoque iuncti, ſub Ioiakimo rege multa illis intulerunt mala; caſtigandi rurſus ipſimet grauiter a Chaldaeis, quorum, vt alii orientis populi, ſubire iugum coacti ſunt. Immo & ab illis in captiuitatem abducti ſunt, vrbibus eorum deſtructis ac deuaſtatis; quod & Iudaeis contigit. Praedixit hoc Ieremias, *cap. XLVIII. verſ. 1. ſeqq.* quemadmodum de iis, quae ab Aſſyriis paſſi ſunt, vaticinatus eſt Eſaias *cap. XVI. verſ. 24.*

Vicini Moabitarum fuerunt Ammonitae, & ex eadem etiam origine prognati. Hoſtilem quoque non minus, quam Moabitae & Idumaei, aduerſus Iſraelitas demonſtrarunt animum. A Dauide itaque, quem, legatis eius violatis, vehementer irritauerant, ſub iugum miſſi, petulantiae ſuae grauiſſimas dederunt poenas. Expugnata Rabba, quae regia apud eos ſedes erat, regia quoque corona, ob ingens pondus memorabilis, Dauidi delata fuit. Dictum de hiſce ſupra, ad *period. II. ſect. III.* §. *XV. p. 119. ſeqq.* Ex eo tempore eadem cum Moabitis habuiſſe fata videntur. Certe Moabitis, aliisque gentibus iuncti, cum Ioſaphatus rerum potiretur, Iudaeam inuaſerunt; *II. chron. XX. 23.* Sub Vzia rege tributa Iudaeis pendere coacti ſunt, *II. chron. XXVI. 8.* quod cum poſt mortem iſtius regis recuſarent, a filio eius Iothamo in ordinem redacti, per tres iterum id fecerunt annos; *II. chron. XXVII. 5.* Ex eo tempore ſui iterum iuris fuiſſe videntur, donec eadem cum aliis orientis populis itidem experirentur fata, a Chaldaeis ſubiugandi, quibus contra

tra Iudaeos auxilium tulerant, animum hoſtilem erga hancce gentem tum alias, tum hacce quoque ratione prodentes. Exſtant varia prophetarum contra eos vaticinia, vt *Amoſi, I. 13. Zephaniae II. 9. Ieremiae XXV. 21. XXVII. 3. XLIX. 1. &c.*

Philiſtaeorum quoque haud raro in hocce temporis interuallo iniicitur mentio. A Dauide enim licet perdomiti, caput tamen iterum poſt Iſraelitici regni diuiſionem, extulerunt. Gibbethonem tum etiam occuparunt, quod factum videtur, cum Ieroboamus in proelio cum Abia Rehabeami filio, inferior diſceſſiſſet, *II. chron. XIII. 3. ſeqq.* Ieroboami itaque filius Nadab eam recipere conatus eſt; at eo per Baezam regem in caſtris creatum caeſo, ſoluta eſt obſidio, *I. reg. XV. verſ. 27.* repetenda equidem, ab Ela eius filio, ſed irrito conatu, cum is a Simri occideretur, in cuius locum ab exercitu, qui Gibbethonem obſidebat, Amri rex creatus eſt, qui iterum obſidionem ſoluit, *I. reg. XVI. 16.* Ioſaphato Iudae regi Philiſtaeos dona obtuliſſe, & tributa ſoluiſſe, ex *II. chron. XVII. v. 11.* conſtat; at ſub Ioramo, Ioſaphati filio, rege impio, aliis populis iuncti, irruptione in Iudaeam facta, caedes atque rapinam longe lateque circumtulere, *II. chron. XXI. verſ. 16. 17.* Cum apud Iudaeos Ioazus ſummam rerum teneret, a Syris, quibus Hazael imperauit, caſtigati, iisque Gathum, vrbem primariam cedere coacti ſunt; *II. reg. XII. verſ. 17.* Mox tamen cum Syri Gathum deſeruiſſent, reſumſerunt vires, Iudaeisque moleſtiam crearunt; reprimendi iterum ab Vzia Iudaeorum rege, qui & Gathum, Asdodum, Iabnem, vrbes eorum diruit, vtque frenum illis iniiceret, arces quasdam & munimenta in illorum regione excitauit, *II. chron. XXVI. 6. 7.* Excuſſo rurſus Iudaeorum iugo, cum ſub Achazo, rege impio, illorum per Idumaeos, aliasque gentes fractae vires eſſent, vrbes nonnullas in Iudaea occuparunt, & in iis habitarunt, *II. chron. XXVIII. 18.* Aliam vero iterum fortunam experti ſunt, cum Hiskias, rex pius, regni habenas apud Iudaeos ſuſcepiſſet, quippe qui *ad Gazam vsque & fines eius illos concidiſſe* dicitur, *II. reg. XVIII. verſ. 8.* Atque huc nonnulli vaticinium *Eſaiae cap. XIV. v. 31.* referunt. Mox, cum Sargon, rex Aſſyriae, quem Aſſaradinum, ſeu Aſſar-haddonem eſſe, ſupra, cum de Aſſyriorum rebus faceremus verba, oſtendimus, rerum poti-retur, Tharthanem miſit, qui Asdodum, Philiſtaeorum vrbem, obſedit, & expugnauit, *Eſa. XX. verſ. 1.* Deinde Pſammitichus rex Aegypti in Asdodi vrbis obſidione viginti nouem annos conſumſit, vti ſupra, cum de Aegyptiorum rebus loqueremur, ex HERODOTO, *hiſtor. lib. II. c. CLVII.* obſeruatum. Eam etiam cum in poteſtatem ſuam redegiſſet, deſtruxiſſe videtur. Id namque ex *Ierem. XXV. 20.* colligas, cum ibi *reſiduum Asdodi* commemoretur. Magnam deinceps cladem

cladem Philiſtaeis intulit Pharao Hophra, qui HERODOTO Apries vocatur, quippe qui vrbes praecipuas eorum deuaſtauit, vt ex *Ierem. XLVII. ſeqq.* conſtat. Exſtant & varia prophetarum vaticinia, quibus illis duriſſima quaeque denuntiantur, vt *Eſa. XXII. 16. Amos I. 6. 19. Ierem. XXV. 20. &c.* Atque haec quidem de iſtarum gentium hiſtoria, prout ad hocce temporis interuallum pertinet, vel ideo commemorare viſum fuit, quod variis ſcripturae oraculis inde lux quaedam adfundi queat.

** Apud Lydos, Atyadis in regno ſucceſſerunt Heraclidae, Heraclidis Mermnadae. Atyadarum nomen ab Aty rege, Cotyis filio, Manis nepote; vid. DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, *libr. I. pag. 21.* Heraclidarum primus apud Lydos fuit Argon, vltimus Candaules; Mermnadarum primus Gyges, poſtremus Croeſus, de quo in ſequentibus. Candaulis nota hiſtoria eſt, vxorem forma praeſtantem Gygi nudam oſtendentis, vnde vxoris & Gygis in illum conſpiratio; qua de re plura HERODOTVS, *lib. I. cap. VIII.* & IVSTINVS, *hiſtor. libr. I. cap. VII.* De fabuloſo Gygis annulo, cuius pala ad palmam conuerſa a nemine videbatur, ipſe autem videbat omnia, cuius etiam opportunitate vſus, reginae ſtuprum intulerit, & deinde cum ea in regem conſpirauerit, legenda, quae ex PLATONE, *libr. II. de republ. pag. 592.* commemorat CICERO, de *officiis libr. II. cap. IX.* Cum regno potitus eſſet, Mileto & Smyrnae arma intulit, & Colophonem vrbem expugnauit, vt auctor eſt HERODOTVS, *libr. I. cap. XIV.* Succeſſorem habuit, Ardyn filium, qui Prionem vrbem Ionicam vi cepit, & Miletum inuaſit, teſte eodem HERODOTO, *libr. I. cap. XV.* Inter Phrygum reges Midas cumprimis celebratur, Gordii filius, vt artificiis, opibus, auaritia, ſic fabulis de eo ſparſis, inſignis. A quibusdam Homero aequalis ſtatuitur, ab aliis Pelopi. Alii rurſus poſt olympiadas inſtitutas, vrbemque Romam conditam, circa tempora Manaſſis eum vixiſſe contendunt. Auaritiam eius, ſimulque auaritiae poenam indicarunt poetae, ſtolido illo voto, quo a Baccho petiit, vt, quidquid contingeret in aurum conuerteretur. Legendus hac de re OVIDIVS, *lib. XI. metamorphoſ. pag. m. 514.* vbi *Berecynthius heros* vocatur, a Berecyntho Phrygiae monte. De auribus Midae in aſininas mutatis, idem OVIDIVS, *loc. cit. pag. 518. ſeqq.* Fabulam inde ortam putant, quod per internuntios & exploratores de rebus omnibus, quae vel dicerentur, vel gererentur, a ſuis certior fieret. Ita CONON hiſtoricus apud PHOTIVM, *cod. CLXXXVI.* Idem & Ancyram exſtruxiſſe perhibetur; conf. VALERIVS MAXIMVS, *libr. I. cap. VI.* PAVSANIAS, *libr. I. pag. 4.* STRABO, *geograph. libr. XII. pag. 662.* IVSTINVS, *libr. XI. cap. VII.*

*** Olympiados nomine qua-

tuor annorum graecorum inaequalium ſpatium venire, conſtat, quo elapſo Iouis Olympii agones & ludi apud Graecos in orbem redibant. Primum olympiadicorum ludorum auctorem ferunt Piſum, qua nomen fere tantum hodie notum. Hinc Pelops, Tantali filius, eosdem ludos in honorem Iouis Olympii celebrare iuſſit; intermiſſos autem, in honorem Pelopis Atreum & Herculem reſtauraſſe, perhibent. Iterum vero intermiſſos, Iphitus, Praxonidae filius, Eleus, qui genus ſuum ad Herculem referebat, additis peculiaribus ſtatutis, innouauit, non interrupta ſerie deinceps continuandos. Vnde olympiadici anni, Iphitaei quoque vocari ſolent. Recte vero viris doctis obſeruatum eſt, duplicem eſſe olympiadum epocham, *veram* & *vulgarem.* Verorum olympiorum initium illud eſt, quod Iphitus, Lycurgus & Cleaſthenes inſtituerunt, anno aerae Atticae DCXCIX period. Iul. MMMDCCCXXX. Vulgaris autem olympiadum epocha ab eo tempore petitur, quo in chronologorum vſum olympiades receptae ſunt, quod factum eſt olympiade Iphitea XXVII, qua Coroebus Eleus ſtadio vicit. Conſtat hoc ex PHLEGONTE TRALLIANO, cuius fragmentum de olympiis cum aliis eius opuſculis edidit IO. MEVRSIVS. Ἀπὸ Ἰφίτου, inquit, ὀλυμπιάδες ὀκτὼ πρὸς ταῖς εἴκοσι καταριθμοῦνται εἰς Κόροιβον τὸν Ἠλεῖον· *Ab Iphito ad Coroebum Eleum numerantur olympiades XXVIII,* id eſt anni CVIII; add. IOANNES MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XV. p. 449.* Prima itaque olympias ſecundum epocham vulgarem incepit anno periodi Iulianae MMMDCCCXXXVIII, mundi MMMCCVIII, qui eſt ante natalem Chriſti DCCLXXVI, poſt excidium Troiae CCCCXXXIV, Azariae regis Iudae XXXV. Inſignem autem prorſusque egregiam rebus chronologicis & hiſtoricis haecce olympiadum epocha attulit vtilitatem, ſi quidem res memorabiles apud Graecos maxime geſtae, & in olympicorum ludorum catalogis relatae, hac ratione, cum certa quadam temporum deſignatione, ab obliuione vindicatae ſunt. Quare & cum VARRO, vt alias quoque obſeruauimus, omne tempus in ἄδηλον, μυθικὸν, & ἱστορικὸν diſpeſceret, vltimum illud indicauit, quod cum olympiadum epocha initium ſumſit. Hinc & IVSTINVS martyr: ἄλλως τε οὐδὲ τοῦτο προσήκει, ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι πρὸ τῶν Ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, οὐδ᾽ ἐστί τι σύγγραμμα παλαιὸν, Ἑλλήνων, ἢ Βαρβάρων σημαῖνον πρᾶξιν· *Atqui ne hoc quidem vos ignorare decet, nihil quidquam ante olympiades a Graecis adcurate ſcriptum eſſe; neque exſtare ſcripturam vllam veterem, in quam res aliqua Graecorum vel Barbarorum ſit relata;* in *cohortat. ad Graecos, pag. m. 70.* Celebrati autem ſunt ludi olympiadici in campis Eleorum, non procul a Piſa ciuitate, & Alpheo flumine. Hinc Pindarus:

Ἤτοι

Ἤτοι Πίσα μὲν Διός
Ὀλυμπιάδα δ' ἔστα-
σεν Ἡρακλέης,
ἀκρόθινα πολέμου·

Sane Piſa quidem Iouis
Olympiadem vero inſti-
tuit Hercules,
primitias ſpoliorum belli.

olymp. od. II. pag. m. 89. edit. ERASMI SCHMIDII. Ludis hisce praefuere Elei, qui & Piſatas, quod ius illud vſurpare conarentur, funditus deleuere, vt auctor eſt PAVSANIAS, *Eliacor. poſter.* ſiue *lib. VI. pag. 509.* qui & templum ſplendidiſſimum Iouis olympii, quod in regione Eleorum fuit, adcurate deſcribit, *Eliacor. prior.* ſiue *libr. V. pag. 399.* Ex eadem Eleorum gente erant certaminum arbitri, quos agonothetas, ſiue hellanodicas vocabant, mox plures mox pauciores, vt ex eodem PAVSANIA conſtat, *loc. cit. pag. 397.* alibique. Certaminum varia genera in hisce ludis obtinebant, quae qua ratione, quoque tempore initium acceperint, & quando quaedam ex illis iterum ſint abrogata, adcurate idem, quem iam laudauimus, PAVSANIAS edifferit, *loc. cit. pag. 393. ſeqq.* Legenda etiam, quae de variis iſtis certaminum generibus erudite diſſerit IOANNES PHILIPPVS PFEIFFERVS, *antiquitat. graecar. lib. I. cap. XLIX. p. 122. ſeqq.* De ipſa autem epocha olympiadica plura dabunt chronologi, & in compendio quidem DIONYSIVS PETAVIVS, *rationar. temp. part. I. lib. II. cap. V. pag. 56.* & AEGIDIVS STRAVCHIVS noſter, in *breuiar. chronolog. part. ſpec. lib. IX. cap. XVI. pag. 458. ſeqq.*

* Quo pacto apud Athenienſes, abrogato regum imperio, archontes, & primo quidem perpetui, conſtituti ſint, iam ſupra ad *ſect. praeced.* §. *vlt. pag. 256.* obſeruatum eſt. Perpetuos excepere decennales, olymp. VI anno III poſt conditum templum Salomonis anno CCLXIV. Tandem LXX circiter poſt annis, olympiadis XXIV, anno primo, annui archontes conſtituti ſunt. Ita quidem EVSEBIVS, in *chronico*; alii enim aliam annuorum archontum epocham conſtituunt. Ceterum archon dignitate ceteris anteibat, eiusque nomine ſignabantur anni, vnde *eponymus* dicebatur, vt auctor eſt PAVSANIAS, in *Laconicis* ſeu *libr. III. pag. m. 232.* Primus archon annuus Creon fuit. Poſt archontem erant *theſmothetae ſex*, quorum munus erat, legum curam gerere, easque quotannis emendare; tum ſequebatur *βασιλεὺς*, *rex*, ſeu magiſtratus, qui myſteriorum curam gerebat, pompisque & ſacrificiis praeerat; tandem *polemarchus*, cuius erat cauſſas peregrinorum iudicare, qui etſi inter Athenienſes degerent, ius tamen ciuitatis non habebant; conf. IVLIVS POLLVX, *libr. VIII. cap. XXIII. & XXV.* Sub archontibus autem iſtis, ceterisque magiſtratibus, minime tranquillus fuit Athenienſium ſtatus. Inteſtinis enim diſcordiis & crebris ſeditionibus vrbs illa agitata fuit. Praeſertim cum Cylon Athenienſis regnum

gnum adfectaret, & acropoli occupata tyrannidem ſibi pararet, magnae & diuturnae admodum inde ortae ſunt turbae. Etſi enim arce obſeſſa, qui in illa erant, ad extremas anguſtias redigerentur, tandemque, cum Cylon vna cum fratre aufugiſſet, & quibusdam fame necatis ceteri ad aram, quae in arce erat, ſupplices conſediſſent, illi tamen, qui arcem obſidebant, cum in templo ipſo morientes viderent, ſurgere iuſſerunt, nihil mali paſſuros, abductos autem nihiloſecius interfecerunt, nonnullos etiam ad aras Eumenidum ſedentes interemerunt. Cuius quidem ſceleris auctor praecipuus cum Megacles ex Alcmaeonidis, qui genus a Neſtore ducebant, fuiſſet, hinc poſteri eius, & eorum, qui in criminis ſocietatem venerant, ἐναγεῖς καὶ ἀλιτήριοι τῆ θεῆ, *impiati & ob ſcelus in Deum commiſſum vitandi*, exiſtimati ſunt. Quae res cum Cyloniis pulcrum praetextum Alcmaeonidas, eorumque ſocios, ex vrbe expellendi praeberet, inteſtinis motibus & discordiis campus inde latiſſimus patuit. Conſtant haec ex THVCYDIDE, *libr. I. pag. 81.* HERODOTO, *lib. V. cap. LXXI.* aliisque.

Atque iſta cum rerum Athenienſium eſſet facies, & ob democratiam inſuper legibus non circumſcriptam, non poſſent non tum circa ſacra, tum circa rationem publicam rem adminiſtrandi, varii tumultus oriri; e re ciuitatis tandem eſſe, viſum eſt, viro cuidam prudenti & cordato, legum ferendarum poteſtatem tradere. Is Draco Athenienſis fuit, qui *vir bonus, multaque prudentia eſſe, exiſtimatus eſt, iuris quoque diuini & humani peritus fuit*, vt AVL. GELLIVS loquitur, *noct. Atticar. lib. XI. cap. XVIII.* Vixiſſe Draconem circa olympiadem triceſimam nonam, auctor eſt TATIANVS: Δράκων δὲ περὶ ὀλυμπιάδα τριακοστὴν καὶ ἐννάτην εὑρίσκεται γεγονώς· *Draco inuenitur fuiſſe circa triceſimam nonam olympiadem; orat. ad Graecos pag. m. 140.* Quod totidem fere verbis repetit CLEMENS Alexandrinus, *lib. I. ſtrom. pag. 133. vel 233.* edit. IOANNIS POTTERI. SVIDAS Draconem iam ſenem olympiade trigeſima nona Athenienſibus leges tuliſſe dicit, voc. Δράκων *pag. 626.* edit. KVSTERI. Hinc & FLAV. IOSEPHVS nullam apud Graecos tabulam publicam his legibus antiquiorem eſſe, profitetur, *libr. I. contra Apion. pag. 1035.* Non diu autem in honore fuiſſe Draconis leges, conſtat, idque διὰ τὴν χαλεπότητα καὶ τὸ μέγεθος τῶν ἐπιτιμίων *propter aſperitatem & poenarum atrocitatem*, vt PLVTARCHVS loquitur, in *Solone pag. 87.* Nimirum in ea verſabatur ſententia, quam poſtea Stoici reuocarunt, peccata omnia aequalia eſſe, vt turpi nihil eſſet turpius, honeſto nihil honeſtius. Quam Stoicorum ſententiam pluribus ediſſerui in *diſſertat. de erroribus Stoicorum in philoſophia morali, exercitat. II. §. XII. pag. 150. ſeqq.* Eam itaque ob rationem Draco peccatis omnibus vnum ſupplicium,

um, capitale ſcilicet, conſtituit; adeo, vt &, qui otii damnarentur, & qui olus aut poma ſurriperent, morte non minus mulctarentur, quam ſacrilegi, aut homicidae. Hinc & Democles poſtea dixit, *Draconem leges ſanguine, non atramento ſcripſiſſe*, apud PLVTARCHVM, *loc. cit.* Legem equidem de otioſis capite plectendis ex Aegypto a Solone aductam fuiſſe, auctor eſt HERODOTVS, *libr. II. cap. CLXXVII.* ex quo hoc repetit DIODORVS *libr. I.* Sed rectius ab aliis Draconi lex iſta tribuitur, quanquam de poena inter ſe non conueniant. Secundum Draconem enim otii poenam infamiam fuiſſe, at ſecundum Solonem, qui tertio otii reus erat, infamem fuiſſe, IVLIVS POLLVX adſerit, *libr. VIII. cap. VI.* Draconem legem his verbis ſcripſiſſe: *otioſi nomen deferre cuiuis liceat*, ex LYSIA refert DIOGENES LAERTIVS, in *Solone pag. 34.* Praeterea legem de homicidiis, ad pecudes ipſas extendiſſe dicitur, decernendo, vt animalia quoque bruta, quae mortis cuiquam cauſſa fuiſſent, e medio tollerentur. Immo & ad inanimata eum illam legem pertinere voluiſſe, conſtat ex PAVSANIA, *Eliac. poſt.* ſeu *lib. VI. pag. 478.* In furta etiam quaelibet capitale ſupplicium conſtituit. AVL. GELLIVS hoc nos praeter alios condocet, qui ſimul, quae legum iſtarum ob nimium rigorem fuerint fata, indicat: *Draco in illis legibus furem, cuiusmodicunque furti ſupplicio capitis puniendum eſſe, & alia pleraque nimis ſeuere cenſuit, ſanxitque. Eius igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto iuſſuque, ſed tacito illitteratoque Athenienſium conſenſu, oblitteratae ſunt*; *noct. Atticar. lib. XI. cap. XVIII.*

Ceterum cum diſſenſiones inter Cylonios & Alcmaeonidas, antea memoratae, ſubinde recrudeſcerent, & nonnulli ob ſcelus in Cylonios quosdam commiſſum, de quo antea dictum, deos vrbi iratos crederent, ciues praeterea peſtilentia & nocturnis ſpectris vexarentur, vrbem ex Pythiae reſponſo expiari viſum eſt. Epimenides itaque ex Creta inſula arceſſitus, qui cum olympiade XLVI veniſſet, vrbem ſequenti ratione luſtrauit: oues nigras & albas in areopagum duxit; illinc eas, quo vellent, ire permiſit; eis, qui ſequebantur, praecipiens, vt, vbi quaeque recubuiſſet, ibi mactaretur τῷ προσήκοντι θεῷ, *Deo, cui conueniret*, ſiue *loci proprio.* Atque hac quidem ratione peſtilentiam deſiiſſe ferunt. Ita DIOG. LAERTIVS, *libr. I. ſect. CIX. pag. m. 71.* Addit vero porro: ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἔστιν εὑρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους, ὑπόμνημα τῆς τότε γενομένης ἐξιλάσεως· *Ex eo iam hodieque per Athenienſium pagos aras ſine nomine inueniri certum eſt; in eius, quae tunc facta eſt, expiationis memoriam.* Aras ἀνωνύμους, quas DIOGENES hic memorat, easdem fuiſſe, cum aris θεῶν ἀγνώστων, ex quarum genere etiam illa fuerit, quam Paulus Athenis vidit, *Act. XVII. verſ. 23.* viri docti cenſent, ſpe-

ſpeciatim ISAACVS CASAVBONVS, ad *Diogenis Laertii loc. cit.* Et ſane ararum, quae θεοῖς ἀγνώςοις ſacrae fuerint, ſubinde meminere veteres. Pertinetque huc inſcriptio illa, quam ex HIERONYMO, aliisque, nonnulli ita repraeſentant: θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης θεοῖς ἀγνώςοις καὶ ξένοις· At eam non eſſe, quam reſpexerit apoſtolus, rationibus variis demonſtrat THOMAS REINESIVS, *theſ. inſcript. pag. 1. ſeqq.* Ara vtique plurium deorum ignotorum apoſtoli inſtituto, ad vnius, & quidem veri Dei, agnitionem Athenienſes perducere volentis, minus erat adcommodata; nec bonam fidem probaſſet Areopagitis, numerum multitudinis numero vnitatis permutans, quod & ſine ſummo periculo facere non poterat. Nullum itaque videtur eſſe dubium, exſtitiſſe Athenis aram θεῷ ἀγνώςῳ in vnitatis numero, ſacram. Cuius rei ſi vel maxime nullus ethnicorum ſcriptorum mentionem faceret, teſtimonio tamen Lucae, quod omni exceptione maius eſt, confirmari poſſet. Mentionem tamen facit LVCIANVS, & bis quidem in *Philopatride*; ſemel quidem, cum Critias dicit: νὴ τὸν ἄγνωςον ἐν Ἀθήναις· παρθένος διέμεινε μέχρι τῆς ἀποτομῆς· *non per ignotum deum Athenis; ſed virgo permanſit, vsque ad decollationem, tom. II. opp. pag. 769.* & iterum circa finem *pag. 780.* vbi Triepho; Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωςον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριςήσομεν κ. τ. λ. *Nos autem illum Athenis ignotum inuentum adorantes, & manus in coelum tendentes, gratias illi agemus, &c.* Fuiſſe itaque Athenis aram, ignoti dei nomine inſcriptam, poſitum eſt extra controuerſiam. Sed vndenam illa ignoti Dei adpellatio ad Athenienſes peruaſerit, non aeque liquet. Varias huius rei excogitarunt viri docti rationes, quas in compendio apud HERMANNVM WITSIVM legere licet, in *meletemat. Leidenſ. de geſtis Pauli, pag. 84.* qui ab illorum demum haud procul diſcedit opinione, qui a Iudaeis ad Graecos confuſam aliquam atque obſcuram Dei Iſraelis notitiam perueniſſe, exiſtimánt; quem, quamuis incognitum, tanti tamen fecerint, vt cognitis ſibi numinibus adſociauerint. Certe Deus, qui in caligine ſibi ſedem fixit, vocatur אל־מסתתר. *Deus, qui ſe abſcondit*; & Iudaei eo tempore τετραγράμματον Dei nomen religioſo condebant ſilentio. Alii tamen, per τὸν ἄγνωςον θεὸν, Iſidem deſignari, contendunt; cuius apud Aegyptios, in vrbe maxime Saitica, cultus longe celebratiſſimus fuit. Athenienſium nimirum myſteria vel ideo recte ex vrbe Saitica repeti putant, quod ſumma Saitis cum Athenienſibus interceſſerit neceſſitudo, atque coniunctio, Athenienſibus quippe Saitarum colonis vulgo habitis. Iſidis vero huius ſymbolicae, quae & Νέιτη & Ἀθηνὴ dicta ſit, ſtatuae, quae apud Saitas proſtabat, PLVTARCHO auctore inſcriptum fuiſſe: ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν καὶ ἐσόμε-

μενον; *Ego ſum omne, quod fuit, quod eſt, & futurum eſt, peplumque meum nemo vnquam mortalium retexit.* Quae quo pacto ad θεὸν ἄγνωστον adcommodari queant, erudite oſtendit B. GOTHFRIDVS OLEARIVS, in *diſſert. de geſtis Pauli in vrbe Athenienſi, §. XIX. ad XXI.* At & illud, ne quid diffitear, paullo longius mihi petitum videtur, nec difficultatibus ſuis caret. Ego non video, cur illorum admitti ſententia nequeat, qui ab iſta Epimenidis, quam antea memorauimus, luſtratione, τοῦ ἀγνώστου θεοῦ cultum apud Athenienſes deriuant, quod & HENRICVS HAMMONDVS facit, ad *Actor. XVII. 23.* Cum enim arae iſtae, quae iuſſu Epimenidis exſtructae ſunt, fuerint ἀνώνυμοι, ſeu inſcriptione deſtitutae, perinde hoc profecto erat, ac ſi θεῷ ἀγνώστῳ, fuerint conſecratae. Fierique potuit, vt deinceps quibusdam τῷ θεῷ ἀγνώστῳ, aliis autem θεοῖς ἀγνώστοις, ad rem ipſam exprimendam, inſcriberetur. Ceterum Epimenides, cuius hac occaſione facta eſt mentio, ille eſt, qui in ſpelunca quadam ſeptem & quinquaginta annos dormiuiſſe dicitur. Praeter DIOGENEM LAERTIVM, *lib. I. ſect. CIX. pag. 70.* hoc memorat PLINIVS, *hiſtor. natur. lib. VII. cap. LII.* repetuntque & alii, vt tamen in numero annorum inter ſe non conueniant. Fabula haud dubie inde orta, quod diu in ſolitudine vixerit. Sapientiae autem laude fuit celebris, rituumque ſacrorum peritiſſimus habitus fuit, adeoque inter theologos iſtius temporis referendus. Hinc & de eo DIOGENES: θεοφιλέστατος εἶναι ὑπελήφθη· *Deo eſſe chariſſimus exiſtimatus eſt; l. c.* Pari ratione PLVTARCHVS: ἐδόκει δέ τις εἶναι θεοφιλὴς, καὶ σοφὸς περὶ τὰ θεῖα, τὴν ἐνθουσιαστικὴν καὶ τελεστικὴν σοφίαν· *habebatur is vir Deo charus, & in rebus ſacris praecellens ſapientia, tum fanatica, tum myſtica*; in *Solone pag. 84.* Immo & ſubinde futura quaedam praedixiſſe fertur, quorum exempla refert DIOGENES LAERTIVS, *loc. cit. ſect. CXIV. pag. 73.* Hinc & pro vate ſeu propheta habitus fuit. CICERO, cum nonnullos non ex certis regulis, ſed *concitatione quadam animi, aut ſoluto liberoque motu futura praeſentire* dixiſſet, addit: *Quod & ſomniantibus ſaepe contingit, & nonnunquam vaticinantibus per furorem, vt Bacis Boeotius, vt Epimenides Cres, vt Sibylla Erythraea*; *libr. I. de diuinat. pag. 261.* ARISTOTELES autem, non tam de futuris, quam praeteritis, ſed obſcuris, Epimenidem vaticinatum, auctor eſt: Ἐπιμενίδης ὁ Κρὴς περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων μὲν, ἀδήλων δὲ· *Epimenides Cres de futuris non vaticinabatur, ſed de praeteritis quidem, at obſcuris*; *libr. III. rhetor. cap. VII.* Quidquid huius ſit, pro vate eum habitum, certum, indeque ratio patet, cur & ab apoſtolo *propheta* vocetur, ex mente ſcilicet, ſententiaque Cretenſium, dum de his verba faciens, εἶπέ τις, inquit, ἐξ αὐτῶν, ἴδιος αὐτῶν προφήτης, *Tit. I. 12.*

 His-

Hiſce enim verbis Epimenidem deſignari, viri docti non dubitant.

Sed ad Athenienſes vt reuertamur, horum cum poſt Cylonios tumultus variis factionibus diſſenſionibusque laboraret ciuitas, tandem Solon velut beneficum aliquod ſidus adfulſit, ſtatumque reipublicae correxit, & legibus quoque ſalubertimis eam inſtruxit. Floruit is maxime circa quadrageſimam ſextam olympiadem, cuius anno tertio archon, ſeu princeps Athenienſium fuit, quo etiam tempore leges eis dedit. Obiit autem in Cypro, aetatis ſuae anno octogeſimo, vt auctor eſt DIOGENES LAERTIVS, *lib. I. ſect. LXII. pag. 39.* Salamine natus fuit, ſed translatus Athenas, vitam deinceps ibi egit. Atque haec ratio eſt, cur a nonnullis Salaminius dicitur, ab aliis Athenienſis; vid. IOAN. MEVRSIVS, in *vita Solonis, cap. III. pag. 7.* Inter ſeptem Graeciae ſapientes eum referri, iam ſupra obſeruatum eſt, ad §. *XXXIV.* huius ſectionis; idque & teſtantur SENECA, *epiſt. XC. pag. 750.* M. TVLLIVS CICERO, in *Bruto cap. XV.* aliique. Sapientiam eius omnes vno ore celebrant, quam & ex effatis eius eximiis colligere licet, apud DIOGENEM LAERTIVM, aliosque, obuiis; ex quibus & praecipua maximeque memoratu digna, in vnum faſciculum collecta exhibui, in *ethica Solonis Salaminii*, quae exſtat in *Sapientia veterum, ſeu dictis illuſtrioribus ſeptem Graeciae ſapientum*. Nec dictis modo, ſed factis, ſeu ipſa vitae ratione ſapientiam ſuam demonſtrauit; meritoque IVSTINO, Trogi Pompeii epitomaſti, *vir iuſtitiae inſignis* audit, *hiſtor. lib. II. cap. VII.* Dignusque adeo fuit, qui componendis & emendandis Athenienſium rebus admoueretur. Nimirum cum pauperum ea tempeſtate ac diuitum ex inaequalitate flagraret diſſenſio, plebe quidem tota aere alieno oppreſſa, ciuitas prorſus in lubrico verſabatur. Solon vero, cum vtrique parti percarus eſſet, diuitibus quidem vt locuples, pauperibus vt probus, controuerſiarum ſimul arbiter ac legislator conſtitutus, eiusmodi rationem aequalitatem quandam conſtituendi inuenit, vt pars vtraque adquieſceret. Plutibus & ex inſtituto hoc exſequitur PLVTARCHVS, in *Solone, pag. 85.* ex quo ea repetere prolixum nimis foret. Multa alia, ad reipublicae adminiſtrationem ſpectantia, idem Solon conſtituit, PLVTARCHO itidem *loc. cit.* commemorata. Ad leges ab eo latas quod attinet, operam dedit, vt ſummam in illis aequitatem obſeruaret. Draconem legis, de otioſis puniendis, auctorem fuiſſe, ſupra obſeruauimus. Solon autem Areopagitis negotium dedit, vt viderent, vnde quisque viueret, & in otioſos animaduerterent; PLVTARCHVS, in *Sol. pag. 96.* In fures lege ſua Solon, non vt Draco antea mortis, ſed dupli poena vindicandum exiſtimauit, teſte AVL. GELLIO, *noct. Atticar. libr. XI. cap. XVIII.* Noua autem & ſingularis fuit lex iſta, quae infamia illum notabat, qui neutram par-

partem in ſeditione ſecutus fuiſſet. Indignum nimirum cum bono viro eſſe exiſtimaret, patriae malis non moueri, & in publico quodam incendio ſpectatorem agere, vt melioribus potius ſe adiungerent partibus, quam vt quieſcerent, voluit. Eiusdem generis & illa eſt, quae filios ab obligatione alendi parentem, qui artem eos non docuiſſet, liberos pronuntiabat. Dura enim etſi videri poterat, maxime tamen erat ſalutaris, eo quippe comparata, vt parentes maiorem in liberis erudiendis, & ad honeſtum vitae genus formandis, induſtriam ponerent. Recte praeterea in defunctos maledicta congerere prohibuit; quippe quod & aequitati & humanitati eſt conueniens. Primus etiam fuit, qui de teſtamentis legem tulit; cum antea familiae defuncti, pecunia & hereditas relinquenda eſſet. Nonnullae etiam inter leges Solonis magnam cum Moſaicis habebant conuenientiam: cuiusmodi cumprimis illa eſt, quam praeter alios DIODOR. SICVLVS hisce verbis memorat: *Iubebat, vt genere proximus orbam iure in matrimonium ſibi poſceret, & viciſſim illa quoque nuptias ſibi genere proximi lege adſereret. Atque huic neceſſe erat, orbam ducere, quamuis pauperem, aut quingentas ei drachmas in dotem dare; lib. XII. p. 628.* Idem nimirum hoc erat, quod de iure leuiratus ſanciuit Moſes, *Deut. XXV. 7.* conſuetudinem iam patriarcharum tempore vſitatam, vt ex *Geneſ. XXXVIII. 8.* liquet, adprobans. In eo ſaltem diſcrimen interceſſit, quod pro fratre, cuius partes has voluit eſſe Moſes, genere proximum hoc officio fungi voluerit Solon, ad alios ita praeter fratrem legem illam extendens. Sic quoque in reliquis Solonis legibus nonnulla, quae ex Moſaicis expreſſa videntur, occurrebant, quae nunc non repetam, cum a me iam expoſita ſint in *diſſertat. de collatione legum Solonis cum Moſaicis*, quae in *ſapientia veterum*, ſeu *dictis illuſtrioribus ſeptem Graeciae ſapientum explicatis*, exſtat. Iungenda & quae hac de re diſſerit PETR. DAN. HVETIVS, *demonſtrat. euangel. propoſ. IV. c. XI. §. III. p. 231. ſeqq.* Sunt autem Solonis eo magis obſeruatu dignae leges, quod ipſae Romanorum, quarum tanta deinceps fuit celebritas, ex iis ceu ex primis elementis fluxerint. Auctor huius rei eſt T. LIVIVS: *cum de legibus conueniret, de latore tantum diſcreparet, miſſi legati Athenas Sp. Poſtumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus, iuſſique inclytas leges Solonis deſcribere; hiſtor. lib. III. cap. XXXIV.* Idemque confirmant AVRELIVS VICTOR, de *viris illuſtribus cap. XXI.* AVGVSTINVS, de *ciu. Dei lib. II. cap. XVI.* aliique; conf. IAN. VINCENT. GRAVINA, in *ſpecimine priſci iuris. p. 29.* De ipſis vero Solonis legibus praeter PLVTARCHVM, DIOG. LAERTIVM, aliosque veterum, plura dabunt, qui in Attico iure illuſtrando, legibusque Solonis explicandis, operam ſtudiumque collocarunt, vt SAMVEL PETITVS, atque IO. MEVRSIVS.

Ceterum poſt leges latas Solon decennalem peregrinationem ſuſcepit. Eo itaque abſente, cum ſeditionibus & tumultibus Athenienſium ciuitas agitaretur, & omnia ad magnam rerum mutationem ſpectarent, domum reuerſus, vt concordiam tranquillitatemque reuocaret, omnem nauauit operam, impedire tamen non potuit, quo minus Piſiſtratus, qui humanitate ſua, aliisque artibus, multorum animos ſibi conciliauerat, ſtrategemate quodam tyrannidem arriperet. Poſt occupatam a Piſiſtrato tyrannidem duos adhuc circiter annos vixiſſe dicitur. Ita quidem PLVTARCHVS, in *Solone p. 95. ſeqq.* Paullo aliter DIOGENES LAERTIVS. Solonem enim, cum fruſtra ſe Piſiſtrati tyrannidi oppoſuiſſet, peregrinationem ſuſcepiſſe, auctor eſt *libr. II. ſect. L. p. 30.* cum ſecundum PLVTARCHVM poſt Solonis diſceſſum Piſiſtratus tyrannidem arripuerit. Porro ex PLVTARCHO haud obſcure colligas, Solonem Athenis mortuum. DIOGENES LAERTIVS autem, eum in Cypro obiiſſe, dicit, aetatis ſuae anno octogeſimo, ſuisque mandaſſe, vt Salaminem eius oſſa transferrent, atque in cinerem ſoluta, per prouinciam diſſeminarent, *l. c. p. 39.* Idem DIOGENES ad peregrinationem hanc Solonis ea refert, quae inter eum & Croeſum contigiſſe dicuntur. Relictis enim Athenis, eum in Aegyptum nauigaſſe, auctor eſt, atque in Cyprum profectum, poſtremo ad Croeſum perueniſſe, vbi inter vtrumque ea contigerint, atque dicta ſint, quae ex parte ipſe refert, *loc. cit.* & ex HERODOTO etiam *lib. I.* aliisque, ſatis nota ſunt. Sed temporum obſtare rationes, iamdudum nonnulli obſeruarunt apud PLVTARCHVM: Τὴν δὲ πρὸς Κροῖσον ἔντευξιν αὐτοῦ, δοκοῦσιν ἔνιοι τοῖς χρόνοις ὡς πεπλασμένην ἐλέγχειν· *At Solonis cum Croeſo congreſſum temporibus quidam, vt commentitium, refellere ſe putant poſſe*; quibus ipſe tamen non ſuffragatur, ob chronicas quasdam, quas vocat, regulas, adeo illuſtrem hiſtoriam, & tam multis conſignatam teſtibus, repudiari non poſſe, pronuntians, in *Solone p. 93.* Sed hanc pauciſſimi forte probabunt ratiocinationem. Quantumuis enim illuſtris ſit hiſtoria, quantumuis multorum teſtimoniis ſit comprobata, nihil tamen obſtat, quo minus fabula eſſe queat, aut aliquid fabulae ei admixtum ſit, cum vnius ſaepius viri auctoritate pollentis exemplo, plurimi in errorem induci queant; quod ſi inſuper temporum rationes aperte repugnent, nullum fere, quin fabula ſit, ſupereſt dubium. Eos vero, qui Solonis & Croeſi colloquio temporum obſtare rationes putant, non adeo falli, ita euincitur: Solon poſt leges Athenis anno tertio olympiadis XLVI latas, & peregrinationem decennalem, rediit ſenex, olympiade XLIX. Croeſus autem regnare coepit olympiad. LIV, olympiade autem LVIII, a Cyro victus captusque eſt, vt praeter SOLINVM, *cap. VII.* auctor eſt in *chronico* EVSEBIVS. Quae ſi ita ſe habent, qua ratione fieri potuerit, non video,

vt

vt cum Croeſo colloqueretur Solon; conf. IO. MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XVIII. p. 625.* item *p. 646. ſeqq.* vt & *p. 671. ſeqq.* vbi de Solone, eiusque inſtitutis, legibus, ac fatis adcurate diſſerit.

** De prima Lacaedemonis origine ad *period. I. ſect. III. §. vlt. pag. 636.* de primis vero antiquiſſimisque Lacedaemoniorum regibus, ad *period. II. ſect. II. §. XVIII. pag. 817.* dictum eſt. Duae vero deinceps Lacedaemone fuere regiae familiae, Proclidarum & Eutiſthenidarum. Geminos enim cum Ariſtodemus reliquiſſet filios, Proclem & Euryſthenem, duae inde exortae ſunt familiae regiae, atque id Delphici Apollinis oraculo adprobante. Legendus hac de re PAVSANIAS, in *Laconicis* ſeu *lib. III. p. m. 205.* Ex Proclidarum familia Lycurgus exſtitit, Lacedaemoniorum legislator longe celeberrimus. De aetate eius iam olim non ſatis inter ſe conueniſſe auctores, ex PLVTARCHO diſcimus, in *Lycurgo*, *p. 37.* Quidam enim, vt idem auctor porro refert, Iphiti aequalem & ſocium in dirigendis feſtis olympiacis fuiſſe, perhibuerunt, ex quibus ARISTOTELES fuit, argumento vſus diſci olympiaci, qui nominis Lycurgi praeferebat inſcriptionem; alii autem ſupputantes tempora, ex ſucceſſione eorum, qui Lacedaemone regnauerunt, vt ERATOSTHENES & APOLLODORVS, non paucis annis eum adfirmarunt, primam olympiadem anteceſſiſſe. Has tamen facile inter ſe conciliari poſſe ſententias, docet IO. MARSHAMVS, cum Ariſtoteles veram epocham olympiadicam reſpexerit; reliqui vulgarem; in *can. chron. ſect. XV. pag. 450.* vbi & docet, temporum rationes non obſtare, quo minus, quod nonnulli tradunt, Lycurgus cum Homero congreſſus ſit. Confirmat, quae diximus, TATIANVS: Λυκοῦργος δὲ γεννηθεὶς μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν, πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἔτεσιν ἑκατὸν νομοθετεῖ Λακεδαιμονίοις· *Lycurgus multo poſt Ilii captiuitatem natus, annis centum ante olympiades Lacedaemoniis leges praeſcripſit; orat. ad Graecos p. m. 140.* Nimirum & hoc de epocha vulgari intelligendum. CLEMENS Alexandrinus addit annos quinquaginta, vnde nonnulli TATIANVM corrigendum cenſent. Legenda, quae FRONTO DVCAEVS, ad *Tatiani loc. cit.* notauit. Sed CLEMENTEM de tempore, quo natus eſt Lycurgus, TATIANVM autem de tempore, quo leges tulit, loqui, aliis recte obſeruatum eſt. Ceterum cum Polydectae fratri in regno ſucceſſiſſet, menſes duntaxat octo regnauit. Nato enim Charilao, Polydectae filio poſthumo, regno ſe abdicauit, puerique tutelam ſuſcepit, deluſa matre, quae abortum meditata & proponere auſa fuerat, modo Lycurgus eam in matrimonium ducere vellet. Obiecta deinceps a Leonida, reginae matris fratre, aliisque propinquis, per ſpeciem conuitii, ſpe regnandi, regiam ipſam tutelam depoſuit, cum eam ad annum vigeſimum quintum aetatis Charilai geſſiſſet, regnante interea ex Euryſthenidarum familia, Labota. Hoc dum IVSTINVS commemorat, ſumma fide

eum

eum Charilao regnum reſtituiſſe, dicit, *vt intelligerent omnes, quanto plus apud bonos pietatis iura, quam omnes opes valerent*, *hiſtor. lib. III. cap. II.* Peregrinatione tum in Cretam, Ioniam & Aegyptum ſuſcepta, id operam dedit, vt mores hominum, populorumque leges, ritus, & ſacra pernoſceret.

Poſt decem annos in Graeciam reuerſus, Lacedaemoniis leges tulit; quibus vt auctoritatem conciliaret, Apollinis Delphici oraculo confirmatas vulgauit, vt auctor eſt PLVTARCHVS, *loc. cit.* conf. & HERODOTVS, *lib. I. cap. LXV.* & STRABO, *lib. X. p. 482.* Honorificum ei eſt, quod TROGI POMPEII epitomaſtes, IVSTINVS, addit: *nec inuentione legum magis, quam exemplo clarior: ſi quidem nihil lege vlla in alios ſanxit, cuius non ipſe primus in ſe documenta daret.* Atque idem porro auctor legum praecipuarum a Lucurgo latarum ſummam ita complectitur: *Populum in obſequia principum, principes ad iuſtitiam imperiorum formauit. Parcimoniam omnibus ſuaſit, exiſtimans, laborem militiae aſſidua frugalitatis conſuetudine faciliorem fore. Emi ſingula, non pecunia, ſed compenſatione mertium iuſſit. Auri argentique vſum, velut omnium ſcelerum materiam, ſuſtulit.* Praeterea *fundos omnium aequaliter inter omnes diuiſit, vt aequata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Conuiuari omnes publice iuſſit, ne cuius diuitiae vel luxuria in occulto eſſent. Iuuenibus non amplius vna veſte vti toto anno permiſit, nec quemquam cultius, quam alterum progredi, nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur. Pueros puberes, non in forum, ſed in agrum deduci praecepit, vt primos annos non in luxuria, ſed in opere & laboribus, agerent. Nihil eos ſomni cauſſa ſubſternere, & vitam ſine pulmento degere, neque prius in vrbem redire, quam viri facti eſſent, ſtatuit; &c. loc cit. cap. II. & III.* Mitto, quae de ratione rempublicam adminiſtrandi ſanciuit, quae PLVTARCHVS, in *Lycurgo p. 39. ſeqq.* aliique veterum, & ex recentioribus NICOLAVS CRAGIVS, de *republica Lacedaemoniorum*, pluribus ediſſerunt. Cretenſium, quibus Minos leges tulerat, Lycurgum in pluribus imitatum inſtituta, iam obſeruatum HERODOTO, *lib. I. cap. LXV.* Hinc & ARISTOTELES docet, Lacedaemone pariter ac in Creta omnem fere diſciplinam, omnemque legem, ad rem militarem comparatam eſſe, *politicor. libr. VII. cap. II.* Quantumuis autem praeclare de Lacedaemoniis meritus ſit hac ratione LYCVRGVS, vt & HERODOTO, *l. c.* bene obſeruatum, eosdem tamen admodum ingratos expertus eſt. Subinde enim lapidibus petitus, aliquando furore publico eiectus, etiam priuatus oculo, ad vltimum ipſa patria pulſus eſt, quod nimiam auri & argenti poſſeſſionem, luxumque, ſeuere prohibuiſſet, vid. PLVTARCHVS, *loc. cit.* AELIANVS, *hiſtor. var. libr. XIII. cap. XXIII.* Legibus autem ſuis vt aeternitatem daret, iureiurando ciues obli-

obligauit, nihil eos de eius legibus mutaturos, priusquam reuerteretur, ſimulansque ſe ad oraculum Delphicum proficiſci, conſulturum, quid addendum mutandumque in legibus videretur, Cretam profectus eſt, ibique perpetuum exilium egit, abiicique in mare oſſa ſua moriens iuſſit, ne relatis Lacedaemonem, ſolutos ſe Spartani religione iuriſiurandi in diſſoluendis legibus arbitrarentur. Ita IVSTINVS, *hiſtor. libr. III. cap. III.* Quod ex ARISTOTELE obſeruauimus, omnem fere Lacedaemoniorum diſciplinam ad rem militarem comparatam fuiſſe, id euentus etiam & experientia comprobauit. Ingens enim ex eo tempore eos inceſſit armorum ſtudium, iactaque ſunt vnde quaque diſcordiarum ſemina, & bella cum finitimis adſidue conflata. Quae ex HERODOTO, PAVSANIA, aliisque conſtant.

Memorabilia inter reliqua ſunt bella Meſſeniaca, ex quibus primum fuit, quod anno ſecundo olympiadis nonae Lacedaemonii Meſſeniis intulerunt, quodue per annos viginti, non ſine vtriusque gentis incommodo, geſtum eſt. Spartanarum virginum violationem in ſolenni Meſſeniorum ſacrificio, & Telecli, Lacedaemoniorum regis, caedem, bello iſti cauſſam praebuiſſe, aiebant Lacedaemonii; Meſſenii contra adſerebant, primoribus ſuis ad templum venientibus inſidias a Teleclo ſtructas, vt qui diſpoſuerit adoleſcentes in morem virginum ornatos, cum pugionibus, qui Meſſeniorum primores illos ſedentes ex improuiſo adorirentur; tum Meſſenios ad vim arcendam accurriſſe, & cum Teleclum ipſum, tum iuuenes illos ſexum diſſimulantes, interfeciſſe. Pluribus haec, vt & reliqua, quae in primo hocce bello Meſſeniaco memoratu digna contigerunt, exponit PAVSANIAS, in *Meſſeniacis p. 287. ſeqq.* De partheniis autem ſeu virginum filiis, quibus bellum hocce Meſſeniacum occaſionem dedit, quiue poſtea Tarentum in Italia occuparunt, vid. STRABO, *libr. VI. p. 279.* & IVSTINVS, *hiſtor. libr. III. cap. IV. p. 127. ſeqq.* Secutum deinde eſt bellum Thyreaticum. Theopompo enim regnante, etiam inter Argiuos & Lacedaemonios de Thyreatum finibus dimicatum eſt. PAVSANIAS hoc memorat, in *Laconicis*, ſeu *lib. III. p. m. 220.* conf. & HERODOTVS, *lib. I. cap. LXXXII.* Sub eodem Theopompo ad temperandam regum poteſtatem ephori inſtituti ſunt, teſte PLVTARCHO, in *Lycurgo pag. 43.* conf. & PAVSANIAS, in *Laconicis pag. 231.* & ARISTOTELES, *politicor. lib. II. cap. VIII.* Anno quarto olympiadis XXIII Meſſenii a Lacedaemoniis defecerunt, vnde bellum Meſſeniacum ſecundum. *Cum* (Meſſenii) *per annos LXXX*, inquit IVSTINVS, *grauia ſeruitutis, verbera plerumque & vincula, ceteraque captiuitatis mala, perpeſſi eſſent, poſt longam poenarum patientiam, bellum reſtaurant; l. c. lib. III. cap. V.* Lacedaemonii de belli euentu oraculo Delphis conſulto, iubentur ducem belli ab Athenienſibus

 pete-

petere. Qui cum reſponſum cognouiſſent, in illorum contemtum Tyrtaeum poetam claudum pede miſere: qui, cum tribus proeliis fuſi fugatique fuiſſent Lacedaemonii, carminibus ſuis, quae exercitui pro concione recitauit, tandem effecit, vt acerrimo proelio iterum commiſſo, victoria ad Lacedaemoniorum partes tranſiret; vt idem IVSTINVS, *l. c.* refert. PAVSANIAE Tyrtaeus hicce audit διδάσκαλος γραμμάτων, νοῦν τε ἥκιστα ἔχειν δοκῶν, καὶ τὸν ἕτερον τῶν ποδῶν χωλός· *ludimagiſter, qui neque ſatis mente valere credebatur, & altero claudicabat pede*. in *Meſſeniacis p. m. 316*. Addit porro, eum, cum Spartam veniſſet, modo ciuitatis principes, modo plebem, prout tempus aut locus tuliſſet, elegos & anapaeſtos decantantem, quid facto opus eſſet, edocuiſſe. Meminere Tyrtaei huius PLATO, STRABO, DIOGENES LAERTIVS, aliique, quorum loca laudat, TRANQVILLVS FABER, ad *Iuſtini l. c. p. m. 133*. Meſſenii proeliis variis attriti, tandemque victi, in Iram vrbem ſe receperunt, qua vndecimo tandem, poſtquam obſideri coepta eſt, anno expugnata, illinc eiecti, nouas ſedes quaerere coacti ſunt, vt PAVSANIAS refert, in *Meſſeniacis p. m. 327.* qui & bellum hocce longe atrociſſimum, variisque caſibus memorabile, copioſius deſcribit; conf. & IOANNES MARSHAMVS, in *can. chron. ſect. XVII. p. 554.* qui & *p. 542.* de bello Meſſeniaco primo & *ſect. XV. pag. 450.* de Lycurgo, rebusque reliquis Laconum, adcurate diſſerit.

*** Inter antiquiſſimas, nobiliſſimasque Graeciae ciuitates, haud vltimum locum tenuit Corinthus. Eam ab Heraclidis cum aliis Peloponneſi vrbibus occupatam, ſupra obſeruauimus, ad *per. II. ſect. II. §. XVIII. p. 817.* Ex Herculis vero poſteris etiam Aletes fuit, qui cum poſteris ſuis generationes quinque vsque ad Bacchin, Prumnidis filium, Corinthi regnauit. Bacchidae deinde per totidem generationes regnum tenuerunt, vsque ad Teleſtem Ariſtodemi filium, quo ab Arieo & Peranta de medio ſublato, regno finis impoſitus. Prytanes enim deinceps ex Bacchidarum gente annuum imperium tenuerunt. Hos, tyrannide occupata, Cypſelus, Eetionis filius, expulit. Ita PAVSANIAS, in *Corinthiacis p. 120.* De Cypſelo, & quo pacto ad imperium peruenerit, agit etiam HERODOTVS, *lib. V. c. XCII.* & AELIANVS, *hiſtor. var. lib. I. c. XIX.* Cypſeli huius filius, & in tyrannide ſucceſſor fuit Periander, qui cum & inter ſeptem Graeciae ſapientes referri ſoleat, longe fuit celeberrimus. PLATO loco Periandri, Myſonem Cheneum inter Graeciae ſapientes numerat, in *Protagora p. 283.* Et ſane, ſi vera ſunt, quae de eius vita moribusque, praeter alios, DIOGEN. LAERTIVS refert, *lib. I. ſect. XCIV. p. 58. ſeqq.* dignus non videtur, qui locum inter ſapientes occupet. Tanta namque eum fuiſſe crudelitate perhibet, vt ira aliquando accenſus, coniugem praegnantem calcibus percuſſerit, necaueritque: quemadmodum & alia

alia imporentis animi documenta, ibidem memorata, edidit. Vxorem ab eo interfectam & HERODOTVS confirmat, at calcibus percuſſam non memorat, *hiſtor. lib. III. c. XLV.* Fuerunt itaque, qui duos Periandros ſtatuerunt, tyrannum alterum, alterum vero ſapientem, eumque Ambraciotem, vt SOTION, HERACLIDES & PAMPHILA apud DIOGENEM LAERTIVM, *l. c. p. 61.* Idque & AELIANVS confirmat, *hiſtor. var. lib. XII. c. XXV.* ARISTOTELES tamen Corinthium illum pro ſapiente habet. Teſtatur id DIOGENES: καὶ Ἀριστοτέλης μὲν τὸν Κορίνθιον φησὶν εἶναι τὸν σοφόν· Πλάτων δὲ οὔ φησι· *Porro Ariſtoteles Corinthium adſerit fuiſſe ſapientem; Plato negat; l. c. p. 62.* Atque liquet hoc ex ARISTOTELIS *politicor. lib. V. cap. XII.* vbi ſimul refert, Cypſelum regnaſſe annos XXX, & Periandrum annos XL, cauſſamque, quod tamdiu imperium tenere potuerint, hanc adfert, quod Cypſelus fuerit δημαγωγὸς, blandus populi ductor, & in imperio cuſtodes corporis numquam adhibuerit; Periander autem, licet tyrannicus eſſet, ſimul tamen fuerit bellicoſus. Praeſtantiſſima ſane ſunt, quae Periandro huic apud DIOGENEM LAERTIVM, *l. c.* tribuuntur effata, ſed inſolens non eſt, vt doctrinae non vsque quaque reſpondeat vita. Inter alia & hoc celebratur, *his, qui in tuto regnare vellent, ſumma ope nitendum, vt beneuolentia, non armis ſtiparentur.* Interim idem primus armatis circumſeptus inceſſit, vt idem DIOGENES refert, *p. 61.* Quod ARISTOTELES dixit, Periandrum annos XL regnaſſe, id itidem confirmat DIOGENES, qui & addit, eum claruiſſe circa trigeſimam octauam olympiadem, (hocce tempore tyrannidem eum accepiſſe, aliis obſeruatum eſt,) mortuum autem eſſe annos fere natum octoginta, *p. 59. & 61.* Duos Periander habuit filios, Cypſelum ἄφρονα, mente captum, & rebus gerendis inidoneum, & Lycophrona, a Corcyraeis interfectum; vid. HERODOTVS, *libr. III. cap. XLV.* & ex eo DIOGENES LAERTIVS, *l. c. pag. 58. 59.* Succeſſit itaque illi Pſammitichus Gordiae filius, vt auctor eſt ARISTOTELES, *polit. lib. V. cap. XII.* ex Cypſeli, vt videtur, gente; licet, quis Gordias ille fuerit, non ſatis conſtet.

Non abs re fuerit, vel tribus hic addere verbis, a Corinthiorum coloniis hinc inde vrbes conditas, quarum quaedam magnam conſecutae ſunt celebritatem. In his haud vltimum locum Syracuſae obtinent, ſub primum circiter bellum Meſſeniacum, ab Archia Corinthio conditae, qui e ſtirpe fuit Bacchidarum. Cum Chalcidenſes ex Euboea nauigantes cum Theocle coloniae deductore, Naxum condidiſſent, anno inſequenti ab Archia Corinthio Syracuſas conditas, auctor eſt THVCYDIDES, *lib. VI. p. 412.* Plura hac de re dabit DIONYSIVS PETAVIVS, in *rationar. temp. part. I. lib. II. cap. XII. p. 72.* add. IO. MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XVI. pag. 491. ſeqq.* Praeterea anno primo olympiadis XVIII

 Corin-

Corinthii Corcyram inſulam colonis occuparunt; Corcyraei vero poſtea, duce Phalio Corinthio, ſtirpe Heraclidarum, ex metropoli priſco more arceſſito, Epidamnum vrbem in Illyrico condiderunt, cuius nauale fuit Dyrrhachium, vid. THVCYDIDES, *lib. I. p. 17.* Pari ratione & alii Graecorum populi non tantum in Italiam & Siciliam, ſed & in alias Europae Aſiaeque partes, colonias deduxerunt, vnde vrbes plurimae, in ea praeſertim Italiae parte, quae Graecia magna dicta eſt, exſtitere. Sic, vt, quae maxime memorabilia ſunt, paucis ſaltem delibemus, a Megarenſibus, olympiadis vigeſimae ſextae anno ſecundo, Chalcedo vrbs in Bithynia eſt condita, vt in *chronico* auctor eſt EVSEBIVS. Olympiadis trigeſimae anno tertio, Byzantium ex oppoſito in Thracia, duce Byzante, a quo nomen accepit, conditum, idem nos condocet. Byzantem autem Megarenſium ducem fuiſſe ferunt; quamquam non prorſus hac in re auctores conſentiant; aliis pro Argiuorum, pro Athenienſium aliis, aliis rurſus pro Mileſiorum colonia Byzantinos habentibus. Oraculum Megarenſibus quaerentibus, Delphis de Byzantio redditum, refert STEPHAN. BYZANTIVS, de *vrbibus p. m. 187.* Olympiade quadrageſima quinta, cum Zedekias apud Iudaeos rerum potiretur, Maſſilia vrbs Galliae, Narbonenſis, portu & emporio celeberrima, condita eſt a Phocaeenſibus Ioniae populis, vt auctor eſt SOLINVS, *cap. VIII.* Certe Maſſiliam Phocaeenſium coloniam eſſe, conſentiunt fere auctores STRABO, *lib. IV.* ATHENAEVS, *lib. XIII.* POMPONIVS MELA, *lib. II. cap. V.* Sunt, qui tradunt, Phocaeenſes Perſicam ſeruitutem fugientes, in Gallia rerum ſuarum quaeſiuiſſe ſedes; at aliter cum aliis IVSTINVS: *Phocaeenſes*, inquit, *exiguitate ac macie terrae coacti, ſtudioſius mare, quam terras exercuere, piſcando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriae habebatur, vitam tolerabant. Itaque in vltimam Oceani oram procedere auſi, in ſinum Gallicum oſtio Rhodani amnis deuenere. Cuius loci amoenitate capti, reuerſi domum, referentes, quae viderant, plures ſollicitauere. Duces claſſis Simos & Protis fuere, &c. lib. XLIII. cap. III.* Expoſito hinc Phocaeenſium in Galliam aduentu, Maſſiliaeque vrbis origine, haec porro ſubiungit: *Ab his igitur Galli, & vſum vitae cultioris, depoſita & manſuefacta barbaria, & agrorum cultus, & vrbes moenibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis viuere, tunc & vitem putare, tunc oliuam ſerere conſueuerunt; adeoque magnus & hominibus, & rebus impoſitus eſt nitor, vt non Graecia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Graeciam translata videretur, &c.* Legi & reliqua merentur, quae de primis Maſſilienſium fatis diſſerit.

* Ita quidem plurimi veterum, ſed illi, qui Alexandri magni temporibus fuere recentiores, TIT. LIVIVS, VELLEI. PATERCVLVS, PAVSANIAS, aliique,

que, qui Caranum pro Macedonici regni fundatore & primo Macedonum rege, ad eam ſtirpem quod attinet, ex qua Alexander magnus ortus eſt, habent. Pari ratione & TROGI POMPEII epitomaſtes IVSTINVS. Cum enim antiquiſſimum Macedoniae, quam & Emathiam cognominatam monet, ſtatum expoſuiſſet, & qua ratione Caranus cum magna Graecorum multitudine rerum ſuarum ſedem ibi fixiſſet, commemoraſſet, de Carano haec porro ſubiicit: *Pulſo deinde Mida (nam is quoque portionem Macedoniae tenuit) aliisque regibus pulſis, in locum omnium ſucceſſit, primusque adunatis gentibus variorum populorum, veluti vnum corpus Macedoniae fecit; creſcentique regno, valida incrementorum fundamenta conſtituit*; *lib. VII. cap. I.* Caranus autem hicce frater fuiſſe dicitur Phidonis Argiuorum regis, a Temeno ſeptimi, vndecimi ab Hercule, quem menſuras & pondera Peloponneſiis primum inſtituiſſe, poſt HERODOTVM, *lib. VI. cap. CLXVII.* referunt SYNCELLVS atque EVSEBIVS, in *chronicis*. Idem primus quoque nummum argenteum in Aegina feciſſe fertur: vnde AELIANVS Aeginetas primos monetam percuſſiſſe, auctor eſt, *var. hiſtor. libr. XII. cap. X.* Rem tamen hancce non extra omnem dubitationem poſitam eſſe, patet ex iis, quae PLINIVS habet, *hiſtor. nat. lib. VII. cap. LVI.* Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ· Phidon hicce rex Argiuorum, vna cum fratre Carano, aequales fuiſſe dicuntur Lycurgo, & olympiorum reſtauratori Iphito. Vnde aetas eorum intelligitur. HERODOTVS autem Caranum iſtum inter Macedoniae reges non agnoſcit, multo minus pro Macedonici regni fundatore habet. Primus enim ſecundum eum inter Macedoniae reges fuit Perdiccas, quem Areus ſeu Argeus excepit, vti hunc Philippus, quartus porro Aeropus fuit, quintus Acetas, ſextus Amyntas, & ſeptimus Alexander, primus ſcilicet huius nominis, *hiſtor. libr. VIII. cap. CXXXIX.* Conſentit & THVCYDIDES, dum ante Archelaum, Perdiccae ſecundi filium, Alexandri nepotem, octo in Macedonia imperaſſe reges, auctor eſt, *lib. II. p. 168.* Illis praeterea, qui Carano Perdiccam ſucceſſiſſe exiſtimant, temporum rationes repugnant, cum Perdiccas a tempore, quo Phidonem & Caranum vixiſſe diximus, nimis remotus videatur. In Temenidarum equidem genealogia, quam ex SATYRO refert THEOPHILVS Antiochenus, ad *Autolycum lib. II. p. 85.* Perdiccas abnepos Carani cenſetur, ſimulque in catalogo regum Macedoniae, inter Caranum atque Perdiccam Coenus atque Tyrimnas inſeruntur. Praeterquam vero, quod incerto haec ſententia fundamento nitatur, eam κατὰ μεταχρονισμὸν errare, pronuntiat IO. MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XV. p. 448.* De Perdicca, ab eo reliquos reges Macedoniae deriuandos eſſe, nullum eſt dubium. Initia eius referuntur ad annum periodi Iulianae quater milleſimum primum, quo tempore Ezechias rerum potitus eſt apud Iudae-

Digitized by Google

Iudaeos. Succeſſores Perdiccae ad Archelaum vsque iam indicauimus. Tum porro imperarunt; Oreſtes, Archelaus alter, Amyntas alter, Pauſanias, Amyntas tertius, Argaeus ſecundus, Amyntas quartus, Alexander ſecundus, Ptolemaeus, Perdiccas tertius, & denique Philippus, Alexandri magni pater. Ex his, qui ad hanc aetatem, in qua verſamur, pertinent, non adeo memorabiles fuere; de reliquis ſuo loco dicemus. Quot quisque annos regnauerit, apud DIONYSIVM PETAVIVM videre licet, in *rationario temporum, part. II. lib. II. cap. XIV. p. 832.*

** Romanarum rerum origo vulgo ab Aenea repeti ſolet. Ante huius equidem in Italiam aduentum, Latinorum iam pridem ibi floruit regnum, cuius rex primus Ianus ad prima iudicum in gente Israelitica tempora refertur, vltimus autem Latinus, XXXV circiter annis ante Aeneae aduentum, regnaſſe dicitur, vti ſupra iam obſeruauimus. Aeneas autem cum Lauiniam, Latini filiam, in matrimonium duxiſſet, a ſocero in regni ſocietatem adſumtus, eidem ſucceſſit, filiumque Aſcanium rurſus ſucceſſorem habuit, a quo Alba longa, regni ſedes, exſtructa, & imperium ad Numitorem vsque propagatum. Huius filia, Rhea Syluia, virgo Veſtalis, a Marte, vt aiunt, compreſſa, Romulum ac Remum peperit; Amulii, qui frater erat Numitoris, & regnum ad ſe rapuerat, iuſſu in Tiberim proiectos, vndarum tamen vi in ripam delatos, & adcurrente ad puerorum vagitum lupa, mammasque illis praebente, ſeruatos. Inuentos hosce gemellos Fauſtulus, regii pecoris paſtor, Laurentiae vxori nutriendos dedit. Qua quidem ratione cum adoleuiſſent, occiſo Amulio, reſtitutoque auo Numitore, nouae vrbis condendae conſilium ceperunt, cui nomen ille daret, cui per augurium ſors cecidiſſet. Rem ita exponit L. ANNAEVS FLORVS: *Remus montem Auentinum, Romulus Palatinum occupat. Prior ille ſex vultures, hic poſtea, ſed duodecim videt. Sic victor augurio vrbem excitat, plenus ſpei, bellatricem fore. Ita illi adſuetae ſanguine & praeda aues pollicebantur, lib. I. cap. I.* Hinc a Romulo Roma dicta, cuius moenia, ſeu vallum potius, cum ſaltu violaſſet Remus, fratris, vt perhibent, iuſſu occiſus eſt, *munitionemque* adeo *nouae vrbis ſanguine ſuo conſecrauit*, vt idem FLORVS loquitur. Et ita quidem vulgo multi veterum pariter ac recentiorum, de Romanae vrbis origine ſentiunt. Nec tamen tam certa & explorata eſt haec vrbis celeberrimae origo, vt non fuerint, qui ſecus exiſtimarent. Immo iam olim tum de origine ipſa, tum de tempore, quando condita ſit, discrepantes auctornm exſtitiſſe ſententias, DIONYSIVS HALICARNASSENSIS memoriae prodidit: ἀμφισβητήσεως δὲ πολλῆς οὔσης καὶ περὶ τοῦ χρόνου τῆς κτίσεως, καὶ περὶ τῶν οἰκιστῶν τῆς πόλεως, οὐδὲ αὐτὸς ᾤμην δεῖν ὥσπερ ὁμολογούμενα πρὸς ἁπάντων, ἐξ ἐπιδρομῆς ἐπελθεῖν. *Quoniam autem auctores multum*

tum variant, tam de tempore, quo vrbs eſt condita, quam de ipſis conditoribus, nec mihi videtur, rem quaſi confeſſam, eſſe obiter tantum attingendam; antiquit. Roman. libr. I. pag. 58. Pari ratione & PLVTARCHVS: Τὸ μέγα τῆς Ῥώμης ὄνομα, καὶ δόξῃ διὰ πάντων ἀνθρώπων κεχωρηκὸς, ἀφ' ὅτου καὶ δι' ἣν αἰτίαν τῇ πόλει γέγονεν, οὐχ ὡμολόγηται παρὰ τοῖς συγγραφεῦσιν· *Ingens Romae nomen, quod gloria eſt apud omnes gentes decantatum, haud conuenit inter ſcriptores, a quo vrbs, & qua de cauſſa inuenerit; in Romulo, tom. I. opp. pag. m. 17.* Alia adhuc eiusdem generis collegit PHILIPPVS CLVVERVS, qui & ipſe omnes ingenii neruos intendit, vt receptam illam de Romae origine ſententiam impugnet, reiiciatque, in *Italia antiqua, lib. III. cap. II. Quidquid,* inquit, *de Romulo ac Remo, quem Graeci, primi vocabuli huius fictores, omnes pariter adpellant Romum, ſiue Romani ſeu Graeci prodiderunt, mera eſt fabula, per ſe ſatis abſurda & inepta; in qua neque de patre puerorum; neque de matris nomine, neque de expoſitore, nec de ſublatore, nec de nutrice, quidquam certi conſtat.* Omnes praeterea illos, qui Aeneae in Italiam aduentum in dubium vocant, de quibus ſupra, ad *period. II. ſect. II. §. XVIII. pag. 822.* diximus, de Romanae vrbis aliter, quam vulgo fit, ſentire origine, neceſſe eſt: quamquam nec illi, qui Aeneae aduentum admittunt, ſtatim vulgarem illam ac receptam ſententiam calculo ſuo adprobent, aliis quidem ab Aeneae comite, aliis a filio & nepote Romo, aliis ab Aſcanii filia Roma, vrbem ſic adpellatam, contendentibus. Sunt vero etiam, qui omnino ante Aeneae Troianorumque in Italiam aduentum, Romam antiquiorem conditam ferunt, quae deinceps reſtituta ſit a Romulo, atque Remo; vid. DIONYSIVS HALICARNASSEVS, *libr. I. pag. 59.* Quod vero de Aeneae in Italiam aduentu ſupra iam *loc. cit.* monuimus, diſcernenda ſedulo eſſe certa ab incertis, vera a falſis, hiſtoriam a commentis & fabulis, id de hacce etiam quaeſtione probe obſeruandum exiſtimo. Romulum Romanae vrbis ſiue conditorem primum, ſiue reſtauratorem fuiſſe, non temere dubitandum cenſeo. Exſiſtunt ſane pro hac ſententia tot tamque graues teſtes, vt eos ſine ratione praegnantiſſima reiicere prorſus, temerarium foret. Immo horum omnium ex leuioribus quibusdam rationibus contemnere auctoritatem, nihil aliud eſſet, quam pyrrhonismo hiſtorico latam aperire feneſtram, quo ſemel admiſſo, nihil in poſterum certum, exploratumque eſſet. At Romuli Remique patrem Martem eſſe, eosque expoſitos in prima infantia a lupa per miraculum fuiſſe nutritos, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, figmenta ſunt, a Romanis ipſis, ad conditorum vrbis ſuae infamiam tegendam, & primordia rerum Romanarum auguſtiora reddenda, excogitata atque ſparſa in vulgus. Legenda, quae hac de re diſ-

Digitized by Google

diſſerit BVRCARDVS GOTTHELFF STRVVIVS noſter, *obſeruat. ſelectar. ad rem litterariam ſpectantium tom. III. obſeruat. III. §. X. pag. 71.* qui & §. *I. ſeqq. pag. 59. ſeqq.* ſcriptores, qui de rerum Romanarum origine egerunt, adcurate recenſet.

Iam quod ad epocham conditae vrbis Romae, quae magnae apud chronologos eſt celebritatis, attinet, etſi de eius initio diuerſimode veteres pariter ac recentiores, ſentiant, duae tamen prae reliquis de eo celebrantur ſententiae. Prima auctorem habet M. Terentium Varronem, qui ope L. Terrutii Firmiani, mathematici inſignis, ex characteribus aſtronomicis euincere voluit, conditam vrbem Romam anno tertio olympiadis ſextae, & ab vrbis incunabulis vsque ad regifugium effluxiſſe annos ducentos quadraginta quatuor. Altera M. Porcio Catoni vulgo tribuitur, quem, inueſtigato ex tabulis cenſoriis & faſtis Capitolinis, vrbis natali, ſtatuiſſe aiunt, Romam conditam anno ab excidio Troiae quadringenteſimo trigeſimo ſecundo, olympiados ſextae anno quarto. Verrium Flaccum potius in *faſtis capitolinis* ſententiae huius auctorem dicendum, contendit DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina temporum lib. IX. cap. XIV.* & in *rationario tempor. part. II. lib. III. cap. II.* Sunt, qui omnino originem Romae ad annum primum olympiados octauae reiiciunt, auctore Q. Fabio Pictore, hiſtorico Romano antiquiſſimo; quemadmodum AVGVSTINVS eam adhuc longe recentiorem facit, tempore Ezechiae, regis Iudae, cum populus Iſraeliticus annos ſeptingentos & octodecim in terra promiſſionis habitaſſet, vrbem hancce conditam adſerens, de *ciuit. Dei lib. XVIII. cap. XXII.* Sed iſti hic in cenſum non veniunt, cum praeſtantiſſimi ſcriptores aut Varronis ſequantur calculum, aut eum, qui Catoni tribui ſolet. Et poſterius quidem ipſi fecerunt imperatores, in ludis ſecularibus indicendis, Auguſtus, Claudius, aliique; ex ſcriptoribus autem antiquis PLVTARCHVS, CORNELIVS TACITVS, DIO, GELLIVS, CENSORINVS. Prius autem POLYBIVS atque SOLINVS. CICERONEM, LIVIVM, PLINIVM, & VELLEIVM PATERCVLVM variare, nonnulli obſeruant, & modo a Palilibus Varronianis, modo ab anno antecedente, modo ab inſequentis anni kalendis Ianuarii, aeram vrbis inchoare. Praeſtantiſſimi quidam chronologorum rem in medio relinquunt, nec, quaenam praeferenda ſit ſententia, definire audent. *Quamobrem*, inquit AEGIDIVS STRAVCHIVS noſter, *cum fere eandem penes nos auctoritatem obtineant Cato, Varro & Dionyſius*; (Halicarnaſſeus, qui, ſi quosdam audias, ad annum olympiadicum XXV vrbis natalem refert, quanquam alii aliter eum capiant) *praeterea incertum ſit, vter vitioſiſſimi iſtius calendarii Romulaei rationem habuerit, an neuter, itemque an faſti conſulares, an tabulae cenſoriae maiorem fidem mereantur, quo tempore conſules conſulatum inierint, & id genus alia, ἐπο-*

χή

χῇ potius, quam temeraria decisio nobis placet; breuiar. chronolog. part. special. lib. IV. cap. XVII. quaeſt. I. pag. 472. Pari ratione DIONYSIVS PETAVIVS, cum & Varronianae, & Catonianae, quam vocant, ſententiae mentionem feciſſet, *vtra verior ſit,* inquit, *difficile eſt dictu;* priorem tamen praefert, & rationibus aſtronomicis demonſtrat, in *rationar. temp. part. II. libr. III. cap. II. pag. 837.* Reſpondet autem annus tertius olympiadis ſextae, quo vrbem conditam Varro cenſuit, anno periodi Iulianae MMM DCCCC LXI, quemadmodum ad annum ſequentem vrbis iſtius origo referenda fuerit ſecundum epocham, quae Catoni tribuitur. In memoriam vrbis conditae Romani quotannis die XI kalend. Maii, feſtum celebrabant, Palilia dictum. Nota ſunt iſta PROPERTII:

> *Vrbis feſtus erat, dixere Palilia patres,*
> *Hic primus coepit moenibus eſſe dies; &c.*

libr. IV. eleg. IV. verſ. 73. conf. & VELLEIVS PATERCVLVS, *libr. I. cap. VIII.* Ratio nominis iſtius non ſatis liquet, nonnullis a nympha, quae Palis dicta, aliis a *pariendo,* illud deriuantibus, ac ſi palilia idem ſit ac parilia. Prima ergo Palilia ſecundum Varronem celebrata ſunt XI kalend. Maii, anno quarto olympiadis ſextae; ſecundum Catonianam, quam vocant, epocham, eodem die, anno primo olympiadis ſeptimae. Num vero vndecimus dies kalendarum Maii eo tempore in tempeſtatem vernalem, an in autumnum inciderit, diſquirunt chronologi; conf. AEGIDIVS STRAVCHIVS, atque DIONYSIVS PETAVIVS, vterque *locis citatis.*

De primis Romanorum regibus vt multa dicamus, inſtituti noſtri nec permittit, nec requirit ratio. A Romulo, qui deinceps ſub Quirini nomine in deorum numerum relatus eſt, conſtitutam rite rempublicam, populum in patres & plebem diuiſum, ſenatores ex patribus centum primo lectos, bella cum gentibus vicinis, Sabinis praeſertim ob virginum raptum geſta, Sabinos hinc cum Romanis coniunctos, populum in triginta curias deſcriptum, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, conſtat. Bellum etiam deinde contra Fidenates & Veientes proſpere ab eo geſtum. Cum vero ad exercitum recenſendum concionem haberet ante vrbem, apud Capreae paludem, e conſpectu ablatus eſt. *Diſcerptum aliqui e ſenatu putant, ob aſperius ingenium; ſed oborta tempeſtas, ſolisque defectio, conſecrationis ſpeciem praebuere; cui mox Iulius Proclus fidem fecit, viſum a ſe Romulum adfirmans, auguſtiori forma, quam fuiſſet, mandare praeterea, vt ſe pro numine acciperent, &c.* Ita FLORVS, *lib. I. cap. I.* Regnauit Romulus annos XXXVII. Poſt annuum interregnum, rex ex Sabinorum gente creatus eſt Numa Pompilius; Ezechiae Iudaeorum regi & Sennacheribo σύγχρονος, a quo nouae leges

& hetruſca diſciplina, ſacra, ſacerdotes, hoſtiae, aſyla, anni ratio, menſium, dierum faſtorum & nefaſtorum &c. inſtituta. Numam cum Pythagora Lacedaemonio conſuetudinem habuiſſe, auctor eſt PLVTARCHVS, in *Numa pag. 39.* Indeque forte Pythagoraeus dictus eſt. Quod cum alii non intelligerent, Numam Pythagorae philoſophi auditorem fuiſſe, adſeruerunt, cum tamen Samius iſte Pythagoras vltra centum annos Numa ſit recentior. De libris Numae, quibus ſacrorum cauſſas complexus eſt, diu poſt eius mortem inuentis, ſed ſenatus decreto combuſtis, legendi T. LIVIVS, *hiſtor. lib. XL. cap. XXIX.* VALERIVS MAXIMVS, *lib. I. cap. I.* PLINIVS, *hiſtor. nat. lib. XIII. cap. XIII.* LACTANTIVS, *lib. I. cap. XXII.* & AVGVSTINVS de *ciuitat. Dei lib. VIII. cap. XXXIV.* Numae poſt aliquod interregnum ſucceſſit Tullus Hoſtilius, Manaſſe adhuc apud Iudaeos regnante. Omnem is militarem diſciplinam, artemque bellandi, condidit. Bellum ſub eo inter Romanos & Albanos, & hinc ſingulare inter Horatios atque Curiatios certamen, deſtructa denique & euerſa Alba, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, notiora, quam vt hic commemorari debeant. Poſt Tullum Hoſtilium Ancus Martius, Numae ex filia nepos regnauit, eo tempore, quo Ioſias rerum apud Iudaeos potitus eſt. Ob incrementa, quae victis Latinis, vrbibusque eorum expugnatis, & vrbi & imperio Romanorum dedit, maxime celebratur. Succeſſit ei Tarquinius Priſcus, qui *quamuis transmarinae originis, regnum vltro petens accipit, ob induſtriam atque elegantiam; quippe qui oriundus Corintho, graecum ingenium Italicis artibus miscuiſſet*, vt FLORVS loquitur, *lib. I. cap. V.* Augurum ſub eo diſciplina, vel ſuperſtitio potius, maxima incrementa cepit. Idem duodecim Tuſciae populos frequentibus armis ſubegit; imperiique ornamenta, faſcibus, trabeis, curulibus, phaleris, paludamentis, aliisque acceſſionibus auxit. Eo rerum ſummam tenente, captiuitas Babylonica populi iudaici initium ſumſit. De hisce Romanorum regibus plura dabunt T. LIVIVS, L. ANNAEVS FLORVS, PLVTARCHVS, in *Romulo* & *Numa*, aliique rerum Romanarum ſcriptores. De religione Romanorum, qualis hoc tempore fuit, iam ſupra dictum ad §. *XXXIV.* huius ſectionis; iniuſtitiam autem bellorum, a Romanis in hocce temporis interuallo geſtorum, ex inſtituto demonſtraui, in *ſpecimine iurisprudentiae hiſtoricae*, quod exſtat in *ſelectis iuris naturae & gentium*, §. *II. ſeqq.*

HIS-

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
VETERIS TESTAMENTI

PERIODI SECVNDAE

A MOSE VSQVE AD CHRISTVM

SECTIO QVINTA, SEXTA, ET SEPTIMA

A CAPTIVITATE BABYLONICA AD EIVS SOLV-TIONEM, ET HINC VSQVE AD PRINCIPATVM MACCA-BAEORVM, DENIQVE A PRINCIPATV MACCABAEO-RVM VSQVE AD NATVM CHRISTVM.

Digitized by Google

Digitized by Google



PERIODI SECVNDAE

A MOSE VSQVE AD CHRISTVM

SECTIO V.

SISTENS

CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

Σύνοψις.

Diuerſus populi iudaici in captiuitate Babylonica fuit ſtatus: Daniele a Nebucadnezare ad maximas dignitates euecto, mitius haud dubie habitus eſt, §. *I.*

Grauior, quae Iudaeis imminebat tempeſtas, ſeruatis per miraculum in fornace ignito Danielis ſociis, ab iis depulſa eſt, §. *II.*

Nebucadnezar rationis vſu priuatus, grauiſſima hacce caſtigatione ad veri Numinis agnitionem perductus, vnde honor captiuis, & ingens ſolatium, §. *III.*

Sub Evil-Merodacho tolerabilis eorum conditio, §. *IV.*

Durior ſub Nerigloſſoro & Laboroſardocho, ſeu Belſazare, §. *V.*

Babylon a Medis & Perſis, Belſazare interemto, occupatur; vnde noua rerum mutatio, §. *VI.*

Daniel Darii Medi gratia florens, captiuis haud dubie in multis praeſidio fuit, §. *VII.*

Per Cyrum ſoluta fuit captiuitas Babylonica, §. *VIII.*

Singularis prouidentiae diuinae, durante captiuitate, erga Iudaeos extitere documenta: viri ſanctitate & ſapientia illuſtres inter eos floruerunt, §. *IX.*

Digitized by Google

Religio Iudaeorum in hocce temporis interuallo, §. X.
Cultus externus, §. XI.
Matrimoniorum, ſtatusque ciuilis ratio, §. XII.
Litterarum ſtudia, ſcholae, librique editi, §. XIII.
Superſtitio & idololatria longe lateque adhuc regnauit, nec Iudaei quidam eius prorſus immunes exſtiterunt, §. XIV.
Exoticorum ſcriptorum de Iudaeorum rebus in hocce temporis interuallo, teſtimonia; aliarum gentium ſtatus, §. XV.

§. I.

IN captiuitate Babylonica per annos ſeptuaginta duratura,* populi Iudaici, adeoque & verae eccleſiae, non vna eademque ſemper ſe habuere ratione, fata. Subinde enim inter principes rerumque dominos, quorum poteſtati Iudaei ſubiecti erant, exſtiterunt, qui propenſo in eos eſſent animo; cuncta ſic diſpenſante Numine ſapientiſſimo, vt interdum tolerabilior, interdum triſtior eorum eſſet conditio.** Et circa ipſum quidem captiuitatis initium, non ſine prouida eiusdem Numinis cura contigit, vt Daniel, vir ſanctiſſimus, ad ſummos in aula Nebucadnezaris honores eueheretur. Hinc enim quin plurima in reliquos redundauerint commoda, non eſt, quod dubitemus.***

* Illuſtris admodum eſt epocha illa ſeptuaginta annorum captiuitatis Babylonicae, quippe quae in ipſa ſcriptura ſacra definitur, *Ierem. XXV. 11. XXIX. 10. Dan. IX. 2. II. Chron. XXXVI. 21.* Sed vnde initium ſeptuaginta horum annorum ducendum ſit, & vbi finis eorum conſtituendus, id quidem eſt, de quo non vna omnium, veterum pariter ac recentiorum, eſt ſententia. Nos diuerſis hiſce opinionibus recenſendis non immorabimur, quas, qui velit, in compendio legere poteſt apud NATALEM ALEXANDRVM, *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. aetate mundi ſexta, diſſert. III. p. 384.* Noſtram ſolum paucis explicabimus, & rationibus luculentis, ni fallor, euincemus. Repetendum autem, quod iam *ad* §. *XXVII. & XXVIII.* ſectionis praecedentis, attigimus, & IACOBO CAPELLO quoque in *chronico ad annum mundi MMM CCC XCIIX. & MMM CCCC XXIV.* recte obſeruatum, deportationes Iudaeorum in captiuitatem Babylonicam alias maiores, alias minores eſſe. Maiores tres ſunt, quae in libris hiſtoricis deſcriptae, anno primo, octauo & decimo nono Nebucadnezaris contigerunt. Minores itidem tres, a Ieremia notatae, anno ſeptimo, decimo octauo, & vigeſimo tertio

tertio contigerunt. In minoribus hiſce ſolum MMMM DC homines, ſi in ſummam colligantur, tranſlatos, propheta commemorauit, cum in ſola media maiorum deportationum duplo plures transportati ſint. Prima itaque deportatio facta eſt anno Nebucadnezaris primo, Ioiakimi quarto. In hac Ioiakimus quidem catenis vinctus a Nebucadnezare fuit, vt Babylonem abduceretur, *II. chron. XXXVI. 6.* immo & Babylonem abductus, vt nonnulli ex *Dan. I. 2.* colligunt, pactis tamen ſeruitutis conditionibus, reſtitutus fuit. Altera deportatio facta eſt anno Nebucadnezaris ſeptimo, Ioiakimi vero decimo, cum hic triennio poſt reſtitutionem aduerſus Nebucadnezarem rebellaſſet. In hac deportatione abducti ſunt illi MMM XXIII a Ieremia *cap. XX. 28.* deſignati. Prima haec eſt ex minoribus. Tertia deportatio facta eſt anno octauo Nebucadnezaris prope completo, qua rex Iechonias cum matre, & vxoribus, & ducibus, praecipuaeque dignitatis viris, abductus eſt. Et haec ſecunda eſt ex maioribus, ac deſcribitur *II. reg. XXIV. 10. ſeqq.* & *II. chron. XXXVI. 10.* Quarta deportatio, quae ſecunda eſt inter minores, facta eſt anno decimo octauo Nebucadnezaris. Cum enim ob aduentum exercitus Aegyptii, Hieroſolymae obſidionem Nebucadnezar ſoluere cogeretur, eos ex Iudaeis, qui ante obſidionem ad illum defecerant, numero DCCC XXXII Babylonem deportari curauit, *Ierem. LII. 29.* Quinta deportatio, quae tertia inter maiores, facta eſt anno Nebucadnezaris decimo nono, in excidio vrbis & templi. De hac Ieremias loquitur *c. XXXIX. 8.* it. *LII. 14. ſeqq.* conf. & *II. reg. XXV. 10. ſeqq. II. chron. XXXVI. 18. ſeqq.* Sexta denique & vltima deportatio, quae inter minores tertia eſt, facta eſt anno Nebucadnezaris vigeſimo tertio, qua reliquiae Iudaeorum, quae in terra Iudae poſt vrbis Hieroſolymae & templi excidium adhuc remanſerant, nec in Aegyptum aufugerant, abductae ſunt, *Ierem. LII. 30.*

Iam itaque quaeritur, a quanam ex hiſce deportationibus, initium ſeptuaginta annorum captiuitatis Babylonicae deſumendum ſit? Ego vero citra ambages adſero, initium hocce ſumendum eſſe a prima abductione, quae contigit anno Nebucadnezaris primo, Ioiakimi quarto, & in qua ipſe rex Ioiakimus catenis vinctus, ac, vt nonnullis videtur, Babylonem abductus fuit. Idque ſequentibus probari poteſt rationibus: I) quia inter deportationes, in diuinis litteris commemoratas, haec omnium prima fuit, cuius reliquae ſaltem quaedam continuationes, diuerſis temporibus ſub eodem rege Nebucadnezare fuere; conuenientiſſimum autem eſt, numerum annorum captiuitatis a primo captiuitatis initio, inire; II) quia *Ierem. XXV. 1.* dicitur: *hoc eſt verbum, quod factum eſt ad Ieremiam de toto populo Iudae, quarto anno Ioiakimi filii Ioſiae, regis Iudae, qui primus eſt annus Nebucadnezaris regis in Babel.* Mentio namque

Digitized by Google

que hic diſerte inicitur anni primi regis Nebucadnezaris, & quarti Ioiakimi, quod documento eſt, initium ſeptuaginta annorum, quorum epocham hoc ipſo capite *verſ. 11.* definit, hinc ſumendum eſſe. Scopus enim totius capitis hic eſt: cum hactenus per multos annos populum iudaicum, ad poenitentiam propheta ſit adhortatus, & vero videat, illum mores ſuos non emendare, nunc demum ſe illis indicare, quod extrema pernicies, captiuitas ſcilicet Babylonica inſtet, quae adeo ab hoc ipſo tempore, anno ſcilicet Nebucadnezaris primo & Ioiakimi quarto initium ſit captura, & ſeptuaginta annos duratura. III) Idem porro ex eiusdem capitis *XXV. Ierem. verſ. 12.* probari poteſt. Dicitur ibi: ***cum impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regem Babylonis.*** Sequitur ergo, eodem tempore, quo Deus puniturus erat regem Babyloniae (vna cum ſucceſſoribus) liberandum quoque eſſe populum iudaicum. Coniungit enim propheta poenam regis Babyloniae, & liberationem populi Iſraelitici. Poena autem iſta regum Babyloniae, tum maxime conſpicua facta eſt, cum Cyrus Perſicam monarchiam, deſtructo regno Babylonico, auſpicatus eſt, quo tempore, anno ſcilicet primo Cyri, ſimul populi Iſraelitici contigit liberatio. Vnde & de initio captiuitatis Babylonicae iudicium ferri poteſt. IV) Denique & ex Danielis *cap. I.* hoc confirmari poteſt. Initium enim captiuitatis huius indicatur *verſ. 1.* abductio in captiuitatem anno Ioiakimi tertio completo, ſiue quarto inchoato, facta; finis autem, ſiue annus primus Cyri, *verſ. 21.* Idem patet ex *II. chron. XXXVI. 22.* *Esrae I. 1. VI. 3.* in quibus locis finis huius epochae diſerte traditur annus primus monarchiae Cyri. Hinc autem ſi ſeptuaginta annos retro numeres, initium non poteſt non eſſe annus quartus Ioiakimi, ſeu primus Nebucadnezaris. Quod vt eo luculentius pateat, & cuncta eo rectius ſibi conſtent, obſeruandum, numerum annorum, qui Babyloniae regibus a ſcriptoribus fide dignis tribuuntur, computo huic LXX annorum prorſus reſpondere. Secundum canonem enim Ptolomaicum, atque BEROSVM, cuius locum exhibet FL. IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion. p. 1044.* atque EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. LX.* Nabopollaſſarus ſiue Nebucadnezar imperium tenuit annis XLIII, mortuus quippe anno quadrageſimo quarto, vt deinceps dicemus, §. *IV.* Euilmerodachus, qui in canonico Ptolomaico Iluarodamus vocatur, regnauit annis II. Nerigliſſorus tutorio nomine pro Laboroſoarchodo, vt deinceps §. *V.* oſtendemus, annis IV, & ipſe Laboroſoarchodus, quem eundem cum Belſazare, vltimo ex Nebucadnezaris poſteritate, eſſe, iisdem §. *V.* oſtendemus, menſibus tantum IX. Tum vero Nabonnedus, quem eundem cum Dario Medo eſſe, §. *VII.* probamus, rerum ſummam per annos XVII. tenuit. conf. IO. MARSHAMVS *can. chron. ſec. XVIII. pag. 505.* Iam, ſi haec in ſummam conferamus, oritur

Digitized by Google

oritur inde numerus annorum LXVI & IX menſium. Cum vero haud dubie in calculo iſto canonis Ptolomaici atque BEROSI, ſubinde anni inchoati poſiti ſint pro completis, & poſt captam a Cyro Babylonem vrbem, aliquot anni effluxerint, priusquam plenam monarchiam obtineret, exſurget tandem inde numerus annorum LXX.

Atque haec cum ita ſe habeant, merito illorum reiicimus ſententiam, qui initium ſeptuaginta annorum captiuitatis Babylonicae, in excidio templi ponunt; licet de fine inter ſe non conſentiant; itemque eorum, qui initium in ſpontanea Iechoniae transmigratione collocant, finem autem annum vigeſimum octauum imperii Perſici Cyri conſtituunt. Pro vltima equidem ſententia vrgeri cumprimis ſolent loca *Ezech. XL. 1. XXIV. 1* & *XXXIII. 21.* Putant namque Ezechielem *cap. XL. 1.* annum vigeſimum quintum captiuitatis reiicere in decimum quartum excidii templi, porro *cap. XXIV. 1.* nonum captiuitatis annum reiicere in tempus coeptae obſidionis, & denique *cap. XXXIII. 21.* duodecimum annum referre in id tempus, quo anno praeterito vrbs percuſſa erat. Sed paucis ad haec omnia reſponderi poteſt, Ezechielem, quoties de annis captiuitatis loquitur, non ſeptuaginta annos captiuitatis Babylonicae, ſed ſuae captiuitatis annos intelligere. Obiici praeterea & illud ſolet, quod *Ierem. XXIX. 10.* dicitur, populum poſt LXX annorum decurſum, libertati reſtitutum iri. Sed rem adcuratius conſiderantibus patebit, prophetam non ad initium epochae LXX annorum, ſed ad tempus exaratae epiſtolae conſolatoriae, poſtquam Iechonias rex cum matre & aulicis abductus erat, reſpicere. Praeterea, etiamſi tum ibi, tum *cap. XXV. 11.* completis LXX annis liberatio promittatur, non tamen indicatur initium LXX annorum captiuitatis, multo minus a Iechoniae abductione eos demum inchoandos eſſe, innuitur. Iniicitur equidem (vt hoc quoque addamus) & apud Zachariam *cap. I. 12.* mentio ſeptuaginta annorum. At ibi non anni captiuitatis Babylonicae, ſed deuaſtationis Hieroſolymitanae indicantur. Nam ab anno decimo nono Nebucadnezaris, quo deuaſtatio illa contigit, vsque ad finem regni eius effluxerunt XXVI anni, a fine regni Nebucadnezaris vsque ad monarchiam Cyri XXV anni, vnde ſumma exſurgit LI annorum, quibus nonnulli nouem menſes addunt; porro ab anno primo monarchiae Cyri, hoc eſt, vigeſimo tertio regni eius Perſici, vsque ad exceſſum eius, effluxere circiter VII anni, quibus ſi addantur VIII Cambyſis, & II Darii Hyſtaſpidis ſumma inde prodibit circiter XVIII annorum, qui annis LI antea indicatis additi, efficiunt ſummam LXIX annorum. Nec obſtat, quod anno ſecundo Darii nondum elapſi fuerint LXX anni. Namque ſi initium calamitatis & deſolationis ſumatur ab initio obſeſſionis, decimo menſe anni noni Zedekiae inchoatae *II. reg. XXV. 1.* accedent ad an-

nos LXIX antea memoratos adhuc anni II & menſes ſeptem, quia ab initio obſeſſionis, vsque ad templi & vrbis deuaſtationem XXXI menſes elapſi ſunt; vnde ſumma, quae ſeptuaginta annos excedat, emerget.

** Patebit hoc ex mox dicendis.

*** In prima deportatione Iudaeorum in captiuitatem Babylonicam, quae anno Ioiakimi Iudae regis tertio finito, ſeu quarto inchoato, contigit, praeter alios Daniel quoque cum ſociis, Chanania, Miſaele & Azaria, Babylonem translatus eſt. Hic ergo vt primum in notitiam regis Nebucadnezaris perueniret, mox ad magnas ab eodem dignitates eueheretur, ſequenti factum eſt ratione. In mandatis a rege datum Aſpenazo, eunuchorum praefecto, vt ex Iudaeis eligeret adoleſcentes generis dignitate conſpicuos, labis omnis, qua corporis conſtitutionem, expertes, forma decoros, ingenio praeſtantes, & litteris artibusque liberalibus ſuae gentis iam probe imbutos, qui aulicis aliquando miniſteriis adhiberi poſſent, eumque in finem linguam litterasque Chaldaeorum condocendi erant. Cum Aſpenazus, cui rex hoc mandauit, רב סריסים *princeps* ſeu *praefectus eunuchorum* vocetur, in eam hinc nonnulli adducti ſunt ſententiam, Danielem etiam fuiſſe eunuchum. Ita FL. IOSEPHVS, aliique ex Iudaeis, immo & nonnulli ex antiquis eccleſiae chriſtianae patribus, vt ORIGENES, *hom. IV. in Ezech.* & HIERONYMVS, *lib. I. adu. Iouin.* Et IOSEPHVS quidem ita hac de re loquitur, vt innuat, iuſſu Nebucadnezaris ab Aſpenazo eum eunuchum factum: *ποιήσας τινὰς αὐτῶν ἐκτομίας, τὸ δὲ αὐτὸ καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ὅσα κατεστρέψατο ληφθέντας ἐν ὥρᾳ τῆς ἡλικίας διαθείς·* *exſectis quibusdam ex eo numero, quemadmodum ſolitus eſt facere & aliarum gentium deuictarum formoſis adoleſcentibus, antiquit. iudaic. lib. X. cap. XI. p. 345.* Circumſpectius hac de re in *vitis prophetarum* loquitur pſeudo-EPIPHANIVS: *ἦν ἀνὴρ σώφρων, ὥστε δοκεῖν τοὺς Ἰουδαίους εἶναι σπάδοντα*, *erat ita continens, vt Iudaei exiſtimarent, ipſum eſſe ſpadonem*, quod totidem verbis repetit pſeudo-DOROTHEVS, de *prophetis c. XVII. p. m. 459.* Omni vero fundamento iſta Iudaeorum, & qui cum iis faciunt, deſtituitur fabula; cum סריס non *eunuchum* ſolum, ſed magnae quoque dignitatis virum ſignificet, eo, quod gentibus orientalibus, eunuchos magnis muneribus praeficere, in more poſitum eſſet; vt alibi iam nobis obſeruatum. Quare & praefecto eunuchorum alii committi potuerunt, qui non eſſent eunuchi. Recteque ex ipſis Iudaeis R. ABEN ESRAE obſeruatum, Danielem ipſum cum ſociis nuſpiam vocari סריס, immo cum ab Aſpenazo iuuenes eligendi fuerint, qui eſſent *abſque macula*, ſeu corpore integro, & quidem non ad miniſtrandum mulieribus, ſed *vt ſtarent coram rege*, adeoque aliis officiis aulicis praeficerentur; hinc veroſimile non eſſe, eum fuiſſe eunuchum. Legenda, quae copioſe

hac

Digitized by Google

hac de re diſputat MARTIN. GEIERVS ad *Dan. I. 3.*

Eligendi autem adoleſcentes iſti erant, ex illorum numero, qui erant de ſemine regio, ומן הפרתמים. Quam vocem cum peregrinam eſſe, chaldaicam aut perſicam, ipſimet Ebraeorum doctores fateantur, quae & hoc tantum loco, item *Eſther. I. 3. & VI. 9.* occurrit, mirum quoque non eſt, diuerſimode eam exponi. LXX interpretes eam hic retinuerunt: *Φορθομμὶν*, at *Eſth. I. 3. & VI. 9.* vertunt per *ἐνδόξους*. Vulgatus hic & *Eſther. VI. 9. tyrannos*, vertit, ſed *Eſther. I.* 3. per *inclitos*. Alii aliter. Res ipſa docet, primariae dignitatis homines ſignificari. Ex eo, quod de *regio ſemine* adoleſcentes eligendi fuerint, nonnulli colligunt, Danielem quoque ex regio oriundum fuiſſe ſanguine. Impletum quoque in eo putant, quod *II. reg. XX. 19.* Ezechiae regi praedictum fuit: *de filiis quoque tuis tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babel.* Hinc & FL. IOSEPHVS Danielem cum ſociis, de genere Zedekiae regis fuiſſe, adfirmat *l. c.* At certum ex quo hoc colligas, fundamentum praeſto non eſt, etſi forte res ita ſe habuerit. Tametſi enim Aſpenazus adoleſcentes ex regio ſanguine eligere iuſſus ſit, inde tamen non ſequitur, Danielem quoque ex regio ſanguine fuiſſe, cum & הפרתמים mentio iniiciatur. Ex illuſtri autem proſapia eum oriundum fuiſſe, recte hinc colligitur. Ad aetatem Danielis & ſociorum eius, quod attinet, vocantur equidem ילדים *pueri*, ſed adoleſcentes fuiſſe, dubitari nequit. Annum aetatis definire non licet, etſi nonnulli hoc faciant, duodecimum, aut decimum quartum, vel decimum quintum eidem adſignantes. Id certum, magnum deinceps temporis ſpatium eum viuendo exegiſſe, cum ad Cyrum vſque vitam produxerit, eidemque innotuerit, *Dan. X. 1.* De litterarum ſtudiis, quibus Daniel cum ſociis imbutus fuit, deinceps dicetur. Conſtituit autem rex, vt adoleſcentibus illis, quos Aſpenaz elegerat, quotidie certum penſum cibi & potus praeberetur, & quidem מפת־בג המלך *ex portione cibi regis.* Ita enim has voces hic explicandas, peritiſſimis interpretum obſeruatum. Nimirum, vt ſanitati pariter, ac formae iſtorum adoleſcentum conſuleretur, non communi cibo, qui reliquis aulicis praeberi ſolebat, ſed ſelectiori, qui regi proprius erat, eos nutriri voluit. HVGO GROTIVS פת־בג idem eſſe cenſet, ac *ποτίβασις*, quod eſt panis genus in oriente, vt ex DIONE, *lib. III. Perſicor.* refert ATHENAEVS, *dipnoſophiſt. l. XI. p. m. 5033.* edit. IS. CASAVBONI. Et hac quidem ratione Daniel cum ſociis per tres alendi & educandi erant annos, vt deinceps regis miniſterio admoueri poſſent. Eunuchorum quoque praefectus nomina illis immutauit, & Danielem quidem vocauit Beltſchazar, Ananiam Sadrach, Miſaelem Meſchach, & Azariam Abednego. In Beltſchazaris nomine, Beli ceu idoli Babylonici mentionem fieri, dubio caret, id-

que ipſemet teſtatur Nebucadnezar, *Dan. IV. 5.* Nec de voce Abednego temere quis ſecus exiſtimauerit, cum עבר *ſeruum* ſeu *cultorem* ſignificet, נגו autem *ſplendorem*, adeoque de igne capi poteſt, niſi cum R. SAADIA dicere malis, *Nego* hic poni pro *Nebo*, quod idoli Babylonici nomen fuiſſe, conſtat. Reliquorum duorum nominum paullo incertior eſt interpretatio, etſi non deſint, qui contendant, haec quoque ab idolis deſumta; conf. IACHIADES, ad *h. l.* Solenne autem erat antiquis temporibus, apud orientis praecipue populos, nominum immutatione imperium aliquod ſibi in alium adſerere, vt ſupra quoque nobis obſeruatum eſſe memini. Non ergo crediderim, adoleſcentes hosce iſta nominum impoſitione idolis velut conſecratos fuiſſe. Hoc enim vix probabile eſt, eos admiſſuros fuiſſe. Vt autem in ſignum imperii iſta nominum permutatio fieret, facile pati potuerunt. Danielis autem in eo ſtatim eluxit & prudentia & pietas, quod cibum regium deprecari ſecum conſtituerit, ne eo pollueretur. Praeterquam enim, quod intimior communio, qualis eorum eſt, qui vnius menſae participes ſunt, cum gentilibus Iudaeis eſſet interdicta, gentiles multis animalibus veſcebantur, quae lex Moſaica Israelitis prohibuerat. Accedebat, quod gentilium cibi, priusquam in menſa adponerentur, idolis conſecrabantur, aut e victimis immolatis erant reſidui. Vinum itidem diis ſuis conſecrare ſolebant gentiles, quamquam ſimul temperantiae & virtutis ſtudio illud euitaſſe videantur. Cum ergo eunuchorum praefecto Daniel petitionem ſuam propoſuiſſet, hic quidem beneuolum erga eum demonſtrauit animum, vitae tamen inde ſibi imminere periculum dixit, ſi forte rex minus nitidos illorum vultus conſpiceret, & hinc mandatum ſuum neglectum intelligeret. Nihiloſecius Daniel petitionem ſuam apud Melzarum, cui ab eunuchorum principe, eius & ſociorum cura iniuncta erat, repetiit, rogauitque eum, vt decem dierum experimentum caperet, quibus ipſe cum ſociis, leguminibus & aquae potu paſcerentur, hisque exactis, compararet vultus, cum eorum adoleſcentum vultibus, quos menſa regia alebat, ſi deteriores inueniret, pro arbitrio deinceps ageret. Sunt, qui המלצר pro nomine adpellatiuo habent, vt ſignificet *diſpenſatorem*, *procuratorem*, *promum condum*; verum cum nulla apud Chaldaeos detur radix, a qua vox haec deriuari queat, rectius vulgatus, B. LVTHERVS, aliique, proprium nomen eſſe cenſent. Nec obſtat ה emphaticum, ſiquidem, vt illud nominibus propriis quandoque praemittatur, non adeo inſolens eſt, vt SAL. GLASSIVS noſter docet, *lib. IV. philol. ſac. tract. III. obſeruat. VII. p. 730.* Videtur autem haud obſcure innui, Aſpenazum, etſi periculi euitandi cauſſa directe Danielis petitioni locum non relinqueret, quodammodo tamen ſignificaſſe, ſe non adeo refragaturum, ſi a Melzaro, quem adoleſcentubus hiſce praefecerat, hoc fieret.

Quod

Quod cum animaduerteret Daniel, Melzarum adiit, ab eoque, propoſita decem dierum conditione, quod in votis habebat, impetrauit. Decem enim diebus elapſis, meliores nitidioresque horum adoleſcentum vultus, quam reliquorum, qui regiis cibis nutriebantur, deprehenſi ſunt. Fecit ergo Melzarus, quod cupiebant, & pro regio cibo legumina illis ſuppeditauit. Litterarum ergo ſtudiis dediti mirum in modum profecerunt, non tam diligentia, quamquam nec haec deerat, quam gratia Numinis ſingulari. Dedit enim Deus iis מדע והשכל *ſcientiam & intelligentiam in omnibus & ſapientiam*, *verſ. 17*. hoc eſt, vt omnia, quae in libris continebantur, & ex iis tradebantur, promte caperent, & adcurate diiudicarent. Danieli autem ſpeciatim ex ſingulari Numinis gratia obtigit, *intelligentia omnium viſionum & ſomniorum*, ſeu vt in ebraeo eſt: *intellexit omnem viſionem & ſomnia*. Quod non ita intelligendum, ac ſi per modum habitus permanentis intelligentia haec in eo fuerit, verum, quod Deus hocce donum ei toties conceſſerit, quoties eodem opus habuit, & ei viſum fuit, hoc illi concedere. Prius enim, quo minus adſeri queat, praeter alia hoc quoque obſtat, quod non pro lubitu, ſed implorato prius & impetrato Numinis auxilio, hancce facultatem exercere potuerit, vt ex *Daniel. II. 16. IV. 16.* & aliunde notum eſt. Idem & aliorum prophetarum, virorumque ſanctorum, quibus idem donum obtigit, exemplo demonſtrari poteſt. Tempore, quod inſtitutioni horum adoleſcentum deſtinatum erat, elapſo, ducti ad regem ſunt, cui &, cum illos exploraſſet, prae reliquis omnibus placuerunt. Negotiis hinc aulicis admoti, ſuam in omnibus regi ita probarunt prudentiam, vt ariolos & magos, qui ſapientiae omnis magiſtri apud Chaldaeos erant, non tantum aequarent, ſed vel decuplo ſuperarent.

Vt autem Daniel ad maiorem mox dignitatem eueheretur, occaſionem ſomnium praebuit, quod Nebucadnezari regi, anno ſecundo regni eius oblatum fuit, *Daniel. II. 1.* Cum anno tertio Ioiakimi finito, ſeu quarto ineunte, Daniel cum ſociis Babylonem deportatus ſit, *Dan. I. 1.* qui fuit primus Nebucadnezaris, vt ſupra diximus; & ab eo tempore ad minimum tres anni elapſi ſint, priusquam Daniel cum ſociis aulicis miniſteriis admoueretur, cum totidem in eorum inſtitutione fuerint conſumti, *Daniel. I. 5. & 18.* quaeritur, quo pacto anno Nebucadnezaris ſecundo tribui queat, quod de eius ſomnio, & hinc ſecuta Danielis exaltatione, narratur? Hocce dubium mirum in modum doctorum virorum ingenia torquet; vnde & in diuerſas abierunt ſententias. Iudaei praeſertim, vbi pedem figant, vix inueniunt. FLAV. IOSEPHVS annum ſecundum poſt Aegypti depopulationem intelligit, *antiquitat. iudaic. lib. X. cap. XI.* A qua non procul abeunt ſententia, qui annum ſecundum

 monar-

monarchiae plenariae, qua deuictis Ammonitis, Tyriis, Idumaeis, Aegyptiis, totius orientis dominus, & monarcha factus eſt, intelligunt, vt AVGVST. TORNIELLVS, IAC. SALIANVS, itemque HVGO GROTIVS, & alii. Atque hi id maxime vrgent, quod Nebucadnezar, *Daniel. II. 37.* vocetur *rex regum, cui coelitus datum regnum, robur, imperium, &c.* Verum, cum hoc de eo dici potuerit, priusquam omnes illas gentes ſubiugaſſet, aut expeditionem in Aegyptum, de qua IOSEPHVS loquitur, ſuſcepiſſet, & nullum alias indicium exſtet, cur annus ſecundus monarchiae plenariae intelligi debeat, modus praeterea ille, annos regum ita computandi, inuſitatus ſit, rectius ſentiunt, qui annum ſecundum a morte patris, ſeu tempus illud, quo ſolus regnare coepit, intelligunt. Vſitatiſſimus enim eſt iſte annos computandi modus, a quo non temere diſcedendum; qui adeo, quin & Chaldaeis in more poſitus fuerit, non eſt, quod dubitemus; quos hic ſecutus eſt Daniel. Iudaei autem ab eo tempore, quo exercitui ſumma cum poteſtate praefectus, & a patre in conſortium imperii adoptatus eſt Nebucadnezar, annos eius computare ſolebant, eo quod iſto tempore iis maxime innotuiſſet. Hinc ſecundum illorum computationem annus Ioiakimi regis quartus inchoatus, erat primus Nebucadnezaris. Et ab eo quidem tempore, vsque ad annum ſecundum, quo poſt patris mortem ſolus regnauerat, tot omnino effluxere anni, quot requiruntur, vt, quae de Danielis & ſociorum inſtitutione, & ad miniſteria aulica promotione narrantur, contingere potuerint. Merito itaque hanc ſententiam calculo ſuo adprobat IAC. VSSERIVS, in *chronologia ſacra, annalibus* eius addita, *pag. 86.* & CONSTANTINVS L' EMPEREVR, in *annotationib. ad Iacchiadae paraphraſin in Daniel.* ad *cap. II. 1.* De tempore autem, quo Nebucadnezar a patre in conſortium imperii adſumtus fuerit, & quamdiu pater eius inde vixerit, adcurate diſputat ABRAH. CALOVIVS, in *chron. biblic. ſect. VI. quaeſt. XXVI. pag. 107.* Ad ſomnium itaque Nebucadnezari oblatum quod attinet, id quidem futurorum myſterio fuit admirabile, animusque regis eo valde conturbatus fuit, ſed cum expergefactus eſſet, eius recordari non potuit. Conuocari itaque iuſſit ſapientiae praeſtantiſſimos antiſtites & reconditarum artium magiſtros הרטומים ולאשפים ולמכשפים ולכשדים quibus nominibus, quinam indigitentur, deinceps explicabimus, cum de ſapientia & eruditione Chaldaeorum verba faciemus. Cum ergo coram rege comparuiſſent, rex ſomnii, quo valde mens eius conturbata eſſet, indicationem ab iis poſtulauit. Chaldaei iſti atque magi interpretationem ſomnii pollicentur, modo ſomnium ipſum ſibi indicaretur. Excidiſſe illud ſibi rex aiebat, eiusque adeo indicationem ſe poſtulare; quam ſi non ſuppeditarent, miſere omnibus pereundum, aedesque illo-

illorum prorſus deuaſtandas eſſe, maximis contra ſplendidisſimisque muneribus honoribusque adficiendos, ſi ſomnium ipſum, eiusque interpretationem ſuggererent. Comminatio iſta chaldaice ita exprimitur: הדמין תתעבדון quod frigide nimis vulgatus vertit: *peribitis vos.* Rectius IVNIVS: *in membra diſſecabimini.* Si verba ipſa exprimere velis, dicendum eſſet: *fruſta fietis*, cum הדמין *fruſta* denotet, ab הדם *membratim conſcindere, in fruſta ſecare ac diuidere.* Referunt huc nonnulli, quod *Matth. XXIV. 51.* dicitur: διχοτομήσει αὐτὸν, Dicitur porro: ובתיכון נולי יתשמון quod iterum vulgatus parum apte vertit: *& domus veſtrae publicabuntur.* Vertendum erat: *& domus veſtrae ſterquilinium ponentur*, ſeu in ſterquilinium redigentur. Vox נולי enim, quae hic pro נולית ponitur, *ſtercus, inquinamentum* ſignificat, a נול *turpiter egit, inquinauit, defoedauit.* Repetebant chaldaei, quod antea dixerant, interpretationem ſomnii ſe ſuppeditaturos, ſi modo ſomnium ipſum indicaretur. At nihil proficiebant. Regerebat enim rex, videre ſe, moras illos nectere atque tergiuerſari; idque callido quodam conſilio; animaduertentes enim, ſomnium regi excidiſſe, eius nihilo ſecius vrgere indicationem, vt hac ratione ex negotio hocce ſe expedirent; ſe itaque indicationem ab illis poſtulare, quam ſi non ſuppeditarent, vnam de omnibus & ſingulis fore ſententiam (חדא היא דתכון *vna eſt ſententia veſtra*) hoc eſt, vna eademque ratione omnibus pereundum eſſe; fraudis enim ac interpretationis ex compacto confictae merito eos argui, quippe qui exiſtiment, ſi vel maxime interpretatio fallat, tempus ipſum tamen facile rerum quandam adlaturum mutationem, quae periculo eos eximat; eo rectius itaque ſe ſomnii indicationem ab iis expetere, inde vt intelligere poſſet, interpretationem quoque veram eſſe. Chaldaei rurſus reſpondebant, nullum in terris exſiſtere hominem, qui indicare poſſet, quod rex iubebat, nec quenquam, quantumuis magnae & potentiae & auctoritatis, eſſe regem, qui a magis, chaldaeis, ſimilibusque hominibus, eiusmodi quid exigat. In textu originali eſt; מלך רב ושליט *rex magnus & potens*; quae tamen verba R. IOSEPH IACCHIADES pro diuerſis dignitatum nominibus accipit, vt ſenſus ſit, *nullum eſſe regem, quamuis multis prouinciis ac regionibus imperet; nec principem, qui ſcilicet in multas ciuitates vnius regionis imperium habeat; nec praetorem, qui vnius ciuitatis multos viros ſuo dominio ſubiectos habeat*, qui eiusmodi quid a magis aut Chaldaeis exigat. Sed prior praeferenda explicatio, cum manifeſtum ſit, hoc eos ſibi velle, nullum regem, quantumuis ſit longe potentiſſimus, eiusmodi quid a ſapientibus ſuis poſtulare. Addunt porro, id, quod rex a ſe poſtulet, ſomnii ſcilicet, cuius oblitus erat, indicationem, adeo arduam eſſe, vt non in hominum, ſed deo-

deorum ſaltem, *quorum non eſt cum hominibus habitatio*, poſitum ſit poteſtate. Vbi quidem R. SAL. IARCHI, R. ABEN ESRA, aliique per *deos* angelos intelligunt, eo quod de iis dici queat, quod *eorum habitatio non ſit cum hominibus*, vel, vt in chaldaeo dicitur: עם בשרא *cum carne*, hoc eſt, quod cum corporibus non habeant commercium. HVGO GROTIVS autem ita hoc interpretatur: *Illorum daemonum ſiue deorum aereorum, qui cum hominibus commercium habent, notitia eo vsque non pertingit. Haec res diis maioribus reſeruata eſt.* Ad veterum nimirum quorundam philoſophorum, Platonicorum praecipue, diuerſas daemonum, ſeu ſpirituum claſſes conſtituentium, ſententiam reſpicit. Verum, ſi vel maxime Chaldaeorum eadem ac Platonicorum, de diuerſis ſpirituum generibus fuerit ſententia, (qua de re nunc non diſputabimus) nullum tamen indicium adeſt, quo conſtet, hocce ſermone eos huc reſpexiſſe. Generatim enim deos, more gentilium πολυθεότητα ſupponentes, hominibus opponunt, illis ea vindicantes, quae his conceſſa negant. Vtque diſcrimen inter deos & homines indicent, illos inter hosce neutiquam commorari, adſerunt. Corruit hinc etiam ſententia R. SALOMONIS IARCHI, aliorumque, qui de angelis eos locutos exiſtimant. Quemadmodum autem in hocce Chaldaeorum ſermone quaedam ſunt erronea, dum & deorum multitudinem ſupponunt, & his rerum occultarum cognitionem ita tribuere videntur, ac ſi nemini mortalium ea reuelari queat; aliquid tamen veri ſubeſt, quod ſoli Deo rerum eiusmodi cognitio, quae in homines non cadit, conueniat. Qua veritatis confeſſione id effectum, vt deinceps Nebucadnezar eo minus dubitaret, Danielis Deum verum Deum eſſe, quippe qui occulta eiusmodi illi reuelauerat. Nebucadnezar audito iſto Chaldaeorum ſermone, in furorem coniectus, vt omnes Babylonis ſapientes ſine mora interficerentur, praecepit. Iamque paſſim iugulabantur, cum Daniel etiam ac ſocii eius ad necem quaererentur. Idque cum ab Ariocho militiae praefecto, cui regii mandati exſecutio demandata erat, didiciſſet, cauſſam, rationemque ſententiae iſtius crudelis & tantopere praecipitatae, ab eo exquiſiuit; quam cum percepiſſet, ad regem adiit, dilationemque ab eo ad certum diem petiit, facileque impetrauit. Hinc in domum ſuam reuerſus, cum tribus ſociis ſuis, Dei auxilium precibus lacrymisque implorat, vt tanto illos eximeret periculo. Nec irritae fuere preces. In nocturna enim viſione omne arcanum edoctus eſt. Laetus itaque, cum debitas Deo egiſſet gratias, Ariocho ſignificat, ſe ſomnium regis interpretaturum; deſineret itaque ſapientes Babylonis perdere, & ſe potius in conſpectum regis introduceret. Hoc cum extemplo factum eſſet, regem magna ob iſtam Danielis pollicitationem admiratione perculſum, ita adloquitur, vt iſtam ſomnii indicationem

nem ſupra mortalium facultatem poſitam fateatur. Deum vero hoc ſibi reuelaſſe, qui regem hocce ſomnio futurorum euentus condocere voluerit. Indicata hinc ſomnii occaſione, ſomnium ipſum enarrat, grandem nimirum ſtatuam, valdeque ſublimem & terribilem, regem vidiſſe, cuius caput ex auro optimo fuerit, pectus & brachia de argento, venter & femora ex aere, tibiae ferreae, pars denique quaedam pedum ferrea, pars autem fictilis; hanc vero dum rex contemplaretur ſtatuam, lapidem ſine manibus de monte abſciſſum eam percuſſiſſe, & ita comminuiſſe, vt aurum, argentum, aes, ferrum, teſta inter ſe commiſcerentur, & in puluerem redacta a vento diſſiparentur, vt ne veſtigium quidem eorum adpareret; lapidem autem, qui ſtatuam percuſſit, atque contriuit, factum montem ingentem, qui totum orbem impleuerit. Indicato hunc in modum ſomnio, Daniel interpretationem eius ſubiungit, quatuor ſcilicet imperia ſibi inuicem ſucceſſura, ſtatua iſta deſignata docens, ſingulorumque iſtorum imperiorum. characteres, ſecundum materiae, ex qua ſtatua illa conflata fuit, diuerſitatem exponens, per lapidem autem iſtum, qui ſtatuam contriuit, & in montem ingentem excreuit, coeleſte illud ac diuinum ſignificari regnum, oſtendens, quod ipſemet erecturus eſſet Deus, cuiusue nullus vnquam futurus eſſet finis. Et tantum quidem Deo hac de re Nebucadnezari reuelare placuit.

Quaenam autem iſta regna ſint, quae ſibi inuicem ſint ſucceſſura, donec coeleſte & ſpirituale regnum a Deo erigeretur, Daniel diſerte non addidit, ſed ex certis characteribus, accedente euentu, inueſtigandum nobis reliquit. Quade re vt aliquid addam, initio id quidem extra controuerſiam poſitum puto, non de ſingulorum regum, ſed regnorum ſeu imperiorum ſucceſſione, hic ſermonem eſſe. Verba enim diuini viri nimis aperta ſunt, quam vt aliter accipi queant. Vnde clariſſimi viri HERMANNI VON DER HARDT ſententia minime in cenſum venit; quippe qui in commentatiuncula quadam, de *quatuor monarchiis Babyloniae*, vt noui quid hac de re adferret, non tantum ſtatuam, Nebucadnezari in ſomnio oblatam, longe aliter, quam hactenus vnanimi fere conſenſu intellecta eſt, deſcribit, ſed & per eius partes non integra regna, ſed ſingulos reges, Nebucadnezari proxime ſucceſſuros, ſignificatos contendit. Qui vero de integris regnis ſeu imperiis, vt decet, hanc viſionem capiunt, nec ipſi vsquequaque inter ſe conſentiunt. Recepta plurimorumque calculis adprobata eſt illorum ſententia, qui quatuor ſumma imperia, quae vulgo eminentiori quadam ratione *monarchias* adpellitant, & pro maximis totius orbis habent, intelligunt, Aſſyrio Chaldaicum ſcilicet, Perſicum, Graecum & Romanum. ſub quo nomine recenſiores etiam Germanicum complectuntur. Verſati ex antiquis eccle-

ſiae doctoribus in hac opinione ſunt HIERONYMVS, AVGVSTINVS, THEODORETVS, EPIPHANIVS, aliique; cumprimis autem legi meretur, SVLPITIVS SEVERVS, *hiſtor. ſacr. lib. II. cap. IV.* Ex medii aeui ſcriptoribus eandem ſecuti ſunt ſententiam RVPERTVS TVITIENSIS, HAIMO HALBERSTADIENSIS, WALAFRIDVS STRABO, aliique; ex recentioribus etiam poſt B. LVTHERVM & PHILIPPVM MELANCHTHONEM, plerique ex noſtratibus, ſpeciatim IOANNES SLEIDANVS, in libello notiſſimo, de *quatuor monarchiis*, ſummorum virorum HENRICI MEIBOMII, AEGIDII STRAVCHII, CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII, ſtudio ac labore aucto & continuato. Romanenſium etiam plerique in eandem concedunt ſententiam, vt & haud pauci ex reformatae eccleſiae doctoribus, IOANNES CALVINVS ipſe, OECOLAMPADIVS, IOSEPHVS MEDVS, & cumprimis IOAN. COCCEIVS, de *anti-chriſto*, *pag. 56. ſeqq.* acriter contra eos diſputans, qui per quartum imperium, Lagidarum illud in Aegypto, & Seleucidarum in Syria, intelligunt. Ex Iudaeis etiam eidem ſententiae adſtipulatur R. IOSEPH IACCHIADES, cuius haec hac de re verba ſunt: ומלכות הד׳ הוא מלכות רומה אשר נחצה לשנים קצתו נוצרים וקצתו ישמעאלים *& regnum quartum eſt Romanorum regnum, quod in duo diuiſum fuit, vnum chriſtianorum, alterum Muhammedanorum; ad Dan. II. 45.* R. SAADIAS autem, R. SALOMO IARCHI, aliique ex eadem gente, per quartum imperium, regnum Gog, ſeu Turcicum, intelligunt, quibuscum & R. ABEN ESRA facit, turpiſſimo errore Graecorum & Romanorum regnum, pro vno eodemque habens. Et Iudaeos quidem ita ſentire, mirum non eſt, cum illorum ſententia, qui per vltimum imperium, Lagidarum illud ac Seleucidarum intelligunt, eorum, vtpote Meſſiam adhuc exſpectantium, errori, vel maxime ſit oppoſita. Fuerunt nihiloſecius, qui a recepta iſta, & tot virorum doctorum calculo comprobata ſententia diſcederent, de vltimo praeſertim imperio in diuerſum abeuntes, eo quod grauiſſimas obſtare cenſerent rationes, quo minus eo Romanum deſignari poſſit. Vt alios taceam, ipſe HERMANNVS CONRINGIVS illis, qui ita exiſtimant, adnumerandus eſt, in *exercitationibus academicis de republica imperii Germanici, exercitat. II. §. LIV.* itemque HVGO GROTIVS, ad *Dan. II. 40.* GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, *iſagog. chronolog. diſſert. I. cap. I.* VLRICVS HVBERVS, *diſſertat. de genuina aetate Aſſyriorum, pag. 141. ſeqq.* praeterea CONSTANTINVS L' EMPEREVR, in *notis ad Iacchiadae paraphraſin in Daniel.* ad *cap. II. verſ. 45.* DANIEL CHAMIERVS, *panſtrat. tom. II. lib. XVII. cap. IV. §. VIII.* ANTONIVS HVLSIVS, *theolog. iud. part. I. pag. 556. ſeqq.* Inter praecipuos etiam, qui aliis in communi ſententia reiicienda velut exemplum aliquod praeiuit, referendus eſt IOAN. BODINVS, contra quatuor vulgo ſic dictas monar-

chi-

chias acriter pugnans, de *republ. lib. IV. cap. II.* & in *methodo hiſtoriarum cap. VII.* refutatus ideo a MATTHAEO DRESSERO, in *oratione* de *monarchiis contra veterum Iudaeorum errorem, a Bodino renouatum.* Denique & IOANNES CHRISTOPHORVS BECMANNVS, vir doctiſſimus, illis adnumerandus eſt, qui quartum imperium non Romanorum, ſed Lagidarum ac Seleucidarum eſſe, exiſtimant, in *meditationibus politicis, cap. XXVI.* per integrum; cui iterum peculiarem, eamque eruditam diſſertationem, oppoſuit vir clariſſimus IO. GVILIELM. IANVS, in qua praeterea HERMANNI VON DER HARDT ſententiam ſupra memoratam, itemque auctoris obſeruationis, quae *part. II. obſeruat. Hallenſ. german. n. I.* exſtat, quaue pro quatuor monarchiis totidem inſigniores eccleſiae iudaicae conuerſiones, ſubſtituit, ex inſtituto profligat. Prodiit ea Wittebergae, anno M DCC XII, ſub titulo: *diſſertatio hiſtorico-politica, de quatuor monarchiis, qua recentiorum quorundam, nominatim I. C. Becmanni, H. Hardti, & obſeruat. Hallenſis ſententiae modeſte excutiuntur.* Ad rem ipſam quod attinet, ſi monarchiae nomine non quodlibet imperium magnum, ſed eiusmodi, quod ſimul ad veram Dei eccleſiam σχέσιν habeat, intelligatur, nihil magnopere obſtat, quo minus communis illa & recepta de quatuor monarchiis ſententia tolerari queat. Sed ſi ex ſola amplitudine, potentia aut diuturnitate aeſtimandae ſint, non quatuor, ſed longe plures admittendae erunt monarchiae, quippe *cum olim in Aſia iam ante Alexandrum tot numero floruerint ampliſſima imperia, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, non autem duo tantum, quod vulgo creditur; Aſia eadem poſt Romani imperii interitum itidem habuerit, hodieque ex parte habeat vaſtiſſima regna Saracenorum, Turcarum, Tartarorum, Perſarum & Sinenſium,* vt hac de re loquitur HERM. CONRINGIVS, *loc. cit.* Qua de re non temere quis hodie dubitauerit. Alia autem eſt quaeſtio, quaenam imperia in ſomnio iſto, Nebucadnezari oblato, fuerint indicata. De primo, quod ſit Babylonicum, ſecundo, quod ſit Perſicum, deque tertio, quod ſit graecum Alexandri magni, omnes fere inter ſe conueniunt, aut, ſi qui hic diſſentiant, in cenſum non veniunt, cum, quod pondus aliquod aut momentum habeat, proferre nequeant.

Supereſt itaque ſolum quaeſtio, de quarto ſeu vltimo regno, per quod qui Romanum intelligunt, rationibus non prorſus contemnendis nituntur: quod ſcilicet primo quidem characteres iſtorum regnorum communes, ſingularis quaedam prae omnibus aliis regnis eo tempore florentibus excellentia; ſucceſſio in eminentiam imperii, quod Nebucadnezar tenuit; reſpectus ad veram Dei eccleſiam, cuius praecipua ſedes in quarto iſto regno futura ſit, in Romanum imperium, quod per Germanos continuatum ſit, quam

optime quadrent; deinde quod & non minus, quae ſpeciatim de vltimo iſto regno dicuntur, illi conueniant. Rectiſſime namque Romanum imperium cum ferro omnia conterente & confringente, ob potentiam, quam conſecutum eſt in orbe, ſummam, & inuictum, quo enituit, robur, comparari. Idem vero etiam diuiſum fuiſſe, non ſolum in orientale & occidentale, ſed & in alia regna, a pleriſque gentibus, quae ei olim ſubiectae erant, deinceps conſtituta, vt Gallicum, Hiſpanicum, & reliqua. Quemadmodum autem pedes ſtatuae partim ferrei, partim lutei erant, vt ſemper aliquid ferri remaneret; ita regnorum, quae ex Romano imperio exorta ſunt, non vnam quidem eandemque eſſe conditionem, ſemper tamen aliquid priſtinae firmitatis, quod vltimo huic regno proprium ſit, ſupereſſe. Nec alienum prorſus a Romano imperio eſſe cenſent, quod *verſ. 43.* dicitur: *quod autem vidiſti ferrum miſtum teſtae ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhaerebunt ſibi, ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtae*, cum eo ſpectet connubium Conſtantini Irenes filii, cum Caroli magni filia, quam poſtea quidem inſtinctu matris Irenis dimiſerit; immo & ipſam Irenem nubere voluiſſe Carolo magno, ſimulque totius orientis imperium ei promiſiſſe, & quae alia ſunt eiusdem commatis. Habent tamen rurſus, qui ſecus ſentiunt, varia, quae huic ſententiae opponant. Praecipuum illud eſt, quod Romanum imperium iam pridem deſierit, cum tamen illi exiſtiment, hoc ad finem vsque mundi duraturum, eo, quod per regnum aeternum, quod Deus erecturus ſit, non regnum gratiae, ſed regnum gloriae, in aduentu Chriſti ad extremum iudicium erigendum, intelligunt. Cumque negare nequeant, occupata primum a Gothis, poſtea a Longobardis Italia, ipſaque Roma imperii ſede, expugnata, nec imperatoribus ipſis pleno obſequio ſubmittenda, Romanum imperium deſtructum eſſe, Germanicum in eius locum ſucceſſiſſe volunt, adeo, vt Romanum in Germanico ad finem usque mundi continuandum ſit. Sed an illud, quod de imperii Germanici in locum Romani ſubſtitutione dicitur, ſolido fundamento nitatur, de eo iam pridem viri doctiſſimi, rerumque ciuilium peritiſſimi, non ſine omni quidem, vt mihi videtur, ratione dubitarunt. Legenda, quae SEVERINVS DE MONZAMBANO, de *ſtatu imperii Germanici cap. I. §. XIV.* hac de re diſſerit, & quae ad *h. l.* diſputant viri doctisſimi, VLRICVS OBRECHTVS & IOANNES GEORGIVS KVLPISIVS. Nec quadrare ſatis in Romanum imperium videtur, quod de diuiſione regni quarti, & conatibus per matrimonia illud iterum coniungendi, dicitur. Quo minus enim diuiſio in orientale & occidentale imperium huc trahi queat, obſtat, quod non tantum materiae diuerſitas diſtinctionem, ſed digitorum, qui in pedibus ſunt, numerus, multitudinem, duo imperia

ria excedentem, haud obſcure arguat. Nec eſt, quod regna Europae florentisſima, Hiſpanicum, Gallicum, Britannicum opponas, cum haec cum Romano imperio nihil commune habeant, nec eius propagines dici commode queant. Conatus quoque, regna diuiſa coniungendi, eiusmodi intelligendi, qui non conſilia de matrimoniis, ſed matrimonia reuera inita, & eum quidem in finem, vt regna iſta coniungerentur, denotant, quod vix iterum de orientali & occidentali imperio, ſi adcurate loqui velis, probaueris. Atque haec quidem aliaque, vt contra receptam ſententiam vrgent, qui ſecus exiſtimant, ita vlterius, grauisſimas praeſto eſſe rationes, contendunt, quibus probari queat, quartum illud imperium non aliud eſſe, quam Lagidarum, & Seleucidarum. Communes ſane, quos ſupra poſuimus, characteres non minus in illud quadrare, quam in Romanum. Immo cum longe ſit veroſimillimum, eiusmodi apud Danielem indicari imperia, quae ſpeciatim ad eccleſiam populumque iudaicum, *σχέσιν* quandam habuerint, Lagidarum quidem & Seleucidarum optime hoc conuenire imperio, minime autem Romano. Idem & de ſpecialibus regni quarti characteribus manifeſtum eſſe. Regna enim iſta, quae poſt Alexandri magni obitum, in Aſia, Syria, Aegypto orta ſunt, diuiſa inter ſe fuerunt. Plurimum quoque regna iſta habebant roboris, vt cum ferro comparari poſſint. Quantum ad conterendas & comminuendas gentes valuerint, ipſimet Iudaei magno ſuo malo experti ſunt. Interim illorum reges inter ſe bella grauisſima atrocisſimaque gerebant, idque diuerſo euentu, vnde mox firma, mox fragilia dici poterant. Coniunctio quoque per matrimonia ſaepius tentata. Antiochus theos in matrimonium duxit Ptolomaei philadelphi filiam, Berenicem; Ptolomaeus epiphanes, filiam Antiochi magni, & Antiochi epiphanis ſororem Cleopatram; Alexander, qui ſe filium Antiochi epiphanis nominauit, filiam Ptolomaei philometoris. Nec tamen coaleſcere hac ratione inter ſe regna iſta poterant, quod bella cruentisſima teſtantur, de quibus in ſequentibus erit dicendi locus. Quod ſi vel maxime quaedam circa adplicationem difficultates occurrant, cogitandum, longe grauiores occurrere in adplicatione ad imperium Romanum. Ad haec omnia accedere aiunt, maximumque momentum trahere, quod praecipuus omnium prophetarum, & ipſius Danielis quoque ſcopus ſit, aduentum Chriſti in carnem, & regnum gratiae ab eo erigendum, praedicere. Eoque ſenſu ipſum dixiſſe ſeruatorem, *πάντες οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν*, *Matth. XI. 13.* Non ergo dubitandum, quin per lapidem a monte abſciſſum, qui deinceps mons ingens factus eſt, Chriſti natiuitas, regnumque gratiae, ab eo erectum, intelligendum ſit; immo eo minus hac de

re dubitandum, quod cuncta admodum concinne ad natiuitatem Chriſti, atque regnum gratiae, adplicari queant. Idque & ex noſtratibus agnoſcit AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. IV. loc. LXV. p. 793.* vbi contra chiliaſtas, quos vocant, docet, *per reuulſionem lapidis ſine manibus aduentum Chriſti in carnem innui, regnumque eius ſpirituale.* Si obiicias, *Daniel. II. 44.* diſerte dici: ביומיהון *in diebus regum illorum*, erigendum eſſe aeternum illud regnum; at Chriſtum natum eſſe, cum regna iſta Lagidarum & Seleucidarum a Romanis iam deſtructa eſſent; reſpondent, ſenſum alium eſſe non poſſe, quam hunc: *poſt dies regum illorum.* Namque & regnum gloriae, quod poſt ſeculi conſummationem incipit, non durante adhuc Romano imperio, ſed eo iam exſtincto, erigendum eſſe, haud dubie alterius ſententiae patroni concedent. Nec infrequens eſſe, vt particula ב ſignificet *poſt.* Id iam obſeruatum eſſe B. SAL. GLASSIO, *grammat. ſacr. lib. III. tract. IV. can. VI. pag. 763.* Sic *Num. XXVIII. 26.* dicitur: *Et in die primitiarum, cum offeretis munus nouum Iehouae,* בשבועותיכם *in ſeptimanis veſtris, conuocatio ſancta eſto vobis*, hoc eſt, poſt ſeptimanas veſtras, exactis ſeptem illis ſeptimanis, de quibus cautum eſt *Leuit. XXIII. 15. 16.* itemque *Eſa. XX. 1.* בשלוח *in mittere ipſum*, hoc eſt, poſt mittere ipſum, ſeu poſtquam miſiſſet eum. Pariter huc referri poteſt locus *Kohel. XI. 1. mitte panem tuum ſuper facies aquarum*, quia ברוב הימים *in multitudine dierum*, hoc eſt, vt viri quidam doctiſſimi interpretantur, *poſt multos dies*, inuenies eum. Sed mitto reliqua, quae pro vtraque ſententia in partem vtramque diſputari ſolent; cum praecipuas, quibus quaelibet nititur, ex hactenus dictis, rationes intelligere liceat.

Cum Daniel, vt ad eum nunc reuertamur, ſomnium regi indicaſſet, eiusque ſubiunxiſſet interpretationem, rex haud dubie recordans, illud ipſum ſomnium fuiſſe, quod ſibi oblatum eſſet, & hinc de interpretationis veritate conuictus, prolapſus in faciem Danielem adorat, iubetque illi hoſtias, incenſum & libamina offerri. Non ipſi Danieli, ſed Deo Danielis, quem verum Deum eſſe agnouerat, hunc a Nebucadnezare exhibitum honorem, nonnulli contendunt, adeoque verba: ולדניאל סגד vertunt: *& apud Danielem*, ſeu *coram Daniele adorauit*; eoque verſio B. LVTHERI noſtri tendit. Ad minimum certum eſt, ſi ipſum Danielem rex adorare, honoresque diuinos ei exhibere voluiſſet, hoc eum non permiſſurum fuiſſe. Hinc &, etſi rex praeceperit, vt hoſtiae, incenſa & libamina illi offerrentur, id tamen factum eſſe, nullibi legitur. Turpiſſima itaque eſt PORPHYRII calumnia iſta, qua Danielem in ſuſpicionem ſtultae & impiae ambitionis, honorisque illiciti ſibi exhibiti, aut adprobati, aut certe non repudiati, adducere voluit, apud HIERONYMVM, ad *h. l.* Nebucadnezar vero

vero egregiam etiam de vero Deo confeſſionem edidit, vere Deum Danielis eſſe Deum deorum, & dominum regum, palam pronuntians, qui arcana ſolus reuelare queat, cum ingens hocce myſterium Danieli reuelauerit. Ad maximas hinc in aula Nebucadnezaris dignitates euectus eſt Daniel, ampliſſimisque muneribus cumulatus, immo toti prouinciae Babyloniae praefectus: ורב סגנין על כל—חכימי בבל *ſupremus antiſtes illorum, qui ſapientibus Babelis praefecti erant*, conſtitutus eſt. Sed hoc quoque precibus eius rex indulſit, vt, cum ipſi quidem Danieli in aula regis manendum eſſet, vt ſemper in rebus maximi momenti gerendis praeſto eſſet, reliqua Babylonicae prouinciae negotia tribus eius ſociis, Sadrach, Meſchach & Abednego committerentur. Tam egregia autem iſta opportunitate, adflictis ciuium ſuorum rebus ſuccurendi, quin Daniel vna cum ſociis ſtrenue vſus ſit, non eſt, quod dubitemus. Qua quidem in re, vt ſingularem Numinis admiremur prouidentiam, par eſt. Priusquam vero ea, de quibus hactenus fuſe diximus, contigerunt, iam alio quodam, ſi nonnullos audias, facinore, memorabili & prorſus diuino, Daniel inclaruerat. Mirabilem illam Suſannae, feminae caſtiſſimae, adulterii falſo accuſatae, conſeruationem innuo, in *hiſtoria Suſannae*, quae inter libros apocryphos exſtat, deſcriptam. Hanc enim ad prima captiuitatis tempora, cum Daniel puer adhuc duodecim annorum eſſet, adeoque nondum cum ſociis, in litteris ac ſapientia Chaldaeorum inſtrueretur, referunt. SVLPITIVS SEVERVS, cum *captiuitatis tempora prophetarum vaticiniis atque actibus illuſtrata*, dixiſſet, *maxime itaque*, inquit, *Danielis egregiam ad conſeruandam legem perſeuerantiam, & in abſolutionem Suſannae diuino conſilio, ceteraque ab eo geſta, ordine perſequemur; hiſtor. ſacr. lib. II. cap. I.* qui & *cap. II.* ipſam hancce hiſtoriam enarrat. Fueritne res iſta reuera geſta, an docendi gratia conficta? dubitatum iam olim fuit. Certe IVL. AFRICANVS, cuius exſtat *epiſtola ad Originem de hiſtoria Suſannae*, a IO. RODOLFO WETSTEINIO, cum *Origenis dialogo contra Marcionitas*, aliisque eiusdem opuſculis, an. M DC LXXIV edita, veram hanc eſſe hiſtoriam, diſerte negauit, variisque rationibus, quae tamen non omnes eiusdem ſunt ponderis, comprobauit. Fecerunt id deinceps & illi, qui hiſtoriam illam Suſannae, quae iam olim tantum in verſione LXX interpretum, & graeca illa Theodotionis exſtitit, pro ſpuria, quaeue Danieli perperam tribueretur, habuerunt. Et vix ſane ſibi perſuadebit, veram hanc hiſtoriam eſſe, qui ſequentia ſecum ponderauerit: I) Iudaeis in captiuitate Babylonica conſtitutis conſeſſus & iudicia, immo facultatem iudicia capitalia exercendi, tribui, quod profecto vel ab omni ſpecie veroſimilitudinis abhorret; II) Ioiakimo Suſannae marito, recens Babylonem delato, tribui diuitias, domus, pomaria, & alia, quae homi-

Digitized by Google

hominibus non ita pridem in captiuitatem abductis non conueniunt; III) Danielem ex hocce maxime facinore nominis claritatem apud omnes adeptum, quod rurſus non conuenit cum iis, quae *Dan. I.* legimus; IV) tum nomen ipſum Suſannae, quod *lilium* ſignificat, tum pleraſque narrationis circumſtantias, aperte fabulam redolere. Quae ad haec reſponderi ſolent, non magni ſunt momenti, adeoque iis non immorabimur. Obſeruari equidem ex HIERONYMO ſolet, fuiſſe, qui alium Danielem, a propheta diuerſum, ſacerdotem ſcilicet quemdam, filium Abda, Suſannae vindicem facerent. PORPHYRIO namque, adiectionum, quae Danielis nomen perperam prae ſe ferunt, praetextu, veram Danielis prophetiam oppugnanti, ita reſpondet: *Porphyrio Euſebius, & Apollinarius pari ſententia reſponderunt, Suſannae Beliſque ac draconis fabulas non contineri in ebraico, ſed partem eſſe prophetiae Habacuc, filii Ieſu, de tribu Leui; ſicut iuxta ſeptuaginta interpretes in titulo eiusdem Belis fabulae ponitur: homo quidam erat ſacerdos, nomine Daniel, filius Abda, conuiua regis Babylonis; cum Danielem & tres pueros de tribu Iuda fuiſſe, ſancta ſcriptura teſtetur. Vnde & nos ante annos plurimos, cum verteremus Danielem, has viſiones obelo praenotauimus, ſignificantes, eas in ebraico non haberi; prooem. comment. in Dan.* Sed reſpondet PETR. DANIEL HVETIVS, titulum illum, ab HIERONYMO memoratum, ad Beli ſolum & draconis hiſtoriam pertinere; EVSEBIVM vero & APOLLINARIVM ad Suſannae etiam hiſtoriam ex coniectura, vti quidem veroſimile ſit, extendiſſe, quaſi nempe vtraque hiſtoria ex prophetia Habacuci huius depromta ſit; & idem Daniel, ſacerdos nempe Abdae filius, Suſannam ſeruauerit, & Belum ac draconem confecerit; praeterea dici non poſſe, ipſos ſeptuaginta interpretes titulum hunc hiſtoriae Beli a ſe graece conuerſae praefixiſſe, neque id adſerere HIERONYMVM, qui potius alio in loco ſuſpicetur, hanc ipſam Danielis interpretationem, quae ſenibus ſeptuaginta tribuebatur, ab aliquo chaldaicae linguae imperito, hoc nomine fuiſſe falſo editam; *demonſtrat. euangel. part. I. propoſ. IX. pag. 407.* Repetit haec NATAL. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. mundi IV. diſſertat. I. pag. 322.* Interim, ſi vel maxime alius Daniel, quam propheta intelligeretur, inde tamen narrationis iſtius veritas, obſtantibus, quas iam attulimus, rationibus, probari non poſſet.

Inter ea, quae pro veritate iſtius hiſtoriae adferri poſſunt, praecipuum eſt, quod nec ipſi Iudaei eam negent. Duos enim ſenatores Iudaeos, Achabum & Sedekiam (haec enim nomina eorum fuiſſe, ex *Ierem. XXIX. verſ. 22.* colligunt) quod multas mulieres ebraeas conſtupraſſent, & Suſannae etiam pudicitiam attentaſſent, mortis ſupplicio adfectos, referunt, non quidem lapidatione, ſed viuicomburio, idque non decreto Iudaeorum, ſed ipſius

ipſius Nebucadnezaris, eo, quod ſupliciorum capitalium poteſtas non penes Iudaeos fuerit, ſed penesChaldaeos. Conueniunt fere haec cum iis, quae ORIGENES, ſe ab ebraeo quodam accepiſſe, narrat, nempe vulgata traditione inter populares eius ferri, defloccatos illos & impudicos ſenes, ebraearum mulierum pudicitiae hac arte illudere fuiſſe ſolitos, cum apud eas in priuatis colloquiis identidem praedicaret vterque, conceſſum ſibi a Deo, vt Chriſtum gigneret, id ſupinis auribus accipientes ſimplices feminas, corporis ſui copiam impiis viris ſine mora feciſſe; at Suſannae caſtitati cum pari aſtu eſſent inſidiati, vafritiem illorum prudentiſſimam feminam eluſiſſe; nomina ſenibus illis fuiſſe Achiab & Zedekias; in *reſponſione ad epiſtolam Africani*, *pag. m. 234*. Sed & R. DAVID GANZ iſtius rei mentionem iniicit in *Zemach Dauid*, ad annum MMM CCC XXX; vt adeo, quin apud Iudaeos nota fuerit, dubitare non liceat. Haec vero omnia noſtrae non obſtare cauſſae videbit, qui ſequentia ſecum expenderit: I) narrationem iſtam Iudaeorum multis modis diſcrepare a narratione, quae in *hiſtoria*, quam vocant *Suſannae*, exſtat; in quibusdam etiam maiorem habere veriſimilitudinis ſpeciem, dum e. g. ſeniores iſtos non ab ipſis Iudaeis, ſed a Nebucadnezare, capitali adfectos ſupplicio, referunt. II) in eadem tamen narratione Iudaeorum perperam ſupponi, duos iſtos ſeniores, qui Suſannam ad adulterium ſollicitarunt, fuiſſe Zedekiam illum atque Achabum, quorum *Ierem. XXIX. 22.* mentio iniicitur, cum praeter adulterii exprobrationem, & ſupplicium capitale, non a Iudaeis, ſed Nebucadnezare ipſo illis illatum, nihil ſit, in quo cum Suſannae illis delatoribus conueniant; qua de re legenda, quae ex inſtituto CHRISTIAN. SCHOTANVS diſputat, *biblioth. hiſt. vet. teſtam. tom. II. p. 1071.* III) nihil aliud, ſi cuncta, quae Iudaei dicunt, admittantur, inde colligi poſſe, quam fabulam iſtam iam antiquis temporibus iis notam fuiſſe, aut contigiſſe forte olim aliquid, quod commento eiusmodi occaſionem dedit. Danielem autem, quod caput cauſſae eſt, Suſannae fuiſſe vindicem, eo minus inde probari poteſt, quod nec ipſimet hoc dicant Iudaei. Hiſtoriam vero, quae exſtat, Suſannae, Iudaeos pro genuina non agnoſcere, notum eſt, eo quod in codice ebraeo non exſtet; quod cum & ORIGENES obſeruaſſet, in eam ingreditur ſententiam, Iudaeos hancce narrationem ex libro Danielis ſuſtuliſſe, eo quod progenitoribus ſuis parum eſſet honorifica, in *reſponſ. ad epiſtolam Africani*, *p. m. 231.* ORIGENIS hac in re veſtigia premit PETR. DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. II. propoſ. IV. p. 411.* Quod non temere quis ſibi perſuaſerit, praeſertim ſi cogitauerit, quanta Iudaeorum in textus ſacri integritate conſeruanda iam olim fuerit diligentia, quanta religio. Longe rectius dicitur, eam de Suſanna hiſtoriam nunquam in codice ebraeo exſtitiſſe,

tiſſe, indeque porro colligitur, eam inter ſcripta apocrypha & ſpuria referendam, quod & in ſequentibus ex inſtituto demonſtrabitur. Tandem & patrum, quos vocant, ſeu veteris eccleſiae doctorum, qui iſtam Suſannae hiſtoriam pro vera habuerunt, auctoritas opponi ſolet, ſpeciatim IGNATII; qui diſerte huius rei mentionem facit in *epiſtola* ad *Magneſianos* §. *III. pag. m. 56.* ex edit. IO. BAPT. COTELERII; itemque ORIGENIS, ATHANASII, aliorumque, quorum loca NATAL. ALEXANDER adfert, *hiſt. eccl. vet. teſt. aetat. mundi VI. diſſert. I. p. m. 321.* Sed generatim ad hoc reſponderi poteſt, patrum non magnam in hac controuerſia eſſe auctoritatem, quippe qui criticae artis non ſatis periti, facile induci potuerunt, vt ſcripta ſpuria pro genuinis amplecterentur. Speciatim ad IGNATIVM quod attinet, in genuina eius ad Magneſianos epiſtola ne verbum quidem hac de re legitur, ſed locus, in quo mentio iſtius rei inicitur, tantum in interpolata exſtat. Reliquis denique patribus alii patres opponi poſſunt, ſiquidem iam antea ex HIERONYMO obſeruauimus, EVSEBIVM atque APOLLINARIVM, narrationem hanc de Suſanna inter fabulas referre. Sed mittimus reliqua, quae adhuc dici poterant, cum haec ſufficiant, & nobis nunc ad alia transeundum ſit.

§. II.

Poſt aliquod autem temporis interuallum, tempeſtas quaedam Iudaeis imminebat, ſtatua a Nebucadnezare erecta, ad quam adorandam omnes omnium prouinciarum magnates & proceres euocabantur. Id vero cum Danielis ſocii, Sadrach, Meſach & Abednego facere nollent, in fornacem quidem ignitum coniecti, at ingenti miraculo ſeruati, rectius de gente iudaica ſentiendi, & veri Dei notitiam commendandi, occaſionem regi Babylonico praebuerunt. Iidem etiam in muneribus & dignitatibus ſuis non tantum confirmati, ſed & ad maiores euecti, non vna ratione Iudaeorum promouere potuerunt commoda. *

* Quando Nebucadnezar ſtatuam iſtam erexerit, quae ingenti huic miraculo, de quo dicturi ſumus, occaſionem praebuit, a Daniele non indicatur. Aliquot iam poſt Danielis exaltationem effluxiſſe annos, cum hoc fieret, non eſt, quod dubitemus. Nec a vero prorſus abhorret, factum hoc ab eo, cum ſubacta Syria, Tyro, Aegypto, aliisque gentibus perdomitis, pace iam & tranquillitate frueretur, & tum ob tot victorias, tum etiam ob imperii magnitudinem facile, vt ſe efferret, induci poterat. Idque & SVLPITIVS SEVERVS indicat, cum, *hoc tractu temporum*, inquit, *Nabuchodo-*

chodonoſor elatus rebus ſecundis, ſtatuam ſibi auream immenſae magnitudinis poſuit, adorarique eam, vt ſacram effigiem praecepit; *hiſtor. ſacr. lib. II. cap. VI.* Nimirum, quod ſtatuam hanc in honorem ipſius Nebucadnezaris erectam putat, in eo & HIERONYMVM, & CHRYSOSTOMVM, & plurimos ex recentioribus ſecum conſentientes habet; nec abludit a vero, cum probabilior eius rei cauſſa temere adferri nequeat. Nec incredibile, Nebucadnezarem, ambitione lymphatum, eo vsque ſtultitiae progreſſum, vt in ſtatua iſta diuinos ſibi exhiberi voluerit honores, cum & alios principes ipſumque Alexandrum magnum, idem feciſſe conſtet. Idem etiam ſtultae ambitionis, quae edidit, exempla reliqua a Daniele litteris conſignata, facile ſuadent. Haud dubie etiam iſto regis adfectu abuſi ſunt, tum adulatores, ad ſtolida quaeuis eum impellentes, tum Iudaeorum, forte & Danielis ac ſociorum eius, inimici, ad ea regem inducentes, quae vt ei grata, ita Iudaeis ſimul, Danieli cumprimis & ſociis eius, extremam adferre perniciem apta erant. Sunt tamen, qui non ipſius Nebucadnezaris, ſed aut Beli, aut alterius cuiusdam idoli hanc ſtatuam fuiſſe, exiſtimant; immo ſunt, qui, Nebucadnezarem verum Deum, ob ſomnii mirabilem reuelationem, hac ſtatua honorare voluiſſe, contendunt, quod tamen vel hoc nomine admitti nequit, quia triumuiri illi confeſſores, *verſ. 28.* verum Deum a diis Nebucadnezaris, & a ſtatua illa, quam ab iis adorari volebat, diſerte diſtinguunt. Parum etiam probabile eſt, ſtatuam, quam in ſomnio Nebucadnezar vidit, occaſionem dediſſe ſtatuae, quam erexit. Haec enim cum tota aurea fuerit, illius imaginem non retulit, niſi dicere velis, Nebucadnezarem, cum felicitatis ſuae continuationem in poſteris optaret, hoc ipſo ſomnium velut irritum declarare, & interpretationem propheticam falſi arguere voluiſſe, quorſum redeunt, quae THEODORETVS hac de re commentatur; quod tamen omni prorſus deſtituitur fundamento. Iam, quod ad ipſam hancce ſtatuam auream attinet, altitudinem eius cubitorum ſexaginta, latitudinem ſex cubitorum fuiſſe, Daniel nos condocet. Cubitum Babylonicum regium tribus digitis maiorem communi fuiſſe, ex HERODOTO conſtat, *libr. I. p. 32.* Qui ſi & hic intelligatur, ſequetur, altitudinem coloſſi huius fuiſſe cubitorum vulgarium ſexaginta ſeptem cum dimidio; adeoque licet coloſſum Rhodium, qui cubitorum erat ſeptuaginta, non aequauerit, nec coloſſum Neronis, cuius longitudo centum & decem pedum erat, teſte PLINIO, *hiſtor. natur. libr. XXXIV. cap. VII.* inter maximos tamen totius orbis referendum eſſe. R. IOSEPH IACCHIADES in numero ſexaginta & ſex myſterium quaerit, ac ſi indicatum eſſet, idolum hoc exundare in ſex mundi plagas, ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, ad *h. l.* Quod ingenio rabbinico dignum eſt. Non

Digitized by Google

minus vero frigidum eſt, quod IRENAEVS hic veſtigium numeri DC LXVI, quo antichriſtus deſignatur, ſibi inueniſſe viſus eſt, *lib. V. cap. XXIX. p. m. 446.* De proportione inter altitudinem & latitudinem, eo minus erimus ſolliciti, quod dubium adhuc ſit, an artifices ea aetate proportionem tam adcurate obſeruauerint. Statuit Nebucadnezar coloſſum huncce בבקעת דורא *in valle Dura, prouinciae Babylonicae.* Vocem *Dura*, vt diuerſimode SYMMACHVS, THEODOTION, LXX exprimunt, ita, num fluuii, an vrbis, an ipſius loci vel tractus, nomen fuerit, viri docti inter ſe non conueniunt. CONSTANTINVS L' EMPEREVR vallem hanc ne quidem in tota Babylonia ſtricte ſic dicta, ſed in Suſiana fuiſſe, ex PTOLOMAEO, *lib. VI. cap. III.* colligit, quippe qui *πεδίον Δέηρα* in Suſiana fuiſſe ſcribit, *μεταξὺ τῆς χαλταπότιδος καὶ τῆς Κισσίας, inter Chaltapetim & Ciſſiam*; hinc & voces מדינת בבל in latiori ſignificatione accipit, vt omnes prouincias regno Babylonico ſubiectas denotent, in *notis ad Iacchiadem cap. III. 1. pag. m. 57.* Sed vix probare poterit, voces מדינת בבל tam latam ſignificationem admittere; parumque profecto adcurate Daniel locutus eſſet, ſi Suſianam deſignaturus, *prouinciam Babelis* dixiſſet. Veriſimillimum, Dura ipſius vallis ſeu planitiei nomen fuiſſe, vt R. SAL. IARCHI quoque cenſet.

Solemni itaque ritu ſtatuam conſecraturus, omnes imperii Babylonici proceres congregari voluit; quorum vt diuerſi fuere ordines, ita diuerſis quoque nominibus exprimuntur; quorum primum eſt אחשדרפניא alterum סגניא, tertium פחותא, quartum אדרגזריא, quintum גדבריא, ſextum דהבריא, ſeptimum הפתיא, quibus denique adduntur כל שלטוני מדינתא *omnes principes prouinciarum.* Haec vero nomina quid ſibi velint, non ſatis conſtat; adeoque, quod diuerſimode a diuerſis reddantur, mirum non eſt. Cumque adcuratiori Babylonici regni notitia deſtituamur, coniecturis ſolum, ex incerta vocum iſtarum origine petendis, locus conceditur, quae vt lubricae ſunt, ita eadem qua adferuntur, reiiciuntur facilitate. Si quis autem, quae probabilitate quadam hac de re dici poſſunt, ſcire aueat, is CONSTANTINVM L' EMPEREVR adeat, in *notis ad Iacchiadem, cap. III. v. 2. p. m. 59.* Quo pacto haec nomina ex lingua Perſica declarari queant, oſtendit AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. IV. loc. LXVI. p. 795.* Ipſe quidem R. IOSEPH IACCHIADES in officiis ac dignitatibus imperii Turcici ſe inueniſſe talia ſibi perſuadet, quae hiſce nominibus explicandis inſeruiant, ſimulque Turcicum imperium cum Babylonico veteri, ſi officiorum diſpoſitionem ſpectes, conuenire. Sed ſi qualiscunque officiorum conuenientia ad hoc ſufficit, non minus ex Germanici imperii officiis ac dignitatibus, haec explicare licebit. Omnibus itaque proceribus hiſce congregatis, & coram ſtatua iſta ſtantibus, praeco

alta

alta voce iis ceteriſque, qui ex omnibus gentibus & nationibus aderant, ſignificauit, eo ipſo temporis momento, quo inſtrumentorum muſicorum ſonum audituri eſſent, procumbendum illis eſſe, ad ſtatuam auream, quam Nebucadnezar ibi conſtituerat, adorandam, quod ſi quis huic regis mandato morem non geſſiſſet, eum extemplo in fornacem ignitum mittendum eſſe. De inſtrumentis muſicis, quorum hic mentio iniicitur, legenda, quae ad *h. l.* commentatur MARTINVS GEIERVS. Nos id ſolum obſeruamus, cum inter iſta inſtrumentorum muſicorum nomina, graeca quaedam occurrant, vero haud abſimile videri, in aula Babylonica muſicos graecos vixiſſe, qui iſta inſtrumentorum nomina ſecum attulerunt. Quidquid enim ſit de inuentione muſices, apud Graecos eam magis, quam Aſiaticos homines excultam, ea praeſertim aetate, qua Daniel vixit, non eſt, quod dubitemus. Nec contemnenda tamen coniectura HVGONIS GROTII, vocabula haecce graeca inde eſſe, quod iam ante Danielem magnae & Aeolum & Ionum coloniae in Aſiam deductae, graecas illas voces ibi ſparſiſſent. Concentu itaque inſtrumentorum muſicorum perſtrepente, omnes, qui aderant, procubuerunr, ad adorandam ſtatuam, exceptis triumuiris illis, Danielis fociis. Daniel enim ſiue negotiis diſtrictus, ſiue aliam ob cauſſam, non aderat. Hoc cum viri quidam Chaldaei, haud dubie ex proceribus, & Danielis ac ſociorum fortunae inuidentes, animaduerterent, ſine mora ad regem accedunt, & Iudaeos iſtos, ſeu Danielis ſocios, ceu regii mandati transgreſſores, accuſant. Rex iſta percipiens Sadrachum, Meſachum & Abednegonem adduci iuſſit, animique illis exprobrata pertinacia, quod nec deos ſuos colere, nec ſtatuam auream adorare vellent, vt, quam primum iterum inſtrumentorum muſicorum concentum audituri eſſent, ſtatuam ſine mora adorarent, iuſſit; ni facerent, in fornacem ignitum extemplo eſſe coniiciendos. *Et quis*, inquit, *eſt Deus*, *qui eripiet vos de manu mea?* quibus quidem verbis ſummam animi ſtoliditatem prodit, dum deos ſe colere profitetur, eos vero tam impotentes credit, vt neminem de manu ſua eripere poſſint; tacite vero ſe ipſum diis aequipararc videtur. Tum vero triumuiri iſti confeſſores cordate & libere, operoſa reſponſione ſibi non eſſe opus, profitentur; nullatenus ſe dubitare, quin verus Deus, quem colant, ex fornace ignito eos liberare poſſit, quod ſi vero & facere nollet, ſe nihiloſecius in eius cultu conſtanter perſeueraturos, nec aut deos alios, aut ſtatuam regis adoraturos. Iſtam *παῤῥησίαν* ſui interpretans contemtum, rex faſtu turgidus, in ſummum furorem coniectus, fornacem ſeptuplo magis, quam conſueuerat, ſuccendi iuſſit, virisque, quos in exercitu habebat, robuſtiſſimis praecepit, vt ligatos ſine mora in fornacem ignitum coniicerent. Ligati itaque ſunt בסרבליהון cum *chlamydibus* ſeu *pal-*

liis ſuis, פטישיהון *femoralibus ſuis* וכרבלתהון & *tiaris* ſeu *capitis tegumentis*, ולבושיהון *& indumentis ſuis*, ſeu *veſtimentis*, *quae prioribus ſuperinduebantur infra pallium.* Ita enim R. IOSEPH IACCHIADES haec vocabula explicat, ad *h. l.* Alii autem aliter ea interpretantur. Dum vero in fornacem mittebantur, flamma erumpens viros illos, qui hocce miniſterio iuſſu regis fungebantur, abſumebat.

Quod dum contingebat, rex, qui haud dubie in loco quodam excelſo ſedebat, vt cuncta adcurate conſpicere poſſet, non tantum negotii iſtius adminiſtros concrematos, ſed & in fornace quatuor viros ſolutos liberosque deambulare videbat, cum tres ligatos in eum demiſiſſent. Magna hinc conſternatione perculſus, & oculis vix fidem habens, ſurrexit propere, vt ad fornacem accederet, & ad proceres, qui adſtabant, *nonne*, inquit, *tres viros miſimus in ignem compeditos.* Proceribus id adfirmantibus, *ecce ego*, inquit, *video quatuor viros ſolutos & a flamma ignis prorſus illaeſos*, *& ſpecies quarti ſimilis filio Dei*; hoc eſt, quarti ſpecies longe auguſtior ac praeſtantior eſt, quam hominum eſſe ſolet, adeoque ſpiritus cuiusdam ſiue angeli eſſe videtur. Cum enim Chaldaei aeque ac Platonici, aliique ethnicorum philoſophi, ſpiritus ſeu angelos agnouerint, qui & deorum vel daemonum nomine iisdem veniebant, quin haec Nebucadnezaris mens ſententiaque fuerit, vix eſt, quod dubitemus. Hinc & R. IOSEPH IACCHIADES hoc ita exprimit: ותאר הרביעי דומה למלאך אלהים *& forma quarti ſpeciem refert angeli Dei.* Immo deinceps *verſ. 28.* diſerte de angelo explicatur: *benedictus Deus eorum* דישלח מלאכה *qui miſit angelum ſuum.* Nonnulli, vt IVSTINVS, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, aliique veterum, ipſum Chriſtum Dei filium, ceu angelum increatum hic intelligunt, qui futuris paſſionibus ſuis praeluſerit. Nec quidquam ſane obſtat, quin ipſe angelus increatus fuerit: ſi vero ſimul adſeratur, Nebucadnezarem eum intellexiſſe, dicendum fuerit, a Daniele illum notitiam eius accepiſſe, quod & POLYCARPO LYSERO veroſimile videtur, in *fornac. Babylon. p. 201. & 204.* Legenda & quae pro hac ſententia diſſerit MARTINVS GEIERVS, itemque ABR. CALOVIVS, vterque ad *Dan. III. 24.* Ad fornacem itaque cum rex acceſſiſſet, triumuiros illos confeſſores, quos *ſeruos Dei excelſi* vocat, egredi iubet; quod cum feciſſent, proceres omnes, qui aderant, adcurate eos contemplati, nullum ignem aut in corpora aut veſtimenta eorum vim habuiſſe, animaduerterunt, adeo vt nec leuiſſimum veſtigium, immo nec odor adustionis cuiusdam in iis deprehenderetur. Ingens hoc fuiſſe miraculum, nemo dubitauerit: de modo tamen, num vrendi vis igni ademta, an corpora confeſſorum contra eum ita fuerint munita, ne eum ſentirent, cum is a nemine mortalium inueſtigari queat, diſceptare velle, ſuperuacane-

um

um foret. Legi ea apud GISB. VOETIVM poſſunt, *diſputat. ſelectar. tom. II. pag. 1010.* Cum vis illa vrendi, & corpora combuſtibilia deſtruendi, quam in igne conſpicimus, certis motus legibus a Deo ſancitis, nitatur, Deo naturae auctori, qui iſtas leges conſtituit, facile quoque fuit, eas iterum ad certum tempus ſuſpendere. Nebucadnezar iſta perſpiciens, in veri Dei laudes effuſus, eum ſolum dignum eſſe, qui ab omnibus colatur, & adoretur, agnouit, ſimulque decreto ſanciuit, ſi quis ex omnibus gentibus populisue imperio ſuo ſubiectis, blaſphemiam contra verum Deum Israelis prolaturus eſſet, eum membratim diſcerpendum, domumque eius in ſterquilinium conuertendam eſſe, eo quod nullus Deus eſſet, qui ita ſaluare poſſet. *Nondum auſus,* inquit ad *h. l.* HVGO GROTIVS, *deos imperii ſui exauctorare, interim, quod non parum eſt, vetat maledici Ebraeorum Deo, quem tam potentem cognouerat.* Quod nimis ieiunum eſt. Dum enim contra Deum Israelis conuicia proferre prohibuit, ſimul ſignificauit, eum ſolum verum Deum, adeoque ab omnibus colendum eſſe; vnde falſorum deorum non poterat non quaedam ſua ſponte ſequi exauctoratio. Ita triumuiri illi confeſſores non tantum ingens euaſerunt periculum, ſed opibus etiam nouisque honoribus ac dignitatibus cumulati, maiorem adhuc opportunitatem adflictis captiuorum Iudaeorum rebus conſulendi, conſecuti ſunt. In capite hocce tertio Danielis, quod narrationem hancce nobis ſuppeditauit, in verſione graeca, quae LXX interpretum nomine venit, quamuis Danielis verſio, quam hodie habemus, reuera ſit Theodotionis, itemque in verſione latina vulgata, poſt *verſiculum 24.* hymnus Azariae exſtat; ſed, cum ille in textu ebraeo non legatur, merito inter ſcripta apocrypha refertur, de quibus in ſequentibus erit dicendi locus.

§. III.

Cum vero nec ingenti iſto miraculo, nec aliis Numinis beneficiis, quibus cumulatus erat, animus Nebucadnezaris immutatus eſſet, quo minus ſtolida quadam & feroci arrogantia ſe efferret, Deo alia quadam ratione ſuperbiam eius edomare placuit. Omni enim rationis vſu per dementiam & furorem orbatus, regnoque & ſocietate hominum pulſus, & in ſolitudinem abiectus, vt gramine quoque quadrupedis inſtar veſceretur, bruto, quam homini factus eſt ſimilior. Poſt ſeptem demum annos ſibi ipſi & regno reſtitutus, potentiam veri Dei non modo ipſe agnouit, ſed, vt alii quoque agnoſcerent, operam dedit. Quod vt captiuis Iudaeis honori fuit, ita omnibus veri Dei cultoribus ingens haud dubie attulit ſolatium. *

* Rem

* Rem omnem ipſemet enarrat Nebucadnezar, in publico quodam atque ſolemni ſcripto, ſeu epiſtola, ad omnis orbis populos atque gentes directa, quam integram Daniel *cap. III.* exhibuit, vt de narrationis veritate eo minus dubitari poſſet. Quid permouerit Nebucadnezarem, vt haecce fata ſua omnibus manifeſtaret, ipſemet ſtatim ab initio indicat, ſuarum ſcilicet ſe duxiſſe eſſe partium, ſigna & mirabilia, quae Deus feciſſet, quaeue ipſemet expertus eſſet, omnibus indicare. Ad tempus, quo haec contigerant, quod attinet, etſi diſerte non commemoretur, ex eo tamen colligi quodammodo poteſt, quod de ſe ipſo dicit: *Ego Nebucadnezar, quietus eram in domo mea, & tranquillus in palatio meo.* Tranquillus enim atque pacatus regni ſtatus his verbis ſignificatur, adeoque, quin bellis omnibus, quibus tot populos vicerat, finitis, hoc contigerit, non eſt, quod dubitemus. Contigiſſe etiam hoc poſt ſeruatos in fornace ignito triumuiros confeſſores, vel ordo a Daniele obſeruatus ſuadet. Nonnulli, vt IAC. SALIANVS, & AVGVSTINVS TORNIELLVS, vlterius progrediuntur, annoque regni eius trigeſimo quinto ſomnium, quo abiectio eius ac reſtitutio ſignificabatur, illi oblatum contendunt. Poſt ſomnium enim integer annus elapſus eſt, priusquam rationis vſu ſpoliaretur; quod cum factum eſſet, per annos ſeptem eo in ſtatu permanſit; adeoque anno nono & ſibi & regno reſtitutus eſt: poſt reſtitutionem non diu admodum eum vixiſſe, veroſimile putant, eum haud dubie multa in gloriam Dei, & gentis iudaicae commodum, facturum fuiſſe exiſtimantes, quae Daniel ſilentio non fuiſſet praetermiſſurus. Cum ergo per annos XLIV rerum ſummam tenuerit, nono circiter ante regni finem anno, ſomnium hoc ei oblatum fuiſſe, colligunt. Atque haec & nobis minime reiicienda videtur ſententia.

Somnium vero quod regi oblatum, erat de arbore grandi & patula, quam decretum vigilum, proclamante angelo, iuſſerit exſcindi, relicta radice. Hoc cum ſapientiae profeſſores, rerumque arcanarum interpretes, qui Babele erant, explicare non poſſent, Daniel aduocatus; qui, cum ſomnium ipſum a rege accepiſſet, obſtupuit, voxque illi ad horam haeſit. De Daniele verba faciens, rex dicit: *cui nomen Beltſchazar*, כשום אלהי *ſecundum nomen Dei mei.* Belum nimirum Babyloniorum idolum indicat, quod qua ratione *Deum ſuum* adpellitet, cum in eo ſit, vt veri Dei notitiam omnibus populis gentibusque commendet, dubitari poſſet. Quodſi nonnullos audias, animum ab idololatriae ſordibus non ſatis purgatum prodere videtur, indeque porro colligunt, quam difficile ſit, animi vitium, quod inueteratum nimis eſt, exuere. At, ſi quis in mitiorem partem hoc accipere velit, dicere poſſet, regem hac locutione illud ſolum reſpexiſſe tempus, quo nominis facta

erat

erat impoſitio, quo omnino Bel adhuc erat Nebucadnezaris deus; pari ratione ac Matthaeus, *Matth. IX. 9. X. 3.* vocetur *publicanus*, non quod publicanus adhuc eſſet, ſed quod antea publicanus fuiſſet. De eodem Daniele rex dicit, quod habeat רוח אלהין קדישין *ſpiritum deorum ſanctorum*; quod ex mente quidem gentilium de ſpiritu, Pythones, Sibyllas, vatesque alios & ἐγγαστριμύθες agitante, intelligi poterat; ſed cum Nebucadnezar in eo ſit, vt ſummi verique Dei laudes celebret, praeſtat, de veri Dei ſpiritu, prophetas ſingulari quadam ratione adflante, monente, illuminante, & omnis generis donis ſpiritualibus exornante, cuius notitiam ab ipſo Daniele accipere potuit, hoc capere, qui & ſubinde in libris veteris teſtamenti *ſpiritus Dei*, item *ſpiritus ſanctitatis* vocatur. Hinc & graeca verſio, quae ſub nomine LXX interpretum exſtat, hoc ita exprimit: *ὃς πνεῦμα θεῦ ἅγιον ἐν ἑαυτῷ ἔχει* Non praetermittendum quoque hic eſt, quod *verſ. 10. & 14.* עירין *vigilum* mentio fiat. Quo nomine hic angelos ſignificari, res ipſa docet, poſitumque eſt extra controuerſiam. Rationem, cur angeli *vigiles* dicantur, Ebraeorum magiſtri, ABEN ESRA, SALOMON IARCHI, & IOSEPH IACCHIADES hanc reddunt, quod corpore deſtituti indeſinenter vigilent, nec vnquam dormiant. Addi poterat, quod creatori ceu miniſtri ſemper adſtent, eiusque excipere & exſequi mandata parati ſint; itemque, quod circa homines etiam, maxime pios, cuſtodum ſemper munere fungantur; *pſalm. XCI. 11. CIII. 20.* Per vigilem autem, qui *verſ. 10.* de coelo deſcendiſſe dicitur, bonum intelligi angelum, eo minus dubitari poteſt, quod idem & ſanctus vocetur: עיר וקדיש *vigil & ſanctus*, hoc eſt, vigil ſanctus. Nec aut inſolens, aut a natura bonorum angelorum alienum, vt Deus eorum in iudiciis ſuis exercendis vtatur miniſterio. Dum vero *verſ. 14.* in *ſententia vigilum decretum* dicitur, quod Nebucadnezari contigit, non ita hoc intelligendum, ac ſi angeli auctoritatem vna cum Deo aliquid decernendi habeant, aut hominum non minus ab iis, quam a Deo, fata pendeant, quae Iudaeorum quorundam eſt ſententia, ſed *decretum vigilum* vocatur & eſt, decretum vnius ac ſolius *excelſi*, *verſ. 21.* quod *vigilibus ſiue angelis*, *ſolenniter quaſi promulgauit, ita, vt nunc non amplius ſit arcanum, ſed a vigilibus, tanquam ſanctum & iuſtum ſolenniſſime adprobatum*; vti B. MARTINVS GEIERVS loquitur, ad *Daniel. IV. 14.*

Ad rem ipſam vt reuertamur, cum Daniel attonitus ſtaret, & vix verbum proferre poſſet, a rege ipſo animatus, vt libere enuntiaret, quidquid eſſet, vaſta arbore regem ipſum notari, ſignificat, qui ramos ſuos quaqua verſum latiſſime panderet; vigilis ſancti verba, iubentis arborem exſcindi, non exciſa radice, & quae idem de vinculis aeris & ferri adiecerat, itemque de eiectione in agrum

ſub dio, ad ſeptem temporum terminum, Numinis de rege indicare decretum, quo is eiiciendus ſit ab hominibus, adeo, vt in agro inter feras beſtias ſit commoraturus, gramine, quadrupedum inſtar, pro cibo vſurus, ſub dio etiam dies noctesque transacturus, perque ſeptem annos in hocce eum permanſurum ſtatu, donec Numinis potentiam eſſet agniturus, & penes illum quod ſtet diſpenſare regna, eaque tribuere, cuicunque velit; radix autem arboris quod exſciſa non ſit, hoc ipſo indicari, regno illum, poſtquam ad ſe rediiſſet, & reſipuiſſet, reſtituendum eſſe. Tandem conſilium ſaluberrimum ſubiungebat Daniel, quo regem condocebat, quid illi agendum eſſet, ſi imminens malum effugere vellet. *Quamobrem*, inquiebat, *rex*, *conſilium meum placeat tibi*: וחטיך בצדקה פרוק ועויתך במחן ענין *& peccata tua iuſtitia abrumpe*, *& iniquitates tuas miſericordia erga pauperes; & ecce! prorogatio* (erit) *tranquillitatis tuae*. Vulgatus interpres, priora verba reddit: *& peccata tua eleemoſynis redime &c.* Vnde Romanae eccleſiae ſacris addicti concludunt, bonis operibus, ſpeciatim eleemoſynis, vim quandam peccata expiandi, & gratiam Numinis promerendi, ineſſe, & hinc ſatisfactionem, quam vocant, operis, partem poenitentiae conſtituunt. Legenda, quae praeter alios copioſe hanc in rem diſſerit ROBERTVS BELLARMINVS, cardinalis, *libr. IV. de poenitentia cap. VIII.* Verum, vt vim verborum non recte capiunt, ita vulgati interpretis coeco impetu ſequuntur errorem. Etſi enim verbum פרק interdum *liberandi* & *redimendi* ſignificationem habeat, ea tamen tum demum locum inuenit, cum ad perſonam in miſeria conſtitutam, & calamitatum vinculis conſtrictam, refertur, vt *II. Samuel. IV. 9. pſalm. XX. 7. XXXIV. 7.* alibique. Hic vero de vitiis ſeu peccatis ſermo eſt, quibus eiusmodi liberatio tribui nequit. Rectius itaque in *abrumpendi*, vel *ſeparandi* ſignificatione vox haec hic accipitur, quae & alias non eſt infrequens; vt *Exod. XXXII. v. 2. 24.* פרקו *abrumpite inaureis aureas*, *Num. I. 51.* יפורקון *abrumpent*, *vel auellent illud a ceruicibus ſuis*, *&c.* Ad vocem צדקה, quod attinet, etſi aliquando pro eleemoſyna ſeu liberalitate erga pauperes accipi queat, proprie tamen *iuſtitiam* denotat, quae cur & hic locum habere nequeat ſignificatio, nulla adferri poteſt ratio. Senſus namque verborum Danielis hic eſt: poenitentiam age, eiusque vt demonſtres fructus, *abrumpe peccata tua iuſtitia*, hoc eſt, deſiſte a peccatis tum reliquis, tum iniuſtitia, eiusque loco iuſtitiae operam naua, ne innocentes, vt hactenus factum, opprimantur, vel alia quacunque ratione homines imperio tuo obnoxii, per tuam aut miniſtrorum tuorum auaritiam, violentiam, crudelitatem, laedantur; & *iniquitates tuas* (abrumpe) *miſericordia erga pauperes*, cum hactenus pauperum nullam curam geſ-

geſſeris, mentis mutationem, peccatorum deteſtationem, fidemque tuam liberalitate & benignitate tua erga pauperes oſtende, &c. Pluribus haec exſequuntur, & Romanenſium prauas loci huius detorſiones, praeter MARTINVN GEIERVM, aliosque interpretes, explodunt, IOANNES HVLSEMANNVS, *man. Auguſt. confeſſ. pag. 429.* ABRAH. CALOVIVS, ad *h. l.* it. *crit. ſacr. pag. 455.* IOAN. BENEDICTVS CARPZOVIVS, *iſag. ad libros ſymbolicos, pag. 285.* THEODORVS HACKSPANIVS, *miſcellan. lib. I. cap. VIII.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. IV. loc. LXVIII. pag. 803.* Locumne huic Danielis conſilio Nebucadnezar dederit, an illud ſpreuerit, non liquet. Sunt, qui prius ex eo colligunt, quod integer elapſus dicatur annus, priusquam euentu, quae Daniel ei praedixerat, comprobarentur. Poenitentiam nimirum eum quidem egiſſe putant, idque ea, qua Daniel ſuaſit, eum teſtatum ratione; ſed, cum ad priſtinam mentem, anno elapſo rediiſſet; Deum quoque, quae comminatus fuerat, immiſiſſe. Ita Ebraeorum fere doctores ſentiunt, ſpeciatim IOSEPH IACCHIADES, ad *h. l.* itemque HIERONYMVS, & ex recentioribus praeter alios HVGO GROTIVS, ad *h. l.* At non adeo firmo haec ſententia nititur talo; cum etiam dici queat, Deum integri anni ſpatium Nebucadnezari dediſſe, vt ſerio reſipiſceret, quemadmodum eundem in finem cxx annos hominibus antediluuianis, & quadraginta dies Niniuitis conceſſit; ſed cum Nebucadnezar conſilium illud Danielis in minimis poneret, deque mente mutanda ſerio non eſſet ſollicitus, poenam tandem termino, quem Deus conſtituerat, elapſo, fuiſſe ſecutam. Ita ſane THEODORETVS, CHRYSOSTOMVS, CYPRIANVS, aliique hoc capiunt.

Anno ergo elapſo, contigit, vt Nebucadnezar in palatio ſuo (haud dubie loco eius editiori, vnde vrbem, vel magnam eius partem deſpicere poſſet) deambulans, eiusque, vt & vrbis magnificentiam contemplans, animo elatus in haec verba erumperet: *haec eſt magna illa Babel, quam ego aedificaui in domum regni, in robore fortitudinis meae, & in gloria decoris mei.* Babylonem iure meritoque magnam dicere poterat, cum inter maximas orbis vniuerſi vrbes, ſi non primum, certe haud vltimum locum teneret. Fidem fere ſuperant, quae veteres, HERODOTVS, *lib. I. cap. CXCI.* DIODORVS SICVLVS, *lib. II. pag. 68.* PLINIVS, *hiſt. nat. lib. VI. cap. XXVI.* Q. CVRTIVS RVFVS, *lib. V. cap. I.* de vrbis huius magnitudine tradunt, quae & in compendio SAMVEL BOCHARTVS exhibet, in *Phaleg. lib. I. cap. XII.* Dum autem Nebucadnezar dicit: די אנא בניתה *quam ego aedificaui*, de amplificatione haud dubie & exornatione vrbis, non prima exſtructione, hoc eſt intelligendum. Iampridem enim ante eum vrbem hanc exſtructam fuiſſe, abunde ex iis conſtat, quae ſupra ad *period. II. ſect. II §. XVIII.*

XVIII. pag. 776. de eius origine diſputauimus. Nec dubium, quin ſub eius anteceſſoribus magna iam incrementa acceperit. Sed homo ambitione lymphatus, & ſui ipſius immemor, ita loquitur, ac ſi ob quasdam amplificationes, & ornamenta quaedam adiecta, totam vrbem exſtruxiſſet, omniaque ita ſolus ſua ſapientia, ſua potentia perfeciſſet, vt nec aliis hominibus, multo minus Deo, vllae in hocce opere tribuendae eſſent partes. Quae eius ſtultitia, ſumma cum improbitate coniuncta, tanta erat, vt Numinis non poſſet non extemplo prouocare vindictam. Nondum enim loqui deſierat, cum vox de coelo audiretur; *abibit a te regnum tuum, ab hominibus eiicient te, erisque cum beſtiis, &c.* Statim quoque ipſa ſecuta eſt poena, eaque omnia euenerunt, quae Daniel ei praedixerat. Quod vt eo rectius intelligatur, obſeruandum, poenam hanc in eo praecipue conſtitiſſe, quod in furorem coniectus, omnique rationis vſu plane priuatus ſit. Nec enim aliud quid verba *verſ. 13. cor eius ab humano immutetur;* innuunt; ſiquidem *cordis* nomine operationes animae rationalis in ſcriptura ſacra venire ſolent. Hoc vero dicitur mutandum מן אנשׁא *ab homine*, hoc eſt, ne humanum maneat, vel quale alias hominum eſſe ſolet. Atque ita porro intelligendum, quando dicitur: *cor ferae illi dandum.* Belluina namque indoles, ſtupiditas, ſaeuities, & reliqua, quae brutorum animantium propria ſunt, deſignantur, Hanc cordis mutationem ſecuta etiam eſt quaedam operationum, corpori propriarum, immutatio, vnde & factum, vt alimentis, quibus iumenta nutriri ſolent, veſceretur: *& gramen vt bos comedit.* Vulgatus habet *foenum*, quod durum nimis videtur, cum in chaldaeo ſit עשׂבא *herba*, quae tum ratione caulium atque foliorum, tum ratione radicum ſuarum intelligi poteſt. Qua quidem ratione interdum homines vitam prorogaſſe, notum eſt. Quod de eiectione eius in agrum dicitur, id ita intelligendum, hoc tum demum factum, cum reliqua media ferociam atque furorem eius compeſcendi fruſtra adhibuiſſent. Nimirum, cum furor primum eum inuaderet, haud dubie ex conclauibus regiis in locum, vbi cuſtodiri ac teneri poſſet, eum abduxerunt; morboque inualeſcente, catenis & vinculis conſtrinxerunt; quae tamen vincula, cum rabiem magis exaſperarent, vt fieri ſolet, remota deinde rurſus videntur, vt libera diuagatio in ampliſſimo quodam campo, ſepto haud dubie muroue cincto, & in quo manſuetiores beſtiae alebantur, concederetur. In campo enim quibusuis patente ſi commoratus fuiſſet, a ferarum beſtiarum, quae aliorum animantium carnibus nutriuntur, vt leones, pardi, inſultibus vix tutus eſſe potuiſſet. Quodſi, quae diximus, obſeruentur, conciliari facili negotio inter ſe poſſunt, quae prima fronte pugnare videntur. Catenis enim aeneis ferreisque eum conſtringendum Daniel praedicit,

verſ.

verſ. 20. & nihiloſecius libera in campo diſcurſatio illi tribuitur. Nimirum initio catenis conſtrictus fuit, quibus cum malum exaſperaretur, remotis iis, ab hominum commercio ſeparatus prorſus, ac in campum muro concluſum extruſus eſt. Non itaque neceſſe eſt, ad allegorias confugere, & catenas ac vincula, aut de inſolubili decreto diuino, quod regem arcte conſtrinxerit, aut, quae aliorum eſt ſententia, de caſtigatione duriſſima explicare. Ad dubia, quae hic moueri poterant, recte reſpondet HIERONYMVS: *quaerunt a nobis, quomodo in vinculis ferreis fuerit Nebucadnezar, aut quis eum vinxerit, & compedibus alligauerit, cum perſpicuum ſit, omnes furioſos, ne ſe praecipitent, & alios ferro inuadant, catenis alligari; ad h. l.* Ita ergo remoto ab hominum conſortio Nebucadnezare, & inter beſtias manſuetiores degente, non poterant non reliqua, quae de eo narrantur, contingere, vt & corpus eius rore coeli rigaretur, ſeu coeli iniuriis atque tempeſtatibus quibusuis expoſitum eſſet, & capilli eius pariter ac vngues in magnitudinem plane inuſitatam excreſcerent. Atque haec cum ita ſe habeant, haud dubie falluntur magnopere, qui Nebucadnezarem reuera in beſtiam mutatum exiſtimant, ita vt in locum formae humanae belluina ſucceſſerit, quibus exemplum praeiuit GREGORIVS MAGNVS, *lib. V. moral. cap. VII.* aeque ac illi, qui interius equidem formam humanam cum retinuiſſe, ſed qua externam ſpeciem in beſtiam mutatum docent, vt pſeudo-EPIPHANIVS, ac pſeudo-DOROTHEVS, de *prophetis pag. m. 461.* qui omnino monſtrum ex eo faciunt, anterioribus membris & capite boui ſimilem fuiſſe, pedes autem cum poſterioribus leonem retuliſſe, ridicule non minus, quam inepte, adſerentes. Horum vero vt ſua ſe futilitate commenta produnt, ita in alterum extremum procurrunt, ſimulque a verbis diſertis ſcripturae diſcedunt, qui nullam prorſus mutationem contigiſſe putant, ſed imaginationem ſaltem Nebucadnezaris atra bile turbatam cenſent, vt ea, quae narrat, ſibi contigiſſe, falſa perſuaſione ductus crederet, quae nunquam tamen contigerint. Ita PETRVS POMPONATIVS, de *incantat. cap. XII.* & FRANCISCVS VALESIVS, de *ſacra philoſ. cap. LXXX.* Sed & hoſce, vti & reliquos ad paradoxa declinantes, perſpicua & genuina ſacri textus, quam antea ſuppeditauimus, explicatio, ſatis refellit.

Septem tandem annorum elapſo ſpatio, reſtitutio regis ſecuta eſt, cuius primum ſignum fuit *oculorum in coelum eleuatio.* Hoc ipſemet indicat: *Igitur poſt finem dierum ego Nebucadnezar oculos in coelum leuaui.* Cum hactenus bruti inſtar vixerat, oculos quoque in terram, ad quaerendum cibum, quo delectabatur, defixos habuerat. Cum ergo rationis vſus rediret, primum fuit, vt coelum adſpiceret, coelique ſimul dominum, & conditorem huius vniuerſi, agnoſceret;

ret; quippe quod creaturarum ratione vtentium, proprium eſt. Dum porro additur: ומנדעי עלי יתוב & *cognitio mea*, *ſeu ratio*, *reddita eſt mihi*, confirmatur inde, quod antea diximus, rationis ſaltem vſu priuatum fuiſſe Nebucadnezarem, ſeu furore laboraſſe, neutiquam autem per neſcio quam metamorphoſin in beſtiam mutatum. Deinceps equidem dicitur: וזיוי יתוב עלי, quod vulgatus reddit: *& figura mea reuerſa eſt ad me;* ſed cum vox זיו *ſplendorem* denotet, de gloria, honore, dignitate hoc eſt intelligendum, de qua illum loqui, praecedentia quoque teſtantur. Hanc vero reſtitutionem ſuam Nebucadnezar, qua mentem rationisque vſum, qua imperium & cuncta fortunae bona, ita commemorat, vt ſimul Numinis potentiam, magna animi ſubmiſſione celebret, & ſoli Deo omnem gloriam, honorem, laudem, tribuendam agnoſcat. An in pia iſta animi ſententia ad finem vitae vsque perſtiterit; itemque, an ſerio omnem idololatriam eiurauerit, & ſaluatus ſit? non conſtat. Adfirmant quidem illud HIERONYMVS, *epiſt. VII.* AVGVSTINVS, *epiſt. CXI.* ne quid de pſeudo-EPIPHANIO, & pſeudo-DOROTHEO dicam; quibus & ex recentioribus quidam Romanae eccleſiae doctores accedunt. At praeſtat, rem in medio relinquere, quod & NATALIS ALEXANDER facit, *hiſt. eccl. vet. teſt. aetat. mundi VI. cap. I. art. I. p. 231.* Interim ſapientiam Numinis & hic vt admiremur, par eſt, quod cuncta ita diſpenſauit, vt plurimis gentibus populisue occaſio ad veri Dei notitiam perueniendi ſuppeditaretur, & piis inſuper in gente iudaica viris, in captiuitate conſtitutis, ingens hac ratione ſolatium, & in rebus aſperis leuamentum, adferretur.

§. IV.

Mortuo, anno imperii quadrageſimo quarto, Nebucadnezare, ſumma rerum ad Euilmerodachum filium eius peruenit; qui Iechoniam vinculis exemtum, inter reges clientelares praecipuo loco eſſe voluit, ſimulque, quae ad regium cultum neceſſaria erant, ſuppeditauit. Vt ergo animum hac ratione beneuolum erga Iudaeos demonſtrauit; ita eorum ſub hocce rege tolerabilem admodum fuiſſe conditionem, vt credamus, par eſt. *

* Euilmerodachum, ſeu, vt alii vocant, Euilmaraduchum Nebucadnezaris & filium & ſucceſſorem fuiſſe, non tantum ex canone Ptolomaico conſtat, ſed & BEROSVS idem teſtatur, apud FLAVIVM IOSEPHVM, *lib. I. contra Apion. pag. 1044.* & apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. libr. IX. cap. XL.* itemque MEGASTHENES apud EVSEBIVM, *loc. cit. cap. XLI.* De Iechonia

chonia quod diximus, eum ab Euilmerodacho vinculis exemtum, & liberaliter habitum fuiſſe, ex *II. reg. XXV. 27.* & *Ierem. LII. 31.* notum eſt. Quod HIERONYMVS ex Iudaeorum traditione refert, Euilmerodachum, patre Nebucadnezare mente capto & inter beſtias degente, per ſeptem annos imperium adminiſtraſſe, poſtquam vero pater reſtitutus fuit, vsque ad eius mortem cum Iechonia rege Iudae, in vinculis fuiſſe, tandemque mortuo patri ſucceſſiſſe, ad *Eſa. XIV. 19.* inter Iudaeorum commenta referendum eſt. Ex Iechoniae liberatione colligas, eum animo a Iudaeis minime alieno fuiſſe. Addunt nonnulli, Danielem quoque ipſius gratia floruiſſe. Quodſi BEROSO apud FLAVIVM IOSEPHVM, *l. c.* fides habenda, Euilmerodachus imperium ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς *iniuſte & proterue* adminiſtrauit. Sunt, qui Euilmerodachum eundem cum Belſazare faciunt, quibus & IO. MARSHAMVS ſuffragatur, in *can. chron. ſect. XVIII. pag. 597.* Sed rationes, quae hoc perſuadeant, ab iis non adlatas video. Longe rectius, quae de Belſazare Daniel narrat, in Laboroſoarchodum quadrant. Sane Belſazar filius Nebucadnezaris vocatur. Sed ita etiam Laboroſoarchodus, eius ex filia nepos, vocari potuit. Quamdiu Euilmerodachus imperium tenuerit, non conueniunt inter ſe ſcriptores. SVLPITIVS SEVERVS anno regni duodecimo eum mortuum, auctor eſt, *hiſtor. ſacr. libr. II. cap. VI.* FLAVIVS IOSEPHVS omnino annos octodecim illi tribuit. Sed praeſtat BEROSVM ſequi, qui duorum ſaltem annorum imperium eius fuiſſe, auctor eſt.

Nonnulli, quos inter NATALIS ALEXANDER eſt, *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtam. aet. mundi VI. c. I. art. I. p. 231.* Beli quoque & draconis hiſtoriam, quae in additamentis Danielis exſtat, ad tempora Euilmerodachi referunt. Facile namque vidit, abſurda plurima inde ſequi, ſi ad Cyri tempora haec referantur, ad quae tamen referenda ſunt, ſi verbis diſertis, quae in hac narratione exſtant: *cum rex Aſtyages conceſſiſſet ad maiores ſuos, Cyrus Perſa regnum eius accepit*, fides habenda. Editio equidem graeca Theodotionis, & latina ſecundum exemplar Toletanum, haecce verba cum extrema parte hiſtoriae Suſannae coniungunt, ſed ſyriaca & arabica verſio, hiſtoriae Beli & draconis rectius praemittunt, vt ita, quae de Belo & dracone narrantur, ad Cyri tempora hic referri, intelligamus. Sed tota haec de tempore, quo iſta contigerint, controuerſia ſuperuacanea eſt, cum inter fabulas iſta referenda ſint, atque commenta inania, quod ex ipſis patribus, quos vocant, EVSEBIVS, APOLLINARIVS, HIERONYMVS, aliique agnouerunt. Verba HIERONYMI, quibus & EVSEBII & APOLLINARII ſententiam refert, & ſuam exponit, ſupra iam ad §. *I.* cum de Suſanna loqueremur, exhibuimus. Sane, quae de cibo Beli, de idolo eius Danieli tradito & deſtructo, de ratione, qua Daniel ſacerdotum fraudes detexit, & quae reliqua ſunt eiusdem generis,

Digitized by Google

generis, narrantur, fabulam tam aperte redolent, vt obeſae naris eſſe oporteat, qui haec non olfaciat. Ad draconem autem quod attinet, a Daniele interemtum, & quae hinc conſecuta ſunt Danielis in foueam coniecti, indeque liberati fata, longe eſt manifeſtiſſimum, auctorem narrationis iſtius nihil aliud egiſſe, quam vt veram hiſtoriam, quae *Daniel. VI.* exſtat, commentis quibusdam illepidis prorſus atque inſicetis deformaret. Quae auctor ille de bolo ſeu placenta cocta draconi ingeſta, deque miro eius effectu; de Habacuci prophetae, crinibus ſuſpenſi, deportatione in foueam leonum, & quae eiusdem ſunt generis, refert, tam friuola ſunt, vt nihil magis friuolum aut dici aut cogitari poſſit. Talia, qui pro veris hiſtoriis venditant, & quod maius adhuc, partem ſcripturae canonicae conſtituunt, nihil aliud agunt, quam vt totam ſcripturam ſacram impiorum hominum ludibrio exponant. Nec expedient ſe ſecus ſentientes ex difficultatibus, quibus premuntur, ſi vel maxime dicant, Danielem, de quo iſta narrantur, diuerſum eſſe ab eo, quem ſcriptura canonica memorat, quemadmodum & HIERONYMVS, *loco* ſupra *citato*, obſeruauit, in titulo Belis fabulae, Danielem iſtum a LXX interpretibus vocari *ſacerdotem*, *filium Abdae*, aut, ſi idem Daniel intelligendus ſit, eundem bis in foueam leonum deiectum. Ex collatione enim horum additamentorum cum libro prophetico manifeſtum eſt, de iſto Daniele, qui ob ſummam in aula regia dignitatem ſatraparum odia in ſe concitauit, & cuius ſocii in fornacem ardentem coniecti leguntur, ſermonem eſſe. Eundem vero Danielem in foueam bis coniectum eſſe, ſemel a Dario, iterum a Cyro, fruſtra adſeritur, eoque minus admitti poteſt, quo plura adſunt veſtigia, quae oſtendunt, narrationem de iis, quae ſub Cyro contigiſſe dicuntur, expreſſam eſſe ex vera illa hiſtoria, quae ſub Dario contigit. Addunt nonnulli, etſi magna gentilium circa ſerpentes fuerit ſuperſtitio, Babyloniis tamen a nemine, ſi a narrationis huius auctore & IOSEPHO BEN GORION diſcedas, draconis vel ſerpentis cultum tribui; qua de re in ſequentibus erit dicendi locus; conf. IOANNES SELDENVS, de *diis Syris*, *ſyntagm. II. cap. XVII.*

§. V.

At mox alia ſucceſſit rerum facies. Euilmerodachus enim a Neriglíſſoro, ſororis marito, ſublatus, percuſſori regnum reliquit; hic vero poſt quadriennium Laboroſoarchodo Nebucadnezaris ex filia nepoti, quem Daniel Belſazar vocat. * Durior tum haud dubie fuit Iudaeorum captiuorum conditio, abſente ab aula Daniele, & praefe-

praefecturam, vt nonnullis videtur, in Perſia, & quidem in Suſan ad fluuium Vlai, ſaltem ad tempus aliquod, adminiſtrante, aut priuatam ibi degente vitam.**

* Sequimur hic iterum BEROSVM, cuius de Babylonicorum regum ſucceſſione locum conſeruauit FLAVIVS IOSEPHVS, *libr. I. contra Apionem p. 1044.* & EVSEBIVS, *praeparat. euangel. libr. IX. c. XL.* De Euilmerodacho enim dicit: ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ τοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτοῦ Νηριγλισσοροόρου ἀνῃρέθη, βασιλεύσας ἔτη δύο· *inſidias paſſus a Nerigliſſoroore, ſuae ſororis marito, peremtus eſt, cum regnaſſet annis duobus.* Tum de Nerigliſſoroore pergit: *illo ſublato Nerigliſſoroor, qui ei inſidias fecit, regnum ſumſit, & regnauit annos quatuor.* Tandem de Laboroſoarchodo ſubiicit: *Huius filius Laboroſoarchodus, puer exſiſtens, principatum tenuit menſibus nouem, ſed quod maligno ingenio fuiſſe videretur, amicorum inſidiis interfectus eſt. Hoc peremto coniuratores conuenientes regnum communi ſuffragio tradidere Nabonnedo cuidam, qui fuit ex eadem Babyloniorum coniuratione.* Nabonnedum ex Nebucadnezaris familia non fuiſſe, ſed ea potius deleta, regnum ad ſe rapuiſſe, diſerte indicat. Vnde ſequitur, eum ipſum fuiſſe Darium Medum, quod & in ſequentibus vlterius confirmabitur. Sequitur porro, Laboroſoarchodum vltimum fuiſſe ex familia Nebucadnezaris, adeoque eundem cum Belſazare Danielis. Interim recte nonnullis obſeruatum, Nerigliſſorum tutoris nomine, loco Belſazaris annos quatuor, vt BEROSVS habet, vel vt alii, quinque, regnum adminiſtraſſe, quos quidem annos Daniel ipſi Belſazari tribuit. Vnde nulla inter BEROSVM & Danielem pugna eſt: quorum ille imperio Laboroſoarchodi ſeu Belſazaris nouem tantum menſes, hic autem aliquot annos tribuit. Cum BEROSO conſentit MEGASTHENES apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XLI.* Nebucadnezari enim filium Euilmaluruchum ſucceſſiſſe auctor eſt, qui a Nerigliſſore, ſororis eius viro interfectus ſit, cuius filius fuerit Labaſſoaraſcus; hoc vero etiam nece violenta ſublato, regem creatum Nabannidochum, *nulla cum eo adfinitate coniunctum*, cui Cyrus, Babyloniae potitus, Carmaniae praefecturam conceſſerit. SVLPITIVS equidem SEVERVS Balthaſarem ſeu Belſazarem potius Euilmerodachi fratrem minorem facit; *hiſtor. ſacr. lib. II. cap. VII.* Alii aliter adhuc de Nebucadnezaris ſucceſſoribus ſentiunt. Sed cur a BEROSO & MEGASTHENE diſcedere debeamus, nullam rationem video. Accedit enim, quod illorum ſententia facili negotio cum hiſtoria ſacra conciliari queat.

** Nullam Danielis in aula Belſazaris, adeoque & ſecundum antea obſeruata, Nerigliſſoris, fuiſſe auctoritatem, immo eius oblitteratam velut memoriam fuiſſe, ex *Daniel. V. verſ. 11. ſeqq.* facile colligas. Vnde

mmmm &,

&, quae captiuorum Iudaeorum eo tempore fuerit conditio, colligere licet. Interim anno primo Belſazaris hoc eſt, Neriglíſſoris, qui Belſazaris nomine imperium adminiſtrauit, viſio illa Danieli oblata eſt, quam ipſemet deſcribit, *cap. VII.* Quo quidem tempore in vrbe Babylon adhuc fuiſſe videtur. Anno tertio eiusdem regis, viſio illa, quam *cap. VIII.* deſcribit, illi oblata eſt. Eo tempore ſe in arce Suſan, quae eſt in regione Elam, hoc eſt Perſia, fuiſſe, autumat, *cap. VIII. 2.* Quod quidem nonnulli ita capiunt, ac ſi in viſione ſaltem ibi ſe fuiſſe ſibi viſus ſit Daniel; non autem reuera fuerit. Ita ex patribus THEODORETVS, ex Iudaeis ABEN ESRA, ex recentioribus FRANCISCVS VATABLVS, aliique. Nec prorſus verba prophetae hunc ſenſum reſpuunt; quamquam & nullam rationem videam, cur etiam reuera in arce Suſan eſſe non potuerit, ſiue prouinciae iſtius praefectus fuerit conſtitutus, vt quidam exiſtimant, ſiue negotiorum cauſſa, vel aliam ob rationem eo ſe contulerit. Ad dubium enim, quod nonnulli mouent, quomodo Daniel in Perſiae regia degere potuerit, cum Chaldaeorum adhuc ſub Belſazare floreret monarchia, reſponderi poteſt, eo tempore, Suſanem nondum Perſarum regibus ſedem praebuiſſe, immo ipſam, in qua fuit, prouinciam, Chaldaeorum adhuc paruiſſe imperio. Quod ſequitur: *& vidi in viſione, ego autem ad fluuium Vlai eram*, itidem a nonnullis ita capitur, ac ſi in viſione illud Danieli contigerit. Sed rectius, ni fallor, alii hoc adiectum cenſent, vt locus, vbi viſio iſta Danieli oblata fuit, adcuratius determinaretur. Per *Vlai* Eulaeus haud dubie intelligitur, fluuius in Elamitide longe nobiliſſimus, ac praeter STRABONEM ac SOLINVM, PLINIO memoratus, *hiſtor. natur. lib. VI. cap. XXVI.* Perperam enim vulgatus interpres vocem אובל per *portam* vertit, ac ſi non *fluuius*, ſed porta arcis Suſan, indicetur; quamquam & quorundam ex gente ebraea doctorum haec fuerit ſententia. Nec obſtat, quod Eulaeus fluuius ab arce Suſan aliquantum remotus fuerit. Verba enim Danielis non ita intelligenda ſunt, quod vno eodemque tempore & in arce Suſan & apud fluuium Eulaeum fuerit, ſed ſitum ſaltem arcis Suſan indicare voluit, quod non procul a fluuio Vlai ſeu Eulaeo fuerit remota. Non diu autem admodum Daniel hoc in loco commoratus eſt; ſiquidem cum Belſazar ſcripturam prodigioſam in pariete videret, & Danielem ad eam interpretandam aduocaret, hic Babylone fuiſſe videtur.

Ad viſionem ipſam quod attinet, quae primo Belſazaris anno Danieli exhibita fuit, conſentiunt in eo fere omnes, quod & res ipſa docet, quatuor, quas vidit, beſtias, eadem deſignare imperia, quae Nebucadnezari ſub ſtatuae, ex variis metallorum generibus compoſitae, ſchemate fuere repraeſentata. Hinc & quemadmodum circa tria priora, per ſtatuam iſtam ſignificata, nullus fere eſt diſſenſus;

ſus; ita & in altera hac viſione, magna conſenſione veteres pariter ac recentiores, paucis quibusdam, quorum in cenſum non venit ſententia, exceptis, in eo conueniunt, per primam beſtiam Babylonicum ſignificatum imperium, per alteram Perſicum, per tertiam Graecum Alexandri magni. Nec inconcinne, quae de ſingulis beſtiis traduntur, ad ſingula imperia adplicari poſſunt, vt iam ab aliis oſtenſum. De tertia, quae Alexandrum magnum refert, quod dicitur, quatuor alis ſuper dorſo inſtructam fuiſſe, & quatuor habuiſſe capita, difficultatem quandam habere videtur. Sed euaneſcet ea, ſi cogitemus, quatuor alis, ſummam Alexandri in ſubiugandis tot regnis ac prouinciis celeritatem ſignificari, quatuor autem capita, praecipuos, quos in exercitu ſuo habuit, denotare duces. Sed de quarto praecipua inter viros doctos controuerſia eſt imperio. Qui enim vltimam, ſtatuae Nebucadnezaris in ſomnio oblatae, partem, de Romano imperio intelligunt, quos ſupra iam laudauimus, illi & in quarta hacce beſtia, eiusdem imperii ſibi inueniſſe imaginem, viſi ſunt. Pertinent huc, quae inter veteres praeter alios hac de re diſſerit ISIDORVS PELVSIOTA, *lib. II. epiſt. CCXVIII.* Et ſane, quae de quarta beſtia, & in explicatione, de quarto imperio dicuntur, haud inconcinne in Romanum quadrare videntur; praeſertim illud, quod de robore & fortitudine terribilis iſtius beſtiae *verſ. 7.* dicitur, & *verſ. 23.* in adplicatione, vbi, *beſtia quarta*, inquit, *regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit & comminuet eam.* Sane vix videtur vllum nominari imperium poſſe, de quo rectius haec dicantur, quam Romanum. Pro eadem ſententia militat, quod de aduentu Chriſti ad iudicium poſt vltimum imperium dicitur, qui *verſ. 13. ſeqq.* ita deſcribitur, vt vix alius, quam qui ad iudicium extremum eſt, intelligi poſſe videatur. Ne quid de eo dicam, quod quarta beſtia ceu diſtincta ab aliis deſcribatur, quod aliam, & a Graecis diuerſam, indicare gentem videtur, ad quam quartum imperium transferendum ſit. Rurſus tamen nec deſunt, quae pro illorum ſententia, qui & hic per vltimum imperium ſucceſſorum Alexandri magni, ſpeciatim Seleucidarum in Syria, & Lagidarum in Aegypto, intelligunt, vrgeri poſſunt. Quod enim de ferocitate, robore & crudelitate quartae huius beſtiae *v. 7. & 23.* dicitur, id intuitu gentis iudaicae, quae a nullo praecedentium imperiorum, quam a quarto, tot incommoda paſſa ſit, intelligendum, contendunt. Quod ibidem de decem cornibus, & *v. 24.* de decem regibus, per cornua iſta ſignificatis additur, difficultate non caret, ſiue de Romano, ſiue de Seleucidarum Lagidarumque imperio capias. Pro Romano namque qui pugnant imperio, decem regna ex eo orta intelligunt. HIERONYMVS *omnium eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententiam eſſe*, ait, *in conſummatione mundi, quando deſtruendum eſt regnum*

Digitized by Google

Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant, & vndecimum ſurrecturum eſſe regem, paruulum, qui tres e decem regibus ſuperaturus ſit; ad *h. l.* Sed haec quo pacto in conſummatione mundi contingere queant, non video, niſi regnum aliquod millenarium admittas; quod fortaſſe etiam ſententiae iſtius patronis non diſplicuit. Plerique noſtratium B. LVTHERVM ſecuti, decem regna ex Romana orta, ita enumerant, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Graeciam, Aſiam, Syriam, Aegyprum, Africam & Angliam. Sed deſiderant, hic alii, quod Aegyptus & Africa, Graecia & Aſia, rurſus Aegyptus, Syria, & Aſia, ceu diſtincta imperia ponantur, qualia poſt Chriſtum natum aut plane non fuerint, aut certe non vno eodemque cum reliquis regnis tempore. Omiſſa quoque dicunt in hac partitione regna Legionis, Caſtiliae, Cypri, Portugalliae, Hungariae, Bohemiae. PHILIPPVS NICOLAI tria cornua orientalia, (per cornu paruum, quo nomine Muhammedem intelligit, decuſſa,) Graeciam eſſe cenſet, Aſiam & Africam: occidentalia vero, Italiam, Hiſpaniam, Britanniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, & Hungariam, *lib. I. de regno Chriſti, cap. V. ſeqq.* Quae nec B. MARTINO GEIERO noſtro improbatur ſententia, cum hoc ipſo ſimul ſcrupulus remoueatur, quomodo Africa & Aegyptus pro diſtinctis regnis poni potuerint, cum tamen inuicem ſe habeant, vt totum & pars; ad *Dan. VII. 24.* Sed licet hicce remoueatur ſcrupulus, non tamen remouentur ſtatim reliqui, qui hanc ſententiam, vt ex dictis patet, premunt. Atque hoc cum alii intelligerent, tutiſſimum hic eſſe, arbitrati ſunt, ſi dicatur, numerum definitum poni pro indefinito, quibus exemplum iam praeiuit ipſe AVGVSTINVS, *lib. XX. de ciuit. Dei cap. XXIII.* Nec infrequens eſt, vt pro indefinito definitus quandoque ponatur numerus. Quo minus tamen id hic admitti queat, ſollicita valde numerorum indicatio, ſpeciatim numerus ſubſequens vnius, itemque trium cornuum obſtare videtur. Qui quartum imperium de Lagidis ac Seleucidis interpretantur, in diuerſa equidem iterum abeunt, nonnullis decem regna, in quae Alexandri magni imperium diuiſum fuerit, quaerentibus, aliis, quorum expeditior & concinnior omnino eſt ratio, de decem regibus, qui Palaeſtinam vsque ad illum, cuius crudelitas modum non habuit, tenuerunt, hocce vaticinium interpretantibus. Quinam iſti reges fuerint, rurſus equidem inter ſe non conueniunt. IOANNES CHRISTOPHORVS BECMANNVS, qui pro eadem militat ſententia, ſequentes nominat: Antigonum, Demetrium poliorcetem, Ptolomaeum Lagi, Ptolomaeum philadelphum, Ptolomaeum euergetem, Ptolomaeum philopatorem, Ptolomaeum epiphanem, Antiochum magnum, Seleucum philopatorem, Antiochum epiphanem; eosque omnes, & iſta quidem ſerie,

Palae-

Palaeſtinam tenuiſſe, prolatis in medium hiſtoricorum teſtimoniis comprobat; ſimul tamen etiam monet, de ſolis Seleucidis hoc capi poſſe, quorum ſucceſſioni idem numerus reſpondeat; in *meditationib. politic. cap. XXVI. §. XVII. XVIII.* Atque haec non tantum minoribus premi videtur incommodis ſententia, quam reliquae omnes, ſed & hocce nititur praeſidio, quod *Daniel. VII. 24.* decem iſta cornua non de regnis decem, ſed diſerte de decem regibus explicentur: עשרה מלכין יקומון *decem reges ſurgent.* Sumitur equidem vox *regis* quandoque pro *regno.* Sed propriam vocis ſignificationem, vbi locum inuenit, retinendam eſſe, non temere quis diffitebitur.

Inter decem autem quartae iſtius beſtiae, de qua ſermonem facimus, cornua, paruulum aliquod cornu de medio eorum erupit, ea quidem ratione, vt tria ex decem prioribus cornibus euellerentur, & vna cum paruulo hocce cornu ſeptem tantum remanerent. Oculos praeterea in cornu hocce conſpexit Daniel, quaſi oculos hominis ופום ממלל רברבן & *os loquens ingentia.* Per *oculos* nimirum prudentiam, aut, ſi mauis, aſtutiam & calliditatem, quae ſubinde prudentiae ſpecie ſuperbit, per *os* autem *loquens ingentia*, grandiloquentiam, ſimulque conatum in rebus ſacris pro lubitu decernendi, eaque, quae ad Numinis cultum ſpectant, mutandi, ſignificat. In explicatione deinceps clarius ea euoluuntur, regemque ſignificari, indicatur, cuius ſequentes futuri eſſent characteres: *diuerſus erit a prioribus*; *tres reges deprimet*; *verba aduerſus excelſum loquetur*; *ſanctos excelſorum*, hoc eſt, populum altiſſimi, ſeu populum ſanctum *conteret*; *in animum inducet mutare tempora & leges*; *tradentur* (ſancti) *in manus eius ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Hi ergo cuinam conueniant characteres, de eo viri docti valde inter ſe diſſentiunt. Si enim primo illos audiamus, qui, quartum imperium Romanum eſſe, exiſtimant, nonnulli quidem de antichriſto, ſed eo, quem Romanenſes ſibi fingunt, paruulum hocce cornu interpretantur, quemue per tres annos cum dimidio chriſtianos diuexaturum, autumant. Ita ROBERTVS BELLARMINVS, *libr. III. de pontific. Rom. cap. XVI.* MARTINVS BECANVS, *tom. II. opuscul. cap. I.* pluresque alii. Comminiſcendum nimirum eiusmodi hominibus aliquid fuit, ne in dictis ſcripturae euidentiſſimis, quae de antichriſto agunt, pontificii regni turpitudinem delineari, agnoſcere tenerentur. Sine praeiudicatis enim animi opinionibus, qui oracula iſta expenderit, facile intelliget, per antichriſtum κατ᾽ ἐξοχὴν ſic adpellatum, Romanos intelligi pontifices. Atque hos etiam per cornu hocce paruulum deſignari, quorundam eſt ſententia, quos inter & B. MARTINVS LVTHERVS eſt, *tom. II. Ienenſ. latin. fol. 386.* quamquam in *praefat. in Daniel.* de imperio Turcico hoc intelligere malit;

itemque IOAN. CONRADVS DANHAVERVS, in *antichriſto pag. 260.* Communior tamen, praeſertim noſtratium eſt ſententia, Turcicum hic deſignari imperium, quibus & ABRAH. CALOVIVS, ad *h. l.* adſtipulatur, itemque MARTINVS GEIERVS. Poſſuntque nonnulla eorum, quae de paruulo hocce cornu dicuntur, haud inepte ad Muhammedem atque Turcicum imperium adcommodari. Rectius tamen adhuc, ni fallor, & felicius cuncta procedunt, ſi ad Romanum antichriſtum adplicatio inſtituatur, quippe in quem apprime illud quadrat, quod de oculis, quos cornu iſtud habuiſſe perhibetur, itemque de ore ingentia loquente, dicitur. Adeoque, ſi hypotheſis illa de Romano imperio placeat, hanc explicationem praeferendam exiſtimauerim. Nec tamen multa obſtabunt, quo minus ex hypotheſi illorum, qui quartum imperium ad Lagidas ac Seleucidas referunt, Antiochus epiphanes intelligatur, quem & antichriſti typum fuiſſe, inter omnes conſtat. Diuerſum enim a prioribus, qui primus regis iſtius eſt character, fuiſſe, alia iſta, quam iniit, vitae ratio, & ab antecesſorum inſtituto diuerſa, demonſtrabit. Vnde & de eo POLYBIVS: Ἐπιφανὴς μὲν κληθεὶς, ἐπιμανὴς δὲ ἐκ τῶν πράξεων ὀνομαθεὶς *Epiphanes quidem vocatus, ſed ob res inſane geſtas epimanes nominandus; libr. XXVII.* Reliqua vero, quo pacto in regem iſtum quadrent, vt nemini temere, cui res eius geſtae vel leuiter perſpectae ſunt, ignotum, ita pluribus docet, quem antea iam laudauimus, IOAN. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, *med. polit. cap. XXVI. §. XIX.* Facitque iterum & illud pro hac ſententia, quod diſertis verbis vates ſanctiſſimus tradat, non *regnum*, ſed *vnum* aliquem *regem*, per cornu illud paruulum deſignari. De iudicio denique quod *verſ. 9. ſeqq.* ſubnectitur, ſi comparetur cum explicatione *verſ. 27.* haud incommode de Antiochi interitu, regnorumque Syriae ac Aegypti per Romanos deſtructione, capi poteſt. Adparatus enim, qui ſimul deſcribitur, iudiciarius eo pertinet, vt omnes intelligant, Deum eſſe regem regum, & dominum dominorum, ſupremumque orbis iudicem, qui certos regnis omnibus limites conſtituerit, & regum quoque impiorum atrocia grauiter puniturus ſit facinora. Secuta tum diuini regni erectio *verſ. 13, 14. 27.* vix aliter, quam de regno gratiae per Chriſti natiuitatem erecto, videtur intelligi poſſe, cum regnum & poteſtas filio hominis tradita, *verſ. 14.* diſerte dicatur, quod vtique regni inchoationem denotat, item, quod populo ſancto altiſſimi, hoc eſt eccleſiae, regnum traditum, adſeratur, *verſ. 27.* Ceterum quod ſupra, cum de ſtatua Nebucadnezaris verba faceremus, profeſſi ſumus, id merito repetimus; nos vtriusque partis rationes propoſuiſſe, vt quisque eo rectius de re hacce iudicare queat. Quod ſi quis receptam ſententiam alteri praeferendam iudicet, potioribusque eam niti argumentis

tis credat, is me neutiquam ſibi repugnantem habebit. De altera viſione, quae Danieli anno tertio Belſazaris obtigit, nihil addimus, cum explicationem eius, ipſis regnorum expreſſis nominibus, Daniel addat, adeoque omni difficultate careat. Id ſolum omnibus perpendendum relinquimus, annon tres illae viſiones, vna Nebucadnezaris, & binae Danielis, ad vnum eumdemque colliment ſcopum, Deo autem placuerit, tribus vicibus, ſed maiori ſemper euidentia, vnam eamdemque rem Danieli exhibere, vt eo clarius & Daniel ipſe, & per illum omnes pii, de futuris populi iudaici fatis, vsque ad Chriſti aduentum, erudirentur.

§. VI.

Nimirum parum memor eorum, quae auo ſuo Nebucadnezari contigerant, Belſazar, luxui & deliciis ſtrenue indulgebat. Cum ergo aliquando cum vxoribus, pellicibus & purpuratis ſuis conuiuium adornaſſet, & intemperantiae impietatem addendo, non tantum vaſa vero Deo ſacra, quae Nebucadnezar Hieroſolymis attulerat, profanis vſibus pollueret, ſed idola laudando, verum Deum contumelia adficeret, derepente manum e coenaculi pariete prominentem vidit, litteras, quae a nemine legi poterant, in pariete pingentem. A Daniele autem, qui eo tempore Babylone iterum degebat, quemue arceſſiuerat, vltimam ſibi iam perniciem, regnique Babylonici diuiſionem inter Medos ac Perſas, ac deſtructionem iam imminentem, hisce verbis ſignificari didicit. Eadem hinc etiam nocte ab iis, qui contra eum coniurationem inierant, interfectus interiit, cum nouem tantum menſibus imperio praefuiſſet. *

* Belſazarem huncce, de quo loquimur, Nebucadnezaris non filium, ſed ex filia nepotem fuiſſe, antea iam obſeruauimus. Maligno eum fuiſſe ingenio ex BEROSO apud FL. IOSEPHVM, *lib. I. contra Apion. pag. 1044.* itidem iam docuimus. Quae conuiuii iſtius, quod hic deſcribitur, fuerit occaſio, non conſtat. Ebraeorum magiſtri, interque eos R. SAL. IARCHI, & R. SAADIAS tradunt, Belſazarem, cum eo die feliciter contra hoſtes pugnaſſet, atque Darii & Cyri legiones, vrbem obſidentes, proſtrauiſſet, ſub veſperam ducibus ſuis conuiuium inſtruxiſſe, cumque ſimul in memoriam ſibi reuocaſſet, irritam hoc ipſo factam ſpem Iudaeorum de captiuitate ſua per Medos ac Perſas ſoluenda, quam animo concepiſſent, quod LXX anni captiuitatis iam fere praeterlapſi eſſent, vt eos ludibrio haberet, vaſa ſacra templi

pli Hieroſolymitani compotationi inſeruitura, adferri iuſſiſſe. Verum hocce Iudaeorum commentum recte iam exploſit HIERONYMVS, ad *h. l.* Nititurque falſa illa, ſed multis olim probata hypotheſi, ac ſi LXX anni captiuitatis Babylonicae cum Belſazare finem habuerint. Non minus & illud perperam ſupponitur, quod Darius Medus Babylonicum imperium, cum vrbs Babylon a Cyro expugnata eſſet, adeptus ſit; quod ſecus ſe habere, ex dicendis intelligetur. Quae alii de conuiuii iſtius occaſione comminiſcuntur, aeque lubrica atque incerta ſunt. Non itaque neceſſe eſt, vt iis immoremur. Splendidiſſimum vero fuiſſe conuiuium, vel inde intelligitur, quod ex regni proceribus mille adfuerint; quod fidem non ſuperat, cum exempla regum proſtent, qui longe plures conuiuio exceperunt; notumque eſt illud STATII de Domitiani epulo:

Hic cum Romuleos proceres trabeataque Caeſar
Agmina mille ſimul iuſſit diſcumbere menſis.

Quod porro dicitur: ולקבל אלפא חמרא שתה vulgatus perperam reddit: *& vnusquisque ſecundum ſuam bibebat aetatem.* Ita enim potius vertendum: & *coram mille* (his) *vinum bibens* (erat rex.) Senſus namque eſt, quod cum proceribus hisce, quorum mille erant, ſtrenue genio indulſerit. Singulare quid hic excogitaſſe ſibi viſus eſt, R. IOSEPH IACCHIADES, quem ex verſione CONSTANTINI L' EMPEREVR hac de re audire iuuabit: *magnum conuiuium inſtituit principibus ſuis mille, cum quibus certando bibebat vinum; adeo erat craſſus, validus ac robuſtus, deditus rebus corporalibus. Quin etiam moris eſt inter Germanos, vt acceptum vini poculum ante ſocium ſuum, qui ex aduerſo eſt, collocent, ac inuitent ſua lingua, vt bibat: atque e veſtigio iſte ſocius aliud vini poculum infundere tenetur; ita ambo ſimul bibunt, vnusquisque e poculo ſuo; atque hoc inter eos eſt amicitiae ſignum. Sic Belſchazar vt amicitiam erga ſuos mille principes demonſtraret, cum ſingulis congrediens, ſingula pocula vini plena exhaurire cogebatur, quae mille conficiebant vini pocula, quod perquam fuit difficile. Quomodo ſtomachus eius capax fuit tantae vini quantitatis?* Sed vt ipſius Iudaei iudicio hoc perquam difficile fuit, ita perquam abſonum eſſe, quidquid hac de re dicit, nemo, qui cuncta paullo adcuratius penſitauerit, infitiabitur. Belſazarem ad temulentiam vsque in bibendo proceſſiſſe, non negamus. Id namque verba: *Belſazar dixit:* בטעם חמרא *in guſtu vini*, indicant. Rationis itaque non ſatis compos, vaſa aurea atque argentea templi Hieroſolymitani, a Nebucadnezare Babylonem abducta, adferri iuſſit, vt cum proceribus, vxoribus, & concubinis, ex illis biberet. Neque hic temulenti regis ſubſtitit inſania. Idola inſuper ſua laudauit, hisce haud dubie Nebucadnezaris tribuens victorias, horumque tantam potentiam fu-

fuiſſe ſignificans, vt Iſraelitarum Deus illis nullatenus reſiſtere potuerit. Quo ipſo maxima ſimul verum Deum adfecit contumelia. Nec a vero abhorret, hymnos ſimul paeanasque in deorum honorem compoſitos, fuiſſe decantatos, quippe quod in gentilium conuiuiis in more poſitum fuiſſe, conſtat. Ita ergo cum impius furor ad ſummum gradum proceſſiſſet, ſtatim quoque vindicta diuina adfuit.

Statim enim adparuerunt digiti, tanquam manus hominis, ex pariete progredientes, atque e regione lychnuchi in tectorio parietis palatii regii ſcribentes. Non ſine ratione contigit, vt rex ipſam manum, quae litteras pingebat, videret; ne forte litteras per fraudem pictas exiſtimare poſſet. Locus etiam ideo tam adcurate indicatur, quod id factum ſit לקבל נברשתא *e regione lychnuchi*, vt non obſtante noctis caligine, rex diſtincte, quod fiebat, videre poſſet. Compotatio enim in noctem protracta erat. Haud dubie autem intelligitur lychnuchus, non in menſa regia poſitus, ſed aut parieti adfixus, aut ex lacunari prope parietem pendulus. Sic de Didonis conuiuio VIRGILIVS:

- - Dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

Aeneid. lib. I. verſ. 733. Nec regi tantum haec ita adparebant, quae nonnullorum eſt ſententia; ſed reuera contingebant, cum ſcriptura in pariete permanſerit. Permanſiſſe namque certum eſt, cum ceteroquin Daniel eam legere non potuiſſet. Alii rurſus ſcripturam permanſiſſe non negant, ſed ſoli Belſazari, & deinceps Danieli fuiſſe conſpectam, arbitrantur, qua in ſententia B. MARTINVS GEIERVS verſatur, ad *Dan. V. 5.* Verum aperte, ni fallor, repugnat, quod *verſ. 8.* dicitur, ſapientes a rege aduocatos ſcripturam legere non potuiſſe, multo minus interpretari. Certe, ſi nullam ſcripturam vidiſſent, nec lectio, nec interpretatio ab iis exigi potuiſſet. Manum itaque iſtam litteras pingentem rex conſpiciens, maxima, vti credere par eſt, conſternatione perculſus, ingenti clamore ſublato, magos, chaldaeos, aruſpices arceſſi iubet, magno ſimul propoſito praemio, ſi quis ſcripturam illam legere & interpretari poſſet. Purpura enim veſtiendum eum, & torque aurea ornandum, & tertio a rege in regno loco futurum. Sed ad regem adducti ſapientes iſti atque magi, nec legere quidem ſcripturam iſtam potuerunt, multo minus interpretari. Vidiſſe eos litteras in pariete exaratas iam antea obſeruauimus. Nec eſt, quod dicas, ſi litteras vidiſſent, facile eos aliquid comminiſci potuiſſe, ne ſcripturam illam eiusque interpretationem ignorare viderentur. Non enim hoc tam facile erat, cum rex ab illis rationem& lectionis & interpretationis poſtulare potuiſſet; quam haud dubie deinceps ſuppeditauit Da-

 niel.

niel. Cur vero litteras, quas conſpexerunt, non potuerint legere, variae quidem a viris doctis adferuntur rationes. Quidam enim putant, legi non potuiſſe ſcripturam a chaldaeis, quod eſſet ebraicis litteris exarata; alii ſcripturam ab iis legi non potuiſſe, quod initiales modo litterae exaratae eſſent, ceteris ſuppreſſis; alii, characteres fuiſſe, prorſus peregrinos & extraordinarios; Ebraeorum doctores quidam cabbaliſticam fuiſſe ſcripturam tradunt; alii aliud quid comminiſcuntur. Refert haſce ſententias AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vex. centur. IV. loc. LXIX. pag. 503. ſeqq.* qui ipſemet in eam ingreditur, ſcripturam iſtam prodigioſam, chaldaicam quidem fuiſſe, & characteribus conſtitiſſe chaldaicis, ſed intricatis, cum mos ille litteras intricandi, & per varios ductus inter ſe implicandi, orientalibus non ſit inſolens. Verum, quis non videt, haec omnia ad meras redire coniecturas, quae eadem reiiciuntur facilitate, qua adferuntur. Satius itaque fuerit, in iis adquieſcere, quae Daniel ipſe hac de re tradit, ſcripturam ita comparatam fuiſſe, vt ſapientes & magi, etſi eam viderent, non tamen legere, multo minus interpretari potuerint; Danielem autem eam ita & legere & interpretari potuiſſe, vt rex ipſe ſtatim conuinceretur, lectionem iſtam atque interpretationem veram eſſe. Cum ergo magi & ſapientes ſcripturam iſtam nec legere nec interpretari poſſent; rex maiori adhuc conſternatione perculſus eſt, proceresque, qui cum eo erant, admodum ſunt conturbati. Fama iſtius rei mox per totam regiam ſe diffundente, regina quoque aduolauit, vt regi perturbato, maximiſque in anguſtiis conſtituto, conſilio ſuo adeſſet. Auia haud dubie Belſazaris intelligitur, vt recte quoque FLAVIVS IOSEPHVS intelligit, quae cum vidua eſſet, a conuiuio aberat, & omnium optime, quae ſub Nebucadnezare contigerant, nouerat. Minus itaque credibile, fuiſſe regis matrem, quod voluit ORIGENES, THEODORETVS, EVSEBIVS, SVLPITIVS SEVERVS, aliique; abſonum vero plane, quod PORPHYRIVS cenſet, vxorem regis fuiſſe, cum vxores regis conuiuio interfuiſſe dicantur, *verſ. 2.* merito ideo refutatus ab HIERONYMO, ad *h. l.* Haec regem bono animo eſſe iuſſit, cum nondum ſpes omnis ſcripturae ſenſum adſequendi euanuiſſet. Eſſe namque in regno eius, qui *ſpiritum ſanctorum deorum* habeat, ſcientiaque magna, intelligentia, & ſapientia plane diuina ſit praeditus, cuius, tempore Nebucadnezaris luculentiſſima ediderit ſpecimina; hunc ſapientum omnium atque magorum principem a Nebucadnezare eſſe conſtitutum, eo quod ſcientia, & intelligentia, & facultate res arcanas & abditas manifeſtandi, omnibus praeſtaret; Danielem ſcilicet hunc eſſe, cui rex Beltſchazaris nomen impoſuerit; hunc aduocandum eſſe, vt ſcripturae ſignificationem pandat.

Arceſſitum ergo Danielem, quem eo tempore Babylone fuiſſe, dubitari ne-

nequit, rex adloquitur, cumque eum interrogaſſet, an ex captiuis Iudaeis, quos Nebucadnezar adduxerat, eſſet, quae de eius ſapientia, & facultate arcana quaeuis explicandi, audiuiſſet, exponit, ſimulque ſi ſcripturam, quae in pariete exſtabat, legere ac interpretari poſſet, ingentia illi pollicebatur praemia. Tum vero Daniel munera primum a rege ſibi oblata deprecatus, magna quidem Deum in Nebucadnezarem, auum regis, contuliſſe beneficia, ait, ampliſſimo imperio, tantaque conceſſa potentia, quae gentibus plurimis populisque metum incuteret, quaue ad euehendos pariter ac deprimendos pro lubitu vti poterat; eum vero ambitione elatum, Numinis in ſe prouocaſſe vindictam, adeo vt cum ratione regno priuato, inter feras beſtias, beſtiarum quoque more, illi viuendum eſſet, donec ſibi redditus, veri Numinis agnoſcere potentiam condiſceret; quae quidem aui fata, cum regem ſapientiorem reddere debuiſſent, eum tamen, etſi eorum omnium conſcium, adeo iſta non curaſſe, vt ſacra veri Dei vaſa compotationibus profanare, ſimulque idola, vita & ſenſu deſtituta, collaudare, ſummaque adeo ignominia verum adficere Deum, non dubitauerit; vltimam itaque ſcriptura hac Deum illi perniciem, Babylonicique ſimul regni deſtructionem, ſignificare voluiſſe, cum verba ſcripturae illius ita legenda ſint: מנא מנא תקל ופרסין *mene*, *mene*, *tekel vpharſin*. Senſum autem eſſe, *regnum* eius *numeratum*, numerumque eius completum eſſe, adeo vt finis eius iam adſit; *appenſum* eum eſſe *in ſtatera*, vt adcuratiori ponderatione, num dignus eſſet, vt regni eius prorogaretur terminus, exploraretur, ſed *leuiorem* inuentum, adeoque non eſſe, vt vllam prorogationem ſibi promittat; denique *diuiſum* eius *regnum*, quippe quod Medis Perſisque cedere debeat. Nullum eſt dubium, quin Daniel legendo ſcripturam ſingulas litteras regi ita oſtenderit, vt ſtatim intelligeret, veram hanc lectionem eſſe, adeoque & de interpretatione nullatenus dubitabat. Purpura itaque, iubente rege, indutus eſt Daniel, & aurea torques collo eius circumdata, praedicarique de eo rex voluit, tertio a rege eum in regno futurum loco. Purpura atque torque ſtatim ornari Daniel potuit; adeoque non eſt, quod dubitemus, hoc factum quoque eſſe. Proclamatio autem publica honoris a rege in illum collati, fieri non potuit, eo quod eadem adhuc nocte Belſazarem interfectum conſtet. Forte & prius illud, quod de purpura ac torque dicitur, de mandato tantum regio intelligendum. In vna enim eademque nocte, tot tamque diuerſa vix videntur peragi potuiſſe negotia. Ita etiam videtur, quod hic dicitur, conciliari poſſe cum eo, quod antea ipſemet Daniel memorat, ſe munera regis deprecatum. Acceptaſſe tamen, & quidem ex ratione grauiſſima, cenſet HIERONYMVS, qui & rationem reddit, cur tam liberalis erga Danielem fuerit Belſazar,

etſi iſta inuſitatae ſcripturae interpretatio ei non potuerit non parum grata eſſe: *accipit autem*, inquit, *inſigne regium, torquem & purpuram, vt Dario, qui erat ſucceſſurus in regnum, fieret notior, & per notitiam honoratior. Nec mirum, ſi Baltaſar audiens triſtia ſoluerit praemium, quod pollicitus eſt. Aut enim longo poſt tempore credidit ventura, quae dixerat, aut dum Dei prophetam honorat, ſperat ſe veniam conſecuturum. Quam ſi non impetrauit, maius fuiſſe credendum eſt ſacrilegium in Deum, quam honorem in hominem*; ad *h. l.* Praedictioni autem Danielis ſtatim euentus reſpondit. Eadem enim adhuc nocte Belſazar interfectus eſt. Quomodo, aut a quonam interfectus ſit, Daniel non addit. Hinc ampliſſimus coniecturis campus panditur. Plurimi olim in eam ingreſſi ſunt ſententiam, captam ea nocte a Cyro atque Dario Babylonem vrbem, atque hac occaſione Belſazarem interfectum. Sed hac de re quid cenſendum ſit, patebit ex iis, quae mox de Dario Medo diſputabimus. BEROSVS Laboroſoarchodum, quem eumdem eſſe cum Belſazare, ſupra adſeruimus, amicorum inſidiis e medio ſublatum, auctor eſt: ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη· additque: *hoc peremto, coniuratores conuenientes regnum communi ſuffragio tradidere Nabonnedo cuidam, qui fuit ex eadem Babyloniorum coniuratione*; apud FLAVIVM IOSEPHVM, *lib. I. contra Apion. pag. 1044.* Pari ratione MEGASTHENES, Laboſſoarasco violenta morte e medio ſublato, Nabannidochum, nulla affinitate cum eo coniunctum, regem creatum auctor eſt; cui Cyrus deinceps Carmaniae praefecturam conceſſerit; apud EVSEBIVM, *praepar. euangel. lib. IX. cap. XLI.* Haec cum ſatis & inter ſe, & cum narratione Danielis, conueniant, nihil profecto obſtat, quo minus admittantur. Admodum nimirum veroſimile eſt, Nabonnedum, quem eumdem cum Dario Medo eſſe, deinceps demonſtrabimus, ex regio Medorum ſanguine prognatum, in aula Babylonicorum regum notum fuiſſe, aut omnino ibi vixiſſe, plurimosque ibi habuiſſe amicos; hinc cum Belſazar ob animum malignum plurimorum odia ſibi attraxerat, conſpiratione facta, eum interfeciſſe, & ita imperio Babylonico potitum. Nec ſane aliud quid Daniel dicit, quam Belſazarem ea nocte interemtum, ſucceſſorem habuiſſe Darium Medum. De Babylonici autem regni deſtructione, & inter Medos Perſasque diuiſione quod praedixit, id nihil obſtat, quo minus ad ſequentia tempora referatur. Sed lucem haec ex mox dicendis capient.

§. VII.

Sub Dario Medo, cui deinceps Babylonii parebant, * magna iterum Danielis fuit auctoritas. Inter tres enim illos, quibus centum

tum & viginti ſatrapae, quos regno Darius praefecerat, rationem reddere debebant, ita eminuit, vt eum vniuerſi regni proregem conſtituere rex ſecum decerneret. Id vero ex ſatrapis reliquis nonnulli, inuidia perciti, aegre ferentes, artibus ſuis effecerunt, vt a rege vel inuito leonibus in fouea diſcerpendus obiiceretur. At per ingens Numinis miraculum ſeruatus, incolumisque eductus eſt, immiſſis contra in foueam accuſatoribus eius, vna cum illorum liberis & vxoribus a leonibus ſine mora dilaniandis. Nouo hinc edicto a rege ſancitum, non alium, quam Iudaeorum, vtpote ſolum verum, adorandum eſſe Deum. Quod vt honorificum captiuis Iudaeis erat, ita plurimis gentilium haud dubie admodum ſalutare fuit. **

* Quis Darius ille Medus ſit, cuius apud Danielem fit mentio, de eo maximopere viri docti inter ſe diſſentiunt. Et ſi dicendum, quod res eſt, coniecturis hic tantum locus conceditur. Nonnulli Darium Medum, Aſtyagem, Cyaxaris I, Medorum regis, qui in ſacris litteris Ahasueri nomine veniat, filium fuiſſe cenſent. Ita IOAN. MARSHAMVS, in *can. chron. ſect. XVIII. pag. 605*. Credibile namque illi videtur, Cyaxarem (primum ſeu ſeniorem) Medorum regem, Scythicarum graſſationum iam ſatagentem, Perſas, quos ſubegerat Phraortes, Dario filio, cum poteſtate tituloque regis, coercendos tradidiſſe. Nimirum regnum aliquod Medo-Perſicum ſtatuit, cuius nemo veterum recentiorumque meminerit, etſi luculenta eius apud ſcriptores tum ſacros, tum profanos exſtent veſtigia, & cuius Darius hicce primus rex fuerit. In Medorum autem regno Cyaxari I ſucceſſiſſe alterum filium, itidem Aſtyagem dictum, eum ſcilicet, qui a Cyro regno ſit exutus. Atque ita videntur auctori illi, qui Aſtyagen vltimum Medorum regem faciunt, quos inter HERODOTVS eſt, aliique, quos ſupra ad *ſect. praeced.* §. *XXXV.* laudauimus, & ſecuti ſumus, conciliari poſſe, cum XENOPHONTE, qui Aſtyagi filium & ſucceſſorem tribuit Cyaxarem II; in *Cyropaedia lib. I. pag. 22.* Verum & lubrico fundamento iſta MARSHAMI ſententia nititur, & difficultates, quae hic occurrunt, non expedit, ſed auget; vnde ipſi improbatur IOANNI CLERICO, in *compendio hiſtoriae vniuerſalis*, *pag. 43. 44.* ex inſtituto autem refellitur a CAMPEGIO VITRINGA, *obſeruat. ſacrar. libr. VI. cap. IV. pag. 275. ſeqq.* Alii itaque eundem XENOPHONTEM ſecuti, Aſtyagi, Medorum regi, filium, Cyaxarem II, tribuunt, auunculum Cyri, & hunc ipſum apud Danielem Darii Medi nomine venire, contendunt, qui & vna cum Cyro, capta vrbe Babylone, monarchiae Babylonicae finem impoſuerit. Hanc poſt FLAVI-

VM IOSEPHVM, HIERONYMVM, alioſque, ſententiam amplectitur IAC. VSSERIVS, in *annalib. vet. ac noui teſtam. pag. 78.* itemque ex noſtratibus ABRAH. CALOVIVS, ad *Daniel. V. 31.* aliique quam plurimi. Vt autem IOSEPHVM iam hoc nomine refutauit THEODORETVS, ad *Dan. l. c.* ita ex recentioribus eandem acriter impugnauit ſententiam DIONYSIVS PETAVIVS, *lib. X.* de *doctrina temp. cap. IX.* FRIDERICVS SPANHEMIVS, vir cetera ſummus, fluctuat, & dubius velut haeret, num priorem ſententiam, quae IO. MARSHAMI eſt, an poſteriorem, quae communior & receptior, praeferre debeat. *Darius Medus*, inquit, *non incongrue videtur fuiſſe rex Medo-Perſa, ſiue iam Aſtyages filius Abasueri, id eſt Cyaxaris ſenioris, Dan. IX. 1. auus Cyri, ſiue etiam Cyaxares iunior, Cyri ſocer & auunculus, qui coniunctis viribus cum Cyro Babylonem ceperit, Dan. V. 31. Prius vult quoque Marshamus, ſed tum negat, Darium hunc cepiſſe Babylonem, & verba Dan. V, 31. non eſſe continuationem prioris hiſtoriae, ſed introductionem ad ſequentem; hiſt. eccleſ. vet. teſt. tom. I. opp. p. 401.* conf. & quae habet, *pag. 407. 408.* Sed, dum vir doctiſſimus, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, Aſtyagem Cyaxaris ſenioris filium, qui idem ac Darius Medus fuerit, Cyri auum vocat, valde dubito, an mentem MARSHAMI recte adſecutus ſit. Quidquid huius ſit, poſterior illa ſententia, quae Cyaxarem II, Aſtyagis filium pro Dario Medo habet, communi fere conſenſu olim recepta fuit, donec IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER oſtenderet, Darium Medum non alium eſſe, quam Nabonnedum BEROSO memoratum, qui in canone Ptolemaico Nabonadius dicitur, MEGASTHENI autem Nabannidochus. SCALIGERVM ſecutus eſt SETHVS CALVISIVS, *iſag. chronolog. cap. XXIX.* & chronologorum fere praeſtantiſſimi, immo ipſe DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina temp. lib. X. c. IX.* ſecutus eſt & HVGO GROTIVS, ad *Dan. V. 31.* itemque NATALIS ALEXANDER *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. aetat. mundi VI. cap. IV. artic. III. p. 264. ſeqq.* vt reliquos taceam. Et praeferenda vtique haec ſententia, ſi quid in re obſcura adfirmare licet, reliquis, & mihi videtur. Quae enim BEROSVS & MEGASTHENES de Nabonnedo dicunt, ſatis apte in Darium Medum, & ea, quae Daniel de eo narrat, quadrant, vt ex iis, quae circa *fin. §. praeced.* diximus, liquet, & ex dicendis vlterius patebit. Immo & chronologia LXX annorum captiuitatis Babylonicae hac ratione ſibi prorſus conſtat, vt ſupra ad §. *I.* demonſtrauimus.

Sed vt luculentius adhuc cuncta pateant, haud perfunctorie obſeruandum, Darium iſtum Medum *Dan. IX. verſ. 1.* vocari *filium Abasueri, de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldaeorum.* Non ergo rex Medorum fuit, ſed *de ſemine Medorum*, hoc eſt, ex regia Medorum ſtirpe oriundus. Neque Chaldaeorum imperium cum Medico coniunxit, aut armata manu illud ſibi ſubiecit, ſed

הםלך

המלך על מלכות כשדים *rex conſtitutus eſt ſuper regnum Chaldaeorum;* conſenſu ſcilicet illorum, qui contra Belſazarem conſpirauerant, vt diſerte BEROSVS tradit. Accedit & illud, quod, vt ſupra iam obſeruauimus, obſeſſae ab hoſte externo vrbis Babylonis, cum Belſazar interficeretur adeo nulla fiat mentio, vt ne leuiſſimum quidem eius rei occurrat veſtigium. Immo cum diuinus vates dixiſſet, eadem nocte, qua ſcripturam prodigioſam in pariete Belſazar videret, eum quoque interfectum eſſe, ſtatim ſubiungit: *& Darius Medus,* קבל מלכותא *accepit regnum;* quod profecto de ſucceſſione longe rectius, quam de bellica adquiſitione intelligitur. Darium huncce Medorum ac Perſarum regem fuiſſe, nonnulli quidem inde colligunt, quod ſatrapae & ſenatores, qui Danieli inſidias ſtruebant, eum *Dan. VI.* ita adloquantur: *Nunc itaque, rex, confirma ſententiam, & ſcribe decretum, vt non immutetur, quod ſtatutum eſt a Medis & Perſis.* Ita enim vulgatus interpres verba chaldaea expreſſit. Quod quidem dubium vt remoueat IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, quae *Dan. VI.* narrantur, in Suſiana contigiſſe exiſtimat, cui prouinciae Daniel fuerit praefectus. Suſiana autem cum pars olim fuerit Medorum imperii, leges quoque Medorum ibi viguiſſe. Sed alii obſeruant, licet Darius Medis non imperaret, quia tamen e Media ortus erat, conſtituere eum potuiſſe, vt regum Babyloniorum edicta aeque ac Medorum eſſent inuiolabilia. Eſtque admodum veroſimile, cum regno Babylonico admotus eſſet, Medicae gentis proceres quosdam cum praecipuis muneribus & officiis aulicis praefeciſſe, & ex horum conſilio ritus quoque varios, & conſuetudines Medicas introduxiſſe. Immo & iuris iſtius Medici, quo edicta regum plane erant inuiolabilia, ceu parum in Babylonia vſitati, mentio iniici videtur, quod tamen inimici Danielis eo auidius adripiebant, quo certius ſe eum hac ratione perdere poſſe putabant. Atque huic ſententiae ſuffragantur etiam verba Danielis, ſi ſecundum textum originalem ſpectentur: *Nunc itaque rex confirma ſententiam, & ſcribe decretum, quod non immutetur,* כדת מדי ופרס די לא תעדא *ſecundum ſtatutum* (ſeu conſuetudinem, morem) *Medorum Perſarumque, quod non intercidit,* hoc eſt per quam (conſuetudinem,) decreta regum inuiolabilia eſſe ſolent. Haud obſcure indicatur, licet in regno Babylonico eſſent conſtituti, voluiſſe tamen eos rem hanc ſecundum morem Medorum atque Perſarum peragi. Obiici porro & illud ſolet, quod Daniel in ſcripturae prodigioſae interpretatione dicit: *diuiſum eſt regnum tuum, & datum Medis ac Perſis, Dan. V. v. 28.* Quae tamen omnino recte ſe habet praedictio, nec noſtrae ſententiae repugnat. Nec enim ſtatim poſt mortem Belſazaris regnum Babylonicum diuidendum dixit. Ex parte equidem praedictioni ſtatim euentus reſpondit, dum & Belſazar eadem nocte interfectus,

ctus, & imperium ad alienigenam, virum ex ſemine Medorum oriundum, translatum eſt. Reliqua deinceps adimpleta ſunt, cum Cyrus, occupata Babylone vrbe, imperio huic finem imponeret. Friuolum eſt, quod alii obuertunt, Nabonnedum non eſſe Darium Medum, cum ille ſecundum BEROSVM fuerit Babylonius. Verba enim BEROSI, quae apud FLAVIVM IOSEPHVM, *lib. I. contra Apion. p. 1044.* exſtant: *τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως*, vertenda ſunt: *cuidam, qui fuit ex eadem Babyloniorum coniuratione.* Denique nec illud nobis obſtat, quod ipſe FLAVIVS IOSEPHVS longe aliam tradat Babylonicorum regum ſucceſſionem, *antiquit. iudaic. lib. X. cap. XII.* Perperam enim haud dubie egit, quod non BEROSVM potius ſecutus eſt, cuius ipſemet fragmentum exhibet, *lib. I. contra Apion. pag. 1044.* Quo nomine & merito reprehenditur a THEODORETO, ad *Daniel. V. 31.* qui tamen & ipſe in eo errat, quod Darium Medum Nebucadnezaris ex filia nepotem adferit.

** Cum Darius Medus regni habenas ſuſcepiſſet, prima eius cura fuit, ſtatum eius ita componere, vt commode cuncta adminiſtrare poſſet. Placuit itaque ei, centum & viginti ſatrapas ſuper vniuerſum regnum conſtituere, quibus iterum exactores, ſeu inſpectores praefecit, quibus reliqui ſuae adminiſtrationis redderent rationem. *Solent ſaepe reges*, inquit HVGO GROTIVS, ad *Dan. VI. v. 1. vt & Romani imperatores, pro ſuo arbitratu mutare numerum prouinciarum.* Quod cum & a Dario factum ſit, non eſt, vt inde quis colligat, chaldaicum imperium armis ab eo ſubactum eſſe. Tres illi, qui reliquis praefecti ſunt, vocantur סרכין, quae vox ſi ab hocce Danielis capite diſcedas, in ſacro codice non occurrit, ſubinde tamen a paraphraſte chaldaeo adhibetur, vbi in ebraeo eſt vox שוטרים *exactores*, vt *Exod. V. 6. Deut. I. 15.* alibique; vnde & nonnulli ex ebraeae gentis doctoribus hoc loco שוטרים ſiue *exactores* intelligunt, quod ſi cum eminentia quadam fiat, admitti poteſt. Inter tres hoſce סרכין etiam Daniel fuit, qui ſimul & duos reliquos, & omnes ſatrapas ſapientia, fide, integritate, multum ſuperabat. Quod non tantum collegis, ſed & inferioribus praefertur, id ISIDORVS PELVSIOTA ita interpretatur, vt Danielem *praecelluiſſe* dicat, *tam eos, qui titulo, quam qui re ipſa fuiſſent excellentes, &c. lib. III. epiſt. CCCLVI.* Iſtas itaque Danielis virtutes cum rex perſpectas haberet, vniuerſo eum praeficere regno voluit, vt velut quidam regis vicarius eſſet, vel vt HVGO GROTIVS, ad *h. l.* loquitur: *vt vnus hic Daniel regi eſſet τὰ πάντα, quales multos etiam & noſtra & ſuperiora viderunt ſecula apud reges, aut parum fidentes ingenio ſuo, aut fugientes negotiorum.* Conſilium hocce regis cum emanaſſet, male habuiſſe tum collegas Danielis, tum reliquos ſatrapas, ſi vel maxime ipſemet Daniel nos non docuiſſet, humani

ni tamen ingenii, ad inuidiam nimis proni, nos minime dubitare ſineret indoles. Omnes itaque eo conuerterunt cogitationes, vt crimen aliquod in eo inuenirent, מצר מלכותא *ex latere regni*, ſeu in negotiorum publicorum adminiſtratione, quo eum aut perfidiae, aut negligentiae, aut alterius peccati arguere poſſent. Nihil autem in eo inuenientes, quod vel leuiſſimam officii non recte adminiſtrati ſuſpicionem praeberet, parumque adeo ex voto iſtud conſilium procedere videntes, in religione demum Danielis, quod perniciem vltimam ei adferre poſſet, quaerere placuit. *Quaerendum eſt crimen laeſae religionis, vbi maieſtatis deficit.* Ita recte ad *h. l.* HVGO GROTIVS. Regem itaque proceres iſti non ſine ſtrepitu (vt ex voce הרגישו colligas) adeunt, eoque ſalutato, conſultum ſibi videri, aiunt, vt mandato ſeueriſſimo conſtituatur, ne quis intra triginta dierum ſpatium quidquam ab vllo deorum hominumue, niſi a ſolo rege, petat: ſecus ſi quis feciſſet, ſine mora eum in foueam leonum proiiciendum, velleque ſe, vt rex mandatum hoc ſubſcriptione firmet, illudque, vt Medis Perſisque in more poſitum erat, inuiolabile eſſe iubeat. Fallitur, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ notemus, FLAVIVS IOSEPHVS, dum omnium precum intermiſſionem a rege poſtulatam ſcribit, vt nec ab ipſo rege, nec ab alio aut hominum aut deorum, quidquam precari fas fuerit, *antiquitat. iudaic. lib. X. c. XIV. p. 352.* Vix equidem proceres iſti pro ſua ſapientia ſtolidius aut ineptius quid excogitare potuiſſent, cum non tantum ea ratione idola ſua, quae pro diis habebant, debito honore priuarent; ſed multis mortalium, vt aegrotis, aut in alia quadam calamitate conſtitutis, ſpem auxilium impetrandi adimerent, cum haec eiusmodi eſſent, quae rex largiri cuiquam non poſſet. Videntur autem obtentui ſumſiſſe, quod ampliorem hac ratione regi maieſtatem conciliare vellent, dum viuus adhuc diis aequaretur. Et ita adulatione longe turpiſſima petiti ſui ſtoliditatem, pariter ac inuidiam & liuorem erga Danielem, tegebant; ſimulque facile a Dario, animi non mali, ſed ſimplicis, vt videtur, ingenii principe impetrarunt, vt mandatum hoc ſubſcriptione ſua firmaret.

Poſitum Danieli in more erat, tribus quotidie vicibus in coenaculo aedium ſuarum, in quo apertas Hieroſolymam verſus feneſtras habebat, inclinato in genua corpore, preces ad Deum fundere, eumque, nihil mandati regii ſeueritate permotus, & tum frequentabat morem. Sunt, qui dubitant, annon recte Daniel huncce morem tantiſper omittere potuiſſet, ad imminens periculum euitandum, cum ad preces ea ratione, vt omnibus hoc innoteſceret, ad Deum fundendas nulla lege obſtrictus eſſet. Disputatque ea de re FRANÇISCVS IVNIVS, ad *h. l.* Sed, cum in eum iam res deducta eſſet locum, vt Daniel hac ratione fidei ſuae confeſſionem edere deberet,

non ſine crimine huncce intermittere morem poterat. Certiores hac de re facti hoſtes Danielis, turmatim in aedes eius irrumpunt, vt ipſimet viderent, an ita res ſe haberet; deprehenſoque, quod preces ad Deum funderet, Daniele, extemplo ad regem ſe conferunt, hoc nomine eum delaturi. Callide autem regem primum interrogant, annon legem, qua omnes a quoquam aut hominum aut deorum, excepto rege ipſo, triginta dierum ſpatio, quidquam petere prohibebantur, & qui ſecus feciſſent, in leonum foueam proiiciendi erant, manu ſua, vt inuiolabilis eſſet, ſubſcripſiſſet? Rege id adfirmante, ſtatim ſubiiciunt, Danielem, vnum ex captiuis Iudaeis, tam parum regis curare auctoritatem, vt mandato iſto inſuper habito, tribus quotidie vicibus preces ad Deum ſuum fundere non dubitet. Non ſine cauſſa ſingulari eum vocant vnum מן בני גלותא *ex filiis captiuitatis Iudae*, cum hac ratione facinus eius exaggerare velint. Hominem ſcilicet peregrinum, ex populo, qui in captiuitate conſtitutus ſit, id ſibi ſumere, quod nemini ex Medorum Perſarumque proceribus impune facere liceat. Rex, cui Daniel perquam charus erat, iſta accuſatione in magnam triſtitiam coniectus, omnem nauauit operam, vt eum praeſenti periculo eximeret, multa vsque ad ſolis occaſum pro eo moliens. Sed Danielis hoſtes magna frequentia regem adeuntes, inſtabant, vrgebantque, Perſarum Medorumque morem, quem regi in Babylonico etiam imperio ſequi ſemel placuiſſet, non permittere, vt a lege, regis ſubſcriptione firmata, vel minimum diſcedatur. Conſenſit itaque tandem rex, vt adductus Daniel in foueam leonum proiiceretur; quem & his dimiſit verbis: *Deus tuus, quem colis ſemper*, הוא ישיזבנך *ipſe eripiat te*. Recte enim optatiue verbum hocce capitur, non autem indicatiue, vt vulgatus vertit: *ipſe liberabit te*. Quodſi enim vel maxime Darius tanta erga verum Deum fiducia fuit, vt non dubitauerit, quin Danielem erepturus eſſet, vix tamen credibile, hoc eum coram proceribus idololatriae addictis, tam libere profeſſurum fuiſſe. Coniecto in foueam Daniele, adlatus eſt lapis & ori foueae admotus. Locus enim ille, in quo alebantur leones, ita haud dubie comparatus erat, vt hac ratione claudi poſſet. Voluerunt nimirum Danielem per integram noctem in fouea iſta commorari, vt eo certius periret. Forte enim viderant, leones eum non ſtatim arripuiſſe. Lepidus eſt R. SALOM. IARCHI, lapidem hunc angelorum opera adductum referens, eo quod in Babylonia alios lapides praeter lateres, non haberent, vt ex *Geneſ. XI. 3.* colligit, idque inde confirmat, quod dicatur, adlatum eſſe אבן חדא *lapidem vnum*. Lapidem illum praeterea rex pariter ac optimates annulis ſuis obſignarunt. A rege quidem hoc fieri potuit, vt Daniel ab inimicorum iniuriis tutus eſſet, ab optimatibus autem, ne amicorum forte opera inde extraheretur.

Proba-

Probabile autem, conſilium hoc ab optimatibus, ſeu hoſtibus Danielis, fuiſſe ſuppeditatum, quippe qui, propenſum regis erga Danielem animum perſpicientes, metuebant, ne regis iuſſu ſtatim iterum ex fouea extraheretur. Atque hoc verba illa די לא תשנא צבו בדניאל haud obſcure indicant, quae vulgatus equidem reddit: *ne quid fieret contra Danielem*, quorſum & verſio germanica B. LVTHERI tendit, quam calculo ſuo adprobat atque defendit WOLFGANGVS FRANZIVS, de *interpretat. ſcripturae orac. CXLVII. p. 915. ſeqq.* ſed res ipſa docet, ita reddenda eſſe: *vt ne mutaretur voluntas circa Danielem.* Rex a fouea in regiam reuerſus, ſine cibo & cantu, quo ceteroquin Perſarum reges triſtitiam pellere ſolebant, cubitum concedit, totamque noctem inſomnis egit. Verba chaldaea: ודחון לא הנעל קדמוהי vulgatus reddit: *cibique non ſunt adlati coram eo;* & ita quoque B. LVTHERVS. Sed R. IOSEPH IACCHIADES, aliique ebraeae gentis doctores, vocem דחון de inſtrumentis muſicis exponunt. Quae & locum hic inuenire poteſt ſignificatio.

Vix aurora ſolem exoriturum adnuntiauerat, cum rex ſurgeret, & ſine mora ad leonum foueam ſe conferret, cumque ad eam adpropinquaſſet, Danielem בקל עציב *voce triſti*, vel, vt vulgatus habet, *lacrymabili* inclamans, *Daniel*, inquit, *ſerue Dei viuentis, potuitne Deus tuus, quem aſſidue colis, te a leonibus liberare?* Ex mente nimirum ſententiaque Danielis loqui videtur, cum Deum verum, *Deum viuum*, ſeu *viuentem* vocat. Hac enim formula Daniel, alique Israelitae, verum Deum ab idolis diſcernere ſolebant. Quo minus enim ipſe Darius de vero Deo, qui fuit Deus Danielis, plene perſuaſus credatur, cum alia, tum hoc inprimis obſtat, quod dubitet adhuc, an Danielem a leonibus liberare potuerit; itemque, quod verum Deum non Deum ſuum, ſed *Deum Danielis* adpellitet; quemadmodum & hactenus, quod idolorum cultui valedixerit, non legitur. Daniel audita regis voce laetus alacerque reſpondet, ſaluum ſe incolumemque eſſe, idque Dei ſui beneficio, qui angelum ſuum miſerit, occluſeritque ora leonum, ne ſibi nocerent, eoque ipſo patere, ſe innocentem prorſus eſſe, neque aut erga Deum, aut erga regem quidquam, quod eiusmodi promereatur poenam, commiſiſſe. Non tantum indicat, praeter naturae ordinem factum, vt illaeſus a leonibus manſerit, ſed angeli quoque miniſterio Deum hac in re vſum, nos condocet. Ora autem leonum dum occluſiſſe dicitur, ita hoc eſt intelligendum, vt Danielem laedere non potuerint. Tam fortiter enim vt comprimerentur, vt nec aperire ea, nec linguam mouere poſſent, nulla poſtulabat neceſſitas. Simile quid ſubinde contigiſſe, cum in veteri eccleſia chriſtiana ſancti martyres leonibus obiicerentur, hiſtoricorum nos dubitare non ſinunt annales. Magno tum gaudio rex perfuſus, educi e fouea Danielem

 iuſſit,

iuſſit, quem cum contemplarentur, ne minimam quidem in eo deprehenderunt laeſionem. Hunc nimirum ſuae, quam in Deo collocauit, fiduciae fructum retulit. Tam ingenti vero miraculo rex animoſior factus, non tantum educi Danielem e fouea, non exſpectato procerum conſenſu, iuſſerat, ſigillaque eorum ipſe remouerat, ſed iniuriam quoque tam ſancto viro factam aegerrime ferens, vt delatores eius adducerentur, & cum vxoribus liberisque in leonum foueam coniicerentur, mandauit; qui & cum vix deſcendiſſent, a leonibus arrepti atque deuorati ſunt, adeo vt oſſa quoque eorum comminuerent. De omnibus centum & viginti ſatrapis vna cum binis eorum praeſidibus, quo minus hoc intelligamus, multa obſtant. Nec etiam veroſimile, omnes eodem erga Danielem fuiſſe animo, aut eum apud regem detuliſſe. Illos itaque intelligere par eſt, qui prae reliquis infenſi erant Danieli, hinc & in eum conſpirauerant, ducesque & auctores factionis impiae erant. His nulla facta iniuria. Durum videtur, quod in vxores ac liberos eadem ſtatuta fuit poena. Non prorſus hoc excuſauerim. Contigit Dario, quod regibus euenire ſolet, vt nimium irritati, non ſemper modum in puniendo ſeruent. Datum hinc aliquid mori, apud varias gentes recepto, ſed non prorſus laudando, vt liberi etiam parentum, vxores maritorum culpam luerent. FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, proceres cauſſam ſeruati Danielis contuliſſe in leonum ſaturitatem, regem vero eorum malitia offenſum iuſſiſſe, vt multae carnes beſtiis obiicerentur, ſaturatis autem, ipſi proceres, Danielis inimici; ſed tum patuiſſe, Dei ope ſeruatum Danielem, ſiquidem a leonibus etiam ſaturis ſtatim fuerint lacerati, qui non famis ſedandae cauſſa, ſed ob iſtorum malitiam homines iſtos deuorauerint, *antiquitat. iudaic. lib. X. cap. XIV. p. 352.* Sed haec ipſemet IOSEPHVS commentus eſt, cum apud Danielem nihil ea de re legatur. Non vero poenas tantum a Danielis delatoribus ſumſit Darius, ſed ſolemni quoque edicto omnibus populis gentibusque imperio ſuo ſubiectis, verī Dei cultum commendauit, qui ſolus ſit verus, viuus aeternusque Deus, cuius regnum ſit ſempiternum, & poteſtas non ſit habitura finem; qui ſolus etiam ſeruator ſit, ac liberator, ſignaque & miracula in coelo pariter ac terra edat, quod luculenter demonſtrauerit, Danielem liberando ex fouea leonum. Danielis autem magna deinceps, & apud Darium, & apud Cyrum, qui ſubiecto ſibi Babylonico imperio, Darium excepit, fuit auctoritas. Atque ita cuncta eo tandem redibant, vt denuo veri Dei nomen apud multas gentes celebraretur, & captiuis Iudaeis per Danielem praeſidium aliquod atque ſolatium conciliaretur. Sub Dario hocce, de quo hactenus diximus, & quidem anno imperii eius primo, memorabilis illa viſio Danieli oblata eſt, quae *cap. IX.* deſcripta exſtat; in qua de tempore aduen-

aduentus Chriſti certior redditus eſt. De illuſtri hocce oraculo plura deinceps dicemus, cum doctrinam huius aetatis exhibebimus.

§. VIII.

Delato tandem ad Cyrum, cum totius orientis, etiam Babylonico imperio, cum ſeptuageſimus iam captiuitatis annus numeraretur, facta iterum Iudaeis ſingulari regis edicto in patriam redeundi, templumque Hieroſolymitanum reſtaurandi poteſtas, ſimulque vaſa ſacra, tum aurea, tum argentea, quae Nebucadnezar abſtulerat, reſtituta, & ita captiuitas illa ſoluta eſt. Contigit hoc anno primo Cyri, Babylone imperantis.*

* Poſtquam Cyrus, rex Perſarum, de cuius origine, educatione, rebusque geſtis deinceps, ad §. *XV.* dicemus, Aſiam imperio ſuo ſubiecerat, Babylonia adhuc ſupererat, quam vt idem ſibi ſubiiceret, nihil fecit reliqui. BEROSVS, quem & hic non ſine ratione ſequimur, auctor eſt, anno regni Nabonnedi, hoc eſt, Darii Medi, decimo ſeptimo, Cyrum, (qui ex Perſide magno cum exercitu venerat, & reliquam Aſiam omnem ſubegerat) Babyloniam inuaſiſſe; aduentu autem eius cognito, Nabonnedum cum exercitu occurriſſe, proelioque facto, victum cum paucis fugiſſe, & in vrbe Borſipperorum incluſum eſſe; Cyrum interea, Babylone capta, exteriora eius moenia dirui iuſſiſſe, quod videret ciues ad res nouas admodum mobiles, vrbem autem captu difficilem; inde Borſippum caſtra mouiſſe, vt Nabonnedum obſideret, qui cum ſe victori traderet, Cyrum humanitate erga eum vſum, Carmaniam illi pro habitaculo conceſſiſſe, qua in regione Nabonnedus etiam, quod ei reliquum erat, vitae tempus transegerit. Ita BEROSVS apud FLAVIVM IOSEPHVM, *libr. I. contra Apion. p. 1045.* Conſentit cum BEROSO MEGASTHENES, Cyrum Babylone potitum, Nabannidocho, Carmaniae principatum vltro conceſſiſſe, adſerens, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. libr. IX. cap. XLI. p. 457.* Obſidionem Babylonis & expugnationem deſcribit HERODOTVS, *libr. I. cap. XC.* & XENOPHON *Cyropaed. libr. VII. c. V. p. m. 440.* regem Babyloniae, quem non nominat, interfectum memorans. Babylone vrbe itaque occupata, tota quoque monarchia potitus eſt; quod dum fiebat, facile aliquod temporis ſpatium inter vrbis expugnationem & plenam monarchiae poſſeſſionem intercedere potuit, vti ſupra quoque iam nobis eſt obſeruatum. Atque iſtud quidem eſt illud tempus, a quo ſcriptura ſacra monarchiae Cyri initium ducit, dum anno primo Cyri ſolutam captiuitatem Babylonicam nos condocet, *II. chron. XXXVI. 22. Eſdr. I. 1.* Duplex nimirum fuit initium regni Cyri, primo Perſici, deinde Babylonici, ſeu monar-

narchiae, quam deſtructo imperio Babylonico, obtinuit. De vtroque illo initio legenda, quae DIONYSIVS PETAVIVS diſſerit, de *doctrina temporum libr. X. cap. XV. XVI.*

Iam ad ipſam Babylonicae captiuitatis ſolutionem, reditumque populi iudaici in patriam, quod attinet, cum ſecundum vaticinium Ieremiae, quo anni ſeptuaginta captiuitati huic deſtinati erant, de quorum computatione fuſe ad §. *I.* huius ſectionis diſputauimus, finis captiuitatis iſtius adpropinquaſſet, excitauit Deus animum Cyri, vt non tantum liberationem populi iudaici ſecum decerneret, ſed edictum etiam ſolenni ratione promulgaret, quo omnibus imperio ſuo ſubiectis ſignificabat, mandatum ſibi a Deo eſſe, vt aedem ei exſtrueret Hieroſolymae in Iudaea, ideoque ſe velle, vt omnes, qui ex populo iudaico ſint, Hieroſolymam fauſtis auſpiciis adſcendant, aedemque Dei Iſraelis reſtaurent, reliquos omnes autem, quos inter Iudaei degant, ſe adhortari, vt abeuntes, quacunque ratione poſſent, auro etiam, argento, pecudibus, aliisque opibus adiuuent, *Esdr. I. 2. 3. 4. II. chron. XXXVI. 23.* Cum Deus excitaſſe animum Cyri dicitur, haud dubie ita hoc intelligendum, quod, cum occaſio quaedam hac de re cogitandi illi offerretur, Deus animum eius flexerit, ad conſilium hocce amplectendum. Forte ipſe Daniel primus huius rei auctor ſuaſorque regi exſtitit, quippe quem eius gratia floruiſſe, conſtat ex *Dan. VI. 28.* FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, Cyrum hanc Numinis de ſe voluntatem cognouiſſe ex *lectione libri, qui Eſaiae prophetias continet, ducentis & decem annis ante ipſius aetatem conſcriptas.* Ab hocce enim vate ſecretum hocce proditum, quod Deus vellet, Cyrum, quem multarum ac magnarum gentium regem declaraturus eſſet, remittere populum ſuum in terram Iudaeam, & templum ſuum aedificare denuo; quae quidem Eſaias centum & quadraginta annis antequam templum deuaſtatum eſt, praedixerit. Hisce lectis, Cyrum admiratum vatis diuinitatem, correptum eſſe cupidine exſequendi, quae ſcripta legerat, conuocatisque clarioribus apud Babylonem Iudaeis, dixiſſe, ſe illis permittere, vt proficiſcantur in patriam, vrbemque Hieroſolymam & Dei templum aedificent denuo; *antiquit. iudaic. lib. XI. cap. I. pag. 357.* Sed his tuto fidem adhibere vix licet, cum incertum ſit, vnde iſta IOSEPHVS hauerit, nec inſolens ei ſit talia excogitare. Quod Cyrus porro in edicto *Esdr. I. 2.* dicit, a Deo ſibi mandatum, vt aedem ſibi exſtrueret, itidem non aliter intelligendum, quam ſe intellexiſſe, hanc Numinis voluntatem eſſe, vt Iudaeos dimitteret, iisque adeo facultatem templum reſtaurandi concederet. Ipſum enim Cyrum templum Dei non reſtauraſſe, conſtat. Neque tantum hanc facultatem conceſſit, ſed vaſa etiam domus Dei, quae Nebucadnezar Hieroſolyma abducta in aede deorum ſuorum

rum collocauerat, Judaeis reſtitui iuſſit. Factum id dicitur miniſterio Mithredatis הגזבר *praefecti aerario*, *Esdr. I. 8.* LXX interpretes vocem הגזבר nomen patriae eſſe, crediderunt, cum habeant: Γασβαρηνοῦ; vulgatus autem nomen patris, reddens: *filii Gozabar.* Sed aliis obſeruatum, poſſe hocce nomen ab antiqua Perſarum voce גנזא *ginza* aut *gaza* deriuari, vnde addita Perſicae linguae terminatione בר, vox גזבר orta ſit. Certe FLAV. IOSEPHVS vertit: *γαζοφύλακα*, *antiquitat. iudaic. libr. XI. cap. I.* Tradita porro haecce vaſa dicuntur לששבצר הנשיא ליהודה *Schesbazari, Iudae principi*, quo nomine Zorobabelem indicari veroſimile eſt, cui Schesbazaris nomen datum, cum ſolemne olim fuerit captiuorum nomina mutare. Idem *princeps Iudae* vocatur, quod & e regia ſtirpe prognatus, & praecipuae inter Judaeos ea aetate eſſet dignitatis. Vaſa, quae Iudaeis reſtituta ſint, ſpeciatim indicantur, *Esdr. I. 8. ſeqq.* Edicto Cyri regis promulgato, principes ex tribu Beniamin & Iuda viri cum ſacerdotibus & Leuitis, & aliis quibusdam, auro, argento, aliisque opibus a vicinis ſuis adiuti, iter in patriam ſusceperunt. Recenſet eos, qui hacce vice, cum Zorobabele, Ieſu ſeu Ioſua filio Iozedek, ſummo ſacerdote, aliisque praecipuae dignitatis viris, in Iudaeam profecti ſunt, Esdras, *cap. II. verſ. 1. ſeqq.* itemque Nehemias, *cap. VII.* Nec tamen omnes priſtinas eo tempore repetiuere ſedes, forte, quod nonnulli ad poſſeſſiones, quas in terra captiuitatis ſuae ſibi comparauerant, relinquendas, ſtatim inducere animum non potuerint; vt FLAVIVS IOSEPHVS coniicit, *antiquit. iudaic. lib. XI. cap. I.* Obſeruatum id & SVLPITIO SEVERO: *Itaque pauci tum in Iudaeam regreſſi, ceteris redeundi animus, an facultas defuerit, parum comperimus; hiſt. ſacr. lib. II. cap. VIII.* Numerus omnium, qui eo tempore reuerſi ſunt, indicatur *Esdr. II. verſ. 64.* omnem ſcilicet multitudinem fuiſſe quatuor myriadum, duorum millium, trecentorum ſexaginta, praeter ſeruos & ancillas, qui fuerint ſepties mille, trecenti, triginta ſeptem; qui numerus & repetitur *Nehem. VII. 66.* Sed ſi minores numeri tum apud Esdram, tum apud Nehemiam iungantur, ſumma non multo maior, tribus myriadibus inde efficietur, vt diſcrimen ſit vnius myriadis. Praeterea minores numeri apud Esdram non conſentiunt cum iis, qui apud Nehemiam exſtant, & maior numerus nihilo ſecius vtrobique vnus idemque eſt. Sed, cum fieri potuerit, vt poſt numerum maiorem initum, alii adhuc Iudaei ex diuerſis locis accederent, mirum non eſt, quod maior numerus minoribus non vsquequaque reſpondeat. Quae autem in minoribus apud Esdram & Nehemiam deprehenditur diuerſitas, inde forte orta eſt, quod diuerſo tempore catalogi iſti ſint confecti. Longe rectius haec dicuntur, quam ſi textus corruptio cum IO. CLERICO ad *h. l.*

h. l. ſtatuatur. Quae deinceps porro ad vrbis vsque ac templi Hieroſolymitani exſtructionem geſta ſint, in ſequentibus ediſſeremus.

De Daniele vero adhuc obſeruamus, anno tertio Cyri, ſeu monarchiae Babylonicae a Cyro occupatae, memorabilem illam ei obtigiſſe viſionem, quae *cap. X. & XI.* deſcribitur. Exhibetur in ea ſtatus imperiorum, quibuscum Iudaeis plurimum negotii interceſſit, ſimulque eccleſiae iudaicae ad Chriſti vsque aduentum in carnem, immo & deinceps eccleſiae chriſtianae ad finem vsque mundi. Nimirum *verſ. 2. capitis XI.* Perſarum reges deſignantur ad Xerxem vsque, qui bellum Graecis inferendo, monarchiae, quam Alexander magnus conſtituit, occaſionem praebiturus erat. Reliquos Perſarum reges, quippe quos commemorare non neceſſe erat, praetermittit; quod illos obſeruare oportebat, qui aut textum hic corruptum putant, aut difficultates ſibi ſine neceſſitate fingunt; conf. SAL. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacr. part. III. obſeruat. XIX. pag. 135. ſeqq.* Hinc ſtatim ad Alexandrum magnum tranſit. Ad hunc namque pertinent, quae *verſ. 4. & 5.* dicuntur. Tum ad ſucceſſores Alexandri progreditur, non omnes eos quidem, ſed illos, a quibus pericula & incommoda maxima Iudaeis imminebant, hoc eſt, Seleucidas, ſeu Syriae reges, & Lagidas, ſeu reges Aegypti: quorum illos intuitu Palaeſtinae *reges ſeptentrionis*, hos autem *reges auſtri* vocat. Praecipua horum fata, bella cumprimis, & quae inde in Iudaeos redundarunt incommoda, luculenter deſignat, ad Antiochum epiphanem vsque, de quo ſpeciatim *verſ. 21.* loqui incipit. Et haec quidem ſatis ſunt manifeſta, poſitaque extra controuerſiam. De iis vero, quae *verſ. 21.* ad finem vsque capitis ſequuntur, non vna omnium eſt ſententia. Nonnulli namque cuncta de antichriſto capiunt, nulla Antiochi habita ratione, quod & praeter alios HENRICVS HVLSIVS facit, de *vallibus prophetarum ſacris, exercitat. XIV.* Alii contra ad Antiochum cuncta referunt, nullam hic antichriſti fieri mentionem, contendentes, adeo, vt, ſi ille huius etiam typus tantum ſtatuatur, id praeter mentem fiat Danielis. PORPHYRIVM iam olim ita cenſuiſſe conſtat, quemadmodum ex recentioribus in hanc conceſſit ſententiam HVGO GROTIVS ad *h. l.* Alii rurſus diſtincte incedunt & a *verſ. 21.* ad *36.* de Antiocho, in reliquis de antichriſto verba fieri, autumant. Exemplum his praeiuit HIERONYMVS atque THEODORETVS, quorum plurimi ex recentioribus, noſtrae cumprimis eccleſiae doctoribus, preſſerunt veſtigia; hoc tamen diſcrimine, quod alii priora tantum de Antiocho capiunt, alii autem ſimul ſub imagine atque typo eius antichriſtum deſcribi contendunt. Atque hisce iterum HIERONYMVS fauet. *Hae autem*, inquit, *ſub Antiocho Epiphane in imagine praeceſſerunt, vt rex ſceleratiſſimus, qui perſecutus eſt populum Dei,*

Dei, *praefiguret antichriſtum*, *qui Chriſti populum perſecutus eſt*. Et hanc quoque reliquis praeferendam eſſe ſententiam, facile perſpicit qui cuncta paullo adcuratius penſitauerit; quod & luculenter a me, ni fallor, demonſtratum eſt in *diſſertat. de peccatis typicis*, quae in *ſyntagmate diſſertationum theologicarum* exſtat, §. *XXXVIII. & ſeqq.* vbi tum HENRICI HVLSII, tum HVGONIS GROTII rationes ex inſtituto profligaui. Legenda & quae contra HVGONEM GROTIVM, ABRAHAMVS CALOVIVS diſputat ad *Dan. XI.*

§. IX.

Cum autem Deus plurima, eaque plane ſingularia, ſui fauoris in ipſa captiuitate Babylonica erga Iudaeos exſtare voluerit documenta, vt iram amore temperatam in ipſa caſtigatione iſta intelligerent, ita vel maxime huc referendum, quod viri quidam pietate & ſapientia illuſtres, ea aetate exſtiterint, interque eos Daniel praecipue * atque Ezechiel vates, ** qui in rebus aſperis ciuibus ſuis ſolatio aliquando fuere & praeſidio, ſubinde & effecerunt, cumprimis Daniel, vt ipſa captiuitas tolerabilior illis redderetur. *** Referendi huc & ſummi ſacerdotes, quorum minime in captiuitate iſta turbatus ordo fuit.

* Pleraque equidem, quae de Daniele obſeruatu digna ſunt, iam attigimus. Nunc ergo reliqua paucis perſequemur. Virum fuiſſe, vt pietate illuſtrem, ita ſapientia ſumma, prorſusque ſingulari conſpicuum, quae hactenus de eo commemorauimus, neminem dubitare ſinunt. Sed ipſe quoque Deus hoc teſtatur, de ſapientia, quam Tyri princeps ſibi vindicabat, apud Ezechielem vatem, loquens: *Ecce! ſapientior es Daniele*, *nihil abſconditum eſt*, *quod abſconditum ſit tibi*, *cap. XXVIII. 3.* Sed excellens quoque eius pietas apud eumdem celebratur vatem, *cap. XIV. 14.* An propheta fuerit, quaerere ſuperuacaneum eſſet, niſi quosdam ex Iudaeis tanta cepiſſet dementia, vt hoc negare auderent. Hos inter ipſe MOSES MAIMONIDES eſt, qui Danielem prophetam proprie dictum, cui conueniat נבואה eſſe negat, etſi concedat, inter prophetas ſecundi ordinis, & in laxiori ſignificatione ita adpellatos, quibus רוח הקדש tribui queat, eum locum inuenire; in *more neuochim*, *part. II. cap. XLV.* Rationem hanc praecipue adfert, quod, etſi angelus ei videndum ſe dedit, eumque rerum futurarum notitia imbuit, per ſomnium tamen id factum ſit, nec angelum in ſeſe deprehenderit, quod ad veram prophetiam re-

requiratur. Atque hinc porro factum aiunt, qui eidem ſententiae adſtipulantur, quod liber Danielis in codice ſacro non inter נביאים *prophetas*, ſed tantum inter כתובים *bagiographa* referatur. Addunt nonnulli, apud PETRVM CVNAEVM *de republ. Ebr. lib. III. cap. VII.* Danielem non prophetico more vixiſſe, ſed in aula δυναςευτικῶς; quemadmodum rurſus alii & illud vrgent, quod ſpiritus propheticus non detur extra terram ſanctam. Haec vero omnia quam friuola ſint, nemo non intelligit. Nec aliud agunt Iudaei, ad euidentiam prophetiae Danielis, de tempore Meſſiae, eludendam talia comminiſcentes, quam vt cauſſae ſuae imbecillitatem prodant.

Etenim ad primum quod attinet, ſi vel maxime viſiones Danielis ei in ſomnio oblatae eſſent, inde tamen non ſequeretur, eum non eſſe prophetam, & quidem proprie ita dictum. Non enim haec, aut illa reuelationis ſpecies, ſed reuelatio ipſa futurorum, quae diuerſos modos admittit, quos inter & ſomnia ſunt, *Num. XII. 6.* prophetam facit. Nec ſane vnum modum reuelationis praeſtantiorem altero eſſe, aut probatum eſt, aut probari poteſt. Sed falſum inſuper eſt, Danieli omnes viſiones in ſomnio oblatas. Eam enim, quae *Dan. X. & XI.* deſcribitur, vigilanti obtigiſſe, non dubitauerit, qui cuncta adcurate ſecum expenderit. Diſcrimen porro, quod MAIMONIDES inter נבואה & רוח הקדש conſtituit, fundamento caret, nec ex ſcriptura ſacra, aut alia ratione probari poteſt. Legenda, quae hac de re monent LAVRENTIVS FABRICIVS, *partit. cod. ebr. cap. V.* CONSTANTINVS L' EMPEREVR ad *Iacchiadem pag. 4. ſeqq.* MARTINVS GEIERVS, *prolegom.* in *Dan. p. 5. 6.* Pari ratione & diſtinctio codicis ebraei in *legem*, *prophetas*, & כתובים ſeu *hagiographa*, tantae auctoritatis non eſt, vt nos morari debeat. Quando enim, aut a quonam orta ſit, non ſatis conſtat. Quod ſi enim vel maxime ſeruator ipſe prouocatione ſua ad Moſen, prophetas, & pſalmos, *Luc. XXIV. 44.* quae quorundam eſt ſententia, huc reſpexit, inde tamen non ſequitur, eo modo partitionem iſtam iam tum vſitatam fuiſſe, quo in codice ebraeo hodie conſpicitur. Parum autem concinnam eſſe, plurimisque laborare incommodis, aut ſi vel maxime ipſa claſſium conſtitutio tolerari queat, quorundam tamen librorum ad hanc aut illam claſſem relationem, minime probari poſſe, & res ipſa docet, & viri docti dudum oſtenderunt. Certe, cur Daniel ad hagiographa potius, quam prophetas, referendus ſit, nulla, ne probabilis quidem, ratio dari poteſt. Sed confecerunt hoc negotium, ABR. CALOVIVS, *bibl. illuſtr. tom. I. prolegom. pag. 652.* AVG. PFEIFFERVS, *crit. ſacr. cap. I. quaeſt. II. pag. 23.* aliique. FRANCISCVS equidem IVNIVS aliquid ſibi inueniſſe viſus eſt, quo probaret, Danielem ſine auctoritatis, quam merito obtinet, diſpendio, inter ſcripto-

Digitized by Google

res hagiographos referri. Hagiographos namque illos libros vocandos cenſet, qui poſt captiuitatem Babylonicam exarati, non in ipſa arca, ſed coram arca federis adſeruati fuerint; *prolegom. in Danielem.* At hoc ſi eſſet, quo quaeſo, iure Iobus, pſalmi & prouerbia Salomonis, inter hagiographa referrentur? Merito itaque virum doctiſſimum hic deſerunt, atque refellunt, ANDREAS RIVETVS, *praefat. in Hoſeam* & IO. HENR. HEIDEGGERVS, *enchirid. bibl. lib. I. cap. XXIII. §. III. pag. 292.* Ludicrum porro eſt, quod, qui Danielem ex prophetarum choro eliminatum volunt, obtendunt, eum non prophetico more, ſed in aula vixiſſe. Plane ac ſi nemo, qui in aula viuit, vitae ſanctitatem ſeruare poſſit, aut non ſeruauerit Daniel! aut, ac ſi Deus, neſcio qua lege obſtrictus eſſet, donum propheticum non niſi iis, qui in certo vitae genere conſtituti ſunt, concedere. Nec rectius dicitur, donum propheticum non dari extra terram ſanctam, cum tamen & Ieremiam & Ezechielem eodem in Aegypto & Chaldaea inſtructos fuiſſe, conſtet. Merito itaque inter prophetas ſuum obtinet locum Daniel, immo locum profecto haud extremum. Si enim propheta vere is eſt, qui clare & diſtincte euentus praenoſcit, & praedicit, quis tandem futuras rerum conuerſiones, imperiorum interitus, Chriſti aduentum & necem praenuntiauit apertius? quis temporibus adcuratius diſtinxit? Hinc & in nouo teſtamento non tantum eius ſubinde oracula adducuntur, aut vel impleta, vel implenda adhuc oſtenduntur, ſed ipſe ſeruator eum prophetae elogio ornat, *Matth. XXIV. 15.* Quod licet Iudaeos non feriat, apud eos tamen, qui ſe Chriſti diſciplinam ſequi profitentur, rem extra omnem controuerſiam ponit. Sunt tamen & inter ipſos Iudaeos, qui rectius de Daniele ſentiunt, eumque pro primi ordinis propheta habent. Certe, quae a MAIMONIDE ad deprimendum quodammodo Danielem adlata fuerunt, ipſemet refellit R. ISAAC ABARBANEL in *Daniel. fol. 17.* R. IOSEPH IACCHIADES, Danielem ſupremum prophetiae gradum attigiſſe, diſerte adſerit: ודניאל שהיה השלם שבכלם הגיע לקצה הגבול הנבואיי והבין בכל חזון וחלומות *Daniel vero, qui eorum erat perfectiſſimus, ſummum terminum propheticum adſecutus fuit, atque cum viſionis, tum ſomniorum rationem perſpectam habuit:* ad *Dan. I. 17. pag. 23.* Immo & ſecundum ipſius MAIMONIDIS definitiones & principia, prophetae nomen etiam ſtricte ſumtum Danieli conuenire, obſeruatum eſt PETRO DANIELI HVETIO, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. pag. 404.* Sed miſſis reliquis, FL. IOSEPHVM adhuc audiamus, a quo non tantum εἷς τις τῶν μεγίςων προφητῶν *vnus e maximis prophetis* adpellatur, & cum Deo colloquia habuiſſe dicitur, ſed aliis etiam prophetis anteponitur; οὐ γὰρ, inquit, τὰ μέλλοντα μόνον προφητεύων διετέλει, καθάπερ καὶ οἱ

ἄλλοι προφῆται, ἀλλὰ καὶ καιρὸν ὥριζεν, εἰς ὃν ταῦτα ἀποβήσεται· καὶ τῶν προφητῶν τὰ χείρω προλεγόντων. καὶ διὰ τούτων δυσχεραινομένων ὑπὸ τῶν βασιλέων καὶ τοῦ πλήθους, Δανιῆλος ἀγαθῶν ἐγίνετο προφήτης αὐτοῖς· *Non enim futura ſolum praedicere ſolebat, ita vt alii prophetae, ſed & tempus, quo haec euentura erant, determinabat. Cumque alii prophetae mala praenuntiarent, propterea que regum & vulgi odia in ſe concitarent, bonorum praenuntius his erat Daniel*; *antiquit. iud. lib. X. cap. vlt.*

Supereſt, vt de morte Danielis aliquid addamus. Pſeudo-EPIPHANIVS atque pſeudo-DOROTHEVS tradunt, Danielem Babylone obdormiuiſſe in pace, & in ſpelunca regia magnifice humatum eſſe, ipſumque ſepulcrum omnibus ad illum vsque diem fuiſſe notiſſimum. At aliis non Babylone, ſed in Media obdormiuiſſe Danielem placet. Pertinetque huc, quod FL. IOSEPHVS refert, a Daniele Ecbatanis Mediae exſtructam fuiſſe turrim mirabili artificio, tantaque operis firmitate, vt ad ſuam aetatem integra, nec vlla omnino parte labefactata, aut vetuſtate deformata, ſpectaretur; in ea ſepeliri, ad eam diem Medorum, Perſarum & Parthorum reges, eiusque cuſtodiam Iudaeo ſacerdoti credi ſolere, *antiquit. iud. lib. X. cap. XII.* Eadem refert HIERONYMVS iisdem fere verbis; hac vna re diuerſus, quod, quae Ecbatanis Ioſephus, Suſis ipſe locat, immo ſe a IOSEPHO ea ſumſiſſe profitetur, *in cap. VIII. Daniel.* PETRVS vero DANIEL HVETIVS, Danielem primum quidem Ecbatanis turrim excitaſſe, vel ad vrbis defenſionem, vel vt poſteris praeclarum magnificentiae ſuae monumentum relinqueret, auctor eſt, tum vero Suſianae regioni a Cyro denuo ſumma cum auctoritate praefectum, egregia ibidem exſtruxiſſe aedificia, ad regionis tutelam & ornamentum; atque horum quidem gnarum HIERONYMVM, ſed memoria lapſum, commemoratam a IOSEPHO turrim Medicam, cum Suſiana turri confudiſſe; quod & BENIAMINIS TVDELENSIS, ſua adhuc aetate Suſis Danielis exſtitiſſe ſepulcrum adſerentis, teſtimonio confirmare adnititur, *dem. euangel. part. I. prop. IV. pag. 406.* Sed, vt fieri potuit, vt HIERONYMVS per errorem pro Ecbatanis Suſas poneret, ita, an FL. IOSEPHO pariter ac BENIAMINI TVDELENSI ſatis tuto fides hac in re adhiberi queat, aliis diiudicandum relinquo. Legi merentur, quae tum de his, tum quae de Danielis ac ſociorum eius morte circumferuntur, fabulis diſſerit THOMAS REINESIVS, *lib. II. variar. lection. cap. XIII.* conf. & MARTINVS GEIERVS, *prolegom. in Danielem pag. 9.* De ſcriptis Danielis, tum genuinis, tum ſpuriis, deinceps erit dicendi locus.

** Ezechiel tribus Leuiticae fuit, ex familia ſacerdotali, filius Buzi, ipſe quoque ſacerdos; *Ezech. I. 3.* Buzum huncce patrem eius, ipſummet fuiſſe Ieremiam, Ebraeorum quorun-

rundam fabula eſt, ſatis illepida. Vocatus ad munus propheticum fuit quinto poſt ſuam cum Iechonia deportationem anno; qui & *annus trigeſimus* dicitur, num ab initio regni Nabopolaſſaris ſeu Nebucadnezaris primi, vt cum SCALIGERO, SETHVS CALVISIVS, *iſagog. chronolog. cap. XXXIII.* aliique exiſtimant, an ab inuento ſub Ioſia legis libro per Hilkiam, vt cum chaldaeo HVGO GROTIVS, ad *Ezechiel. I. 1.* & alii, an ab anno iubilaeo, vt R. DAVID KIMCHI & HIERONYMVS, an ab ipſius prophetae natiuitate, vt poſt ORIGENEM, GREGORIVM magnum, aliosque plurimos, GVIL. LANGIVS de *ann. chriſti lib. II. cap. XIII.* an aliunde? certo definire non licet. Diſputant hac de re magnopere chronologi, ſed ita, vt facilius aliorum ſententias refellant, quam quae reliquis praeferenda ſit, demonſtrent. Legenda, quae copioſe hac de re commentatur ABR. CALOVIVS, ad *Ezech. I. 1.* item in *chron. bibl. ſect. V. quaeſt. XXII.* Eo tempore, quo prima viſio illi oblata eſt, apud fluuium Chebar, ſeu Chobar fuit, qui Meſopotamiam, Chaldaeis tum ſubiectam, irrigat, & PTOLOMAEO χαάβωρος, STRABONI Αβόρρος, AMMIANO MARCELLINO *Abora* vocatur.

Ceterum, cum initium prophetiae eius in medium regni Zedekiae incidat, eodem tempore in Babylonia munere prophetico functus eſt, quo eodem in Iudaea adhuc fungebatur Ieremias. Quod non ſine ſingulari Numinis cura factum eſſe, vt credamus, par eſt. Ita enim & illis, qui iam abducti in captiuitatem erant, & illis, quos haecce aut deteriora adhuc fata manebant, eadem adnuntiabantur. Vnde & eo minus, iuſſu, mandato & inſtinctu diuino ea fieri, dubitare poterant. Vtrique etiam, cum Ieremiae, tum Ezechieli, cum hominibus incredulis, refractariis, cumprimis cum pſeudo-prophetis, qui populo longe alia perſuadebant, colluctandum erat. Apud ipſos autem captiuos in Babylonia eiusmodi pſeudo-prophetas fuiſſe, vel ex *Ierem. XXIX. 20. 21. 22.* diſcimus, vbi Achabus filius Cholaiae, & Zedekias filius Maaſiae commemorantur, quibus & ceu populi ſeductoribus, funeſta quaeuis & memorabile exitium diuinus vates denuntiat. Ex eodem numero Semaiah Nechalamites fuit, qui litteris ad Zephaniam, ſummum ſacerdotem datis, eum tamquam ſegnem vel mollem increpabat, quod Ieremiam, ceu hominem phreneticum, non coerceret; *ib. v. 24.* Cum hisce ſimilibusue haud dubie grauiter dimicandum fuit Ezechieli, ne falſis eorum ſermonibus ſeduceretur populus, atque in transuorſum ageretur. Cum anno Zedekiae nono Nebucadnezar Hieroſolymam obſidione cinxiſſet, Ezechiel anguſtias obſeſſorum, captiuis in Babylonia per ſimilitudinem quamdam adumbrare iuſſus eſt, *cap. XXIV. 1. ſeqq.* Anno vero decimo captiuitatis Iechoniae, quidam, qui fuga vitam ſeruauerat, ex Iudaea ad Ezechielem acceſſit, nuntiauitque, vrbem expugnatam eſſe,

cap. XXXIII. 21. Ad quam quidem Iudaeorum calamitatem cum pſeudoprophetae plurimum contuliſſent, nata hinc Ezechieli videtur occaſio, inuehendi in malos paſtores *cap. XXXIV.* Anno captiuitatis Iechoniae vigeſimo quinto, cum gentes pleraeque, contra quas Ezechiel vaticinatus erat, iugum Nebucadnezaris ſubiiſſent, viſio admodum illuſtris illi contigit, in qua ſub templi ſchemate ſtatus eccleſiae noui teſtamenti praefigurabatur, *cap. XL.* ad *XLVIII.* Expugnata hinc a Nebucadnezare vrbe Tyro, vaticiniisque Ezechielis etiam hac ex parte adimpletis, anno vigeſimo ſeptimo captiuitatis victoriam Nebucadnezaris contra Aegyptios praedixit, *cap. XXIX. 17. 21.* Et haec demum vltima videtur fuiſſe viſio Ezechielis. Vnde & colligitur, eum per annos circiter XXII munere prophetico functum.

Quid poſtea ei contigerit, non conſtat. Probabile, eum mox mortuum, aut occiſum eſſe. Pſeudo-EPIPHANIO in *vitis prophetarum* ſi credimus, a quodam gentis ſuae principe interfectus eſt, cum eum populumque adeo ad idola colenda proniorem, ad virtutem verique Numinis cultum excitaret. De ſepulcro eius, miraculoque circa illud edito, idem miras nobis narrat fabulas. Nec melioris notae ſunt, quae BENIAMIN TVDELENSIS *itinerario* ſuo, de monumento ſuper ſepulcrum Ezechielis a Iechonia & Iudaeis ſplendidiſſime exſtructo, deque ſynagoga ibidem inſtituta & bibliotheca locupletiſſima, in qua volumen ingens viſebatur, Ezechielis manu ſcriptum, & expiationis die praelegi ſolitum, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, commemorat. Recte talia a viris doctis exploduntur; conf. HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. XIX. §. X. XI. p. 244. ſeqq.* Iungenda &, quae hac de re colligit IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, in *codice pſeudepigrapho veter. teſtam. p. 1120.* Id vero nobis praetermittendum non eſt, quod CLEMENS Alexandrinus refert, exiſtimare nonnullos Nazaratum Aſſyrium, quem Alexander in libro de Pythagoricis ſymbolis, Pythagorae praeceptorem fuiſſe, ſcribit, eundem eſſe ac Ezechielem; quam tamen ipſe reiicit opinionem; *ſtromat. lib. I. p. 504.* At PETRVS DANIEL HVETIVS eos minime erraſſe cenſet, qui per Nazaratum Aſſyrium, Ezechielem intellexerunt; idque vt euincat, apud CLEMENTEM pro Ναζαράτῳ legendum putat Ζαράτῳ, Zaratum autem non alium eſſe, quam Zoroaſtrem, quo nomine non tantum Moſes, ſed & Ezechiel veniat; *demonſtrat. euangel. part. I. propoſ. IV. p. m. 397.* Quae tamen, quod pace viri doctiſſimi dixerim, lubrica plane & longe admodum petita eſſe, nemo non intelligit. De ſcriptis Ezechielis tum genuinis, tum perperam ei tributis, in ſequentibus, ad §. *XIII.* dicemus.

*** Inter viros pietate hac aetate illuſtres numerandi etiam ſunt, ſocii Danielis, Hananias, Miſael, & Aſarias. Sed, quae de iis dici poſſunt,

ſunt, iam ſupra attigimus. De Eſthera & Mardochaeo, qui itidem a nonnullis ad hocce temporis interuallum referuntur, rectius in ſequentibus dicemus.

* Seraiam vltimum ante captiuitatem Babylonicam fuiſſe ſacerdotem ſummum, diximus ſupra, ad *ſect. praecedent.* §. *XXX.* Filius eius Iehoſedek, cui ſucceſſio in pontificatum debebatur, abductus eſt in captiuitatem, *I. chron. VI. 15.* Ioſedeci filius fuit Ioſua, qui cum Zorobabele ex captiuitate Hieroſolymam rediit, primusque adeo poſt captiuitatem Babylonicam ſacerdos ſummus fuit, *Esdr. II. verſ. 2. Nehem. XII. verſ. 10.* conf. & *Zachar. III. v. 1. ſeqq.* Sunt &, qui Esdram pontificatum geſſiſſe putant. Sed cum is filius Seraiae ſecundo genitus fuerit, quod fratri maiori praelatus ſit, niſi praegnans eius rei adferatur ratio, vix perſuadebitur. Legenda, quae hac de re diſputat IO. SELDENVS, de *ſucceſſ. in pontific. lib. I. c. VI. p. 34.*

§. X.

Religio autem vera, quam a patribus atque maioribus ſuis veri Dei cultores acceperunt, in captiuitate hacce Babylonica non immutata, ſed repurgata potius fuit, haud paucis quidem ad mentem meliorem traductis, & magnam animo aduerſus omnem idololatriam concipientibus auerſionem;* immo & latius per gentiles diſperſa, ex quibus nonnullos veri Dei cognitione tum imbutos, a vero non abhorret.** Doctrina etiam de Meſſia, ceu praecipuo Israeliticae religionis capite, eiusque regno ſpirituali, non tantum propagata, ſed magis etiam confirmata, & per noua vatum, qui in hocce temporis interuallo exſtitere, oracula mirifice illuſtrata fuit.***

* Hoc vel inde conſtat, quod Iudaeis, poſtquam ex captiuitate Babylonica ad patrios lares redierunt, craſſior illa idololatria non fuerit exprobrata. Vitia illorum grauiſſima redarguunt Haggaeus, Zacharias, Malachias, diuini vates. Sed cultus extranei reos non agunt. Quam acriter plerique gentiliſmo, a Syrorum quibusdam regibus, Antiocho maxime epiphane, introducendo ſe oppoſuerint, in ſequentibus dicetur. De Iudaeis autem hoc intelligimus, non de Samaritica colluuie. Multo vero minus de calumniis, ab ethnicis in Iudaeos ſparſis, nunc loquimur, de quibus alias iam ex inſtituto dictum. Legenda omnino, quae de idololatria craſſiori apud Iudaeos poſt templi primi excidium, ceſſante, diſſerit IOANNES SELDENVS, de *iure natur. & gent. iuxta diſciplinam Ebraeorum*, *lib. II. cap. L. p. 130. 132.*

** Qui miracula hoc tempore inter

inter ethnicos a Deo edita, regumque potentiſſimorum, Nebucadnezaris, Darii Medi, Cyri, ſolemni ritu promulgata edicta, quibus veri Dei cultum omnibus imperio ſuo ſubiectis gentibus commendarunt, ſecum expenderit, vix dubitauerit, quin plurimi ex ipſis gentilibus ad veri Dei notitiam peruenerint. Peruenire ſane potuiſſe, dubio caret. Et ipſi quoque iſti reges, Nebucadnezar, Darius Medus, atque Cyrus, per hancce populi iudaici captiuitatem, ad veri Dei peruenerunt notitiam, an vero ei eo vsque locum reliquerint, vt de aeterna quoque eorum ſalute bene ſperandum ſit, quod HIERONYMVM aliosque facere conſtat, in medio relinquimus. Certe haud contemnendae obſtant rationes, quo minus id temere credere queamus. Repetenda, quae hanc in rem de Nebucadnezare diſputauimus ad ſectionis huius §. *III.* conf. & FRIDERICVS SPANHEMIVS, *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. I. opp. pag. 401.*

*** Varia equidem, eaque luculenta admodum de praecipuis theologiae, qualis hoc tempore in gente iudaica fuit, capitibus, apud Ezechielem pariter ac Danielem, deprehendimus documenta, ſed iuuat in praeſenti ſolum illuſtre illud de Meſſia, atque aduentus eius tempore, quod *Dan. IX. 24. ſeqq.* exſtat, oraculum expendere. Ex reliquis vatum diuinorum oraculis, quis qualisue Meſſias futurus eſſet, iam aperte conſtabat. Hoc adhuc ſupererat, vt tempus, quo adparere inter mortales, & quae ſalutis eorum ratio poſtulabat, peragere debebat, adcurate determinaretur. Anno nimirum primo Darii Medi contingebat, vt Daniel ſeptuaginta annos, quos populi iudaici captiuitati conſtitutos Deus per Ieremiam ſignificauerat, enixiori ſtudio conſiderans, calamitatesque maximas gentis ſuae ſerio ſecum expendens, in preces ardentiſſimas ſolueretur, quibus populi ſui peccata palam confitebatur, ſimulque Deum, vt tandem irae ſuae modum poneret, captiuitatisque foedae finem faceret, orabat. Dum ergo in eo erat, Gabriel angelus illi adparuit, ſeque a Deo miſſum profitebatur, vt illum doceret, quae vel maxime doceri auebat. Hic ergo, cum paucis praefatus eſſet, *ſeptuaginta*, inquit, *hebdomades, abbreuiatae ſunt, ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, &c.* Nimirum breuiter, quae paullo obſcurius dicta hic occurrunt, nobis explicanda ſunt, vt de re ipſa deinceps eo rectius ſtatuere queamus.

Ad *ſeptimanas* itaque quod attinet, in confeſſo eſt, quod & res ipſa docet, non ſeptimanas dierum, ſed annorum intelligendas eſſe, quarum quaelibet ſeptem annos complectitur, vt adeo ſumma annorum CCCCXC inde exſurgat. Certe dierum ſeptimanas non intelligi, vel inde liquet, quod intra ſeptem eiusmodi ſeptimanas, hoc eſt XLIX dies, aedificatas eſſe plateas & muros vrbis Hieroſolymae, & intra ſeptuaginta ſeptimanas dierum, hoc

hoc eſt, anni vnius & octodecim hebdomatum ſpatium, iſta omnia, quae ſecundum hocce vaticinium implenda fuerunt, impleta fuiſſe, aperte falſum ſit. Falluntur vero etiam citra controuerſiam illi ex Iudaeis, qui ad argumentum, quod ex hocce oraculo contra eos deſumitur, eludendum, annos iubilaeorum intelligunt, quorum ſinguli XLIX annis abſoluuntur, vt adeo ſumma MMM CCCC XXX annorum inde reſultet. Praeterquam enim, quod exemplo comprobari nequeat, eiusmodi annos iubilaeorum hebdomadum nomine in ſcriptura ſacra venire, euentus docuit, templum ſecundum tot annos non ſtetiſſe. Atque inde etiam pater, quid de ORIGENIS ſententia cenſendum ſit, ſeptimanae cuilibet ſeptem annorum decades tribuentis, vt inde ſumma efficiatur MMMM D CCCC annorum, *homil. XXIX.* in *Matthaeum.* conf. PETRVS GALATINVS, de *arcanis cathol. veritat. lib. IV. cap. XIV.* Receptam illam, quae & noſtra eſt, ſententiam ex ipſis Ebraeorum magiſtris calculo ſuo comprobant R. SAADIAS, R. SALOM. IARCHI, R. ISAAC ABARBANEL, R. IOSEPH IACCHIADES, ad *h. l.* R. MENASSEH BEN ISRAEL, de *termino vitae*, *pag. 168.* aliique aliis iam laudati. Nec diſcedit magnopere ab ea, qui ex inſtituto & erudite hac de re commentatus eſt, ALEXANDER SOSTMANNVS, in *commentario chronologico*, *philologico & exegetico oraculi Daniel. IX. 24. 27. de LXX hebdomadibus*, Lugduni anno M DCC edito, niſi quod ſupponens, fundamentum huius numeri in lege Moſaica de anno remiſſionis & Iubilaei *Leuit. XXV.* quaerendum eſſe, ſeptuaginta hebdomatum Danielis numerum decem iubilaeis abſolui credat, hoc eſt annis quinquaginta, vt ipſe quidem exiſtimat, decies repetitis, qui adeo numerum annorum quingentorum conficiant. Verum vt nondum ſatis euicta ſunt, quae vir ille doctus fundamenti loco ponit, ita ex ſequentibus patebit, numerum annorum CCCCXC, qui ex recepta ſententia exſurgit, euentui & adplicationi oraculi tam adcurate reſpondere, vt cauſſam nullam videam, cur ab eo ſit diſcedendum. Dum vero annorum CCCCXC mentionem facimus, qui ex ſeptuaginta iſtis Danielis hebdomadibus exſurgant, haud abs re fuerit, monere, nos annos hic intelligere ſolares. Sunt enim, qui IVLIVM AFRICANVM ſecuti, annos lunares intelligere maluerunt, quos inter praeter AVGVSTINVM TORNIELLVM, IAC. SALIANVM, aliosque haud vltimum locum tenet PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IX. cap. VIII. §. IX. p. m. 669.* conf. & CONSTANTINVS L'EMPEREVR, ad *Iacchiadem p. 198.* Nimirum cum ſeptuaginta hebdomadum initium ab anno viceſimo Artaxerxis longimani ordiantur, numerus annorum CCCCXC, ſi ſolares intelligerentur, vltra finem, quem conſtituunt, procurreret. Quod vt euitent incommodum, ad annos lunares ſe recipiunt. Qua de re quid ſentiendum ſit, ex dicendis patebit. Nunc id

id ſolum obſeruo, violendam hanc eſſe ex hisce difficultatibus eluctandi rationem, cum vbique in calculis ſcripturae ſacrae anni cenſeantur ſecundum periodos ſolis. Mirum itaque, ſi Daniel annos lunares hic adhibuiſſet. Accedit, quod ne hac quidem ratione nodum iſtum ſoluant, vt recte monet CAMPEGIVS VITRINGA, v. c. *obſeruation. ſacr. libr. VI. cap. I. §. IX. p. 240.*

De ſeptuaginta itaque hisce hebdomadibus dicitur, quod fuerint *definitae*, vel *determinatae*. In ebraeo eſt: נחתך על עמך ועל עיר קדשך *decretum vel definitum eſt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam.* Verbum חתך, vnde נחתך (quod hic imperſonaliter ſumitur) ſignificat *ſcindere*, *abſcindere*, *excidere*, *incidere*; ſed *decidendi* etiam atque *decernendi* ſignificationem admittit, immo & *determinandi*. Vnde ex ipſis Ebraeorum magiſtris quidam illud per גזר *decreuit*, explicant. LXX interpretes habent: συνετμήθησαν, quos haud dubie vulgatus ſecutus eſt, vertens: *Abbreuiatae ſunt.* Atque hinc nonnulli putant, elici poſſe, quod anni lunares intelligantur, quippe qui breuiores ſint ſolaribus. Quod quam longe petitum ſit, vel me non monente quilibet intelligit. De definito temporis ſpatio hic agi, res ipſa & vocis ebraeae ſignificatio docet. Nonnulli vero hoc ita capiunt, ac ſi ſpatium iſtud ſeptuaginta hebdomadum definitum ſit vsque ad excidium populi iudaici, & πανολεθρίαν vrbis Hieroſolymitanae. Sed cum iſti finem ſeptuaginta hebdomadum vltra, quam par eſt, protrahant, cum in ſequentibus demonſtraturi ſimus, paſſionem mortemque Chriſti in medium vltimae hebdomadis cadere, rectius alii, horum verborum huncce ſenſum eſſe, ſtatuunt, ſeptuaginta hebdomadas decretas, definitasque eſſe, in quibus in populo iudaico & vrbe Hieroſolyma ea peragi debeant, quae ſtatim angelus ſubicit. Voces על עיר קדשך vertendae ſunt, *ſuper vrbem ſanctitatis tuam*; hoc eſt, ſuper vrbem tuam ſanctam. Ineptum enim ſenſum funderent, ſi verterentur: *ſuper vrbem ſanctitatis tuae.* Hieroſolymam ſubinde *vrbem ſanctam* vocari, vel ex nouo etiam teſtamento patet; conf. *Matth. IV. 5. XXVII. 53.* Rationem alii exponunt; conf. IO. VORSTIVS *exercitat. de ſeptuaginta hebdomad. Danielis, §. IV. faſc. IV. opuſcul. ad hiſtoriam & philologiam ſacr. ſpectant. p. 897. ſeqq.* Indicaturus autem, quae in hocce temporis interuallo in populo iudaico & Hieroſolymis ſpeciatim peragenda ſint, pergit: לכלא הפשע ולחתם חטאות *ad cohibendam praeuaricationem & obſignandum peccatum, &c.* Vulgatus τὸ לכלא vertit, *vt conſummetur*, reſpiciens haud dubie ad verbum כלה, quod ſignificat *conſumſit*, *finiuit.* Cumque litterae א & ה ſaepius inter ſe permutentur, nihil obſtat, quo minus haec locum hic inueniat, interpretatio. Senſus tamen eodem tandem redit. Siue enim dicas, vim peccati infringendam eſſe, ſiue, finem

hacte-

haſtenus ei imponendum, ne nobis amplius noceat, perinde eſt. Idque, qua ratione per Meſſiam effectum ſit, ſatis notum eſt. HVGO GROTIVS vocem פשע de *poena peccatorum* accipit, ac ſi poena Iudaeorum per vrbis Hieroſolymae deuaſtationem hic intelligatur. Ita viro doctiſſimo cum Iudaeis ineptire placuit. Pari namque ratione R. SALOM. IARCHI de luitione ſcelerum plenaria hoc accipit, per captiuitatem Romanam, quam ſecutura ſit reſtitutio iuſtitiae antiquae. Sed niſi data opera caecutire vellent, animaduertere poſſent, Gabrielem de iis loqui, quae ante vrbis excidium Hieroſolymis & in populo iudaico euenire debebant. Pro לחתם *ad obſignandum* legendum eſſe, להתם ad *conſummandum*, in maſorah marginali notatur, fauetque huic lectioni vulgatus, vertens; *vt finem accipiat*, itemque AQVILA, reddens: τȣ̃ τελειῶσαι τὴν ἁμαρτίαν· Priori autem modo legerunt LXX interpretes, vertentes: σφραγίσαι, ad *obſignandum*; quemadmodum & TERTVLLIANVS, *aduerſ. Iudaeos* hunc locum adlegans, habet: *vt ſignentur peccata.* Senſus vnus idemque ex vtraque voce reſultat, cum, quae obſignata ſunt, hoc ipſo abſcondita ſint, atque ab hominum conſpectu remota; quod ſi de peccatis adſeras, perinde eſt, ac ſi dicas, ea finem accepiſſe, ſeu non amplius eſſe, quoad certum ſcilicet effectum, vt hominibus in Meſſiam credentibus non amplius noceant. Atque hoc luculentius ipſe angelus explicat, dum porro addit: ולכפר עון & *ad expiandam iniquitatem.* Docet namque, qua ratione cohibenda ſit praeuaricatio, & peccata obſignanda, ſeu abſcondenda, per expiationem ſcilicet, cuius imaginem ac typum ſacrificia veteris teſtamenti exhibuiſſent. Hinc vero & intelligitur, quid ſibi velit, quando porro dicit: ולהביא צדק עולמים *& ad adducendam iuſtitiam aeternam.* Ex peccatorum enim noſtrorum expiatione & ſatisfactione pro iſtis a Chriſto praeſtita, non poteſt non hoc fluere, quod per iuſtitiam eius nobis imputatam iuſti reputemur coram Deo, quod & Paulus docet *Rom. III. 23. ſeqq. V. 18. 19.* alibique. Hinc & Meſſias dicitur *Iehoua iuſtitia noſtra, Ierem. XXIII. verſ. 6.* Hanc vero iuſtitiam Chriſtus dicitur *adduxiſſe*, dum eam ſanguine atque morte ſua nobis comparauit, quod Paulus *Ebr. IX. verſ. 12.* verbo εὑρίσκειν exprimit, dum Chriſtum *aeternam inueniſſe* dicit λύτρωσιν. Aeterna nimirum eſt haecce λύτρωσις, quia beatitudo, quam fideles, ſi quidem in fide permaneant, per eam conſequuntur, finem non eſt habitura. Ineptum eſt, quod R. IOSEPH IACCHIADES, iuſtitiam hanc intelligit de tabulis domus aeternae, quae fuerint in aede ſecunda, ad *h. l.* Nec rectius HVGO GROTIVS per adductionem iuſtitiae intelligit, *publicationem euangelii*, merito refutatus ab ABRAHAMO CALOVIO, ad *h. l.* Nec obſcurum, quid ſibi velit, quando vlterius ſubiicit: ולחתם חזון ונביא *& ad obſignandam viſionem & prophetiam.* Obſigna-

qqqq 2

ſignationis tum in occultatione ac occluſione rei cuiusdam vſus eſt, quo ſenſu antea vox haec vſurpata fuit, tum in confirmatione, vt ex *Nehem. X. 1. 2. Ierem. XXII. 10. 11.* colligitur. Prior ſignificatio licet hactenus & hic admitti queat, ſi occultatio vel remotio vaticiniorum, ob eorundem complementum intelligatur; poſterior tamen melius huc quadrat, & ceu planior minusque coacta praeferenda. Confirmata itaque ſunt vaticinia & oracula veteris teſtamenti, ipſo euentu ea ita comprobante, vt de illorum veritate dubitari prorſus nequeat. Finis enim & ſcopus vaticiniorum fuit Chriſtus, eiusque regnum, quod excitaturus eſſet, vna cum beneficiis per eum in hominum genus conferendis. *Omnes* enim *prophetae* & *lex vsque ad Ioannem*, *Matth. XI. 13.* confer. & *Ioan. I. 45. V. 39.* Vocem נביא *propheta*, poſitam eſſe pro נבואה *prophetia*, res ipſa loquitur. Hinc & LXX interpretes vertunt: *τοῦ σφραγίσαι ὅρασιν καὶ προφητείαν*, & vulgatus; *vt impleatur viſio & prophetia.* Nec infrequens hoc in ſcriptura ſacra eſſe, exemplis oſtendi poterat; conf. IOAN. VORSTIVS, *loc. cit.* §. *VII. pag. 902.* inepte autem iterum R. IOSEPH IACCHIADES hoc intelligit de ſpiritu prophetico, qui defuerit in templo ſecundo, ad *h. l.* R. ISAAC ABARBANEL autem, ſibi hic inueniſſe viſus eſt, quod nobis opponat, Meſſiae fuiſſe, contendens, non obſignare, ſed aperire vaticinia. At dum confirmauit ea, oſtendendo ea in ſe adimpleta eſſe, reuera quoque aperuit. Hinc & eſt, quod vaticinia veteris teſtamenti longe rectius intelligamus; quam Iudaei, qui in iis explicandis talpis caeciores ſunt.

Quod vltimo loco angelus ſubiungit, praecipuum fere eſt: ולמשח קדש קדשים *& vt vngatur ſanctus ſanctorum*, aut potius *ſanctitas ſanctitatum*; hoc eſt, *ſanctiſſimus.* Vbi, quid per *ſanctitatem ſanctitatum* intelligatur, quaeritur. Ex Iudaeis nonnulli, VT R. SAL. IARCHI ſanctum ſanctorum templi tertii, a Meſſia, quem adhuc exſpectant, excitandi, ſignificari exiſtimant. Sed cum ſeptuaginta iſtae hebdomades dudum praeterlapſae ſint, & miſeri iſti ſuum Meſſiam fruſtra adhuc exſpectent, commiſeratione digniores ſunt, quam refutatione. Alii & quidem ex chriſtianis doctoribus, ſanctuarium templi veteris, prout per oblationem vnius & verae victimae, hoc eſt, mortem Meſſiae, conſecrandum & conſummandum fuerit, intelligunt, cum illud per mortem Chriſti omnem efficaciam ſuam atque valorem impetrauerit. Alii rurſus ſanctuarium coeleſte, quod ingreſſu ſuo nobis aperuerit, & conſecrauerit ſeruator, ſignificari putant. IOANNES COCCEIVS eccleſiam noui teſtamenti intelligit, ſpiritus ſancti donis, tum ordinariis, tum extraordinariis, per Chriſti meritum partis, inunctam, ad *Ebr. IX. v. 22.* Atque ita etiam CAMPEGIVS VITRINGA: *eccleſia noui teſtamenti corpus Chriſti Ieſu myſticum, large perfundatur donis ſpiritus ſancti; obſeruation.*

nation. ſacrar. lib. VI. cap. I. §. IV. p. 238. Alibi tamen IOAN. COCCEIVS verba haec exponit de vnctione Chriſti inchoata in incarnatione, & continuata in effuſione ſpiritus ſancti ſuper eccleſiam liberatam, ad *Hagg. II. v. 6.* Recepta vero eſt ſententia, per *ſanctitatem ſanctitatum* ipſum Chriſtum intelligendum eſſe; quam ex patribus THEODORETVS, HIERONYMVS, TERTVLLIANVS, ex recentioribus PETRVS GALATINVS, de *arcan. cathol. veritatis lib. IV. cap. XVIII.* aliique, immo & nonnulli ex ipſis Iudaeis, ſed de ſuo, quem exſpectant, Meſſia, cogitantes, vt MENASSEH BEN ISRAEL, de *termin. vitae, pag. 175.* calculo ſuo adprobant. Ieſus ſane Nazarenus, quem nos pro Chriſto ſeu Meſſia habemus, iure meritoque dicitur *ſanctiſſimus*, ſiue diuinam naturam, ſiue humanam, cum diuina, vnione perſonali coniunctam, ſpectes. Vnde idem angelus Gabriel, qui ad Danielem haec locutus eſt, eadem fere ratione de eo ad beatam virginem Mariam loquitur: τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ, *Luc. I. 35.* Eum etiam qua humanam naturam vnctum, hoc eſt, donis ſpiritus ſancti longe praeſtantiſſimis ornatum inſtructumque fuiſſe, notum eſt vel ex *Eſa. LXI. 1.* Vnde & oleo laetitiae vnctus dicitur, prae conſortibus, *pſalm. XLV. 8.* Mirum in modum tum haec, tum reliqua, quae hactenus explicauimus, peruertit IOANNES MARSHAMVS, id omni ſtudio agens, ne oraculum hocce de Chriſto accipi queat, *can. chron. ſect. XVIII. p. 610. ſeqq.* Priorem nimirum hancce vaticinii partem de ſolutione captiuitatis Babylonicae per Cyrum, & reipublicae iudaicae ac templi reſtauratione, accipit. Hinc cum dicitur, *ad conſummandam praeuaricationem*, ſenſum eſſe putat; vt exilium, quo Deus puniit Iudaeorum contumaciam, finem accipiat; verba: *ad obſignandum peccata*, explicat: vt peccatorum poena finem habeat; *ad expiandam iniquitatem*, vt luatur iniquitas, vt auertat ſe ira Dei; *ad adducendam iuſtitiam ſeculorum*, aeternam ſcilicet Dei, cui tribuatur *iuſtitia ipſa*, *verſ. 7.* quemadmodum & Daniel deprecatus ſit iram Dei contra Hieroſolymam, *ſecundum omnes ſuas iuſtitias*, *verſ. 16.* Porro, cum dicitur: *ad ſigillandum viſionem, & prophetiam*, ſenſum eſſe putat: *vt impleatur prophetia Ieremiae, de captiuitatis fine.* Hinc denique & per *ſanctitatem ſanctitatum*, templum & ſacerdotium, quod iterum vngendum, ſeu reſtituendum ſit, intelligit. Haec vt friuola prorſus ſunt, & verbis ſancti ſpiritus vim apertam inferunt, ita prauis nituntur hypotheſibus, quas cum in ſequentibus euerſuri ſimus, quae iis ſuperſtructa ſunt, ſua ſponte corruent.

Poſtquam angelus, vt nunc in inſtituto noſtro pergamus, generatim interuallum ccccxc annorum determinaſſet, oſtendit deinde etiam, vnde interualli iſtius initium capiendum ſit? ipſumque interuallum in certas partes tribuit, quidue ſingulis iſtarum partium

um futurum eſſet, mox ſubiungit. Cum ergo verbis: *ſcito ergo & animaduerte*, attentionem Danielis excitaſſet, ita pergit: מן מוצא דבר להשיב ולבנות ירושלים *ab exitu ſermonis, vt rurſus aedificetur Ieruſalem vsque ad Chriſtum ducem, &c.* Initium itaque ſeu terminus a quo, vt loqui ſolent, totius huius interualli eſt *exitus ſermonis* ſeu *verbi*. Vbi quidem ſtatim res ipſa docet, non intelligi verbum propheticum, nec verbum promiſſionis, ſed verbum regium, ſeu verbum mandati. Cum vero varia in ſcriptura ſacra regum Perſicorum commemorentur, de reſtauratione templi Hieroſolymitani, & reſtitutione populi iudaici, edicta, Cyri ſcilicet primum, deinde Darii Hiſtaſpis, & duo denique Artaxerxis longimani, quodnam ex hisce intelligendum ſit, disquiritur. Verturque in eo cardo rei, ideoque de eo deinceps ex inſtituto dicetur. Verba להשיב ולבנות ירושלים non vna eademque ratione verti ſolent. Prorſus inepte graeci: *ἀπὸ ἐξόδου λόγου τοῦ ἀποκριθῆναι καὶ τοῦ οἰκοδομῆσαι Ἱερουσαλήμ*: quae cum HIERONYMVS in IVLII AFRICANI quinto temporum volumine reperiſſet, in commentario ad *Daniel. IX.* vbi ipſius AFRICANI verba commemorat, graeca ita vertit: *ab exitu ſermonis vt reſpondeatur, & vt aedificetur Ieruſalem.* Licet enim verbum השיב aliquando reſpondendi ſignificationem habeat, eam tamen huc non quadrare, quilibet facile intelligit. Miſſis autem aliorum interpretationibus, illi mihi rem acu tetigiſſe videntur, qui ebraismum hic agnoſcunt, vt *ad reducendum & ad aedificandum*, idem ſit, ac *ad iterum* vel *denuo aedificandum*; quod recte vulgatus interpres expreſſit: *ab exitu ſermonis, vt iterum aedificetur Ieruſalem*; conf. IOANNES VORSTIVS, *loc. cit.* §. *IX. pag. 906.* qui erudite hac de re disputat, & MARTINVS GEIERVS, ad *h. l.* Finem autem ſeu terminum, vt loqui ſolent, ad quem, ſeptuaginta hebdomadum indicaturus Gabriel angelus, dicit: עד משיח נגיד *vsque ad Meſſiam ducem.* Vbi nonnulli quidem ex Iudaeis, vt R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* & R. IOSEPH IACCHIADES Cyrum, Perſarum primum monarcham, populi iudaici liberatorem, intelligunt. In eandem ingreſſus eſt ſententiam IOANNES MARSHAMVS, in *can. chron. ſect. XVIII. pag. 613.* falſa nixus hypotheſi, quam deinceps profligabimus. Alii ex eadem Ebraeorum gente Ioſuam, ſummum ſacerdotem, alii, Zorobabelem, rurſus alii Nehemiam intelligunt. Immo ipſe EVSEBIVS nihil aliud his vocibus ſignificari cenſet, quam *ſeriem ſucceſſionemque pontificum, qui poſt hancce Danielis prophetiam, reditumque de Babylone, populo iudaico praefuerint, quos chriſtos (ſeu vnctos) nominare ſacrae litterae conſueuerint; demonſtrat. euangel. libr. VIII. pag. 391.* Sed hi omnes in errorem inducti ſunt, quod ſeptimanas ſeptem a ſexaginta duabus & vna ſepararent, quas tamen coniunctim capien-

piendas eſſe mox oſtendemus. Et ſane, ſi ita, vti par eſt, capiantur, per *Meſſiam ducem* non alius, quam Ieſus Nazarenus, verus Meſſias intelligi poteſt. Temporum enim rationes exacte reſpondent, cum, vt infra demonſtrabitur, in medio vltimae ſeptimanae is cruci adfixus, mortuusque ſit. Eum vero recte *Chriſtum*, ſeu *vnctum*, itemque *ducem*, ſeu *principem* dici, adeo manifeſtum eſt, vt rem ſuperuacaneam agerem, ſi pluribus hoc demonſtrare vellem. Totius itaque ſermonis angelici ſenſus hic eſt: *ab exitu ſermonis, vt iterum aedificetur Ieruſalem*, hoc eſt, ab eo tempore, quo ex mandato regis Perſarum, vrbs Ieruſalem reſtaurata ſit, & in eo ſtatu permanſerit, vsque ad Chriſtum, elapſuras ſeptimanas ſeptem, ſexaginta duas, & vnam, hoc eſt ſeptuaginta, ita quidem vt in medio vltimae ſeptimanae, vt deinceps indicat, Chriſtus per ſupplicium crucis ſit occidendus. Quod autem ſeptuaginta iſtas hebdomadas in certa interualla, ſeptem ſcilicet, ſexaginta duas & vnam hebdomadas partitus eſt, id propter euentuum in hiſce interuallis fecit diuerſitatem. Septem nimirum hebdomadas a mandato regio vsque ad vrbis Hieroſolymae reſtaurationem elapſuras indicat, ſexaginta duas a reſtauratione vrbis ad exhibitionem Meſſiae, reſiduae vnius dimidium ad confirmationem pacti pertinere per Meſſiam ipſum vsque ad eius exciſionem, alterum dimidium ad eiusdem pacti inter Iudaeos confirmationem plenariam, poſt exciſionem Meſſiae per diſcipulos eius inſtituendam.

Quid autem in primo iſto interuallo, ſeu ſeptem ſeptimanis futurum ſit, angelus ſtatim ſubiungit: *& rurſus aedificabitur platea, & muri* (idque) *in anguſtia temporum.* Reſtaurationem ſcilicet vrbis Hieroſolymae indicat, quae quadraginta nouem annorum ſpatio per platearum ordinationem & murorum excitationem fieri debeat, vt priſtino quodammodo nitori reſtituatur; nec tamen ſine difficultate, aut impedimentis variis, rem iſtam proceſſuram. Tum ſtatim, quid altero elapſo interuallo euenturum ſit, addit: *& poſt hebdomadas ſexaginta duas* יכרת משיח ואין לו *exſcindetur Chriſtus, & non ei.* In quibus quidem verbis explicandis mirifice ſe torquent, qui ea de Meſſia accipere nolunt, quod Iudaeos facere conſtat. Nonnulli namque ex Iudaeis Herodem Agrippam per *vnctum* ſignificari contendunt, qui circa tempora deſtructae Hieroſolymae occiſus ſit. Ipſe quoque EVSEBIVS de ſacerdotii & cultus Leuitici per aduentum ſeruatoris abolitione hoc accipit; *demonſtrat. euangel. lib. VIII. pag. 391.* IOANNES vero MARSHAMVS, de templi Hieroſolymitani per Antiochum epiphanem profanatione, *can. chron. ſect. XVIII. pag. 613.* Sed cum per *Meſſiam*, ſeu *vnctum* merito is intelligatur, qui κατ' ἐξοχὴν ita dici potuit, Ieſus Nazarenus, eum hic deſignari, eo minus dubitandum, quod & ipſe euentus hoc docuerit. Eum

enim

Digitized by Google

enim exciſum, hoc eſt, violenta morte e medio ſublatum, conſtat, & quidem poſt ſeptem ac ſexaginta duas hebdomadas elapſas, ſeu in medio hebdomadis ſeptuageſimae, vt deinceps demonſtrabimus. Quod additur: ואין לו *& non ei*, diuerſimode exponitur. Quid vulgatus ſibi velit, vertens: *& non erit populus eius, qui eum negaturus eſt*, plane neſcio. Nec rectius graeci: *καὶ κρίμα ȣ̓κ ἔϛιν ἐν αὐτῷ*· Videntur hi in ebraeo vocem דין legiſſe. Conuenientiſſimum autem fuerit, ex verbo antecedente יכרת ſubintelligere nomen כרת *exciſio*, vt ſenſus ſit, *excindetur quidem, ſed non erit ei exciſio*; hoc eſt, non ſua cauſſa, ſed noſtra, vt Eſaias clarius docet, *cap. LIII. 4.* nec ita, vt prorſus ſuccumbat, ſed tertio potius die reſurgat, & ita ſe minime exciſum, prout hoſtes eius ſperabant, demonſtret. Quid vero tum porro futurum ſit, angelus hiſce docet verbis: והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ המלחמה נחרצת שוממות *Et ciuitatem ac ſanctuarium perdet populus ducis venturi, & finis eius cum inundatione, & vsque ad finem belli decreta deſolatio.* De Hieroſolymae vrbis & templi deuaſtatione, poſtquam Iudaei Chriſtum cruci adfixerunt, hic ſermonem eſſe, res ipſa docet. Nullum itaque etiam eſt dubium, quin per *populum ducis venturi* intelligantur Romani. Nonnulli quidem, vocem הבא ad populum referentes, vertunt: *populum ducis venturum.* adeoque per *ducem* ipſum Meſſiam intelligunt, cuius Romani dicantur populus, quod eorum opera ad puniendos impios Iudaeos vſus ſit. Alii autem vertentes: *populum ducis venturi*, per *ducem* ipſum Titum Veſpaſianum intelligunt. Ad caput cauſſae parum facit, quam quis ex his duabus eligat ſententiam. Dum autem angelus eandem rem verbis licet diuerſis repetit: וקצו בשטף *& finis eius in inundatione*, (quod ſi ſenſum ſpectes, non male vulgatus expreſſit: *& finis eius vaſtitas*) extremam vrbis internecionem indicare, & rem diſertius adhuc confirmare voluit. In reliquis verbis priora: ועד קץ מלחמה vulgatus perperam tranſtulit: *& poſt finem belli*; rectius LXX interpretes: *ἕως τέλȣς*· Senſus namque eſt, quamdiu bellum inter populum ducis venturum & Iudaeos duraturum ſit, duraturam quoque vaſtationem, hoc eſt, ſummam vaſtationem per totum bellum continuandam. Quod nonnulli quidem ita capiunt, quod vaſtatio ſemper ſit duratura: ſeu quod nunquam reſtauranda ſit vrbs Hieroſolyma, eo quod hoſtilitas cum Romanis ſemper ſit duratura. Sed hoc quidem ex hiſce verbis minus recte colligi, exiſtimo: nec adſeri etiam poteſt, cum Romanum imperium dudum deſierit, adeoque dici nequeat, hoſtilitatem inter Romanos & Iudaeos ſemper duraturam. Nihil aliud itaque angelum ſibi velle exiſtimo, quam hoc: bellum non ceſſaturum prius, quam tota reſpublica ſit euerſa.

ſa. Vox נחרצת *deciſum* ſignificans, cum voce שממות conſtruitur, vt ſenſus ſit: *deciſam vaſtitatem*, hoc eſt, vaſtitates deciſae, ſeu decretae vsque ad finem belli, ſeu bellum non ceſſaturum, donec ex iuſtiſſimo decreto diuino ſumma vbique vaſtitas ſit inducta.

Tandem vero quid & in vltima hebdomade, quam ſeorſim a reliquis commemorando valde memorabilem eſſe indicat, futurum ſit, hisce verbis exprimit: והגביר ברית לרבים שבוע אחד *confirmabit autem pactum multis hebdomade vna, & in medio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium.* Is qui pactum confirmaturus eſt, non alius eſt, quam Meſſias dux, quippe de quo in praecedentibus ſermo eſt. Errat itaque magnopere R. IOSEPH IACCHIADES, de Tito Veſpaſiano hoc intelligens, cum proceribus Iudaeorum paciſcente, merito ideo caſtigatus a CONSTANTINO L' EMPEREVR, ad *Iacchiadem pag. 186.* Nec rectius IOANNES MARSHAMVS Antiochum epiphanem hic nobis obtrudit, vt mox oſtendemus. Fedus autem non ciuile aliquod aut politicum intelligitur, ſed ſpirituale, cuius ſaepisſime in ſcriptura ſacra mentio, quodque ab ipſo Daniele *ſanctum* vocatur, *cap. XI. v. 28. 30. 32.* Eſt ipſum illud fedus gratiae, quod Deus poſt lapſum primorum parentum cum hominibus iniit, quodue mirifice a Chriſto confirmatum corroboratumue fuit, dum non tantum morte & pasſione ſua hominum peccata expiauit, quod praecipuum in hocce federe erat, ſed quamdiu inter mortales vixit, doctrina efficacisſima, miraculisue vim diuinam arguentibus, & ſpiritus ſancti gratia, plurimos ex ipſis Iudaeis, vt fedus hocce amplecterentur, induxit. Hinc & Deus ſe Meſſiam in *fedus populi* daturum promiſit, *Eſa. XLII. verſ. 6. XLIX. 8.* immo ipſe Meſſias ideo *angelus* ſeu *legatus federis* adpellatur, *Mal. III. 1.* Atque haec cum ita ſe habeant, nimis ieiunum eſt, quod FRANCISCVS IVNIVS, aliique, hanc federis confirmationem, de fidelium Iudaeorum ereptione ex interitu Hieroſolymae accipiunt, dum Dominus in vrbem Pellam eos commigrare iusſit. Multis autem dum fedus confirmaturus dicitur, indicatur, etſi omnibus quidem hocce fedus offerendum ſit, non omnes tamen doctrinam Meſſiae ſalutarem accepturos, quod & euentus comprobauit. Conueniunt etiam prorſus temporum rationes. Seruatorem enim optimum per annos tres ad quartum vsque, miniſterio publico ita functum conſtat, vt anno quarto hoc finiret, dum cruci adfixus magnum illud ſacrificium pro hominum peccatis expiandis patri ſuo obtulit, eoque ipſo typicis illis veteris teſtamenti ſacrificiis finem impoſuit. Hinc & ab angelo additur: *& in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium.* Mors namque ſeruatoris, vt diximus, prorſus in dimidium vltimae hebdomadis cadit, adeo, vt vnum dimidium pasſionem eius anteceſſerit, alterum eandem ſit ſecutum. Nec tamen dimidium omnibus mo-

Digitized by Google

modis exactum intelligi, neceſſe eſt, ſed ſufficit, ſi dimidium ſit *κατὰ πλάτος*. Cum in ebraeo dicitur: וחצי ellipſis eſt praefixi ב ſiquidem plene dicendum fuiſſet: ובחצי *& in medio ſeptimanae.* Eo itaque tempore ישבית *ceſſare faciet ſacrificium & oblationem*, hoc eſt, cultum Leuiticum abrogabit. Sane deinceps etiam hoſtiae immolatae ſunt in templo Hieroſolymitano, & quidem per triginta amplius annos poſt paſſionem Chriſti, ad excidium vſque vrbis, vt ex FLAVIO IOSEPHO conſtat. Nihiloſecius recte dicitur, quod tum ceſſare fecerit ſacrificium & oblationem. Poſtquam enim Chriſtus ſe ipſum pro nobis obtulerat *προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας*, vt Paulus loquitur, *Epheſ. V.* 2. aliorum ſacrificiorum nullus amplius erat vſus, nulla vis, nulla efficacia; conf. & *Ebr. IX.* 12. Hinc & ab eo tempore euangelium per apoſtolos primo Iudaeis, tum & gentibus adnuntiari coepit, cuius receptio non poterat non Leuitici cultus abrogationem ſecum trahere. Vltimo tandem loco, fata, quae populum iudaicum, finito iſto ſeptuaginta ſeptimanarum ſpatio, exceptura eſſent, indicaturus, ait: ועל כנף שקוצים משמם *& iuxta alam abominationum deſolator.* Ita enim verba ebraea vertenda ſunt, quae vulgatus interpres perperam transfert: *& erit in templo abominatio deſolationis.* Eundem fere in modum & graeci: *καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων ἔσαι·* Verba enim שקוצים משומם tanquam in ſtatu regiminis poſita coniungunt, cum tamen res ipſa doceat, שקוצים formae eſſe abſolutae. Ad rem ipſam quod attinet, *deſolantem* ſeu *deſolatorem* non alium eſſe, quam exercitum Romanorum, qui vrbem Hieroſolymam templumque ſolo aequaturus, extremamque adeo vaſtitatem inducturus erat, dubio caret. At quid voce שקוצים ſignificetur, de eo non omnes idem ſentiunt. Generatim quidem cum *rem abominabilem* denotet, ſaepius tamen ſpeciatim de idolis adhibetur, quae Iudaeis maxime abominabilia videbantur. Atque ita etiam apud ipſum Danielem *cap. XI.* 31. & *cap. XII.* 11. vſurpatur, quibus in locis *εἴδωλον Διὸς Ὀλυμπίου*, quod Antiochus in ſacro altari poni iuſſit, ſignificari, euentus docuit, conf. *I. Maccab. I.* 57. & *lib. II. cap. IV.* 2. Maxime itaque veroſimile, etiam hic aut idola, aut idololatricum quid, vel quod aeque, ac idolum, abominandum ſit, ſignificari. Hinc nonnulli ſtatuam quandam aut imaginem in templo collocatam intelligunt, & ex his quidem alii ſtatuam Iouis olympii, qua Antiochus epiphanes templum profanauit, *I. Maccab. I.* 57. alii Tiberii Caeſaris inſignia & imaginem a Pilato poſt Chriſti paſſionem in ipſum, vt ferunt, ſacrarium illatam, Caligulae denique, qui Tiberium in imperio excepit, imaginem alii. Sed cum angelus, vt ex dictis patet, de vltima Hieroſolymiae deuaſtatione, quae per Romanos contigit,

git, loquatur, errant aperte, qui de Iouis olympii idolo hoc capiunt. Nec rectius reliqui ſentiunt, cum Daniel de eiusmodi re abominabili loquatur, quacum ſtatim ipſa templi ac vrbis Hieroſolymae deuaſtatio fuerit coniuncta, quod tamen nec de Tiberii, nec de Caligulae, imagine dici poteſt. Accedit inſuper, quod Tiberii imago non in ipſum templum, ſed tantum in vrbem Hieroſolymam illata ſit, vt auctor eſt FLAVIVS IOSEPHVS, *libr. XVIII. antiquit. iudaic. cap. IV.* Caligulae autem ne inferretur, Petronii praeſidis Syriae, & Ariſtobuli prudentia ac interceſſione declinatum fuit. De ipſo itaque cultu Leuitico hoc capiunt alii, qui poſt mortem Chriſti Deo fuerit abominationi, vt vel ex *Eſa. LXVI. 3.* colligi poſſit. Sane vſu & efficacia omni cultum Leuiticum poſt Chriſti mortem deſtitutum fuiſſe, non abnuo; recteque dici poſſe, concedo, eum Deo hocce tempore fuiſſe abominationi. Sed Iudaeis tamen non fuit abominationi, adeoque hic intelligi nequit, cum angelus de eiusmodi re abominabili loquatur, quae intuitu totius populi iudaici ita dici poterat. Praeferenda itaque illorum ſententia, qui ipſum exercitum Romanum, aut ſigna potius ac aquilas Romanorum, quas Titus in caſtris habuit, intelligunt. In ſingulis nimirum legionibus vna aquila fuit, ex argento primitus, poſt ex auro, ſummae haſtae inſiſtens, alis expanſis, & pede fulmen aureum tenens. Signa vero in legione tot fuerunt, quot cohortes, hoc eſt, decem. Fuerunt ea haſtae oblongae, quibus in ſummo breue lignum transuerſum oppoſitum, ad formam crucis fere. Adiunctae his fuere imagines caeſarum. Atque iſtae quidem aquilae, itemque ſigna, militum dii fuere; adeo, vt adorauerint ea, perque ea iurauerint; conf. IVSTVS LIPSIVS, *libr. IV. de milit. Romanor. dial. V. p. 164.* IOANNES VORSTIVS, *loc. cit.* §. *XIX. pag. 923.* Quemadmodum itaque aquilae iſtae atque ſigna Romani exercitus maximae abominationi Iudaeis fuere, ita ſtatim quoque cum iis coniuncta fuit vltima deuaſtatio, quod per voces ועל כנף, haud incommode intelligitur. Diuerſimode equidem & iſtae exponi ſolent, ſed proxime ad verum mihi accedere videntur, qui nihil aliud, quam vicinitatem ſeu proximitatem iis innui exiſtimant, vt ſenſus ſit: ***ad alam abominationum***, ſeu vna cum abominatione aderit deſolator; hoc eſt, abominationem illam, vel rem abominabilem, quam primum conſpicietur, ſtatim comitabitur deſolatio; conf. MARTINVS GEIERVS, ad *h. l.* Atque ita ſi non tam verba, quam ſenſum ſpectes, recte hoc apud Matthaeum, *cap. XXIV. verſ. 15.* exprimitur per βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, hoc eſt, abominationem, quacum deuaſtatio vltima ſtatim coniuncta fuit. Sunt, qui vocem כנף cum HVGONE GROTIO, ad *h. l.* per *expanſum* exponunt, exercitumque Romanum, & eius ſigna per abominationem intelligunt, vt

ſenſus ſit: *& per expanſum abominationum*, hoc eſt, per exercitum Romanum, eiusque ſigna *deſolans*. Ita IOANNES VORSTIVS, *loc. cit.* §. *XIX. XX. pag. 922. ſeqq.* Sed, vt incommodo non caret per כנף ipſum exercitum intelligere, ita particulam על *per* reddere, durum, ſaltem parum vſitatum eſt. Apud Matthaeum explicationis cauſſa additur; ἕςὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ· Vbi tamen per τόπον ἅγιον non templum, ſed regionem circa vrbem Hieroſolymam, in qua exercitus Romanus caſtra ſua habuit, intelligendam eſſe, iam dudum viris doctis obſeruatum eſt. Vltimo denique loco additur: ועל כלה, ונחרצה תתך על־שומם quae verba vulgatus interpres reddit: *vsque ad finem & conſummationem perſeuerabit deſolatio.* Rectius ita vertuntur: *& vsque ad conſummationem praeciſam effundetur ſuper vaſtatum.* Vox שומם equidem *vaſtantem* ſeu *deſolantem*, itemque *deſolationem*, ſed aliquando & *vaſtatum*, *deſolatum* ſignificat, quo pacto & hic ſumendam eſſe, res ipſa poſtulat. Porro cum vox נחרצה *deciſionem* ſignificet, eam cum voce praecedente כלה per ἓν διὰ δυοῖν iungendam eſſe, nonnulli recte monent, vt *vsque ad conſummationem & deciſionem* idem ſit, ac: *vsque ad conſummationem deciſam ac decretam.* Poſt verbum: תתך *effundetur*, quod elliptice poſitum, ſubintelligendum aliquid, v. gr. *ira* aut *indignatio diuina.* Senſus itaque hinc reſultabit iſte: *& ira ſeu indignatio diuina effundetur ſuper deſolatum: ſeu templum vrbemque Hieroſolymam, quae per Romanos vaſtanda eſt, vsque ad conſummationem deciſam*, hoc eſt, donec plane pleneque deſtruatur, & extrema internecione vrbs deleatur; quamuis alii per *conſummationem deciſam* totius huius vniuerſi conſummationem intelligant, vt ſenſus ſit, iram diuinam ad finem vsque mundi ſuper templum & vrbem Hieroſolymam effundendam, vt nunquam iterum ſit reſtauranda.

Hisce ergo praemiſſis, ſingulisque oraculi diuini explicatis vocibus, vt temporum paullo adcuratius expediamus rationes, & ita, quo pacto illuſtre hoc vaticinium euentu comprobatum ſit, oſtendamus, ſupereſt. Quod vt rite fiat, primo id quidem extra controuerſiam poſitum arbitror, initium ſeptuaginta hebdomadum connectendum eſſe cum tempore, quo exiit mandatum de inſtauranda vrbe Hieroſolymitana. Diſerte hoc innuit angelus *verſ. 25.* cum dicit: *ab exitu verbi &c.* Vbi per verbum, a cuius exitu ſeptuaginta hebdomadas auſpicandas docet, non *verbum propheticum*, nec *verbum promiſſionis*; ſed *verbum regium*, ſiue mandatum intelligendum eſſe, ſupra iam monuimus. In maximo itaque errore illi ex Iudaeis verſantur, qui, vt vim argumentorum, quibus ex hocce ipſo oraculo, Chriſtum iam dudum veniſſe, probatur, effugiant, initium ſeptuaginta hebdomadum excidium templi prioris, finem autem excidium templi po-

poſterioris ſtatuunt. Perperam ſane. Clariſſima enim angeli, ab exitu mandati de reſtauranda ciuitate, initium ſeptuaginta iſtarum hebdomadum repetentis, obſtant verba. Falſum praeterea eſt, inter deſtructionem templi primi & ſecundi tantum LXX hebdomadas, ſeu annos CCCC XC, interceptas fuiſſe; ſiquidem ſecundum adcuratiorum chronologorum calculum DCL effluxere anni. Solent equidem nonnulli, vt praeſidium aliquod ſententiae iſti concilient, adſerere, tempus captiuitatis Babylonicae ſeptem tantum fuiſſe hebdomadum ſeu XLIX annorum, itemque per Meſſiam ſiue vnctum regem, Cyrum regem deſignari. Sed vtrumque falſum eſt & prorſus ineptum. Captiuitati enim Babylonicae ſpiritus ſanctus non XLIX, ſed LXX annos diſerte adſignat, *Ierem. XXV. 12. XXIX. 10. Dan. IX. 2. Meſſiae* autem ſeu *vncti* vox abſolute poſita, de rege mundano vſurpari non ſolet; de quo & hic talia dicuntur, quae nullatenus in Cyrum quadrant. Ceterum non vnum, ſed quatuor regum Perſicorum decreta ad vrbis & templi Hieroſolymitani reſtaurationem ſpectantia, in ſcriptura ſacra commemorari, ſupra iam obſeruauimus. Primum ſcilicet Cyri regis fuit, cuius *Eſdr. I. 1.* mentio iniicitur; alterum Darii regis, de quo apud Haggaeum *cap. I. 1. 2.* & Eſdram *cap. IV. & VI.* agitur, vbi per Darium, non nothum, ſed Hyſtaſpin intelligendum eſſe, viris doctis recte obſeruatum eſt; tertium edictum ab Artaxerxe longimano, anno regiminis eius ſeptimo, promulgatum eſt, *Eſdr. VII. verſ. 6.* quartum denique & vltimum ab eodem Artaxerxe, anno imperii eius vigeſimo, quo Nehemias regis pincerna poteſtatem accepit Hieroſolymam proficiſcendi, vrbemque reſtaurandi; *Nehem. II. verſ. 1. ſeqq.* quo abſoluto opere encaenia vrbis celebrara, *Nehem. XII. verſ. 27. ſeqq.* A quonam itaque ex quatuor hiſce edictis initium ſeptuaginta hebdomadum ducendum ſit, id quidem eſt, de quo quaeritur. Nonnulli namque a primo edicto quod Cyri regis eſt, earum ſumendum initium cenſent, vt MATTHAEVS BEROALDVS, *chron. lib. III. cap. VII.* itemque HVGO BROVGTONVS, in *praefat. concent. bibl.* eademque ſententia ex veteribus EVSEBIO, CLEMENTI Alexandrino, aliiſque tribui ſolet. Hosce vero rem acu non tangere, haud difficulter demonſtrari poteſt Intelligitur namque in oraculo noſtro eiusmodi mandatum, ad quod templi & vrbis reſtauratio ſecuta fuit. Diſerte enim dicitur, ab initio harum hebdomadum aedificandas eſſe plateas & muros, idque in anguſtia temporum, *verſ. 25.* Quod de edicto Cyri adſeri nequit, quippe quod ob varia impedimenta in effectum deduci non potuit, *Eſdr. IX. 4. 5.* Aedificandae praeterea ſecundum hocce oraculum ſpatio ſeptem hebdomadum priorum, ſeu XLIX annorum, fuere plateae, & muri vrbis. At non XLIX anni, ſed triplo vel ad mi-

minimum duplo plures, ab edicto Cyri vsque ad vrbis reſtaurationem elapſi ſunt. Cumprimis vero obſtat, interuallum regni Perſici. Hoc enim ſi cum interuallo monarchiae graecae, regum Aegyptiorum, & monarchiae Romanae coniungatur, ab imperio Darii primi vsque ad annum decimum octauum Tiberii, (in quem, qui ſententiae huic fauent, paſſionem Chriſti & adeo finem LXX hebdomadum coniiciunt) ſecundum calculum PTOLOMAEI prouenient inde DLXIX anni. Quod cum ſententiae iſtius patroni intelligerent, vt hinc ſe expedirent, omnium hiſtoricorum in dubium vocare fidem auſi ſunt, hoc ipſo commenti ſui infirmitatem prodentes. Profligata prima hac ſententia ad illos accedimus, qui initium ſeptuaginta iſtarum hebdomadum ab edicto Darii repetunt. Hos inter agmen ducit vir ſummus IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, *lib. IV. de emendat. tempor.* alibique, quem SETHVS CALVISIVS, aliique certatim & magno numero ſequuntur. Sed ſupponunt *Hagg. cap. I. 1. 2.* & *Esdr. IV. & VI.* de Dario notho ſermonem eſſe, quod tamen longe eſt falſiſſimum. Euidentiſſimum enim eſt, Darium Hyſtaſpin ibi intelligendum eſſe; quo ipſo fundamentum ſententiae iſtius prorſus euertitur. Edictum praeterea a Dario promulgatum, tantum ad reſtaurationem templi pertinet; a Daniele autem eiusmodi LXX hebdomadum initium indicatur, quo ipſa vrbs reſtaurata & aedificata fuit. Iungantur, quae contra eamdem ſententiam adcurate diſputat IOANNES VORSTIVS, *loc. cit.* §. *XXIV. pag. 933.* Plurimi rurſus, iique eruditiſſimi inter veteres pariter ac recentiores viri, omnes ſe ſuperaturos difficultates crediderunt, ſi ab edicto vltimo Artaxerxis longimani, quod anno vigeſimo imperii eius exiit, LXX hebdomadum peterent initium. Ita ex antiquis eccleſiae doctoribus IVLIVS AFRICANVS, CHRYSOSTOMVS, THEODORETVS, aliique, ex recentioribus autem praeter multos alios, PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euangel. prop. IX. cap. VIII. §. IX. ſeqq.* DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina temporum, libr. IX. cap. XXV.* CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruation. ſacr. lib. VI. cap. II. pag. 242. ſeqq.* Sed hisce quoque obſtat, quod vltimum illud edictum Artaxerxis pertineat tantum ad muros & portas vrbis iam reſtauratae, cum in noſtro contra oraculo non de muris & portis tantum, ſed de tota vrbe reſtauranda ſermo ſit. Praeterea ſi ab anno vigeſimo Artaxerxis ſeptuaginta hebdomades computandae eſſent, non poſſet dici, ſpatio ſeptem hebdomadum, ſiue XLIX annorum, vrbem reſtauratam eſſe. Nehemias namque muris vrbis perfectis, anno XXXII Artaxerxis, ad regem rediit, *Nehem. XIII. 6.* Duodecim ergo annorum ſpatio reſtauratio vrbis peracta fuiſſet, quod cum verbis angeli e diametro pugnat. Accedit, quod vel maxime huic ſententiae obſtat, ſi initium harum hebdomadum ad annum vigeſimum Artaxerxis referatur, ſi-

nem

nem earundem longius, quam par eſſat excurrere. Cui difficultati vt occurrant, nonnulli quidem, vt PETRVS DANIEL HVETIVS, *loc. cit.* non ſolares, ſed lunares annos intelligunt. At & perperam hoc fieri, & ne hac quidem ratione nodum iſtum ſolui, ſupra iam obſeruatum eſt. Alii itaque vigeſimum annum Artaxerxis, a Nehemia memoratum, non a morte Xerxis, & initio ſolitarii regiminis Artaxerxis, ſed a primo regiminis eius cum patre auſpicio, ſupputant. Ita DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina temp. lib. X. c. XXV.* At obſeruant alii, iique harum rerum peritiſſimi viri, non modo veteres hiſtoricos hac de re prorſus ſilere, ſed & Artaxerxem fratrem habuiſſe ſe maiorem natu Darium, deinceps dolo Artabani interfectum, qui ante ipſum in imperii ſocietatem adſciſcendus fuiſſet a parente, ſi hoc Xerxi ſtetiſſet conſilium; conf. PETRVS DAN. HVETIVS, *l. c.* & EZECHIEL SPANHEMIVS, *obſeru. in orat. I. Iuliani p. 278.* Alia rurſus ſe hinc expedire adnititur ratione vir doctiſſimus CAMPEGIVS VITRINGA, dum ex hiſtoria Themiſtoclis euinçere ſatagit, initium Artaxerxis primi per aliquot annos eſſe anticipandum, & imperio Xerxis minus eſſe dandum temporis, quam hiſtoria vetus, aut aſtronomorum canon illi tribuit, *obſeru. ſacrar. lib. VI. c. II. p. 242. ſeqq.*

Eruditiſſima ſane ſunt, lectuque digniſſima, quae hac de re diſſerit; nobis tamen iſtis ambagibus opus non eſt, qui illorum ſententiam, qui initium LXX hebdomadum a primo Artaxerxis edicto repetunt, reliquis praeferendam cenſemus. Idque recte fieri, ſequentibus comprobari poteſt rationibus, I) quia edictum illud primum Artaxerxis non tantum efficax, dum re ipſa vrbis reſtauratio inſecuta eſt, ſed & prae ceteris ſolemne fuit; nec aedes tantum poſt illud exſtructae, ſed &, quod praecipuum, res publica vna cum cultu diuino reſtituta ac reſtaurata eſt. Immo, ſi adcuratius res expendatur, poſterius Artaxerxis edictum, prioris ſaltem continuationem quamdam & ampliationem continere videtur. Eoque minus hac de re dubitandum, quo manifeſtius eſt, ſacrorum potius ordinatione, legum ſanctione, iudiciorum inſtitutione, ciuitatem abſolui, quam murorum exſtructione, de qua vltimum Artaxerxis edictum agit, quodue non tam ad vrbis aedificationem, quam ad munitionem ſaltem ſpectabat. Accedit, quod miſſio Esdrae & Nehemiae non alium in finem tam adcurate & diligenter a ſpiritu ſancto deſcribitur, quam vt initium illuſtris huius epochae eo certius nobis conſtet. II) Idem ex eo demonſtratur, quod ita ab exitu verbi, ſeu primo iſto Artaxerxis edicto, vsque ad finem LXX hebdomadum, praeciſe LXX hebdomades, ſiue CCCCXC anni effluxerunt. Namque ab anno ſeptimo Artaxerxis longimani, vsque ad decimum quintum Darii ſecundi ſiue nothi, effluxere ſeptem hebdomades, ſiue XLIX anni, ab anno decimo quinto Darii nothi, vsque ad decimum ſextum Tiberii effluxere

Digitized by Google

XLII hebdomades, ſiue CCCC XXXIV anni. Hinc vero vltima hebdomas initium ſumſit, cum Ieſus baptizatus, & Meſſias per vocem coelitus delapſam proclamatus eſt. Tres namque anni miniſterii Chriſti cum dimidio, dimidiam partem vltimae hebdomadis abſoluunt, ſiquidem anno miniſterii ſui quarto Chriſtus paſſus & cruci adfixus eſt; qui vero hinc ſequuntur, anni tres cum dimidio, alteram vltimae hebdomadis partem conſtituunt. III) Extra dubium poſitum eſt, LXX hebdomadas ita computandas eſſe, vt cum ſeptem prioribus ſequentes LXII immediate connectantur, ita vt mors Chriſti in medium vltimae incidat. Vnde omnino errant, qui hebdomadas hasce ita computant, vt ſexaginta duae, vel ſeptennio ante mortem Chriſti (vt IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER ſentit in poſteriori editione) vel ſeptennio ante deſtructionem Hieroſolymae (vt idem in priori editione cenſet) finiantur. Noſtrae autem ſententiae cum character hic adcurate conueniat, nouum inde quoque robur accipit. IV) Addi denique & hoc poteſt, quod ſecundum noſtram ſententiam oraculi diuini cum in reliquis omnibus, tum in eo quoque, quod haud exigui momenti eſt, rite procedat adplicatio, quod a tempore promulgati edicti vsque ad conſummatam vrbis aedificationem, ſeptem hebdomades ſeu anni XLIX effluxerint, itemque mors Chriſti, vt ſecundum hocce oraculum debebat, in medium vltimae hebdomatis incidat. Sed id quoque rite ſe habet, quod Chriſtus vltima hebdomade *multis pactum confirmaturus* dicitur. Id namque tempore miniſterii eius, per doctrinam coeleſtem efficaciſſima quadam ratione adnuntiatam, miraculisque, vim diuinam arguentibus, confirmatam, per mortem quoque ac reſurrectionem Chriſti, itemque per adſcenſionem eius in coelum, ſanctique ſpiritus ſuper apoſtolos effuſionem, & quae hanc conſecuta ſunt, factum eſt. Illud adhuc dubium aliquod mouere poſſet, quod Artaxerxes longimanus infenſiſſimus Iudaeorum a quibusdam feratur hoſtis, a quo templi aedificatio ſit inhibita; non itaque veroſimile eſſe, ab eo vllum, ad reſtaurandam vrbem Hieroſolymitanam, profectum eſſe edictum, multo minus duo in Iudaeorum gratiam ab eo promulgata. Sed in errore verſantur, qui iſta obiiciunt, Artaſaſtam, Perſarum regem, hoſtemque Iudaeorum *Esdr. IV. 16.* memoratum, Artaxerxem longimanum eſſe exiſtimantes, per quem longe rectius Smerden, qui poſt Cambyſem rerum ſummam in monarchia Perſica tenuit, intelligi, viris doctis dudum obſeruatum eſt. At edictum, inquiunt, Artaxerxis longimani non ſpectauit reſtaurationem templi, immo nec ſpectare potuit, ſiquidem ea iam ſub Dario Hyſtaſpide facta eſt. Verum, licet ſub Dario Hyſtaſpide templum iam ſit reſtauratum, nondum tamen cultus diuinus rite ordinatus erat, quorſum cumprimis primum illud Artaxerxis longimani edictum ſpectauit, *Esdr. VII.*

VII. 12. ſeqq. Ceterum, quae hactenus diſputauimus, ad initium LXX hebdomadum rite conſtituendum, praecipue pertinent. Nunc de fine quoque, ſeu termino, vt loqui ſolent, ad quem, aliquid addendum. De eo variae itidem exſtant virorum doctorum ſententiae, cum nec illi, qui de initio harum hebdomadum inter ſe conueniunt, de earundem fine conſentiant. Eorum namque, qui illas a Cyri edicto ordiuntur, nonnulli in paſſione Chriſti, alii autem in capta a Pompeio vrbe Hieroſolyma finiunt. Nec magis inter ſe conſentiunt, qui eas ab edicto Darii nothi auſpicantur. Quidam enim vltimam ſeptimanam in excidio vrbis finiunt, alii eas vltra extendunt, aut LXX hebdomadibus dimidiam addunt, alii ſeptem hebdomadas priores, & LXII ſequentes, ab vno eodemque termino computant, & finem earundem in anno duodecimo Chriſti ſtatuunt, alii aliter ſentiunt. Sed illi quoque, qui initium harum hebdomadum ad annum vigeſimum Artaxerxis referunt, a ſe inuicem diſſident. Nonnulli pro annis ſolaribus lunares adſumentes, eas in paſſione Chriſti finiunt, alii ſolares retinentes, ad ſeptimum annum poſt Chriſti paſſionem eas extendunt. Immo nec qui initium LXX harum hebdomadum ad annum ſeptimum Artaxerxis longimani referunt, de earundem fine inter ſe conueniunt. Nonnulli enim cum paſſione Chriſti eas finiri ſtatuunt; alii autem paſſionem Chriſti in medium vltimae hebdomadis incidere contendunt. Atque vltima quidem ſententia ea ipſa eſt, quam reliquis omnibus praeferendam cenſemus; hiſce quidem inducti rationibus, I) quia cum vaticinio Danielis adcurate conuenit. Diſerte enim dicitur, poſt ſeptem & ſexaginta duas hebdomadas Chriſtum exciſum iri. Non ergo ſeptuaginta hebdomades ante paſſionem Chriſti effluxerunt, ſed, durante adhuc hebdomade ſeptuageſima, Chriſtus paſſus eſt. II) quia ſecundum hancce ſententiam initium harum hebdomadum, ſeu annus ſeptimus Artaxerxis longimani, cum earundem fine commode connecti poteſt. Ad quae III) accedit, quod difficultates, quibus aliorum opiniones premuntur, hac ratione quam facillime euitentur.

Facile autem ex hactenus dictis intelligere licet, quam lubrico fundamento mirifica illa oraculi huius detorſio, quam IO. MARSHAMVS excogitauit, *can. chron. ſect. XVIII. pag. 610. ſeqq.* innitatur. Nihil enim, quod ad Chriſtum pertineat, hic ſibi inueniſſe viſus eſt, ſed cuncta partim ad reditum Iudaeorum ex exilio Babylonico, partim ad adflictionem illam grauiſſimam, quam Iudaei ſub Antiocho epiphane experti ſunt, referenda cenſet. Ponit enim, tempus LXX hebdomadum, ſeu CCCCXC annorum, cuius in hoc oraculo mentio fit, diuiſum eſſe capiendum, & in duo diſcernendum interualla, quae a diuerſis inciperent epochis, hoc eſt, VII hebdomadas, ſiue XLIX annos, & LXII hebdomadas

madas cum dimidia, ſiue annos cccc xxxiv. Septuaginta autem hebdomadum, quod angelus mentionem faciat, hoc ita eſſe intelligendum, quod duo iſta hebdomadum interualla iunctim ſumta, ſeptuaginta hebdomadas efficiant. Prius itaque interuallum, ſeptem ſcilicet hebdomadum, putandum eſſe cenſet, ab exitu verbi, hoc eſt, ab illo ipſo tempore, quo reuelatio haec prophetica Danieli per angelum obtigit; quod, vt ipſe quidem exiſtimat, factum ſit anno vigeſimo primo poſt templi & vrbis Hieroſolymae ſub Zedekia, euerſionem. Finiri autem ſeptem haſce hebdomadas exiſtimat, in primo anno Cyri, quo ipſe imperio potitus Babylonico, Iudaeos ex exilio in patriam ſuam dimiſit. Ab anno enim vigeſimo primo exilii, vsque ad Cyrum, elapſi ſunt xlix anni. Cyrum itaque eſſe illum vnctum ducem, qui edictum emiſerit de reſtauranda vrbe Hieroſolyma. Alterum interuallum exacte lxiii hebdomadum, & dimidiae eſſe cenſet, cuius dimidiae hebdomadis angelus in ipſa periodi huius expoſitione mentionem faciat, etſi illam, vbi hebdomadas haſce in ſummam redigit, non commemoret. Conſtare itaque hanc periodum annis cccc xliv, quorum initium petendum ſit a captiuitate Babylonica, ſiue ab excidio templi Salomonis, finem vero huius periodi generatim quidem eſſe, tempora Antiochi epiphanis, quae tamen ab angelo iterum in tres partes diſpeſcantur; quarum *prima* contineat hebdomadas lxii, ſeu annos cccc xxxiv, qui terminentur in initio regni Antiochi epiphanis, intra quod quidem temporis ſpatium reſtauranda fuerit vrbs Hieroſolyma, *ſed in anguſtia temporum*; *altera* terminetur in fine hebdomadis ſexageſimae tertiae, ſiue in anno ſeptimo eiusdem Antiochi, ſiquidem in primo regni ſui ſeptennio Antiochus Iudaeis *fedus confirmauerit*, eo vero finito, *exciſurum illum eſſe vnctum*, hoc eſt, aboliturum pontificatum, cuius ſucceſſio tum interrupta fuerit, ciuitatemque & ſanctuarium deſolaturum profanaturumque; *tertia* denique interualli huius pars, conſtet hebdomade dimidia, lxx hebdomadibus adiicienda, ſeu annis tribus & dimidio, quibus cultus publicus templi, ſanctuario profanato, prorſus ſit ceſſaturus, idque per *tempora*, *tempus*, & *dimidium temporis*, *Dan. XII. 7.* hoc eſt, per tres annos & dimidium, quippe quo tempore per Aſſamonaeos cultus publicus reſtauratus, & ſacris ſuum decus redditum ſit. In hisce vero omnibus virum doctiſſimum multa gratis ſumere, multa perperam ponere, verbis clariſſimis vim apertam inferre, cuncta denique violenta quadam ratione detorquere, quilibet, paullo adcuratius cuncta expendens, facile perſpiciet. Sic, vt pauca quaedam ſolum, quae ſpeciminis loco ſint, delibemus, ſine omni ratione & contra manifeſtum ſermonis nexum, pro lubitu ſumit, hebdomadas in hoc oraculo commemoratas, non eſſe *tempus aliquod continuum*, ſed *ſummam*

velut

velut *totius temporis*, in varias deinceps partes diuidendi, quarum duae maiores, continua ſucceſſione inter ſe non cohaereant, verum in idem incidant tempus, & *ſimul* non *ſucceſſiue*, quod aiunt, labantur; perperam & ſine omni ratione duo priora interualla, in quae angelus ſummam LXX hebdomadum diſpeſcit, VII & LXII hebdomadum, ab inuicem ſeparat, & diuellit, vtque id, quod cupit, obtineat, verſum illum, quo haec duo interualla comprehenduntur, per *punctum* ſiue maximam diſtinctionis notam, in duas eſſe diſtinguendum partes contendit; perperam etiam & ſine omni ratione duas periodos VII & LXII hebdomadum, a diuerſis repetit epochis, illam quidem ab anno captiuitatis Babylonicae vigeſimo primo, quo hanc reuelationem (quamquam & illud ſine fundamento) editam ſupponit, hanc vero ab ipſo templi excidio. Abſonum praeterea eſt, quod, cum in hocce oraculo vox משיח *vnctus* bis occurrat, & quae de eo praedicantur, euidentiſſime doceant, non alium, quam Ieſum, qui reuera Chriſtus ſeu Meſſias eſt, intelligi poſſe, MARSHAMVS tamen quiduis potius comminiſci, & longe diuerſi generis *vnctos* ſibi fingere, quam verum hic Meſſiam, eiusque characteres luculentiſſimos, agnoſcere malit. Mox ſcilicet Cyrum, mox vero ſummorum ſacerdotum ſucceſſionem, hac voce intelligit: & ita in omnem ſe verſat partem, ſaltem ne veritatem manifeſtiſſimam agnoſcere teneatur. Nec ferendum profecto, quod verba oraculi huius luculentiſſima tam violenter in ſenſum alienum detorquet, ſaltem vt hypotheſi ſuae peruerſiſſimae inſeruiat; vt cum verba iſta: *cohibitam eſſe transgreſſionem, obſignata peccata, expiatam iniquitatem, adductam iuſtitiam aeternam, &c.* ad captiuitatis Babylonicae per Cyrum ſolutionem, contra ſenſum eorum manifeſtiſſimum, refert; vti iam ſupra a nobis eſt obſeruatum. Nec id praetermittendum, quod ad implementum vaticinii huius ſecundum hypotheſin ſuam demonſtrandum, plures neceſſe habuerit aduocare annos, quam ſumma apud Danielem expreſſa definiti ſunt. Cum enim in oraculo hocce LXX tantum hebdomadum, hoc eſt, annorum CCCC XC mentio fiat; MARSHAMVS contra ſeptuaginta hebdomadibus dimidiam adhuc addit, adeoque totam ſummam annis CCCC XCIII cum dimidio complectitur. Sed haec ſimiliaque iam animaduertit, totamque MARSHAMI hypotheſin adcurate & ſolidiſſime refutauit CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruation. ſacrar. lib. VI. cap. III. p. 258. ſeqq.* Iam pridem etiam IOANNES CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS quaedam contra MARSHAMVM monuit, in calce *telor. ignit. Satanae, p. 1. ſeqq.*

Quemadmodum autem, vt ex hactenus dictis patet, oraculum hocce firmiſſimum argumentum ſuppeditat, quo contra Iudaeos demonſtrari poteſt, Ieſum Nazarenum Meſſiam il-

 lum

lum regemque eſſe, in veteri teſtamento promiſſum, quod alibi copioſius declaratur; ita ſimul, qualis Iſraelitarum eo tempore fides ac theologia fuerit, ex eodem hocce oraculo euidenter intelligitur. Non tantum enim generatim ſpes illorum, de Meſſia humani generis redemtore, quod caput theologiae illorum erat, confirmabatur, ſed tempus, quo adpariturus erat, adcurate determinabatur. Intelligitur hinc etiam, qualem Meſſiam exſpectabant, aut certe exſpectare debebant, non alium ſcilicet, quam per quem *cohibenda eſſet transgreſſio*, *obſignanda peccata*, *expianda iniquitas*, *adducenda iuſtitia*, hoc eſt, qui mortalium ſuo ſanguine expiaturus eſſet peccata, & hoc ipſo a mortis ac infernalis genii poteſtate eos eſſet liberaturus. Atque hunc in finem etiam additur, quod *exſcindendus*, ſeu occidendus ſit Meſſias, at non ſui, ſed hominum cauſſa, neque ita, vt exciſus maneret, ſed maiori potius gloria a mortuis reſurgeret. Id enim verba: יכרת משיח ואין לו ſibi velle, ſupra docuimus. Atque hoc aliunde etiam fideles veteris teſtamenti erant edocti, vt ex *pſalm. XXII. v. 15. ſeqq. Eſa. LIII. v. 7.* aliisque locis conſtat. A Daniele autem tempus etiam paſſionis ac mortis Chriſti exacte determinatur, quod illud futurum ſit poſt ſeptem & ſexaginta duas, hoc eſt, LXIX ſeptimanas. Ex iis denique, quae de ſacrificiorum abrogatione, deque templi & vrbis Hieroſolymae deuaſtatione, tali quidem, vt nulla iterum ſperanda ſit reſtauratio, addit, diſcere poterant, regnum, quod Meſſias erecturus erat, minime temporale, ſed ſpirituale futurum, nec gentis iudaicae, ſed totius terrarum orbis terminis circumſcribendum eſſe. Suntque haec eiusmodi, vt verae theologiae ac religionis, qualis eo tempore fuit, capita luculentisſime nobis ſiſtant, vt plura addere plane ſuperuacaneum foret.

§. XI.

Externus Numinis cultus ſecundum legis Moſaicae praeſcriptum obſeruari in omnibus non poterat, templo deſtructo, hinc & ceſſantibus ſacrificiis.* Conuentus hinc inde inter captiuos Iudaeos, ad audiendos vatum, qui eo tempore vixerunt, ſermones, inſtitutos fuiſſe, ex nonnullis ſcripturae ſacrae locis colligere licet; ** nec tamen de ſynagogis certi quid occurrit, etſi fieri potuerit, vt occaſio quaedam iis introducendis eo tempore ſuppeditaretur.

* Cultum publicum, qui ſacrificiorum maxime oblatione conſtabat, deſtructo templo plane ceſſaſſe, non eſt, quod dubitemus. Contrarium tamen

tamen nobis nonnulli perſuadere adnituntur, ex Baruchi *cap. I. 2. 3. ſeqq.* vbi Iudaei exſules, qui Babylone fuerunt, anno quinto poſt vrbem Hieroſolymam deuaſtatam, templumque deſtructum, vaſa ſacra, quae Nebucadnezar abduxerat, ad Ioiakimum Hilkiae filium, ſacerdotem ſummum, qui Hieroſolymae ſubſtiterit, remiſiſſe, ſimulque pecuniam ad emenda, & offerenda ſacrificia, eidem obtuliſſe dicuntur. Cui quidem narrationi vt veritatis quandam ſpeciem concilient, omnem mouent lapidem IACOB. SALIANVS, AVGVSTINVS TORNIELLVS, aliique eccleſiae Romanae ſacris addicti, cumprimis & PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IX. pag. 393.* idque eum in finem, ne canonicorum librorum numero librum Baruchi eximere cogantur. Sed operam, quod aiunt, oleumque perdunt, cum narratio illa *ἀσύστατα* plane contineat, & iis, quae *II. reg. XXV. 9. ſeqq.* alibique de omnimoda templi & vrbis Hieroſolymitanae deſtructione, & apud Danielem de vaſorum ſacrorum a Nebucadnezare abductorum per Belſazarem profanatione, & reſtitutione per Cyrum demum facta, *Esdr. I. verſ. 7.* dicuntur, e diametro repugnet; conf. MELCHIOR LEIDECKERVS, de *republica Ebraeorum tom. II. lib. IV. cap. VI. pag. 311.* Ab iis autem, quae in templo, aut in Palaeſtina peragi debebant, ſi diſcedas, in reliquis viros pios inter Iudaeos legis Moſaicae fuiſſe obſeruantes, quantum exilii ratio permittebat, facile nobis perſuademus. Cumprimis in precibus ad Deum fundendis aſſiduos fuiſſe, vel Danielis nos condocere exemplum poteſt, *Dan. VI. verſ. 10.* Atque is quidem cum tribus quotidie vicibus preces ad Deum fudiſſe dicatur, nonnulli tempore matutino, meridiano, & veſpertino, id ab eo factum, inde concludunt. Ita ipſe HIERONYMVS, ad *h. l.* Quod ſi ita ſe habeat, non eſt dubium, quin ad ſacrificia, quae quotidie mane & veſpere offerri ſolebant, ſimul reſpexerit. Forte ab hocce Danielis exemplo trinae Iudaeorum preces שחרית *matutina*, circa horam tertiam, מנחה *oblatiua* circa meridiem, ſiue horam ſextam, & ערבית *veſpertina* circa horam nonam fluxerunt; quarum ad *Dan. VI. 10.* meminerunt R. SAADIAS & R. ABEN ESRA, conf. & SAM. PETITVS, *variar. lection. lib. I. cap. X.* & MARTINVS GEIERVS, ad *Daniel. VI. 10.* Summorum praeterea ſacerdotum ſucceſſionem pariter, ac familiarum diſtinctionem, integram in exilio Babylonico ſeruatam fuiſſe, partim ex iis, quae ſupra ad §. *IX.* diximus, partim ex *Esdr. II.* & *Nehem. VII.* ſatis conſtat.

** Iudaeos in exilio Babylonico conſtitutos, apud prophetas, ad ſermones eorum audiendos, conueniſſe, ex *Ezechiel. VIII. 1. XIV. 1. XXXIII. 31. ſeqq.* haud obſcure patet. Addunt nonnulli loca *Daniel. VI. 10. 11. IX. 2. 3. Ierem. XXIX. 7.* Sed ex hisce eiusmodi quid non colligas. Fieri etiam potuit, vt in conuentibus illis

iunctim preces funderent, legemque Moſis & prophetarum legerent, aut hymnos etiam decantarent. Sed nullibi hoc diſerte dicitur. Multo minus certo conſtat, conuentus illos fuiſſe ſtatos, & velut fixos, vt tempus certum illis fuerit deſtinatum. Adeoque nec ſynagogas eo tempore Iudaeos habuiſſe adſerere licet; etſi negare nolim, conuentus hosce ſynagogis inſtituendis occaſionem dediſſe. Quod in *Schalſcheleth Hackabb. fol. 13.* ex tractatu talmudico מגלה adfertur: *Exules cum Ioiachimo deportarunt puluerem ex domo Dei & pulchros lapides, atque illis exſtruxerunt ſynagogam in Nearda, quam QVIETAM SEDEM adpellarunt*, reliquis Iudaeorum fabulis adnumerandum eſt. Solent equidem nonnulli ſynagogas longe antiquiores facere, earumque originem ab ingreſſu Iſraelitarum in terram Canaan repetere; ſed non adeo firmo hanc ſententiam niti fundamento, ſupra iam obſeruatum eſt, ad *period. II. ſect. II. §. XIV. pag. 745.*

§. XII.

Circa matrimonia quod obſeruatu dignum ſit, in hocce temporis interuallo non occurrit. Ad ſtatum Iudaeorum ciuilem quod attinet, licet regem non haberent, non tamen ipſa reipublicae compages prorſus diſſoluta erat, cum ſeniores & praecipuae quidam dignitatis viri totius populi curam haud dubie geſſerint, & quae ad ordinem in illo, quantum captiuitatis ratio permittebat, conſeruandum ſpectabant, conſtituerint. *

* Erant apud Iudaeos, in exilio Babylonico conſtitutos, non tantum ſacerdotes & prophetae, ſed & alii generis claritate & probitate inſignes viri. Immo erant viri principes, qui ex ipſa familia Dauidis originem ducebant. Iechoniam enim, qui rex Iudae fuerat, ab Euilmerodacho vinculis exemtum & libertati reſtitutum conſtat, ex *II. reg. XXV. verſ. 27.* & *Ierem. LII. verſ. 31.* Iechoniam quoque huncce liberis non fuiſſe deſtitutum, ex *Matth. I. verſ. 12.* liquet, & ſupra quoque ad *ſect. praeced.* §. *XXVII.* docuimus. Filius nimirum eius fuit Salatiel, ſeu Schealteel. Sunt eqidem, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ notemus, qui, Salathielem nepotem Iechoniae fuiſſe, volunt, ex filio אסיר *Aſſir.* Sed vocem אסיר quae *I. chronicor. III. 17.* exſtat, alii, & rectius quidem mea opinione, pro nomine adpellatiuo habent, quo *vinctus* ſeu *captiuus* denotetur. Schealthielis autem filius fuit Pedaia, pater Zorobabelis, *I. chron. III. verſ. 19.* Tantae itaque auctoritatis viri cum Iudaeis in exilio non defuerint, nullum

Digitized by Google

lum plane eſt dubium, quin hi populi ſui, quantum exilii ratio permittebat, curam geſſerint, omnemque impenderint operam, vt ordo aliquis, ac velut ſpecies reipublicae in eo conſeruaretur. Ebraeorum magiſtri quendam captiuorum principem ראש הגלות fuiſſe tradunt. Recitare hac de re iuuat, quae R. GEDALIAS, in *Schalſchel. Hackabb. fol. 13.* refert: *Deus benedictus propter multa peccata regum Iudae, diſſoluit robur brachii illorum, & non fuit illis amplius vis, vt regnarent in Israelem; ſed permiſit, vt ſe extollerent ſuper ſemen Iſraelis, titulo excellentiae principatus. Ioiachin fuit primus illorum, & poſt paucos dies mortuus eſt in Babele, Sealthiel vero filius Ioiachini fuit* נשיא וריש הגלות *princeps & caput exſulum, poſt mortem ſui patris, ibique obiit: illi ſucceſſit Zerubabel.* Quae cum ita ſe habeant, ſatis patet, rempublicam iudaicam in exilio Babylonico non plane diſſolutam fuiſſe, quod & ſupra nobis iam obſeruatum eſt, ad *period. I. ſect. III. §. XIV. pag. 282.* Nec a vero abhorret, praefectis Iudaeorum quandam immorigeros, aut patriae legis prorſus immemores, coercendi fuiſſe poteſtatem; quae tamen ad ſupplicia capitalia neutiquam extendi poteſt. Quod cum in libro de hiſtoria Suſannae fiat, hic vel hoc nomine νοθείας ſuſpicionem non ſine ratione incurrit. Sunt viri quidam docti, qui, cum Iudaeis in exilio hocce conſtitutis alia ratio immorigeros puniendi non ſuppeteret, a ſynagogis eos excluſiſſe exiſtimant; hinc & excommunicationis in gente ebraea deinceps vſitatae, & ad chriſtianos propagatae, originem, ad haecce referre tempora non dubitant. Ita IOANNES SELDENVS, de *ſynedr. lib. I. cap. XII.* alibique, quem & alii ſequuntur. Refellit hosce MELCHIOR LEIDECKERVS, qui excommunicationem longe antiquiorem fuiſſe exiſtimat, a poena כרת ſeu *excidii* quippe repetendam, immo iuris naturalis eſſe, contendit, hominem a ſocietate aliqua excludere, qui ſocietatis iſtius legibus ſtare recuſat. In exilio Babylonico excommunicationem ortam non eſſe, vel inde liquere putat, quod tempora proxime illud ſecuta nullum eius exhibeant exemplum, etſi ſtatim poſt reditum, vitia quaedam longe grauiſſima in gente iudaica inualeſcerent. Interim non negat, excommunicationem ſolemnem, quae variis conſtabat ritibus publicis, ſub templo ſecundo demum ortam eſſe; de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. VI. cap. VII. pag. 482.* Diſpiciendum omnino eſt, quid excommunicationis voce ſignificetur. Si nihil aliud, quam ἀποσυναγωγίαν, ſeu excluſionem a ſynagogis ſignificet, maior eius, quam ipſarum ſynagogarum, non poteſt eſſe antiquitas. Haſce autem tempore exilii Babylonici ortas eſſe, certo dici non poſſe, antea obſeruauimus. Ergo nec certo dici poteſt, excommunicationis originem ad hocce tempus referendam eſſe. Multo vero minus inde colligere licet, quod nonnulli faciunt, ex-

com-

communicationem non eo tantum tempore, ſed deinceps etiam poſt reipublicae iudaicae reſtaurationem habuiſſe indolem poenae ciuilis. Cum enim Iudaei poſt exilium Babylonicum cum ſummo imperio haberent ius puniendi, quare excommunicationem tum loco aliarum poenarum vti debuerint, nullam rationem video. Sed hac de re alibi erit dicendi locus. Ab excommunicatione hoc modo accepta, diuerſum quid eſſe poenam כרת ſeu *excidii*, itemque *anathema*, adeoque & aliter de his pronuntiandum, nemo non videt.

§. XIII.

Nec litterarum & ſapientiae ſtudia prorſus exſtincta; immo propagata vtcumque & conſeruata fuere, magnis quibusdam viris, quos diuina prouidentia eo tempore genti huic conceſſit, haud dubie omnem ad id conferentibus operam. * Horumque, ſpeciatim Danielis, cuius magna apud reges quosdam fuit auctoritas, cura effectum, probabile videtur, vt nec ſcholae Iudaeis ac ſapientiae deeſſent domicilia. ** Libros quoque hac aetate conſcriptos, vel Danielis atque Ezechielis monumenta nos dubitare non ſinunt. ***

* Litterarum ſtudia tum apud Iudaeos, tum apud Chaldaeos hocce tempore floruiſſe, ex Daniele colligere licet. Et ad Iudaeos quidem quod attinet, dum vir ſanctiſſimus refert, iuſſu Nebucadnezaris ſeligendos ex iis fuiſſe adoleſcentes ingenuos, generisque nobilitate, & animi non minus, quam corporis, dotibus praeſtantes, vt Chaldaeorum diſciplina formati ad miniſteria aulica aliquando adhiberentur, de animi dotibus, quibus praediti eſſe debuerint, verba faciens, eos debere eſſe dicit משכילים בכל חכמה *eruditos omni ſapientia*, vt vulgatus vertit; ſeu, intelligentes omnem ſapientiam; ויודעי דעת & *ſcientes ſcientiam*; ומביני מדע & *doctos diſciplina*, vt iterum vulgatus habet, vel vt FRANCISCVS IVNIVS: *& intelligentes cognitionis.* Licet vero adoleſcentes iſti in litteris & lingua Chaldaeorum fuerint inſtituendi, vt adeo ſimul in omni eruditionis genere proficere potuerint, fundamenta tamen ſapientiae, variaeque eruditionis iam tenere debebant, priusquam Chaldaeorum diſciplinae committerentur. Quae quidem fundamenta cum non aliunde, quam a ſuae gentis magiſtris haurire potuerint, recte inde, ni fallor, concluditur, apud Iudaeos ſapientiae ſtudia, non obſtante exilio, aliisque calamitatibus, quibus hactenus obnoxii fuerant, floruiſſe. In vocibus autem iſtis diuerſis, quibus ad eruditionem eorum deſignandam Daniel vtitur,

ex-

Digitized by Google

explicandis & diſcernendis, non omnes inter ſe conſentiunt. R. SAADIA ita eas diſtinguit, vt חכמה *ſapientia*, verſetur circa promtitudinem reſpondendi ad quodlibet interrogatum, דעת *ſcientia*, circa rem omnem, quam audiebant, מדע *cognitio*, circa explorationem conſilii. R. ABEN ESRA primum ſeu חכמה dicit eſſe vniuerſaliſſimum, alterum ſeu דעת complecti talem ſagacitatem, qua quis ſub initium ſermonis ab aliquo facti coniicit, quid dicendum reſtet in fine, cum multi ſint ſapientum, qui id ignorent, antequam ad finem perductus ſit ſermo; vltimum denique ſeu מדע ad huiusmodi promtitudinem refert, qua quis communicare poteſt cum aliis, vt intelligant, quid in ſuo ſit corde aut cogitatis, cum multi dentur ſapientes, qui difficulter, & nonniſi per ambages circuitusque tortuoſos, animi ſenſa proferre poſſunt. R. IOSEPH IACCHIADES primum refert ad adprehenſionem propoſitorum, quae eſt השלימות העיוני *perfectio contemplatiua*; alterum ad bonam adſuefactionem, conuerſationemque cum hominibus, tam oeconomicam, quam politicam, ad expeditionem negotiorum, ſtrategematumque bellicorum, quae eſt השלימות השכל המעשי *perfectio mentis practica*; tertium denique ad ſagacitatem, qua praeter perfectionem theoreticam & practicam, quam addidicerunt, vnum ex alio colligere potuerint, ſuopte ita velut ingenio proficientes. Ex chriſtianis doctoribus, qui itidem in diuerſas hic abeunt partes, nonnulli *ſapientiam* referunt ad philoſophiam naturalem, *ſcientiam* ad philoſophiam rationalem, grammaticam, rhetoricam, logicam; *cognitionem* ad philoſophiam moralem; alii autem per *ſapientiam* intelligunt grammaticam, rhetoricam, dialecticam; per *ſcientiam* phyſicam, metaphyſicam, mathematicam; per *cognitionem* ethicam, politicam & oeconomicam; HUGONI GROTIO, *ſapientia* eſt lex Moſis; *ſcientia*, monita de moribus, re familiari ac ciuili, qualia multa apud Salomonem; *cognitio* denique, artes metiendi, numerandi & hiſtoriae cognitio. Rationem vero ſi ab omnibus hiſce exquiras, cur hasce voces ita, & non aliter, interpretandas cenſeant, nullam adferre poſſunt; vnde, quam lubrica, quamue incerta haec omnia ſint, intelligitur. Accedit, quod plerique de eruditione iſtius temporis ſecundum faciem, quam deinceps per Graecos ſortita eſt, iudicantes, eas diſciplinas, quibus hodie illius circulus abſoluitur, iam tum in vſu fuiſſe, perperam & ridicule ſibi imaginentur. Vitium hoc eſt, quod multis adhaeret, ſed vt alibi monuimus, diligenter euitandum, cum ex eo de rebus veterum conceptus plane falſos nobis formemus, & in errores ineptiſſimos ruamus praecipites. Incertum vero eſt, an omnino Daniel hisce vocibus diuerſas eruditionis partes indicare voluerit, aut, ſi voluit, longe adhuc incertius, quaenam iſtae fuerint. Quare generatim ſaltem ex iis concludi poteſt, litterarum ſtudia

dia pro gentis iſtius indole, & temporum conditione, ea aetate apud Ebraeos in vſu fuiſſe.

Apud Chaldaeos itidem hac aetate ſapientiae ac litterarum ſtudia floruiſſe, vel inde conſtat, quod Daniel, eiusque ſocii Chaldaeorum magiſtris traditi ſint, ללמדם ספר ולשון כשדים *vt docerent eos litteras, & linguam Chaldaeorum*, *Daniel. I. verſ. 4.* Et licet, quae de antiquiſſimis Chaldaeorum philoſophis Zoroaſtre & Belo traduntur, longe ſint incertiſſima, vt ex iis patet, quae ad *period. I. ſect. III. §. XXII. p. 353.* obſeruauimus; negari tamen nequit, Aegyptios & Chaldaeos inter gentes, apud quas ſapientiae & litterarum ſtudia antiquiſſimis temporibus in vſu fuerunt, primum tenere locum. Recte hoc THOMAS STANLEIVS docet, *hiſtor. philoſoph. part. XIII. prooem. pag. 1110.* Illis, qui inter Chaldaeos philoſophiae operam nauabant, ſpeciatim *Chaldaeorum* nomen haeſiſſe, ex STRABONE diſcimus: Ἀφώριϛο δ᾽ ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ ἀϛρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον· *Conſtituta eſt habitatio peculiaris in Babylonia philoſophis indigenis, plurimum aſtronomiam tractantibus, qui Chaldaei adpellantur*, *libr. XVI. p. m. 1074.* vbi & de variis Chaldaeornm philoſophorum ſectis agit, quarum & PLINIVS mentionem facit, *hiſtor. natural. lib. VI. cap. XXVI.* Iungenda & quae DIODORVS SICVLVS, de antiquis Chaldaeorum philoſophis diſſerit, *lib. II. p. 82.* Apud Danielem quatuor praecipue nomina occurrunt, quibus ſapientes Chaldaeorum iſtius temporis deſignantur, חרטמים ſcilicet, *cap. I. 20.* & *cap. II. 2.* אשפים *cap. I. 20.* & *cap. II. 2.* מכשפים *cap. II. 2.* כשדים *ibid.* quibus denique addi poſſunt, גזרין *cap. II. 27.* & *cap. IV. 4.* De voce חרטמים eiusque origine iam dictum, ad *period. II. ſect. I. §. XXXVI. p. 597. ſeqq.* vbi & obſeruatum, ea magos ſeu incantatores ſignificari. R. ABEN ESRA eos operam peculiarem ſtudio phyſico nauaſſe exiſtimat, adeoque abditas rerum naturalium cauſſas, ortum, ſtatumque, fuiſſe venatos. Pari ratione & R. ISAAC ABARBANEL magos rerum naturalium peritos intelligit. Idemque haud dubie ſibi vult R. IOSEPH IACCHIADES, magos intelligens, qui *theoreticam ſcientiam colebant.* Fieri ſane potuit, nec a vero abhorret, eos cum artibus magicis ac illicitis naturalium rerum ſcientiam coniunxiſſe, & hanc cum primis profeſſos eſſe. Per אשפים R. ABEN ESRA, ad *Dan. II. v. 1.* intelligit רופאים *medicos*, qui attactu pulſus, aut inſpectione vrinae, iudicium ferunt de valetudine aut hominis conſtitutione; VT R. DAVID KIMCHI *aſtrologos*, R. IOSEPH IACCHIADES autem ſapientes בשכל המעשי *intellectu practico excellentes*, hoc eſt, philoſophiae practicae magiſtros. Diſſentit a IACCHIADE CONSTANTINVS L' EMPEREVR, vocem אשף demta littera prima cum Graecorum σοφὸς conuenire exiſtimans; eosque ita deſignatos, qui

qui myſtice & allegorice cuncta in diuinis explicabant, & ita contemplationibus vacabant, ad *Iacchiad. l. c. p. 25.* cui & ſuffragatur THOMAS STANLEIVS, *hiſtor. philoſ. part. XIII. c. X. p. 1121.* HVGO GROTIVS. אשף itidem Graecorum σοφὸς eſſe exiſtimat, eo quod Thales, aliique Graecorum ſapientes iam ante Nebucadnezarem fuerint celebres. Haec vero omnia docent, non ſatis conſtare, quinam אשפים fuerint. Singularem eorum apud Chaldaeos fuiſſe auctoritatem, non eſt, quod dubitemus; diſtinctos quoque eos fuiſſe à חרטמים ſatis liquet. Sed plura de iis dicere non licet. Per מכשפים praeſtigiatores intelligi, ex inſtituto iam docuimus, ad *period. II. ſect. I. §. XXXVI. p. 620.* A vero tamen non abhorret, hoſce homines aliquid artibus ſuis illicitis & ſtolidis obtendiſſe, quo ſapientiae quandam ſpeciem illis conciliarent. Cuiusmodi ſapientiae ſpecies artibus fallacibus non temere deeſt. Chaldaeorum denique nomine apud Babylonios, generatim eruditos, ſeu philoſophos veniſſe, antea iam obſeruauimus. Hi vero cum ab aliis ſapientibus diſtinguantur, vix dubitandum videtur, quin ſpeciatim intelligantur, qui aſtrologiae & genethliacae operam nauarunt. Hinc & nihil frequentius, quam vt apud ſcriptores latinos aſtrologi *Chaldaeorum* nomine inſigniantur. Nota hac de re ſunt loca CICERONIS, de *diuinat. lib. I. cap. I.* AVLI GELLII, *noct. Atticar. lib. I. cap. IX.* aliorumque. Per גזרין denique *aruſpices* intelligi, omnes fere conſentiunt, dictumque hac de re, quantum ſatis eſt, ad *per. II. ſect. I. §. XXXVI. p. 620.* qui tamen itidem aut religionis, aut ſapientiae quamdam ſpeciem, fallaciis ſuis obtendere didicerant. Atque hinc qualis eo tempore Chaldaeorum philoſophia fuerit, iudicare licet. Reliqua, quae de eorum doctrina adferri ſolent, aut incerta ſunt, aut ſaltem ad haec tempora referri nequeunt, cum ex Zoroaſtris, quae circumferuntur, petita ſint oraculis, quae neutiquam genuina eſſe conſtat; & ſi vel maxime Chaldaeorum doctrinam contineant, an ea hocce iam, in quo verſamur, tempore recepta fuerit, certo dici nequit, cum longe ſint recentiora. Interim non negauerim, veſtigia quaedam ac rudera forte priſcae Chaldaeorum philoſophiae in iis occurrere.

** Apud Chaldaeos in hocce temporis interuallo ſcholas iam atque ſapientiae domicilia exſtitiſſe, qui hactenus dicta expenderit, non temere dubitauerit. Ipſa artium atque ſapientiae propagatio, & cum aliis facta communicatio, hoc quodammodo requirere videtur. Num & apud Ebraeos ante exilium Babylonicum fuerint, ſupra diſputauimus, ad *ſect. praecedent. §. XXXIII.* In ipſo hocce exilio Babylonico eos eiusmodi doctrinae & ſtudiorum domicilia habuiſſe, nullibi equidem diſerte dicitur, admodum tamen eſt probabile. Cum enim ad verae religionis conſeruationem, ac propagationem hoc prorſus

 eſſet

eſſet neceſſarium, quin Daniel, cuius maxima apud reges nonnullos erat auctoritas, praeter alia & hanc facultatem iis impetrauerit, non eſt, quod ambigamus. Iungenda, quae hanc in rem diſſerit, IACOBVS ALTINGIVS, in *hiſtor. academ. ebraeor. p. 285.* A Iudaeis, qui in Babylonia, reliquis in patriam reuerſis, remanſerunt, excitatae ſunt tres iſtae ad Euphratem ſcholae, nobiliſſimae, florentiſſimaeque, Nahardeenſes, Sorana, & Pumbeditana, de quibus alibi erit dicendi locus.

*** Eum, qui in codice ebraeo exſtat, Danielis librum ab eo ſcriptum, adeoque genuinum eſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Porphyrium equidem iam olim omnes ingenii neruos in id intendiſſe, conſtat, vt librum hunc falſo Danielis praeferre nomen euinceret. Antiochi enim epiphanis aeuo in Iudaea a quodam compoſitum fuiſſe, adſeruit, qui res ad id tempus geſtas ſic tamquam futuras praedixerit, reliqua autem, quae vere futura erant, vtpote a ſe ignorata, incertis & falſis vaticiniis praenuntiauerit. BENEDICTVS DE SPINOZA vlterius progreditur, librumque Danielis dudum poſt inſtauratam a Iuda Maccabaeo templi cultum prodiiſſe pronuntiat, *tractat. theolog. polit. cap. X.* Haec vero iſtorum hominum commenta vt longe ſunt ineptiſſima, ita ſolide profligantur a PETRO DANIELE HVETIO, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IX. p. 415.* Contra Porphyrium & ipſe diſputaui in *diſſertat. de veritate chriſt. religion. philoſophor. gentil. obtrectationib. confirmata* §. *IX. in ſyntagm. diſſertat. theolog. pag. 491.* Ad additamenta autem, quae vocantur, libri Danielis quod attinet, *hiſtoriam* ſcilicet *Suſannae*, *Beli* itidem atque *draconis*, ea perperam ipſi Danieli tribui, apud cordatos harum rerum exiſtimatores poſitum eſt extra controuerſiam. Praeterquam enim, quod in codice ebraeo iſta non exſtent, falſiſſima eſſe, quae in iis narrantur, & nullam ſpeciem veri habere, ſupra iam demonſtratum eſt, ad §. *I. & IV.* Quae PETRVS DANIEL HVETIVS in contrarium diſſerit, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IX. p. 410. & 411.* ita comparata ſunt, vt vix credam, virum doctiſſimum, harumque rerum peritiſſimum, ſerio illa ſcripſiſſe. De onirocriticis, quibus Danielis nomen praefixum fuit, & aliis eiusdem commatis, vid. IO. ALBERTVS FABRICIVS, *cod. pſeudepigraph. veter. teſtam. pag. 1130. ſeqq.* & SCIPIO SGAMBATVS, *archiu. vet. teſt. p. 378.*

Ezechielis, qui in codice ebraeo exſtat, librum, reuera vatem huncce auctorem agnoſcere, extra omnem itidem poſitum eſt controuerſiam. Quod enim BENEDICTVS DE SPINOZA, in *tractat. theolog. polit. cap. II. pag. m. 27.* ex *tractat. talmud. Schabbati, cap. I. fol. 13.* refert, Ebraeorum magiſtros propter ſententias aliquas Ezechielis, quae Moſis effatis repugnare videntur, de expungendo illius libro & reiiciendo, conſilia aliquando agitaſſe, ac fuiſſe facturos, absque Anania quodam fuiſſent, qui discrepanti-

as

as illas ſe conciliaturum, nodoſque omnes ſoluturum in ſe recepit, ac re praeſtitit; non magis quemquam mouere poteſt, quam argutiae illae, quas ipſemet homo impius, ad libri huius labefactandam auctoritatem excogitauit, quas ſolide profligauit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. p. 410.* FLAVIVS IOSEPHVS duos libros Ezechielem ſcripſiſſe, auctor eſt; quod ſi verum eſſet, alterum intercidiſſe, neceſſe eſſet. Verba eius ſunt: οὐ μόνον δὲ οὗτος Ἰερεμίας προεθέσπισε ταῦτα τοῖς ὄχλοις, ἀλλὰ καὶ ὁ προφήτης Ἰεζεκίηλος, ὃς πρῶτος περὶ τούτων δύο βιβλία γράψας κατέλιπεν· *Non ſolum autem Ieremias iſte coetibus hominum illa praedixit, ſed & propheta Ezechiel, qui primus liberos duos de his conſcriptos reliquit; antiquitat. iudaic. lib. X. cap. VI.* At cum ipſemet FLAVIVS IOSEPHVS, *libr. I. contra Apion. p. 1026.* libros ſacros viginti duos commemorans, nonniſi vnum Ezechielis librum in illo cenſu computet, non duos olim Ezechielis libros exſtitiſſe, ſed eum, qui hodie exſtat, in duas diuiſum fuiſſe partes, idque IOSEPHVM in priori loco innuere, viri quidam docti, PETRVS DANIEL HVETIVS, *loc. cit. p. 400.* atque STEPHANVS LE MOYNE, *not. ad varia ſacra p. 338. & 341.* exiſtimant. Auctor vero *ſynopſeos ſcripturàe*, quae inter ſcripta ATHANASII exſtat, *tom. II. opp. eius, p. m. 134.* inter ψευδεπίγραφα etiam Ezechielis quendam librum refert, quod & in στιχομετρία facit NICEPHORVS. Fieri ſane potuit, vt olim liber aliquis ſub Ezechielis nomine confictus exſtaret. De quo eo minus forte dubitandum videtur, quod ſubinde a veteribus ſub Ezechielis nomine quaedam proferantur, quae in canonico illo, quem hodie habemus, eius libro non exſtant. Cuiusmodi inter alia & illud eſt, quod CLIMACVS, in *ſcala paradiſi, gradu VII. p. 159.* ceu ab Ezechiele profectum laudat: ἐν ᾧ εὕρω σε, ἐν αὐτῷ καὶ κρινῶ σε, εἶπεν ὁ Θεός· *In quo ſtatu te inuenero, in ipſo iudicabo te, inquit Dominus.* Reliqua IOANNES ALBERTVS FABRICIVS exhibet, *codic. pſeudepigrapho veter. teſtam. pag. 1128.*

§.XIV.

Interim pleriſque mortalium denſa adhuc incubuit caligo, ſuperſtitioniſque ac idololatriae regnum longe lateque patuit. Ex ipſis Iudaeis, in captiuitate licet conſtitutis, haud pauci gentilium exemplo in transuorſum agebantur.* Apud gentiles autem foediſſimae ſtolidiſſimaeque idololatriae nec finis nec modus erat, quod vel Babyloniorum, quorum res in hocce temporis interuallo longe erant florentiſſimae, exemplo conſtat.** Cumprimis vero & apud Graecos pariter ac Romanos ſuperſtitio incrementa ſumſit, li-

cet apud illos philoſophi exſiſterent, qui rectius hac in re, quam reliqui, ſibi ſapere videbantur, quandoque tamen charybdin euitaturi in ſcyllam, ſeu atheismum incidebant.***

* De Iudaeorum in captiuitate Babylonica conſtitutorum vitiis, defectionibusque, paſſim conqueritur Ezechiel vates, *c. XX. v. 39. XXXIII. v. 26. XXXVI. v. 18. 19. ſeqq.* Ad prima captiuitatis initia, cum templum nondum deſtructum eſſet, pertinent, quae idem vates ſanctiſſimus *cap. VIII.* de grauiſſima foediſſimaque Iudaeorum idololatria in medium adfert. Viſio enim, quae ibi enarratur, illi contigerat anno ſexto a deportato Iechonia, hoc eſt, ſecundum ea, quae ad §. *IX.* diximus, ſecundo, poſtquam munus propheticum ſuſceperat. Refert autem, ſe Hieroſolymam delatum, in viſione quidem, vt nonnulli exiſtimant, quanquam alii hoc reuera factum contendant, ad oſtium portae interioris, ſpectans ad aquilonem, vbi erat *ſtatutum idolum zeli, ad prouocandam aemulationem.* Baalis haud dubie idolum intelligit, vnum ex iis, quae fecerat Manaſſes, *II. reg. XXI. 7. II. chron. XXXIII. 3.* deſtruxerat Ioſias, *II. chron. XXXIV. 4.* repoſuerant reges ſequentes, *II. reg. XXIII. 27. II. chron. XXXVI. 12.* Hocce idolum vocatur *idolum zeli*, ſeu zelotypiae, quia Deus eo ad zelum prouocabatur, tanquam maritus, cui ob oculos adulter adducitur. Tum vlterius ad portam atrii Leuitarum ſe deductum memorat, vt foediores adhuc abominationes videret, vbi per foramen in pariete factum ingreſſus, vidit *omnes formas reptilium & iumentorum deteſtandorum, omniumque ſtercoreorum deorum domus Iſraelis expreſſum*, (opus) *in pariete ipſo circumquaque.* Vidit porro *ſeptuaginta viros e ſenioribus domus Iſrael, cum Iaazania filio Saphanis in medio illorum, ſtantes coram illis, quemque thuribulum ſuum tenentem manu ſua, ita vt abundans nubes ſuffitus adſcenderet.* Indicat nimirum, eos reptilia varia & animantia, quorum imagines in conclauium ſuorum parietibus depictas habebant, cultu religioſo proſequi. Quam inſaniam longe ſtolidiſſimam quin ab Aegyptiis acceperint, non eſt, quod dubitemus. Vlterius deductus ad oſtium portae domus Iehouae, quae eſt ad aquilonarem tractum, vidit ibi *mulieres ſedentes, & deflentes Thammuz.* Quisnam ille Thammuz ſit, a mulierculis defletus, de eo non ſatis inter ſe eruditi viri conſentiunt. Ex ebraeis doctoribus R. DAVID KIMCHI, & R. SALOMON IARCHI, ad *h. l.* Thammuz idolum fuiſſe cenſent, canis oculis quibus plumbum inditum, quod admoto igne liquefieret, vt adeo lacrymas fundere videretur. At non Thammuz ipſe fleuiſſe dicitur, ſed mulieres fleuiſſe Thammuzum. Quod R. MOSES MAIMONIDES ex Zabaeorum commentariis, *mor. neuoch. part. III. cap. XXIX.* refert, ſacerdotem quendam

dam idololatricum, Tammus dictum, a rege, cum eum ad colenda ſidera inuitaret, occiſum eſſe, eaque nocte conueniſſe omnia idola ad ipſum plangendum, praeeunte reliquis exemplum imagine ſolis, & hinc conſuetudinem, vt menſe Tammus, ſeu Iunii, pſeudopropheta iſte plangeretur, ortam; eodem habendum loco, quo reliquae eiusdem gentis fabulae longe ineptiſſimae. Plerisque viris doctis ſe adprobauit ſententia HIERONYMI, ad *h. l.* quae & reliquis eſt veroſimilior, Thammuz eſſe Adonidem, iuuenem formoſiſſimum Veneri adamatum, quem tradebant ab apro interfectum, idque menſe Iunio, qui adeo nomen inde apud Phoenices acceperit, & reuixiſſe, vnde a mulieribus primum ceu mortuus plangatur, mox ceu reuiuiſcens cantu excipiatur. Certe qui legerit, quae LVCIANVS, vel, quisquis auctor eſt tractatus, de *dea Syria*, qui inter opera LVCIANI exſtat, *tom. II. pag. 656. ſeqq.* de templo Veneris Byblicae, & ritibus ſacris, in honorem Adonidis inſtitutis, refert, non dubitabit, apud Phoenices eiusmodi quid in vſu fuiſſe; ab his autem ad Iudaeos facili negotio ſacra iſta tranſire potuerunt. Sunt, qui per Thammuz Oſiridem intelligunt; quorum cum noſtra haud difficulter conciliari poteſt ſententia, cum nonnullis probabile videatur, per Adonidem ipſum intelligi Oſiridem. Namque & Iſis iacturam Oſiridis eadem ratione luxiſſe dicitur, qua Venus Adonidis. Feſtum praeterea, quod eam ob cauſſam in Aegypto celebrabatur, duabus itidem conſtabat partibus, quarum altera ἀφανισμὸς Oſiridis dicebatur, dum feminae iacturam eius deflebant, altera εὕρεσις, dum ob eum iterum inuentum laetabantur, aeque ac Adonidem mortuum deplorabant primum, deinde vitae reſtitutum cantu excipiebant. Atque hoc LVCIANVS etiam confirmat, cuius verba breuitatis cauſſa latine ſolum dabimus: *Sunt autem ex Bybliis nonnulli, qui dicunt, apud ſe humatum eſſe Oſirim Aegyptium; luctusque & ritus hosce non Adonidi, ſed Oſiridi omnes fieri; cuius rei dicam vnde fidem faciant. Caput vnoquoque anno ex Aegypto Byblum defertur, ſeptem diebus, quantum ſpatii ex illa in hanc eſt, enatans: ipſumque venti diuina quadam nauigatione ferunt; nec vsquam alio vertitur, ſed ſolum Byblum perfertur: totaque res ea eſt admiranda. Atque id fit quotannis, cumque Byblii eſſem, factum eſt; caputque vidi papyraceum; l. c. p. 658.* Non abs re fuerit, ὡς ἐν παρόδῳ obſeruare, eſſe nonnullos, qui exiſtimant, ad conſuetudinem iſtam, LVCIANO hic commemoratam, qua quotannis caput Oſiridis in mare iniectum, diabolica vi, ſeptem dierum interuallo ex Aegypto Byblum deferebatur, alludere Eſaiam vatem, *cap. XVIII. 1.* quando dicit: *qui mittis per mare legatos, & vaſis ſcirpeis ſuper aquas.* Nimirum vocem צירים vulgo per *legatos* vertunt, ſed cum etiam per *imagines* reddi queat, ſenſus eſſe poteſt: *qui mittis imagines ſeu idola per mare,*

mare, *& in vaſis ſcirpeis*, *ſeu papyraceis*; quemadmodum LVCIANVS dicit, ſe vidiſſe, *κεφαλὴν βυβλίνην*, *caput papyraceum*. Legenda, quae praeeunte PROCOPIO hac de re diſſerit SAMVEL BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. IV. cap. II.* An rem acu iſti tangant, nunc non diſputo; conf. CAMPEGIVS VITRINGA, ad *Eſa. loc. cit.* Ad Thammuzum vt redeamus, ſatis quidem, vt ex dictis patet, probabile eſt, eo nomine venire Adonidem; hic vero cur ita dictus ſit, non aeque liquet. Quod enim PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. & cult. p. 684.* exiſtimat, idem hanc vocem ſignificare, ac תם זו *perfectus ipſe*, coniectura eſt longe incertiſſima. Legenda & quae de Thammuz diſſerit IOANNES SELDENVS, de *diis Syris; ſyntagm. II. cap. XI.* & GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, *theolog. gent. lib. II. cap. IV.*

** Inter Babyloniorum idola hoc tempore celebrata primo loco occurrit Bel. Non prouocabo ad *hiſtoriam Beli & draconis*, quae inter additamenta Danielis exſtat; quippe quam apocrypham eſſe, ſatis conſtat ex iis, quae ad §. *praeced.* it. ad §. *IV.* huius ſectionis, ea de re diſputauimus. Diſerte mentio Beli Babylonii iniicitur, *Eſa. XLVI. 1. cecidit Bel*, *ſuccubuit Nebo*, & *Ierem. L. v. 2. capietur Babylon*, *erubeſcet Bel*, *conteretur Merodach*; & iterum *cap. LI. 44. animaduertam etiam contra Belum Babylone*, *& extraham*, *quod deglutit*, *ex ore eius.* Bel autem, ſeu Belum, eundem eſſe ac Baal, notum ſatis eſt. Dictum hac de re ex inſtituto eſt, ad *period. II. ſect. II.* §. *XVII. p. 950.* vbi &, quis Belus Babyloniorum ſit, ediſſeruimus; conf. & PETRVS IVRIEV, *hiſt. crit. dogm. & cult. part. IV. cap. II. p. 757.* Veſtigium idoli huius in nomine Beltſchazar, quod Danieli eſt impoſitum, occurrere, ſupra itidem ad §. *I.* huius ſectionis obſeruatum eſt. Quod *Ierem. LI. 44.* dicitur: *& extraham*, *quae deglutit*, *ex ore eius*, ſeu, vt alii vertunt: *& extraham bolum eius ex ore eius*, cum eo conuenire nonnullis videtur, quod in hiſtoria apocrypha Beli narratur, de multo cibo & potu, Belo quotidie propoſitis, & ab ipſo conſumi putatis. Iſta vero vt plane incerta eſt narratio, ita HVGO GROTIVS per bolum iſtum ex ore Beli extrahendum, opes potius atque theſauros templi Belo conſecrati intelligit, ad *Ierem. LI. 44.* Rectius forte SEBASTIAN SCHMIDIVS, terras opesque gentium, quas regnum Babylonicum ad ſe abripuerat, & in ore ſuo quaſi detinuerat, & quas Babylonii ope Beli ſui ſe conſecutos exiſtimabant, ſed quae dominis prioribus ſint reſtituendae. Beli templum a Nebucadnezare ex manubiis magnifice exornatum, teſtatur BEROSVS apud FLAV. IOSEPHVM, *antiquit. iudaic. lib. X. cap. XI.* Deſcribitur illud ab HERODOTO, *lib. I. c. CLXXXI.* ſed & ARRIANVS mentionem eius iniicit, *de rebus Alexandri lib. III. p. 63.*

Cum Belo *Eſa. XLVI. 1.* coniungi-

Digitized by Google

iungitur Nebo, quod adeo Babyloniorum idolum fuiſſe, inde itidem liquet. Hinc & in Babyloniorum nominibus propriis *Nebucadnezar*, *Nebuſaradan*, & aliis veſtigium eius occurrit. Immo & dum Azarias vnus ex ſociis Danielis *Abednego* dictus eſt, pro Nebo poſitum Nego, R. SAADIAS exiſtimat, vt ſupra ad §. *I.* docuimus. Quale autem idolum hocce fuerit, non ſatis conſtat. HIERONYMVS, *Nabo autem*, inquit, *& ipſum idolum eſt, quod interpretatur*, prophetia & diuinatio, *quam poſt euangelii veritatem in toto orbe conticuiſſe ſignificat*; ad *Eſa. XLVI. 1.* Eadem vocis ſignificatione innixus HVGO GROTIVS, fuiſſe *ariolum aliquem*, autumat, *in Deum conſecratum a Babyloniis, partibus de cauſſis vt Apollo ὁ λοξίας apud Graecos*, ad *Eſa. loc. cit.* Quid LXX interpretibus in mentem venerit, vt verterent συνετρίβη Δαγών, dicere nequeo. Vrbem quandam Moabitidis regionis, non minus ac cacumen montis Abarim *Nebo* dictum, ex *Ierem. XLVIII. v. 1.* & *Deut. XXXII. v. 49.* conſtat. Sed & in Dibon, Moabitarum vrbe cultum Nebo in vſu fuiſſe, verba Eſaiae vatis *cap. XV. 2.* neminem dubitare ſinunt. Fieri ergo potuit, vt idolum hocce ab vrbe aut monte Nebo nomen ſortitum, primo apud Moabitas, deinde & apud Chaldaeos in honore eſſet. Sed omnia incerta ſunt; conf. IOANNES SELDENVS, de *diis Syris ſyntagm. II. cap. XII. pag 340.*

Dum *Ier. L. 2.* Beli mentio iniicitur, coniungitur cum eo Merodach, qui adeo itidem inter Babyloniorum deos referendus eſt. LXX interpretes perperam habent Μαιωδάχ. Veſtigia idoli iſtius in nominibus *Euilmerodach*, *Mardocempadus*, aliisque occurrunt. Nonnulli Nebo & Merodach vnum idemque idolum fuiſſe exiſtimant, quia, quemadmodum *Eſa. XLVI. 1.* cum Belo Nebo, ita *Ierem. L. 2.* iisdem fere verbis cum Belo coniungitur Merodach. Merodachi, regis Babylonii mentio fit, *Eſa. XXXIX. v. 1.* qui deinceps forte in numerum deorum relatus eſt, vt & HVGO GROTIVS cenſet, ad *Ierem. L. 2.* Nec praetermittendum, quod a nonnullis etiam Seſach, cuius apud Ieremiam *cap. XXV. 26. & LI. 41.* mentio iniicitur, inter Babyloniorum idola refertur. In priori loco dicitur: *& rex Seſach bibet poſt eos*; in poſteriori autem: *quomodo capta eſt Seſach?* Vtrobique Babylonem vrbem hac voce deſignari, & res ipſa docet, & magno conſenſu tradunt interpretes. Ratio, cur ita vocetur, non aeque perſpecta eſt. Ebraeorum doctores, & cum iis HIERONYMVS, ex voce ששך per eam cabbalae litteralis ſpeciem, quae אתבש dicitur, efficiunt vocem בבל atque ita Babylonem hic intelligi, euincunt. Sed cum parum probabile ſit, ſpiritui ſancto puerile iſtud litterarum permutatione ludendi artificium placuiſſe, rectius mea opinione alii nomen ששך repetita littera prima, a שך deriuant, quod deorum Babylonis cuiusdam fuiſſe videtur. Veſtigium certe idoli hu-

huius in nomine *Meſchach* occurrit, quod Miſaeli Danielis ſocio eſt impoſitum. Nec inſolens, vt vrbium ruinae per idolorum ſtrages apud prophetas deſignentur, vt vel ex Eſaiae loco antea adlato; *Cecidit Bel*, *ſuccubuit Nebo*, adparet. Mentio idoli huius alibi non occurrit, niſi σακχαῖα, nomen feſtorum dierum apud Babylonios & Perſas, qui Saturnalibus Romanorum quodammodo reſpondebant, huc referre velis. Mentionem eorum ex BEROSO atque CTESIA facit ATHENAEVS, *dipnoſophiſt. libr. XIV. cap. X.* add. IOANNES SELDENVS, de *diis Syris ſyntagm. II. cap. XIII.* PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogmat. part. IV. cap. II. p. 702.* HVGO GROTIVS, ad *Ier. XXV. 26.* Draconis denique a Babyloniis culti in hiſtoria apocrypha de *Belo & dracone Babylonis* memoria exſtat, vt & apud IOSEPHVM GORIONIDEM, qui haud dubie ex iſta hiſtoria apocrypha hoc hauſit. Sed, cum aliunde non conſtet, ſerpentum cultum religioſum apud Babylonios in vſu fuiſſe, narrationem hancce fidem non mereri, iam ſupra ad §. *IV.* obſeruatum eſt.

*** Theologiam graecanicam, ſeu Helleniſmum, aeque ac ſuperſtitionem Romanam, magna in hocce temporis interuallo incrementa ſumſiſſe, facile intelliget, qui paullo adcuratius, quae ad *ſect. praecedent.* §. *XXXIV.* diximus, ſecum expenderit. Sed de primis quoque Graecorum philoſophis, ſeu ſeptem, quos vocant, Graeciae ſapientibus, quorum nonnulli viuendo hocce quoque temporis interuallum attigerunt, illuſtraruntque, ibidem dictum. Non minus vero & illud obſeruatum, ſuperſtitionem equidem eos omni ſtudio euitaſſe, ſed ita, vt nonnulli ad alterum extremum procurrere, & in atheiſmi incidere ſuſpicionem viderentur. Ionica ſchola maxime effloreſcere hac aetate coepit, ad quam adeo & Anaximander ac Anaximenes referri ſolent. De vtroque vid. DIOGENES LAERTIVS, *libr. II. pag. 78. ſeqq.* De atheiſmo, qui iis, immo vniuerſae ſcholae Ionicae exprobrari ſolet, quae diſputantur, in compendio exhibui, in *theſibus theolog. de atheiſmo, & ſuperſtitione cap. I.* §. *X. ſeqq.* Pherecydes quoque Pythagorae praeceptor, atque Xenophanes Colophonius, ad hancce referuntur aetatem. De vtroque itidem legendus DIOGENES LAERTIVS, de illo quidem *lib. I. p. 74. ſeqq.* de hoc autem *lib. IX. p. 557. ſeqq.*

§. XV.

Fatorum, quae Iudaei hoc tempore experti ſunt, apud ethnicos ſcriptores nulla fere mentio.* Reliquae gentes varias, maximeque memorabiles, rerum expertae ſunt viciſſitudines. Aegyptii, magna a Nebucadnezare calamitate adfecti, regem ab eo acceperunt,

runt, tandemque Perſarum imperio, regno eorum in prouinciae formam redacto, ſubiecti ſunt. ** Tyrus itidem a Nebucadnezare deleta, ſed deinceps alio licet in loco reſtituenda. *** Chaldaeorum imperium cum ſummum faſtigium attigiſſet, mox decreſcere coepit, donec in eius locum Perſarum ſuccederet, * auctore & conditore Cyro, cuius ſumma hac aetate fuit celebritas. ** Lydorum regnum ab eodem Cyro deſtructum, non alium, quam vltimum regem Croeſum, ob fata, quae expertus eſt, celebriorem habuit. *** Apud Graecos Piſiſtratus maxime memorabilis eſt, qui Athenis tyrannidem occupauit, * itemque Aeſopus, ** atque Ariſteas Proconneſius; *** in Sicilia Agrigentinorum tyrannus, Phalaris; * apud Romanos denique poſt Lucium Tarquinium Priſcum, Seruius Tullius, & tandem Tarquinius ſuperbus, quocum regium Romae imperium deſiit. **

* Si enim ab iis, quae ex BEROSO refert FLAVIVS IOSEPHVS, *contra Apion. libr. I. pag. 1044.* diſcedas, diſerte vix vllibi res Iudaeorum huius temporis memorantur. Interim cum de imperio Chaldaeorum, deque Aegyptiorum, & aliarum gentium fatis talia tradant ſcriptores profani, quae ſcripturae ſacrae de Iudaeorum rebus narrationi in multis ſunt conſentanea, huius inde mirifice confirmatur veritas. Patebit hoc ex iis, quae mox dicemus. Fuerunt, qui Beleſin DIODORO SICVLO, *libr. II.* memoratum, eundem cum Daniele eſſe exiſtimarent, idque tum ob qualemcumque inter nomina *Beleſis* & *Beltſchazar* conuenientiam, tum quod Beleſis ob aſtrologicae artis peritiam, facultatemque futura praedicendi laudatur, quod itidem in Danielem quadrat. Quemadmodum vero haec prorſus leuia ſunt, ita temporum quoque repugnant rationes, vt recte PETRO DANIELI HVETIO obſeruatum, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. pag. 405.*

** Inter Aegyptiorum reges, quos ad *ſect. praeced.* §. *XXXV.* commemorauimus, vltimus Hophra fuit, vt *Ierem. XLV. verſ. 30.* vocatur, LXX interpretibus Vaphres, HERODOTO, aliisque Graecis Apries dictus. Potentiſſimum eum fuiſſe, ibidem obſeruauimus, quod & HERODOTVS confirmat, qui eum *feliciſſimum prae ſuperioribus regibus fuiſſe*, ſcribit, *lib. II. cap. CLXI*, immo crediddiſſe eum; *adeo valide ſe firmatum habere regnum, vt neque deus quiſpiam illud ſibi eripere poſſet*, *cap. CLXIX.* Idem etiam innuit Ezechiel vates, quando eum *palaenam maximam* vocat, *quae cubet inter riuos ſuos*, munimentis velut circumſepta, vt difficulter inde extrahi queat, *cap. XXIX. 3.* Sed addit deinde Deus: *inſeram hamos ma-*

maxillis tuis, faciamque, vt adhaereat multitudo piſcium fluuiorum tuorum ſquamis tuis, & educam te e medio fluuiorum tuorum, verſ. 4. Apud eundem vatem comparatur *iuueni leoni inter gentes, & balaenae maris, quae prodiens per fluuios ſuos conturbet aquas pedibus ſuis, & perturbet fluuios aliorum; cap. XXXII. 2.* Apriem huncce Cyprios pariter ac Phoenices pugna nauali viciſſe, Sidona vi cepiſſe, aliasque Phoenicum vrbes, terrore illis iniecto, ad deditionem adegiſſe, ex DIODORO SICVLO, *lib. I. pag. 43* & HERODOTO, *lib. I. cap. CLXI.* conſtat. Atque huc referunt nonnulli, quod *Ierem. XLVIII. verſ. 1.* dicitur, Gazam Palaeſtinae vrbem, *a Pharaone percuſſam*, quamuis alii de Nechaone hoc capiant; quibus etiam accedit HERMANNVS CONRINGIVS, *aduerſar. chronol. cap. XV.* Ad magnum autem potentiae & felicitatis faſtigium euectum regem huncce tandem fortuna deſtituit. Qua vero id ratione factum, longe aliter ſcriptores profani narrant, quam ſacri. Illi enim tradunt, Apriem, miſſis contra Cyrenenſes copiis, maximam retuliſſe cladem, propter quam, quaſi culpa & voluntate illius acceptam, vt tanto ſecurius ſibi imperaret, deſciuerint ab eo Aegyptii, ad quos in obſequio continendos cum Amaſin miſiſſet, hunc ipſum ab iis regem deſignatum. Orto hinc bello ciuili proelium commiſſum, in quo Apriem vicerit Amaſis, captumque poſtulantibus eum Aegyptiis tradiderit, a quibus ſtrangulatus ſit. Firmato ita ſibi regno cum contemneretur, quod plebeius eſſet, ſingulari artificio auctoritatem ſibi conciliaſſe. *Ex pelui enim aurea*, vt auctor eſt HERODOTVS, *numinis ſimulacrum fecit, & in publico poſuit; quod cum venerarentur Aegyptii, illos conuocatos edocuit, ſimulacrum illud ex pelui factum eſſe, in qua Aegyptii prius pedes abluere,* ἐνεμεῖν καὶ ἐνουρέειν *euomere & immingere ſolebant; ſibi perinde cum iam rex eſſet, honorem deberi; lib. II. cap. CLXXV.* Laudatur idem tum ob iuſtitiam, tum prudentiam, & quod φιλέλλην, Graecorum amicus fuerit. Idem porro Cyprum cepit, tributariamque fecit. Aegyptus autem ita ſub eo effloruit, vt vrbium, quae incolerentur, haberet XX millia. Haec omnia ex HERODOTO conſtant, *loc. cit. cap. CLXXV. CLXXVIII. ſeqq.* Mortuus tandem eſt, cum regnaſſet annos XLIV, ſecundum HERODOTVM, *lib. III. cap. XIV.* ſecundum DIODORVM SICVLVM autem LV. Quae de ſucceſſione eius in regnum Aegypti, remoto vel occiſo Aprie, diximus, confirmat etiam CTESIAS apud ATHENAEVM, *lib. XII. pag. 560.* & HELLANICVS apud eumdem, *lib. XV. pag. 680.* qui Aprien Partamin vocat.

Haec cum HERODOTVS, aliique Graecorum de Aprie & Amaſi tradunt, de Nebucadnezaris contra expeditione in Aegyptum ſuſcepta, deque Aprie, ſeu Hophra, a Babyloniis occiſo, deque Aegypto ab iisdem vaſtata, & in ſolitudinem quadraginta annorum re-

redacta, nihil commemorant. Haec tamen omnia reuera contigiſſe, eo minus dubitare licet, quo clariora de iis, Ieremiae atque Ezechielis exſtant vaticinia, illius quidem cap. XXXVIII, XLIII, XLIV, XLVI, huius autem, cap. XXIX, XXX, XXXI, XXXII. Quae quidem iis concepta ſunt verbis, vt non tam futura praedicere, quam praeterita narrare videantur. Diſerte Ieremias dicit, ipſum Pharaonem *Hophram traditum iri in manus inimicorum, & quaerentium animam ipſius*, *cap. XLIV. 30.* immo *traditum iri, in manus Nebucadnezaris & ſeruorum eius, cap. XLVI. verſ. 26. Memphim deſolatam fore & inflammatam, ita, vt nemo in ea habitet, verſ. 19.* Non minus luculenta ſunt, quae de extrema Aegypti deuaſtatione Ezechiel vaticinatur. Expeditio autem iſta Nebucadnezaris, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ obſeruemus, in Aegyptum, contigit anno XXVII poſt deportationem Iechoniae, qui eſt decimus ſextus a capta Hieroſolyma, vt liquet, ex *Ezech. XXIX. 17.* Mirum vero omnino eſt, haec omnia a ſacerdotibus Aegyptiis ita diſſimulari potuiſſe, vt nihil horum HERODOTO, aut aliis ſcriptoribus Graecis innoteſceret. Immo eo magis mirum, HERODOTO aliisque Graecis haec non innotuiſſe, quod ipſemet HERODOTVS teſtetur, ex eo quod Iones & Cares Pſammeticho, de quo ſupra dictum, ſuppetias tulerunt, & hinc in Aegypto manſerunt, *Graecos omnia in Aegypto geſta ſub Pſammeticho & deinceps liquido ſcire, libr. I. cap. CLIV.* Hinc ergo vt ſe expediant viri docti, rationemque iſtius graecorum ſcriptorum a ſcriptura ſacra diſſenſus reddant, non vnam equidem ingrediuntur viam; cumprimis magnopere hac de re ſollicitus eſt IAC. PERIZONIVS, *Aegyptiar. origin. inueſtigat. cap. XXIV. pag. 465.* Duo equidem vir ille doctus ad haec expedienda in medium profert, ex quibus vltimum veroſimillimum mihi videtur; quantumuis HERODOTVS iactitet, Graecos omnia, quae in Aegypto poſt Pſammetichum geſta ſunt, liquido ſcire, nihil tamen illos Aegyptiarum Aſiaticarumque rerum ſatis habuiſſe exploratum. Idque vel Nebucadnezaris conſtare exemplo, qui cum citra controuerſiam rex fuerit, multis magnisque victoriis illuſtris, nihil tamen de eo aut HERODOTVM, aut reliquos ſcriptores graecos, quorum monumenta habemus, memoriae proditum reliquiſſe. Scripturae ergo ſacrae cum hic inſiſtendum ſit veſtigiis, pro certo & explorato habendum, Hophram illum, ſeu Apriem, a Nebucadnezare bello petitum, victum, & occiſum. Fieri etiam potuit, vt Amaſis ad Nebucadnezarem, vel iam ante, vel poſt Hophram caeſum deficeret, & ab eo Aegypti deuaſtatae reliquiis, vel tanquam ſatrapa, vel omnino regis titulo, vt FLAVIVS IOSEPHVS ait, *antiquit. iudaic. lib. X. cap. XI.* praeficeretur. Hoc enim in oriente victoribus olim in more poſitum fuiſſe, variis exemplis comprobat,

bat, quem iam laudauimus IACOBVS PERIZONIVS, *loc. cit. pag. 476.* qui & *pag. 478. ſeqq.* in tempus, quo clades iſta Aegypto, eiusque regi contigerit, adcurate inquirit. Ceterum Amaſin excepit filius Pſammenitus, quem IVLIVS AFRICANVS Pſammochenitem vocat; qui cum per ſex menſes ſummam rerum tenuiſſet, a Cambyſe Perſarum rege proelio victus, regnoque ſimul & vita priuatus eſt. Aegyptus vero in prouinciae formam redacta, Perſarum deinceps imperio paruit.

*** De Tyro vrbe a Nebucadnezare poſt diuturnam obſidionem expugnata, ſoloque aequata, iam ſupra dictum, ad *ſect. praeced.* §. *XXXV.* Tyrios porro, cum extrema ſibi imminere animaduerterent, relicta vrbe in inſulam commigraſſe, vt adeo deſtructio *veteris Tyri*, origo fuerit nouae ſeu inſularis, ibidem obſeruatum. Diſſentit equidem vir clariſſimus, MELCHIOR LEYDECKERVS, de *republ. Ebr. tom. II. lib. IV. cap. VII. pag. 319. 320.* Sed rationes eius a me nondum impetrant, vt ſententiam mutem. Diſerte enim Ezechiel vates pronuntiat, non tantum penitus deuaſtandam Tyrum, ſed nunquam reſtaurandam, *cap. XXVI. 14.* Quod ſi ita non capiatur, nouam Tyrum alio in loco conditam, ſequetur omnino, veterem reſtauratam, adeoque vaticinio non reſpondebit euentus. Licet autem Tyrii in inſulam ſe recipientes, partem opum ſecum abstulerint, plurima tamen haud dubie Chaldaeis relinquere coacti ſunt; vnde in hocce quoque capite praedictioni diuinae ſua veritas conſtat; *verſ. 12.* Cum autem obſidio illa admodum difficilis & diuturna eſſet, vt ad *ſect. praeced.* §. *XXXV.* obſeruatum, & exercitus Nebucadnezaris magnas deuorare moleſtias neceſſe haberet, quibus compenſandis quae Tyrii reliquerant, vix ſufficere videbantur, Deus velut in praemium laboris Nebucadnezari praedam Aegypti promittit, *Ezech. XXIX. 18.* Ithobalus, qui eo tempore Tyriorum rex erat, in ipſa obſidione periiſſe videtur, vt ex *Ezech. XXVIII. 9. 10.* colligere licet. Succeſſores eius FL. IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion. pag. 1046.* ex annalibus Phoenicum hunc in modum recitat: *Poſt Ithobalum regnauit Baal, annis decem; poſt hunc iudices conſtituti ſunt, & iudicarunt Eknibalus Baslachi menſes duos; Chelbes Abdaei menſes decem; Abbarus pontifex maximus menſes tres; Mytgonus & Geraſtratus Abdelimi erant iudices annis ſex; inter quos Balatorus regnauit anno vno. Eo moriente euocarunt Merbalum ex Babylone, & regnauit ille annos quatuor. Eo mortuo euocarunt fratrem eius Eiromum, qui regnauit annos viginti. Huius temporibus Cyrus Perſarum imperator erat.* Nimirum qui cladem euaſerant Tyrii, & in inſulam ſe receperant, primo regem Baalem conſtituiſſe videntur, quem, mutatione, ignotum, quam ob cauſſam facta, iudices deinceps exceperunt. FLAVIVS IOSEPHVS colligit regum iudicumque horum annos LIV, & menſes III,

III, connumeratis XIII Ithobali, & XX Eiromi. Ex eo vero, quod nouae Tyri ciues quosdam ex regibus ſeu iudicibus ſuis ex Babylone petierunt, liquet, nonnullos ſanguinis regii captiuos abductos fuiſſe; vt recte obſeruat IOANNES MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XVIII. pag. 550.* A vero etiam non abhorret, eos, qui in inſulam ſe recipiendo cladem euaſerant, deinde regi Babylonico ſe in clientelam tradere, aut maieſtatem eius comiter colere coactos, vt non alio fere loco, quam reliqui, Chaldaeorum imperio ſubiecti, eſſent. Eoque haud dubie reſpexit Eſaias vates, dum Tyriorum ſeruituti annos LXX adſignauit, *cap. XXIII. 17.* Legenda, quae ad *h. l.* erudite commentatur CAMPEGIVS VITRINGA. Zidonis quoque non meliora fuere fata, quam Tyri, vt patet ex *Ezechiel. XXVIII. 22.* conf. & *Eſa. XXIII. 12.* Idemque & de reliquis gentibus Tyriorum vicinis, eadem clade inuolutis, Philiſtaeis, Syris, Ammonitis, Moabitis, Arabibus, cenſendum, conf. MELCHIOR LEYDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. IV. cap. VII. pag. 318.*

* Quae de Chaldaeorum imperio regibusque, fatis itidem ac fine, ex ſcriptura ſacra, collatis BEROSI ac MEGASTHENIS teſtimoniis, dici poſſunt, ſupra iam §. *II. ſeqq.* expoſuimus, cum Iudaeorum in Babylonica captiuitate conditionem ediſſerere non potuerimus, quin ſimul res Chaldaeorum attingeremus. Apud graecos ſcriptores, quorum ad nos monumenta peruenerunt, altum de his, praeſertim de rebus a Nebucadnezare geſtis, quae maximae vtrique fuerunt, eſt ſilentium. Interim in canone PTOLOMAEI nomina regum Babylonicorum exhibentur, & ex BEROSO atque MEGASTHENE fragmenta quaedam de Nebucadnezare nobis conſeruarunt FLAVIVS IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion. pag. 1045.* atque EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XL. & XLI.* Praeterea DIOCLES, in *Perſicis*, & PHILOSTRATVS, in *Phoeniciis*, mentionem eius fecerunt, vt FLAVIVS IOSEPHVS nos condocet, *antiquit. iudaic. libr. X. cap. XI.* STRABO itidem ex MEGASTHENE docet, Ναβοκοδρόσορον τὸν παρὰ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα Ἡρακλέυς μᾶλλον, καὶ ἕως ϛηλῶν ἐλάσαι *Nabocodroſorum a Chaldaeis magis celebrari, quam Herculem, & vsque ad columnas proceſſiſſe, lib. XV. geogr. pag. 687.* Ex quibus ſatis quidem conſtat, maximam Nebucadnezaris fuiſſe potentiam, eoque minus in dubium vocanda, quae ſacrae litterae hac de re tradunt, etſi HERODOTVS, aliique ſcriptores graeci, huncce regem prorſus ignorent. Auctor autem eſt MEGASTHENES, Nebucadnezarem cum exercitu ſuo in Libyam & Iberiam vsque progreſſum eſſe. Ita enim apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XLI.* ex eo loquitur ABYDENVS: Μεγασθένης δὲ φησὶ Ναβουκοδρόσορον Ἡρακλέως ἀλκιμώτερον γεγονότα, ἐπί τε Λιβύην καὶ Ἰβηρίην ϛρατεῦσαι· τάυ-

ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀπόδασμον αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τῦ Πόντυ κατοικίσαι. *Megaſthenes auctor eſt, Nabucodroſorum Hercule fortiorem fuiſſe, & exercitum in Africam & Iberiam duxiſſe, quibus ſubactis, eorum partem ad dexteriora Ponti habitare fecit.* Pari ratione & FLAVIVS IOSEPHVS ex eodem MEGASTHENE refert, Nebucadnezarem fortitudine & magnitudine rerum geſtarum ipſum Herculem ſuperaſſe, quia non Libyae modo regionem, ſed & Iberiam vaſtauerit; *antiquit. iudaic. lib. X. cap. XI.* Vbi quidem IOAN. MARSHAMVS per Iberiam non Hiſpaniam, ſed Iberiam Aſiaticam intelligit, adeoque, quod idem MEGASTHENES apud STRABONEM, vt antea commemorauimus, dicit, Nebucadnezarem vsque ad columnas proceſſiſſe, non de Herculis ad fretum Gaditanum columnis, ſed de aliis in Sarmatia, Alexandri magni nomine erectis, capiendum, contendit, *can. chron. ſect. XVIII. pag. 592.* At perperam hoc ab eo fieri, probare adnititur IAC. PERIZONIVS, *Aegypt. origin. inueſtigat. cap. XXIV. pag. 468. ſeqq.* Neque tamen MEGASTHENI in omnibus fidem adhibendam vir doctus cenſet, quippe quam in iis, quae de Hiſpania a Nebucadnezare domita, & colonia inde in Aſiam ad Pontum Euxinum ducta, narrat, non mereatur; Libyam autem, ſi non omnem ad Herculis columnas vsque, ſaltem magna ex parte a Nebucadnezare victam, a vero non abhorrere, confirmarique hoc ipſo, quod ſcriptura ſacra de Aegypto ab eodem rege deuaſtata tradat. Reliqua, quae BEROSVS pariter ac MEGASTHENES apud FLAV. IOSEPHVM ac EVSEBIVM, *locis citatis*, de Nebucadnezare referunt, ad ſplendida aedificia ab eo exſtructa, hortosque penſiles, & quae reliqua eiusdem generis ſunt, ſpectant, cumprimis autem, quod de vaticinio regis, mente capti, apud EVSEBIVM refert MEGASTHENES obſeruatu dignum, quippe quod ex eo, quod de furore Nebucadnezaris Daniel vates commemorat, ortum videtur.

** Cyrum Cambyſis Perſae fuiſſe filium, quem ex Mandane, Aſtyagis, Medorum regis filia ſuſcepit, conſtat ex HERODOTO, *libr. I. cap. CXI.* aliisque, & ſupra nobis iam obſeruatum eſt, ad *ſect. praeced.* §. *XXXV.* Natus eſt eo tempore, cum Iudaei maximam Chaldaeorum crudelitatem experirentur, & ſecundum nonnullos quidem, eo ipſo anno, quo Ioiachinus ſiue Iechonias, Babylonem deportatus eſt, Deo velut vermem parante, qui luxuriantem iſtam arborem ſuo tempore perditurus eſſet, vt IACOBVS VSSERIVS obſeruat, in *annalib. aetat. mundi V. pag. 70.* Quo pacto ſecundum HERODOTVM iuſſu aui Aſtyagis expoſitus ſit Cyrus, mirabilique ratione ſeruatus, tandemque in Perſiam ad parentes miſſus, ex ipſo HERODOTO, *libr. I. cap. CVII. ſeqq.* itemque IVSTINO, *hiſtor. libr. I. cap. IV. ſeqq.* notius eſt, quam vt hic repeti debeat. De educatione, & inſtitutione Cyri XENOPHON in libris

octo Κύρȣ παιδίας ἱςοριῶν, *hiſtoriarum de inſtitutione Cyri*, copioſe praecipit; eamque ita deſcribit, vt vix melior optari queat. At conſtitutum XENOPHONTI fuiſſe, inſtitutionem Cyri deſcribere, non qualis fuerit, ſed qualis principis ad maxima quaeuis formandi eſſe debeat, nonnulli exiſtimant. Certe PLATO haud obſcure hac in re contradicit XENOPHONTI, quando μαντεύομαι δὴ, inquir, νῦν περί γε Κύρȣ τὰ μὲν ἀλλ' αὐτὸν ϛρατηγόν τ' ἀγαθὸν εἶναι καὶ φιλόπολιν, παιδείας δὲ ὀρθῆς ȣ̓κ ἧφθαι τὸ παράπαν, οἰκονομίᾳ τε ȣ̓δὲν τὸν νȣ̃ν προσεσχηκέναι· *coniicio, Cyrum ceteroquin bonum ducem fuiſſe, & vitae ciuilis ſtudioſum, rectam autem diſciplinam nullo pacto attigiſſe, nec ad rei familiaris adminiſtrationem animum vnquam adplicuiſſe; de legibus libr. III. pag. 815.* Obſeruatum idem iam ATHENAEO, *dipnoſoph. lib. XI. pag. 76.* Nec tamen ideo in rebus a Cyro geſtis fidem omnem XENOPHONTI denegandam viri docti cenſent, etſi non in omnibus cum HERODOTO conſentiat. Cum ſecundum XENOPHONTEM mortuo Aſtyage Medorum rege, filius eius Cyaxares II, Cyri auunculus, regni habenas ſuscepiſſet, Aſſyriorum rex, cuius nomen XENOPHON non exprimit, Medis bellum inferre, conſultum duxit. Perſae itaque in auxilium vocati, quorum exercitui ſummo cum imperio praefectus eſt Cyrus. Quae ab eo in hocce bello praeclare fortiterque geſta ſint, ex inſtituto perſequitur XENOPHON, *Cyropaed. lib. I. cap. V. pag. m. 48. ſeqq.* At ſecundum HERODOTUM, &c, qui eum ſequitur, IVSTINVM, primum Cyri bellum illud fuit, quo Perſis ad Medorum excutiendum iugum concitatis, ipſemet impulſu Harpagi, auo ſuo Aſtyagi arma intulit. Et Harpagus quidem ab Aſtyage, eorum, quae in illum commiſerat, parum memore, exercitui praefectus, *exercitum acceptum ſtatim Cyro per deditionem tradidit, regisque crudelitatem perfidia vlciſcitur*, vt IVSTINVS loquitur, *libro I. cap. VI.* Quo audito, Aſtyages contractis vndique auxiliis ipſe in Perſas proficiſcitur, & repetito alacrius certamine, vincitur, capiturque ipſe. *Cyrus vero nihil aliud, quam regnum, ei abſtulit, nepotemque in illo magis, quam victorem, egit; eumque maxime genti Hyrcanorum praepoſuit*; vt idem auctor loquitur. Interim, (ita porro *cap. VII.* pergit,) *ciuitates, quae Medorum tributariae fuerunt, mutato imperio, etiam conditionem ſuam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt; quae res multorum bellorum Cyro cauſſa & origo fuit.* Celeberrimum hinc bellum fuit, quod contra Lydos geſſit, quos & imperio ſuo ſubiecit. Magna inde ad potentiam Cyri facta eſt acceſſio. Quemadmodum enim Medis deuictis Aſiae factus eſt dominus, vsque ad Halym fluuium, ita per Lydorum ſubiugationem Aſiae reliquae, quae inter Euxinum Pamphyliumque mare vsque ad Aegeum protenditur.

Digitized by Google

Dicemus mox copioſus hac de re, cum de Lydorum rebus verba faciemus. Tandem bellum Babylonicum ſucceſſit, quo Nabonnedus, quem ſcriptura ſacra Darium Medum vocat, victus, & ipſa vrbs Babylon in poteſtatem Cyri venit. Diximus hac de re, quantum ſatis eſt, ad §. *VI. huius ſectionis*, quae vt hic repetantur, neceſſe non eſt. Et ita Babyloniorum deſtructa, Perſarum ad ſummum faſtigium perducta eſt monarchia. Reliqua, quae de Cyro dicenda reſtant, in ſequentibus recitabimus.

*** Croeſus, Halyattis fuit filius, de cuius cum Cyaxare, Medorum rege, bello, ſupra diximus, ad §. *XXXV.* ſectionis praecedentis, vbi de Aſſyriorum & Medorum rebus verba fecimus, quamuis & de Lydorum, qui eo tempore floruerunt, regibus, ex inſtituto ibi actum ſit. Regni cum ſuſcepiſſet habenas, Ionibus, Aeolibusque bellum intulit, eorum ciuitates ſibi tributarias fecit, totamque fere Aſiam minorem ſibi ſubiecit. Opes itaque adeo auxit, vt diuitiae eius prouerbio: *Croeſo ditior*, occaſionem dederint. Perſarum creſcente per Medorum ſubiectionem potentia, cum & Croeſus, niſi ea tempeſtiue imminueretur, non ſatis ſibi tutus eſſe videretur, vt illis arma inferret, aut, quod alii volunt, cum hoſtibus illorum, ſpeciatim Babyloniis, ea coniungeret, ſe induci paſſus eſt. Cum enim ſuperſtitioni, quae eo tempore pietatis nomine veniebat, eſſet deditus, & ſine deorum conſilio nihil agere vellet, oracula conſuluit omnia, cumprimis Delphos dona tranſmiſit ampliſſima, Apollinem velut muneribus corrupturus, indeque inter alia & hocce ambiguum reſponſum tulit: ἢν ϛρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχὴν μὲν καταλύσειν; *fore, vt, ſi arma Perſis inferret, magnum imperium euerteret*; HERODOTVS, *libr. X. cap. LIII.* Quod quidem ipſemet HERODOTVS χρησμὸν κίβδηλον, *reſponſum fraudulentum*, ſeu *parum ſincerum* vocat, *loc. cit. cap. LXXV.* Interim in meliorem illud interpretans partem Croeſus, eoque elatus, exercitum in Cappadociam duxit, & Pteriorum vrbem (prope Sinopem) expugnauit; ad proelium autem cum Cyro cum res veniſſet, aequo vtrinque Marte pugnatum eſt. Poſtero die, cum Cyrus Croeſum non inuaderet, hic Sardes regreſſus eſt, vt per hiemem quiesceret, ſimulque auxiliares copias per ſummam imprudentiam dimiſit, ſociis ad quintum menſem Sardibus conuenire iuſſis. Quod cum Cyrus intellexiſſet, Croeſum ſecutus, ex improuiſo cum exercitu adfuit; quamobrem Croeſus in ſummas equidem anguſtias coniectus, animum tamen non abiecit, ſed equitatu confiſus, Lydos eduxit. Cyrus autem contra equitatum Lydorum inſtruxit camelos, quorum odorem cum equi non ferrent, retro auerſi ſunt; hinc equites deſilientes cum Perſis pedites confligunt, ſed in fugam tandem verſi, in

vr-

vrbem ſe recipere coacti ſunt. Oppugnata itaque vrbs Sardes, & poſt quatuordecim dierum obſidionem capta eſt, cum Croeſus etiam per quatuordecim annos ſummam rerum tenuiſſet. Copioſius haec omnia HERODOTVS ediſſerit; *lib. I. cap. LXXV.* ad *CX.* Rogo iam impoſitum Croeſum ter inclamato Solonis, qui ante obitum neminem beatum dicendum eum docuerat, nomine, a Cyro liberatum, & deinceps a conſiliis habitum, idem HERODOTVS, *loc. cit.* & poſt eum alii memorant. Alios autem, quod temporum obſtent rationes, ceu commentitium hoc reiicere, ſupra iam ad §. *XXXV.* obſeruatum eſt. TROGI POMPEII epitomaſtes, IVSTINVS, nulla iſtius rei facta mentione, cum Croeſum ipſum captum dixiſſet, hoc ſaltem addit: *Sed quanto bellum minoris periculi, tanto & mitior victoria fuit. Croeſo & vita & patrimonii partes & vrbs Barce conceſſa ſunt, in qua etſi non regiam vitam, proximam tamen maieſtati regiae degeret. Haec clementia non minus victori, quam victo vtilis fuit, &c. lib. I. cap. VII.* Quodſi HERODOTO credimus, in liberatione Croeſi aliquid contigit, quod miraculi ſpecimen habet. Extremae enim togi partes iam incenſae erant, cum Cyrus Croeſi liberationem decerneret: nec ignem, quantumuis omnem diligentiam adhiberent, exſtinguere potuiſſent, niſi ſubito coorta tempeſtate ingens cecidiſſet pluuia. Quo pacto etiam Delphos deinde miſerit Croeſus, oraculi fallaciam Apollini exprobraturus, & quid inde reſponſi tulerit, apud eundem HERODOTVM, *loc. cit. cap. XC. & XCI.* legi poteſt. Exemplum hocce Croeſi ab oraculo decepti paſſim adfertur, cum viri docti de fallaciis & incertis oraculorum reſponſis disputant, vt a CICERONE, *lib. I. de diuinat. cap. XI.* EVSEBIO, *praeparat. euangel. lib. V. cap. XX.* aliisque. Quo pacto Cyrus, cum deinceps Lydi rebellaſſent, id egerit, vt molles prorſus & effeminatos redderet, exponit IVSTINVS, *loc. cit. lib. I. cap. VII.*

* Piſiſtratum, inuito Solone, tyrannidem apud Athenienſes occupaſſe, eamque ad rem ſtrategemate quodam vſum, iam ſupra, cum de Solone verba faceremus, indicauimus, ad *ſect. praeced.* §. *XXXV.* Rem iſtam paucis ita exponit IVSTINVS, poſtquam de victis a PISISTRATO Megarenſibus verba fecerat: *Sed Piſiſtratus, quaſi ſibi, non patriae viciſſet, tyrannidem per dolum occupat: quippe voluntariis verberibus domi adfectus, lacerato corpore in publicum progreditur; aduocata concione, vulnera populo oſtendit, de crudelitate principum, a quibus haec ſe paſſum ſimulabat, queritur; adduntur vocibus lacrymae, & inuidioſa oratione multitudo credula accenditur; amore plebis inuiſum ſe ſenatui adfirmat; obtinet, ad cuſtodiam corporis ſui, ſatellitum auxilium, per quos occupata tyrannide per annos XXXIII regnauit, libr. II. cap. VIII.* Regnauit ſane Piſiſtratus per annos

XXXX 2 XXXIII,

XXXIII, at non continua ſerie, ſed vt bis in exilium eiectus, tertia demum vice tyrannidem recuperaret, & ad finem vitae vsque retineret. Copioſius cuncta exponit HERODOTVS, *lib. I. cap. LIX. ſeqq.* & PLVTARCHVS, in *Solone*. Laudatur autem Piſiſtratus ab HERODOTO, quod tyrannide licet potitus, magiſtratus tamen non turbauerit, nec mutauerit leges, ſed iis, quae ſtatuta erant, inhaerens, vrbem bene & honeſte adminiſtrauerit. Obiit anno quarto olympiados LXII. De filiis eius in ſequentibus dicemus; conf. IOANNES MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XVIII. p. 670. ſeqq.*

** Inſignis ille fabularum auctor Aeſopus circa olympiadem LII floruit, vt ex SOSICRATE refert DIOGENES LAERTIVS, in *Chilone lib. I. ſect. LXXII.* Quod ſi verum eſt, omnino ad haecce referendus eſt tempora. Ex Phrygia oriundus, fabulis lepidiſſimis, quibus ſapientiae praecepta occultauit, magnam conſecutus eſt celebritatem. Sacrilegii a Delphis inſimulatus, quaſi phialam Apollinis furatus eſſet, e rupe Phoedria praecipitatus periit. Cuius caedis poenas, ab oraculo Delphico ſaepius indictas, Iadmon poſtea ſumſit, vt auctor eſt HERODOTVS, *libr. II. cap. CXXXIV.* Fuſius omnia ediſſerit PLVTARCHVS, de *ſera numinis vindicta, p. 556. ſeqq.* De fabulis eius legenda, quae diligenter ſummoque ſtudio collegit IOANN. ALBERT. FABRICIVS, *bibliothecae graecae lib. II. p. 390. ſeqq.*

*** Ariſteas, ſiue, vt alii volunt, Ariſteus Proconneſius, notus eſt, ob poema epicum tribus libris conſtans, quo de Arimaſpis, vnoculis hominibus, egit, qui contra gryphos auri cuſtodes bellum continuum gerant. Ad fabuloſam hiſtoriam hoc refert HERODOTVS, *lib. IV. cap. XIII.* quamuis Arimaſporum mentionem faciant PAVSANIAS, in *Atticis*, & PLINIVS, *hiſtor. natur. libr. VII. cap. II.* Idem Ariſteas praeſtigiis ſuis famam conſecutus eſt, hinc & STRABONI audit: ἀνὴρ γόης εἴ τις ἄλλος. *praeſtigiis nemini ſecundus*; *geograph. libr. XIII. p. m. 881.* Nimirum animam ſuam pro lubitu poſuiſſe & reſumſiſſe dicitur; additque PLINIVS, viſam eam ex ore ipſius euolantem corui ſpecie, *hiſtor. natur. libr. VII. cap. LII.* HERODOTVS auctor eſt, narratum ſibi fuiſſe in Proconneſo & Cyzici, cum Ariſteas quondam in fullonis officina deceſſiſſet, ſignificaſſe id continuo fullonem Ariſteae propinquis, reque per vrbem vulgata, aduenisſe quendam nuntiantem, viſum ſibi Ariſteam Cyzici, (vel vt PLVTARCHVS vult, in *Romulo*, in via, quae tendit Crotonem) ſecumque congreſſum; adcurrentes poſtea in officinam fullonis, propinquos Ariſteae, neque viuum eum, neque mortuum vidiſſe; poſt ſeptimum deinde annum, cum in Proconneſo comparuiſſet, carmen ſuum de Arimaſpis elucubraſſe, ac rurſum euanuiſſe. Didiciſſe ſe quoque Metaponti, idem HERODOTVS refert, Ariſteam Metapontinis aliquando videndum

dendum ſe dediſſe, & aram Apollini iuſſiſſe exſtrui, ſibique ſtatuam iuxta poni, quod ad eos ſolus ex omnibus Italiotis adiiſſet Apollo, ſe tum comite, non vtique Ariſteae, ſed corui ſpecie; quo viſo perterritos Metapontinos miſiſſe Delphos oracula Phoebi ſciſcitatum, quid opus facto eſſet; ac ſecundum Pythiae demum reſponſum Ariſteae iuſſis paruiſſe; idque ducentis & quadraginta annis, poſtquam in Proconneſo denuo euanuit, eueniſſe, ſubductis temporum rationibus ſuſpicatur, *lib. IV. cap. XIV.* His alii & alia, quae eiusdem ſunt generis, adiiciunt. Solet ergo Ariſteas inter eos numerari, qui cum mortui eſſent, ad vitam redierunt, quos ex inſtituto PLINIVS enumerat, *hiſtor. natur. libr. VII. cap. LII.* quosue ethnici, chriſtiani nominis hoſtes, ad eleuandam ſeruatoris reſurrectionem celebrare ſolebant, vt vel CELSI exemplo patet, apud ORIGENEM, *lib. III. contra Celſum pag. m.* 125. & 126. Sed vana haec omnia, & inter commenta prorſus inſipida referenda ſunt; cumque ipſimet ſcriptores ethnici iſta referentes mirifice inter ſe ipſos pugnent, perquam inepte talia chriſtianis opponunt, vt poſt ORIGENEM, *l. c.* oſtendit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. II. prop. IX. p. 992.* Ad aetatem Ariſteae quod attinet, a TATIANO equidem inter eos, qui Homero antiquiores fuerunt, numeratur, in *orat. ad Graecos p. m. 136. 137.* quocum & illi faciunt, qui eum omnino pro Homeri praeceptore habent; qua in ſententia quosdam verſatos fuiſſe ex STRABONE conſtat, *lib. XIV. pag. m. 946.* receptior tamen eſt ſententia, eum Croeſi Cyrique temporibus vixiſſe, quam & calculo ſuo adprobat, GERH. IOAN. VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis, lib. IV. c. II.* conf. & IO. ALBERT. FABRICIVS, *biblioth. graec. libr. I. c. II. p. 9. & 10.*

* Phalaris patria Aſtypalaeenſis, Agrigentinorum tyrannus, circa olympiada LVI floruit; quamquam de vera eius aetate maximopere viri docti inter ſe diſſentiant. Ob crudelitatem ſummam paſſim male audit. Tauro aeneo Phalaridis nihil notius, a Perillo ita fabrefacto, vt in eum homines damnati coniecti, ſuccenſo igne torrerentur, dumque vociferarentur, mugitus boum ederent. Primus, in quo ſumtum eſt rei experimentum, fuit ipſe faber Perillus; de quo notum eſt illud OVIDII:

Et Phalaris tauro, violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus.
Iuſtus vterque fuit; neque enim lex aequior vlla eſt,
Quam necis artifices arte perire ſua.

TIMAEVS equidem hiſtoricus graecus, qui ob fabulas ac maledicentiam paſſim male apud veteres audit, taurum eiusmodi aeneum vnquam exſtitiſſe, acriter negat, vehementerque in eos inuehitur, qui eius mentionem fecerunt, ſed ſolide refutarunt eum, & omnino taurum eiusmodi exſtitiſſe demon-

monſtrarunt, DIODORVS SICVLVS, *libr. XIII. p. m. 210.* qui & *libr. XIX. pag. 741.* tauri iſtius mentionem facit, itemque POLYBIVS, *hiſtor. tom. II. p. 1368. & 1400.* edit. ISAACI CASAVBONI; conf. & PLVTARCHVS, in *parallelis minoribus*, *p. 315.* Legenda quoque, quae de Timaeo diſſerit PETRVS BAELIVS, *dictionar. hiſtor. crit.* voc. *Timaevs*, *p. 2879.* Inter LVCIANI *opera tom. I. p. 730. ſeqq.* duae diſſertationes, ſeu orationes, ſub titulo: *Phalaris primus & ſecundus*, exſtant, in quarum priori probat, Phalaridem donum aliquod Delphos mittere potuiſſe, etſi pro crudeliſſimo immaniſſimoque homine haberetur, ſimulque omnia, quae ad defenſionem aut excuſationem eius facere videntur, in medium adfert; in poſteriori quidam ex Delphicis ſacerdotibus ſuadet, dona haec omnino admittenda eiſe. Hoc ipſo vero, niſi me omnia fallunt, LVCIANVS auaritiam & ſtoliditatem ſacerdotum gentilium exagitare voluit, qui omnia ſine diſcrimine a quibusuis acceptabant dona. Phalaridem lactentes adhuc infantes voraſſe, auctor eſt TATIANVS, *orat. ad Graecos*, *pag. 118.* idque CLEARCHVS confirmat, apud ATHENAEVM, *libr. IX. cap. XII.* Quo pacto Zenonis equuleo impoſiti hortatu incitati Agrigentini Phalaridem lapidibus obruerint, exponit VALERIVS MAXIMVS, *lib. III. cap. III. p. m. 285. 286.* De epiſtolis, quae ad Phalaridem referuntur, multum acriterque inter viros doctos diſputatum fuit, pro genuinis eas praeter alios habentibus HENRICO DODWELLO atque CAROLO BOYLAEO, pro ſuppoſititiis praeter alios RICHARDO BENTLEIO. Qua de re qui plura deſiderat, IOANNIS ALBERTI FABRICII adeat *bibliothecam graecam lib. II. cap. X. p. 407. ſeqq.*

** De Tarquinio Priſco iam dictum, ad §. *vltimam ſectionis praecedentis.* Eo ab Anci liberis occiſo, reginae Tanaquil induſtria regnum obtinuit Seruius Tullius, gener eius, vrbis conditae anno CLXXVI, cum Iudaei iam annum vigeſimum quartum in captiuitate agerent. Veientibus & Hetruſcis debellatis, cenſum inſtituit, rem ſaluberrimam tanto imperio, vt T. LIVIVS loquitur, *lib. I. cap. XLII. p. m. 60.* *Ab hoc populus Romanus*, inquit L. ANNAEVS FLORVS, *relatus in cenſum*, *digeſtus in claſſes*, *curiis atque collegiis diſtributus*, *ſummaque regis ſolertia ita eſt ordinata reſpublica*, *vt omnia patrimonii*, *dignitatis*, *aetatis*, *artium*, *officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur*, *ac ſi maxima ciuitas minimae domus diligentia contineretur*, *lib. I. cap. VI.* Cenſu perfecto edixit, vt omnes ciues Romani, equites peditesque, in ſuis quisque centuriis in campo Martio prima luce adeſſent. Ibi caeſis victimis, ciuitas expiabatur, ſiue luſtrabatur. Solemne hoc ſacrificium *Solitaurilia*, vel potius *Suouetaurilia* vocabant, quod ex ſue, oue & tauro conſtaret, vt QVINTILIANVS obſeruat, *inſtitut. orat. libr. I. cap. V.* conf. T. LIVIVS, *libr. I. cap. XLIV.* DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, *libr.*

libr. IV. p. 225. Luſtrum hinc quinto quoque anno conditum ex inſtitutione Seruii, teſtatur CENSORINVS, de *die natali cap. XVIII.* Induxit quoque Seruius Latinos, vt Romae fanum Dianae cum populo Romano facerent, adeoque communia ſacra haberent. *Ea erat confeſſio*, inquit LIVIVS, *caput rerum Romam eſſe, de quo toties armis certatum fuerat*, *libr. I. c. XLV.* Quae idem porro de aſtutia Romani antiſtitis, vt prodigii cuiusdam fauſti ſignificationem ad populum transferret, refert, lectu digna ſunt. Regnauit Seruius Tullius annos quatuor & quadraginta, *ita, vt bono etiam moderatoque ſuccedenti regi difficilis aemulatio eſſet*; vt idem LIVIVS, *loc. cit.* loquitur. Excepit eum Tarquinius, cui cognomen *ſuperbo* ex moribus datum, regum Romanorum poſtremus. Similis ei vxor Tullia, quae cum in regiae poſſeſſionem carpento vecta, properaret, ab auriga monita de cadauere patris in via iacente, equos currumque deflectere noluit, ſed per corpus paternum agitauit, humanitatis omnis ac pietatis expers femina. Ipſe autem Tarquinius ſcelere partum imperium non melius adminiſtrauit, quam acquiſiuerat. In ſenatum enim caedibus, in omnes ſuperbia, quae crudelitate bonis grauior, graſſatus eſt. Conſcius porro male quaerendi regni ab ſe ipſo aduerſus ſe exemplum capi poſſe, armatis corpus circumſepſit. Multa alia eiusdem generis egit, quae tyrannum potius, quam regem, demonſtrarent. Imperio in Latinos, arte & ſaeuitia magis ſibi firmato, bello Volſcis illato, Gabiis captis, pace cum Aequorum gente facta, de manubiis captarum vrbium templum erexit, aedemque Iouis capitolini conſtituit. Hac enim ratione improbiſſima etiam facinora expiari, facile ſibi perſuadet ſuperſtitio. Tarquinium tamen ambitio etiam ad hoc impuliſſe videtur, *vt monumentum regni ſui, nominisque relinqueret*, vt T. LIVIVS loquitur, *lib. I. cap. LV.* De prodigiis & portentis, quae hac occaſione contigiſſe dicuntur, eorumque callida interpretatione, multa dici poſſent, ad ſacerdotum gentilium fraudes manifeſtandas, ſi inſtituti noſtri hoc permitteret ratio. Ceterum, cum patris ſuperbiae & crudelitati vnus ex Tarquinii filiis libidinem adderet, atque Lucretiae, feminae caſtiſſimae, Tarquinii Collatini coniugi vim inferret, occaſio hinc Romanis regium imperium abrogandi enata eſt. Sed hoc contigit, cum iam ſoluta captiuitate Babylonica, Iudaei ſedibus patriis reſtituti eſſent. Conſtant, quae diximus ex T. LIVIO. *lib. I. cap. XLIX. ſeqq.* DIONYSIO HALICARNASSENSI, *lib. IV. c. XLVIII. ſeqq.* L. ANNAEO FLORO, *lib. I. cap. VII.* & rerum Romanarum ſcriptoribus reliquis.

PERIO-

PERIODI SECVNDAE

A MOSE VSQVE AD CHRISTVM

SECTIO VI.

A SOLVTA CAPTIVITATE BABYLONICA VSQVE AD PRINCIPATVM MACCABAEORVM.

Σύνοψις.

Iudaei ex Babylonico exilio reduces, ſacris Deo factis, fundamenta templi iaciunt, ſtructura tamen eius vsque ad annum Darii Hyſtaſpidis ſecundum impeditur, §. *I.*

Esra anno Artaxerxis longimani ſeptimo Hieroſolymam delatus, vrbem reſtaurat, rempublicam conſtituit, corruptos populi mores emendat, §. *II.*

Anno eiusdem regis Artaxerxis vigeſimo Nebemias murorum & munimentorum vrbis inſtaurationem perficit, encaeniisque celebratis, multa ad vrbis incrementum, morumque emendationem, conſtituit, §. *III.*

Res Iudaeorum ſub regimine ſummorum pontificum; Alexander magnus a Iaddo pontifice placatus, beneuolum erga Iudaeos demonſtrat animum; idem Samaritis facultatem facit templum condeudi in monte Garizim, §. *IV.*

Ptolomaeus Lagi filius, rex Aegypti, plurima Iudaeis infert damna; res Iudaeorum ſub Onia, Iaddi filio, Eleazaro, & Onia ſecundo, ſummis ſacerdotibus, §. *V.*

Status eorum ſub Simone & Onia III. Ex Aegypti & Syriae regum bellis, plurima in eos redundant incommoda; Seleuci impietas punita, §. *VI.*

In ſummam calamitatem miſeriamque coniectis, ſpes ſalutis tandem per Maccabaeos adſulſit, §. *VII.*

Viri ſapientia, pietate, meritisque in rempublicam & eccleſiam iudaicam illuſtres, qui hac aetate floruerunt, §. *VIII.*

Religio & doctrina, §. *IX.*

Cultus Numinis externus, §. *X.*

Matrimoniorum apud Iudaeos ratio, ſtatusque eorum ciuilis, §. *XI.*

Litterarum ſtudia & libri, §. *XII.*

Verae religionis impedimenta, Samaritanorum

ritaniſmus, *& ethnicismus*, *huiusque ratio apud Perſas*, *Graecos*, *Romanos*, §. *XIII.* *Iudaeorum res exoticorum ſcriptorum teſtimonio confirmatae*; *ſtatus reliquarum gentium*, §. *XIV.*

§. I.

QVi impetrata a Cyro Perſarum rege facultate,* ſub Zorobabele atque Ioſua filio Iozedeki, ſacerdote ſummo, in patriam redierant Iudaei, condito ſtatim altari, Deo ſacra facere inceperunt; ** anno autem ſequenti, corrogata inter ſe pecunia, templi iecerunt fundamenta. *** Samaritarum autem cum auerſarentur ſocietatem, horum cumprimis artibus effectum, vt templi ſtructura impediretur, donec vatum ſanctorum, Haggaei atque Zachariae, adhortationibus excitati, anno Darii Hyſtaſpidis ſecundo, maiori ſtudio animorumque contentione eandem ſuſcipientes, tandem anno eiusdem regis ſexto, ad finem perducerent.*

* Repetenda, quae ad *ſect. praeced.* §. *VIII.* diximus.

** In ruderibus ſcilicet templi, ſeu atrii loco, quo aram holocauſtorum olim poſitam fuiſſe exiſtimabant, condito altari, prima poſt reditum ſacrificia obtulerunt, die primo menſis ſeptimi. Celebrarunt ſimul feſtum tabernaculorum, ſecundum legis Moſaicae praeſcriptum. Reſtituerunt etiam holocauſtum perpetuum, neomeniarum, omniumque ſtatutorum temporum Deo conſecratorum, & omnium, qui ſpontanea ſacra ei facere vellent. Atque ita cultus Numinis publicus, ante iacta templi fundamenta, quodammodo inſtauratus fuit. Conſtant haec ex *Esdr. III. 1.* ad *7.*

*** Anno ſecundo, ex quo Hieroſolymam reuerſi erant, menſe ſecundo, auctoribus Zorobabele & Ioſua ſacerdote ſummo, hoc factum ex *Esdr. III. 8.* diſcimus. Dum autem fundamenta iſta ponebantur, ſacerdotes atque Leuitae variis inſtrumentis muſicis, pſalmorumque decantatione, diuinas concelebrabant laudes, adplaudente magna voce omni populo. Qui vero ex ſenioribus aderant, priusque templum ante annos ſexaginta combuſtum viderant, a lacrymis ſibi temperare non poterant, eo, quod nouam hanc ſtructurae deſignationem priſtinae magnificentiae non reſpondere deprehenderent, *Esdr. loc. cit. 10. ſeqq.*

* Cum in eo eſſent Iudaei, vt templum iterum excitarent, ad Zorobabelem, ceteroſque gentis Iudaicae principes, acceſſerunt Samaritae, eisque dixerunt: *aedificemus vobiscum, nam inſtar veſtri quaerimus Deum veſtrum, eique ſacra facimus a tempori-* bus

bus Aſſarchaddonis, *Aſſyriorum regis*, *qui nos huc adduxit*. Eadem prae ſe ferebant ſacra, cum tamen non in omnibus legem Moſaicam obſeruarent, immo gentilium idololatriam, quam cum Moſaicis inſtitutis coniunxerant, nondum dimiſiſſe videantur, qua de re in ſequentibus, ad §. *XIV.* diſceptabimus. Quod ſi vel maxime dimiſerunt, Iudaei tamen certi eſſe non poterant, annon mox iterum eiusmodi quid eſſent admiſſuri. Subdole etiam parumque ſincere hac in cauſſa cum Iudaeis egiſſe videntur. Recte itaque Zorobabel, ceterique Iudaeorum principes, eiusmodi repudiabant ſocietatem, per quam vera religio non poterat non maximo exponi periculo. *Non eſt*, inquiunt, *vobis & nobis quidquam commune*, *vt aedificemus Domino Deo noſtro*, *ſed nos ipſi ſoli aedificabimus*, *ſicut praecepit nobis Cyrus*, *rex Perſarum*, *Esdr. IV. 1.* Ea re irritati Samaritae, moleſtiam, quam poterant, maximam populo Iudaico creabant, templique impediebant ſtructuram, immo ipſius Cyri conſiliarios atque miniſtros pecunia corrumpebant, vt varia operi iſti adferrent impedimenta. Eoque facilius, quod cupiebant, obtinere poterant, quod Cyrus bello Maſſagetico in longinquis regionibus occupatus, iſtarum rerum adcuratam ſuſcipere cognitionem non poſſet; ſucceſſores autem eius, Ahaſuerus & Artachſchachta, hoc eſt, Cambyſes & pſeudo-Smerdes, vt deinceps oſtendemus, alieno prorſus a Iudaeis eſſent animo. Hinc itaque factum, vt templi ſtructura ceſſaret, *per totam Cyri Perſarum regis vitam*, *vsque ad regnum Darii Perſarum regis*, *Esdr. IV. 5.* Vbi quidem IOS. IVSTVS SCALIGER, de *emendatione temporum lib. VI.* per Darium non Hyſtaſpidem, ſed nothum intelligit, vt adeo a iactis templi fundamentis, vsque ad tempus, quo reſtauratio eius ſecuta eſt, non decem, vel vt alii volunt, ſeptendecim, ſed octo, vel, vt alii volunt, viginti, ſupra centum effluxerint anni. Sequuntur SCALIGERVM, vt in aliis, ita hac quoque in re SETHVS CALVISIVS, CHRISTOPHORVS HELVICVS, HIERONYMVS VECCHIETTVS, aliique chronologorum; itemque CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſt. ſacr. vet. teſtam. tom. II. p. 1135.* IOANNES COCCEIVS, ad *Hagg. cap. I.* & FRANCISCVS BVRMANNVS, ad *Esdr c. IV.* Nec deſunt iis rationes, quibus ſententiam ſuam probabilem reddant. Cumprimis vero illud vrgent: illum Darium intelligendum eſſe, qui Artaxerxem quendam anteceſſorem habuerit. Hoc conſtare ex *Esdr. IV. 23. 24. & VII. 1.* De Dario autem Hyſtaſpide hoc dici non poſſe; bene autem de Dario notho, qui Artaxerxi longimano ſucceſſerit, regnumque reliquerit Artaxerxi Mnemoni. Praeterea, cum Iudaei facultatem reſtaurandi templum a Dario peterent, rex edictum Cyri conſulere, & archiua luſtrare iuſſit, vt de conceſſa olim Iudaeis a Cyro redeundi, & templum inſtaurandi facultate, conſtaret *Esdr. VI. v. 1.* Hoc vero non neceſſe fuiſſet,

ſet, inquiunt, ſi ſermo eſſet de Dario Hyſtaſpide, cuius aetate non poterant non ſatis adhuc nota eſſe, quae ſub Cyro contigerant. Veroſimilius itaque, Darium nothum intelligi, ad quem tantum temporis effluxerat, vt non aliunde, quam ex archiuis, quae ſub Cyro contigerant, conſtarent. Addunt vlterius, ab edicto illo, quo vrbis inſtauratio permittitur, incipere hebdomadas LXX, ſeu annos CCCC XC, ad euerſionem vsque Hieroſolymorum, ab angelo liquido praedictas, *Dan. IX. 27.* Ab anno autem ſecundo Darii Hyſtaſpidis, non CCCC XC, ſed D LXXXVIII annos ad illa tempora, aut ad paſſum Chriſtum D LIII numerari. Quantumuis autem haec non ſine ſpecie quadam dicantur, praeferenda tamen haud dubie illorum ſententia, qui Darium Hyſtaſpidem intelligunt. Etenim ſi per integrum, & quod excedit, ſeculum, templum adhuc in ruinis iacuiſſet, calamitas & adflictio ipſo exilio Babylonico grauior, populo iudaico fuiſſet ſuſtinenda. Cumque Esdra, aliique Iudaeorum principes viri, qui ſub Cyro ex Babylonica captiuitate Hieroſolymam reuerſi ſunt, *Nehem. XII. 1.* adhuc in viuis fuerint, cum ſub Dario templum perficeretur, adeo vt ipſemet Esdra *cap. VI.* reſtaurationem hanc deſcripſerit; neceſſe eſt, hosce omnes vitam ſuam longe ſupra centum annos produxiſſe, quod ea profecto aetate non adeo frequens erat. Praeterea calculus LXX annorum *Zachar. I. 12.* commemoratorum, adcurate ſibi conſtat, ſi a tempore, quo templum combuſtum eſt, vsque ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpidis connumerentur, quem varie, ſed fruſtra, contrariae ſententiae propugnatores torquent. Accedit denique, quod Esdra diſerte duos tantum reges inter Cyrum & Darium, qui templi ſtructuram impediuerint, Ahasuerum ſeu Cambyſem, & Artachſchachtam ſeu Artaxerxem, hoc eſt, pſeudo-Smerdem, commemoret; *cap. IV. verſ. 5. 6. 7.* Quod ſi Darium nothum intellexiſſet, quem inter & Cyrum plures interceſſere, qui adeo itidem templi reſtaurationem ſufflaminaſſent, haud dubie vel verbo eos indicaturus fuiſſet. Ad rationes etiam diſſentientium antea commemoratas, haud difficulter reſpondere licet. Illum Darium intelligendum eſſe, contendunt, qui Artaxerxem quendam anteceſſorem, & eiusdem nominis regem ſucceſſorem habuerit. Sane de ſucceſſore nullum eſt dubium, cum Artaxerxes longimanus inter ſucceſſores Darii Hyſtaſpidis fuerit. Anteceſſor eius *Esdr. IV. 5. & 14.* itidem Artachſchachta ſeu Artaxerxes dicitur: quo tamen nomine pſeudo-Smerdes indicatur. Si regeras, nec pſeudo-Smerdem Artaxerxis, nec Cambyſen Ahasueri nomine apud ſcriptores graecos venire, reſpondemus, nihil frequentius eſſe, quam vt vir vnus diuerſis veniat nominibus; fierique etiam potuit, vt alterum ex horum regum nominibus Iudaeis, alterum Graecis innoteſceret; quanquam & Graeci facilius in ignota lingua Perſica falli potuerint, quam Iudaei, lingua-

linguarum orientalium peritiores. Sunt &, qui nomina Ahasuerus & Artachſchachta, inter honorifica regum Perſicorum cognomina referunt. Ceterum nonnulli Ahasuerum Artachſchachtam pro vno eodemque rege habent; quibus & DIONYSIVS PETAVIVS adſtipulatur, de *doctrina temporum*, *libr. XII. cap. XXV.* Sed cum diſerte ab Esdra *cap. IV. 5. ſeqq.* diſtinguantur, rectius omnino ſentiunt, qui diuerſos ſtatuunt, & per Ahasuerum Cambyſem, per Artachſchachtam pſeudo-Smerdem intelligunt. Ad alterum, quod attinet, etſi adeo magnum temporis interuallum inter Cyrum & Darium Hyſtaſpidem non intercesſerit, fieri tamen potuit, vt Darius edictum Cyri conſulere, & archiua luſtrare iuberet, vt de mente Cyri eo certior redderetur, & quibus conditionibus Iudaeis facultatem, templum reſtaurandi, concesſiſſet, intelligeret. Ad tertium vero quid reſpondendum ſit, abunde patet ex iis, quae de LXX hebdomadibus Danielis, ad ſectionem praecedentem fuſe diſputauimus, vbi demonſtratum, initium iſtarum hebdomadum a ſeptimo anno Artaxerxis longimani ducendum eſſe. Atque haec cum ita ſe habeant, merito illam SCALIGERI ſententiam repudiarunt alii ex chronologis, ſpeciatim DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina temporum lib. XII. cap. XXV.* conf. & NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. mundi VI. diſputat. V. p. 351. ſeqq.* itemque HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. XX. §. XVIII. ſeqq. pag. 269.* vbi & vtriusque partis argumenta adcurate proponit; & licet ipſe iudicium ſuſpendat, magis tamen in illorum ſententiam propendet, qui pro Dario Hyſtaſpide pugnant.

Ad rem ipſam vt redeamus, quare Iudaeorum aduerſariis ſub Cyro rege haud difficile fuerit, templi ſtructuram impedire, iam indicauimus. Mortuo Cyro, iidem Iudaeorum aduerſarii ad Ahasuerum, ſeu Cambyſem, litteras ſcripſerunt, accuſationum haud dubie & calumniarum plenas. Quid Ahasuerus reſponderit, non additur. Res ipſa autem & euentus docuit, Iudaeos ſub hocce rege templi reſtaurationem adgredi non auſos. Eiusmodi moribus fuit Cambyſes, vt alieno a Iudaeis eum fuiſſe animo, mirum non ſit. Cum, mortuo Ahasuero ſeu Cambyſe, Artachſchachta, ſeu pſeudo-Smerdes rerum habenas ſuſcepiſſet, Bislamus, Mithredates, Tabeel, aliique Perſarum in Palaeſtina, locisque vicinis, praefecti, haud dubie a Samaritis contra Iudaeos irritati, impulerunt Rechumum בעל טעם *dominum decreti*, hoc eſt, conſiliarium, ſeu cancellarium; & Simſaim ספרא *ſcribam*, vt ſuo & Samaritarum nomine epiſtolam, lingua Aramica conceptam, ad Arthachſchachtam regem, quae *Esdr. IV. 12. ſeqq.* legitur, perferrent. Callide in ea nulla templi (cuius tamen reſtauratio maxime Samaritas, a religionis ſocietate excluſos, offenderat) facta mentione, de vrbis & murorum reſtauratione loquuntur. Hac enim ratione

tione facilius regi, quod cupiebant, ſe perſuaſuros exiſtimabant; cui templi reſtauratio non adeo noxia videri poterat. Interim merae erant calumniae, cum templum ſaltem, & aedes priuatas, in quibus habitare poſſent, Iudaei reſtaurare coeperant. Eodem animo Hieroſolymam *vrbem rebellem ac malam* vocant; quod HVGONI GROTIO *ob inſtituta Iudaeorum diuerſa ab aliis*, fieri videtur. Speciem tamen quandam exempla regum Iudaeorum, qui ante Babylonicam captiuitatem iugum regum Babylonicorum excutere conati fuerant, praebere poterant. Exaggerabant porro damna, quae ex iſta vrbis inſtauratione in regem redundare poterant, fore ſcilicet, vt *ſtipendium, tributum, ac vectigal nullum pendant, & reditui regum detrimentum adferatur.* Efficaciſſimum haud dubie ad mouendos regum principumque animos, hoc eſt argumentum. Vt vero eo magis regis fauorem captent, addunt, non alia re, quam ſtudio regis commoda promouendi, ad haec ei denuntianda ſe permotos, quia *ſalario palatii fruerentur*; hic enim verborum: די מלח היכלא מלחנא *ſale palatii ſaliti ſumus*, ſenſus eſt; de quibus legenda, quae ad *Esdr. IV. verſ. 14* notat IOANNES CLERICVS. Ne denique ſine fundamento, quae dixerant, adſerere videantur, vrgent, vt rex quaerere iubeat, בספר דכרניא *in libro memoriarum*, ſeu in commentariis maiorum ſuorum, ex quibus intellecturus ſit, veriſſima eſſe, quae de Iudaeis, vrbeque Hieroſolyma denuntiauerant. Reſpondebatur a rege, inquiſitione inſtituta deprehenſum, rem omnino ita ſe habere, prout denuntiauerant; impediendam itaque ab illis quauis ratione vrbis reſtaurationem, donec aliud quid a ſe ſanciretur. Quod cum iſti intellexiſſent, Hieroſolymam aduolantes, vt templi prorſus intermitteretur reſtauratio, effecerunt. Cum ergo Iudaei, intermiſſa templi ſtructura, ſuis rebus intenti eſſent, anno tandem ſecundo Darii Hyſtaſpidis, Haggaeus atque Zacharias vates diuinitus excitati, populum, vt templi ſtructuram reſumeret, grauiter adhortati ſunt, *Esdr. V. verſ. 1. Hagg. I. v. 1. ſeqq. Zachar. I. 1. ſeqq.* Morem quoque geſſerunt voluntati Numinis Zorobabel, ac Ioſua, ſacerdos ſummus, cum populo vniuerſo, verbisque varum diuinorum fidem habentes, nondum licet impetrata a Dario facultate, templi ſtructuram adgreſſi ſunt, *Hagg. I. 12. II. 1. 2. ſeqq. Esdr. V. 2.* Id vero cum Thattenais atque Setharboznais, Perſicorum regum praefecti, intellexiſſent, cum Iudaeis equidem hac ſuper re expoſtularunt, nec tamen vi quadam impediuerunt opus, moderante ſic cuncta Numine, ſed ad Darium regem ſcripſerunt, decretum eius exſpectaturi. Litterae iſtae leguntur *Esdr. V. 7. ſeqq.* ita quidem conceptae, vt non adeo alieno a Iudaeis animo fuiſſe videantur. Interim & iſti petebant a rege, vt in tabulario regis inquiri iuberet, an ita ſe haberent,

rent, quae a Iudaeis de Cyri regis permiſſione acceperant. Quaeſiuerunt itaque iuſſu regis בבית ספריא in *domo librorum*, ſeu in tabulario, in quo Babylone gazas recondunt, cumque ibi Cyri edictum non inueniſſent, vlterius quaeſiuerunt, tandemque inuenerunt באחמתא בבירתא די במדי מדינתא *in capſa in palatio Mediae prouinciae.* Pro באחמתא quod recentiores recte per *capſam* ſeu *ſcrinium* interpretantur, vulgarus habet: *in Ecbatanis*, LXX ſecundum codicem Alexandrinum: ἐν Αμαθᾷ, & B. LVTHERVS, in *Athmeta*, ac ſi nomen proprium eſſet. Summa edicti, a Cyro promulgati, fuit, inſtaurandum Hieroſolymae eſſe templum, cuius altitudo ſit cubitorum LX, & totidem cubitorum, latitudo: ordines porro lapidum quadratorum tres, ordo vero trabium nouarum vnus; ſumtusque ad opus hocce ex regia ſuppeditandos, & vaſa quoque aurea atque argentea ex templo Hieroſolymitano ablata, reſtituenda. Praefectis igitur prouinciarum antea memoratis Darius rex mandauit, vt non tantum Iudaeis templum reſtauraturis nullum adferrent impedimentum, ſed quauis potius ratione eos adiuuarent immo ſumtus etiam ex opibus regis, & inſuper, quae ad ſacrificia Deo offerenda neceſſaria erant, ſuppeditarent. Quae ſane beneuolum Darii regis erga Iudaeos animum arguunt. Nec alienum a veri Dei cognitione fuiſſe, inde colligas, quod pro ſua etiam, familiaeque ſuae ſalute, victimas a Iudaeis offerri, precesque ad Deum fundi voluerit. Poenam porro grauiſſimam in omnes, qui edicto huic morem non eſſent geſturi, addidit, tignum ex domo eius euellendum, ex quo ſuſpendaretur, ipſam vero domum in ſterquilinium conuertendam. Hancce regis voluntatem edocti Iudaei ſtrenue opus vrgebant, alacriterque proſequebantur, adeo vt die tertio menſis Adar, anno ſexto Darii, ſtructura templi abſolueretur, *Esdr. VI. 15.* Quando autem *ibidem verſ. 14.* dicitur*: aedificarunt ergo, & abſoluerunt, ex mandato Dei Israelis, edictisque Cyri, Darii & Artaxerxis regum Perſarum*; nullum quidem eſt dubium, quin per Artaxerxen longimanus intelligatur; mentio autem eius non ideo iniicitur, quod ſub eo templi ſtructura abſoluta ſit, ſed quod ornamenta quaedam templi ſub eo acceſſerint, & per moenium reſtaurationem tum templi, tum vrbis Hieroſolymae conſultum ſit ſecuritati.

Abſoluta templi ſtructura, dedicatio eius facta, magna ſolennitate & laetitia, pro temporum iſtorum conditione, feſtumque paſchatos celebratum; *Esdr. VI. 16. ſeqq.* Hoc dum refert Esdra, & Darii iterum, *verſ. 22.* mentionem iniicit, cum vocat מלך אשור *regem Aſſyriorum*, quia ſcilicet reges Perſici eo tempore Aſſyriis imperabant. FLAVIVS IOSEPHVS encaenia templi refert ad annum nonum Darii, ſimulque legationem quandam Iudaeorum ad Darium memo-

morat, qua queſti ſint de iniuriis Samaritarum, ob negatos praecipue ſumtus ad ſacrificia; nouum quoque regis reſcriptum allegat, *antiquit. iudaic. libr. XI. cap. IV.* Sed haec cum aliunde non conſtent, non maiorem fidem, quam reliqua promerentur, quae in huius quoque aetatis hiſtoria IOSEPHVS tradit, aut aduerſa ſcripturae ſacrae, aut magno in ea ſilentio praetermiſſa; cuiusmodi & illud eſt, quod commemorat, Darium Hyſtaſpidem, cum priuatus adhuc eſſet, voto ſe obſtrinxiſſe, ſi regnum adipiſceretur, quidquid vaſorum ſacrorum apud Babylonem eſſet, remiſſurum ſe in templum Hieroſolymam; item, quae cum auctore *libri III Esdrae, cap. III. 4 ſeqq.* de occaſione edicti, ad templi reſtaurationem a Dario impetrati, refert, ſapientiae & eloquentiae Zorobabelis eam attribuens, qui inter tres cubicularios regis de quaeſtione illa, quaenam res ſit omnium potentiſſima, optime diſſeruiſſet, & quae reliqua ſunt eiusdem generis; tum apud FL. IOSEPHVM, *l. c.* tum apud auctorem *libri III. Esdrae* obuia; quae & inter ſe, & cum ſcriptura ſacra collata, exhibet CHRISTIANVS SCHOTANVS, *bibl. hiſt. ſacr. vet. teſt. tom. II. pag. 1142.* Patet ex hactenus dictis, ſtructuram templi quadrienno fuiſſe abſolutam, inchoatam quippe anno Darii Hyſtaſpidis ſecundo, ad finem perductam anno eiusdem regis ſexto. Repugnare equidem videtur, quod Iudaei apud Ioannem *cap. II. 20.* dicunt, annos XLVI templi ſtructurae fuiſſe inſumtos. Etenim ſi vel maxime initium ſtructurae a iactis ſub Cyro fundamentis templi repetere velis, tantus tamen inde annorum non exſurget numerus. Si enim, quod vulgo fieri ſolet, Cyro, a tempore, quo monarchiam Babylonicam condidit, ſeptem annos tribuas, iisque annos ſeptem & menſes quinque Cambyſis, ſeptemque menſes pſeudo-Smerdis, & duos Darii Hyſtaſpidis addas, exſurget inde numerus annorum ſeptendecim, aut ſedecim potius, cum anno Cyri ſecundo templi fundamenta iacta ſint, immo pauciores adhuc, ſi, quod nonnulli faciunt, pauciores Cyro tribuas annos. Hinc ergo vt ſe expedirent, varia viri docti excogitarunt. Mihi maxime veroſimile videtur, Iudaeos apud Ioannem, *loc. cit.* de ſtructura templi ab Herode ſuſcepta, quae ad eius exornationem praecipue ſpectabat, loqui. Legenda, quae hac de re diſſerit IO. LIGTFOOTVS, *harm. quat. euangeliſtar. part. II. tom. I. opp. pag. 419.*

§. II.

Anno Artaxerxis longimani ſeptimo Esra, vir inſignis, & ob legis peritiam, ſtudiumque ingens res collapſas populi ſui reſtaurandi, memorandus, & poteſtate ampliſſima a Perſarum rege inſtructus, vna

vna cum ſociis profectionis & muneribus, tum a rege, tum ab aliis acceptis, Hieroſolymam iterum venit, ſacrisque Deo factis, nihil prius, nihil antiquius habuit, quam vt pro ea, quam a rege obtinuerat poteſtate, vrbem reſtauraret, remque publicam rite conſtitueret, cumprimis & vt corruptos populi mores emendaret, vxorumque, quas plurimi contra legem diuinam ex gentibus aliis ſibi ſociauerant, ſeparationem vrgeret. *

* Dario Hyſtaſpidi in Perſarum regno ſucceſſit filius Xerxes, ob expeditionem contra Graecos ſuſceptam, longe famoſiſſimus. Fallitur maximopere FLAVIVS IOSEPHVS, dum ad eum omnia refert, quae in libro Esrae & Nehemiae de Artaxerxe commemorantur, *antiquit. iudaic. lib. XI. cap. V.* Num Eſtherae maritus fuerit, quod magno conatu contendit IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, de eo deinceps diſceptabimus. Xerxem vero excepit Artaxerxes longimanus, cuius anno ſexto, aut ineunte ſeptimo, Esra cum aliis quibusdam, qui adhuc ex gente iudaica in exilio erant, conſilium in patriam reuertendi cepit. Altera nimirum vice Esra profectionem hancce in Palaeſtinam in ſe ſuscepit, cum ex *Nehem. cap. XII. 1.* pateat, eum inter illos quoque fuiſſe, qui ſub Cyro Babylone in Iudaeam reuerſi ſunt. Secundum receptam equidem chronologorum ſententiam, a primo anno Cyri, vsque ad ſeptimum Artaxerxis longimani, LXXVIII vel LXXIX effluxere anni. Vnde ſequitur, Esram admodum iuuenem fuiſſe, cum prima vice Babylone in Iudaeam rediret, in Perſiam vero iterum profectum, iam valde ſenem altera vice in Iudaeam reuerſum, hinc vero vlterius ad annum Artaxerxis longimani vigeſimum vsque vitam produxiſſe; vt ex *Nehem. VIII. verſ. 1.* colligere licet. Neque tamen ideo neceſſe eſt, Esram hunc, qui ſub Artaxerxe Hieroſolymam profectus eſt, diuerſum facere ab eo, qui ſub Cyro cum reliquis ex captiuitate adſcendit; cum nihil obſtet, quo minus vnus alterue homo vltra conſuetum terminum vitam ſuam producat. Erat autem Esra ex genere ſacerdotali, vti ex genealogia eius conſtat, quae *Esdr. VII. verſ. 1. & 2.* exhibetur. Dicitur ibidem, *verſ. 6.* quod fuerit סופר מהיר quod LXX interpretes vertunt γραμματεὺς ταχὺς, & vulgatus: *ſcriba velox.* Cum vero vel ex nouo teſtamento conſtet, non librarios, ſed legis peritos סופרים ſeu *γραμματέας* dictos, & vox מהיר ſecundum originem, quam nonnulli ex lingua aethiopica arceſſunt, etiam *doctum* ſignificare queat, Esram virum fuiſſe eruditum, legisque peritiſſimum, verbis hisce ſignificatur. Quod & rectiſſime ita in verſione germanica expreſſit B. LVTHERVS noſter. Is ergo, cum facile, quae vellet, a rege impetraret, cum itineris ſociis Hieroſoly-

lymam venit, menſe quinto anni ſeptimi eiusdem regis Artaxerxis, *Esdr. VII. 8.* In diplomate autem, a rege ex conſilio ſeptem principum Perſarum illi conceſſo, quod *Esdr. VII. 11. ſeqq.* exhibetur, non tantum omnibus Israelitis, qui adhuc in regno Perſarum ſubſiſterant, ſpeciatim ſacerdotibus atque Leuitis, poteſtas datur, in patriam cum Esra reuertendi; ſed Esrae quoque, opes ampliſſimas, a rege & proceribus regni Perſici ad cultum veri Numinis oblatas, itemque vaſa ſacra in miniſterium domus Dei concredita, ſecum auferendi; aerarii praeterea regii praefectis trans Euphratenſibus mandatum, vt, quaecunque ad templum ſartum tectum conſetuandum ornandumque, aut cultum ſacrum ſacrificiis rite peragendum, neceſſaria eſſent, ex fisco regio Esrae ſuppeditarent. Denique & ampliſſima Esrae conceſſa eſt poteſtas, rempublicam ordinandi, cunctaque, quae eo pertinebant, conſtituendi: *Tu vero, o Esdra! pro ſapientia Dei tui, quae eſt in te, conſtituito iudices ac disceptatores, qui ius dicant toti populo, qui eſt trans fluuium, ſeu omnibus, qui norunt legem Dei tui, &c. Esdr. VI. 25.* Ad ciuitatis itaque conſtitutionem cum hocce Artaxerxis edictum ſpectet, hoc ipſum illud eſſe, quod ſanctiſſimus vates Daniel innuit, *Dan. IX. 25.* & a quo LXX hebdomades ibi memoratae initium capiunt, non ſine ratione ſupra adſeruimus. Quo pacto Esra congregatis ad fluuium Ahauum itineris ſociis, atque Leuitis quibusdam, ex quibus nemo adhuc aderat, arceſſitis, poſt ieiunia & preces, auro argentoque & vaſis ſacris ſacerdotum cuſtodiae concreditis, iter in Palaeſtinam ſusceperit, tandemque ſaluus incolumisque Hieroſolymam cum omnibus peruenerit, fuſius *Esdr. VIII. 15. ſeqq.* enarratur. Periculo equidem, ob Samaritas, aliosque Iudaeorum hoſtes non carebat; quia tamen Esra Perſarum regi ad fiduciam ſuam, quam in Deo collocabat, ſignificandam dixerat: *manum Dei ſui omnibus eum inuocantibus propitiam incumbere, potentiam vero & indignationem omnibus eum deſerentibus aduerſari*, equitatum, a quo deduceretur, ab eo petere noluit, ne metus aut imbecillitatis indicium daret. Recte quidem prorſusque prudenter. Ad preces itaque, atque ieiunia ſe recepit, quibus Deum propitium ſibi redderet.

Hieroſolymam ergo cum veniſſent, traditis poſt triduum donariis, ſacrificiisque oblatis, regias litteras ſatrapis & praefectis cis fluuium exhibuerunt, eosque ad omnia paratos experti ſunt; *Esdr. VIII. verſ. 32. ſeqq.* FLAVIVS IOSEPHVS, vt ſolet, ingenio ſuo in dulgens, quaedam hic addit, quaedam & paullo aliter narrat. Inter alia Esram regiam epiſtolam ſecum retinuiſſe, refert, exemplar autem eius miſiſſe ad gentiles ſuos, ſeu decem tribuum Israelitas in Media, ex quibus multi adſumtis ſuis facultatibus

Babylonem venerint, cupientes reuerti Hieroſolymam; reliquam Iſraelitarum multitudinem adſuetum iam domicilium noluiſſe relinquere; eamque ob cauſſam duas tantum tribus per Aſiam & Europam ſub Romano degere imperio, decem autem tribus vltra Euphratem eſſe, infinita hominum millia, quae vix numero comprehendi queant; *antiquit. iudaic. libr. XI. cap. V. pag. 368.* Mitto reliqua, quae eiusdem ſunt generis. Hieroſolymae itaque cum eſſet Esra, acceſſerunt ad eum quidam ex proceribus, indicaruntque, plures eſſe ex populo, immo ex ipſis ſacerdotibus atque Leuitis, qui ſibi filiisque ſuis ex filiabus gentilium vxores ducendo, & adeo *ſemen ſacrum cum populis terrarum miſcendo*, labem quandam toti genti adſperſiſſent. Fallitur FL. IOSEPHVS, dum *ſemen ſacrum* de ſolis ſacerdotibus accipit: τὸ ἱερατικὸν γένος συγκεχύκασι, de tota enim gente ebraea hoc intelligendum eſſe, res ipſa docet. Principes etiam quidam populi iudaici viri, qui reliquos ab eiusmodi matrimoniis arcere debuiſſent, primi fuerant, qui ea inierant. Ad cauſſam iſtius mali quod attinet, nonnulli quidem putant, Iudaeos iſtos, cum ſuae gentis feminas itineris moleſtiis, variisque calamitatibus deformatas viderent, ſpretis iis, exteras appetiiſſe. Alii vero exiſtimarunt, cum pauci eſſent Ebraei per agros tribuum Iudae ac Beniaminis ſparſi, pluresque ſinguli viri vxores ducerent, mirum non eſſe, defuiſſe illic ebraeas puellas, quae iis nuberent. Forte cohabitatio cum exteris, & lautior gentilium fortuna, quosdam illexit; aut aliae quaedam, nobis non ſatis perſpectae, ſubfuerunt cauſſae. Esra magno dolore ob iſtam praeuaricationem perfuſus, laceratis veſtibus & crinibus euulſis, moeſtus vsque ad ſacrificium veſpertinum conſedit. Tum vero conſurgens ad templum iuit, & in genua proſtratus, paſſis ad Deum manibus, ſolutusque in lacrymas, preces ad Deum fudit, pleniſſimamque de hac transgreſſione confeſſionem edidit. Quod dum fiebat, magna ad eum hominum confluebat multitudo, qui eius exemplo permoti itidem a lacrymis & gemitibus ſibi temperare non poterant. Simul vero & Sechanias (FLAV. IOSEPHVS Ἀχώνιον vocat,) Iechielis filius, ex poſteris Helami, πρῶτος τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, ſi eidem FLAVIO IOSEPHO credimus, adfuit, conſiliumque de federe inter populum & Deum renouando, vxoribusque peregrinis dimittendis, ſuppeditauit. Quod cum Esrae placuiſſet, ſacramento principes ſacerdotum, Leuitas, omnesque Iſraelitas, qui praeſentes erant, adegit, vt illud acceptarent. Tum reliqui Iudaei omnes ſub anathematis poena Hieroſolymam conuocati; vbi cum die vigeſimo menſis noni conueniſſent, & ab Esra quid ab iis fieri vellet, edocti eſſent, ad omnia ſe paratos oſtenderunt. Cum vero tantum negotium breui temporis ſpatio expediri non poſſet, placuit iudices

cer-

certos conſtituere, qui vna cum Esra in rem iſtam inquirerent, citatisque ex omnibus vrbibus ſingulis, qui criminis iſtius rei erant, diuortium iniungerent. Et ea ratione trium menſium ſpatio res peracta, vt omnes, qui peregrinas mulieres duxerant, ſe eas dimiſſuros promitterent. Magnus ſane illorum numerus erat, qui hac ratione peccauerant, vt ex *Esdr. X. 18. ſeqq.* patet, durumque adeo videri poterat, tot homines ad vxores, vna cum liberis ex iis natis, reiiciendas adigere. Sed in magnis malis, aſperis quandoque opus eſt remediis. Legis Moſaicae hoc poſtulabat obſeruantia; quanquam non deſint, qui exiſtiment, potuiſſe vxores illas retineri, ſi gentis Israeliticae ſacra ſuscepiſſent, ceſſante eo modo ratione prohibitionis, *Deut. VII. verſ. 3.* Interim quanto cum periculo eiusmodi matrimonia coniuncta ſint, vel Salomonis eos condocere poterat exemplum. Nec gentes, ex quibus vxores illas duxerant, adeo male hoc ferre poterant, cum repudia eo tempore non eſſent inuſitata.

§. III.

Tandem & anno eiusdem Artaxerxis longimani vigeſimo, Nehemias, e regio Iudaeorum genere, vt nonnullis videtur, oriundus, certe inter principes gentis ſuae referendus viros, pincernaeque apud Perſarum reges fungens munere, petita & impetrata a rege poteſtate in patriam eundi, itidem Hieroſolymam venit, omnibusque, quas Iudaeorum hoſtes obiiciebant, difficultatibus feliciter ſuperatis, murorum vrbis, ac munimentorum reſtaurationem perfecit. * Solenni praeterea ritu eosdem dedicauit, qua occaſione & liber legis, aut praecipuae ſaltem eius partes populo ab Esra praelectus, hinc fedus cum Deo, certis quibusdam conditionibus ſpeciatim expreſſis, renouatum; ſed alia quoque ad vrbis incrementum, vitaeque integritatem ſpectantia, ab eodem Nehemia ſuscepta; quemadmodum & in vitiis, quae denuo gliſcere incipiebant, cum altera praeſertim vice, poſt profectionem ad regem, Hieroſolymam rediiſſet, corrigendis, ſtudium operamque ſuam ſtrenue collocauit. **

* Nehemiam huncce, de quo hic verba facimus, diuerſum eſſe ab eo, qui ſub Cyro Perſarum rege, cum Zorobabele & Ioſua, ſacerdote ſummo, Hieroſolymam venit, *Esdr. II. 2.* & *Nehem. VII. 7.* nonnulli contendunt. Sane, ſi idem fuit, hocce tempore, quo moenium vrbis Hieroſolymae reſtaurationem ſuscepit & perfecit, ſenem admodum grandaeuum,

uum, & vltra centum annos natum fuiſſe oportet; cum ab anno primo Cyri vsque ad vigeſimum Artaxerxis longimani, ſecundum praeſtantiſſimorum chronologorum ſententiam, XCII anni effluxerint. Hominem autem tam grandaeuum Artaxerxi regi fuiſſe a poculis, iterque Suſis Hieroſolymam ſuſcepiſſe, & reliqua, quae de eo narrantur, perfeciſſe, nonnullis parum videtur credibile. Ex eo, quod hicce quoque Nehemias Hattirſchata, *Nehem. VIII. verſ. 9.* dicitur, colligi nequit, eundem eum eſſe cum priori, cum nihil obſtet, quin vtrique vnum idemque nomen haeſerit, aut ſi *Hattirſchatha*, quod nonnulli volunt, ſit nomen officii, quo minus vterque eodem functus ſit munere. Nec tamen & iis, qui Nehemiam hunc eundem cum priori eſſe contendunt, rationes deſunt; quae in compendio legi poſſunt apud IO. HENRICVM HEIDEGGERVM, *enchirid. bibl. lib. I. cap. XVII. §. I. pag. 195.* Is ergo, de quo ſermonem hic inſtituimus, Nehemias, cum Suſis apud Artaxerxem longimanum eſſet, & ex quibusdam, qui ex Iudaea eo venerant, intellexiſſet, genti ſuae in patria variis cum calamitatum generibus eſſe colluctandum, nec dum moenia vrbis Hieroſolymae eſſe reſtituta, magna perfuſus triſtitia, lacrymis, precibus, ieiuniis, iram Numinis genti huic adhuc incumbentem placare, & mitiora ei impetrare fata, adgreſſus eſt. Cum vero idem regis pincerna eſſet, & anno vigeſimo Artaxerxis, menſe Niſan, officio ſuo fungeretur, contigit, vt rationem triſtitiae, quam rex in eo deprehendebat, reddere iuſſus, infelicia gentis ſuae fata regi indicaret, facileque facultatem ad certum tempus in Iudaeam proficiſcendi, resque populi ſui in meliorem reſtituendi locum, impetrauit. Datae quoque ei a rege ſunt litterae commeatus ad praefectos cis-Euphratenſes, & aliae ad Aſaphum cuſtodem הפרדס *paradiſi regii*, hoc eſt, vt recte vulgatus vertit: *ſaltus regii*, vt ligna ad varia aedificia, ſpeciatim & ad moenia vrbis ſuppeditaret. Patet inde, alterum hocce Artaxerxis edictum, fuiſſe velut continuationem quandam prioris, & ad vrbis, ſpeciatim autem ad moenium reſtaurationem ſpectaſſe. Cyrus reparandi ſolum templi licentiam Iudaeis conceſſit, non autem vrbis, vt DIONYSIVS PETAVIVS adſerit, de *doctrina temporum, lib. XII. cap. XXXI.* Saltem directe ad vrbis reſtaurationem non ſpectabat, etſi inde ſequebatur, Iudaeos domos Hieroſolymae aedificare poſſe, vt ibi habitarent. Recte contra PETAVIVM hoc obſeruat NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi VI. cap. I. artic. II. pag. 233.* Edictum Darii itidem ad templum praecipue ſpectabat: ſed Artaxerxis duo ad ipſam vrbem, vltimum ſpeciatim ad moenium reſtaurationem. Litteris ergo regiis munitus, militumque praeſidio inſtructus, iter ingreſſus, ſaluus incolumisque Hieroſolymam venit; vbi cum triduum egerat, nocturno tempore, ne quis,

quis, quid animo voluebat, agnoſceret, paucis comitibus, moenium vrbis ſtatum explorat; quorum ſtructuram cum parum hactenus profeciſſe deprehendiſſet, ſacerdotibus proceribusque Iudaeorum, vt maiori alacritate & conſtantia rem adgrederentur, auctor fuit.

Id vero cum Iudaeorum aduerſarii, quos inter eo tempore Sanballatus Choronaeus, Tobias Ammonites, & Geſemus Arabs, eminebant, intellexiſſent, non modo ſubſannarunt Iudaeos, ſed in rebellionis etiam adducere ſuſpicionem adloborabant. Sanballatus hicce החרני *Choronaeus*, hoc eſt, ciuis vrbis חרנים *Choronaim*, in Moabitide, cuius *Eſai. XV. v. 5. Ierem. XLVIII. v. 3.* mentio iniicitur, minime confundendus eſt cum Sanballato iſto, qui ſub Dario Codomanno & Alexandro magno vixit, quod contra IOSEPHVM SCALIGERVM recte oſtendit DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina temp. lib. XII. cap. XXV.* Saltem, quae nos cogat ratio, non video, vt Sanballatum hunc tam longaeuum ſtatuamus, vt Alexandri magni attigerit tempora. Ambos etiam inter ſe miſcet FLAVIVS IOSEPHVS, & quod prioris erat, poſteriori tribuit. Geſemus הערבי *Arabs*, haud dubie praefectus aliquis Perſarum fuit, in tractu quodam ad occaſum Euphratis, in Iudaeae vicinia. His ergo cum Nehemias reſpondiſſet, ſe ſolius Dei ope fretos, opus hocce adgredi, nec eſſe, cur aduerſarii hac de re ſint ſolliciti, qui nihil Hieroſolymae habeant, quod ſibi vindicare queant, quorumue nulla ibi futura ſit memoria, opus inter certas familias ita diſtribuit, & tanta diligentia vrſit, vt proſpere ac ex voto procederet, conf. *Nehem. III. 1. 2. ſeqq.* Hoc ergo cum Sanballatus cum ſuae factionis hominibus intelligeret, mirum in modum efferbuit; nec maledicta ſolum & ſannas in Iudaeos euomuit, ſed conſilium quoque cum ſuis iniit, adgrediendi per inſidias Iudaeos, & opprimendi eos inopinato, qui in moenium reſtauratione occupati erant; immo ipſam vrbem Hieroſolymam prorſus euertendi. Qua de re certiores redditi Iudaei, nonnulli quidem operis, quod perficiendum reſtabat, magnitudine deterriti, abiicere animum, Nehemias autem, vir impiger & laborum patiens, cuncta ad defenſionem, & hoſtes fortiter excipiendos, comparare. Quod cum hoſtes animaduerterent, indeque intelligerent, conſilia ſua emanaſſe, coepto deſtiterunt. Ab eo nihiloſecius tempore, miniſtrorum Nehemiae pars dimidia in opere erat, pars altera tenebat arma. Cuilibet familiae, principes adſtabant, qui populum adhortarentur. Ipſimet etiam operis exſtructores, altera manu opus faciebant, altera gerebant miſſile, omnesque gladio cincti erant circa lumbos. Buccinator adſtabat Nehemiae, vt, ſi opus eſſet, ſtatim ſignum dare poſſet. Nec modo dimidiam populi partem ad omnem caſum paratam eſſe, ſed omnes quoque Hieroſolymis pernoctare voluit, vt noctu excubiae agerentur. Ipſe

Digitized by Google

Nehemias cum fratribus, & miniſtris, & excubitoribus, qui illi aderant, toto illo tempore non exuebant veſtes, איש שלחו המים *vnicuique telum & aqua* (ad manus.) Indicare videtur, partem populi ita dormiiſſe, vt ſolebat fieri in caſtris, haſta ad manum parata, & aqua iuxta collocata, ne forte bibendi cauſſa ſtatio eſſet deſerenda. Conſilium ergo iſtud, de quo antea diximus, cum Sanballato ſociisque ex voto non ſucceſſiſſet, ad alias artes conuerſi, Nehemiam ad colloquium euocant, inſidiis ſuis eum circumuenturi. Abnuente Nehemia, cum quarta iam vice eum inuitaſſent, tandem Sanballatus litteras ad eum mittit, quibus ſignificat, famam ferri, meditari eum rebellionem, idque agere, vt rex Iudaeorum fieret, immo iam prophetas ab eo conſtitutos, qui eum Hieroſolymae regem pronuntiarent; veniret ergo, vt iunctim conſilium caperent, quid factu opus? Ad haec nihil aliud reſpondit Nehemias, quam falſa omnia eſſe, ac a Sanballato conficta. Merito mireris, fuiſſe eo tempore inter Iudaeos homines, qui a Sanballato pecunia corrupti, ſub ſanctimoniae & diuinae reuelationis ſpecie, Nehemiam ab opere iſto deterrere adnitebantur; ex quorum pſeudo-prophetarum numero Semahia fuit, filius Delaiae, & Noadia pſeudoprophetis, de quibus *Nehem. VI. 10. ſeqq.* Omnibus autem hisce feliciter ſuperatis obſtaculis, tandem opus hocce perfecit, vigeſimo quinto die menſis Elul, & quidem poſt quinquaginta duos dies. Nec adeo mirum videri debet, tam breui temporis ſpatio tantum opus potuiſſe perfici, ſiquidem non integrum murum vbique ſolo aequatum fuiſſe, vt credamus, par eſt, ſed paſſim duntaxat deiectum & perruptum; quemadmodum & haud dubie lapides ſuperfuerunt, aut ex ruinis aedium deiectarum commode potuerunt peti; ne quid de magno aedificantium numero, & ſumma feſtinatione dicam. Accedit, quod haud dubie initium muros exſtruendi ante Nehemiae tempora factum ſit, ſed cum labor lente procederet, tempus perfecti operis merito ab iſto die numeratur, quo maiori alacritate ac conſtantia, duce ipſo Nehemia ſusceptum eſt.

Interea vero ingens orta erat quiritatio hominum plebeiorum, qui ob vſuras rapinasque diuitum ſumma paupertate premebantur, nec habebant, vnde vitam tolerarent. His ergo vt reſtituerentur, quae contra ius & fas iis erepta erant, auctoritate ſua Nehemias effecit, *Nehem. V. 1. 14.* Hoc vero dum narrat Nehemias, ipſe ſimul, qua integritate in munere ſibi demandato verſatus ſit, exponit. Condiſcimus etiam inde, eum a Perſarum rege Iudaeorum praefectum conſtitutum; fuiſſe ante eum alios praefectos, qui exactionibus populo graues eſſent; ingentes illum ex opibus ſuis feciſſe ſumtus, adeo vt ex primoribus Iudaeorum centum quinquaginta viros, aliosque adhuc, qui ex vicinis gentibus ad ſe veniebant, quotidie menſa ſua exce-

exceperit, nec tamen emolumenta, quae ad praefectum pertinebant, ſibi vindicauerit; *loc. cit. verſ. 14. ſeqq.* Quae omnia, Nehemiam magnae in Perſarum aula auctoritatis virum, opibusque ampliſſimis inſtructum fuiſſe, oſtendunt.

** Perfecta moenium exſtructione, Nehemias eorundem dedicationem magna ſolemnitate inſtituit, *Nehem. XII. v. 27.* ad *43.* Res ipſa docet, dedicationem hanc factam, priusquam ea contigerunt, quae *cap. VII. & ſeqq.* narrantur. Quod autem *cap. XII.* demum eam deſcribat, non ob temporis rationem factum, ſed quod occaſio quaedam ea de re verba faciendi ei ſeſe offerret. Hinc Nehemias, cum exſtructo muro, portis valuas addidiſſet, ianitores ac excubias conſtituit, & quo tempore claudendae ac aperiendae eſſent portae, ſancit. Vrbis autem amplitudini cum incolarum nondum reſpondere multitudinem deprehendiſſet, ex cenſualibus tabulis in eorum numerum, qui prima vice e Babylonia venerant, inquirit. Eadem itaque, quae *Esdrae II. 1. ſeqq.* exſtant, & *Nehem. VII. 7. ſeqq.* exhibentur nomina. Eadem & vtrobique ſumma habetur, quae tamen in neutro loco ſatis conſentanea eſt minoribus numeris; quemadmodum & in his diuerſitas quaedam occurrit. Haec vero, quo pacto expediri queant, vt nulla textus ſtatuenda ſit corruptio, ſupra iam ad *ſect. praeced.* §. *VIII.* oſtendimus. Nec etiam eſt, quod discrepantia collationis ad templi aedificationem factae, *Nehem. VII. verſ. 70. ſeqq.* & *Esdr. II. 68.* quenquam moretur. Aliam enim eſſe oblationem, de qua Esra, aliam, de qua Nehemias loquitur, viris doctis obſeruatum eſt; conf. ABR. CALOVIVS, ad *Nehem. VII. v. 70.* Ceterum cum die primo menſis ſeptimi, cuius medio ſecundum praeſcriptum legis Moſaicae, *Leuit. XXIII. 24.* & *Num. XXIX. 1.* celebrandum erat feſtum tabernaculorum, vniuerſus populus Hieroſolymae conueniſſet, & in platea, quae erat ante portam aquae, congregatus eſſet, Esra, poſtulante populo, librum legis, aut praecipuas eius partes, eas quidem, vt credere par eſt, quae temporis iſtius conditioni adcommodatae erant, de cathedra lignea praelegit. Simul vero aderant, qui ſtatim, quae Esra legerat, explicarent, vt populus, qui magna attentione, quae legebantur, auribus excipiebat, cuncta eo rectius intelligeret. Ita namque nonnulli, quod *Nehem. VIII. 7.* dicitur: מבינים את העם לתורה *intelligere facientes populum legem*, capiunt. Alii autem hoc ita accipiunt, ac ſi, quae ſermone ebraeo praelegebantur, lingua chaldaea fuerint interpretati. Sunt enim viri doctiſſimi, qui exiſtimant, pleroſque Iudaeorum in captiuitate Babylonica linguae ebraeae purioris vſum amiſiſſe, vt adeo, quae ebraice praelegebantur, ſine interpretatione chaldaica non potuiſſent intelligere, vt praeter Iudaeos quosdam EPHODAEVM, ELIAM LEVITAM, DAVIDEM KIMCHIVM, SIXTVS SENENSIS, *bibl. ſanct.*

ſanct. lib. IV. p. 393. ſeqq. 10. HENRICVS HOTTINGERVS, *theſ. philolog. lib. I. cap. III. p. 252.* BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico*, *prolegom. III.* §. *XXIV. p. 236.* RICHARDVS SIMON, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. XVI. p. 92.* aliique, refragantibus aliis, & linguae purioris vſum aliquamdiu poſt captiuitatem Babylonicam, ſaltem apud pleroſque, obtinuiſſe, contendentibus; conf. AVGVSTVS PFEIFFERVS, *crit. ſacr. cap. III. quaeſt. IV. p. 65.* ABRAHAM. CALOVIVS, *crit. ſacr. p. 80.* BARTHOLOMAEVS MAYERVS, *philolog. ſacr. part. II. cap. II.* Et ſane eos, qui Esrae aderant, ſcripturam, quae legebatur, ita interpretatos, vt ſenſum eius euoluerent, quae *verſ. 8.* dicuntur, vix quenquam dubitare ſinunt. Pergit enim Nehemias: *legebant enim librum illum legem Dei* מפרש *explanate*, vt recte FR. IVNIVS & IM. TREMELLIVS vertunt. LXX interpretes, ex ſequentibus quaedam ſimul coniungentes, habent: *καὶ ἐδίδασκεν* Ε῎*σδρας καὶ διέστειλεν ἐν ἐπιστήμῃ κυρίου:* rectius vulgatus: *diſtincte & aperte.* Additur porro: ושום שכל ויבינו במקרא *ponendo ſenſum & intelligere faciebant in lectione*, quod FR. IVNIVS, ac IM. TREMELLIVS ita reddunt: *& exponendo ſenſum dabant intelligentiam per ſcripturam ipſam.* Audita lege, vniuerſi perculſi in lacrymas ſoluebantur, vt a Nehemia, Esra & Leuitis, qui eos erudiebant, erigendi, & ad hilaritatem, quam iſtius diei ratio poſtulabat, adhortandi eſſent. Altero die principes familiarum, ſacerdotes item atque Leuitae, ad Esram acceſſerunt, *vt in verbis legis ſe erudiret.* Forte circa loca quaedam difficilia haeſitarunt, aut dubia quaedam circa ea illis oborta ſunt, quorum ſolutionem, obſcuriusque dictorum illuſtrationem ab Esra petiere.

Dumque in eo erant, inuenerunt, qua ratione feſtum tabernaculorum ſecundum legis Moſaicae praeſcriptum celebrandum eſſet. Statim itaque illud etiam indicitur, & die decimo quinto & ſex ſequentibus eiusdem menſis, ſummo ſtudio & religione celebratur, moreque conſueto die octauo finitur; Esra interea quotidie a die primo vsque ad diem vltimum, librum legis praelegente, *Nehem. VIII. 13. ſeqq.* Die hinc vigeſimo quarto eiusdem menſis, ad ſolemne ieiunium Iudaei Hieroſolymam conuenerunt. Solet equidem a Iudaeis ad huncce diem referri feſtum, quod dicitur, שמחת תורה *hilaritas legis*; ſed vel ex hoc ipſo, quod eodem die ieiunium indictum fuit, colligas, tempore Nehemiae hocce feſtum nondum in vſu fuiſſe. Haud dubie itaque praeter ordinem, ob peccata quaedam, quae inualuerant, vt ea in poſterum omitterentur, populusque ad veram reſipiſcentiam adduceretur, ſimulque, quae deprauata erant, in meliorem ſtatum reſtituerentur, ieiunium hocce indictum fuit. Cumprimis id etiam egerunt, vt prolem Iſraelis ab omnibus alienigenis ſecernerent. Colligas hinc, in prima eccleſiae emendatione ab Esra ſuſcepta, non omnes alienigenas

Digitized by Google

genas vxores cum liberis ex iis ſuſceptis dimiſiſſe, aut quosdam poſt eam emendationem alias duxiſſe in matrimonium. Dies hicce ſolemni poenitentiae deſtinatus, partim ſcripturae ſacrae lectione, partim peccatorum confeſſione trausactus fuit. Preces eo tempore a ſacerdotibus & Leuitis pro toto populo fuſae, legi poſſunt *Nehem. IX. verſ. 4. ſeqq.* Federe hinc cum Deo renouato, ſubſcriptionibusque principum populi firmato, ad legem Moſaicam religioſius obſeruandam ſeſe obſtringunt, immo iuncta promiſſione ſanciunt, ſe matrimonia cum alienigenis non admiſſuros, ſabbathum ſanctius, quam hactenus factum, obſeruaturos, omnemque eo die prohibituros mercatum, quae ſeptimo quoque anno ſecundum legem Moſaicam intermittenda erant, intermiſſuros, primitias, decimas, & ſi quae alia ſacerdotibus debebantur, ſollicite exhibituros, & quae reliqua erant eiusdem generis. Cum vero vrbi Hieroſolymae ſufficiens adhuc incolarum numerus, pro loci magnitudine, deeſſet, ſolique principes populi Hieroſolymae habitarent, reliquis autem commodius videretur, in vaſta regione hic illic agros ſibi colendos, prout videbatur, ſumere, placuit, vt, iactis ſortibus, decimus quisque Hieroſolymam ſe conferre teneretur, reliquis libera, vbi vellent, fieret commorandi poteſtas. Gratiſſimi omnibus fuere, qui vltro recipiebant, ſe Hieroſolymae habitaturos, quibus & ideo populus benedixit; conf. *Nehem. XI. 1. ſeqq.* Atque haec quidem omnia, quae hactenus enarrauimus, cum Nehemias, duodecim circiter annorum ſpatio praeclare admodum geſſiſſet, anno Artaxerxis longimani trigeſimo ſecundo ad regem reuerſus eſt.

Interea Eliaſib ſacerdos, praefectus conclauibus templi, adfinitate cum Tobia Ammonita contracta, in atriis templi cubiculum magnum ei parauit, in quo recondi ſolebant ſacra munera atque decimae. Hoc eo iniquius videbatur, quod non ita pridem, cum ex lege Moſaica intellexiſſent, Ammonitis & Moabitis locum inter Israelitas non concedendum, eos e coetu Israelis eiicere decreuiſſent. Cum ergo Nehemias לקץ הימים *in fine dierum*, hoc eſt, anno exacto (quanquam alii de vltimo regis anno capiant, vt adeo per octennium abfuerit) reuerſus eſſet, & quod Eliaſib fecerat, intellexiſſet, conclaue iſtud, omnibus domus Tobiae ſupellectilibus inde eiectis, ſacris vſibus iterum deſtinauit. Sed alia quoque vitia & corruptelas, quae eo abſente gliſcere coeperant, correxit; ſpeciatim, quae Leuitis debebantur, & illis ſubtracta erant, iis reſtituit; ſabbathi violatores, tam Iudaeos, quam qui mercatus cauſſa eo die e vicinis ad vrbem confluebant, coercuit; illos denique, qui contra tot prohibitiones & promiſſa peregrinis matrimoniis ſe contaminauerant, ſeuere obiurgatos puniuit. Dicitur, dum vltimum hocce refertur, filios, quos Iudaei

ex Asdodaeis, Ammonitidibus & Moabitidibus ſusceperant, partim אשדודית *Asdodice* locutos, nec loqui potuiſſe יהודית *Iudaice*. Asdodicam linguam dialectum fuiſſe linguae Phoeniciae, non eſt, quod dubitemus. Asdodum enim, ſiue Azotum, Philiſtaeorum fuiſſe vrbem, notum eſt. Per לשון יהודית *linguam iudaicam*, ebraeam eum intelligere, prout eo tempore in vſu apud Iudaeos fuit, nemo itidem dubitauerit. Qualis autem ea fuerit, iam ſupra disputauimus. Inter eos vero, qui vxores peregrinas duxerant, vnus quoque erat e filiis Ioiadae, Eliaſibi ſacerdotis filii, qui erat gener Sanballati Horonitas. Sanballatum hunc eundem eſſe cum eo, cuius ſupra mentio facta, non temere quis dubitauerit. Diuerſum autem fuiſſe ab eo, qui tempore Darii Codomanni vixiſſe dicitur, & temporum rationes ſuadent, & ſupra quoque iam obſeruatum eſt. Hunc vero Ioiadae filium minime tolerandum cenſuit Nehemias, ſed, vt Hieroſolyma abiret, coegit. Ita namque ſancitum erat *Esdr. VIII. 26.* Et ſane, ſi Iſraelitis non licebat ducere peregrinas vxores, longe turpius erat, ſi ipſimet hoc facerent ſacerdotes. Quae FLAVIVS IOSEPHVS de rebus Nehemiae, quas hactenus expoſuimus, paullo aliter refert, non magni momenti ſunt. Iis itaque non immorabimur.

§. IV.

Sub Perſarum deinceps imperio ita vixere Iudaei, vt ſummi praecipue ſacerdotes res illorum curarent;* ex quibus Iaddua ſiue Iaddus eo tempore munere hocce functus eſt, quo Alexander magnus victricia per totum orientem circumferebat arma. Hic autem cum ob denegata ſibi in Tyri obſidione haerenti auxilia, Iudaeis iratus eſſet, animoque infeſto Hieroſolymam peteret, a Iaddo, qui ſacerdotali indutus veſte obuiam ei proceſſerat, placatus, vrbemque ingreſſus, hoſtias Deo obtulit, patriarumque legem vſum liberum, & tributorum ſeptimo quouis anno, quo terram iis colere non licebat, immunitatem benigne conceſſit. Templum autem, eodem Alexandro permittente, in monte Garizim extructum, vt inuiſum admodum Iudaeis, ita ad illorum ac Samaritanorum augenda odia, animosque magis exacerbandos, plurimum contulit.**

* Summi, qui poſt captiuitatem Babylonicam ad Alexandri magni vsque tempora vixerunt, & ſibi inuicem ſucceſſerunt, ſacerdotes fuerunt; Ioſua, Ioachim, Eliaſib, Ioiada, (FLAV. IOSEPHO Iudas) Ionathan (FLAVIO IOSEPHO Ioannes) & Iaddua ſeu Iaddus. Et hi quidem *Nehem. XII. 11.*

u. memorantur. Cum vero parum ſit credibile, Nehemiam ad Alexandri M. aetatem vsque vitam produxiſſe, ſi quidem tum vltra ducentos annos vixiſſet, non deſunt viri docti, qui iſtam ſummorum ſacerdotum genealogiam ab aliena manu profectam, arbitrantur. Alii autem putant, fieri potuiſſe, vt Iaddum puerum aut infantem adhuc viderit Nehemias, praeſertim, ſi ponatur, eundem Iaddum grandaeuum admodum iam fuiſſe, cum Alexandro obuiam iret. Quidquid huius ſit, cum ſub Eliaſibo adhuc vixerit Nehemias, ſub Ioiada, Ionathane & Iaddua, praecipua rerum adminiſtratio penes ſummos iſtos ſacerdotes fuiſſe videtur, licet Perſarum adhuc parerent imperio. Praefecti Perſarum id praecipue egiſſe videntur, vt diſpicerent, ne populus res nouas moliretur, & vt tributa rite perſolueret. Ex ſummis hiſce ſacerdotibus Ionathan ſiue Ioannes maxime memorandus eſt, qui, ſi FLAVIO IOSEPHO credimus, fratrem Ieſum, ſiue Ioſuam, quem ſibi a Bagoſe, ſiue Bagoa, Artaxerxis copiarum imperatore, ſuffectum iri in pontificatu metuebat, in ipſo templo interfecit, & ſic cauſſam dedit, vt Iudaei per annos ſeptem tributis, & aliis vexationibus male multarentur, immo Bagoſes ipſe, ſpreto ſacerdotum interdicto, templum ingrederetur, dictitans, ſe non eſſe impuriorem cadauere, quod in templo iacuiſſet; *antiquitat. iudaic. lib. XI. cap. VII. p. 382. ſeqq.*

** Non alium, quem hic ſequamur, ducem habemus, quam FLAVIVM IOSEPHVM. Hic ergo auctor eſt, eo tempore, quo Alexander Philippi filius, rex Macedoniae, celeberrimam illam contra Darium, vltimum Perſarum regem, expeditionem ſuſcepit, Iadduam ſeu Iaddum, ſummo ſacerdotio apud Iudaeos functum. Huius frater Manaſſe, (ita porro ex eiusdem auctoris fide rem exponere iuuat,) profano matrimonio, cum filia Sanballati Cuthaei, Samariae praefecti (quem diuerſum eſſe ab eo, qui Nehemiae tempore vixit, ſupra iam monuimus,) inito, popularium ſuorum odium incurrit; a quibus pulſus ad ſocerum confugit. Cumque Manaſſe ſacerdotii iacturam aegre ferret, Sanballatus, ſe non ſacerdotium tantum illi ſeruaturum, ſed & pontificatum paraturum, & totius ſuae prouinciae principem eum facturum, aedificaturumque templum Hieroſolymitano non abſimile in monte Garizim, ſi filiam ſuam vxorem retineret, ei pollicebatur. Quo ipſo inductus Manaſſe, apud ſocerum permanſit, multosque Iudaeorum, vt partes ſuas ſequerentur, induxit. Dum vero Sanballatus in eo erat, vt facultatem templum illud exſtruendi a Dario impetraret, Alexander victoria ad Iſſum reportata, Syriam atque Phoeniciam adgreditur. Hac occaſione vtendum ratus Sanballatus, a Dario deficiens, victorem ſibi conciliauit Alexandrum, ab eoque impetrauit, vt templum Hieroſolymitano ſimile, in monte, qui Samariae imminet, exſtruere liceret, eique Manaſſen, ge-

nerum ſuum praeficere. Perſuaſerat namque Alexandro, multos e Iudaeis Manaſſen ſecuturos, eaque ratione gentem iudaicam diuiſam, vires animumque amiſſuram, vt nec reſiſtere regi, nec imperio eius ſubiecta, temere res nouas, vt facere conſueuiſſet, moliri poſſet. Interea Alexander, Tyro & Gaza expugnatis, arma in Iudaeos vertit, qui auxilia ipſi in obſidione Tyri denegauerant, ſacramentum, quo Perſarum imperio obſtricti erant, cauſſati. Cum exercitu autem formidando Hieroſolymam petenti, Iaddus pontifex ex ſecreto Dei monitu, infulatus, cum ſacerdotum choro & vniuerſo populo, albis veſtibus induto, vrbe egreſſus, contra ſpem hoſtium, Phoenicum praecipue & Chaldaeorum, qui praedae Iudaeorum inhiabant, regi Alexandro adeo venerabilis viſus eſt, vt eum ſolus accedens non ſalutaret tantum, ſed & nomen diuinum frontali ſacro inſcriptum adoraret. Obſtupeſcentibus fere omnibus, & vix credentibus, regem mentis compotem, ſolus Parmenio propius accedens rogauit familiariter, quid ita, cum ipſe adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudaeorum pontificem? Rex vero, non hunc ſe adorare, reſpondebat, ſed Deo, cuius pontifex eſſet, honorem eum exhibuiſſe. Addebat porro, talis viri ſpeciem & eiusmodi habitu ſe vidiſſe, in Dio Macedoniae, qui ſe deliberantem, quomodo Aſiam poſſet ſubigere, hortatus eſſet, bono eſſe animo, & ſine mora exercitum traiicere: ipſius enim ductu Perſarum ſe potiturum imperio. Tum deducente pontifice vrbem ingreſſus, ſacrificia Deo obtulit; *non ad eius cultum vera pietate conuerſus, ſed impia vanitate, cum diis falſis eum colendum, putans,* iudice AVGVSTINO, de *ciuitate Dei libr. XVIII. c. XLV.* Cognita praeterea Danielis prophetia, qua Graeco cuidam victoria contra Perſas praedicitur, placatus & benignus genti, patriarum legûm vſum liberum, & immunitatem tributorum ſeptimo quouis anno, quo terram iis colere non licet, pollicitus, diſceſſit. Immo & illis, qui ex ea gente in Babylonia & Media habitarent, eandem ſe conceſſurum libertatem, ſecundum inſtituta ſua viuendi, promiſit. Samaritanis vero eadem poſtmodum petentibus, eademque cum Iudaeis ſacra iactantibus, cum iudaici ſe generis eſſe, profiteri non poſſent, reſponſum diſtulit. Interim templum in monte Garizim manſit; eoque cum confugerent ex Iudaeis, qui patrias leges ac ceremonias violaſſent, odium, quod Iudaeis cum Samaritanis intercesſit, mirum in modum inde auctum eſt. Ita FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. libr. XI. cap. VIII. pag. 584. ſeqq.*

Sunt equidem, qui totam hancce narrationem, praeſertim, quae de rebus inter Iaddum & Alexandrum magnum geſtis, refert, in dubium vocant; quod prae ceteris ex inſtituto egit ANTONIVS VAN DALE, in *diſſert. ſuper Ariſtea, de LXX interpretibus, cap. X. pag. 68. ſeqq.* Et occurrunt

ſane

ſane quaedam, quae alicui ſuſpicionem iniicere poſſent; dum v. g. Chaldaeorum in exercitu Alexandri mentionem facit, qui tamen eo tempore Dario adhuc adhaerebant. Res ipſa autem non omni veroſimilitudinis deſtituitur ſpecie, nec repugnat iis, quae ſcriptores graeci & latini de rebus Alexandri tradunt, etſi nemo illorum expeditionis Alexandri in Iudaeam mentionem faciat; niſi quod HECATAEVS ABDERITES, qui in caſtris Alexandri fuit, quaedam commemoret, quae ipſemet Hieroſolymis obſeruauerit, in fragmento, quod FLAVIVS IOSEPHVS conſeruauit, *contra Apion. libr. I. pag. 1048.* & ex eo repetit EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. IV.* Interim, ad circumſtantias quod attinet, facile conceſſerim, nonnulla de ſuo addidiſſe IOSEPHVM atque confinxiſſe. Hoc enim admodum ei ſolenne eſt. Alii ex eadem Iudaeorum gente ad Simeonem iuſtum referunt, quod IOSEPHVS de Iaddo commemorat, illum Alexandro magno occurriſſe, vt ad §. *ſequentem* obſeruabimus. Legenda autem, quae hac de re diſſerit MELCHIOR LEIDECKERVS, de *republic. Ebraeor. tom. II. lib. VII. cap. III. pag. 546. ſeqq.*

§. V.

Cum poſt Alexandri magni mortem, Ptolomaeus Lagi filius Aegyptum ſortitus eſſet, isque Syriam ei adiungere vellet, Iudaeamque adeo non negligendam cenſeret, religionem obtendens, Hieroſolymam ingreſſus, ex improuiſo ciuium ſabbathica quiete abuſus, vrbem oppreſſit, ſuaeque crudelitatis multa reliquit veſtigia; plurimos etiam ex Iudaeis aeque ac Samaritanis ſecum in Aegyptum deduxit. * Et eo quidem tempore Onias, Iaddi filius, ſummus fuit pontifex, cuius filius Simon cognomine iuſtus, magna cum virtutis & ſanctitatis laude rebus Iudaeorum praefuit, paruuloque filio Onia relicto, ſucceſſorem in potificatu habuit Eleazarum, ſub quo a Iudaeis quibusdam, a Ptolomaeo philadelpho in Aegyptum eum in finem arceſſitis, ſacra ſcriptura ex lingua ebraea in graecam translata dicitur. ** Orto ſub eodem pontifice inter Aegypti & Syriae reges bello, ſub ſucceſſoribus Eleazari, Manaſſe & Onia ſecundo, ſubinde continuando, haud exigua Iudaei inde ſenſerunt incommoda. ***

* Quae de Ptolomaeo Lagi, & vrbe Hieroſolyma, per dolum ab eo occupata & oppreſſa, diximus, FLAVIVS IOSEPHVS nos condocet, *antiquit. iudaic. libr. XII. cap. I. pag. 388.* Teſtem eius rei ipſemet ibi adducit

AGATHARCHIDEM CNIDIVM, qui ſucceſſorum Alexandri res geſtas deſcripſit, cuiusque hac de re, quae ibi adfert, haccce verba ſunt: Ἔστιν ἔθνος Ἰουδαίων λεγόμενον, οἱ πόλιν ὀχυρὰν καὶ μεγάλην ἔχοντες Ἱεροσόλυμα, ταύτην ὑπερεῖδον ὑπὸ Πτολεμαίῳ γενομένην, ὅπλα λαβεῖν οὐ θελήσαντες, ἀλλὰ διὰ τὴν ἄκαιρον δεισιδαιμονίαν, χαλεπὸν ὑπέμειναν ἔχειν δεσπότην· *Eſt gens, quae Iudaeorum dicitur, vrbem incolens magnam & bene munitam, nomine Hieroſolyma, hanc paſſi ſunt in Ptolomaei poteſtatem peruenire; & dum propter ſuperſtitionem grauantur arma ſumere, grauem dominum receperunt.* Ceterum, cum Ptolomaeus multos, tum ex Iudaeis tum ex Samatitanis, captiuos in Aegyptum deduxiſſet, & illos fideles & ſacramenti praeſtiti obſeruantes compeiiſſet, multa ex iis praeſidia per arces diſpoſuit, eumque eis apud Alexandriam ius ciuitatis pari cum Macedonibus conditione dediſſet, ſacramento omnes deuinxit, ſeruaturos fidem poſteris eius, qui tam multa ipſis crediderat. Hinc & multi Iudaeorum, partim vbertate terrae, partim Ptolomaei erga gentem ſuam liberalitate, illecti, ſponte ſua in Aegyptum migrarunt. Inter Iudaeos autem & Samaritanos in Aegyptum delatos, aemulationes, partiumque ſtudia ibi quoque manſerunt, illis ad templum Hieroſolymitanum, his autem ad Samaritanum in monte Garizim victimas ſuas mittentibus. Ita quidem FLAVIVS IOSEPHVS, *loc. cit.* Iungenda & quae idem ex HECATAEO ABDERITA adfert, *libr. I. contra Apion. pag. 1048. ſeqq.* Pſeudo-ARISTEAS, a Ptolomaeo Lagi filio ad decem myriades Iudaeorum ex Iudaea in Aegyptum traductas, ſcribit, ex quibus circiter tres myriades electos & armis inſtructos viros adſumſerit in regionem, vt in praeſidiis ipſius degerent; reliquam vero turbam ſeniorum, ac iuniorum, ac mulierum etiam, conceſſerit militibus in ſeruitutem, ſub Ptolomaeo philadelpho demum libertati reſtituendam; in *hiſtoria LXXII. interpretum, pag. m. 5. & 6.* edition. Oxon. anni M DC XCII. Quod non temere cum beneuolentia & liberalitate Ptolomaei Lagidae, a IOSEPHO tantopere laudata, conciliaueris.

** Iaddi in ſacerdotio ſummo ſucceſſorem fuiſſe filium eius Oniam, conſtat ex FLAVIO IOSEPHO, *antiquit. iud. lib. XI. cap. VIII. pag. 386.* Simonis iuſti, qui filius atque ſucceſſor Oniae fuit, magnificum admodum exſtat elogium apud Siracidem, *cap. L. 1. ſeqq.* Laudatur nimirum, quod vrbem ſanctam ornauerit, nec minus templum, ſummaque cum populi veneratione ſuo munere functus ſit, cum adiret altare, ſacrificia ex manibus ſacerdotum acciperet, faceret libamina, inde deſcenderet, populo benediceret; &c. FLAVIVS IOSEPHVS eum δίκαιον, *iuſtum*, adpellatum dicit, διά τε τὸ πρὸς τὸν Θεὸν εὐσεβὲς καὶ τὸ πρὸς τοὺς ὁμοφύλους εὔνουν· *propter pietatem erga Deum, & beneuolentiam erga contribules; lib. XII. cap.*

cap. II. In *tractatu Miſchnico Apoth. cap. I.* ex *reliquiis ſynagogae magnae* fuiſſe dicitur, eique hocce tribuitur effatum: *ſuper tribus conſiſtit mundus, lege, cultu, & retributione beneficiorum.* Quod FLAVIVS IOSEPHVS de Iaddo refert, eum Alexandro magno occurriſſe, id Simeoni huic tribuit R. GEDALIA, in *Schalſchelcth bakkabbal. fol. 81.* qua in re & R. DAVID GANZ, in *Zemach Dauid,* & ZACHVTVS, in *Iuchaſin*, aliique ex eadem gente, illi ſuffragantur. Sed, cum temporum rationes pro IOSEPHI ſententia militent, haec omnino praeferenda videtur. Legere iuuat, quae hac de re obſeruat MELCHIOR LEIDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. VII. cap. III. pag. 548.* & *cap. IX. pag. 570.* vbi & alias Iudaeorum de Simeone hocce iuſto traditiones refert. De ſucceſſore Simeonis iuſti Ebraeorum hiſtorici non plane inter ſe conſentiunt, vt deinceps dicemus; ſed FLAVIVM IOSEPHVM hic ſequi praeſtat, qui, Eleazarum Simeonis fratrem in pontificatu ſucceſſiſſe, auctor eſt, eo quod Onias filius Simeonis adhuc paruulus eſſet, *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. II.* De codicis ebraei verſione in linguam graecam, quae ſub hocce Eleazaro, rerum in Aegypto potiente Ptolomaeo philadelpho, facta dicitur, deinceps ad §. *XII.* ex inſtituto dicemus.

*** Vt Ptolomaeus Lagi filius, poſt mortem Alexandri magni Aegyptum, ita Antigonus Aſiae imperium ſibi vindicauit. Contra hunc vero Seleucus, Babyloniis praefectus, Nicanor ſeu Nicator dictus, arma cepit, proelioque ad Ipſum, Phrygiae oppidum, commiſſo, Antigoni copiae partim ad Seleucum defecerunt, partim profligatae ac diſſipatae ſunt; ipſeque Antigonus iam octogenarius occubuit; conf. APPIANVS, de *bellis Syriacis, pag. 197.* Licet autem initio Ptolomaeus Lagi filius, a partibus Seleuci contra Antigonum ſtaret, deinceps tamen cum, victo Antigono, Seleucus multarum ditionum dominus factus eſſet, de vicina Syria inter vtrumque orta eſt controuerſia; Iudaeis iam tum varia inde ſentientibus incommoda, & modo huic, modo illi, tributa ſoluere coactis. Interim a Seleuco ſatis benigne ſunt habiti, qui & in conditis a ſe per Aſiam & inferiorem Syriam vrbibus, immo in ipſa metropoli Antiochia, ius ciuitatis eis dedit, voluitque pari ibi cum Macedonibus ac Graecis conditione degere; vt auctor eſt FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. libr. XII. cap. III. pag. 398.* Ex prima autem hacce Aegypti Syriaeque regum colliſione, complementum vaticinii intelligitur, quod *Daniel. XI. 5.* exſtat. Poſtquam Seleuco Antiochus Soter, & huic Antiochus, a Mileſiis primum impia adulatione Θεὸς dictus, ſucceſſerat, apertum bellum inter illum & Ptolomaeum philadelphum, qui Ptolomaeum Lagi in Aegypti regno exceperat, recruduit. Ptolomaeus autem philadelphus, poſt multos annos mo-

le-

leſtum finire cupiens certamen, filiam ſuam Berenicem Antiocho vxorem dedit; qui iam ex priori vxore, cui nomen Laodice fuit, duos ſuſceperat filios, Seleucum, qui dictus eſt callinicus, & Antiochum; & Berenicem regni ſe habere conſortem dicebat, Laodicem autem concubinae loco. Poſt aliquod temporis ſpatium, amore ſuperatus, Laodicem cum liberis ſuis reduxit in regiam; quae mariti inconſtantiam metuens, eum cum filio, quem ex Berenice ſuſceperat, e medio ſuſtulit, filiumque Seleucum callinicum patris loco regem conſtituit. Ita quidem HIERONYMVS, ad *Dan. cap. XI.* qui &, quo pacto hac ratione vaticinium Danielis *cap. XI. 6.* adimpletum ſit, condocet; conf. & IVSTINVS, *lib. XXVII. cap. I.* APPIANVS auctor eſt, Berenicem & Laodicem fuiſſe ſorores, vtramque Ptolomaei philadelphi filiam; de *bellis Syriacis*, *pag. m. 211.* Succeſſor itaque Antiochi θεȣ Seleucus callinicus, a Ptolomaeo euergete, qui philadelphum in Aegypti regno excepit, necem Berenices ſororis aegre ferente, graui bello laceſſitus, Syriam & Ciliciam, ſuperioresque partes trans Euphratem, & Aſiam propemodum vniuerſam amiſit. Sed & cum aduerſus Aſiae ciuitates, quae defecerant, ingentem comparaſſet claſſem, iacturam eius, repente orta tempeſtate, fecit per naufragium. Eo vero caſu permotae ciuitates iſtae, ad officium redierunt. Hinc fortunae melioris fiducia Ptolomaeo euergetae bellum intulit, ſed victus Antiochiam ſe recipere neceſſe habuit. Cumque a fratre Antiocho, qui *hierax* dictus eſt, quod non hominis, ſed accipitris in alienis eripiendis indolem prae ſe ferret, auxilium petiiſſet, Ptolomaeus quidem in annos decem pacem cum eo fecit; ſed a fratre ipſo, mercenario Gallorum exercitu adiuto, laceſſitus, belliſque adeo grauiſſimis implicitus eſt. Ad victorias iſtas, quas Ptolomaeus euergetes a Seleuco hocce callinico retulit, pertinent, quae Daniel praedixit, *cap. XI. verſ. 7. 8. 9.* Conſtant autem haec omnia ex IVSTINO, *hiſtor. lib. XXVII. cap. I. II. III.* itemque STRABONE, *lib. XVI.* Iudaeos ex hisce bellis plurima ſenſiſſe incommoda, non temere quis dubitauerit. Sacerdotis ſummi munere eo tempore, quo Ptolomaeus euergetes tam felici ſucceſſu Seleuco arma intulit, fungebatur Onias ſecundus, Manaſſis, qui Eleazarum exceperat, ſucceſſor, Simonis iuſti filius, ſed patri diſſimilis. Auaritiam enim & puſillanimitatem in eo notat FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. III. pag. 401.* Ptolomaeum euergetem, cum Syriam ſubegiſſet, Hieroſolymam veniſſe, Deoque obtuliſſe ſacrificia, idem IOSEPHVS auctor eſt, *contra Apion. lib. II. pag. 1064.* quod tamen alii ad Ptolomaeum philopatorem referunt. Iudaeos eo tempore Ptolomaeo huic tributa ſoluiſſe, itidem IOSEPHVS nos condocet, *antiquit. iudaic. libr. XII. cap. III. & IV. pag. 401. ſeqq.* vbi refert, Iudaeos magnam Ptolomaei re-

re-

Digitized by Google

regis incurriſſe indignationem, quod Onias pontifex tributa parum promte ſolueret, ſed placatum regem induſtria Ioſephi cuiusdam, cui Onias auunculus erat; de quo Ioſepho, eiusque filio Hyrcano, multa narrat, *cap. IV.* quibus annon commenta quaedam intermixta ſint, non adſeuerauerim.

§. VI.

Nec meliora deinceps Iudaei fata experti ſunt, cum Oniam II, Simon II, hunc vero filius eius, Onias III, in pontificatu excepiſſet. * Antiocho enim magno, pacatis regni ſui rebus, Parthisque victis, Ptolomaeo epiphani, Aegypti regi, arma inferente, plurima Iudaei, inter vtrumque regem diſtracti, perpeſſi ſunt. Seleucus autem, Antiochi magni ſucceſſor, omnino theſauros templi Hieroſolymitani auehere conatus eſt, irrito quidem conatu, miniſtroque impietatis Heliodoro, diuinitus, non ſine miraculo, grauiſſime punito. **

* Oniam II, in ſacerdotio ſummo excepit filius eius Simon II, qui Ptolomaeo philopatori, Aegypti regi in templi Hieroſolymitani interiora penetraturo, acriter reſtitit. Quod factum eius animoſum recenſetur atque laudatur *III. Maccab. I. & II.* FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, tres eum reliquiſſe filios, qui omnes ad ſummum ſacerdotium peruenerint, Oniam, Ieſum, qui deinceps Iaſon vocari voluit, & Oniam iuniorem, qui Menelaus graece nominari amauit; *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. VI. pag. 408.* Ex hisce primus ſeu Onias III patrem in ſacerdotio ſummo excepit, & pro theſauris templi contra Heliodorum ſtetit, immo hunc diuina manu percuſſum per preces valetudini reſtituit; laudatus ideo merito, vt vir probus & honeſtus, *II. Maccab. cap. III.* Et ad huncce quidem Oniam FLAVIVS IOSEPHVS, litteras illas a Lacedaemoniorum rege datas auctor eſt, in quibus cognatio quaedam Iudaeorum & Lacedaemoniorum, & vtrorumque, ab vna ſtirpe, Abrahamo, origo adſeritur; *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. VI.* & *XIII. cap. IX.* quanquam alii ad Oniam II, aut omnino Oniam I, cuncta referre malint. Leguntur litterae iſtae Arii, Lacedaemoniorum regis, *I. Maccabaeorum XII. 19. ſeqq.* ſimulque memoratur *verſ. 7. ſeqq.* prouocaſſe ad eas Ionathanem, Mattathiae Maccabaei filium, quando amicitiam per eas inter Iudaeos & Lacedaemonios contractam, ad illorum defenſionem renouari voluit. Rem omnem etiam refert FLAVIVS IOSEPHVS, *loc. cit.* ſed vt in quibusdam ab auctore libri Maccabaeorum diſſen-

ſentiat, mentemque eius non recte adſecutus videatur; quod oſtendit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. pag. 173.*

De re ipſa valde viri quidam docti laborant, vt cognationem iſtam inter Iudaeos & Lacedaemonios inueniant. HVGO GROTIVS exiſtimat Lacedaemones Doricae fuiſſe originis, & ab antiquis Pelasgis deſcendere; hos autem non αὐτόχθονας fuiſſe, ſed barbaros, ex Arabia, & fortaſſe etiam ex Abrahami proſapia, Kethuraeque connubio prognatos; qua quidem ratione reuera Iudaeorum fratres fuerint Pelasgi illi, patremque cum iis communem habuerint Abrahamum; ad *I. Maccab. XII. 21.* Sed multas grauiſſimasque huic ſententiae obſtare rationes, oſtendit STEPHANVS MORINVS, in *differt.* de *cognat. Lacedaemonior. & Ebraeor.* quae prima eſt inter *diſſertationes* eius *octo*, iunctim editas, *pag. 11. ſeqq.* Nihil quoque aliud, quam meras coniecturas, easque longe incertiſſimas, hac de re profert PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. pag. 172.* Cum enim de Iudaeorum & Idaeorum Cretenſium adfinitate vulgo credita quaedam monuiſſet, in libro iſto, ad quem rex Lacedaemoniorum prouocat, ſcriptum fuiſſe, coniicit: Iudaeos Abrahami ſobolem, Cretenſium Idaeorum colonos eſſe, Cretenſes vero Spartanorum; id e re nata illum arripuiſſe, atque hinc collegiſſe, vel Abrahamum illum, Iudaeorum parentem, ex Spartanis quoque eſſe ortum, itidem vt poſteros eius Iudaeos; vel Spartanos aeque ac Iudaeos ex Abrahamo prodiiſſe; prius autem cum ob rationes, ab auctore commemoratas, ei parum credibile viſum fuerit, vnum hoc ſuperfuiſſe, vt Spartanos perinde ac Iudaeos, Abrahami progeniem eſſe, agnoſceret. Cum vero ipſemet vir doctiſsimus probe intelligeret, nimis longe haec omnia petita eſſe, alibi *pag. 282.* aliam coniecturam proponit, quae etſi illi planior videatur, non tamen eſt credibilior; Lacedaemoniorum reges, adeoque & Arium hunc, genus ſuum ad Herculem retuliſſe; ſciuiſſe, praeter Herculem Thebanum, etiam Tyrium & Aegyptium quendam celebrari; hosque non multos ac diuerſos, ſed vnum eundemque fuiſſe hominem, eumque Iudaeum, ex libri alicuius lectione, & rei veritate certiorem fieri potuiſſe Arium; indeque porro colligere, ſe Iudaeis ipſoque Abrahamo oriundum, ac Iudaeorum eſſe fratrem. Aliam viam ingreditur STEPHANVS MORINVS, & ab Idumaeis hanc Iudaeorum ac Lacedaemoniorum cognationem deriuare adnititur, quippe qui Iudaeorum & fuerint & dicantur fratres, & in Graecia, regionibusque adiacentibus, rerum ſuarum ſedes fixerint, *diſſertat. cit. pag. 26. ſeqq.* Sed & haec meris nititur coniecturis ſententia, immo & rationibus grauiſsimis premitur, quarum nonnullas expoſuit MELCHIOR LEIDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. VII. cap. VIII. pag. 567.* Alii cum ſecum expen-

penderent, quam omnino nihil certi hac de re dici poſſet, totam hanc narrationem ceu commentitiam reiicere non dubitarunt. Nec libri Maccabaeorum obſtare auctoritatem, qui omnium confeſſione ſit apocryphus. Laudatum equidem eum a patribus, ſed ideo, quod tradat, quae explicandis Danielis vaticiniis inſeruiunt. IOSEPHI nullum hic momentum trahere conſenſum, cum, quae hac de re habet, ex libro Maccabaeorum ſumſerit. Accedere, quod rex, qui epiſtolam hancce ad Oniam ſcripſerit, vocetur Darius; quod equidem Perſicorum quorundam, minime autem Lacedaemoniorum regum fuerit nomen. Si enim vel maxime ponatur, hocce mendum eſſe, ex IOSEPHO corrigendum, apud quem rex hicce vocetur Ἄρειος; nouum tamen tunc suboriri dubium, quod eo tempore nullus iſtius nominis rex apud Lacedaemonios fuerit; operamque & oleum perdere, qui contrarium euincere velint. Haec ſimiliaque prae reliquis vrget, quem antea laudauimus, MELCHIOR LEIDECKERVS, *loc. cit. pag. 567.* Sed vero, cum auctor libri Maccabaeorum ipſas Arii Lacedaemoniorum regis litteras ad Oniam referat, durum nimis videtur, ſi quis dicere velit, has ab eo confictas eſſe. Potuit vero rex iſte decipi; vt adeo rem ipſam ſtatim admittere non teneamur, etſi litterae iſtae verae ſint, ac genuinae; quemadmodum &, quod haud perfunctorie obſeruandum, Ionathan in ſuis ad Lacedaemonios litteris, oblatam amicitiam equidem acceperat, communis autem ex Abrahamo originis, nullam mentionem facit. Ad minimum praeſtat cum IOSEPHO IVSTO SCALIGERO, *canon. iſag. lib. III.* de cognatione iſta iudicium ſuſpendere; & cum SAMVELE BOCHARTO, *Chanaan. lib. I. cap. XXII.* agnoſcere, cognationem illam nullo probabili inniti fundamento.

** Seleucum callinicum in Aſiae regno excepit Seleucus ceraunus, qui cum annis tribus nondum elapſis veneno in Phrygia periiſſet, ſucceſſorem habuit Antiochum, cui res praeclare geſtae magni cognomen peperere, etſi non eadem vbique gauiſus ſit felicitate. Cum enim diuerſos expertus eſſet hoſtes, bellum quoque contra Aegypti regem Ptolomaeum philopatora, euergetae ſucceſſorem, ad recuperandam Syriam ſuſcepit; ſed ancipiti proelio ad Raphaim in finibus Aegypti & Coelo-Syriae victus, Syriaque cedere coactus, miſſis de pace legatis, inducias in annum obtinuit. Ptolomaeus autem philopator, cum parta victoria vrbes vicinas adiret, Hieroſolymam etiam venit; cumque interiora templi Hieroſolymitani perluſtrare vellet, prohibitus eſt a Simone II ſacerdote ſummo, vt ſupra iam monuimus. Copioſius autem res omnis exponitur, *III. Maccab. cap. I. & III.* Quo pacto diuinitus ab auſu tam impio prohibitus ſit, *III. Maccab. II. 19.* hunc in modum exponitur: *Omnium inſpector Deus audacia elatum regem percuſſit*, ſeu *flagellauit*,

(quod de tremore ac ſtupore ſupernaturali capiunt) *hinc & inde vibrans eum, vt arundinem a vento, ita vt in ſolo iam inutilis iaceret, & membris reſolutus, ne fari quidem poſſet, iuſto iudicio implicatus, quamobrem amici & cuſtodes corporis ingenti perculſi timore, veriti, ne eum vita deficeret, cito illum extraxerunt, &c.* Illo autem caſu nec melior, nec ſapientior factus, nihil equidem vlterius tentare auſus, atroces ſpirans minas, in Aegyptum diſceſſit; annoque ſequenti furorem omnem in Iudaeos, per Aegyptum hinc inde habitantes, effuſurus, diploma propoſuit, vt, qui ex illa gente diis Aegyptiis ſacrificare nollent, ciuitatis iure priuarentur; immo ad atrociora progreſſus, ingentem eorum multitudinem, elephantis proterendam obiicere decreuit; cui tamen periculo, etſi praeſentiſſimo, diuina eos benignitas non ſine ingenti miraculo ſubduxit. Quae omnia fuſius enarrantur *libr. III. Maccabaeor. cap. II. III & ſeqq.* a FLAVIO IOSEPHO autem in libris *antiquitatum iudaicarum*, praetermittuntur, at *lib. II. contra Apion. p. 1064.* Ptolomaeo phyſconi tribui videntur.

Ceterum Antiochus magnus, bello paullo ante Ptolomaei philopatoris obitum redintegrato, & in filium eius ac ſucceſſorem Ptolomaeum epiphanem conuerſo, quem iunctis cum Philippo Macedonum rege viribus, opprimere & e medio tollere decreuerat, vt regnum eius inter ſe diuiderent, a Romanis, regis pupilli tutoribus, prohibitus ac repulſus eſt. Poſtea tamen noua expeditione ſuſcepta, cum Scopa, duce Ptolomaei, iuxta Iordanis fontes congreſſus, eo victo, multas Coelo-Syriae vrbes, Iudaeamque recepit. Pax inde inter Antiochum, a Romanis ſibi metuentem, & Ptolomaeum epiphanem inita eſt, promiſſa huic in matrimonium Cleopatra Antiochi filia, cum dote Syriae, Palaeſtinae, & Phoeniciae. Conciliare namque Antiochus ſibi Ptolomaeum voluit, vt auxilia aduerſus Romanos ferret, cumprimis gradum ſtruere, vt Aegyptum dolo aliquando occuparet, ſibique ſubiiceret. Nuptiae equidem poſt ſeptem tandem annos ſecutae ſunt: ſed conſilia Antiochi fuere irrita. Ptolomaeus enim non tantum, eiusque duces, ab eiusmodi artibus ſibi cauerunt, ſed Cleopatra ipſa etiam mariti amorem ſceleſtis patris conſiliis praetulit. Conſtant, quae hactenus de Antiocho magno diximus, ex APPIANO, de *bellis Syriacis*, POLYBIO, *hiſtor. lib. V. & XV.* itemque *excerpt. legat. cap. XXIII. & XXIV.* IVSTINO, *hiſtor. lib. XXIX. & XXX.* FLAVIO IOSEPHO, *antiquitat. iudaic. lib. XII. cap. III.* Praedicta autem adcurate fuerunt a Daniele vate, *cap. XI. verſ. 11. 12. ſeqq.* quod HIERONYMVS, aliique iſtius loci interpretes pluribus oſtendunt. Recte autem obſeruat FLAVIVS IOSEPHVS, Antiocho magno in Aſia regnante, tam Iudaeam, quam Coelo-Syriam in continua fuiſſe vexatione, quod, eo cum Ptolomaeo philopatore, huius-

que

que filio epiphane, bellum gerente, ſiue vinceret, ſiue vinceretur, male multarentur; ὡς οὐδὲν ἀπέλειπον χειμαζομένης νεὼς, καὶ πονουμένης ἑκατέρωθεν ὑπὸ τοῦ κλύδωνος. μεταξὺ τῆς εὐπραγείας τῆς Ἀντιόχου, καὶ τῆς ἐπὶ θάτερον αὐτοῦ τροπῆς τῶν πραγμάτων κείμενοι· *non aliter, quam nauis fluctibus vtrinque oppugnata, inter proſperam & aduerſam Antiochi fortunam iactatae; loc. cit. pag. 399.* Docet porro IOSEPHVS, cum Antiochus, victo ad Iordanis fontes Scopa, Ptolomaei epiphanis duce, vrbes Coeloſyriae atque Samariae recepiſſet, Iudaeos vltro deditionem feciſſe, ſeque in partes eius admodum propenſos demonſtraſſe, quamobrem variis ab eo cumulati ſint beneficiis. Quod ſecundum quorundam obſeruationem conuenit cum vaticinio Danielis, *cap. XI. 15. 16.* Nec minus euentus illis reſpondit, quae de vltimis regis huius fatis Daniel praedixit, *cap. XI. v. 18. 19.* Conuerſis nimirum in Aſiam viribus ſuis, Rhodum, Samum, aliasque inſulas cepit, variasque ciuitates expugnauit; vt APPIANVS auctor eſt, de *bellis Syriacis*; donec a Romanis victus, Aſia, quae cis Taurum montem eſt, ademta, intra Taurum ſe continere cogeretur. Cum vero etiam graue tributum Romanis ſoluere teneretur, ſiue inopia, ſiue auaritia inductus, Iouis Beli templum in Elymaide noctu adgreſſus, magnam inde pecuniae vim abſtulit. Sed incolae loci cum vicinis eum adorti, vna cum militibus, quos ſecum habebat, interemerunt. Ita DIODORVS SICVLVS, in *excerptis Valeſii pag. 292. 298.* STRABO, *geograph. lib. XVI.* IVSTINVS, *hiſtor. libr. XXXII. cap. II.* in eo tamen a reliquis diſſentiens, quod templum *Iouis Elimei* vocat. A ſodalibus, quos temulentus in conuiuio pulſauerat, occiſum fuiſſe, auctor eſt AVRELIVS VICTOR, de *viris illuſtribus*, *cap. LIV.* Daniel vates hunc exitum Antiochi hisce praedixit verbis: *& conuertet faciem ſuam ad imperium terrae ſuae, & impinget, & corruet, & non inuenietur.*

Succeſſorem Antiochus habuit filium Seleucum, qui a FLAVIO IOSEPHO, *antiquitat. iudaic. lib. XII. cap. III. ſoter*, ab aliis *philopator* dicitur. De eo Daniel ita vaticinatur: *Et ſtabit in loco eius*, (Antiochi magni) *viliſſimus, & indignus decore regio, & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in proelio.* Heliodori namque inſidiis periit; vt deinceps dicemus. Per annos duodecim eum regnaſſe, conſtat; vnde quod dicitur, *in paucis diebus eum conterendum;* aut comparate intelligendum, quod regnum eius tam diuturnum futurum non eſſet, quam patris, qui XXXVI annos regnauit, aut ad tempus coniurationis referendum. Ceterum cum Seleucus ſingulari veneratione templum Hieroſolymitanum proſequeretur, vt ſumtus quoque ad ſacrificia ſuppeditaret, Simonis cuiusdam, Beniaminitae, qui templi praefectus erat, & erga Oniam ſacerdotem ſummum magno flagrabat odio, proditione & ca-

lumniis factum, vt primum Apollonius Syriae praeſes, tum rex ipſe, ad theſauros templi, ſeu pecuniam, quam alii in templo depoſuerant, inde auferendam, incitaretur. Heliodorus itaque ex regis miniſtris Hieroſolymam miſſus eſt, vt theſauros iſtos ex templo aueheret; qui cum ſummi ſacerdotis dehortationibus, precibusque locum non relinqueret, magno ſuo malo, quam infeliciter impii eiusmodi auſus mortalibus cedant, didicit. Non tantum enim ab equite, habitu ſplendidiſſimo fulgentiſſimoque, deterritus atque repulſus eſt, ſed & a duobus iuuenibus, qui equitem iſtum comitabantur, verberibus ita exceptus, vt mortem euitare non potuiſſet, niſi Oniae ſacerdotis ſummi precibus fuiſſet reſtitutus. Ad regem ergo vacuus reuerſus, quid ſibi eueniſſet, narrauit, atque adiecit, ſi hoſtem rex haberet capitalem, auctorem ſe eſſe, vt illum in poſterum ad eiusmodi negotia expedienda mitteret. Onias autem, ſummus ſacerdos, nihiloſecius, eiusdem Simonis, quem antea memorauimus, calumniis apud regem delatus eſt, ac ſi mali iſtius, quod Heliodoro acciderat, auctor fuiſſet: quas vt diſpelleret obtrectationes, ipſemet Onias iter ad regem ſuſcepit; qui breui inde tempore ab eodem Heliodoro, quem Hieroſolymam miſerat, veneno necatus, regnum fratri ſuo Antiocho epiphani reliquit.

§. VII.

Longe vero maxima calamitas Iudaeis incubuit, cum Seleucum fratrem in Syriae regno exciperet Antiochus, a ſuis quidem ob fortia quaedam facinora epiphanes adpellatus, ob crudelitatem vero ſummam, ſtoliditatemque, rectius epimanes dicendus. Fons omnis mali contentio fuit de ſummo pontificatu. Iaſon enim, Antiochi, quem, pecunia largiter promiſſa, in partes ſuas pertraxerat, ope, fratre Onia III deiecto, pontificatum occupat, vtque regi placeret, repudiatis moribus patriis, hellenismum introducere ſatagit; poſt triennium ipſemet a Menelao deiiciendus. Nitebatur vero & hic Antiochi auxilio, quippe quem maiori adhuc pecuniae ſumma promiſſa, fauentiorem ſibi reddiderat. Poſſeſſione equidem pontificatus & ipſe excidit, quod non tantum multa crudeliſſime in ciues ſtatuiſſet, ſed ipſum quoque regem Antiochum offendiſſet; ſed cum rationem, animum eius iterum placandi, inueniſſet, in priſtinam ab eo reſtitutus eſt dignitatem. Ceterum, & ob expeditionem contra Aegypti regem, infelici euentu ſuſceptam, & ob rumorem de morte ſua, ab Hieroſolymitanis quibusdam temere nimis creditum, efferatus rex, vrbeque Hieroſolyma quorundam ſuae factionis hominum auxi-

Digitized by Google

auxilio potitus, omnem furorem ſuum in ciues, ingenti eorum ex omni ſexu atque aetate, edita ſtrage, effudit. Templum hinc atque ſanctum ſanctorum, deducente Menelao, ingreſſus, M DCCC talentorum praedam ex theſauris eius abſtulit, iſtudque profanauit; per praefectos deinde, cum ipſe diſceſſiſſet, cultu veri Numinis abrogato, Iudaeos ad gentilium ſacra coegit, ſuppliciis atrociſſimis, qui renitebantur, adficiens. Ex ſummis itaque hiſce anguſtiis, cum nonniſi diuino auxilio eluctari eccleſia poſſet, hoc tandem miſeris atque adflictis adfuit, cum Maccabaei, qui & Aſmonaei dicuntur, diuinitus excitati, magno animo gentis ſuae liberationem adgrederentur,* vt in ſequentibus porro dicemus.

* Priusquam Seleucus ab Heliodoro e medio tolleretur, imprudenti conſilio Antiochum fratrem, quem Romanis obſidem pater dederat, miſſo in eius locum Demetrio filio, admodum puero, euocauerat. Mortuo enim Seleuco Antiochus regnum, quod Demetrio debebatur, Attali atque Eumenis opera ad ſe rapuit. Syriam praeterea, tanquam tutor filiorum ſororis, corruptis praefectis, inuaſit. Adcurate haec praedixit vates ſanctiſſimus Daniel, *cap. XI. verſ. 21.* *Deſpectus* ibi vocatur, & *cui honor regius non ſit tribuendus*, qui Demetrio potius Seleuci filio debebatur; diciturque porro: *clam eum venturum, & regnum* (Syriae) *ſibi adſerturum in fraudulentia.* Iudaeorum eo tempore quis fuerit ſtatus, ex FLAV. IOSEPHO patet, *antiquit. iudaic. libr. XII. cap. IV. & V.* vbi cumprimis obſeruatu digna, quae de Hircano teloniorum conductore, Ioſephi iſtius, cuius ſupra mentio facta, filio, eiusque cum fratribus certaminibus, commemorat. Hircanus vero hicce, qui Aegyptii regis fauore ingenti pecuniae vi ſibi conciliato, ſe contra fratres proceresque Iudaeorum defenderat, Arabes adflixerat, & egregium caſtellum ſibi muniuerat, cum creſcentem Antiochi potentiam animaduerteret, veritus, ne in poteſtatem eius redactus, poenas daret eorum, quae contra Arabes auſus fuerat, ipſe ſibi manus intulit: poſſeſſionem vero eius vniuerſam occupauit Antiochus.

Publicae autem calamitatis, quae Iudaeis incubuit, origo non aliunde, quam ab ambitione Iaſonis, pontificatum fratri Oniae eripere cupientis, repetenda. Voti quoque ſui compos factus, annoque primo regni Antiochi in Aſia & Syria, Ptolomaei vero philometoris, qui epiphanem in Aegypti regno exceperat, quinto, corrupto, immenſae pecuniae promiſſione, rege Antiocho, pontificatum adeptus eſt, fratre Onia exauctorato. Mercatus etiam eſt licentiam, gymnaſium ſeu palaeſtram more Graecorum exſtruendi; obtinuitque, vt Hieroſolymitani iure ciuitatis Antiochenae donaren-

narentur. Et hac quidem ratione Ebraeorum plurimos ad inſtituta gentium traduxit; adeo vt plerique etiam, intermiſſa ſacrorum cura, turpiſſimis ludis ac ſpectaculis indulgerent, legisque Moſaicae nullam amplius haberent rationem. Fuerunt &, quos circumciſionis poeniteret, puderetque. Conſtant haec ex *II. Maccab. IV. 11. ſeqq.* conf. & *I. Maccab. I. 12. ſeqq.* Diſſentit FLAVIVS IOSEPHVS, dum *lib. XII. antiquit. iud. cap. VI. pag. 408.* Iaſonem mortuo fratre Onia pontificatum ab Antiocho obtinuiſſe, auctor eſt; at in *libro* de *Machabaeis pag. m. 1087.* conſentanea libro ſecundo Maccabaeorum tradit, & viuente adhuc Onia, pontificatum ad Iaſonem translatum docet. Antiochum deinde Hieroſolymam venientem ſplendide excepit Iaſon: cum vero in Syriam rediiſſet, poſt triennium, ex quo pontificatum inuaſerat, Menelaum ad Antiochum regem legatum miſit, qui dona ei ferret. Hic vero, trecentorum amplius, quam Iaſon pendebat, talentorum pactione ab Antiocho obtinuit, vt, reiecto atque vrbe excedere iuſſo Iaſone, ſibi pontificatus conferretur. Menelaum huncce FLAVIVS IOSEPHVS Iaſonis fratrem fuiſſe, auctor eſt, vt ſupra quoque iam obſeruatum eſt, qui alias dictus ſit Onias; *antiquitat. iudaic. lib. XII. cap. VI.* At *II. Maccab. IV. 23,* Menelaus hicce diſerte vocatur frater Simonis iſtius Beniaminitae, qui in odium Oniae theſauros templi Seleuco philopatori prodiderat. Atque hanc ſententiam ſequuntur IACOB. SALIANVS, ad *annum 3882.* NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtam. aetat. mundi VI. cap. I. artic. III. pag. 237.* Plurimi tamen cum IOSEPHO faciunt, fieri non potuiſſe, exiſtimantes, vt aliquis ad pontificatum eueheretur, qui non eſſet ex ſtirpe Aaronis, aut Leuitica. Sed cum in aliis eo tempore Moſaicae legis nulla habita fuerit ratio, mirum non erit, ſi & in hocce ab ea diſceſſerint capite. Cum autem Menelaus, homo crudeliſſimus, qui immanis beluae inſtar in ciues ſaeuiit, eamque ob cauſſam omnium odia ſibi attraxerat, pecuniam promiſſam regi non ſolueret, a pontificatu pariter amotus eſt, dignitate iſta in fratrem eius Lyſimachum, ad tempus, vt nonnullis videtur, translata. Interea, rege ad Tarſenſium & Mallotarum tumultus ſedandos abſente, Menelaus hac occaſione vtendum ratus, ad Andronicum, qui Antiochiae regis vicibus fungebatur, ſe contulit, eique aurea vaſa, furtim e templo ablata, donauit, quorum etiam quaedam Tyri vendidit. Quam eius impietatem cum Onias pontifex, qui Antiochiam ſeceſſerat, redargueret, mortem ſubiit ab Andronico, aſyli, quo ſe tutabatur, ius inſuper habente, ipſius Menelai precibus illi illatam. Atque iſtam viri innocentis, magnaque virtutis laude conſpicui necem non Ebraei modo, ſed qui ex ipſis Graecis honeſtiores erant, aegre tulerunt; & apud regem, cum reuerſus eſſet, de nefario hocce facinore conqueſti ſunt. Ipſeque eam ob rem

ita

ita commotus rex eſt, tantaque triſtitia perfuſus, vt nec a lacrymis ſibi temperaret, virtutes eximias viri defuncti in memoriam ſibi reuocans; vnde & Andronicum purpura exutum, & per ciuitatem ignominiae cauſſa circumductum, eodem in loco, quo Onias occiſus erat, capitali adfici ſupplicio iuſſit, *II. Maccab. IV. 23. ſeqq.* Haud multo poſt Lyſimachus ob ſacrilegia, de Menelai fratris conſilio in templo commiſſa, in ſeditione populati captus, &, vt videtur, occiſus eſt. In graeco enim textu, *II. Maccab. IV. verſ. 42.* dicitur: ἐχειρώσαντο quod non proprie *interficere*, ſed *manibus comprehendere*, ſignificat. Interfectus tamen videtur, quia Menelaus poſtea ſacerdotium retinuit; niſi dicere velis, Lyſimachum tantum fuiſſe vicarium Menelai; quod nonnulli inde quoque colligunt, quia *verſ. 29.* dicitur: καὶ ὁ μὲν Μενέλαος ἀπέλιπε διάδοχον Λυσίμαχον· Vocem διάδοχον aut διαδεχόμενον in libri huius ſcriptore eum ſignificare, qui vices alterius obit, HVGO GROTIVS obſeruat, ad *II. Maccab. IV. 29.* Quidquid huius ſit, Menelaus delinito per Ptolomaeum quendam rege, in dignitatem ſuam reſtitutus eſt, occiſis etiam accuſatoribus eius; *ibid. verſ. 39.* Antiocho inde bello Aegyptiaco occupato, cum fama ferret, eum in Aegypto occubuiſſe, Iaſon collecta mille ſociorum manu, & occupata ex improuiſo vrbe Hieroſolyma, caedibus atque rapinis cuncta replet; Menelao in arcem ſe recipere coacto. Turbata tum caedibus tota ciuitate, templum derelictum eſt, & ſacrificia intermiſſa, ſacerdotibus pariter fugientibus, vel quaerentibus latebras. Tandem tamen cum dedecore eiectus Iaſon; profugus in Ammonitidem abiit, hinc ad Arabes ſe recepit, ſed molitionis cuiusdam aut criminis ſuſpectus, in vincula coniectus, euaſit quidem, at nuſpiam locorum periculorum ſe immunem credens, in Aegyptum abiit, tandem Lacedaemonem delatus, vt ob cognationem, quam Lacedaemoniis cum Ebraeis intercedere putabat, ibi tutior eſſet, miſere periit, vt cadauer etiam inſepultum abiiceretur.

Interea Antiochus ab Aegyptiaca expeditione irrito conatu, eo quod Romanorum legati illi denuntiauerant, vt Aegypto excederet, niſi hoſtis populi Romani eſſe vellet, reuerſus, ſimulque rumore de morte ſua Hieroſolymis diſſeminato offenſus, & in ſuſpicionem adductus, Iudaeos meditari defectionem, Hieroſolymam, iuuantibus ſuae factionis hominibus, hoſtiliter ingreſſus eſt, ingenti cum ciuium ſtrage ex omni ſexu atque aetate. Tanta in omnes crudelitate ſaeuitum eſt, vt trium dierum interuallo octoginta millia hominum deſiderata ſint; quadraginta ſcilicet millia caeſa, & totidem capta ac venundata. Ita enim verba ſcriptoris *II. Maccab. V. 14.* intelligenda ſunt: *octoginta millia* κατεφθάρησαν, *deſiderati ſunt*; vocem enim hanc hoc loco communiter & ad interfectos & ad venditos pertinere, particulae ſequentes μὲν & δὲ, diſtri-

butioni inſeruientes, oſtendunt, vt recte HVGO GROTIVS, ad *h. l.* docet: *quadraginta quidem millia*, ἐν χειρῶν νομαῖς, *manibus diſcerpti*, *non pauciores autem interfectis*, *venundati ſunt.* FLAVIVS IOSEPHVS autem, decem tantum millia memorat, *antiquitat. iudaic. libr. XII. cap. VII.* Neque hic ſubſtitit impii hominis furor. Templum enim & ſanctuarium, deducente Menelao, ingreſſus, omnia profanis oculis perluſtrauit, vaſaque ſacra ſacrilegis manibus contrectauit, comminuit, diripuit, praedaque talentorum mille & octingentorum e templo ablata, Antiochiam reuerſus eſt; *II. Maccab. V. 15. ad 21. I. Maccab. I. 23. 24.* Et in priori quidem loco recte additur, Deum ob grauiſſima populi peccata iſtam loci ſacri profanationem permiſiſſe. *Non enim*, ita pergit auctor, *propter locum gentem*, *ſed propter gentem locum Deus elegit: ideoque & ipſe locus particeps factus eſt populi malorum*, *&c.* Praetermittendum hic non eſt, quod APION, iuratus ille Iudaeorum hoſtis, commentus eſt, Antiochum, cum templum ingreſſus eſſet, vt illud exſpoliaret, caput aſini ex auro pretioſiſſime fabrefactum, quod Iudaei venerati fuerint, ibi inueniſſe; apud FLAV. IOSEPHVM, *contra Apion. lib. II. p. 1065.* Virum aſino inſidentem Antiochum ibi inueniſſe teſtatur DIODORVS SICVLVS in *excerptis*, apud PHOTIVM, *cod. CCXLIV. pag. 1150.* Verba eius ſunt: Ἀντίοχος, ὁ προσαγορευθεὶς Ἐπιφανὴς,
καταπολεμήσας τοὺς Ἰουδαίους, εἰσῆλθεν εἰς τὸν ἄδυτον τοῦ θεοῦ σηκὸν, οὗ νόμιμον εἰ-σιέναι μόνον τὸν ἱερέα, εὑρὼν δὲ ἐν αὐτῷ λίθινον ἄγαλμα ἀνδρὸς βαθυπώγωνος, καθήμενον ἐπ᾽ ὄνου, κατὰ χεῖρας ἔχον βιβλίον· τοῦτο μὲν ὑπέλαβε Μωσέως εἶναι τοῦ κτίσαντος τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ συστησαμένου τὸ ἔθνος, πρὸς δὲ τούτοις νομοθετήσαντες τὰ μισάνθρωπα παράνομα ἔθη τοῖς Ἰουδαίοις· *Antiochus dictus epiphanes*, *deuictis Iudaeis*, *intrauit ſancta ſanctorum*, *adiit ſolis ſacerdotibus adeunda*, *& inuenit ibidem lapideam ſtatuam viri*, *barba promiſſa*, *tenentis manibus librum*, *inſidentisque aſino*, *quam putabat*, *Moſis eſſe*, *qui vrbem & condiderit*, *& gentem fundarit*, *& odioſas illas omnibus gentibus leges tulerit.* Nititur haecce fabula calumnia iſta apud ethnicos ſcriptores peruulgata, de aſino a Iudaeis culto, cuius & CORNELIVS TACITVS, *hiſtor. lib. V. cap. III.* & PLVTARCHVS, *ſympoſiac. lib. IV. qu. V. pag. 670.* aliique mentionem faciunt; quae vnde orta ſit, ſupra iam ex inſtituto diſceptauimus, ad *period. II. ſect. I. §. XXXI. p. 544. ſeqq.* Apionem, impudenter talia mentientem, refutauit FLAV. IOSEPHVS, *loc. cit.* prouocatque inter alia ad POLYBIVM, STRABONEM, NICOLAVM DAMASCENVM, TIMAGENEM, CASTOREM chronographum, & APOLLODORVM, qui omnes, quae Antiochus contra Iudaeos geſſit, & quo pacto templum ſpoliauerit, deſcripſerint, nec tamen, quod *aliquid deriſione dignum* in templo inuenerit, memoriae prodiderint.

Antio-

Antiochus Hieroſolyma diſcedens, praefectis abſoluenda reliquit, quae ipſe inchoauerat. Ex his Apollonius, aerarii & tributorum princeps, cum viginti duorum millium exercitu miſſus, vrbem ſubdole ingreſſus eſt, populoque ſabbathum celebrante, promiſcuas caedes edidit; multa ciuium capita in ſeruitutem abduxit, tum aedificia elegantiora exuſſit, arcem communiuit, & praeſidio firmauit, per quod miſerae plebis reliquiae quotidie vexarentur, quoties ſacrorum cauſſa in templum adſcenderent, *II. Maccab. V. 22. 24. I. Maccab. I. 30.* Edictum deinde regium a ſene quodam Antiocheno, patria Athenienſi, Hieroſolymam perlatum eſt, quo Iudaei, omnesque regis ſubditi, ad vnum eundemque deorum cultum adigebantur, prohibitis ſacrificiis, ſabbathis, circumciſione, aliisque ritibus Moſaicis. Ad haec templum Hieroſolymitanum iuſſu regis profanatum, & Ioui olympio, Garizitanum vero Ioui xenio, ſeu hoſpitali, dicatum eſt. Profanatio haec, & deteſtandae ſtatuae in ara diuina collocatio, facta eſt die xv menſis Casleu, ſeu vigeſimo ſeptimo Nouembris, anno Seleucidarum centeſimo quadrageſimo quinto. Sacrificia hinc die vigeſimo quinto, & vigeſimo ſeptimo eiusdem menſis, Graecorum more oblata, libri ſacri combuſti, plurimique Iudaeorum ad defectionem a fide, legeque diuina, compulſi ſunt; ſimulque exquiſitiſſimis tormentorum generibus, in eos, qui legem obſeruarent, aut filios circumciderent, ſaeuitum eſt. Nec deerant, qui crudeliſſima quaeuis perpeti, quam diuinam violare legem mallent, aeternam hoc ipſo virtutis & conſtantiae laudem conſecuti. Hos inter eminet Eleazarus, ſenectute non minus, ac corporis forma, quam vitae integritate venerabilis, qui carnes porcinas reſpuens, nec ſimulatione vlla vti volens, honorificam pro lege Dei mortem obiit, anno aetatis nonageſimo. Heroici quoque animi femina, quae nonnullis Salomone dicitur, & Eleazari iſtius coniux a quibusdam perhibetur, cum ſeptem filiis eandem ob cauſſam ad ſupplicium adducta, martyris palmam retulit, cum filios ad cruciatus acerbiſſimos fortiter ſubeundos, mortemque pro ſanctiſſimis Dei legibus animo intrepido oppetendam, adhortata eſſet, eorumque agonem ſpectaſſet. Cum ipſemet Antiochus iſtos martyrum cruciatus, conſtantiamque admirandam ſpectaſſe dicatur, colligunt inde nonnulli, Antiochiae iſta contigiſſe; conf. *II. Maccab. VI. v. 18. ſeqq. VII. v. 1. ſeqq.*

Peculiarem de hisce martyribus libellum FLAVIVS IOSEPHVS ſcripſit, cui titulus: *εἰς Μακκαβαίους λόγος, ἢ περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ· de Maccabaeis, ſiue de imperio rationis*; qui a DES. ERASMO Roterodamenſi in ſermonem latinum παραφραστικῶς translatus, exſtat in Lipſienſi operum IOSEPHI editione, *p. 1084. ſeqq.* HVGO equidem GROTIVS non FLAVIVM IOSEPHVM, nobilem iſtum hiſtoricum, ſed alium quendam Ioſephum, libelli

iſtius auctorem eſſe, exiſtimat, ad *Luc. XIV. 19.* Dubitanter etiam hac de re loquitur PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. pag. 464.* Sed FLAVIO noſtro huncce libellum tribuit EVSEBIVS, *hiſtor. eccleſ. l. b. III. cap. X.* HIERONYMVS, de *ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. XIII. p. m. 35.* aliique veterum. Martyrum vero iſtorum laudes ex antiquis eccleſiae chriſtianae doctoribus celebrant GREGORIVS NAZIANZENVS, *orat. XXII.* IOAN. CHRYSOSTOMVS, *hom. XLIV. XLIX. & L.* AVGVSTINVS, *ſerm. CCCI.* aliique. Sunt etiam, qui exiſtimant, Paulum apoſtolum huc reſpicere, quando *Ebr. XI. 35. alii autem*, inquit, *diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemtionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem.* Quod enim *II. Maccab. VI. 19.* dicitur: αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε, id a Paulo ita exprimi: ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν. conf. PETRI DANIELIS HVETII *demonſtrat. euangel. loc. cit. pag. 464.* Patet vero in Antiochi huius epiphanis exemplo, quam funeſtum ſit, & quanta ſecum vehat mala, intempeſtiuum religionem per violentiam propagandi ſtudium. Quantumuis enim & alias Iudaeis infenſus eſſet, hoc tamen praecipue, vt atrociſſima quaeuis contra gentem hancce ſuſciperet, eum induxit. Conatum hunc, Iudaeos a patria auitaque religione abducendi, in eo quoque notat, ſimulque iis, quae ex libris Maccabaeorum atque FL. IOSEPHO retulimus, plane conſentanea tradit DIODOR. SICVLVS, in *excerptis* apud PHOTIVM, *cod. CCXLIV. pag. 1150.* Idem confirmat C. CORNELIVS TACITVS: *Poſtquam Macedones praepotuere, rex Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Graecorum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt; hiſtor. l. br. V. cap. VIII.* Quo pacto per hancce Antiochi perſecutionem adcurate impleta ſint, quae Daniel, vates ſanctiſſimus, praedixit, *cap. XI. 31. & 32.* & res ipſa docet, & alibi oſtenditur ex inſtituto. Non praetermittenda hic eſt ſumma Samaritarum leuitas, qui cum viderent, quid illis perpetiendum eſſet, qui impiis Antiochi iuſſis morem gerere nollent, maluerunt ſe gentiles profiteri, & vltro ad Graecorum ſacra ſe offerre, poſtulantes, vt templum in Garizim Ioui graecanico dicarent. Epiſtola eorum ad Antiochum, quem *Deum illuſtrem* vocant, & Antiochi, oblata accipientis, reſcriptum, leguntur apud FLAVIVM IOSEPHVM, *antiquitat. iudaic. lib. XII. cap. VII.* Quo pacto tandem ex ſummis hiſce anguſtiis Deus Iudaeos per Maccabaeos eripuerit, id enim vero eſt, de quo in ſequentibus ex inſtituto dicendi erit locus.

§. VIII.

Nobilitarunt hocce temporis interuallum viri illuſtres, & ſapientia pariter ac pietate conſpicui, Zorobabel, * Esra, ** & Nehemi-

mias, *** eccleſiae & reipublicae iudaicae reſtauratores fideliſſimi; vates praeterea diuini, Haggaeus, * Zacharias, ** & Malachias; *** quibus denique & Mardochaeus, * cum Eſthera, ** in gentis ſuae praeſidium nata, addi ſolent; & qui ad finem huius interualli propius accedit, Sirachides. *** Sed ſummi quoque ſacerdotes, qui tamen non omnes eiusdem fuere generis, huc pertinent. *

* Primum Iudaeorum, ſoluta captiuitate Babylonica, in patriam redeuntium ducem fuiſſe Zorobabelem, conſtat ex iis, quae ad §. *I.* huius ſectionis diximus, vbi &, quanta induſtria templi reſtaurationem promouerit, ex inſtituto commemorauimus; confer. *Esdr. II. 2. III. 2. V. 2. Hagg. I. 1.* Schesbazarum, *Esdr. I. 11.* non alium eſſe, quam Zorobabelem, itidem iam obſeruatum, ad *ſect. praeced.* §. *VIII.* Quo loco habenda ſint, quae *III. Esdr. III. 4. ſeqq.* de eo narrantur, expoſuimus, ad ſectionis huius §. *I.* De genere eius atque poſteris varia occurrunt dubia. Filium eum fuiſſe Sealthielis ſeu Salathielis, conſtat ex *Esdr. III. 2.* & *Matth. I. 12.* Salathiel autem dicitur filius Iechoniae, *Matth. loc. cit.* Sed *I. chron. III. 19.* pater Zorobabelis vocatur Pedaiah. Apud Matthaeum etiam *loc. cit.* Salathiel μετὰ τὴν μετοικεσίαν genitus dicitur, quem tamen in ipſa captiuitate natum oportet, ſiquidem filius eius Zorobabel dux eorum fuit, qui ſoluta captiuitate in patriam redierunt. Adeoque nec ipſe Zorobabel poſt captiuitatem natus dici poteſt. Porro apud Matthaeum inter Zorobabelem & Ioſephum, beatae virginis Mariae ſponſum, nouem tantum generationes intermediae numerantur, apud Lucam vero *cap. III.* ſeptendecim, apud quem etiam Zorobabel filius dicitur Neri, hic vero Melchi, plane diuerſis maioribus; quemadmodum & apud Lucam filius Zorobabelis Reſa dicitur, qui apud Matthaeum Abiud vocatur. Nec tamen deſunt, quae ad haec reſponderi queant. Pedaiah haud dubie fuit pater Zorobabelis; ſed cum eo praematura morte abrepto, ab auo Sealthiele educaretur, hinc factum, vt filius Sealthielis haberetur. Verba Matthaei: μετὰ τὴν μετοικεσίαν ita verti poſſunt: *poſt factam captiuitatem*; vt adeo Salathiel & Zorobabel non finita captiuitate, ſed in ipſa captiuitate geniti ſint. Reliqua vix aliter expediri poſſunt, quam vt Salathiel Lucae, diuerſus ſtatuatur a Salathiele Matthaei. Diuerſas enim vterque euangeliſta texit genealogias. Matthaeus genus Ioſephi ex Dauide per Salomonem deducit, Lucas genus Mariae, ex Dauide per Nathanem. Diuerſae autem licet ſint genealogiae, fieri tamen potuit, vt in iis, qui eiusdem hominis fuerunt, occurrerent; conf. FRIDERICVS SPANHEMIVS ſenior,

dub. euang. part. I. dub. XXII. & iunior, *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. I. opp. pag. 411.* ABRAHAM CALOVIVS, & IOAN. GEORGIVS DORSCHAEVS, ad *Matthaei* & *Lucae loc. cit.* Quando mortuus ſit Zorobabel, non conſtat. Vltimis Darii Hyſtaſpidis temporibus id contigiſſe, nonnulli tradunt, nec a vero abhorret.

** Esra filius fuit Seraiae, ſummi ſacerdotis, a Nebucadnezare occiſi, *II. reg. XXV. 18. 21.* frater iunior Ioſedeci, qui pontifex fuit in captiuitate, *I. chron. VI. 14. 15.* abnepos Hilkiae; *Esdr. VII. 1.* Vir fuit ingentibus a Deo dotibus inſtructus, legis cumprimis peritiſſimus; ideoque & *Esdr. VII. 6.* סופר מהיר בתורת משה h. e. *γραμματεὺς*, *eruditus in lege Moſis*, dictus, vti ſupra ad §. *II.* huius ſectionis obſeruauimus. Quanto ſtudio in id incubuerit, vt, cum regia auctoritate munitus eſſet, rempublicam gentis ſuae ac eccleſiam reſtauraret, moresque corruptos emendaret, itidem iam ad §. *II.* huius ſectionis ex inſtituto expoſitum. De inſigni eius, quam in colligendis & ordinandis ſcripturae ſacrae libris collocauit, induſtria, deinceps dicemus, ad §. *XII.* vbi &, an ſcripturae ſacrae libros deperditos reſtituerit, litteras ebraeas mutauerit, Maſorae auctor dicendus ſit? disceptabimus. De libris, quos ſcripſit, aut, qui ei tribuuntur, ibidem dicemus. Obitum eius cum libri ſacri taceant, nihil certi de eo dici poteſt. Apud Iudaeos tanta eius eſt veneratio, vt eum alterum Moſen vocent, itemque ראש הסופרים *principem ſcribarum.* Elogia, quibus eum ornant, legi poſſunt apud IOAN. BVXTORFFIVM, *Tiberiad. cap. X. pag. 99. ſeqq.*

*** Nehemia filius fuit Hachaliae, *Nehem. I. 1. X. 1.* Ex regio Iudaeorum genere prognatum fuiſſe, HIERONYMVS, aliique tradunt. Certe ex familia haud ignobili fuiſſe, veroſimile eſt. Dictus idem fuit התרשתה quod alii pro nomine proprio, alii autem pro officii nomine apud Perſas habenr. Pincernae munere apud Artaxerxem longimanum, Perſarum regem, functum, ſatis conſtat. An autem hicce Artaxerxis pincerna, qui ethnarcha ſeu praefectus gentis iudaicae a rege conſtitutus eſt, vt ex *Nehem. V. 14.* diſcimus, idem ſit cum Nehemia iſto, qui ſub Cyro Perſarum rege cum Zorobabele, & Ioſua ſacerdote ſummo, Hieroſolymam venit, *Esdr. II. 2.* & *Nehem. VII. 7.* ſupra iam diſceptauimus, ad §. *III.* Quanta ſolertia, quantaue induſtria, moenia vrbis Hieroſolymae reſtaurauerit, vrbem ipſam auxerit & ornauerit, mores populi corruptos emendauerit, quanta denique integritate munere a rege ſibi demandato functus ſit, ibidem iam ex inſtituto expoſitum. De morte eius in ſacris litteris nihil proditum legimus. Nonnulli ex *Nehem. XII. verſ. 11.* colligunt, eum vsque ad Alexandri magni aetatem vitam produxiſſe; qua de re quid viri docti cenſeant, iam ad §. *IV.* commemorauimus. De

li-

libro, quem reliquit, & in quo ipſemet res a ſe geſtas enarrat, deinceps ad §. *XII.* dicemus. Inſigne eius elogium exſtat apud Sirachidem, *cap. XLIX. 15*

* Haggaeum non hominem fuiſſe, ſed angelum, humana ſpecie indutum, coelitusque miſſum, vt homines ad officia ſua pietatisque ſtudium excitaret, auctor eſt HIERONYMVS, ea inductus ratione, quod *cap. I. verſ. 13.* dicatur: מלאך יהוה במלאכות יהוה *angelus domini, in legatione domini*, ad *Hagg. I. verſ. 1.* Quaſi vox מלאך non etiam *nuntium* ſignificaret, & de hominibus vſurpari poſſet, immo ſaepius de iis vſurpata eſſet, quos angelos eſſe, nemo vnquam ſuſpicatus eſt; conf. HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. libr. I. cap. XX. §. II. pag. 261.* Vnum e ſynagogae magnae adſeſſoribus Haggaeum vna cum Zacharia fuiſſe, Ebraeorum ſcitum eſt. Prophetae autem munere fungi coepit בשנת שתים לדריוש המלך *anno ſecundo Darii regis*, quo ad ipſum ter verbum domini, ad Zorobabelem, & Ioſuam ſacerdotem ſummum ſpectans, factum eſt, *cap. I. 1. II. 20.* Quis Darius ille ſit, viri docti disputant, nonnullis cum SCALIGERO nothum, aliis Hyſtaſpis filium, intelligentibus. De eo vero haud dubie ſermo eſt, ſub quo templi reſtauratio reſumta, atque ad finem perducta eſt. At hunc non alium, quam Hyſtaſpidem eſſe, ſupra ad §. *I.* luculenter, ni fallor, iam euicimus. Septuaginta quoque annos, *Zach. I. 12.* & *cap. VII. 5.* commemoratos, ab eo tempore, quo templum combuſtum eſt, computandos eſſe, ibidem oſtendimus, vnde noſtrae non obſtant ſententiae, immo validum contra diſſentientes argumentum praebent. Conferenda &, quae PETRVS DANIEL HVETIVS hac de re disputat, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. pag. 450.* De ſtudio eius ſummo, quo templi reſtaurationem promouit, iam dictum ad §. *II.* ſcripta ad §. *XII.* commemorabuntur.

** Eodem cum Haggaeo tempore vixiſſe Zachariam, ipſemet nos condocet, *Zach. I. 1.* Anno enim ſecundo Darii, menſe octauo verbum domini ad ſe factum, ſcribit; quod menſe ſexto eiusdem anni contigerat Haggaeo. Parentem quoque atque genus ſuum ipſemet indicat, filium ſe fuiſſe, ſcribens, Barachiae, filii Iddonis. Iddo quidam tempore Rehabeami vixit, eiusque res geſtas litteris conſignauit, *II. chron. XII. 15.* Quo minus vero hicce Zachariae ſtatuatur auus, temporum obſtant rationes. Quodſi ab hocce Iddone deſcendat Zacharias, aliquot interceſſiſſe generationes, neceſſe eſt. Neque inſolens, vt voce *filii*, qui remotiori cognatione aliquem ex maioribus attingit, deſignetur. Sic *Matth. I. 1.* dicitur: *liber generationis Ieſu Chriſti, filii Dauid, filii Abraham.* Propius tamen ad verum forte accedunt, ſi, quis Iddo ille fuerit, definiendum ſit, qui, ſacerdotem illum fuiſſe, contendunt, quem Ne-

he-

hemias *cap. XII. 16.* inter ſacerdotes, qui cum Zorobabele adſcenderunt Babylone, numerat. Apud Esram, *cap. V. 1.* filius Iddonis vocatur, quod de nepote, aut tali, qui ex poſteris Iddonis fuerit, intelligendum eſſe, res ipſa docet. LXX interpretes, cum *Zach. I. 1.* ita habeant: πρὸς Ζαχαρίαν τὸν τȣ̃ Βαραχίȣ υἱὸν Ἀδδὼ, τὸν προφήτην, Zachariam Barachiae & Addo filium ſtatuere videntur: immo & HIERONYMVS non tantum ita vertit, ſed & quaeſtionem mouet: *cum ſit filius Barachiae, quare dicatur filius Addo?* Quod ex linguae ebraeae ignorantia profectum, res ipſa docet. Legenda, quae hac de re diſputat PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel part. I. prop. IV. pag. 454.* Quae a pſeudo-EPIPHANIO & pſeudo-DOROTHEO, in *vitis prophetarum* de Zacharia referuntur, eum grandem natu Hieroſolymam Babylone reueniſſe, plurimisque praedictionibus ac prodigiis editis vtrobique inclaruiſſe, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, praetermittimus, cum incerta ſint, immo commentitia. Ceterum, cum Zacharias noſter Barachiae dicatur filius, quaeſitum a viris doctis fuit, an idem ſit, de quo Eſaias, *cap. VIII. 2. adhibui mihi teſtes fideles, Vriam ſacerdotem, & Zachariam filium Ieberechiae.* Sunt namque, qui, de eiusmodi teſtibus ibi ſermonem eſſe, exiſtimant, qui Eſaiae prophetiam prophetia ſimili eſſent confirmaturi, adeoque neutiquam intelligendos homines Eſaiae coaeuos, ſed qui diu poſt Eſaiae aetatem victuri eſſent. Hi autem cum diſerte nominentur Vrias ſacerdos, atque Zacharias filius Ieberechiae, vix alios intelligi poſſe, quam Vriam filium Semaiae ex Kiriath-iearim, qui, cum prophetaſſet contra Hieroſolymam, & terram Iudae, aufugere in Aegyptum coactus, indeque arceſſitus a Ioiakimo rege, vt ſupra ex *Ierem. XXVI. verſ. 20.* commemorauimus, & Zachariam huncce Barachiae filium, de quo verba fecimus. Hos namque eadem cum Eſaia vaticinatos eſſe, idque tanta fide & conſtantia, vt merito *teſtes fideles* dici potuerint, conſtat. Nec magni momenti eſt, quod apud Eſaiam Zacharias vocetur *filius Ieberechiae.* Quae enim vnica ſaltem litterula, eaque, quae nullam ſignificationem mutandi vim habet, differunt nomina, pro vno eodemque merito habentur. Poſt ebraeae gentis doctores quosdam, atque IOAN. COCCEIVM, in hanc ſententiam ingreſſus eſt, qui & non ſine ingenio eandem defendit, HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacr. part. I. lib. I. cap. XX. pag. 265. ſeqq.* Grauiſſimas tamen etiam eidem obſtare rationes, patet ex iis, quae ad *Eſa. loc. cit.* diſſerit CAMPEGIVS VITRINGA, *pag. 247.* Et ſane, cum in prophetia iſta, quae teſtibus apud prophetam confirmanda erat, non alia de re, quam de excidio & direptione regnorum Syriae & Ephraimitarum agatur, quae breui euentura eſſet, de eiusmodi teſtibus, qui tam longo temporis interuallo ab aetate Eſaiae remoti fuerunt,

Digitized by Google

runt, cogitare non licet. Longe probabilius, duos ſpectabiles iſtius temporis intelligi viros, qui, ſi vel maxime ignoti hodie ſint, id inſtituto prophetae parum nocet, multo minus ipſum vaticinium incertum reddit. Nec tamen coniecturae deſunt, quibus viri iſti, quinam fuerint, inueſtigari queant. Sed hac de re hic agendi locus non eſt. Quaeri porro ſolet, num Zacharias hicce, de quo loquimur, ille ſit, cuius ſeruator mentionem facit, *Matth. XXIII. verſ. 35.* Ea vero de re, quoniam ſupra iam ad *ſect. IV.* §. *XVII.* mentem noſtram expoſuimus, vt dicta repetamus, ſuperuacaneum fuerit. De ſcriptis Zachariae vatis ſuo loco agetur.

*** Vltimus hicce eſt prophetarum veteris teſtamenti, eorum faltem, qui munere prophetico functi ſunt, & ſcripta diuinitus inſpirata ad nos transmiſerunt. Cum nomen eius מַלְאָכִי ſignificet *angelus meus*, nonnulli olim inde collegerunt, eum non fuiſſe hominem, ſed coeleſtem quendam genium; cuiusmodi quid & de Haggaeo nonnullos prodidiſſe, antea obſeruatum eſt. ORIGENEM in hanc ingreſſum ſententiam, mirum non eſt, ſiquidem *ex peruerſo* προυπάρξεως *animarum, & aequalis rerum omnium ratione pollentium naturae, dogmate, praua illi haec inceſſit ſuſpicio. Aggaeum, Malachiam, Ioannem baptiſtam quoque, & Melchiſedecum, & prophetas denique omnes, ac viros ſanctitate florentes, fuiſſe angelos*; vti de eo pronuntiat PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. pag. 458.* qui & in *Origenianis* hanc eius ſententiam attingit, *lib. II. pag. m. 81.* Alii licet Malachiam pro angelo non habeant, varias tamen rationes, cur angelus dictus aut habitus ſit, fruſtra comminiſcuntur, cum veram & genuinam rationem nomen eius ſuppeditet; ex quo tamen, vt recte HIERONYMO *prooem. in Malach.* obſeruatum, non magis colligi poteſt, eum fuiſſe angelum, quam ex nomine Ionae, eum fuiſſe *columbam*, aut ex nomine Ioelis, eum fuiſſe Deum; ſiquidem illud *columbam*, hoc autem *Deum meum* ſignificet. Iudaeorum commenta, aut Mardochaeum fuiſſe Malachiam, aut Eſram, aut Zorobabelem aut Nehemiam, lubentes praetermittimus, cum aut nullis aut futilibus plane nitantur rationibus. Licet autem, quis aut vnde Malachias fuerit, ignoremus, quippe quod nec ipſe, nec alius fide dignus ſcriptor memoriae prodidit, certum tamen, eum fuiſſe hominem, & quidem diuino ſpiritu adflatum. Quod pſeudo-EPIPHANIVS refert, eum oriundum fuiſſe tribu Zabulonis, & natum in Sopha, ſiue, vt pſeudo-DOROTHEVS habet, Supha, vel, vt alii volunt, Sacho, non certius eſt, quam reliqua, quae ſine teſte idoneo de eo commemorat. De tempore, quo vixerit, licet itidem dubitetur, hoc tamen ſatis liquet, eum proxime poſt templi aedificationem vixiſſe, *cap. I. 10.* cum penes duces, qualis Zorobabel

bel & Nehemias, qui a Perſarum regibus conſtituebantur, ſumma rerum eſſet, ſiquidem פחת *ducis* mentionem facit, *cap. I. 8.* Eadem quoque fere reprehendit Iudaeorum vitia, de quibus Nehemias *cap. XIII. 10. 15. 23. 28.* conqueritur.

* Mardochai, filius Iairi, ex tribu Beniamin, cum Iechonia Iudae rege, a Nebucadnezare in captiuitatem abductus eſt, *Eſth. II. 5. 6.* Non patruus Eſtherae, vt perperam vulgatus interpres habet, ſed filius patrui eius fuit. Eſthera enim *cap. II. 7.* dicitur: בת דודו *filia patrui eius*. Vocem דוד autem de cognatione vſurpatam, non *fratrem*, ſed *patruum*, aut *patruelem* ſignificare, notum eſt. Quaenam, cum Suſis viueret, expertus ſit fata, & qua ratione tum ipſe, tum vniuerſus populus iudaicus in Perſarum imperio exſiſtens, per Hamanem, cum honores, quos hic poſtulabat, illi denegaret, in maximum vitae periculum adductus, quaue ratione inde liberatus, & ad ſummos honores euectus ſit, ex *Eſth. cap. II. III. ſeqq.* conſtat. An auctor libri Eſther ſit, deinceps diſceptabimus.

** Hiſtoriam Eſtherae, quam in libro, qui eius nomen praefert, conſignatam habemus, veram eſſe, lubentes agnoſcimus. Nec conſtat mihi, fuiſſe quenquam inter noſtrates, qui hac de re dubitaret. Vehementer itaque miror, virum cetera doctiſſimum, PETRVM DANIELEM HVETIVM coeco quodam impetu alios Romanae eccleſiae doctores ſecutum, tam audacter ſcripſiſſe: *Mirari ergo ſubit, vnde tanta Anabaptiſtas ac Lutheranos nonnullos veſania inceſſerit, vt commentitiam hiſtoriam hanc ac fictitiam eſſe, arbitrarentur*; *demonſtr. euangel. part. I. prop. IV. pag. 317.* Eandem tibiam & NATALIS ALEXANDER inflat: *hiſtoriam Eſther commentitiam ac fictitiam eſſe, Anabaptiſtae ac Lutherani quidam impie adſerunt*; *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aet. mundi VI. diſſert. VII. artic. V. prop. I. pag. 378.* Sed vellem, vt nominaſſent illos Lutheranos, qui hiſtoriam Eſtherae in dubium vocant, aut ceu commentitiam reiiciunt. Hoc dum non faciunt, in ſuſpicionem ſententiae inconſideratius prolatae veniunt, quod de NATALE ALEXANDRO minus mirum, quam de HVETIO. Sane ſeptem poſtrema libri Eſther capita, quae in canone ebraeo non exſtant, ceu adſcititia & apocrypha reiicimus: idque recte a nobis fieri, dudum noſtrates theologi demonſtrarunt, diceturque etiam hac de re in ſequentibus: ſed inde colligi nequit, nos librum Eſther, qui in canone ebraeo exſtat, reiicere, aut hiſtoriam ipſam pro commentitia habere. Speciem equidem quandam conuicio huic praebere poſſunt, verba LVTHERI, quae in libro *de ſeruo arbitrio pag. 118.* exſtant: *quamuis hunc* (librum Eſther) *habeant in canone, dignior omnium, me iudice, qui extra canonem haberetur.* Simile quid etiam ex *colloquiis menſalibus Lutheri, cap. I. fol. 30.* profer-

ferre ſolent. Sed vt in priori loco non abſolute ſed comparate loquitur, librum Eſtherae ſcriptis Salomonis non plane exaequandum exiſtimans, ita quod ex poſteriori loco obiicitur, declinare poſſemus, perperam Luthero tribui adſerendo, quae in *colloquiis* iſtis *menſalibus*, poſt eius obitum editis, exſtant. Dubium vero etiam non eſt, quin vtrobique, non tam de libro Eſtherae, prout in canone ebraeo exſtat, quam prout vna cum additamentis iſtis graecis ſpectatur, verba faciat. HVETIVM iſta nobis obiicientem caſtigauit GVIL. SALDENVS, in *otiis theol. lib. III. exercitat. V. pag. 489.* add. IO. MVLLERI *defenſio Lutheri defenſi, p. 631. ſeqq.* Inter argumenta autem, quibus hiſtoriae huius veritas comprobari poteſt, haud vltimum eſt, quod feſtum Purim, in memoriam liberationis a ſanguinolentis Hamanis conſiliis, apud Iudaeos per multa fuerit celebratum ſaecula, & adhuc celebretur. Conſtat hoc ex *II. Maccab. XV. 37.* item ex *codice Theodoſ. de Iudaeis tit. XII. lib. I. l. 11.* aliisque teſtimoniis fide dignis. Et in *lege* quidem iſta *citata* ſancitum eſt: *Iudaeos quosdam feſtiuitatis ſuae ſolenni Aman ad poenae quondam ſumtae dationem incendere, & ſanctae crucis aſſimilatam ſpeciem, in contemtum chriſtianae fidei, ſacrilega mente exurere, prouinciarum rectores prohibeant; neue iocis ſuis fidei noſtrae lignum immiſceant, amiſſuri ſine dubio permiſſa hactenus, niſi ab illicitis temperarint.* Poſitum nimirum iam tum Iudaeis in more fuit, variis laetitiae ſignis, iocis, ludicrisque, feſtum hocce celebrare, cumque Haman crucifixus eſſet, crucem quandam ligneam, quaſi in contumeliam eius, in ſupplicatione circumferre, & mox exurere ſolebant. Sed cum non minori odio ſeruatorem noſtrum, quam Hamanem proſequerentur, qua erant malitia, in illius non minus, quam huius cotumeliam morem iſtum frequentabant; vt lege quadam hanc eorum petulantiam coercere neceſſe eſſet. Recentiori quoque aetate eos hocce feſtum ita celebrare, vt in mera Bacchanalia iſtud conuertiſſe videantur, obſeruatum auctoribus fuit, qui de ritibus feſti huius diſſerunt, ſpeciatim IO. BVXTORFFIO, *ſynagog. iud. cap. XXIX.* add. IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS in *Sota pag. 466.* GVIL. SALDENVS, *otior. theolog. lib. III. exercit. I. pag. 446.* Origo & ſignificatio vocis פורים vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ addamus, obſcura & incerta eſt, licet dubitari nequeat, eam eſſe perſicam; conf. AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. III. loc. XXIX. pag. 489.* LXX interpretes habent Φρουραὶ in codice Vaticano, & in Alexandrino: Φρουραία, quemadmodum & apud FLAV. IOSEPHVM in hodiernis codicibus legitur: Φρουραίας ἡμέρας· A librariis haud dubie hoc ortum; qui vocem peregrinam Φουραία in vocem adfiniorem graecae linguae mutarunt, Φρουραία, quaſi dictum hocce feſtum eſſet, ἀπὸ τῶν Φρουρῶν, *a cuſtodiis.*

Sed vt ad Eſtheram ipſam tandem accedamus, celebris ſtatim de Ahaſuero, eius marito, quis ille fuerit, ſe nobis offert quaeſtio. Omnes hac de re doctorum virorum recenſere ſententias, & moleſtum nimis foret, & plus taedii, quam commodi adlaturum eſſet, cum nullus fere ſit inter Perſarum reges, cui non aliqui honorem iſtum tribuerit, quod fuerit maritus Eſtherae; vid. ABRAH. CALOVIVS, in *chron. bibl. p. 117.* Praecipuas in compendio exhibet AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. III. loc. XXVII. pag. 482.* Tres tamen inter reliquas dignae ſunt, quae in cenſum veniant, & ex quibus vna eligenda videtur. Prima illorum eſt, qui Darium Hyſtaſpis filium intelligunt; in qua ex ebraeis doctoribus verſatur R. ABEN ESRA, ex noſtratibus B. MARTINVS LVTHERVS, PHIL. MELANCHTON, IO. BRENTIVS, aliique: IAC. VSSERIVS praeterea ex reformatis, & ex Romanenſibus NATALIS ALEXANDER, qui operoſe eam tuetur, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. mundi VI. art. V. prop. II. p. 380. ſeqq.* Rationes praecipuae ſunt: quod, quae de Ahaſuero in libro Eſtherae narrantur, ſatis apte Dario Hyſtaſpidi conueniant. Ampliſſimum ſiquidem ipſius fuiſſe imperium, adeo vt Indos quoque ſubegerit, teſte HERODOTO, *lib. IV. cap. XLIV.* Suſis eum regiam ſuam habuiſſe ſedem, quod & HERODOTVS confirmet, de vrbe hacce verba faciens: *ἔνθα βασιλεὺς τε μέγας δίαιταν ποιέεται καὶ τῶν χρημάτων οἱ θησαυροὶ ἐνταῦθα εἰσι* *vbi rex magnus* (Darius) *domicilium habet, atque hic pecuniarum theſauri ſunt, lib. V. cap. XLIX.* Addunt eiusdem ſententiae patroni, quemadmodum Ahaſuerus primum Vaſthi, deinde, illa repudiata, Eſtheram vxorem duxit, ſic & Darii Hyſtaſpidis vxorem primariam fuiſſe Atoſſam, Cyri filiam, quae Cambyſi primum, deinde Smerdi mago nupſerat, quam matrimonio ſibi iunxerit Darius, vt regnum non tam in extraneum translatum, quam Cyri familiae redditum videretur; vt auctor eſt IVSTINVS *hiſt. lib. I. c. X.* Praeter hanc vero & Artyſtonam eum vxorem habuiſſe, prae reliquis vxoribus maxime ei adamatam, cuius & ſtatuam cum talari ex auro tunica effinxerit, quaeue non alia, quam Eſthera eſſe videatur. Tribuit ſane HERODOTVS Dario duas haſce vxores, *lib. II. cap. LXXXVIII.* & de altera ſeu Artyſtona id refert, quod commemorauimus, *lib. VII. c. LXIX.* ſed vtrobique ſimul diſerte indicat, vtramque Cyri fuiſſe filiam. Cui dubio remouendo an ſufficiat, quod nonnulli regerunt, HERODOTVM Perſicas genealogias minus perſpectas habuiſſe, vel ipſos Perſas per inuidiam genus Eſtherae diſſimulaſſe, ac Cyri filiam eſſe, finxiſſe, aliis diiudicandum relinquo. Pro Dario autem Hyſtaſpide porro militat, quod non alieno a Iudaeis fuerit animo, ſub cuius quippe imperio templi ſtructura, fruſtra nitentibus in contrarium aduerſariis Iudaeorum, ad finem perducta fuit. Cumprimis vero temporum ratio-

tiones eidem fauent, ſiquidem Mardochai, qui vna cum Iechonia in captiuitatem Babylonicam abductus dicitur *Eſth. II. 6.* pariter ac Eſthera, ſub Dario Hyſtaſpide ea aetate eſſe potuerunt, vt, quae de iis narrantur, illis conueniant; quod ſecus ſe habet, ſi Xerxes, multo magis autem ſi Artaxerxes longimanus, Eſtherae maritus ſtatuatur. Obſtare contra nonnullis maxime videtur, quod Darius hicce alias in ſcriptura ſacra ſuo nomine דריוש *Dariaueſch* adpelletur, adeoque nomine Ahasueri deſignari nequeat. Altera ſententia illorum eſt, qui Xerxem Eſtherae maritum faciunt, quos inter agmen ducit IOSEPH. IVSTVS SCALIGER, *de emendat. temp. lib. VI.* Ex voce namque Ahasuerus Oxyares facit, quod Xerxis nomen fuerit, priusquam ad imperium perueniret. Sic & nomen Amiſtris aut Ameſtris, vxoris Xerxis, חַם אֶסְתֵּר eſſe putat, quo pacto adpellata ſit, cum ad thalamum regis venit, cum antea Hadoſſah vocaretur. Xerxes autem, vt idem SCALIGER porro auctor eſt, anno imperii tertio omnes Perſidis & Mediae proceres conuiuio excepit, cuius occaſionem haud difficulter ex HERODOTO colligere liceat; expeditionem ſcilicet, quam in Graeciam moliebatur, de qua & omni eius adparatu bellico, cum ad proceres imperii retuliſſet, mox ſplendidiſſimo conuiuio dierum CLXX excepit. Addit porro, ad Xerxem ex Graecia reuerſum adductam fuiſſe Eſtheram menſe decimo, ſub finem ſeptimi anni regni; duodecimo vero anno, die decimo tertio menſis Adar, ſupplicium de Hamane ſumtum. Contra hancce SCALIGERI ſententiam diſputans DIONYSIVS PETAVIVS inter alia obſeruat, Ameſtrin non poſſe eandem cum Esthera cenſeri, ſiquidem ex ipſius SCALIGERI placitis hac de re ſit iudicandum, cum Ameſtris longe ante expeditionem in Graeciam Xerxi nupſerit, quod ex CTESIA atque HERODOTO demonſtrat, *de doctrina temp. lib. XV. cap. XXVII.* Accedit, quod de patre Ameſtris, itemque de ipſa Ameſtri, HERODOTVS talia tradat, quae in Eſtheram eiusque patrem non quadrant; de illo quidem, quod & ante expeditionem contra Graecos honoratiſſimus fuerit, Perſarum quippe agminis dux a Xerxe conſtitutus, de hac autem, quod impotentis animi femina, & longe crudeliſſima fuerit. Inauditae crudelitatis exemplum de ea refert HERODOTVS *lib. IX. cap. CXI.* Quae ab aliis pro eadem firmanda ſententia adferuntur, v. g. de amplitudine regni Perſici ſub Xerxe, ab India ad Aethiopiam vsque, HERODOTO diſerte memorata *lib. VII. cap. IX.* ita comparata ſunt, vt in alios etiam Perſarum reges quadrent. Faciunt nihilo ſecius cum SCALIGERO praeter SETHVM CALVISIVM, aliosque chronologorum, AEGIDIVS STRAVCHIVS, *breu. chron. pag. 815.* MICHAEL WALTHERVS, *offic. bibl. p. 960.* AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. III. loc. XXVII. p. 483.* Tertia denique ſententia hic commemoranda illorum eſt, qui Artaxerxem longimanum Eſtherae maritum fuiſſe,

 con-

contendunt. Praeeuntem hi ſibi habent FL. IOSEPHVM, *antiquitat. iudaic. lib. XI. cap. V.* SVLPICIVS SEVERVS, NICEPHORVS Conſtantinopolitanus, IAC. SALIANVS, ROB. BELLARMINVS, aliique plures ſequuntur; immo & DIONYSIVS PETAVIVS in eandem deſcendit ſententiam; *de doctrina temp. lib. XV. cap. XXVII.* Certe propenſiſſimo Artaxerxem in populum iudaicum fuiſſe animo, conſtat, adeo vt iis facultatem etiam reſtaurandi moenia vrbis Hieroſolymae, concederet; quod profecto non temere ab alio quodam Perſarum rege impetraſſent. Cuius eximii fauoris non pronior ratio reddi poteſt, quam quod vxorem ex Iudaeorum genere prognatam, in matrimonio habuerit. Nec de Ahaſuero quidquam in hiſtoria Eſtherae, traditur, quod non Artaxerxi huic conueniat. Per infelicem, quam pater eius Xerxes contra Graecos ſuſceperat, expeditionem, nondum ita imminutum erat Perſarum imperium, vt non centum & viginti ſeptem prouinciarum dominus eſſe potuerit. Differunt ſane nomina ארתחששתא *Artachſchaſta*, ſeu Artaxerxes, & אחשורוש *Ahaſuerus*. Sed quid obſtat, quo minus duo illi fuerint nomina? Repugnare equidem ſententiae huic videntur temporum rationes. Si enim Mardochai cum Iechonia in captiuitatem Babylonicam abductus fuit, quod *Eſth. I. 6.* dicitur, ſequitur, eum, ſi nonnullos audias, tempore Artaxerxis longimani, centum & quadraginta circiter annorum fuiſſe. Quod ſi alicui non adeo incredibile videatur, illi porro cogitandum, Eſtheram eo tempore ad minimum ſeptuaginta fuiſſe annorum; qua aetate tanta adhuc formae praeſtantia fuiſſe, vt omnes puellas ſuperaret, pauci forte ſibi perſuadebunt. Sed omnis ſtatim euaneſcet difficultas, ſi modo obſeruetur, quae *Eſth. II. 6.* de abductione in captiuitatem Babylonicam dicuntur, non de ipſo Mardochai, ſed de Kiſo proauo eius intelligenda eſſe. Quatuor autem aetates CXL annorum ſpatium non incommode implere, conſtat.

Atque ita praecipuas de hacce quaeſtione ſententias expoſuimus, additis rationibus, quibus quaelibet aut probari aut refutari ſolet, vt omnibus vnam ex his, quae prae ceteris placeat, eligere, integrum ſit. Mihi vltimam probabiliorem reliquis videri, diffiteri nequeo. Cetera, quae de Eſthera dici poſſunt, ex libro, quem de ea habemus, nota ſunt; & praeter alios pluribus etiam perſequitur IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, *introduct. ad libros hiſtor. vet. teſt. cap. XX. §. II. p. 352. ſeqq.* Exemplum ea pietatis & prudentiae ſingularis praebet, ſimulque ex eius fatis cqndiſcere licet, maximum diuinae prouidentiae opus eſſe, tollere ex puluere humiles, & in locum ſublimem euehere, probos Deique timentes inter grauiſſima pericula ſaluos incolumesque ſeruare, cunctaque ita diſponere, vt, quae impii contra homines pios machinantur, in illorum tandem, maximo cum eorum malo, recidant capita, vt omnes demum

mum Deum iuſtiſſimum mortalium iudicem, defenſoremque piorum fortiſſimum, agnoſcant.

*** Sirachides ob librum, qui ſub *eccleſiaſtici* titulo inter apocryphos non vltimum locum tenet, pleno nomine Ἰησοῦς υἱὸς Σειρὰχ, adpellatur, *Eccleſiaſt. cap. L. 29.* Patria eius ibidem indicatur, dum Ἱεροσολυμίτης vocatur. Eum librum antea memoratum lingua ebraea ſcripſiſſe, quem nepos eius in graecam transtulerit, ex prologo, libro huic praemiſſo, ſatis notum eſt. Atque hunc quidem libri huius interpretem itidem Ieſum filium Sirachi dictum fuiſſe, in altero illo prologo, qui ex ſynopſi ſcripturae, quae inter Athanaſii opera exſtat, depromtus, in Complutenſi editione libro Sirachidae praemittitur, adſeritut, idemque & EPIPHANIVS confirmat, *de menſur. & ponderib. cap. IV.* atque IOAN. DAMASCENVS, *de orthodoxa fide lib. IV. cap. XVIII.* Aliter vero ſentiunt, qui auum, eumque libri auctorem, eundem cum Ben-Sira, cuius frequens in talmude, itemque apud R. MOSEN MAIMONIDEM, aliosque ebraeae gentis doctores, mentio, eſſe, exiſtimant. In ſcholiis quippe ebraeis ad ſententias Ben-Sirae filius iſtius Ben-Sirae vocatut Vziel, quod adeo nomen eius fuetit, qui librum Sirachidae in linguam graecam tranſtulit. Sirachidem autem noſtrum, ſiue Ieſum filium Sirach, eundem cum Ben-Sira eſſe, vel inde nonnullis admodum fit veroſimile, quod effata pleraque Ben-Sirae, quae in talmude, aliisque ebraeorum ſcriptis adferuntur, in Sirachidae eccleſiaſtico exſtent, & magna pars ſententiarum ebraicarum, quae ſub Ben-Sirae nomine editae ſunt, in eodem eccleſiaſtico reperiatur. Adprobat ideo & hanc ſententiam calculo ſuo PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euang. part. I. prop. IV. p. 366.* in quam & ipſe ingreſſus ſum in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 78.* Non deeſſe tamen, quae opponi queant, patet ex iis, quae hac de re diſſerit IO. ALB. FABRICIVS, *prolegom. in eccleſiaſticum* §. *VIII. p. 357.* Quod vero Syrus interpres Ieſum huncce vocet בר שמעין אסירא *filium Simeonis Aſiro*, inde forte factum, idem, quem laudauimus, HVETIVS, *l. c.* exiſtimat, quod Simonem Oniae filium, & Sirachum patrem Ieſu, quorum praeconia in eodem exſtant capite, perperam confuderit. Tempus, quo Ieſus Sirachi filius vixerit, ex eo colligitur, quod inter viros virtute ac ſapientia praeſtantes vltimo loco Simonem ſummum ſacerdotem, Oniae filium, celebret, *cap. L. 1.* Atque ita recte quidem IVL. AFRICANVS, EVSEBIVS, HIERONYMVS, aliique cenſent. Sed in eo nonnulli aberrant, quod iuniorem illum Simonem intelligunt, ſiue ſecundum huius nominis inter pontifices, cum tamen citra controuerſiam Simon, qui ptimus huius nominis fuit, & Eleazarum fratrem in pontificatu ſucceſſorem habuit, intelligendus ſit. Conferenda, quae ad *ſect. praeced.* §. *V.* de hocce Simone diximus. Hinc vero probabile admodum

modum redditur, Ieſum Sirachi filium, eo tempore, quo Eleazarus, Simonis I frater, pontificatu functus eſt, vixiſſe, qua quidem aetate Ptolomaeum philadelphum ſummam rerum in Aegypto tenuiſſe, conſtat; certe epiſtola Ptolomaei philadelphi, qua viros quosdam idoneos ad ſcripturam ſacram in linguam graecam transferendam expetiiſſe dicitur, ad Eleazarum hunc ſcripta fuit, ſi FL. IOSEPHO credimus, *antiquitat. iudaic. lib. XII. cap. II.* Immo cum inter LXX interpretes, ab ARISTEA duo nomine Ieſu commemorentur, non deſunt, qui alterutrum, Ieſum Sirachi filium fuiſſe, contendunt. Sed quantum hic ARISTEAE relationi tribuendum ſit, ex iis, quae in ſequentibus dicentur, patebit. Nepos Ieſu Sirachidae, qui librum huncce in graecum ſermonem tranſtulit, ſub Ptolomaeo euergete ſe vixiſſe, diſerte teſtatur. In Aegyptum enim ſe veniſſe, ait, ἐν τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ τοῦ εὐεργέτου βασιλέως, *in octauo & tricesimo anno, temporibus Ptolomaei euergetis.* Vbi quidem nonnulli per Ptolomaeum euergetem, eum, qui ſecundus huius nominis fuit, alias phyſcon dictus, fratrem Ptolomaei philometoris intelligunt, ſed rectius mea opinione alii de Ptolomaeo euergete primo, filio & ſucceſſore Ptolomaei philadelphi, capiunt. Temporum enim ita melius conueniunt rationes. Auo enim ſub philadelpho viuente, nepos omnino ſub euergete, eius ſucceſſore, in Aegyptum deſcendere potuit, cum ſi de euergete II hoc capiatur, nepotis nimis ab auo remota fuerit aetas. Nec obſtat, quod octauo & trigeſimo anno ſe in Aegyptum veniſſe dicat, cum euergetes primus annos tantum XXVI regnauerit. Non enim de regis Aegyptii, ſed de ſuae aetatis annis Sirachidae nepotem loqui, iam dudum viris doctis obſeruatum eſt. Reliqua, quae de Sirachide dici poterant, iam occupauit IO. ALB. FABRICIVS, tum *in prolegomenis in eccleſiaſticum*, antea laudatis, tum *biblioth. graec. lib. III. c. XXIX. p. 727. ſeqq.*

* Praecipua equidem, quae de ſummis huius aetatis ſacerdotibus obſeruatu digna occurrunt, iam attigimus. Nunc illorum ſucceſſionem ſummatim ſaltem indicare, & quae circa eam occurrunt, dubia, paucis expedire iuuat. De iis, qui poſt ſolutam captiuitatem Babylonicam vsque ad Alexandri magni tempora ſacro hocce munere functi ſunt, Ioſua, Ioachimo, Eliaſib, Ioiada ſeu Iuda, Ionathane ſeu Ioanne, & Iaddua ſeu Iaddo, nulla eſt controuerſia. Dictum & de hiſce ad §. *IV.* Iaddum excepit Onias, filius eius, & huncce Simon cognomento iuſtus, Oniae filius, de quibus ad §. *V.* verba fecimus. Simonem iuſtum ſecundum FL. IOSEPHVM, *antiquitat. iudaic. lib. XII. cap. II.* excepit frater Eleazar, eo quod Onias Simonis iuſti filius adhuc paruulus eſſet. Sed alia nobis narrant doctores talmudici. Simonis enim iuſti duos fuiſſe filios aiunt, Semaiam & Oniam; ex quibus Onias, etſi iunior, a pa-

a patre ſucceſſor fuerit deſtinatus, vtpote ſummo iſti muneri magis idoneus; repulſum autem a fratre & populo fugiſſe in Aegyptum, ibique templum (de quo in ſequentibus verba faciemus) exſtruxiſſe; vt adeo Semaiah ſacerdotium obtinuerit. At ſecundum IOSEPHVM, qui templum Heliopolitanum in Aegypto exſtruxit, Onias, Oniae tertii fuit filius; *antiquit. iudaic. lib. XIII. cap. VI.* add. IO. SELDENVS, *de ſucceſſione in pontif. lib. I. cap. VIII.* Et huius quidem potiores mihi hic rationes eſſe videntur, quam reliquorum Ebraeorum. Cauſſae enim, ob quas Onias in Aegyptum fugiſſe, animumque ad templum ibi exſtruendum adieciſſe dicitur, aptius ſecundum IOSEPHVM, quam ſecundum talmudicos doctores cohaerent, & Iudaeorum, qui eo tempore fuit, ſtatui magis reſpondent. Non ſatis equidem ſibi conſtare videtur IOSEPHVS, cum alibi, de *bello iudaico lib. VII. cap. XXX.* Oniam, qui templum Heliopolitanum exſtruxit, Simonis filium vocat, quod IO. SELDENO obſeruatum *l. c. p. 148.* Sed pro IOSEPHO facit, quod Oniam huncce non Simonis iuſti, ſed tantum Simonis, ſecundi ſcilicet, qui pater fuit Oniae III, Iaſonis, & Menelai, filium vocet; per filium autem cum haud dubie nepotem intellexerit, optime hac in re ſibi conſtat. Eleazarum vnanimi IOSEPHI, EVSEBII, NICEPHORI, aliorumque, conſenſu excepit Manaſſes, Eleazari patruus. Quod mirum alicui videri poſſit, cum Onias, Simonis iuſti filius, eo tempore non amplius minorennis eſſe potuit, ſiquidem Eleazari pontificatui ad minimum triginta tribuantur anni. Forte Manaſſes, Oniae propatruus, dignitatem illam per vim ad ſe rapuit, quae Oniae debebatur; conf. IO. SELDENVS, de *ſucceſſione in pontif. lib. I. cap. VI. p. 136.* Tandem itaque poſt Manaſſes mortem ſacerdotalis dignitas ad Oniam II Simonis iuſti filium peruenit, de quo ad §. *V.* dictum, hunc autem filius Simon II excepit, cuius ad §. *VI.* facta eſt mentio. Simonis huius II tres itidem, ſecundum FL. IOSEPHVM fuere filii, qui & omnes ad ſummum ſacerdotium peruenerunt, Onias III, Iaſon, & Menelaus. At Menelaus non huius Simonis, ſed alterius Beniaminitae filius fuiſſe *II. Maccab. IV. 23.* dicitur, qua de re iam ſupra ad §. *VII.* diſceptauimus. Poſt Menelaum nonnulli Lyſimachum fratrem eius ponunt; quem tamen FL. IOSEPHVS, NICEPHORVS, aliique omittunt. Et videtur ſane ad tempus ſaltem ſacerdotii ſummi adminiſtratio illi demandata, vti ad §. *VII.* diximus. Tum demum ad Alcimum, peſſimum mortalium, ſacerdotalis dignitas peruenit, poſt quem ad Maccabaicam gentem tranſiit, vt infra pluribus perſequemur. De Onia quoque, Oniae III filio, qui in Aegyptum fugit, templumque Heliopolitanum ibi exſtruxit, in ſequentibus exponemus ex inſtituto.

Digitized by Google

§. IX.

Religio eadem, quae in prioribus interuallis verae eccleſiae Iſraeliticae fuit, per ſcripta Moſis & prophetarum propagata, & a diuinis vatibus, qui hac aetate floruerunt, luculentius adhuc, praeſertim, qua caput eius praecipuum de Meſſia, eiusque regno, cuius propius iam adpropinquabat tempus, explicata.* Immo per nouas Iudaeorum diſperſiones, gentilibus, vt ad veritatis agnitionem peruenirent, non vna ſuppeditata eſt occaſio.**

* Doctrinae diuinitus reuelatae, cui vera religio innititur, quaeue in gente Iſraelitica conſeruata ſemper ac propagata fuit, luculentiſſima in huius quoque interualli ſcriptis exſtant veſtigia. Ipſius ſacroſanctae trinitatis, quod pie veneramur, myſterium, haud obſcure in verbis *Hagg. II. 4. 5.* contineri, nonnullis obſeruatum eſt; conf. HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacr. part. I. lib. I. cap. XX. p. 279.* Quae de ſcriptura ſacra, de Deo in eſſentia vno & trino in perſonis, ſcitu credituque neceſſaria ſunt, luculenter a Zacharia vate tradi, oſtendit ex inſtituto, magni quondam inter noſtros nominis theologus, IO. GEORGIVS DORSCHEVS, in *theologiae Zacharianae ſynopſi* parte altera; idemque de reliquis theologiae capitibus oſtenſurus erat, niſi fata obſtitiſſent. Status irae & damnationis, in quo homines omnes per lapſum primorum parentum verſantur, & ex quo per *ſanguinem federis*, dimittendi ſunt, ἐμφατικῶς *Zach. IX. 11.* deſcribitur, per *locum aquis carentem.* Nec tamen de purgatorio, quale Romanenſes fingunt, hic cogitandum, vt IO. GEORGIVS DORSCHEVS, *theolog. Zach. ſynopſi part. II. cap. VII. §. LXXXV. ſeqq.* MARTINVS CHEMNITIVS, in *exam. concil. trident. part. III. p. 117.* DANIEL CHAMIERVS, *panſtrat. cathol. tom. I. lib. V. c. VIII. pag. 117.* aliique, pridem, demonſtrarunt. Reſurrectionis mortuorum luculentiſſimum elegantiſſimumque exſtat teſtimonium *II. Maccab. VII. 9.* Qui liber licet apocryphus ſit, nec canonica polleat auctoritate, recte tamen ex eo, quae Iudaeorum, patriae religioni addictorum, eo tempore fuerit fides, condiſcimus; conf. & *II. Maccab. XIV. 46.* it. *Sap. V. 6.*

Cumprimis & de Meſſia, cuius notitia caput velut, ſummamque verae religionis Iſraeliticae conſtituit, egregia in ſcriptis huius interualli exſtant teſtimonia. Per *ſeruum* enim, qui צמח *germen* futurus eſſet, ob originem ex ſemine Dauidis ita dictum, & quod fertilitatem in rebus ſpiritualibus ſecum adducturus, incrementaque laetiſſima omnibus largiturus eſſet, *Zach. III. 8.* & *VI. 12.* memoratum, non alium, quam Meſſiam, intelligendum eſſe, & res ipſa docet, & contra Iudaeos, quibuscum & HVGO GROTIVS facit, Zorobabelem hic intempeſtiue ingerentes, viri docti ſolide euincunt; conf.

conf. ABR. CALOVIVS, ad *h. l.* itemque PETRVS GALATINVS, de *arcan. cathol. verit. lib. V. cap. X.* & PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. VII. p. 585.* Nec praetermittendum illuſtre vaticinium, *Zach. IX. 9. exſulta filia Zion, iubila filia Ieruſalem: ecce! rex tuus aduenit tibi iuſtus* ונושע *& ſaluificus, ille pauper, atque inequitans aſinae, & pullo aſinae.* Cui quidem quam adcurate in Ieſu Nazareno, ſeruatore noſtro, euentus reſponderit, ex euangeliſtarum *Matth. XXI. 5.* & *Ioannis III. 15.* teſtimoniis conſtat. De Meſſia autem prophetae ſermonem eſſe, ex re ipſa quoque adeo manifeſtum eſt, vt nec praeſtantiſſimi Iudaeorum hoc diffiteri auſi ſint, quorum nomina laudat PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. VII. p. m. 586.* Et ſane ſi quis cum HVGONE GROTIO Zorobabelem, aut cum quibusdam Iudaeorum, Alexandrum magnum, aut cum aliis, Iudam Maccabaeum intelligere velit, illi oſtendendum, non tantum, quo iure quisque horum ſaluator, ſimulque pauper dicatur, ſed &, quando aſina vectus, pullo ſubſequente, moenia vrbis Hieroſolymae ſubierit; conf. D. GOTTFRIDI OLEARII *obſeruationes ſacrae in Matthaeum, obſeruat. LXIII. p. 554. ſeqq.* Nec eſt, quod quemquam vox נושע moretur, quam nonnulli paſſiue, per *ſaluatum* exponunt, indeque in Meſſiam hoc non quadrare, colligunt, qui venire debeat, vt alios ſaluet, non autem vt ſaluetur ipſe; quod ex Ebraeorum gente praeter alios R. ISAAC vrget, in *chiſſuk emuna* apud IO. CHRISTOPHORVM WAGENSEILIVM, in *telis ignitis Satanae, p. 293. ſeqq.* Non enim pro verbo, ſed pro nomine vocem hanc habendam, viris doctis obſeruatum eſt, cum & aliud nomen צדיק praecedat, & nomina formae illius non inuſitata ſint. Immo ſi & pro verbo habeatur, aut pro participio, formam niphal non paſſiuam ſaltem, ſed & reciprocam ſignificationem habere, notum eſt; conf. IO. TARNOVIVS ad *h. l.* Occurrunt apud Zachariam & alia teſtimonia; ex quibus & illud vel maxime memoratu dignum exiſtimamus, quo triginta argenteorum pretium, quod Iudas proditor accepit, tam determinate memorat, *cap. XI. 13.* De alio enim quopiam, quam de Meſſia, verba haecce capi non poſſe, non tantum euentus, adcuratiſſime vaticinio reſpondens, docuit, *Matth. XXVII. 9.* ſed ex toto ſermone prophetae longe eſt manifeſtiſſimum. Legenda, quae contra HVGONEM GROTIVM, mirum in modum hocce oraculum peruertentem, diſputat ABR. CALOVIVS ad *h. l.* Quae vero circa allegationem eius *Matth. XXVII. 9.* occurrunt dubia, ab aliis expediuntur; conf. D. CASP. SAGITTARII *harmonia hiſtoriae paſſionis Chriſti, part. II. cap. VII. §. LXVIII. ſeqq. p. 464. ſeqq.* Quemadmodum autem pretium proditionis, quod Iudas accepit, tam adcurate definiuit Zacharias, ita non minus luculenta ſunt, quae de adſcenſione Chriſti in coelum idem vaticinatur: *Et*

 ſtabunt

ſtabunt pedes eius in die illa ſuper montem oliuarum, qui eſt e regione Ieruſalem ab oriente, & ſcindetur mons oliuarum a dimidia parte ſui, verſus orientem, & occidentem vallis magna valde, & diſcedet dimidia pars montis ad aquilonem & dimidia pars eius ad meridiem; & fugietis vallem montium; XIV. 4. 5. Quaecunque ſane in hocce oraculo dicuntur, aptiſſime in Chriſtum eiusque adſcenſionem in coelum quadrant, quod praeter alios nuper recte oſtendit, qui & varia ſimul ad locum huncce illuſtrandum diligenter congeſſit, vir doctiſſimus SAL. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacr. part. III. obſeruat. XXII. p. 156. ſeqq.* De cultu Numinis ſpirituali per orbem vniuerſum a Meſſia excitando, elegantiſſimum exſtat Malachiae vaticinium *cap. I. 11.* quod a Romanenſibus perperam ad ſacrificium, quod vocant, miſſae trahi, tum ab aliis oſtenſum eſt, tum a me ipſo, in *diſſert. de origine miſſae pontificiae* §. *XLI. ſeqq.* in *ſyntagm. diſſertation. theolog. p. 70. ſeqq.* Sed de Ioanne quoque baptiſta, Chriſti praecurſore, ipſoque Chriſto, quem *angelum federis*, nomine illi prorſus conueniente, vocat, praeclare idem vates Malachias loquitur, *cap. III. 1.* conf. IO. TARNOVIVS ad *h. l.* & IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, *tel. ignit. Sat. p. 163.* Immo & *cap. IV. 2.* per שמש צרקה *ſolem iuſtitiae, ſub cuius alis ſit ſalus*, Meſſiam deſignat; quod eius oraculum itidem eleganter illuſtrat, quem iam laudauimus, vir clariſſimus, SAL. DEYLINGIVS *l. c. obſeruat. XXIV. pag. 170. ſeqq.* Circa finem autem eiusdem capitis, de Ioanne rurſus, Meſſiae praecurſore, ea praedicit, quae euentu adcuratiſſime ſunt comprobata; conf. *Matth. XVII. 10. Marc. IX. 11.*

Vltimo tandem loco commemoramus, quod inter illuſtria de Chriſto oracula vel primum occupare poterat, & ad Iudaeorum conuincendam incredulitatem vel maxime aptum eſt, Haggaei illud de gloria templi ſecundi *cap. II. 10.* Diſerte enim diuinus vates, domus ſeu templi poſterioris gloriam maiorem fore, quam prioris, pronuntiat. Cum vero qua opulentiam, ſtructuraeque elegantiam, poſterius templum priori ſeu Salomoneo multum ceſſerit, quod vel ipſius Haggaei teſtimonio conſtat: *Quis eſt ex vobis derelictus, qui viderit domum iſtam in gloria ſua prima? & qualem vos videtis eam nunc? nonne eſt quaſi* NIHIL *in oculis veſtris? cap. II. 4.* & ipſimet Iudaei fateantur, vt deinceps pluribus ediſſeremus, quae priori templo maximum conciliabant decus, vrim & thummim, ſpiritum ſanctum, ſeu prophetiae, ignem coeleſtem, gratioſam Dei praeſentiam, & arcam federis cum propitiatorio & cherubim, in poſteriori defuiſſe; certe vix aliud quid cogitari poterit, quod poſterius templum glorioſius reddiderit priori, quam praeſentia Meſſiae. Quod enim nonnulli ex Ebraeorum gente, vt R. LIPPMANN in *nizzachon num. CCLX.* aliique obuertunt, maiorem templi ſecundi gloriam fuiſſe ratione duratio-

nis,

nis, ſiquidem annis cccc xx ſteterit, cum prius tantum cccc x annis durauerit, oppido ludicrum eſt. Plane ac ſi decem annorum amplior duratio res adeo glorioſa ſit, vt tam inſigni & illuſtri oraculo fuerit ſignificanda. Fuit equidem & poſterius templum poſt inſignes, praeſertim quas ab Herode accepit, acceſſiones, longe ſplendidiſſimum, vt non ſine ratione ipſi ſeruatoris diſcipuli eius ſtructuram fuerint admirati, *Matth. XXIV. 1.* ipſique c. CORNELIO TACITO *immenſae opulentiae templum* dicatur, *hiſtoriar. lib. V. cap. VIII.* cum Salomoneo tamen id neutiquam comparandum fuiſſe, nec cordatiores inter ipſos Iudaeos negare audent. Varia itaque ad telum, quod inde in illos torquetur, declinandum, quaerunt diuerticula. Qui prae reliquis ſibi ſapere videntur, ex muneribus a regibus exteris Hieroſolymam miſſis, templi ſecundi maiorem arceſſunt gloriam; cum eiusmodi quid in templo priori non contigerit. Vrget hoc cumprimis R. AZARIAS in מאור עינים *part. III. cap. LI.* rem valde exaggerans, & Darii, Arthaſaſtae, Alexandri magni, aliorumque regum nomina magnifice commemorans, qui ſuam erga templum Hieroſolymitanum demonſtrauerint munificentiam. Pari ratione MENASSEH BEN ISRAEL, cum & alias quasdam, cur templi ſecundi maior, quam primi, gloria dici queat, cauſſas attuliſſet, *praeterea,* inquit. *ob ſingularia munera, quibus ab exteris principibus dotatum fuit, in maiori fuit exiſtimatione. Nam Darius & Artaxerxes multa munera ad extructionem templi & diuina ſacrificia liberaliter contulerunt. Alexander magnus omni honore proſecutus eſt ſummum ſacerdotem, petiitque ab eo, vt ſuo nomine Deo ſacrificare vellet. Quis ignorat, de Ptolomaeo philadelpho, quantis beneficiis adfecerit templum? Et Antiochus, Graecorum rex, publico edicto vetuit, ne quis extraneus intraret templum, & profanaret locum, quem religioni & diuino culini conſecrarunt Ebraei. Similiter factitatum eſt a Demetrio. Huc etiam illud pertinet, quod contendentibus Hieroſolymitanis & Samaritanis coram Alexandro magno de templi bonore ac dignitate, Hieroſolymitanus ſacerdos, pro ſua cauſſa inter alia dixerit, hoc templum ab omnibus Aſiae regibus magna ſemper in veneratione habitum, & variis ac ſplendidis muneribus ditatum eſſe, &c. de termino vitae, lib. III. ſect. IV. §. XI. p. 151. ſeqq.* Liquet ſane inde, quam ſollicite Iudaei cuncta conquirant, vt maiorem ſecundi templi gloriam fuiſſe, euincant. Nec multum tamen hiſce omnibus ad rei ſummam proficiunt. Non inquiram nunc, qua cuncta dicantur fide, quantumque FLAV. IOSEPHO, ex quo nonnulla deprompta ſunt, hic ſit tribuendum. Nullam eum occaſionem exaggerandi, quae genti ſuae honorifica ſunt, commentis etiam ea augendi, praetermittere, ſatis notum eſt. Eſto, vera ſint, quae Iudaei hac de re dicunt, nihil tamen obtinent. Quantumuis enim magna fuerint,

 quibus

quibus exteri reges principesque templum ſecundum dotarunt, munera, ea tamen cum opulentia & diuitiis templi Salomonei comparanda eſſe, non temere quisquam dixerit. Quod ſi regeras, ex muneribus tamen illis colligi poſſe, templum poſterius in magna apud exteros principes fuiſſe veneratione, quod de priori dici nequeat, idque praecipuum eſſe, quod vrgeat MENASSEH BEN ISRAEL; ſciendum, etſi apud quosdam templum poſterius in veneratione quadam fuerit, non minus tamen exſtitiſſe, qui illud adeo contemtim habuerunt, vt ſpoliare etiam atque profanare non dubitarent. Quid Ptolomaeus philopator tentauerit, ex ſupra dictis & *III. Maccab. cap. I. & II.* conſtat. Non minus, quid Seleucus per Heliodorum auſus ſit, ex *II. Maccab. III. 23. ſeqq.* notum eſt. Quibus licet conatus iſte male ceſſerit, palam tamen inde eſt, non adeo magnam iſtorum regum erga templum Hieroſolymitanum fuiſſe venerationem. Quod autem reliqui fruſtra tentauerunt, id ex voto tandem peregit Antiochus epiphanes, *I. Maccab. I. 57. II. Maccab. V. 16.* Atque eo etiam tempore cultus externus Numinis prorſus ceſſauit, & quidem per annos tres & ſex menſes, vt FLAV. IOSEPHVS auctor eſt, de *bello iud. lib. I. cap. I.* qui & *lib. XII. antiquit. iudaic. cap. VII.* teſtatur, integro triennio poſt factam ab Antiocho profanationem templum deſertum fuiſſe. Quo ipſo & R. LIPPMANNI commentum in *nizzachon. num.* CCLX refellitur, praerogatiuam templi poſterioris in eo quaerentis, quod in illo cultus Numinis nunquam per integrum annum ceſſauerit, quod tamen per multos annos quandoque contigerit in templo priori.

Atque haec omnia ita comparata ſunt, vt nonnulli ex ipſis Iudaeis futilitatem iſtarum rationum agnoscant, quibus maior templi poſterioris prae priori gloria adſtruitur, adeoque non de ſecundo, ſed de tertio templo, quod adhuc exſpectant, oraculum hocce intelligendum cenſent; quos inter & R. ISAAC ABARBANEL eſt, ad *h. l.* Cuius quidem ſententiae ſuae vt R. MENASSEH BEN ISRAEL etiam *l. c. pag. 151.* nos condocet, duas cumprimis adferunt rationes, primo, quod templum, de quo propheta loquitur, dicatur בית האחרון *domus vltima. Si intelligeretur de templo Eſdrae*, (ita apud MENASSEH BEN ISRAEL ratiocinantur) *propheta dicturus fuiſſet, domus ſecunda, non vltima. Quia vltimam dicit, eo indicat, aliquid intermedium fuiſſe.* Deinde & hoc illos mouet, quod *v. 10.* dicatur: *& in illo loco dabo pacem*; cum tamen ſub templo ſecundo omnia bello fuerint turbata. Sed friuola haec plane ſunt, & ingenio rabbinico digna. De illo enim templo, quod Iudaei eo tempore, quo Haggaeus oraculum hocce edidit, adſpiciebant, ſimulque, quod prioris longe maior praeſtantia fuiſſet, deflebant, ſermonem eſſe, ex ipſis diuini vatis verbis *v. 8. & 10.* luculenter patet. Quod vero R. ISAAC ABARBANEL vi-

vrget τὸ ראשון & אחרון nullo modo dici poſſe de rebus binis, ſed tantum de rebus tribus vel pluribus vſurpari, falſiſſimum eſt, contrariumque vel ex *Ierem. L. 17.* adparet. Et ſane, cum duo tantum templa futura fuerint, non video, cur propheta alterum non potuerit vocare vltimum; aeque ac ſi duo tantum in gente quadam fuerint reges, ſecundus recte etiam vltimus dicitur. Ad alterum quod attinet, multa quidem, grauiſſimaque ſub templo ſecundo fuere bella, ſed propheta loquitur de pace, quae futura eſſet eo tempore, cum venturus eſſet Meſſias, & de pace quidem ſpirituali, quae quo ſublimior atque excelſior eſt, eo minus ab ingenio rabbinico capi poteſt. An eo tempore, quo ſeruator noſter natus eſt, pax per orbem vniuerſum fuerit, nunc non diſceptabimus. Dictum hac de re alibi, in commentatione de *principe pacis*, quae in *meditationibus* meis *ſacris* exſtat, *pag. 91. ſeqq.* Vnicum adhuc ſupereſt, quod negotium alicui faceſſere poſſet, an templum illud, ſub quo natus ſeruator eſt, reuera idem ſit, quod Zorobabel exſtruxit, & de quo Haggaeus loquitur. Dubitandi rationem FL. IOSEPHVS praebet, de Herode referens, nouum eum exſtruxiſſe templum, vetere a fundamentis diruto. Ita ſane nonnulli mentem IOSEPHI capiunt; quos inter & IO. HARDVINVS eſt, id agens, vt ex hoc etiam capite eum cum veritate hiſtorica committat, de *nummis Herodiadum, operum* iunctim editorum, *p. 336.* At nihil aliud IOSEPHVM dicere, quam, Herodem ſtructuram interioris templi, quod proprie היכל dicebatur, altius extuliſſe, & reliqua templi auxiſſe ornamenta, aliis iam obſeruatum eſt. Ad noſtram de gloria templi ſecundi, in praeſentia Meſſiae quaerenda, confirmandam ſententiam praeter hactenus adlata, & hoc addi poterat, ex magnifico illo de commotione coeli & terrae, & tot prodigiis exordio, totoque contextu, euidentiſſime patere, de Meſſiae aduentu prophetae ſermonem eſſe. Nec praetermittendum erat, illuſtre illud Malachiae vaticinium *cap. III. 1.* Haggaei oraculo prorſus conſentaneum, idque mirifice illuſtrans & confirmans: *& ſtatim veniet ad templum ſuum dominus, quem vos quaeritis, & angelus federis, quem deſideratis.* Aperte enim hic indicatur, quis ille ſit, qui poſterioris templi gloriam ampliorem redditurus ſit, prae gloria prioris. Meſſias ſcilicet, quem & *Haggaeus cap. II. v. 8.* eadem prorſus ratione, ac hic Malachias, per חמרת הגוים *deſiderium gentium*, deſignat. Sed haec & reliqua, quae addi poterant, ab aliis iam expoſita luculentiſſime ſunt, iis praeſertim, qui hocce oraculo ad Iudaeorum conuincendam incredulitatem vtuntur, quod & RAYMVNDVS MARTINI facit, in *pugione fidei, part. II. cap. IX.* & PETRVS GALATINVS, de *arcan. cathol. veritat. lib. IV. cap. XI & lib. V. cap. X*, aliique longe plurimi.

** Sin-

** Singularis merito hic agnoſcenda Numinis prouidentia, qua factum, vt diſperſis hinc inde Iudaeis, fama ſimul de Meſsia, quem exſpectabant, longe lateque propagaretur, & ita gentes quam plurimae ad doctrinam euangelii recipiendam praepararentur. Multi equidem Iudaeorum cum *Zorobabele* & Esra Babylone egreſsi, in patrias reuerſi ſunt ſedes, ſed longe plurimos ibidem remanſiſſe, conſtat. Hinc & nota apud Iudaeos diſtinctio inter אנשי בבל *viros Babyloniae*, & אנשי ארץ ישראל *viros terrae Iſraelis*. Quos inter & magna ſemper manſit conſenſio, eo quod Iudaei Babylonici in patria lege cuſtodienda eſſent conſtantiſſimi, & a nouo templo condendo ſibi temperarent, ſecus ac ab Aegyptienſibus factum, vt poſtea dicemus. Immo ſynagogae deinceps in Babylonia exſtiterunt celebres, virique inter Iudaeos doctrinae & ſapientiae laude florentisſimi. Quodſi PHILONI iudaeo credimus, in tantum ibi excreuere numerum, vt maximam tandem Babyloniae partem poſſiderent. Πᾶσαι γὰρ, inquit, ἔξω μέρους βραχέος Βαβυλῶνος καὶ τῶν ἄλλων σατραπειῶν αἳ ἀρετῶσαν ἔχουσι τὴν ἐν κύκλῳ γῆν Ἰουδαίους ἔχουσιν οἰκήτορας· *Excepta enim parua parte Babylonis & aliarum, praefecturarum, omnes vrbes, quae bonum agrum habent, a Iudaeis incoluntur; de legat. ad Caium p. m. 1032.* Vlterius deinceps progreſſi, per Mediam, Perſiam, aliasque orientis regiones ſe diffuderunt, in quibus haud dubie plurimi etiam ex decem tribuum Iſraelitis ſuperſtites remanſerant. Hinc & inter Iudaeos peregrinos, qui Hieroſolymam venerant, *Act. II. 9.* recenſentur Parthi, Medi, & Elamitae. Seleucum porro nicatorem, Aſiae regem, in vrbibus a ſe per Aſiam & inferiorem Syriam conditis, immo in ipſa metropoli Antiochia ius ciuitatis Iudaeis dediſſe, voluiſſeque, vt pari ibi cum Macedonibus & Graecis conditione degerent, plurimosque adeo induxiſſe, vt in haecce loca ſe conferrent, auctor eſt FLAV. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XII. cap. III. pag. 398.* & ſupra quoque ad §. *V.* a me eſt obſeruatum. Cumprimis autem longe maxima Iudaeorum multitudo variis occaſionibus in Aegyptum venit, & hinc per Lybiam, Cyrenen, aliasque regiones fuit diſperſa. Plurimos Alexandri magni humanitate inductos, eum in Aegyptum ſecutos, FLAV. IOSEPHVS auctor eſt, *antiquit. iud. lib. XI. cap. vlt. & lib. XII. cap. I.* Cumprimis vero Alexandriam conceſſerunt quam plurimi, eo quod vrbis conditor Alexander aequali cum Macedonibus iure eos in hacce vrbe frui vellet. Cumque litterarum ſtudia egregie ibi effloreſcerent, iisque & ex Iudaeis quidam imbuerentur, magna hinc Alexandrinorum Iudaeorum celebritas. Ptolomaeus deinceps, Lagi filius, qui ex Alexandri ducibus Aegyptum ſibi vindicauit, infenſo quidem initio erga Iudaeos fuit animo, plurimosque eorum

rum captiuos in Aegyptum abduxit; ſed mutata deinceps mente, ſi FLAV. IOSEPHO credimus, *antiquit. iud. lib. XII. cap. I.* magnam erga hanc gentem demonſtrauit beneuolentiam ac liberalitatem; qua inducti plurimi ſponte ſua in Aegyptum commigrarunt. Non ſatis tamen hanc IOSEPHI narrationem cum pſeudo-ARISTEA conuenire, ſupra ad §. V. monuimus. Si vera ſunt, quae de ſingulari Ptolomaei philadelphi erga Iudaeos beneuolentia, cum pſeudo-ARISTEA, tradit FLAV. IOSEPHVS, *contra Apion. lib. II.* nullum videtur dubium, quin ſub hocce etiam rege Iudaeorum Aegyptum incolentium numerus egregie auctus ſit. Confirmat, quae hactenus de Iudaeorum per varias orbis partes diſperſione diximus, PHILO, multitudinem ſimul illorum valde exaggerans. De Petronio enim verba faciens, rem difficilem eſſe, ſecum reputante, Iudaeos adgredi, ἔννοιά τε αὐτὸν εἰσῄει, inquit, τοῦ ἔθνους, ὅσον ἐστὶν ἐν πολυανθρωπίᾳ, ὅπερ οὐκ ἐξεδέξατο καθάπερ τῶν ἄλλων ἕκαστον μιᾶς χώρας τῆς ἀποκεκληρωμένης αὐτῷ μόνῳ περίβολος, ἀλλ' ὀλίγου δέω φάναι πᾶσα ἡ οἰκουμένη· κέχυται γὰρ ἀνά τε τὰς ἐπείρους καὶ νήσους ἁπάσας, ὡς τῶν αὐθιγενῶν μὴ πολλῷ τινι δοκεῖν ἐλαττοῦσθαι· *illud quoque cogitabat, quam populoſa eſſet haec natio, non vt aliae comprehenſa vnius regionis ſpatio, ſed totum pene orbem paſſim incolens; diffuſa eſt enim per continentis prouincias omnes atque inſulas, adeo vt non multo pauciores ſint indigenis; de legat. ad Caium pag. 1023.* Alibi idem Hieroſolymam metropolin eſſe dicit, non vnius regionis Iudaeae, ſed & multarum, propter colonias inde deductas, vel propius in finitimam Aegyptum, Phoenicem, Syriam, tum reliquam, tum eam, quae Coele cognominatur, vel longius in Pamphyliam, Ciliciam, pleraſque Aſiae partes vsque Bithyniam & Ponti ſinus intimos; pari modo in Europa Theſſaliam, Boeotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atticam, Argos, Corinthumque, Peloponneſi partes praecipuas; nec tantum continentis prouincias plenas eſſe coloniis iudaicis, ſed & inſularum celeberrimas, Euboeam, Cyprum, Cretam, *&c. l. c. p. 1031.* Legenda & quae de Iudaeorum diſperſione diſſerit MELCHIOR LEIDECKERVS, *de republ. Ebr. tom. II. lib. IX. cap. I. & IV. pag. 618. ſeqq.*

§. X.

Cultus Numinis externus, templo reſtaurato, ſecundum legis Moſaicae praeſcriptum inſtitutus fuit; * ad tempus vero iterum ceſſauit, templo ab Antiocho epiphane profanato. ** Templum praeterea diuitiis & ſplendore Salomoneum minime aequauit, variaque, vel ipſis fatentibus Iudaeis, in eo defuerunt, quae Salomo-

fffff neo

neo maximum conciliabant decus. *** Synagogarum quoque origo ad haecce videtur referenda tempora, * quarum inſtitutione effectum, vt populus de rebus diuinis adcuratius informatus, idololatriam, aliaque vitia grauiora, facilius euitaret. **

* Reſtitutus publicus Numinis cultus fuit, primo quidem in *rerum ſacrarum adminiſtris*, ſacerdote ſummo, ſacerdotibus, Leuitis, quibus & nethinaei acceſſere. Ad ſummos ſacerdotes quod attinet, licet illi in hocce temporis interuallo interdum ſimul reipublicae curam geſſerint, inde tamen non colligendum, proprium hoc eorum fuiſſe officium, aut qua ſacerdotes ſummos hoc eos feciſſe. Dicetur hac de re in ſequentibus. Caruit autem ſummus ſacerdos in templo ſecundo non tantum inſigni oraculo per vrim & thummim, ſed & vnctio omiſſa fuit, eo quod oleum vnctionis deeſſet, adeoque inauguratio tum lotione, veſtium induitione & ſacrificio peragebatur, vocabaturque מרובה בגדים cum antea מרובה משיחה audiret, vt ſupra iam ad *per. II. ſect. I. p. 555.* obſeruatum eſt. Pectorale tamen ſub templo ſecundo fecerunt, ne ſacerdos magnus מחוסר בגדים *defectus veſtibus* dici poſſet, vt auctor eſt MAIMONIDES, *de apparatu templi cap. X.* Summum ſacerdotem excipiebant ſacerdotes reliqui, ex quibus tamen illi ſolum poſt reditum ex captiuitate Babylonica admittebantur, qui genealogiam ſuam puroſque natales demonſtrare poterant, *Eſdr. II. 62. Nebem VII. 64.* Quaenam autem ex Iudaeorum mente ad legitimos natales requirantur, exponit IO. SELDENVS, *de ſucceſſione in pontif. lib. II. cap. II.* Leuitarum, qui ex Babylonico exilio reuerſi erant, genealogia itidem recenſetur ab *Eſdra, cap. II. 40.* & repetitur a *Nehemia cap. VII. 43. ſeqq.* Ex iis ianitores, qui fores templi cuſtodirent, immo & qui portis vrbis attenderent, & cantores, conſtituti, *Nehemiae XI. 26. ſeqq.* An Leuitae ſub templo ſecundo ſuburbia, quae *Num. XXXV. 4.* iis conceſſa ſunt, habuerint? diſputari ſolet. Negant id Ebraeorum magiſtri in tractatu miſchnico *Sotha c. IX.* Adfirmandum cenſent alii, eo quod ſacerdotes & Leuitae, qui Hieroſolymis non manſerunt, in vrbibus ſuis habitaſſe dicantur, *Nebem. VII. 73.* & rurſus ex vrbibus ſuis euocati, cum moenia vrbis Hieroſolymae ſolenni quadam ratione dedicanda eſſent, *Nebem. XII. 27.* De nethinaeis, eorumque origine, iam ſupra dictum ad *per. II. ſect. II. §. XIV. pag. 746.* Eos Babelem in exilium abductos, & partim cum Zorobabele, partim cum Eſdra inde rediiſſe, conſtat ex *Eſdr. II. 58. VIII. 20.* Habitaſſe eos in Ophel, *Nebem. III. 26.* dicitur, qui locus fuit munitus Hieroſolymis, *II. Chron. XXVII. 3. XXXIII. 14.* FLAV. IOSEPHO Ὀφλᾶς dicitur, qui & ad orientem

tem eum fuiſſe auctor eſt, de *bello iud. lib. VI. cap. XIII.* conf. IOAN. LIGHTFOOTVS, in *cent. chorograph. Matthaeo praemiſſa*, *cap. XXVI.* Quo pacto ſacerdotum, Leuitarum, nethinaeorumque ſuſtentationi per primitias, ſicli partem tertiam &c. proſpectum ſit, ex *Nehem. X. 35. XII. 44.* diſcimus. Eos per Artaxerxis edictum a tributis immunes fuiſſe, Eſdra nos condocet *cap. VII. 24.* conf. *Nehem. XI. 23.*

Cumprimis autem ad ſacerdotum & Leuitarum ſuſtentationem etiam pertinebant decimae, quas cum non omnes coloni adferrent, & qui adferebant, non integras, ſed corruptas, acriter ex mandato Numinis ingratos eiusmodi & auaros homines increpat Malachias vates, vberrimam contra Numinis benedictionem illis promittens, qui ſecundum legis praeſcriptum, adcurate & liberaliter eas eſſent perſoluturi, *cap. III. 10.* Diſerte ibi & התרומות *primitias*, & המעשר *decimas* commemorat. Vbi recte quidem a nonnullis obſeruatum, cum varia fuerint decimarum genera, vt a nobis ad *per.* II. *ſect. I.* §. *XXXII. pag. 579.* pluribus expoſitum, & ex IO. SELDENI quoque *diſſert. de decimis* a IO. CLERICO in ſermonem latinum tranſlata, & commentario eius in pentateuchum ſubnexa, conſtat, a propheta tamen eas maxime intelligi, quae מעשר מן המעשר *decimae ex decimis* dicebantur, quas Leuitae ſacerdotibus dabant, ex decimis a colono acceptis; *Num. XVIII. 26.* De eiusmodi enim decimis diuinus vates loquitur, quae Hieroſolymam erant adferendae. Non ergo intelligi poſſunt מעשר ראשון *decimae primae*, ab incolis terrae Cananaeae Leuitis ſoluendae, *Num. XVIII. 21. 24.* quippe quae Hieroſolymam non adferebantur. Decimae ſecundae מעשר שני Hieroſolymam equidem adferebantur, ſed ibi a poſſeſſore agri coram domino conſumebantur. *Deut. XII. 22. 23, 27.* Eo minus vero hac de re dubitandum videtur, quod Nehemias inter reliquas federis conditiones hanc quoque poſuerit, vt Leuitae adferrent את מעשר המעשר *decimas decimarum in domum Dei, in cameras domus theſauri, cap. X. v. 39.* Vnde ſimul patet, conſtitutam fuiſſe, בית האוצר *domum theſauri*, cum conclauibus, in qua, quae ad virorum ſacris operantium ſuſtentationem offerrebantur, fuerint recondita. Obſeruatum viris rerum iudaicarum peritis eſt, non fuiſſe neceſſarium, vt ipſi Leuitae has decimas ſacerdotibus darent, potuiſſe id etiam Israelitas facere, & portionem Leuitis dandam ea parte imminuere; qua quidem ratione *Ebr. VII. 5.* dici potuerit, ſacerdotes decimas a populo accipere. Vt autem decimae iſtae decimarum Hieroſolymam adferrentur, id iam pridem ante Babylonicum exilium coepiſſe, veroſimile eſt, forte a tempore Ezechiae regis, vt ex *II. Chron. XXXI. 11. 12.* haud obſcure colligere licet. Hinc confirmata ea conſuetudo a Nehemia *cap. X. 39.* poſtulante id vel ma-

 xime

xime rerum iſtius temporis ſtatu, vbi ſacerdotibus, in templo miniſtrantibus, eſuriendum aut fame omnino moriendum fuiſſet, niſi hac ratione neceſſitati illorum fuiſſet proſpectum. Primitiis atque decimis rite oblatis, ſolebat dominus *confeſſionem decimarum* הדוית המעשר edere, quae exſtat *Deut. XXVI. 13.* quam Iochanan ſacerdos ſummus abrogaſſe dicitur, vt Ebraeorum magiſtri tradunt, in tractatu miſchnico *maaſer ſcheni cap. V. 15.* idque ideo, quod eo tempore non potuerint ex *Deut. XXVI. 13.* dicere, *ſecundum omnia praecepta tua, quae praecepiſti mihi*; ſiquidem decimae primae non Leuitis, ſed ſacerdotibus, datae fuerint, idque ex conſtitutione Esdrae, eo quod Leuitae cum illo Hieroſolymam deſcendere recuſauerint, *Esdr. VIII. 15.* Sed iſta non ſatis ſolido fundamento innititur Iudaeorum traditio, & non conuenire videtur cum conſtitutione Nehemiae de decimis decimarum, quas Leuitae ſacerdotibus dare debuerint, vt antea obſeruauimus.

A perſonis ſacris vt ad *tempus* cultui Numinis conſecratum progrediamur, ſabbatha, poſt reditum ex captiuitate Babylonica non tantum obſeruata, ſed & cum paullo negligentiores hac in re eſſent Iudaei, vt maiori id fieret ſtudio, a Nehemia conſtitutum *cap. XIII. 15. ſeqq.* Nec id ſine ratione; cum inter cauſſas, quae Iudaeis captiuitatem Babylonicam attraxere, haud vltima eſſet, proterua ſabbathi violatio. Tanto etiam deinceps hac in re fuere diligentiores, vt ad minutias deſcenderent, totaque ſabbathi religio tantum non in meram degeneraret ſuperſtitionem. Feſta quoque ex praeſcripto legis Moſaicae celebrata, tabernaculorum, *Esdr. III. 4.* itemque paſchatos *Esdr. VII. 19.* Sed generatim neomenias & feſta quaeuis tum iterum celebrata, *Nehem. X. 33.* haud obſcure innuitur. Acceſſit in hocce temporis interuallo etiam feſtum Purim, de quo ſupra iam ad §. *VIII.* ex inſtituto dictum. An autem in terra ſancta celebratum ſit, nonnulli dubitant. Addunt quidam חג קרבן העצים *feſtum oblationis lignorum.* Die namque decimo ad vigeſimum ſecundum menſis Abh ſeu quinti, ſacerdotes curabant ligna deferri ad templum, atque tum habebatur feſtum ξυλοφορίων. A Nehemia eius originem repetendam, ex *Nehem. X. 39. XIII. 31.* colligunt. Nullum praeterea eſt dubium, quin & dies expiationis religioſe obſeruatus ſit, etſi in temporis huius ſcriptis, nulla eius fiat mentio. Ieiuniorum ſubinde iniicitur mentio; conf. *Esdr. VIII. 23. IX. 4.* Immo ſtata quaedam ieiunia, ob calamitates, quae genti huic acciderant, menſe quarto, quinto, ſeptimo, & decimo, in vſu fuiſſe, ex *Zach. VIII. 19.* intelligitur. Menſe ſcilicet quarto, qui & Thammus dicitur, die decimo ſeptimo, vt Ebraeorum magiſtri volunt, ob vrbem expugnatam a Babyloniis, menſe vero quinto ſeu Abh,

Abh, die nono, ob combuſtum templum & vrbem; menſe ſeptimo ſeu Tiſri, die tertio, ob caedem Gedaliae; & denique menſe decimo ſeu Thebeth, die decimo, quia Nebucadnezar eo tempore vrbem obſidere inceperit. Non tamen ſemper continuata iſta ieiunia, ex *Zach. VII. 3.* colligi poſſe, nonnulli exiſtimant. Annos ſabbathicos poſt reditum ex Babylonico exilio in vſu fuiſſe, ex *Nehem. X. 3.* intelligitur; iubilaeos autem obſeruatos fuiſſe, Ebraeorum magiſtri negant.

Ipſe denique *cultus* Numinis *publicus*, *ſacrificiis*, *confeſſionibus peccatorum*, *precibus*, ac *pſalmodia* abſoluebatur; quibus & *doctrina publica* addi ſolet. Atque ab hac quidem vt incipiamus, ſacerdotum ac Leuitarum officium fuiſſe, erudire Iſraelitas in iis quae ad religionem, Numinisque cultum ſpectabant, conſtat, & alias nobis obſeruatum eſt; conf. quae diximus ad *per. II. ſect. I. §. XXXII. p. 564.* Nec dubium, quin & hocce tempore munere iſto functi ſint; certe diligenter hoc illis inculcat Malachias vates *cap. II. 7.* addita grauiſſima ratione, quod ſint מלאכי אלהים *angeli* ſeu *legati Dei*; conf. & *Hagg. II. 12.* Praeter ordinarios hosce doctores, aderant etiam ſub initium huius interualli, extraordinarii, prophetae, Haggaeus, Zacharias, Malachias, de quibus, eorumque doctrina ad Meſſiam praecipue ſpectante, ſupra dictum eſt. Ad modum autem docendi quod attinet, lectionem quoque Moſis ac prophetarum huc referre licet; idque vel ex *Nehem. VIII. 1. ſeqq.* colligitur. Etſi enim id praeter ordinem factum ſit, vt in iſto populi vniuerſi conuentu quaedam ex lege Moſis ab Esdra legerentur, & explicarentur, vix tamen dubitandum videtur, quin in conuentibus ordinariis eundem obſeruauerint aut introduxerint morem. Namque & in ſynagogis, ſingulis ſabbathis ſcripta Moſis & prophetarum legebantur; conf. *actor. XV. 21.* Quo pacto autem intelligendum ſit, quod *Nehem. VIII. 7.* dicitur, quae Esdra legit, ab aliis explicata, fuſe iam ad §. *III.* huius ſectionis disputauimus. Sacrificia eodem modo in templo ſecundo oblata, quo id factum in primo. Nec diſcrimen occurrit, niſi quod nonnulli hocce tempore ſacrificia pro regibus gentium offerri coepiſſe, exiſtimant; id quod ex *Eſdr. VI. 10.* & *VII. 23.* colligunt. Confeſſionis peccatorum publicae illuſtre exemplum exſtat *Eſdr. IX. 6. ſeqq.* Ad preces quod attinet, earum formulas, ordinemque in iis ſeruandum, ab Esdra & viris ſynagogae magnae Iudaei repetunt. R. MOSES MAIMONIDES namque in tractatu תפלה auctor eſt, ante Esdrae tempora non fuiſſe certas precum formulas, nec ſtata eorum tempora, nec numerum; ſed Iſraelitas in exilio Babylonico mixtos cum Perſis, amiſiſſe facultatem, quod corrupta lingua loquerentur, exponendi Deo ſua deſideria, & canendi Dei laudes; adeoque Esdram, & ſynagogam magnam, conſtituiſſe שמונה

Digitized by Google

עשרה ברכות על הסדר *octodecim benedictiones ſecundum ordinem*, ea quidem ratione, vt numerus precum reſponderet numero ſacrificiorum. Quam quidem Iudaeorum traditionem, vna cum ratione, cui innititur, non adeo certam eſſe arbitramur, cum ſumere ſibi videantur, quod non admittendum ſupra iam docuimus, Iudaeos ex captiuitate reduces ebraeae linguae purioris facultatem non amplius habuiſſe, & multa alia de ſynagogae iſtius magnae conſtitutionibus dicantur, quae ab aliis recte inter commenta referuntur, vt in ſequentibus oſtendemus. Quod ſi autem vel maxime res ita ſe habuerit, de certis tamen formulis hoc intelligendum fuerit, non de precibus publicis ipſis, quas longe antiquiores eſſe, immo a prima mundi aetate ſacrificiis iungi ſolitas, ſupra iam ex inſtituto a nobis demonſtratum, ad *per. II. ſect. I.* §. *XXXII. p. 580.* In publicis precibus vſitatum eo tempore fuiſſe, vt populus reſponderet *amen*, ex *Nehem. VIII. 6.* intelligitur; origine tamen iſtius ritus altius, immo a Moſis temporibus, repetenda; conf. *Deut. XXVII. v. 15. ſeqq.* Ad chriſtianos deinde hunc ritum, reſpondendi ad preces publicas *amen*, tranſiiſſe, vel ex *I. Cor. XIV. 16.* conſtat. Ad pſalmodiam denique quod attinet, Leuitarum hoc fuiſſe officium, vt tum voce, tum inſtrumentis muſicis laudes diuinas celebrarent, conſtat, & antea iam nobis obſeruatum eſt. Hinc cantores ex iis conſtituti; conf. *Nehem. XI. 17. 22. 23. XII. 27.* Nec dubium, quin pſalmos a Dauide, aliiſque viris ſanctis compoſitos, adhibuerint. Sunt quidem viri docti, qui nonnullos ex iis pſalmis, qui in pſalmorum codice exſtant, hac demum aetate compoſitos exiſtimant, ſed horum iam ſupra exploſimus ſententiam, ad *per. II. ſect. III.* §. *XXVI. p. 230. ſeqq.*

** Vt pluribus ſupra ad §. *VII.* expoſuimus.

*** Etſi Cyrus, rex Perſarum, formam velut quandam templi a Iudaeis exſtruendi, in edicto ſuo delineauit, quod & confirmauit Darius Hyſtaſpides, *Eſdr. VI. 3. 4.* nullum tamen eſt dubium, quin templum Salomoneum, ceu exemplar, ſibi propoſuerint, qui ſecundum templum exſtruxerunt. Idque diſerte confirmat R. MOSES MAIMONIDES, in tractatu בית הבחירה ſeu *de domo electa, cap. I.* §. *IV.* Adſerunt nonnulli ex Ebraeorum magiſtris, portae templi orientali, iuſſu regum Perſicorum, adpictam fuiſſe formam vrbis *Suſan*, in ſignum ſubiectionis, indeque factum, vt porta haecce *Suſan* diceretur, quod a vero non abhorret; conf. IO. LIGHTFOOTVS, *opp. tom. I. p. 556.* Errant vero magnopere, qui ideam templi, ab Ezechiele delineati, ſecundi templi conditores ſecutos putant; ſiquidem res ipſa docet, eiuſmodi templum, quale Ezechiel delineat, exſtructum nunquam fuiſſe, nec exſtrui poſſe. Idque ex Ebraeorum magiſtris ipſe agnoſcit R. MOSES MAIMONIDES, de aedificio futuro diuinum vatem locutum do-

Digitized by Google

docens, ואינו מפורש ומבואר *cuius ratio non ſit expoſita aut euidens*, *l. c.* conf. & MENASSEH BEN ISRAEL de *reſurrect. mortuor. lib. III. cap. II.* Interim, cum fundamenta templi ſecundi ponerentur, ſtatim patuit, illud prius, ſeu Salomoneum, non aequaturum, adeo vt in ipſis initiis כאין *ſicut nihil* eſſet, in oculis illorum, qui prius viderant; *Hagg. II. 4. 5.* Deinceps tamen magis magisque exornatum fuit, praeſertim ab Herode, vt ſuo loco dicemus. Licet autem ad formam Salomonei poſterius templum exſtructum eſſet, in quibusdam tamen diuerſitas quaedam inter vtrumque interceſſit. Et primo quidem in eo, quod in templo poſteriori *atrium gentium* fuit, quod in priori fuiſſe, non tantum incertum, ſed & vix probabile eſt. Certe in ſecundo magis neceſſarium fuit, ob varia, quae Iudaeis cum gentibus interceſſere, quaeue euitare non potuerunt, commercia; vti iam ad *per. II. ſect. III. §. XXIV. p. 201.* obſeruatum eſt. Cuncta ſic ſapienter Deus diſpoſuit, vt gentilibus introitus in eccleſiam aperiretur. Nec tamen ſtatim ab initio hocce atrium gentium adiectum videtur; vero ſimilius, poſtea, forte ſub Herode, acceſſiſſe. In templo priori, ſanctum a ſancto ſanctorum, muro quodam ſeparabatur, at in poſteriori, duplici aulaeo, vt MOSES MAIMONIDES docet, de *domo electa cap. IV. §. II.* Obſeruatum id itidem ſupra fuit *l. c. p. 200.* Cum etiam arca federis in templo poſteriori defuerit, in ſancto ſanctorum lapidem poſitum fuiſſe, Ebraeorum magiſtri tradunt, בטבור הארץ in *vmbilico terrae*, tribus digitis eminentem, cui impoſitum fuerit thuribulum, die expiationis vſurpandum. Porro & qua altitudinem, magnitudinemque, diſcrimen aliquod inter vtrumque templum interceſſiſſe, nonnulli contendunt, ſiquidem Herodes apud FL. IOSEPHVM adſerat, templo, quod Zorobabel exſtruxerat, defuiſſe, *πρὸς τὸ μέγεθος εἰς ὕψος ἑξήκοντα πήχεις quoad magnitudinem in altum ſexaginta cubitos*, quo minus Salomoneum aequaret; *antiquitat. iudaic. lib. XV. cap. XIV.* Denique & qua ornatum, opulentiam, diuitias, ingens vtriusque templi erat diſcrimen; & licet poſterius templum multis ſucceſſu temporis ornamentis, ſplendidisque variorum muneribus auctum fuerit; ad prioris tamen eius non acceſſiſſe ſplendorem, ſupra iam obſeruatum eſt. Addenda, quae hac de re MELCHIOR LEIDECKERVS diſſerit, de *republ. Ebr. tom. II. lib. VII. cap. II. p. 430.* Cumprimis autem quinque rerum, quae Salomoneo maximum conciliabant decus, in templo poſteriori, ex ſententia ipſorum Ebraeorum, defectus, gloriam eius atque ſplendorem valde imminuit. Fuere autem quinque iſta cimelia vel axiomata, *arca federis*, *vrim & thummim*, *ignis de coelo*, שכינה ſeu *praeſentia diuinae maieſtatis*, & denique רוח הקדש *ſpiritus ſanctus*, ſeu *donum prophetiae*. Addunt nonnulli *oleum vnctionis*; nec tamen ideo rerum,

rum, quae defecerunt, numerus, augetur, cum quidam oleum vnctionis cum arca federis coniungant, alii autem ſub שכינה etiam *ſpiritum ſanctum*, ſeu donum prophetiae, complectantur. Quinque autem iſta axiomata in templo ſecundo defuiſſe, diſerte fatentur doctores talmudici in *maſſechet Ioma*, *gemar. cap. I.* locum recitante IO. BENED. CARPZOVIO, *diſſert. quonam arca peruenerit? cap. II.* §. *IX.* Copioſe etiam hac de re diſputat R. ISAAC ABARBANEL, *praefat. in Haggaeum*; & de veritate adſerti doctorum talmudicorum adeo non dubitat, vt argumentum potius inde deſumat, quo probet, Haggaeum *cap. II. 10.* non de ſecundo, ſed de tertio quodam templo, Iudaeis adhuc exſpectando, loqui.

Sed iuuat rem omnem paullo adcuratius diſcutere, & ſigillatim, quae in templo ſecundo defuiſſe dicuntur, expendere. De arca federis, quod dicitur, eam in ſecundo templo non adfuiſſe, recte ſe habet. Falluntur que omnino, qui ſecus ſentiunt, vti ad *per. II. ſect. IV.* §. *XXXI.* luculenter, ni fallor, demonſtratum, vbi ex inſtituto verba hac de re fecimus. Quod ſi vero quaeras, quid ſub templo ſecundo in ſancto ſanctorum fuerit, ſuffragamur FL. IOSEPHO adſerenti, nihil in eo fuiſſe, *de bello iud. lib. VI. cap. VI.* Conſentiunt & plerique ex reliquis gentis huius doctoribus, hoc ſaltem addentes, eo ipſo in loco, vbi arca olim poſita fuit, lapidem quendam tribus circiter digitis e terra prominuiſſe, ſupra quo in templo primo etiam arcam ſtetiſſe, nonnullis veroſimile videtur. Legenda & quae hac de re obſeruat, quem iam laudauimus, IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS, *l. c.* §. *XI. p. 84.* Quod vero lapidem hunc, quem אבן שתיה *lapidem fundationis* vocant, in vmbilico terrae poſitum fuiſſe dicunt, id reliquis eorum commentis de eodem lapide longe ineptiſſimis eſt adnumerandum. Apionis autem figmentum ſtolidiſſimum, Antiochum epiphanem, cum templum ingreſſus eſſet, caput aſini ex auro pretioſiſſime fabrefactum ibi inueniſſe, non minus, ac illud DIODORI SICVLI, virum aſino inſidentem ibi ab Antiocho inuentum, ſupra iam ad §. *VII.* huius ſectionis exploſimus. Praetermittendum autem non eſt, quod R. IEHVDA HALLEVI tradit in libro *Coſri*, *part. III.* §. *XXXIX.* arcae loco in ſancto ſanctorum conſtitutam fuiſſe תבונה *figuram* quandam, coram qua ſuſpenſum fuerit הפרוכת *velum.* Videtur nimirum, arcam quandam ad prioris ſimilitudinem factam intelligere. Sed vt ſine fundamento hoc adſeritur, ita nec reliquos gentis ſuae magiſtros hac in re ſecum conſentientes habet. Cum ergo arca federis cum propitiatorio in templo ſecundo deeſſet, ſacerdos quoque ſummus, in die expiationis, ſanguinem propitiatorio, vt fieri debebat, & in templo primo ſolebat, adſpergere non poterat. Tradunt itaque doctores talmudici, ſacerdotem ſummum thuribulum aureum, lapidi, qui in ſan-

cto

cto ſanctorum erat, impoſuiſſe, & ſurſum, deorſum, ſiniſtrorſum & dextrorſum ſparſiſſe ſanguinem; in *tractat. Ioma cap. V. §. II. III.* Alterum, quod in ſecundo templo deerat, fuit oraculum illud diuinum per vrim & thummim. Pectorale equidem habuit ſummus ſacerdos, in quo lapides pretioſi fuerunt, qui antiquos imitarentur, ſed nullus eorum ad reſponſa diuina reddenda vſus fuit, vt auctor eſt MOSES MAIMONIDES, de *adparatu templi cap. X.* Sunt quidem, qui ſecus ſentiunt, & vrim ac thummim ſecundo templo denegari non poſſe, contendunt, eo quod *Eſdr. II. 63.* & *Nehem. VII. 65.* dicatur: *& dixit Hattirſatha, ne comederent* (ſacerdotes, de quorum natalibus non conſtabat) *de ſanctitate ſanctitatum* עד עמד הכהן לאורים ולתמים *donec ſurgeret ſacerdos ad* vel *cum vrim & thummim.* Accedit, quod FL. IOSEPHVS diſerte dicat: *deſiit pectorale & ſardonyx fulgere ducentis annis, antequam haec commentaremur, irato Deo propter legum ſuarum violationem*; *antiquitat. iudaic. lib. III. cap. IX.* Etenim ſi ducentis ſaltem ante IOSEPHI aetatem annis oraculum illud deſiit, certe per longum temporis ſpatium in templo ſecundo id floruiſſe, neceſſe eſt. Verum IOSEPHI nobis non multum negotii faceſſit teſtimonium, cum non vno documento rerum patriarum nimis ignarum atque imperitum ſe oſtenderit. Ad Esdrae autem atque Nehemiae teſtimonium quod attinet, fieri potuit, vt Hattirſatha crederet, vrim & thummim, exſtructo templo, per ſingulare Numinis beneficium reſtituendum eſſe, quae tamen ſpes eum fefellerit. Iungenda, quae IO. BRAVNIVS hac de re diſſerit, de *veſtitu Ebraeorum p. 685.* Sequitur *ignis coeleſtis*, qui itidem in templo ſecundo eo modo, vt in primo, non fuit. Nec enim in dedicatione eius, de coelo, ad conſumenda ſacrificia deſcendit, vti in dedicatione tabernaculi ac templi Salomonei factum. Addunt Iudaei alia, ignem ſacrum in templo ſecundo non fuiſſe tanti vigoris, ac in primo, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Non prorſus enim ignem coeleſtem in templo ſecundo defuiſſe, perſuadere nobis nonnulli conantur, fabula iſta notiſſima, quae *II. Maccab. I. 18.* & apud IOSEPHVM GORIONIDEM exſtat, *lib. I. cap. XVI. XVII.* Ieremiam namque ignem coeleſtem aeque ac arcam abſcondidiſſe, aiunt, quem Esdra, Nehemias, & viri ſynagogae magnae iterum inuenerint. Addunt, *in puteo repertum fuiſſe, vt craſſam aquam, lignis vero, ac ſacrificiis in altari impoſitum, cum ſol effulſiſſet, exarſiſſe in ignem ingentem, & ſacrificia conſumſiſſe.* Sed cum nec Esra, nec Nehemias, nec ipſe FL. IOSEPHVS vllam huius rei mentionem faciant, eodem hoc habendum loco, ac illud, quod de arca a Ieremia abſcondita dicitur. Romanenſes equidem, vt fabulas hasce defendant, ſimulque auctoritati libri Maccabaeorum conſulant, in omnes ſe vertunt partes, ſed operam eos oleumque, quod aiunt, perdere

perdere, ſatis oſtendit IO. RAINOLDVS, in *cenſura librorum apocryphorum vet. teſtam. tom. I. praelect. CV. pag. 1319.* vbi & fabulae iſtius originem ſolerter detexit. Legenda & IO. BVXTORFII de *igne ſacro diſſertatio.*

Deerat porro in templo ſecundo שכינה *habitatio*, ſeu *maieſtatis diuinae praeſentia*; quae ſcilicet in templo primo in ſancto ſanctorum ſuper propitiatorio in nube, quae ipſius ſymbolum erat, ſeſe manifeſtabat. Neque enim in templi ſecundi dedicatione eiusmodi quid iterum conſpectum fuit. Vix etiam hoc cogitari poſſet, cum arca federis cum propitiatorio defuerit. Hinc & nonnulli Ezechielem vatem vidiſſe obſeruant, a templo per Chaldaeos vaſtando, immo ab ipſa vrbe, receſſiſſe כבוד יהוה *gloriam Domini*, cum cherubinis, magno alarum ſtrepitu; nunquam ſcilicet eo reuerſuram, *Ezech. X. 4. 18. XI.* 22. conf. HVGO GROTIVS ad *b. l.* Atque conſentiunt quidem in eo Ebraeorum magiſtri, eo modo praeſentiam diuinam in poſteriori templo conſpicuam non fuiſſe, quo in priori; non tamen prorſus defuiſſe, nonnulli contendunt, eo quod ob primam dedicationem a templo nunquam tolli potuerit; conf. R. MOSES MAIMONIDES de *domo electa cap. VI.* §. *XVI.* Immo addunt nonnulli, שכינה ſeu *diuinam* hanc *praeſentiam* comitari ſemper Iſraelitas, vbicunque locorum fuerint. Quo ipſo prouidentiam Dei ordinariam, quae omnibus hominibus adeſt, cum ſingulari iſta & extraordinaria praeſentiae atque gratiae diuinae manifeſtatione, haud obſcure confundunt. Denique & רוח הקדש *ſpiritus ſanctus*, ſeu ſpiritus prophetiae, ſecundum ebraeorum ſententiam atque confeſſionem, in templo ſecundo deerat. Quod ita intelligunt, poſt egreſſum ex Babylone fuiſſe equidem adhuc ſpiritum prophetiae, in gente iudaea, cum templum exſtruendum eſſet; ſed eo exſtructo, mortuisque prophetarum vltimis, Haggaeo, Zacharia & Malachia, eum receſſiſſe, ſucceſſiſſe autem in eius locum, aut ſaltem frequentius auditam בת קול *filiam vocis*, qua Deus aliquando quaſi per echo in aere, doctores fuerit adlocutus. Sane quidem, ſi prophetarum nomine illi intelliguntur, qui publico ſimul docendi munere functi ſunt, & ſcripta θεόπνευστα reliquerunt, haud difficulter largior, Malachiam inter veteris teſtamenti prophetas fuiſſe vltimum. Nec ſine ratione nonnulli inde colligunt, eum cum Haggaeo, Zacharia, & Esdra, canonem librorum veteris teſtamenti clauſiſſe. Nec tamen defuerunt ſub templo ſecundo, quibus reuelationes diuinae obtigerunt, vt Zachariae patris Ioannis baptiſtae, atque Eliſabethae, itemque Simeonis & Hannae exemplis patet; niſi hos ad prophetas noui teſtamenti cum quibusdam referri velis; conf. PETRI MOLINAEI *vates*, *lib. I. c. VII. p. 14.* De Iaddo pontifice, & Iuda Maccabaeo, quibus itidem diuinitus quaedam reuelata dicuntur, vid. HERM. WITSIVS, *miſcell. ſacr. part. I. lib.*

lib. I. cap. XX. §. XXXV. p. 280. Ad בת קול autem, ſeu *filiam vocis*, quod attinet, nonnulli hancce reuelationis ſpeciem templo ſecundo longe equidem antiquiorem ſtatuunt, ſed frequentiorem tamen fuiſſe, cum ſub templo ſecundo donum prophetiae deſiiſſet. Plurima de ea Iudaeorum, talmudicorum praecipue doctorum, exſtant effata, aut ſi mauis, commenta, quorum nonnulla exhibet IO. BVXTORFFIVS, *lexico talmud. rabbin. pag. 320.* Suntque viri docti, qui non omnia promiſcue reiicienda eſſe exiſtimant, quos inter & HERM. WITSIVS eſt, *miſcellan. ſacr. part. I. lib. I. §. VI. p. 17.* Alii autem, nonnulla quidem commentis fabuliſque adnumerant, reliqua autem, ſi nimirum eiusmodi vox quandoque audita fuit, aut praeſtigiis daemonis, aut hominum fraudibus tribuere, nulli dubitant, vt IO. LIGHTFOOTVS ad *Matth. III. 17. tom. II. opp. p. 275.* Ego, ſi loca doctorum talmudicorum, ab aliis diligenter collecta, adcuratius conſiderem, parum abeſt, quin in eam ingrediar ſententiam, Ebraeorum magiſtros plerumque nihil aliud, quam diuinam prouidentiam ſingulari quadam ratione ſeſe exſerentem, ἀλληγορικῶς hac voce indicare voluiſſe. Atque haec quidem praecipua ſunt, quae in templo ſecundo, ipſorum ebraeae gentis magiſtrorum ſententia defuerunt, eiusque adeo a primo diſcrimen indicant. Addi & alia ſolent, ſed cum aut in hactenus dictis contineantur, aut non magni momenti ſint, hisce diutius non immorabimur.

* Cum antea obſeruatum, atque ex *Nehem. VIII. 1. ſeqq.* comprobatum ſit, conſuetudinem per lectionem legis Moſaicae, & ſcriptorum propheticorum, in hocce temporis interuallo ortam eſſe, non ſine ratione ſynagogarum quoque ad hanc aetatem refertur origo; quibus tamen conuentus, in captiuitate Babylonica apud prophetas inſtituti, occaſionem dare potuerunt, de quibus ad *ſect. praeced.* §. *XI.* dictum. Non deſunt equidem, qui ſynagogarum originem longe antiquiorem faciunt, ſed horum ſupra iam reiecimus ſententiam, ad *per. II. ſect. II. §. XIV. p. 745.*

** Certe idololatriae poſt exilium Babylonicum eos addictos fuiſſe, non legitur. Plurimi equidem ſub Antiocho epiphane adducti ſunt, vt hellenismum amplecterentur. Hoc tamen eos non ſponte ſua, ſed aut ſpe praemiorum, aut metu grauiſſimorum cruciatuum, feciſſe, conſtat. Nec deerant, qui ſupplicia grauiſſima ſubire, quam patriam deſerere legem mallent, vt patet ex iis, quae ad §. *VII.* diximus. Sibi cum relicti eſſent, omnem maximopere deteſtabantur idololatriam, immo quod vel minimam idololatriae ſpeciem habebat. Vnde Paulus de Iudaeo ſui temporis, dicit: ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα; *Rom. II. 22.* Poterant eius rei variae eſſe cauſſae, cumprimis & grauiſſimae caſtigationis, quam ob idololatriam, praecipue in exilio Babylonico, ſubierant,

rant, recordatio; diligentiorem tamen in ſynagogis informationem plurimum eo contuliſſe, vix eſt, quod dubitemus; conf. IO. SELDENVS, *de iure nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib. II. cap. I. p. 131.*

§. XI.

Leges de matrimoniis diuinae per mulierum peregrinarum, quas plurimi ex Iudaeis duxerant, conſortium vehementer turbabantur, vnde Esrae, aliisque, vitia haecce corrigendi, impoſita eſt neceſſitas. * Ad ſtatum vero ciuilem quod attinet, ducibus primum, ſeu praefectis a Perſarum regibus conſtitutis, quos inter & Zorobabel, Esra, Nehemias fuere, Iudaei paruerunt; a quibus deinceps ad ſummos pontifices rerum ſumma tranſiit; remanentibus ſemper theocratici regiminis veſtigiis. ** Synedrii autem magni nulla in hoc etiam temporis interuallo exſtant veſtigia.***

* Quanto ſtudio Esra ac Nehemias labem, quam Iudaeorum plurimi, immo ex Leuitis, ſacerdotibus atque proceribus nonnulli, per matrimonia cum vxoribus alienigenis, genti ſuae adſperſerant, corrigere ac emendare conati ſint, ſupra ad §. *II. & III.* expoſuimus. Coniecturas etiam, cur Iudaei poſt reditum ex captiuitate Babylonica tam procliues fuerint, ad matrimonia cum alienigenis ineunda, ad §. *II.* indicauimus. Quemadmodum autem vnum vitium alterum ſecum trahere ſolet, ita & matrimonia iſta cum alienigenis coniuncta plerumque erant cum diuortio, & repudio Israelitidum, quas antea duxerant. Hinc Malachiae occaſio enata, iuſſu Numinis, eiusmodi licentiam diuortiorum, quin immo, ſi paullo adcuratius rem conſideremus, ipſam polygamiam acriter reprehendendi; & cuncta ad primaeuam inſtitutionem reuocandi, *cap. II. v. 14. 15.* Cum enim *v. 13.* dixiſſet, reliquis peccatis ſuis Iudaeos & hoc addere, quod *altare domini lacrymis, fletu & exclamatione operiant;* quaerentes Iudaeos introducit, על מה *propter quid?* atque reſpondet: *propterea, quod Iehoua teſtificatus eſt inter te, & vxorem adoleſcentiae tuae, contra quam tu perfide agis, cum ſit ſocia tua, & vxor federata tibi.* Matrimonium ſcilicet, velut interpoſito Numinis teſtimonio contrahi, atque adeo ceu fedus ſanctiſſimum diligenter obſeruandum, ſignificat, quod tum maxime fiat, cum fides primae coniugi data ſeruetur, nec aut per diuortium violetur, aut per polygamiam. Rationem addit: ולא־אחד עשה ושאר רוח לו quod vulgatus ita vertit: *nonne vnus fecit, & reſiduum ſpiritus eius eſt?* Alii autem ita: *& non* (ſic) *vnus fecit,* &c. Vbi quidem plerique

que per *vnum* ſeu *vnicum* Abrahamum intelligunt, eo quod idem & *Eſa. LI. 2.* & *Ezech. XXXIII. 24.* *vnicus* dicatur. Atque hi porro reliqua verba ita interpretantur: *quamuis excellentiori ſpiritu eſſet praeditus.* Sic &, quod porro ſequitur: ומה האחר מבקש זרע אלהים ita explicant: *& quid vnicus ille* (Abrahamus) *quaerebat? ſemen Dei.* Cum nimirum vnicam coniugem duxiſſet Abrahamus, vt ex legitimo matrimonio *ſemen Dei* ſeu prolem legitimam ſuſciperet, hóc ſuo exemplo eum oſtendiſſe, quo pacto matrimonia comparata eſſe debeant. Cum vero manifeſtum ſit, Abrahamum praeter Saram Hagarem etiam duxiſſe, nonnulli haec verba ita capiunt, vt tacitae Iudaeorum obiectioni iis occurratur, hunc in modum: *Quid ergo vnicus ille* (Abrahamus) *fecit*, (ſuperinducendo Hagarem?) *quaeſiuit ſemen Dei*, hoc eſt, non ex libidine, ſed ex cupiditate, promiſſionem de ſemine benedicto obtinendi, hoc fecit. Sed cum praeter alia huic vel illud maxime obſtet ſententiae, quod in antecedentibus nulla Abrahami fiat mentio, vt in locis adlegatis *Eſa. LI. 2.* & *Ezech. XXXIII. 24.* alii verba haecce diuini vatis aliter explicanda cenſuere: *Et nonne* (Deus) *vnum* (ſeu vnicum par coniugum) *fecit*, ſeu creauit, & in prima matrimonii inſtitutione coniunxit? *quamuis ſpiritus reliqui ipſius eſſent*, facileque plures coniuges a ſe creatas Adamo potuiſſet adiungere; aut, vt alii explicant: *ſpiritusne illi defecit ad operandum?* hoc eſt, qui ſpiritu ſuo omnem exercitum coeli formauit, nonne is plures procreare vxores potuiſſet, quas Adamo coniuges daret? *Et quare vero vnum?* ſcilicet par coniugum fecit; *quaerens* erat ſeu *quaerebat ſemen Dei*; volebat, vt ex matrimonio caſto & ſancto, quale eſt vnius viri & vnius feminae, non ex polygamia, quae plerumque ex libidine procedit, homines procrearentur, qui adeo hoc intuitu *ſemen Dei* vocari poterant. Et hunc in modum verba haecce capiunt IO. TARNOVIVS ad *h. l.* itemque IO. COCCEIVS, & alii quam plurimi; ſatisque non tantum concinna haec videtur explicatio, ſed &, quod ei opponi poteſt, ac ſolet, non adeo magni momenti eſt. Poſt vocem אחר enim ſubintelligendum eſſe *par coniugum*, ex re ipſa, de qua propheta loquitur, facile intelligitur. Nec inuſitatum, vt nomen maſculini generis, quale eſt אחר, in genere neutro explicetur. Qui vero deeſſe videtur *nominatiuus*, haud difficulter ex antecedentibus repetitur, cum ſaepiſſime ibi Dei mentio fiat, qui per prophetam de ſtatu Iudaeorum corruptiſſimo conqueritur. Obiiciunt nonnulli porro, ſermonem prophetae hac ratione obſcurum eſſe; ſed non video, qui pro indole ebraei ſermonis & circumſtantiarum ratione, clarius loqui potuiſſet. Verbum עשה idem ſaepe eſſe, ac *creare*, notum eſt; conf. *Gen. I. 31. II. 2.* Cumpri-

primis autem, qui ſecus ſentiunt, quos inter & ABR. CALOVIVS eſt ad *h. l.* hoc vrgere ſolent; quod nullibi ſcriptura liberos ex legitimo matrimonio natos *ſemen Dei* vocet; immo potius nomen *ſeminis* de Meſſia ex muliere & Abrahamo orituro vſurpetur, *Gen. III. 15. XXII. 18.* Sed licet facile concedam, vocem *ſeminis* ſubinde κατ' ἐξοχὴν de Meſſia intelligendam eſſe, eam tamen & haud raro generatim de aliis hominibus vſurpari, negari nequit; conf. *Gen. IV. 25. XV. 3. XIX. &c.* Nec inuſitatum, vt vox אלהים variis rebus, ad earum dignitatem, praeſtantiam, magnitudinem indicandam, iungatur. Vnde & ſi voci *ſemini* addatur, vt eiusmodi homines, qui certo modo digniores aliis ſunt, intelligamus, par eſt: quod prorſus in eos, qui ex matrimonio legitimo, ſancto, legibusque diuinis in omnibus conformi, nati ſunt, quadrat.

Additur porro: ונשמרתם ברוחכם *& cuſtodiamini in ſpiritu veſtro.* Particula ו recte illatiue hic vertitur per *itaque*, *ergo*, ſenſusque erit: cuſtodite itaque ſpiritum veſtrum, ad prauas illicitasque cupiditates adeo pronum. Immo, cum vox רוח *ſpiritus*, interdum *ipſum animi adfectum* denotet, non deſunt, qui eam & hic per *concupiſcentiam prauam* explicandam cenſeant, vt ſenſus ſit: obſeruate ergo diligenter prauas veſtras cupiditates, iisque frenum iniicite. Quo ipſo diuinus vates fontem & originem veram omnis ἀταξίας in matrimoniis, qua diuortia, qua polygamiam, indicat. Hinc & ſtatim diuinus vates, quod caput cauſſae erat, ſubiicit: ובאשת נעוריך אל יבגד *& in vxorem adoleſcentiae tuae*, ſeu quam duxiſti, cum in iuuentute adhuc conſtitutus, primum matrimonium inires, *ne praeuaricetur*, ſcilicet ſpiritus tuus praua concupiſcens, vel concupiſcentia tua praua, idque per polygamiam atque diuortia. Vt vero vlterius demonſtrer, quantopere Deo diuortia diſpliceant, pergit: כי־שנא שלח אמר יהוה אלהי ישראל *quia odio habens repudium, dicit Iehoua, Deus Iſraelis.* Chaldaeus equidem paraphraſtes haec verba ita explicat: ארי אם סנית לה פטרה *Ecce! ſi odio habueris eam, dimitte eam, &c.* Eundemque in modum LXX interpretes, vulgatus, immo ipſe B. LVTHERVS noſter in verſione germanica, transferunt. Sequuntur eandem interpretationem MARTINVS CHEMNITIVS, *exam. concilii Trid. part. II. pag. 236.* IO. GERHARDVS, *loc. theolog. tom. VII. pag. 345.* & MICHAEL WALTHERVS, *harm. bibl. pag. 751.* Immo ex Iudaeis nonnulli ex hoc ipſo loco, ſecundum iſtam interpretationem probare ſatagunt, diuortia etiam extra caſum adulterii licita eſſe; quorum ſententiam ſub examen reuocauit IO. BVXTORFFIVS de *ſponſalib. & diuortiis p. 128. ſeqq.* Qui autem ex noſtratibus eandem calculo ſuo adprobant explicationem, non abſolute, ſed comparate hoc intelligen-

gendum, contendunt, non ac ſi Deus vxorem, tantum quod inuiſa ſit, aut diſpliceat, ſtatim dimittendam voluerit; ſed, quod minus malum eſſe iudicet, ſi eam dimittat, quam ſi retineat equidem, ſed ſuperinducat aliam. Verum alii, & longe quidem rectius mea ſententia, verba ebraea ita vertunt: *quia odio proſequens ſum*, ſeu odio habeo, *dimiſſionem* ſeu τὸ dimittere, *dicit Iehoua Deus Iſraelis.* Accentuum ſane ratio, coniunctionem vocum שלח & שנא requirit, nec permittit, vt diuellantur, quod in priori fit interpretatione. Ad vocem שלח quod attinet, nonnulli eam pro imperatiuo habent, vertuntque: *Deus odit illud veſtrum, dimitte.* Minus tamen coactum, ſi infinitiuus eſſe cenſeatur, aut omnino pro nomine habeatur, ſignificante *dimiſſionem*; cum nomina eiusdem formae non adeo inuſitata ſint. Denique & cum ſequentibus aptiſſime haec expoſitio conſentit, ſiquidem iterum iterumque in iis Iudaeis inculcatur, ne vxores ſemel ductas adſpernentur. Facile etiam intelligitur, quod ſtatim ſequitur: וכסה חמס על לבושו *ideo operiat* (quilibet veſtrum) *violentiam veſtimento ſuo.* Chaldaeus equidem ita haec verba explicat: *neque obtegas peccatum veſtimento tuo;* eumque in modum & alii interpretantur, qui in antecedentibus verba שלח & שנא disiungunt. At cum oſtenſum ſit, rectius ea coniungi, eam, quam dedimus, verſionem praeferendam, ſua ſponte ſequitur. Senſus autem eſt, violentiam iſtam, in dimittendis ac repudiandis vxoribus, ſummo ſtudio ſupprimendam eſſe, ne vllo modo erumpat, prout veſtimento tegi aliquid ac occultari ſolet, ne vlla eius pars promineat, aut conſpiciatur. Eumque in finem & denuo, vt ſibi caueant, addit: ונשמרתם ברוחכם ולא תבגדו *& cuſtodiamini in ſpiritu veſtro*, ſeu ſpiritum veſtrum ad praua iſta tam pronum, diligenter obſeruetis, *vt non praeuaricemini.* Patet itaque, ſi cuncta paullo adcuratius conſiderentur, praecipue quidem diuortiorum licentiam a diuino vate reprehendi, ſimul tamen & polygamiam Deo minime gratam eſſe, innui. Atque hinc tum, quis rerum matrimonialium eo tempore apud Iudaeos ſtatus fuerit, tum, quodnam diuinum de iis iudicium ſit, intelligitur.

** Conceſſa equidem Iudaeis a Perſarum regibus poteſtas fuit redeundi in patriam, ſed ea lege, vt eorum imperio ſubiecti manerent. Hinc & tributa Perſarum ſoluebant regibus, *Eſdr. IV. 13. VII. 24.; Nehem. V. 4.* a quibus etiam praeſides ſeu praefectos accipiebant, vt vel Nehemiae exemplo patet, *Nehem. V. 14.* Magna hinc Perſarum regum cura, vt Iudaei in officio continerentur, nec grauior temere accuſatio his ab aduerſariis eorum intentata, quam quod rerum nouarum ſtudioſi eſſent, occaſionemque iugum Perſicum excutiendi quaererent; *Eſdr. IV. 12. Nehem VI. 7.* In ſignum quoque ſubiectionis, portae orientali templi Hie-

Digitized by Google

Hieroſolymitani vrbem Suſan adpiĉtam fuiſſe, Ebraeorum magiſtri tradunt; vt iam ad §. *praeced.* obſeruauimus. Hinc &, licet in terra ſua Iudaei viuerent, hocce tamen Perſicorum regum iugum, ſatis durum iis videbatur, vt vel ex iſta Nehemiae, gratia quamuis Artaxerxis regis florentis, querela patet: *ecce! ſumus nos hodie ſerui, immo in terra, quam patribus noſtris dediſti, vt illius fructibus vteremur, ſumus ſerui, & auget illa reditus regibus, quos nobis praefeciſti, ob peccata noſtra, illique corporibus noſtris imperant & beſtiis noſtris, vti placet, adeoque in magna ſumus anguſtia; cap. IX. 36. 37.* Praefecti iſti ſeu praeſides, quos reges conſtituebant, ex ipſis Iudaeis fuiſſe videntur; nec enim alienigenae, qui eo munere functus ſit, exemplum occurrit. Quod ſingulare omnino Numinis fuit beneficium; cum longe maioribus incommodis expoſiti fuiſſent, ſi praefectos habuiſſent ex ethnicis. Forte & haec inter reliquas cauſſas fuit, quae Sannebellathum contra Iudaeos tantopere irritarunt, aegre quod tulerit, eos ſuae praefecturae non fuiſſe adiectos. Solebat eiusmodi praefectus פחה *dux* vocari, vt ex *Malach. I. 2.* condiſcimus.

Primus ex illis Zorobabel fuit, qui iam Babylone ראש הגלות *caput* ſeu *dux exulum* fuit, & cum Ioſua ſummo ſacerdote, libertate a Cyro impetrata, exules Babylone in patrias ſedes reduxit, eaque omnia egit, quae eiusmodi praefectorum erant propria. Vnde & non immerito FLAV IOSEPHVS eum ἄρχοντα τῶν Ιουδαίων καὶ ἡγεμόνα τῆς πληθύος adpellitat, *antiquit. iud. lib. XI. cap. I. & IV.* Deinde & Esdra eodem functus eſt munere. Licet enim ex genere eſſet ſacerdotali, ab Artaxerxe tamen longimano ampliſſimam obtinuit poteſtatem, rem publicam ordinandi, & cuncta, quae eo pertinebant, conſtituendi, vt *Esdr. VIII. 25.* dicitur, & nos ſupra etiam ad §. *II.* huius ſectionis obſeruauimus. De Nehemia eo minus dubitandum, quia diſertis ipſemet hoc adſerit verbis, *cap. V. 4. 15.* Ex eodem vero etiam loco intelligitur, inter Zorobabelem & Nehemiam, alios quoque intercesſiſſe, qui eodem functi ſint munere. Dicit enim: *Praefecti* (פחות) *qui ante me fuerunt, preſſere populum, ab illoque exegerunt panem & vinum, nec non triginta ſiclos argenteos* (quolibet die) *quin eorum ſerui populo dominabantur.* Quod cum de Zorobabele & Esdra, viris ſanctitatis & virtutis laude conſpicuis, intelligi nequeat, alios ſane ante Nehemiam praefectos fuiſſe oportet, qui ſua tam turpiter abuterentur poteſtate. Zorobabelem filios habuiſſe conſtat; fierique potuit, vt patris non magis ſequerentur veſtigia, quam filii Samuelis. Sed nihil certi hac de re adfirmare licet. Quinam poſt Nehemiam Iudaeorum fuerint praefecti, itidem non conſtat. Sunt equidem, qui integram illorum nobis exhibent ſeriem; ſed cum ex documentis ſpuriis eam hauſerint,

non eſt, vt iis fidem adhibeamus; conf. MELCHIOR LEIDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. VI. cap. VI. pag. 464.* Mihi probabile admodum videtur, poſt Nehemiae mortem, praecipuam rerum adminiſtrationem penes ſummos fuiſſe ſacerdotes, praefectos autem a Perſarum regibus conſtitutos id maxime curaſſe, vt populus in officio contineretur, & tributa ac vectigalia adcurate ſolueret, vt ſupra iam ad §. *IV.* obſeruauimus. Certe, quae ibidem de Iaddo ex FLAV. IOSEPHO retulimus, ſatis demonſtrant, praecipuas eius in reipublicae adminiſtratione fuiſſe partes. Vnde nonnulli omnino colligunt, praefecti munere ex regis Perſarum voluntate ac mandato, eum functum. Atque haec cum ita ſe habeant, facile intelligitur, falſum eſſe, quod FLAV. IOSEPHVS dicit, ſtatim a reditu ex captiuitate Babylonica reipublicae adminiſtrationem penes ſummos fuiſſe ſacerdotes. Adſerit enim, Iudaeos ex Babylonico exilio reduces, vſos eſſe πολιτείᾳ ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας, οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων, ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμωναίους συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους· *regimine ariſtocratico cum praefectura paucorum, nam ſummi ſacerdotes negotiis praeerant, vsque dum gens Aſamonaeorum regnauit; antiquit. iud. lib. XI. cap. IV.* Dum autem ſummi ſacerdotes reipublicae adminiſtrationem poſt Nehemiae tempora aut ad ſe rapiebant, aut oblatam acceptabant, ciuilem cum ſacra coniungebant poteſtatem, non autem id, quod ſacerdotum proprium erat, agebant. Ciuilem enim iſtam poteſtatem in ſacerdotio non contineri, nemini ignotum eſt, nec ipſis, credo, ſacerdotibus iſtis in mentem venit.

Ceterum praeter praefectos illos, ſeu praeſides ſupremos, quos Perſarum reges conſtituebant, alii quoque erant magiſtratus, qui ab ipſis praefectis conſtituebantur. Id vel inde patet, quod Esdra ab Artaxerxe poteſtatem magiſtratus & iudices inferiores conſtituendi, accepit. Diſerte namque rex illi praecepit: *Tu vero, o Esdra, pro ſapientia Dei tui, quae in te, conſtituito* שפטין ודינין *iudices ac disceptatores, qui ius dicant toti populo, qui eſt trans fluuium, ſeu omnibus, qui norunt legem Dei tui, &c. cap. VII. 25.* Erant quoque שרים *principes,* itemque ראשי vel שרי אבות *capita* vel *principes familiarum*, quos itidem, ſi in reipublicae adminiſtratione res magni momenti occurrebat, in conſilium adhibitos, non eſt, quod dubitemus; immo ex *Esdr. VIII. 29. IX. 1. Nehem. IV. 14. V. 7. X. 14.* conſtat. His accedebant זקני עיר ועיר *ſeniores qualibet in vrbe*, ex quibus aliquando iudices conſtituebantur; *Esdr. X. 14.* Atque haec reipublicae iudaicae eo tempore fuit facies. Ceterum, ſi cogitemus, qua ratione ſingulari Numinis directione liberatio populi iudaici ex Babylonico exilio contigerit, & primi reipublicae & eccleſiae reſtauratores nihil fere magni momenti,

hhhhh nisi

niſi ex inſtinctu Numinis geſſerint, accedentibus etiam prophetis, variaque, quae ad eccleſiae ac reipublicae conſtitutionem ac emendationem neceſſaria erant, monentibus, haud obſcura durantis adhuc in hocce temporis interuallo *θεοκρατείας* deprehendemus documenta.

*** Vti nec in iis, quas hactenus perluſtrauimus, hiſtoriae ſacrae periodis, ita nec in hocce, de quo nunc loquimur, temporis interuallo, ſynedrii iſtius magni, de quo tam mirifica nobis narrant Ebraeorum magiſtri, certa deprehendere potuimus veſtigia; vt adeo haud dubie fallantur, qui tempore Esrae ac Nehemiae illud iam exſtitiſſe, aut primum inſtitutum fuiſſe, contendunt. Sane quidem fuerunt inter Iudaeos, eo tempore, שרים *principes*, itemque *capita* ſeu *principes familiarum*, qui, vt antea obſeruauimus, in conſilium adhibiti, cum de rebus magni momenti agebatur; magiſtratus etiam & iudices, ab Esra conſtitutos, lubentes concedimus, & ante ipſimet docuimus; ſed in hisce dum ſynedria magna pariter ac minora, ſe inueniſſe ſibi viſus eſt vir ſummus IO. SELDENVS, *de ſynedriis lib. II. cap. XVI.* ſe talmudicorum commentis nimis facile fidem adhibere, demonſtrauit. Nullum vero non tantum in libris Esrae & Nehemiae ſynedrii cuiusdam magni exſtat veſtigium, cuiusmodi tamen vel maxime in ea hiſtoriae iudaicae parte, quae ſtatum populi ſine regibus degentis, exhibet, inueniri oporteret, ſed & multa deſcribuntur magni momenti negotia ab Esra & Nehemia geſta, *Esdr. IX. & X. Nehem. VIII. ſeqq.* quae, eiusmodi tum non exſtitiſſe inter Iudaeos tribunal, aperte euincunt. Emendantur mores populi, fedusque cum Deo reſtauratur, multique e primoribus populi, ſacerdotibus atque Leuitis, manus ſuae ſubſcriptione, ſe id poſthac obſeruaturos, promittunt; at ſynedrii nulla in his, aut aliis eiusdem generis negotiis, mentio. Multa Nehemias, praefectus gentis ſuae ab Artaxerxe conſtitutus, ſua auctoritate molitur ac perficit, aliquando etiam ad coetum populi prouocat, principumque ipſemet corrigit ac emendat vitia. Quod qui facere potuiſſet, ſi ſynedrium aliquod iam tum exſtitiſſet? Immo vix credibile, populum iudaicum tam cito in deteriora labi potuiſſe, vt tam graui emendatione opus haberet, ſi ſynedrium aliquod fuiſſet, cuius fuiſſet officium praecipuum, eiusmodi populi vitiis tempeſtiue adhibere medelam. His rationibus nonnulli & hanc addunt, quod magna Ebraeorum conſenſione כנסת הגדולה *ſynagoga magna*, hoc tempore fuiſſe, dicatur; qua tamen minime opus eſſe videbatur, ſi fuiſſet ſynedrium. Sunt ſane, qui vtrumque collegium eo tempore admittunt; ſed cum iſti ad allatam rationem vix ſolidi quid reſpondere queant, alii in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ſynagogam iſtam magnam, cuius toties Ebraeo-

rum

rum magiſtri mentionem faciunt, nihil aliud, quam ipſum ſynedrium fuiſſe. Ita & IO. SELDENVS cenſet, de *ſynedr. lib. II. cap. XVI.* Cum vero inter alia & hoc obſtet, quod ſynagoga illa magna, cui Esdra praefuit, magno Ebraeorum conſenſu CXX virorum fuerit, cum ſynedrium LXXI ſolum adſeſſoribus conſtiterit, SELDENVS quidem ita hinc ſe expedire conatur, vt adſerat: *exiſtimandum videri LXXI ſynedrii principem ita eſſe Esdram, vt, cum demortuis collegis alii ipſo ſuperſtite ſuccederent, vniuerſi ſimul, id eſt, tam LXXI qui ſynedrium magnum primo, ſic & deinceps conficerent, quam ſiue quinquaginta ſiue quadraginta nouem, vt ſuccedanei ſuo quilibet tempore ſubinde adiecti, integrum CXX numerum complerent, ſynedrium eius vocarentur; adeo vt nunquam ordinata ſaltem repulica plures, quam LXXI, ſynedrii ſimul eſſent collegae: omnes tamen collegae, ſiue primo adſciti, ſiue poſtea ſuccedanei, hoc nomine pariter honeſtarentur.* Hoc vero annon coactum valde, & ingenioſe ſolum, ad cauſſam lubricam vtcunque tuendam, excogitatum ſit? aliis diiudicandum relinquo. Certe ſynagogam magnam, ſi eam ponamus, a ſynedrio, ſi quod eo tempore fuit, ex mente ſententiaque Ebraeorum diſtinctam fuiſſe, negari nequit, ſiquidem illam ad eccleſiae praecipue reſtaurationem emendationemque ſpectaſſe, dicunt, cum hoc negotia ciuilia tractauerit; conf. IO. BVXTORFIVS, *Tiberiad. c. X.* add. MELCHIOR LEIDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. VI. c. VI. pag. 461. & cap. VIII. pag. 483.* Mihi equidem, pleraque, quae de ſynagoga iſta magna Ebraeorum magiſtri tradunt, non certiora eſſe videntur, quam quae de ſynedrio magno referunt, vt ad §. *XII.* pluribus oſtendemus; negare tamen nolim, concilium aliquod ſub Esdra fuiſſe, in quo de rebus ad gentis Ebraeae ſalutem, ſpeciatim ad religionis, cultusue diuini emendationem, conſeruationem, propagationem, ſpectantibus, fuerit deliberatum; quippe quod iſtius temporis ratio prorſus requirere videbatur; indeque occaſionem, ſynedrium ſequenti aetate inſtituendi, ortam eſſe, a vero non abhorret, immo admodum eſt probabile. Qua de re in ſequentibus plura. Noſtram de ſynedrio magno confirmant ſententiam IO. VORSTIVS, in *diſſert. de ſynedriis Ebr.* quae exſtat, *faſcic. IV. opuſculor. ad hiſtor. & philolog. ſacram ſpectantium,* §. *XXXVII. pag. 399. ſeqq.* HERM. CONRINGIVS, de *republ. Ebraeor.* §. *XXI.* HERM. WITSIVS, *miſcellan. ſacr. part. I. lib. II. diſſert. III.* §. *LXXXVII. pag. 563.* IO. CLERICVS, *diſſert. de ſynedrio LXXII. virorum,* quae ſubiuncta eſt commentario eius in *libros hiſtor. vet. teſtam.* §. *VI.*

§. XII.

Litterarum quoque ſtudia cum rebus Iudaeorum in melius reſtitutis ſimul effloruiſſe, non eſt, quod dubitemus; quem in finem & ſcholas, domiciliaque ſapientiae, ab iis conſtituta, vt credamus, par eſt. * Ad rem litterariam etiam pertinet linguae ebraeae, quae hocce tempore ſe exſeruit, itemque litterarum, ſi nonnullis credimus, mutatio. ** Scripta etiam varia hacce aetate edita ſunt, & ad *θεόπνευςα* quidem quod attinet, praeter prophetarum, Haggaei, Zachariae, Malachiae, libri regum, chronicorum Esdrae, Nehemiae & Eſtherae; inter apocrypha autem praeter ea, quae Esdrae tribuuntur, *eccleſiaſticus*, vt vocari ſolet, a Ieſu Sirachi filio compoſitus. *** Moſis vero etiam & reliquorum prophetarum, qui ante haec tempora vixerunt, codices ab Esdra recognitos, vt facile largimur; ita quae de omnium librorum ſacrorum, in captiuitate perditorum, per Esdram reſtitutione dicuntur, fabulis merito adnumeramus, inanibusque commentis. * Verſio quoque ſacri codicis graeca, a LXXII interpretibus, vt vulgo ferunt, in Aegypto facta, ad hocce temporis referri ſolet interuallum. **

* Cum a Iudaeis, in ipſa captiuitate Babylonica conſtitutis, litterarum non plane intermiſſa ſint ſtudia, vti ad *ſect. praeced.* §. *XIII.* demonſtratum; multo magis credendum, poſt reditum ex Babylonico exilio, ea in gente hacce conſeruata, excitata, & propagata eſſe. Immo, ſi vera eſſent, quae Ebraeorum magiſtri de ſynagoga iſta magna, cuius caput princepsue Esdra fuerit, nobis narrant, nullum eſt dubium, quin de litterarum ſtudiis excitandis fouendisque vel maxime fuerit ſollicita. Non abs re itaque fuerit, nec a loco hocce alienum, quae iudaicae gentis doctores de ſynagoga hacce magna tradunt, in compendio exhibere, & paucis ſub examen vocare. Conſeſſum huncce magnum, quem כנסת הגדולה *ſynagogam magnam* vocant, a ſynedrio magno, vt antea iam obſeruatum, diligenter diſtinguunt, ab Esdra inſtitutum perhibent; quem & elogiis non inuidendis modo, ſed commenta etiam fabulasque redolentibus, cumulant. Plane eum cum Moſe conferunt, dignumque fuiſſe, perhibent, vt lex per manum eius traderetur, niſi Moſes eum praeueniſſet; in *tract. Sanhedrin. cap. II.* Immo prophetis ſui temporis eum anteponunt, & ne vlla in re illis cedere videatur, Malachiam ipſum Esdram fuiſſe, fingunt. Porro, ſynagogam iſtam magnam CXX conſtitiſſe viris, perhibent, quorum nonnullos MAIMONIDES nominat, *praefat.* ad *iad chaſ.* plures ABARBANEL, *praefat.* ad *librum* נחלת אבות. Sed alii

pau-

pauciores. Non enim ſatis hac in re inter ſe conueniunt. Communi vero conſenſu tres vltimos prophetas, Haggaeum, Zachariam, Malachiam iis adnumerant; vltimum autem Simeonem iuſtum ſacerdotem ſummum fuiſſe, autumant; conf. IO. BVXTORFIVS, *Tiberiad. cap. X. p. 90. 92.* Quam praeclare & magnifice de ſynagogae huius magnae adſeſſoribus ſentiant, non exponam. Res enim plena taedii foret. Inter praecipua autem ſynagogae huius magnae negotia ab iis refertur, *legis oralis* ſeu *traditionum* conſeruatio & propagatio. Notum omnibus eſt, quod hac de re in פרקי אבות ſeu *capitulis patrum cap. I. vers. 1.* exſtat: *Moſes accepit legem* (oralem) *a Sinai, & illam tradidit Ioſuae, & Ioſua ſenioribus, & ſeniores prophetis, & prophetae viris ſynagogae magnae.* At, ſi auctori *libri IV. Eſdrae c. XIV. v. 46.* credimus, legem hanc oralem litteris conſignauit Eſdra; ſiquidem ex libris, quos per XL dies Numinis adflatu perculſus dictauit, priores quidem omnibus, dignis & indignis, patere debebant, at *LXX vltimi cuſtodiendi erant, & tradendi ſapientibus, quod in illis vena intelligentiae, ſapientiae fons, & ſcientiae flumen contineretur.* His qui fidem adhibent, maxima kabbaliſtarum myſteria hisce in libris exſtitiſſe, ſibi perſuadent; exſtiteruntque deinde haud dubie, qui ſub Eſdrae nomine eiusmodi libros confingerent; quales illi fuiſſe videntur, quos haud exiguo pretio PICVS MIRANDVLANVS emit; qua de re deinceps dicemus. In iisdem *capitulis patrum l. c.* & hocce ſynagogae magnae decretum refertur: *Eſtote tardi in iudicio, & conſtituite multos diſcipulos,* ועשו סיג לתורה *& facite legi ſepem.* Sunt, qui putant, viros ſynagogae magnae obuiam hac ratione ire voluiſſe peccatis populi iudaici, eo tempore maxime inualeſcentibus, & a vatibus diuinis, Haggaeo, Zacharia, & Malachia praecipue notatis. Nimirum, cum in foro fides, aequitas, iuſtitia deficerent, ideo dictum eſſe: *eſtote tardi in iudicio*; vt neglectui ſacrorum obuiam iretur, ideo dictum eſſe: *conſtituite multos diſcipulos*; vt ad legem Moſaicam diligentius obſeruandam populus adduceretur, ideo dictum eſſe: *facite legi ſepem;* hoc eſt, vt eo magis a peccatis arcerentur, addendum velut aliquid legi eſſe, ſeu limite vel ſepimento eam muniendam, vt eo minus violari aut tranſſiliri poſſet. Quae ſi ita ſe habeant, verum & genuinum phariſaicarum traditionum hic deprehendimus fontem. Sane ſi vel maxime a ſynagoga magna eiusmodi quid non fuit conſtitutum, vix tamen dubitandum, exſtitiſſe inter veteres Iudaeos viros ſapientiae opinione claros, qui talia conſilio non malo, at haud aeque felici euentu, ſuis inculcarent, & ita traditionibus phariſaicis occaſionem praeberent.

Propius ad noſtrum inſtitutum accedit, quod porro referunt, viros ſynagogae magnae de colligendis in vnum libris ſacris, riteque diſponendis,

dis, fuiſſe ſollicitos. Atque hoc eſſe, quod Ebraeorum magiſtri dicant, reſtituiſſe viros ſynagogae magnae *coronam ſuae antiquitati.* Collecti vero ſunt, ſi his porro credimus, qui iam tum exſtabant, libri canonici, hisque porro additi, qui nuper aut non ita pridem acceſſerant, Ieremiae vaticinia cum threnis, Ezechielis item, Danielis, Haggaei, Zachariae & Malachiae; quibus Esdra & Nehemias ſuos quoque ex adflatu diuino ſcriptos libros adiecerint. Ad diſpoſitionem quod attinet, eum librorum ordinem, qui in codicibus ebraeis hodie conſpicitur, a ſynagoga iſta magna repetunt; vt adeo iam eo tempore codex ſacer vniuerſus in *legem*, *prophetas*, & *hagiographa* fuerit diſtributus. At quis credat, ſynagogam iſtam magnam, cuius membra viri ſanctiſſimi, Esdra, Nehemias, Haggaeus, Zacharias fuerint, Danielem ex numero prophetarum eieciſſe? Certe, cur hoc fecerint, nulla vllo modo probabilis ratio excogitari poteſt, cum haud difficile ſit iudicare, recentiores iudaeos quid induxerit, vt Danielem ex prophetarum numero eliminatum vellent. Quare, ſi Esdrae tempore orta eſſet haec partitio, ita tamen hoc intelligendum foret, vt Danieli locus inter prophetas conceſſus credatur. Sed ortam, omnino fruſtra & ſine omni fundamento adſeritur; nec enim certi quid de partitionis iſtius origine dici poteſt, vti ſupra iam ad ſectionis praecedentis §. *IX.* oſtendimus. Accedit, & antiquitatem iſtius partitionis prorſus ſuſpectam reddit, quod cum illa, quae eſt LXX interpretum, atque etiam FL. IOSEPHI, non conueniat. Interim Ebraeorum magiſtri pergunt, & viris ſynagogae magnae hoc quoque tribuunt, quod codicem ſacrum, lectiones variantes examinando, veramque lectionem conſtituendo, integritati ſuae reſtituerint, in verſus ac ſectiones diſtinxerint, ſpurios libros a canonicis ſeparauerint, immo ipſum canonem clauſerint, riteque conſtituerint. Atque de primo quidem capite deinceps diſpiciemus, cum de ſacro codice ab Esdra recognito, verba facienda erunt. Ad diſtinctionem ſacri codicis quod attinet, per *ſectiones* nos פרשיות pentateuchi intelligimus, quarum quidem originem nonnulli ex Ebraeorum doctoribus ab ipſo Moſe arceſſunt, הלכה מסיני *traditionem Sinaiticam*, hanc diſtributionem adpellitantes. Alii autem ab Esdra, viriſque ſynagogae magnae, ſectionum harum originem repetunt; a qua etiam ſententia non abhorret IO. BVXTORFIVS, *biblioth. rabbin. p. 283.* Conciliant rurſus alii vtramque ſententiam, morem iſtum legem in ſectiones diuidendi a Moſe primum introductum contendentes, ab Esdra autem poſt captiuitatem Babylonicam in vſum reuocatum, qui & prophetarum lectionem adiunxerit. Ita IMMANVEL TREMELLIVS ad *Actor. XIII. 15.* Mihi, ſaluo aliorum iudicio, partitio iſta legis Moſaicae ab eo tempore, quo in ſynagogis legi incepit, repetenda videtur, adeoque ſynagogarum introductione antiquior eſſe

nequit

nequit. De ſynagogarum autem origine, quae noſtra ſententia ſit, ex ſupra dictis conſtat. Inde ſimul lubentiſſime illis ſuffragamur, qui iam ante Chriſti natiuitatem, hanc partitionem in vſu fuiſſe, contendunt, quod & nonnulli ex *Actor. XIII. 15.* colligunt; conf. IO. HENR. HOTTINGERVS, *theſ. philol. p. 222.* add. LAVRENTIVS FABRICIVS, *partit. cod. ebr. p. 41.* De ſectionibus autem librorum propheticorum, quas הפטרות vocant, ipſimet Iudaeorum magiſtri ita cenſent, eas tempore Antiochi epiphanis introductas, cum legis lectio prohibita eſſet, quas tamen deinceps, cum libertatem legendi legem iterum impetraſſent, retinuerint, & cum legis lectione coniunxerint; conf. IO. BVXTORFIVS, *de abbreuiat. p. 283.* LAVR. FABRICIVS & IO. HENR. HOTTINGERVS, *locis citat.* De diſtinctione ſacri textus in פסוקים eadem ratione nonnulli ſentiunt, eam a viris ſynagogae magnae profectam eſſe. Quodſi ita capiatur, tempore Esdrae duo puncta, verſum quemlibet terminantia, quae סוף פסוק vocantur, addita eſſe, admitti poſſet; quemadmodum & hac ratione hoc admittit IO. BVXTORFIVS, *Tiberiad. part. I. cap. XI. p. 286.* Sine omni verſuum diſtinctione codicem ſacrum ante haec tempora fuiſſe, vix credibile eſt: quanquam nonnulli ex Iudaeis hoc ſibi perſuadeant, legem Moſis velut vnum פסוק fuiſſe, contendentes, quemadmodum & Deus legem בדבר אחד *vna voce* pronuntiauerit. Legenda, quae contra hanc ſententiam diſſerit, IVL. BARTOLOCCIVS, *bibliotb. rabbin. magna tom. IV. p. 186. ſeqq.* Diuiſio vero in פרקים *capita* hic prorſus in cenſum non venit, quippe quam nonnulli Hugoni cardinali, alii autem Stephano Langhtono, Anglo, tribuunt; certe a chriſtiano quodam inuenta, a Iudaeis autem adprobata, & textui ebraeo adplicata fuit; conf. AVG. PFEIFFERVS, *crit. ſacr. cap. I. ſect. I. §. X. ſeqq. p. 10. ſeqq.*

Ad ſpuriorum librorum reiectionem quod attinet, nouimus ſane, ſub nomine Salomonis, immo Abrahami, Enochi, aliorumque magnorum virorum, varios libros confictos fuiſſe. Si ex hisce quidam iam Esdrae tempore exſtiterunt, non eſt dubium, quin eos a canonicis ſeparauerit, ſimulque quinam genuini ſint, determinauerit. Nec abnuimus, immo veritati maxime conſonum arbitramur, ab Esdra, vltimisque prophetis Haggaeo, Zacharia, Malachia, canonem conſignatum, clauſumque fuiſſe, modo recte hoc intelligatur. IO. HENRICVS HOTTINGERVS equidem id adeo pro certo habet, vt nefas exiſtimet, hac de re dubitare. *Inconcuſſum vero hactenus*, inquit, *& tam apud chriſtianos, quam Iudaeos*, ἀναμφίσβητον *fuit principium, ſimul & ſemel canonem veteris teſtamenti auctoritate prorſus diuina conſtitutum eſſe ab Esdra &* אנשי כנסת הגדולה *viris ſynagogae magnae; theſ. philolog. lib. I. cap. II. p. 111.* At rectius feciſſet, ſi Esdrae, prophetas potius vltimos, quam viros ſynagogae magnae, adiunxiſſet. De

De hiſce enim quod vulgo dicitur, nondum ita exploratum eſt, vt extra omnem poſitum controuerſiam cenſeri debeat. Interim Romanae eccleſiae doctores hoc, quod de ſynagoga magna dicitur, canonem ſcripturae ab ea conſignatum, auide arripiunt, vt hac ratione eccleſiae facultatem, canonicam libris quibusdam tribuendi auctoritatem, vindicare poſſint. Fatetur autem PETRVS DANIEL HVETIVS, ſolidis rationibus hactenus probatum non eſſe, Esdram ſiue ſynagogam magnam canonis conditorem exſtitiſſe, quas ipſe primum excogitaſſe & attuliſſe, ſibi viſus eſt, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. p. 467.* Alii vero, quidquid hac de re dicitur, inter fabulas, & inania Iudaeorum commenta, traditionesue referendum cenſent, quae nullam promereantur fidem. Ita RICHARDVS SIMON hac de re pronuntiat, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. VIII. p. 52.* quem & hac in re ſequuntur theologi, vt ſe vocant, Bataui, dans *les ſentiments ſur l' hiſtoire critique &c. p. 198.* Sane, quod de ſynagoga magna dicitur, non ſine ratione ab iis in dubium vocatur, vt ex mox dicendis conſtabit. Ab Esdra tamen vltimisque prophetis ſtudium, in libris genuinis a ſpuriis discernendis, canoneque adeo hac ratione, quem omnes Iudaei agnoſcerent, conſtituendo, collocatum eſſe, a vero minime abhorret. Eccleſiae vtique iudaicae, qui eo tempore erat, ſtatus hoc prorſus requirebat. Cumque Esdra nihil eorum intermiſerit, quae ad eccleſiam reſtituendam & conſeruandam, immo & ad populum erudiendum ſpectabant, quis credat, eum de canone quodam, ſeu collectione librorum ſacrorum, qui pro genuinis agnoſcendi erant, non fuiſſe ſollicitum? Accedit, maximumque momentum trahit, quod eccleſia iudaica nunquam alios libros pro canonicis agnouerit, quam qui hodie in codice ebraeo exſtant, in quo vltimi ſunt, quos Esdra, Nehemias & prophetarum poſtremi ſubſcripſerunt. Id quod & ex verſione LXX interpretum luculentiſſimo patet. Aliud adhuc argumentum, a nemine, vt opinatur, obſeruatum, profert PETRVS DANIEL HVETIVS *l. c.* ex *Eccleſiaſt. cap. XLIX. 12.* vbi auctor iſtius libri in laudandis viris ſcriptoribusque ſacris, ſeruat canonis iudaici ordinem, & de duodecim prophetis, quos minores vocant, dicit: *duodecim prophetarum oſſa pullulant de ſuo loco.* Quod quidem documento eſt, canonem codicis ebraei iam eo tempore receptum fuiſſe; a viris autem ſynagogae magnae eum conſtitutum, inde non euincitur. Legendi, qui pluribus hoc de canonis conſignatione argumentum proſequuntur, IO. HENRICVS MAIVS, *diſſert. de conſignato canone*, quae tertia eſt inter *diſſertationes* eius *quatuor de ſcriptura ſacra p. 85. ſeqq.* & MELCHIOR LEIDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. VI. cap. VIII. p. 493. ſeqq.* Non abs re fuerit, & illud obſeruare, cum ex mente doctiſſimorum virorum ante templi Salomonei deſtructionem libri cano-

canonici in arca federis, vel iuxta eam, poſiti fuerint, non ſine ratione quaeri, quo in loco iidem in templo ſecundo fuerint adſeruati? Certe non minori diligentia Iudaeos eo tempore in eiusmodi libris cuſtodiendis vſos, quam illorum maiores ante captiuitatem Babylonicam, non eſt, quod dubitemus. Cum vero arca federis in templo poſteriori non fuerit, vt ſupra euicimus, in eam viri quidam docti ingreſſi ſunt ſententiam, ab Esra eiusque collegis, capſam quandam nouam ſeruandis libris ſacris fabrefactam fuiſſe. Coniectura haec eſt PETRI DANIELIS HVETII, *demonſtrat. euangel. p. 476.* vbi & TERTVLLIANI teſtimonio eam confirmat, qui capſam hanc *armarium* dixerit.

Ad ipſam vt redeamus ſynagogam magnam, praeter hactenus adlata, & alia eidem tribuuntur, v. g. quod varias circa mores conſtitutiones ſanciuerit, certas precum formulas introduxerit, formulam quoque מהעולם ועד עולם *a ſeculo in ſeculum*, ad Sadducaeorum iam tum ſe exſerentem haereſin reprimendam, addi iuſſerit, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, de quibus in compendio MELCHIOR LEIDECKERVS agit, *de republ. Ebr. tom. II. lib. VI. cap. IX. p. 496. ſeqq.* Quae tamen vt itidem non alio, quam incerta Iudaeorum traditione, innituntur fundamento, ita, quid tandem de ipſa haecce ſynagoga magna ſentiendum ſit, ex hactenus dictis haud difficulter colligere licet. Esdram nimirum cum aliis quibusdam viris ſapientia & virtute ſingulari praeditis, nonnulla conſtituiſſe, quae ad eccleſiae reſtitutionem & conſeruationem, doctrinaeque ſacrae propagationem ſpectabant, & hinc librorum, qui codicem ſacrum conſtituebant, curam ſingularem geſſiſſe, haud inuiti concedimus. Eccleſiae, qui iſto tempore fuit, ſtatus hoc requirebat; & Esrae ſtudium, quod in rebus gentis ſuae promouendis poſuit, ſingulare, nos hac de re dubitare non ſinit. Idem cum eo negotium prophetas vltimos Haggaeum, Zachariam, & Malachiam vrſiſſe, eorum facile omnibus perſuadebit pietas. Nec temporum obſtant rationes. Cum enim certo non conſtet, quando mortui ſint, non video, cur credere nolimus, vitam eo vsque eos produxiſſe, vt cum Esra ad eccleſiae rationes ſtabiliendas confirmandasque, operam ſtudiumque coniungere potuerint. Et hinc haud dubie tota iſta de ſynagoga magna exorta eſt fabula. Talem enim ſynagogam magnam, qualem Iudaei fingunt, nunquam fuiſſe, rationibus haud proletariis euinci poteſt. De eius enim inſtitutione, quam Esrae tribuunt, nec in ipſius Esrae, nec in Nehemiae libro, nec in aliis monumentis fide dignis, quidquam legitur. Immo nec in duobus Esrae libris apocryphis, nec apud FLAV. IOSEPHVM, vlla eius mentio. Talmudici primum eius meminere doctores, quorum vt alias in rebus hiſtoricis exigua fides eſt, ita in rebus ab illorum aetate adeo remotis multo adhuc minorem

 prome-

promerentur. Non tantum Zorobabelem, & Ioſuam, ſed & Mardochaeum, ac Danielem, aliosque inter ſynagogae iſtius magnae adſeſſores numerant, quos tamen aut iam mortuos, cum Esra eccleſiae curam in Palaeſtina ſuſciperet, aut nunquam in Palaeſtinam rediiſſe, conſtat. Atque haec cum ita ſe habeant, mirum, praeter alios & PETRVM DANIELEM HVETIVM fabulis hisce rabbinicis aurem praebuiſſe, *demonſtrat. euang. part. I. prop. IV. p. 468. ſeqq.*

Facile autem ex dictis intelligitur, cum Esra, aliique viri ſancti tanto ſtudio religionis, doctrinaeque ſacrae curam geſſerint, de litterarum quoque ſtudiis excitandis ac fouendis, eos fuiſſe ſollicitos. Sine his enim quod cupiebant, obtinere non potuiſſent. Quare licet ſcholarum, in quibus iuuentus litteris imbuta fuerit, nulla in monumentis huius temporis fiat mentio, exſtitiſſe tamen tales, non eſt, quod dubitemus. Immo ſapientiae laude vel maxime Iudaeos hac aetate effloruiſſe, vel ipſius Ariſtotelis iudicio confirmari poſſe, nonnulli exiſtimant, ſiquidem apud CLEARCHVM Iudaeos propaginem Sophorum Indorum eſſe, perhibeat; adſeratque, philoſophos illos, qui apud Indos Calani adpellantur, in Syria Iudaeos dici, a loco; Iudaeum autem iſtum, qui ad ſe in Aſia degentem venerit, magnis ob ſcientiam & eruditionem elogiis in coelum euehat. Locum CLEARCHI exhibet FLAV. IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion. p. 1047.* & EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. V. p. 409.* Licet autem Ariſtoteles in eo erret, quod Iudaeos Sophorum Indorum propaginem ferat, ſatis tamen inde patere cenſent, quam animo de Iudaeorum ſapientia conceperit opinionem. Hinc IACOBVS ALTINGIVS cum eadem, quae attulimus, ex CLEARCHO commemoraſſet, addit: *quae aſſertio tam fidem meretur, quam ſacrae genti glorioſa eſt, cum ambitioſiſſimi ingenii philoſophum (cui nihil tam familiare, quam cacoethes detrahendi aliis, ſapientiae fama praeſtantibus) eam non prolaturum fuiſſe, videatur veriſimile, niſi veritatis vi maiore fuiſſet ipſi quodammodo extorta*; *in hiſtoria academiar. ebraear. p. m. 288.* Verum non nimium huic CLEARCHI teſtimonio tribuendum eſſe, aliis obſeruatum eſt. Non enim deſunt rationes, quae ſuadeant, illud non iſtius CLEARCHI eſſe, qui diſcipulus fuit Ariſtotelis, & inter peripateticos haud vltimum locum tenet, ſed alterius, eiusque longe iunioris; ſiquidem, quae de itinere Ariſtotelis Aſiatico refert, non ſatis cum iis, quae alii de philoſophi huius vita tradunt, conciliari poſſunt; parumque veroſimile videtur, Ariſtotelem tam multa cum Iudaeo ſapientiae & eruditionis fama claro collocutum, & nihiloſecius in origine Iudaeorum tam turpiter hallucinatum; conf. PETRVS BAELIVS, *diction. hiſtor. crit. voc. Ariſtoteles, p 346. 347.* Eodem etiam loco habendum, quod R. ABRAH. ZACVTH commemorat, in *libro Iuchaſin p. 157.* vt nobis perſuadeat, quid-

quid

quid ſolidum eſt in doctrina Ariſtotelis, furtim ablatum eſſe e ſapientia Salomonis. Alexandrum ſcilicet Macedonem, cum Hieroſolymis rerum potiretur, ſummam rerum, ipſosque adeo Salomonis libros, Ariſtoteli praeceptori ſuo concrediciſſe, in his quidquid boni inuenerit, ſuo deinceps nomine edidiſſe Ariſtotelem, erroribus tamen variis, e. g. de aeternitate mundi, admixtis; conf. IVL. BARTOLOCCIVS, *biblioth. rabbin. magna*, *tom. I. p. 473.* IAC. THOMASIVS, *de plagio litterar.* §. *CCCLXIV.* Ex CLEARCHI illa relatione, perperam intellecta, alia adhuc enata eſt fabula, Ariſtotelem gente Iudaeum fuiſſe, qua de re legendus, quem laudauimus, BARTOLOCCIVS *l. c. p. 472.*

** Ad linguam quod attinet, eſſe nonnullos, tum ex Iudaeis, tum ex chriſtianis, qui exiſtiment, ebraeae purioris vſum in captiuitate Babylonica, ſaltem apud plebem, maximamque populi partem, deſiiſſe, iam ſupra ad §. *III.* huius ſectionis obſeruauimus, ſimulque praeter ebraeos quosdam, IO. HENRICVM HOTTINGERVM, BRIANVM WALTONVM, RICHARDVM SIMONEM, aliosque, ſententiae iſtius laudauimus patronos. Sed non adeo probabilem eam eſſe, hinc & aliis viris doctrina & ingenio praeſtantibus, improbari docuimus. Sane labem quandam apud homines plebeios, ex quotidiano cum Chaldaeis commercio, linguae huic tum adſperſam, vocesque quasdam, & loquendi modos peregrinos adſumtos, non infitiatus fuerim. Nec tamen tanta ſtatim iſta fuit corruptio, vt ipſam amplius linguam ebraeam intelligere non potuerint; multo minus ad honoratiores, ſacerdotes, principesque viros, aut qui animum litteris erudiuerant, eam pertranſiiſſe cenſendum eſt. Vix vtique credibile eſt, tam breui temporis ſpatio ita corrumpi aut vitiari linguam aliquam poſſe, vt noua plane eius locum occupet; praeſertim ſi conſideremus, plerosque Iudaeorum in captiuitate Babylonica vna habitaſſe, frequentiusque haud dubie eos inter ipſos, quam cum Babyloniis ſermones miſcuiſſe. Accedit, quod ſcriptores ſacri, qui poſt captiuitatem Babylonicam ſua nobis reliquere monumenta; Esra, Nehemias, Haggaeus, Zacharias, Malachias, lingua ebraea puriori vſi ſunt. Qui quidem libri cum in vſum populi iudaici, qui eo tempore fuit, ſcripti ſint, quis credat, ſcriptores hosce ſacros lingua ei ignota vti voluiſſe? Quod pro contraria ſententia ex *Nehem. VIII. 8.* ducitur argumentum, ſupra iam ad §. *III.* huius ſectionis, refutauimus. Mirum vero, nonnullos ex ebraeis doctoribus illud quoque vrgere, Nehemiam coniugia Iudaeorum cum vxoribus peregrinis, vel hoc nomine diſſoluiſſe, quod liberi ex hisce matrimoniis ſuſcepti non iudaice, ſed ex parte asdodice, aut lingua gentis cuiusque, ex qua eorum matres erant, locuti fuerint. Quo quidem argumento etiam R. MOSES MAIMONIDES vtitur, vt neceſſitatem formularum in precibus fundendis, quas a ſyn-

agoga magna introductas putat, inde euincat, in *tract.* הפלח *cap. I.* §. *IV.* Contrarium enim potius inde colligere licet. Si enim lingua ebraea purior, quae ibi iudaica vocatur, non amplius in vſu fuiſſet, per asdodicam, aliarumque gentium dialectum, non potuiſſet corrumpi. Cumque Nehemias, vitium hoc animaduertens, omni ſtudio, vt illud auerteret, & linguae puritatem conſeruaret, incubuerit, quis dubitaret, populi principes non minorem adhibuiſſe induſtriam, vt in captiuitate Babylonica ebraeae linguae integritas, quantum fieri poterat, conſeruaretur? Facilius inſuper per matrimonia cum vxoribus peregrinis poſt captiuitatem lingua iſta vitium contrahere poterat, quam in ipſa captiuitate, in qua cum Iudaei conſtituti erant, eos cum peregrinis vxoribus matrimonia contraxiſſe, non legimus. Interim, cum antea conceſſerimus, labem forte quandam apud homines plebeios in captiuitate iſta linguam ebraeam contraxiſſe, deinceps ſucceſſu temporis factum videtur, vt ſenſim vitium iſtud inualeſceret, tandemque in aramaeam ſeu ſyro-chaldaeam dialectum lingua ebraea degeneraret. Atque haec doctiſſimis etiam viris probatur ſententia, quorum nonnullos ſupra iam ad §. *III.* laudaui, quibus adhuc addendi STEPHANVS MORINVS, *de lingua primaeua, exercit. XI. p. 77.* & IACOBVS ALTINGIVS, *diſſertation. academ. heptade II. diſſert. I. p. 122. ſeqq.*

Ad litterarum autem quod attinet mutationem, ſunt viri longe doctiſſimi, qui exiſtimant, litterarum characteres, quos hodie ſamaritanos vocamus, eos ipſos eſſe, quibus Moſes & prophetae in libris ſuis conſcribendis vſi ſint; immo quibus ipſe Abrahamus vſus ſit, qui, cum relicta patria in Cananaeam ſe conferret, Cananaeorum ſeu Phoenicum etiam linguam, & cum ea litterarum, quae apud Phoenices in vſu erant, formas adſumſerit. Et his quidem cum Iſraelitae omnes vsque ad captiuitatem Babylonicam vſi ſint, Iudaeos in captiuitate iſta conſtitutos, ſenſim eorum characterum, qui apud chaldaeos in vſu erant, quiue hodie & aſſyriaci vocari ſolent, recepiſſe conſuetudinem; hincque adeo Esram, cum ſoluta captiuitate Babylonica patriis ſedibus redditi eſſent, curaſſe, vt libri ſacri charactere chaldaeo ſeu aſſyriaco, ceu notiori Iudaeis, ſcriberentur, cum interea apud Samaritanos per Iſraelitas ex Aſſyriaca captiuitate reduces, antiqui iſti & genuini characteres conſeruarentur, qui ideo Samaritanorum retulerint nomen. Primus in hanc ſententiam ex Iudaeis ingreſſus dicitur IOSEPHVS ALBO, qui ſeculo decimo quinto floruit, in libro *Ikkarim*, quem tamen ex eadem gente pauci, inter reliquos autem ELIAS LEVITA, fuerint ſecuti. Ex chriſtianis eandem amplexus eſt ſententiam PETRVS GALATINVS, de *arcan. cathol. veritat. lib I. cap. V.* quem ARIAS MONTANVS, SIXTVS SENENSIS, GENEBRARDVS, VILLALPANDVS, aliique, magno ſecuti ſunt numero.

Cum-

Cumque ad labefactandam codicis ebraei auctoritatem plurimum faciat, mirum non eſt, eos, qui Romanae eccleſiae ſacris addicti ſunt, eam auide arripuiſſe; quod adeo praeter antea laudatos & ROBERTVS BELLARMINVS fecit, *lib. II. de verbo Dei cap. I.* itemque EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, *origin. ſcript. ſacr. lib. IV. cap. XVI.* & *lib. XI. cap. X.* & ex recentioribus PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. pag. 250.* RICHARDVS SIMON, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. IV.* §. *II. pag. 133. ſeqq.* ne quid nunc de IO. MORINO in *exercitation. Samaritan.* aliisque, dicam. Ex criticorum gente IVSTVS IOSEPHVS SCALIGER eandem amplexus eſt atque defendit ſententiam, in *animaduerſionib.* ad *chron. Euſeb. p. 62.* & *305.* & *de emend. temp. lib. VII. pag. 685.* it *epiſtol. lib. III. epiſt. CCXLII.* qui & auctoritate ſua effecit, vt alii ex eodem ordine certatim eum ſequerentur; quod & ISAACVM CASAVBONVM feciſſe conſtat, in *exercitationibus* ad *annales Baronii*, & HVGONEM GROTIVM, in *notis* ad *lib. de veritate relig. chriſt. lib. I. cap. XV.* GERHARDVM IOANNEM VOSSIVM, *lib. I. Ariſtarchi cap. IX. & XXXI.* SAM. BOCHARTVM, in *Canaan. lib. II. cap. I.* BRIANVM WALTONVM, *tract. de ſiclis pag. 36. 37.* item *prolegom. III. n. 29. ſeqq.* CASP WASERVM, *de nummis lib. II. cap. III.* BART. MAYERVM, *philol. ſacr. part. I. pag. 91.* Cumprimis autem & LVDOVICVS CAPPELLVS hanc ſuo adprobauit calculo ſententiam, in *arcan. punctat. lib. I. cap. VI.* qui & deinde in *diatribe de litteris Ebraeorum* eandem contra IO. BVXTORFIVM propugnauit. Sed nec HERMANNVS CONRINGIVS ab ea adeo alienus eſt, in *paradoxis de nummis Ebraeorum*, quae in *faſcic. II. opuſculorum ad hiſtoriam ac philologiam ſacram ſpectantium*, recuſa proſtant, *cap. VI. pag. 152. ſeqq.* Nec rationes deſunt, quibus, vt prima fronte videtur, perſuaderi poteſt. Etenim I) a vero non abhorret, Iudaeos in captiuitate conſtitutos, Chaldaeorum ſenſim recepiſſe litteras; vt adeo hae in locum veterum, quas ſamaritanas hodie vocamus, deinceps ab Eſra fuerint ſubſtituendae; II) agnoſcunt idem nonnulli ex gentis ebraeae doctoribus, immo ex ipſis talmudicis. Solet enim ex *gemara Sanhedrin cap. XI.* §. *XIII.* locus proferri, in quo MAR SVTRA dixit: *principio data eſt lex Iſraeli ſcriptura ebraea, & rediit lingua ſancta, & data illis eſt tempore Eſdrae ſcriptura aſſyriaca, lingua autem aramaea ſeu chaldaea, tum Iſrael ad eos deſcenderet, ſcribebatur aſſyriace, vti lingua ſancta, & elegerunt pro Iſraelitis ſcripturam aſſyriacam, & linguam ſanctam; & reliquerunt ſcripturam ebraeam & aramaeam* (antiquam) *idiotis. Quinam ſunt idiotae? Dixit R. Chaſda, Cuthaei.* III) Praecipuum autem argumentum, quod iudice BRIANO WALTONO *l. c.* vel ſolum ad cauſſam hanc conficiendam ſufficit, nummi quidam iudaici, ſiue ſicli praebent, hodie ad-

huc ſuperſtites, quiue ante captiuitatem Babylonicam, vti quidem ſententiae huius patronis videtur, cuſi ſunt. In hisce enim cum ſamaritico charactere verba ירושלים קדשה *Hieroſolyma ſancta*, item שקל ישראל *ſiclus Iſraelis*, aut ſimile quid, legatur, firmiter inde concludi poſſe, exiſtimant, characteres ſamariticos ante captiuitatem Babylonicam apud Iudaeos in vſu fuiſſe. Quo minus autem a Samaritis nummos hosce cuſos aliquis ſuſpicari queat, vel ſolam inſcriptionem, *Hieroſolyma ſancta*, quae in quibusdam coſpicitur, euincere, quae a Samaritanis ſane proficiſci non potuit. IV) Accedunt ad haec teſtimonia patrum, idem diſerte adfirmantium, EVSEBII cumprimis, atque HIERONYMI. Quorum ille in *chron. ad Olymp. LXXX. pag. 131. Esdras*, inquit, *ſacerdos apud Ebraeos inſignis cognoſcitur, cuius aetate pontifex maximus habitus eſt Eliaſib, filius Ioachim, filii Ieſu, filii Ioſedech. Fuit autem Esdras eruditiſſimus legis diuinae, & clarus omnium Iudaeorum magiſter, qui de captiuitate regreſſi fuerant in Iudaeam, affirmaturque, diuinas ſcripturas memoriter condidiſſe, & vt Samaritanis non miſcerentur; litteras Iudaicas commutaſſe.* Hic autem, ſiue HIERONYMVS, in *prologo galeat. in lib. I. regum*, ſcribit: *Samaritani etiam pentateuchum Moſis totidem litteris ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes; certumque eſt, Esdram ſcribam, legisque doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel, alias litteras reperiſſe, quibus nunc vtimur, cum ad illud vsque tempus iidem Samaritanorum & Ebraeorum characteres fuerint; & nomen domini tetragrammaton in quibusdam graecis voluminibus vsque hodie antiquis expreſſum litteris inuenimus.* Similia & in *comment. in cap. III.* ad *Gal.* habet. V) Solent & hoc vrgere, quod littera *Tau* olim habuerit formam crucis, idque ex *Ezech. IX. 4.* colligunt, quod de litterae illius figura, ſecundum characteres, qui hodie ebraei vocantur, dici nequeat. Litteram autem *Tau* figuram crucis olim exhibuiſſe, teſtatur ORIGENES ad *Ezech. l. c.* ita verba faciens: *Hebraeus autem quidam, ex iis, qui Chriſti fidem amplexi ſunt, dicebat, in antiquis elementis ſimile eſſe Tau formae crucis, & praedici de ſigno, quod inter chriſtianos ſit in fronte, quod quidem faciunt, qui crediderunt omnes, quamcunque rem aggrediantur, maxime vero preces & ſanctas lectiones.* Confirmat idem HIERONYMVS, *comment.* in *Ezechiel. l. c.* ſimulque nos condocet, apud Samaritanos litteram *Tau* figuram crucis habere: *Antiquis Hebraeorum litteris, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Tau littera, crucis habet ſimilitudinem, quae in chriſtianorum frontibus pingitur.* VI) Denique & hoc nonnulli addunt, chaldaica a Daniele & Esdra hodierno charactere ebraeo ſcribi? fatendum itaque eſſe, aut alium olim fuiſſe

iſſe characterem Chaldaeorum, quod tamen probari nequeat, aut hodiernum ebraeum cum chaldaeo plane eundem eſſe.

Haec licet ſpecie quadam non careant, non minus tamen praegnantes, immo grauiores adhuc rationes pro ſententia illorum, qui hodiernas litteras ebraeas easdem eſſe cum antiquis, contendunt, proferri poſſunt, ac ſolent. Etenim I) ex hiſtoria ſacra, libris cumprimis ipſius Esrae ac Nehemiae, eiusmodi quid non colligas. Vix autem fieri potuit, vt res tanti momenti, ſi contigiſſet, ſilentio praetermitteretur. II) Nec apud FL. IOSEPHVM eiusmodi quid deprehendas, quemadmodum nec apud PHILONEM. Immo ſunt, qui ex huius verbis, quae *lib. II. de vita Moſis*, *pag. 656.* exſtant, contrarium colligunt. Ea vero ita ſe habent: τὰ δὲ τούτου μόνου βέβαια, ἀσάλευτα, ἀκράδαντα, καθάπερ σφραγῖσι φύσεως αὐτῆς σεσημασμένα, μένει παγίως ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας ἐγράφη μέχρι νῦν, καὶ πρὸς τὸν ἔπειτα πάντα διαμενεῖν ἐλπὶς αὐτὰ αἰῶνα ὥσπερ ἀθάνατα, ἕως ἂν ἥλιος καὶ σελήνη καὶ ὁ σύμπας οὐρανός τε καὶ κόσμος ᾖ. *Sola noſtra* (lex) *firma, immobilis, inconcuſſa, tanquam obſignata naturae ſignaculis, manet, ex quo ſcripta eſt in hodiernum vsque, & ſpes eſt, manſuram per omnia ſecula immortalem, donec ſol, luna, coelum, totusque mundus manebit.* Ne quid autem diffitear, haec parum huc facere videntur, cum PHILO de ſenſu potius legis, quam de litteris loquatur. III) Nulla etiam probabilis admodum adferri ratio poteſt, cur Esdra hanc litterarum mutationem ſusceperit. Quod enim dicitur, Iudaeos Chaldaeorum litteris in captiuitate Babylonica magis adſuetos fuiſſe, quam maiorum ſuorum, lubricum eſt, & deinceps refutabitur. An vero in Samaritanorum hoc forte fecit odium? Immo ſi genuinos, veteresque Ebraeorum illis reliquiſſet, ſubſtitutis apud ſuos nouis aut peregrinis, haud exiguam illis dediſſet praerogatiuam: quod ab omni veri ſpecie prorſus abhorret. IV.) Iudaeos, praeſertim a tempore captiuitatis Babylonicae, in rebus patriis retinendis conſtantiſſimos, immo pertinaciſſimos eſſe, conſtat. Quis ergo credat, in rem tanti momenti, quae praeterea ſine omni neceſſitate ſuſcipiebant, tam facile eos conſenſuros fuiſſe. V) Non ſine ratione hisce additur effatum ſeruatoris noſtri, quo diſerte negat, ἰῶτα ἓν, ἢ μίαν κεραίαν perituram, *Matth. V. 18.* Hoc de litteris ſamaritanis non poſſe intelligi, viri docti dudum obſeruarunt, cum inter eas litteras Iod neutiquam ſit omnium minima, ſed plerasque magnitudine exaequet, nonnullas etiam ſuperet. Litterae autem iſtius, ceu omnium minimae exemplum, ſeruatorem adferre, res ipſa docet. Fruſtra equidem haec obiici poſt BRIANVM WALTONVM, contendit LVD. ELIAS DV PIN, cum Chriſtus de litteris ſua aetate receptis loquatur, quas easdem fuiſ-

fuiſſe, quas hodie ebraeas vocamus, ſecus ſentientes ambabus largiuntur manibus; *diſſert. praelim. ſuper biblia, lib. I. cap. IV. pag. 135.* Sed ad tempora antecedentia ſermonem Chriſti extendendum eſſe, res ipſa docet. De perpetua enim verbi diuini, litteris comprehenſi, qua minimas etiam particulas, duratione, ſeruator loquitur. Quod ſi autem de eo textu ſaltem intelligeretur, qui tempore Chriſti fuit, non poſſet dici, perpetuam & immutabilem verbi diuini litteris comprehenſi eſſe durationem. Atque hinc nouum ſimul ex eodem loco oritur argumentum; cum ne in vnica quidem littera mutationem quandam ſubire debeat verbum diuinum, multo minus quoad omnes totius alphabethi litteras, illud mutatum eſſe. Atque hiſce quidem ſimilibusque rationibus, vti pro illorum ſententia, qui Esrae tempore litterarum mutationem factam negant, pugnatur; ita quoque non deſunt, quae ad rationes pro altera ſententia antea adlatas, reſponderi poſſunt. Quod priusquam oſtendamus, obſeruare iuuat, eos, qui in eo conſentiunt, Samaritanorum litteras veteres ebraeas eſſe, de origine tamen earum litterarum, quae hodie ebraeae vocantur, prorſus inter ſe non conuenire. Nonnulli namque ab Esra litteras, quae hodie ebraeae vocantur, inuentas adſerunt, VT GERARDVS IOANNES VOSSIVS *l. c.* quibus & verba HIERONYMI antea adlata fauere videntur. His autem ipſe repugnat BRIANVS WALTONVS, recteque oſtendit, HIERONYMVM non id ſibi voluiſſe, quod Esra primus iſtarum litterarum fuerit inuentor, ſed tantum, quod eas Iudaeis, loco earum, quibus antea vſi ſint, dederit, & auctoritate ſua introduxerit, *loc. pag. 244.* Alii a Syris iſtarum litterarum originem arceſſunt, nullo ſane, aut lubrico plane fundamento. Longe his praeclarius de hiſce litteris ſentiunt, qui eas veteres & genuinas Chaldaeorum fuiſſe exiſtimant, quibus adeo vna cum lingua vſus ſit Abrahamus, priusquam in Cananaeam migraret; hoc autem cum feciſſet, Cananaeorum linguam litterasque adſumſiſſe, quae hodiernae Samaritanorum ſint; ſed Esram veteres illas genuinasque Chaldaeorum reſtituiſſe. Sed & horum lubrico admodum nititur fundamento ſententia, dum ceu euictum ponunt, Abrahamum linguam & litteras Cananaeorum adſumſiſſe; cum longe probabilius ſit, eum linguam litterasque maiorum, quae hodiernae ebraeae ſunt, retinuiſſe, & ad poſteros propagaſſe. Conferenda, quae iam ſupra hac de re diſputauimus, ad *per. I. ſect. II. §. XI. p. 191.*

Iam quod ad rationes attinet, quibus pugnant, qui litteras ſamaritanas pro ebraeis antiquis venditant, haud difficulter ad eas reſponderi poteſt. Nimirum 1) Iudaeos in captiuitate Babylonica conſtitutos Chaldaeorum ſenſim recepiſſe litteras, fruſtra & ſine omni fundamento adſeritur. Immo cum antea probatum ſit,

ſit, eos nec linguam mutaſſe, multo minus de litteris hoc credendum. Praeterea cum longe diutius olim in Aegypto commorati ſint, ſine vlla aut linguae aut litterarum mutatione, quis credat, tam breui temporis, LXX ſcilicet annorum, ſpatio, quo in captiuitate Babylonica conſtituti fuerunt, & linguae ſuae oblitos, & pro patriis peregrinas recepiſſe litteras. Nec eſt, quod obuertas, in Aegypto iunctim eos habitaſſe, patriaeque adeo linguae & litterarum vſum facilius retinere potuiſſe, cum contra in Babylonica captiuitate hinc inde fuerint diſperſi. Non enim ita diſperſi fuerunt, vt non familiae quaedam iunctae manſerint; quod ad linguae & litterarum patriarum retinendum vſum ſufficit. Accedat, quod admodum probabile ſit, vti ſupra quoque obſeruauimus, habuiſſe Iudaeos in exilio Babylonico ſcholas in quibus adeo patriae linguae & litterarum vſus propagatus fuit. II) Ad teſtimonium, quod ex tractatu talmudico *Sanhedrin* produximus, diuerſimode viri docti, ipſique Ebraeorum magiſtri, reſpondent. Nonnulli cum R. MOSE BAR NACHMAN adſerunt, omnes ſacrae ſcripturae codices, excepto ſolo Moſis autographo, quod ebraeis litteris conſtiterit, ſamaritanis conſignatos fuiſſe, Esram vero autographi characterem, populo ignotum, reſtauraſſe. Alii autem omnes quidem codices ſacros ante Babylonicam captiuitatem litteris, quae hodie ebraeae dicuntur, ſcriptos, concedunt, ſed illas in eadem periiſſe exiſtimant, retentis ſolum profanis litteris, ex quibus ſamaritanae ortae ſint. Esram vero, his ad Cuthaeos relegatis, illas reſtituiſſe. Ita quidem MAIMONIDES in *tract. Iadaim cap. vlt.* §. *V.* R. AZARIAS in *Meor Enaim*, *cap. V. fol. 38.* aliique. Rurſus aliis in mentem venit, Iudaeos, qui in Chaldaea atque Aſſyria habitabant, longe diligentius tractaſſe linguam ſacram, quam eos, qui Palaeſtinam incolebant, vnde nec dubium ſit, eosdem in adſeruandis etiam, & effingendis maiorum litteris, exquiſitiorem adhibuiſſe diligentiam, quam reliquos, qui celeriorem ſcribendi rationem, ex qua litterae ſamaritanis haud abſimiles exſtiterint, vſurparunt; inde vero eueniſſe, vt verae antiquisſimaeque litterae a nonnullis *aſſyriae* nominarentur, *ebraeae* autem ſcripturae nomen, deprauatis illis ac tachygraphicis litteris, quas Iudaei Palaeſtinam incolentes retinuerant, haereret; conf. VAL. ERNESTVS LOESCHERVS, de *cauſis linguae ebraeae lib. II. cap. I.* §. *VII. pag. 209.* Quae vt ingenioſe ſunt excogitata, ita ad meras tandem coniecturas redeunt. Nec opus hac in re ambagibus eſſe exiſtimo, cum MAR SVTRA iſte neutiquam tanta ſit auctoritate, vt, quidquid illi in mentem venit, ſtatim nobis credendum ſit; praeſertim, cum plurimi eiusdem gentis doctores, immo ex ipſis etiam talmudicis, aliter ſentiant, eique contradicant; quorum teſtimonia diligenter collecta exhibet IO. BVXTORFIVS, *d ſ-*

 ſer-

ſertat. de litterarum ebraicarum genuina antiquitate, quae inter diſſertationes eius *philologico-theologicas* quarta eſt, *pag. 171. ſeqq.*

III) Plus negotii eruditis faceſſere videntur, nummi iſti ſiue ſicli, inſcriptionibus ſamaritico charactere gaudentes, quales ATHANASIVS KIRCHERVS, *tom. II. oedipi aegyptiaci part. I. p. 94.* IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *diſſertat.* de *nummis oriental.* STEPHANVS, MORINVS de *lingua primaeua*; & qui omnium diligentiſſime hac in re verſatus eſt ADRIANVS RELANDVS, in *diſſertationibus quinque de nummis veterum Hebraeorum, qui ab inſcriptarum litterarum forma ſamaritani appellantur*, Traiecti ad Rhenum anno M D CC IX. editis, aliique, exhibent. Vt ergo hinc ſe expediant, diuerſas iterum ingrediuntur vias. Nonnulli omnes eiusmodi nummos pro ſpuriis & ſuppoſititiis habent; quos inter & IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS eſt, vir rerum ebraicarum peritiſſimus, qui, veriſimile ſibi videri, ait, *non exſtare vllam amplius verae antiquitatis Ebraeorum monetam, ſed omnem omnino pridem periiſſe funditus, & multis euidentiſſimisque ſignis probari poſſe illis, qui veterem & genuinam pecuniam a noua atque ad ſimilitudinem eius efficta, diſtinguere valent; itaque omnes, qui circumferuntur vulgo, ſiue ſiclos, ſiue alterius notae nummos iudaicos, opus recens, & καινῶ κόμματος eſſe &c.* ad *tract. talmud. Sota, p. 574.* Immo coniicit idem vir doctus, *occaſionem ſumſiſſe ex chriſtianorum ad Palaeſtinam confluxu, vel pietatis vel curioſitatis impulſu, Iudaeos, qui iſtis partibus degunt, fingendi nummos iſtiusmodi, & ex illorum venditione faciendi quendam quaeſtum; atque iſtos nummos in Germaniam allatos, facile amatores reperiſſe, qui ad aliorum ſimilitudinem nouos flare & ferire iuſſerunt, vnde ſit illa, quam habemus, copia.* Haec vero ſententia non ſine ratione tum aliis, tum & HERMANNO diſplicuit CONRINGIO, qui in *paradoxis de nummis Ebraeorum*, contra eam ex inſtituto diſputat; conf. *praefat.* eius *pag. m. 51.* Et recte quidem vir ille doctus νοθείαν nummorum, Abrahami, Dauidis & ſaluatoris noſtri *b. l.* agnoſcit; eosque omnes, qui ebraicis litteris inſcripti ſunt, ſpurios minusque genuinos eſſe docet, *cap. VII. p. 168.* Recte idem etiam euincit, certis argumentis demonſtrari non poſſe, nummos, qui characteribus ſamaritanis ſunt inſcripti, captiuitate Babylonica eſſe antiquiores, *cap. VIII. p. 152.* Quo minus autem a Iudaeis efficti cenſeri queant, praeter multa alia & hoc obſtare iudicat, quod pauci Iudaeorum ſamaritanam ſcripturam vel legere poſſint; *praefat. p. 52.* Tandem *cap. IX. p. 193. ſeqq.* docet, omnes ſamaritanis litteris inſcriptos nummos Hasmonaeorum & Herodum aetate cuſos eſſe: rectiſſime quidem, ſaltem, ad Hasmonaeos quod attinet. Ad horum enim aetatem nummos hosce referendos eſſe, a viris doctiſſimis harumque rerum peritiſſimis, ſpeciatim, ADRIA-

ADRIANO RELANDO, in *diſſertationibus citatis*, hodie ita in aprico poſitum eſt, vt nullus amplius hac de re dubitandi ſuperſit locus. Immo ipſe hanc calculo ſuo comprobauit ſententiam IO. HARDVINVS, in *chronol. vet. teſt. oper. ſelect. pag. 600.* Conſtat nimirum ex *I. Maccab. XV. 6.* Antiochum regem, Demetrii filium, cum bello Tryphonem perſecuturus eſſet, Simoni principi & pontifici Iudaeorum, inter alia ius cudendae monetae confirmaſſe, In litteris enim eius ad Simonem, quae ibi recitantur, dicitur: *καὶ ἐπέτρεψά σοι ποιῆσαι κόμμα ἴδιον τῇ χώρᾳ σου·* quae vulgatus interpres ita vertit: *& permitto tibi facere percuſſuram proprii numismatis in regione tua.* Non equidem Antiochus primum hoc ius Simoni tribuiſſe, ſed tantum; vt diximus, confirmaſſe, videtur. Caput enim Antiochus ille erigere coepit, cum iam in ſextum annum plenae libertatis ethnarcham Simon ageret, adeoque eo tempore haud dubie ius cudendae monetae ſibi vindicauerat, aut a Demetrio acceptum vſurpauerat. De hocce recuperatae plenae libertatis tempore luculentum exſtat teſtimonium, *I. Maccab. XIII. 38. ſeqq.* diciturque diſerte *v. 40. anno centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt iugum gentium ab Iſrael: & coepit populus Iſrael ſcribere in tabulis & geſtis publicis: anno primo ſub Simone ſummo ſacerdote, magno duce & principe Iudaeorum.* Atque ab hocce tempore nummi eiusmodi cudi coepiſſe, immo pleroſque forte in huius liberationis memoriam cuſos, vix eſt, quod dubitemus, certe viri doctiſſimi, harumque rerum peritiſſimi, hodie non amplius dubitant. Idque etiam verba in quibusdam occurrentia: לחרות ירושלים *libertatis Ieruſchalem*, לגאלת ישראל *redemtionis Iſrael*, לגאלת ציון *redemtionis Zion*, ſatis ſuperque teſtantur. Immo in quibusdam legitur: שמעון נשיא ישראל *Simon princeps Iſraelis*; vid. ADRIANVS RELANDVS *l. c. diſſert. V. p. 166.* Atque haec cum ita ſe habeant, poſitaque ſint extra controuerſiam, argumentum, quod ex nummis hisce ſumitur, ad probandum, litteras ſamaritanas veteres illas atque genuinas ebraeas eſſe, ſua ſponte corruit. Vnicum adhuc, vt expediamus, ſupereſt dubium: quae ratio ſit, quod Hasmonaei principes in nummorum iſtorum inſcriptionibus litteris vſi ſint ſamaritanis? cum nullum dubium eſſe videatur, quin ebraeae, non autem ſamaritanae, eo tempore apud Iudaeos in vſu fuerint. Reſpondet HERMANNVS CONRINGIVS, duplices apud Iudaeos eo tempore in vſu fuiſſe litteras, tum eas, quas hodie ebraeas vocamus, quasue ille & aſſyriacas adpellitat, tum ſamaritanas; ex quibus illae ex inſtituto Esrae ad ſacras tantum ſcriptiones adhibitae fuerint, hae autem profanis vſibus deſtinatae; vnde & Hasmonaeorum aetate nummi iis fuerint inſcripti; in *paradoxis de nummis Ebraeor. cap. IX. pag. 195.* Hoc autem an alio, quam hoc ipſo, quod ex nummis hisce deſumitur, ar-

gumento, probari poſſit, valde dubito. Hinc & ſi alia ratio, cur nummi iſti ſamaritanis litteris inſcripti ſint, reddi queat, ſua ſponte corruet. Alii obſeruant, litteras, quae in nummis hisce conſpiciuntur, ſamaritanis quidem eſſe perſimiles, nec tamen diſſimiles iis, quae hodie ebraeae dicuntur, nonnunquam etiam tantum a ſe ipſis fere differre, quantum differunt ab ebraeis; indeque porro colligunt, non alias eſſe has litteras, quam ebraeas, ſed tachygraphicas, ex celeriori ſcribendi ſtudio ortas. Ita VALENT. ERNEST. LOESCHERVS, de *cauſis linguae ebraeae lib. II. cap. I. §. V. p. 206.* praeeuntem ſibi quodammodo habens STEPHANVM MORINVM, *exercit. II. de lingua primaeua, p. 271. ſeqq.* Quam vt neutiquam prorſus repudiauerim ſententiam, vtpote plurimis ſoluendis difficultatibus aptam; ita nec contemnendam cenſeo coniecturam IO. HARDVINI, Simonem, principem ac pontificem Iudaeorum, cum facultatem cudendi monetam impetraſſet, & forte religione legis Moſaicae, *Exod. XX. 4.* quo minus ipſe illud faceret, prohiberetur, cum tamen exemplo aliarum gentium ſui memoriam hac ratione ad poſteros transmitti cuperet, a Samaritis ditioni ſuae obnoxiis nummos iſtos cudi voluiſſe, & ſamaritico quoque charactere inſigniri, vt eo minus in ſuſpicionem neglectae legis Moſaicae veniret; *chronolog. vet. teſt. opp. ſelector. p. 602.*

IV) Patrum, quos vocant, ſeu veteris eccleſiae chriſtianae doctorum, licet non adeo magna in eiusmodi quaeſtionibus ſit auctoritas, non tamen deſunt, quae ad EVSEBII atque HIERONYMI teſtimonia regeri queunt. Ad illum enim quod attinet, iam pridem viris doctis, & ipſi etiam LVDOVICO ELIAE DV PIN obſeruatum eſt, haec ipſa verba: *affirmaturque* (Esra) *diuinas ſcripturas memoriter condidiſſe & vt Samaritanis non miſcerentur, litteras iudaicas commutaſſe*, neque in graeco textu, neque in latina verſione HIERONYMI, ſecundum editionem SCALIGERI, exſtare, valdeque adeo veriſimile videri, locum huncce EVSEBII eſſe interpolatum; *diſſert. praelim. ſuper biblia, lib. I. cap. IV. p. 134.* HIERONYMVS ebraicarum litterarum ſatis equidem peritus fuit; a Iudaeo tamen illo Tiberienſi, quo magiſtro vſus eſt, facile decipi potuit. Iudaeos autem quosdam olim in eo errore verſatos, ex iis, quae ante diſputauimus, liquet. Nec ſatis etiam ſibi ipſi hac in re conſtat. Etenim in *epiſtola ad Fabiolam tom. III. oper. p. m. 41.* de veſtibus ſummi Ebraeorum ſacerdotis verba faciens, in lamina aurea nomen יהוה ebraicis litteris ſcriptum fuiſſe, adſerit. Parum equidem ad rem hoc facere, cum BRIANO WALTONO *appar. p. 244.* contendit LVD. ELIAS DV PIN *l. c. p. 135.* eo quod HIERONYMVS de veſtibus ſacerdotalibus ſub templo ſecundo loquatur. Hoc vero non dicendum, ſed probandum erat. Immo ex toto HIERONYMI inſtituto, iis praeſertim quae ſequuntur, liquet, eum de ipſius Aaronis veſtibus verba facere. V) Lit-

Litteram *Tau* crucis olim habuiſſe figuram, eamque *Ezechiel. IX. 4.* indicari, non tantum ORIGENES atque HIERONYMVS, ſed & TERTVLLIANVS, AVGVSTINVS, AMBROSIVS, aliique veterum pariter ac recentiorum contendunt. Rurſus equidem non deſunt, qui negant, *Tau* apud Samaritanos habuiſſe figuram crucis. At negari hoc non poſſe, ſatisque ex nummis certum eſſe, docet ADRIANVS RELANDVS, in *epiſt. ad Ganier. de nummis Samaritanis*, apud IAC. BERNARDVM in *nouellis reipubl. litter. M DCC V. menſe Aug. p. 153.* Vnde non ſine ratione hac in re ad nummos prouocauit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euang. p. 909.* De antiquis vero & genuinis litteris ebraeis hoc perperam adſeritur; manifeſtumque eſt, ex nimio ſtudio crucis figuram in codice veteris teſtamenti inueniendi, deceptos hac in re patres, atque omnino eo vsque adductos, vt Samaritanorum litteras cum veteris ac genuinis Ebraeorum confunderent. Perperam etiam & ſine omni ratione locus *Ezech. IX. 4.* huc aduocatur. Si enim vel maxime vox תו τεχνικῶς pro littera *Thau* accipienda eſſet, nullum tamen adeſt argumentum, quod ſuadeat, eam habuiſſe figuram crucis, cum etiam ea figura, quam littera haecce in alphabeto ebraeo habet, adhiberi potuerit, Deo etiam variae potuerint eſſe rationes, cur litterae huius adhibere voluerit figuram. Quae quidem rationes licet nobis perſpectae non ſint, coniecturis tamen ſi indulgendum eſſet, latiſſimus nobis panderetur campus. Quid enim obſtaret, quo minus littera initialis verbi תחיה *viues* intelligatur? Sed fruſtra hoc quoque ſumitur, vocem תו τεχνικῶς ibi accipiendam eſſe. Longe enim manifeſtiſſimum, vocem hanc formaliter ibi accipiendam, generatimque *ſignum* aliquod denotare, qualecunque demum id fuerit. Nec enim, quale illud ſignum fuerit, noſtra ſcire refert, adeoque nec, vt determinaretur, neceſſe fuit. Inuſitatum prorſus eſſet, ſi vox iſta τεχνικῶς accipienda eſſet, cuius rei nec in aliis litteris exemplum codex ebraeus nobis ſuppeditat. Hinc & LXX interpretes recte per σημεῖον vertunt, ſuffragaturque nobis ex ipſis Ebraeorum magiſtris R. SALOM. IARCHI, atque R. ISAAC ABARBANEL ad *h. l.* conf. ISAAC CASAVBONVS, *exercit. XVI. ad annal. Baron. p. 921.* VI) Vltimum non multum nobis negotii faceſſet argumentum; ſiquidem nullam videam rationem, cur non chaldaeorum characteres diuerſos ab ebraeis ſtatuere liceat. Immo, cum lingua eorum diuerſa fuerit, vix dubitandum, quin diuerſos etiam habuerint characteres; quod & ex *Dan. I. 4.* colligi poteſt. Nec obſtat, quod chaldaica apud Danielem, alibique occurrentia, charactere ebraeo ſcripta inueniamus. Iudaei enim, in quorum gratiam iſta ſcripta ſunt, linguae chaldaicae peritiores fuere, quam litterarum. Saepiſſime hoc contingit, vt ex vſu & conſuetudine quotidiana homines linguam, e. g. turcicam diſcant, etſi, quae charactere turcico ſcripta ſunt, le-

legere nequeant. Hinc itaque Danieli, aliisque viris ſanctis, conſultum viſum fuit, chaldaica charactere ebraeo exprimere, vt ab omnibus, quae ſcripſerunt, legi poſſent. Quales autem Chaldaeorum litterae fuerint, non conſtat; etſi viri docti coniecturas quasdam de iis adferant; vid. AVG. PFEIFFERI *critica ſacra cap. IV. ſect. II. qu. I. p. 107.* Viris denique doctis, ſi quid forte horum dandum ſit auctoritati, non pauciores ingenio itidem atque ebraicarum litterarum peritia praeſtantiſſimi, opponi poſſunt. Pro noſtra enim ſententia militant IO. BVXTORFIVS, *diſſert.* de *litterarum ebraicarum genuina antiquitate*, IO. HENR. HOTTINGERVS, in *exercitationib. anti-Morinianis*, *alibique paſſim*, NIC. FVLLERVS, *miſcellan. ſacror. lib. IV. cap. IV.* HVGO BROVGHTONVS, *concentu ſcript. pag. 126.* THOMAS BANGIVS, *in coelo orientis p. 216. ſeqq.* GVIL. SCHICKARDVS, *bechin. happer. p. 82. ſeqq.* IO. LIGHTFOOTVS, *hor. hebr. in Matth. cap. V.* MATTHIAS WASMVTHVS (quem LVD. ELIAS DV PIN *diſſert. praelim. &c. p. 135.* neſcio, an per errorem typographicum, VALEMVTHVM vocat) *vindiciar. part. I. cap. I.* STEPHANVS MORINVS, *exercitat. II.* de *lingua primaeua cap. VI.* & alii, quorum quosdam ſubinde iam laudauimus. His vero ex ipſis Romanenſibus, CAESAR BARONIVS, *annal. tom. II. ad annum CLXXX.* ATHANASIVS KIRCHERVS, in *oedipo p. 81. ſeqq.* & alii addi poterunt. Fallitur itaque LVDOVICVS ELIAS DV PIN, quando *l. c.* paucos quosdam Proteſtantium ſententiae, quam nos defendimus, adſtipulari, pronuntiat.

*** Vt a *libris regum* initium faciamus, eos ita dictos conſtat, quod res geſtae regum Iudae & Israelis, a regno Salomonis vsque ad captiuitatem Babylonicam, in iis commemorentur. *Βασιλεῖαι ὀνομάζεται τὰ βιβλία*, inquit auctor *ſynopſeos*, quae ATHANASIO tribuitur, *ἐπειδὴ καὶ τὰς πράξεις τῶν γενομένων βασιλέων, ἔντε τῷ Ιέδα, καὶ τῷ Ισραὴλ, καὶ τὰ ἔτη αὐτῶν περιέχει. Regum nominantur iſti, ob id, quod regum cum Iuda, tum Israel facta, & annos continerent, tom. II. opp. Athanaſ. p. 75.* De auctoritate pariter ac tempore horum librorum, cum res admodum incerta atque ambigua ſit, in eo tamen viri docti conſentiunt, non ab vno, ſed a pluribus ſcripta eſſe, quae in libris hisce continentur, ex quorum deincepſ commentariis alius ea collegerit, inque eum, quem hodie conſpicimus, ordinem diſpoſuerit. Sic Nathanem poſtrema Dauidis attexuiſſe, ex *I. paral. XXIX. 29.* colligunt, vbi poſteriora Dauidis ſcripta eſſe dicuntur, *in verbis Nathanis prophetae.* Res vero geſtas Salomonis vna cum Nathane, Achiam & Iddonem conſcripſiſſe, ex *II. paral. IX. 29.* liquere putant, cum ibi reliqua verborum Salomonis, priorum & poſteriorum, ſcripta dicantur] in *verbis Nathan prophetae*, *in prophetia Achia Silonitae*, & *in viſionibus Iddonis.* Sic de rebus a Rehabeamo geſtis *II. paral. XII. 10.* dicitur, *eas ſcriptas eſſe*, *in libro Semaiae*

Digitized by Google

maiae prophetae, *& Iddo videntis*. Pari ratione Iddonem res geſtas Abiae, Ioſaphati Iehuum Hanani filium, Vſiae Eſaiam vatem, litterarum monumentis conſignaſſe, ex *II. paral. XIII. 22. XX. 34. XXVI. 22.* conſtat. Obſeruatum id iam auctori *ſynopſeos ſcripturae*, quae inter ATHANASII opera exſtat, qui & de iis, qui reliquorum Iudae & Iſraelis regum geſta conſcripſerint, coniecturas ſuas promit; *tom. II. opp. p. 82.* Ingreſſi hinc & alii in eandem ſunt ſententiam, quae vt probabilitate quadam ſe commendat, ita haud difficulter admitti poteſt; ſi modo & ſcriptores ipſi, qui regum iſtorum res geſtas litteris conſignarunt, & ille, qui ex hisce commentariis libros, quos hodie habemus, confecit, viri θεόπνευστοι ſtatuantur, ne dignitati ac diuinae ſcripturae ſacrae auctoritati inde quidquam decedat. RICHARDVM SIMONEM, ſcribas ſuos publicos hic ingerentem, alii iam ex inſtituto refutarunt. Quis vero ille fuerit, qui ex prophetarum aliorumque hominum ſanctorum commentariis, libros hosce compoſuerit, non liquido conſtat. Iudaeorum magiſtri plerique, itemque nonnulli chriſtianorum, a Ieremia vate id factum exiſtimant, ob ſermonis praecipue, quam ſibi deprehendiſſe viſi ſunt, ſimilitudinem, tum &, quod caput vltimum Ieremiae idem plane ſit cum capite vltimo libri poſterioris regum. Verum, vt ſermonis non adeo magna eſt ſimilitudo, vt certi quid inde colligere liceat; ita vltimum Ieremiae caput, aduentitium, & ab aliena manu adiectum eſſe, inde videtur colligi poſſe, quod in fine capitis praecedentis dicatur: *huc vsque verba Ieremiae*; conf. PETRI DANIELIS HVETII *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 295.* Sunt &, qui priorem librorum horum partem, a Salomone vsque ad Manaſſem, ab Eſaia, reliqua a Ieremia conſcripta exiſtimant, eo quod quaedam ex poſteriori libro capita integra Eſaiae vaticiniis inſerta legantur. At non certiori hi nituntur fundamento, quam qui ab Ezechia rege, aut iis, quibus hoc negotii dederit, quae ad eius vsque tempora in his libris narrantur, collecta exiſtimant. Certe ex *prou. XXV. 1.* hoc colligi non poſſe, quiuis facile intelligit. Si quid coniecturis dandum eſt, proxime forte ad verum accedunt, qui hocce officium Esdrae tribuunt, pro quo & PETRVS DANIEL HVETIVS militat, *l. c. p. 294.* Certe in dirigendis & componendis libris ad res ſacras pertinentibus, eius praecipue induſtriam verſatam, non ſine ratione creditur. Chaldaicae menſium adpellationes, quae *I. reg. VI. 1. 38.* occurrunt, idem haud obſcure ſuadent. Indeque ſimul merito colligitur, libros hosce ante captiuitatem Babylonicam non eſſe conſcriptos, quod & HVGONI GROTIO obſeruatum ad *I. reg. VI. 1.* Nec obſtat, quod hinc inde antiquioris multo aeui veſtigia occurrant; id enim inde prouenire manifeſtum eſt, quod hi libri ex aliorum, qui diuerſis temporibus vixerunt, commentariis fuerunt collecti; conf. IO. CLERICI *diſ-*

Digitized by Google

diſſertat. de ſcriptoribus libror. hiſtor. §. *VI.* Plura autem de horum librorum auctore dabunt MICHAEL WALTHERVS, *offic. bibl.* §. *DCCC XXXIII. p. 946.* ABR. CALOVIVS, ad *I. Sam. IX. 9.* VINCENTIVS PLACCIVS, in *theatro anonym.* & *pſeudonym. lib. I. c. I. p. 3.*

Sequuntur libri chronicorum, Ebraeis דברי הימים *verba dierum*, hoc eſt, *diaria* ſeu *ephemerides*, *annales*, dicti, eodemque ſenſu graece: χρονικά. LXX interpretibus παραλειπόμενα, *praetermiſſa* vocantur, ἐπειδὴ παραλειφθέντα πολλὰ ἐν ταῖς βασιλειαῖς περιέχεται ἐν τέτοις, *quoniam multa, in libris regum praeterita, in his libris continentur*, vt auctor *ſynopſeos ſcripturae*, quae ATHANASII nomen praefert, loquitur, *p. 52.* Parum quidem, vt nonnulli monent, adcurate, cum compendium potius aliquod eorum, quae in libris Moſis, Ioſuae, iudicum, & regum continentur, exhibeant, quanquam & nonnulla, quae iam in libris regum exſtant, in hisce fuſe ſatis repetantur. Subinde equidem in libris regum laudantur, *verba dierum regum Iudae & Iſraelis*, vt *I. reg. XI. 41. XIV. 19. 29.* alibique; hi vero, vt procul dubio non alii ſunt, quam qui eodem titulo citantur in libris chronicorum *lib. II. cap. XVI. 11. XXIV. 27. XXV. 26. XXVII. 17.* alibique; ita ſimul patet, eos diuerſos fuiſſe, ab hisce chronicorum libris, de quibus nunc nobis ſermo eſt. Id quod & ſupra iam nobis obſeruatum ad *per. II. ſect. IV.* §. *XXXIII.* Fallitur adeoque magnopere HIEONYMVS, quando per *libros verborum dierum regum Iudae*, in libris regum laudatos, hos ipſos, quos hodie habemus, chronicorum libros intelligit; & ſi res his locis indicatae minime in illis occurrant, tum eſſe ἀλληγορικῶς exponendos, cenſet. Quod cum & PETRVS DANIEL HVETIVS recenſuiſſet, recte addit; *Id ſi recipimus, ſane omnia reperiuntur in omnibus, & magna figmentis hominum feneſtra pateſiet*; *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 299.* Valde autem ſimile vero eſt, per *verba dierum regum Iſraelis & Iudae*, tabulas iſtas intelligi publicas, in quas regum geſta relata fuerunt. In gente enim ebraea iſtud obtinuiſſe, vix eſt, quod dubitemus, quod Aegyptiis, Tyriis, Indis, Graecis, Romanis, aliisque populis in moribus poſitum fuiſſe, idem, quem antea laudauimus, HVETIVS docet *l. c. p. 293.* Recte quoque eidem obſeruatum, eum, qui hocce munere apud Ebraeos fungebatur, dictum fuiſſe מזכיר a *commentariis*, quippe quod & nos ſupra iam docuimus, ad *ſect. III.* §. *XV. p. 122.* Sunt equidem ex ebraeorum doctoribus nonnulli, qui monitorum potius, regi in iure dicendo, vel expediendis regni negotiis, adſiſtentem, hac voce notari cenſent; ſed his alii ex eadem gente, ipſeque chaldaeus paraphraſtes, refragantur. Legenda, quae hac de re collegit vir clariſſimus IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, *introduct. ad libros hiſtoricos biblior. vet. teſt. c. XVI. p. 281.* Collectos hosce libros ex reliquis ſcripturae ſacrae, aliisque ſancto-

rum

Digitized by Google

rum virorum commentariis eſſe, vt reliquorum velut compendium aliquod exhiberent, additis tamen quibusdam, quae ſcopo auctoris inſeruire videbantur, non temere quisquam hodie dubitat. Ab Esdra id factum, multa ſuadent, & plerique inter ebraeos pariter ac chriſtianos conſentiunt. Poteſtque id vel inde euinci, quod verba vltima chronicorum *lib. II. cap. XXXVI. 23.* eadem plane ſint, quibus Esdra librum, qui eius nomen praefert, *cap. I. 2. 3.* inchoauit. Eum vero morem, verbis iisdem, quibus liber aliquis finitus fuit, alium, continuationem prioris continentem, inchoandi, receptum olim fuiſſe, HVGO GROTIVS oſtendit ad *II. chron. XXXVI. 23.* Eadem praeterea verba, quae liberationem Cyri commemorant, hosce libros poſt captiuitatem Babylonicam ſcriptos eſſe, nos dubitare non ſinunt. Accedit, quod catalogi in nouem prioribus horum librorum capitibus ſimiles prorſus iis ſint, qui Esdrae *cap. II. VIII.* & *X.* exſtant. Zorobabelis equidem genealogia, *I. chron. III. 21. ſeqq.* longe vltra Maccabaeorum extenditur tempora, vnde poſt Esdrae demum aetatem libros hosce ſcriptos, coniicere aliquis poſſet. Sed haec a viro quodam ſancto ad genealogiam Dauidicam continuandam, adiecta eſſe, non eſt quod dubitemus. Reliqua, quae adhuc moneri poterant, ex iisdem, quos antea laudauimus, hauriri ſcriptoribus poſſunt.

Ad Esdrae librum quod attinet, de ipſo quidem auctore cum ſupra §. *II.* & *VIII.* huius ſectionis ſatis dictum ſit, vt aliquid addamus, non neceſſe fuerit. Nec alium, quam ipſum Esdram, librum huncce agnoſcere auctorem, vel ex iis locis, in quibus Esdra, ceu libri auctor, de ſe in prima perſona loquitur, abunde conſtat; conf. *cap. VII. 27. 28. IX. 5.* collat. cum *X. 1.* it. *cap. VIII. 15. ſeqq.* PETRVS DAN. HVETIVS equidem vltima quatuor capita libri huius Esdram agnoſcere auctorem non dubitat, de ſex vero prioribus aliter ſentit, eademque a ſcriptore chronicorum, quem ab Esdra diuerſum facit, tempore Darii Hyſtaſpidis, antequam Esdra Hieroſolymam veniret, compoſita, contendit, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 356.* Nimirum cum *cap. V. v. 3. ſeqq.* auctor ita res geſtas exponat, vt, iis ſe interfuiſſe, ſignificet, cum ibi dicatur: *ad quod reſpondimus eis, quae eſſent nomina auctorum aedificationis illius*, conſequi inde, auctorem, qui ea ſcripſit, fuiſſe Hieroſolymae, tempore Darii Hyſtaſpidis, cuius quippe anno ſexto aedificatio templi abſoluta fuit. Esdra autem cum Hieroſolymam venerit tempore Artaxerxis longimani, vt diſerte *cap. VII. v. 1.* dicatur, concludit inde, ſcriptorem ſex priorum capitum ipſum Esdram eſſe non poſſe. Quod quidem dubium illis aliquid negotii faceſſet, qui Esdram ſub Artaxerxe prima vice Hieroſolymam adſcendiſſe, exiſtimant, nobis autem minime, qui, id altera vice contigiſſe, contendimus, cum iam prima vi-

ce ſub Cyro e Babylone in Iudaeam reuerſus eſſet; vt ſupra iam euicimus ad ſectionis huius §. *II.* Nec tamen & illis, qui hic a nobis diſſentiunt, deeſt, quod ad HVETII rationem regerant. Cum enim *cap. V. 3.* dicitur: *ad quod reſpondimus eis*, non inde ſtatim intelligendum dicunt, ſcriptorem libri ex reſpondentium numero fuiſſe, ſiquidem Esdra nomine gentis ſuae ita loqui potuerit, etſi ipſe ex eorum numero non fuerit. Hiſtoricis etiam in more poſitum eſſe, vt ſubinde in prima perſona loquantur, LVD. ELIAS DV PIN obſeruat, hancce HVETII ſententiam reiiciens, *prolegom. bibl. lib. I. cap. III.* §. *VI. p. 84.* a qua & IO. CLERICVS diſcedit, *diſſert. de ſcriptoribus libr. hiſtoricor.* §. *VIII.*

Nehemiae, qui nunc ſequitur, liber, ab auctore *ſynopſeos*, quae inter opera Athanaſiana extat, aliisque, Esdrae tribuitur, hinc & ſubinde *liber ſecundus Esdrae* vocari ſolet. His & vulgatus interpres exemplum praeiuit, hocce titulo eum inſigniens: *liber Nehemiae, qui & Esdrae ſecundus dicitur.* Sed ipſum Nehemiam eum de rebus praecipue a ſe geſtis compoſuiſſe, vel ex primis eius verbis דברי נחמיה *verba Nehemiae*, patet, quippe quibus Nehemias pro more ſcriptorum illius temporis, ſe libri auctorem profitetur. Idem ex diuerſitate ſtili nonnulli colligunt, qui in libro Nehemiae facilior planiorque ſit, quam in libro Esdrae. Accedit, quod auctor libri ſubinde ita loquatur, vt res a ſe ipſo, hoc eſt, Nehemia, geſtas, deſcribat. Conſentit hinc & PETRVS DAN. HVETIVS, *demonſt. euangel. prop. IV. p. 303.* Obſtare quidem videtur, quod *cap. XII. 11.* Iaddi pontificis, qui Alexandro magno obuiam iuiſſe dicitur, iniiciatur mentio. Sed ad hoc quid reſpondendum ſit, iam ſupra ad §. *IV.* indicauimus. De ipſo etiam Nehemia, quae obſeruatu digna, iam §. *III.* & *VIII.* commemorauimus.

Supereſt inter libros hiſtoricos, eosque canonicos veteris teſtamenti, מגלת אסתר *volumen Eſther*, vt Ebraeis vocatur, ab argumento ita dictum; quia de Eſthera in eo praecipue agitur, deque ſalute, quae per eam genti iudaicae, Hamanis fraudibus & crudelitate in ſummas anguſtias coniectae, obtigit. Errant itaque magnopere, qui librum hunc ita dictum putant, quod ab ipſa Eſthera ſcriptus eſſet. Sunt quidem nonnulli, qui Eſtheram cum Mardochaeo ad eum operam contuliſſe exiſtimant, verſione graeca, *verſ. 29. cap. IX.* quae ita ſe habet: *καὶ ἔγραψεν Ἐσθὴρ ἡ βασίλισσα θυγατὴρ Ἀμιναδὰβ, καὶ Μαρδοχαῖος ὁ Ἰουδαῖος ἃ ἐποίησαν*, decepti. Sermo enim ibi ſolum eſt de altera epiſtola, quam ad priorem de feſto Purim, ab omnibus Iudaeis celebrando, confirmandam, Eſthera regina atque Mardochaeus את כל תקף *cum omni corroboratione*, ſeu omni adhibito ſtudio, ſcripſerunt. Solet ceteroquin liber Eſtherae inter quinque illos libros, qui nomine מגלות veniunt, vltimo loco in ſacro codice poni, inter-

terdum tamen & *κατ' ἐξοχὴν* מגלה vocantur, eo quod ſeorſim, & peculiari volumine in vſum feſti Purim ſcribi conſueuerit, quod & IO. BVXTORFIO obſeruatum, de *orig. punct. p. 49.* Apud Ebraeos eum etiam מגלת אחשורוש *libellum Ahasueri* vocari, SCIPIO SGAMBATVS nos condocet, *archiuor. vet. teſt. lib. II. tit. LXI. p. 392.* De auctore libri variae exſtant doctorum virorum ſententiae, aut coniecturae potius. Esdrae ipſi illum tribuunt AVGVSTINVS, *lib. XVIII. de ciuit.* Dei, *cap. XXXVI.* ISIDORVS. *lib. VI. orig. cap. II.* aliique. Alii Ioiachimum ſummum ſacerdotem, libri huius auctorem faciunt, qui adhortante eum per litteras Mardochaeo, illum ſcripſerit. Alii rurſus ſynagogae magnae, quae eo tempore fuerit, eum tribuere non dubitant; quam etiam calculo ſuo adprobat ſententiam PETRVS DAN. HVETIVS, *demonſtrat. euang. prop. IV. p. 371.* qui & conciliari hac ratione inter ſe reliquorum poſſe ſententias, arbitratur, dum nonnulli Ioiachimum, alii Esdram, alii Mardochaeum libri huius auctorem ferunt. Cum vero, ſi ſynagogae, quam vocant, magnae, liber hicce tribuatur, non aliter hoc intelligi queat, quam quod iuſſu & auctoritate eius ſcriptus ſit, quaeſtio rurſus redit, quisnam ille fuerit, qui ex mandato concilii iſtius ſacri hoc fecerit? Ratio etiam, qua probari ſolet, ſynagogae magnae hunc librum tribuendum eſſe, celebratio ſcilicet feſti Purim, non magni momenti eſt. Synagogae enim iſtius auctoritate feſtum hocce conſtitutum fuiſſe, fruſtra adſeritur; immo ſecus ſe rem habere, ex ipſo hocce libro Eſthetae conſtat, in quo ſynagogae iſtius in hocce negotio ne verbulo quidem mentio inicitur. Plerique ex ebraeis pariter ac chriſtianis doctoribus pro Mardochaeo militant, eam maxime ob cauſſam, quod *cap. IX. 20.* dicitur: *ſcripſit autem Mardochaeus* את הדברים האלה *verba haecce, miſitque litteras ad omnes Iudaeos &c.* Quod tamen prorſus lubricum eſt, cum res haud obſcure doceat, haec verba non de integro libro, ſed de epiſtola Mardochaei ad Iudaeos, intelligenda eſſe. In medio itaque iſtam de auctore quaeſtionem relinquimus, cum nobis ſufficiat, eum a viro *θεοπνεύςῳ*, quicunque demum fuerit, ſcriptum eſſe. De diuina enim eius auctoritate nulli dubitamus, cum nullae, quae nos dubitare iubeant, praeſto ſint rationes. Nonnulli equidem ex Romanae eccleſiae doctoribus, quos & PETRVS DAN. HVETIVS atque NATALIS ALEXANDER ſequuntur, Lutheranis eam ſententiam tribuunt, quod veritatem hiſtoriae, quae in hoc libro narratur, ſimulque adeo diuinam ipſius libri auctoritatem, in dubium vocent. Sed magnam illos nobis inferre iniuriam, notum eſt, & ſupra quoque iam a nobis demonſtratum ad ſectionis huius §. *VIII.* Dubia equidem quaedam moueri poſſent, & etiam ſolent, ſed haec ita comparata ſunt, vt labore non adeo difficili di-

lui queant. MELITO enim Sardenſis, dum libros canonicos ſcripturae ſacrae, in epiſtola ad Oneſimum fratrem, apud EVSEBIVM *hiſt. eccleſ. lib. IV. cap. XXVI.* recenſet, nullam libri Eſtherae iniicit mentionem; quod nec GREGORIVS NAZIANZENVS facit, nec IVNILIVS; ille in carmine de *genuinis ſcripturis tom. II. opp. p. 98.* hic in libro, de *partibus diuinae legis cap. II.* Immo ATHANASIVS diſerte ex numero librorum canonicorum eum excludit, *epiſt. XXXIX. tom. II. opp. p. 44. ſeqq.* quod & auctor *ſynopſeos*, ATHANASIO tributae, facit, *p. 63. & 133.* quanquam ſimul non neget, contineri eum in canone Ebraeorum. Obſeruatum praeterea viris doctis fuit, in toto hocce libro ne ſemel quidem nomen Dei occurrere, quod a more & conſuetudine ſcriptorum θεοπνεύϛων plane alienum eſſe videtur. Addunt nonnulli, auctoritatique eius diuinae obſtare putant, quod nuspiam in nouo teſtamento aliquid ex eo adlegatum deprehendatur, quemadmodum rurſus nec in eo veſtigia doctrinae de Meſſia, hominum redemtore, occurrant. Verum, vt ad vltimum primo reſpondeam loco, fruſtra adſumitur, eum librum, in quo doctrinae de Chriſto nulla diſerte mentio iniicitur, non quoque eſſe canonicum. Etſi enim hocce argumentum reliquis canonicae auctoritatis criteriis additum, pondus aliquod habeat; ex eius tamen defectu, criteria reliqua vim ſuam atque efficaciam non amittunt. Teſtimonium interim de gentis iſtius, ex qua Meſſias naſci debuit, mirabili conſeruatione, ſimulque de ſingulari Numinis circa veram eccleſiam prouidentia, perhibet. Pari ratione de altero cenſendum argumento. Libri cuiusdam veteris teſtamenti in nouo adlegatio ad eius confirmandam auctoritatem aliquid confert, non tamen ex adlegationis iſtius defectu auctoritatem libri cuiusdam veteris teſtamenti in dubium vocare licet. Certe, quod omnes veteris teſtamenti libri canonici in nouo debuerint adlegari, nulla probari poteſt ratione. Quanquam etiam non deſint, qui *Matth. I. 11.* & *Ebr. XI. 34.* veſtigia quaedam eorum, quae in libro Eſtherae narrantur, ſibi inueniſſe viſi ſunt. Quod nomen Dei in hocce libro non occurrat, varias quidem ob rationes fieri potuit; vnde & viris doctis, coniecturas varias promendi, enata fuit occaſio; vid. IO. HENR. HOTTINGERVS, *theſaur. philolog. lib. II. cap. I. ſect. III. pag. 488.* & MICHAEL WALTHERVS, *offic. bibl.* §. *DCCCLXXXVI.* Incertum vero, an auctor data opera eius mentionem intermiſerit; an vero ideo hoc factum ſit, quod rerum, quas exponit, narratio id non requirere videretur. Res ipſa autem cum doceat, eum id agere, vt innuat, mirificam iudaicae gentis ex praeſentiſſimo periculo liberationem, non ſine ſingulari Numinis prouidentia, fauorem benigniſſimum, quo gentem hanc, ceu verae eccleſiae ſedem, pro-

proſequebatur, prodente, contigiſſe, opera, miracula, beneficia maxima Numinis celebrando, commemoratione nominis eius ſuperſedere poterat. Opera namque & beneficia Dei celebrando, ipſum celebramus Deum; etſi nominis eius nullam faciamus mentionem. Vnde & nihil obſtat, quo minus pro libro canonico habeatur, in quo praeclara Dei deſcribuntur opera, etſi nominis diuini nulla in eo fiat mentio. Legenda, quae pluribus hanc in rem diſſerit GVIL. SALDENVS, in diſſertatione, qua diuinam libri huius auctoritatem ex inſtituto vindicat, *otior. theolog. lib. III. exercit. V. pag. 487.* Ad veteres denique eccleſiae doctores quod attinet, qui librum huncce inter canonicos non reponunt, non ſine ratione nonnullis obſeruatum, poſitum iis quandoque in more eſſe, vt libros quosdam biblicos coniungant, &, diuerſi licet ſint, vnico tamen comprehendant nomine. Fieri itaque potuit, vt MELITO, IVNILIVS & GREGORIVS NAZIANZENVS, forte ſub Esdrae nomine librum Eſtherae comprehenderent. Immo fieri etiam potuit, vt in catalogo MELITONIS librarii culpa ob nominum *Esdras* & *Eſther* conuenientiam, poſterius omitteretur, iſtudque vitium deinceps retinerent alii, qui in recenſendis libris biblicis, Melitonis catalogum prae oculis habebant; conf. B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *de can. ſcripturae cap. VII. §. II.* Eſto autem, excluſerint nonnulli patrum huncce librum ex canone: homines eos fuiſſe nouimus, qui non tantum errare potuerunt, ſed ſaepius etiam in eiusmodi rebus errarunt turpiter. Poſſemus inſuper illis opponere auctoritatem ORIGENIS, CYRILLI HIEROSOLYMITANI, EPIPHANII, HILARII, HIERONYMI, aliorumque, quorum loca indicat NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſt. aetat. mundi VI. diſſert. VI. artic. V. prop. I. pag. 378.* qui omnes diuinam libri huius auctoritatem magno conſenſu agnoſcunt.

Quae vero hactenus de libro Eſtherae diximus, de eo intelligenda ſunt, prout in codice ebraeo exſtat. De ſex enim poſterioribus capitibus, quae in LXX ſolum interpretum verſione reperiuntur, & inde in vulgatam translata ſunt, aliter cenſendum. Spuria enim atque adſcititia eadem eſſe, tum ex aliis rationibus, tum vel exinde conſtat, quod in ebraeo codice non legantur. Idque agnouit ORIGENES in *epiſtola ad Africanum pag. m. 225.* Si quis vero dicat, exſtitiſſe hocce additamentum olim in codice ebraeo, atque inde demum excidiſſe, quod eidem ORIGENI tribuit PETRVS DANIEL HVETIVS, *dem. euangel. prop. IV. pag. 318.* ei rationes luculentae, quibus hoc probet, adferendae ſunt. ROBERTVS BELLARMINVS, duas coniicit fuiſſe editiones ebraicas, priorem breuiorem, quae ſupereſt, poſteriorem laxiorem, & aliquot additamentis auctam, quae interciderit quidem, ſed vnde interpretatio grae-

ca, quae exſtat, prodierit, *de verbo Dei lib. V. cap. VII.* Quod eadem, qua dicitur, etiam reiicitur facilitate. Nec aliter pronuntiandum de ſententia viri doctiſſimi PETRI DANIELIS HVETII. Synagogae namque magnae cum librum iſtum acceptum referat, complures ad eum ſcribendum animum adieciſſe, exiſtimat; indeque adeo factum, vt diuerſa eius exſtiterint exemplaria, ebraicum hoc, quod habemus, atque item alterum paullo locupletius, vnde graeca cum additamentis deriuata ſint; *l. c. pag. 319.* Lubrica haec omnia ſunt, & ſine vllo argumento adſeruntur. Quod ſi coniecturis indulgendum eſſet, maiori probabilitatis ſpecie ſe commendaret ſententia HVGONIS GROTII, a proſelytis helleniſtis ῥητορέυσι, & ſtilum oratorio more exercentibus, additamenta haec compoſita, adſerentis, *praefat.* ad *additam. Eſtherae.* Certe cum *cap. V. 1.* Ptolomaei & Cleopatrae iniiciatur mentio, non eſt, quod dubitemus, auctorem horum additamentorum poſt deſtructum imperium Perſicum vixiſſe. Quae NATALIS ALEXANDER congerit, vt, additamenta haec genuina eſſe, euincat, *l. c. p. 379.* dudum a noſtratibus ſunt profligata; conf. B. IO. GERHARDVS noſter *exegeſ. loc. I. de ſcript. ſacr.* §. *CXCVIII. ſeqq.* Vt autem in libris hiſce hiſtoricis, de quibus hactenus diximus, multa ſibi deprehendiſſe viſus eſt BENEDICTVS DE SPINOZA, quae cum diuina illorum auctoritate conciliari nequeant: ita ſpeciatim librum Danielis, Eſdrae, Nehemiae, ac Eſtherae vnius eſſe auctoris, qui dudum poſt Iudam Maccabaeum, ex mente ſententiaque Phariſaeorum eos compoſuerit, audacter non minus, quam impudenter pronuntiat. Hinc & mendis eos eſſe refertos, & reſurrectionis quoque mentionem *Dan. XII. 2.* occurrere, ſimulque alios a Sadducaeis eodem tempore ſub iisdem nominibus Danielis, Eſdrae, Nehemiae atque Eſtherae, libros confictos; *tractat. theolog. polit. cap. X. pag. 132. & 136.* Quod quam illepidum ſit, vt oſtendamus neceſſe non eſt. Ecquis enim tam omnis rationis expers fuerit, vt SPINOZAE ſine teſte, ſine auctore fide digno, talia adſerenti, fidem adhibendam exiſtimauerit? Ex tractatu, quem laudat, talmudico *Schabbathi cap. II.* id quidem conſtat, magiſtros Iudaeorum aliquando de libris quibusdam biblicis, qui cum lege Moſaica illis pugnare videbantur, abſcondendis conſilia agitaſſe; at tamen, libros ſub alienis nominibus eos confinxiſſe, inde non colligas. Reliqua, quae contra libros hosce hiſtoricos, quos recenſuimus, cum THOMA HOBBESIO, item SPINOZA, in medium profert, diſcutere, noſtri non fert inſtituti ratio. Poſt PETRVM DANIELEM HVETIVM, *dem. euang. prop. IV. pag. 293. ſeqq.* haud perfunctorie id praeſtitit IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introd. ad libros hiſtor. biblior. vet. teſtam. cap. XIV. ſeqq. pag. 239. ſeqq.* De libris vltimorum prophetarum, Hag-

Haggaei, Zachariae & Malachiae, qui itidem ad hocce temporis interuallum ſpectant, vt aliquid addamus, neceſſe non eſt. Scriptos enim ab hisce vatibus, quorum nomina praeferunt, eos eſſe, non temere quis dubitauerit. De ipſis autem hisce vatibus iam ſupra dictum ad ſectionis huius §. *VIII.*

Supereſt itaque ſolum, vt de ſcriptis apocryphis huius aetatis aliquid dicamus. Varia eius generis Esdrae tribui ſolent, inter quae haud vltimum locum tenent, *liber tertius* & *quartus Esdrae*, ex quibus ille in graecis editionibus *liber primus Esdrae* vocatur, quoniam hiſtoriam paullo altius, quam genuinus liber Esdrae, qui adeo in his editionibus ſecundus eſt, repetit, vt IO. RAINOLDO obſeruatum in *cenſura apocryphorum tom. I. pag.* 238. In verſione autem vulgata vocatur *liber tertius Esdrae*, quia auctor librum genuinum Esdrae ac Nehemiae pro primo ac ſecundo habet. Spurium minusque genuinum huncce librum eſſe, perperamque adeo Esdrae tribui, poſitum eſt extra controuerſiam: quanquam & non deſint, qui eum ab Esdra nomen ſortitum exiſtimant, non quod ille auctor ſit, ſed quod magna eius pars *cap. VIII. & ſeqq.* de Esdra agat. De auctore autem & tempore quando ſcriptus ſit, licet nihil certi conſtet, cum tamen bene antiquum eſſe, viri docti inde probant, quod a CLEMENTE Alexandrino, ORIGENE, CYPRIANO, aliisque, ſub Esdrae nomine adlegetur; conf. IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XXIX. §. VIII.* Plura de libro hocce dabit GEORG. SERPILIVS in *perſonalibus*, quae vocat, *Esdrae, cap. VI. pag. 126. ſeqq.* Librum quartum, vt vocatur, Esdrae, illis, qui viſionibus ac reuelationibus delectantur, probari & ceu diuinum laudari, mirum non eſt; cum totus fere reuelationibus abſoluatur, inter pſeudoapocalypſes ideo non ſine ratione a quibusdam relatus. Idem & de illis cenſendum, qui in eo quaedam ad confirmandam ſententiam de regno Chriſti millenario ſpectantia, ſibi inueniſſe viſi ſunt. Nec deſunt inter Romanenſes, qui diuinam illi tribuunt auctoritatem, etſi plerique hodie ſecus ſentiant, cum a concilii Tridentini patribus, ei non magis, quam priori, locus inter libros canonicos ſit conceſſus. Id quod praeter alios & IVL. BARTOLOCCIO obſeruatum, in *biblioth. rabbin. magna, part. I. pag. 239.* vbi ſimul recte monet, non poſſe huncce librum recipi, niſi ſimul putidiſſimas quasdam Iudaeorum admittere velimus fabulas. Interim & IVL. CAESAR SCALIGER iis adnumerandus eſt, qui neſcio quae myſteria in eo ſibi deprehendere videntur. *Arcana*, inquit, *multo plura continentur in libris Esdrae, atque potiora, quam quauis enarratione. Eorum admirabile ac diuinum compendium apud me eſt, Syra conſcriptum lingua*; *contra Cardan. exercit. CCCVIII.* niſi potius de li-

libris LXX Eſrae, de quibus deinceps, loquatur. Quidquid huius ſit, qui paullo diligentius librum hunc legerit, facile praeter commenta quaedam & fabulas, abſona, in quibus auctor & ſecum ipſe, & cum aliis libris canonicis pugnat, deprehendet, eumque magnam partem ex viſionibus, quarum in libris canonicis mentio iniicitur, compilatum, indignumque, qui libris diuinis adnumeretur, perſpiciet. Nec obſtat, quod ab IRENAEO, CLEMENTE Alexandrino, TERTVLLIANO, AMBROSIO, aliisque patribus, ſub Eſdrae nomine adlegetur. Decipi enim facile in eiusmodi rebus veteres eccleſiae doctores potuiſſe, iam antea nobis obſeruatum eſt; conf. B. IO. GERHARDVS, *exeg. loc. theol. de ſcriptura ſacra.* §. *CLXXIV.* Auctorem libri ex iudaeo chriſtianum fuiſſe, non dubitandum videtur, cum ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti diſerte mentionem faciat, *cap. II. 49. & VII. 28. ſeqq.* Non diu admodum poſt Chriſti reſurrectionem eum vixiſſe, viri docti inde colligunt, quod in epiſtola, quae Barnabae tribuitur, *cap. XII.* ex *cap. V. v. 4.* quaedam adlegentur; immo, & CLEMENTEM Romanum in priori ad Corinthios epiſtola aliquoties ad loca quaedam libri huius reſpicere, exiſtimant. CLEMENTEM porro Alexandrinum *lib. III. ſtrom. p. 468.* alioſque veterum, ſubinde ad eum prouocare, notum eſt. Hinc & HENRICO DODWELLO auctor libri huius aequalis fuiſſe videtur, Hermae paſtoris, & Ioanneae apocalypſeos, *differt. Cyprian. IV.* §. *II. & XXIII.* PETRVS vero ALLIXIVS a Montaniſta quodam ex iudaeo librum huncce ſcriptum ſuſpicatur, in *epiſtola* ad *Ezechielem Spanhemium*, operi huius *de vſu & praeſtantia numismat. tom. I. pag. 70.* inſerta: refutatus ideo a IO. ALB. FABRICIO, quod in epiſtola Barnabae, vt diximus, liber hicce adlegetur, quae haud dubie ſcripta ſit, antequam Montanus eccleſiam haereſi ſua turbauerit, in *cod. pſeudepigrapho vet. teſtam. p. 1153.* qui & in *codice apocrypho noui teſtamenti* de eo verba facit, *p. 936.* Librum huncce hodie tantum latine exſtare, notum eſt; at graece eum olim lectum fuiſſe, ex fragmentis eius in epiſtola Barnabae, aliisque patrum ſcriptis occurrentibus, viri docti colligunt. Plura de hocce quoque libro congeſſit GEORG. SERPILIVS in *perſonalibus*, quae vocat, *Eſdrae, cap. VII. p. 120. ſeqq.* Quod ſi auctori quarti huius libri credimus, Eſdra quadraginta dierum ſpatio ex ſingulari Numinis adflatu ducentos & quatuor libros conſcripſit, ex quibus priores quidem omnibus, dignis & indignis, patere debebant, at LXX vltimi *cuſtodiendi erant, & tradendi ſapientibus, quod in illis vena intelligentiae, ſapientiae fons, & ſcientiae flumen contineretur, cap. XIV. 21. ſeqq.* it. *38. ſeqq.* Hoc vero inter fabulas atque commenta referendum eſſe, non temere quis dubitauerit. Interim non defuerunt, qui narrationi huic fidem adhibentes, maxima in

LXX hiſce libris kabbaliſtarum exſtitiſſe myſteria, ſibi perſuaſerunt; eoque minus hac de re dubitarunt, quod eius generis libri ſub Esdrae nomine circumferrentur, quales non mediocri impenſa ſe ſibi comparaſſe, teſtatur IO. PICVS MIRANDVLA, additque, cum indefeſſis laboribus eos perlegiſſet, *ſe vidiſſe in illis religionem non tam Moſaicam, quam chriſtianam; ibi*, (ita pergit) *Trinitatis myſterium, ibi verbi incarnatio, ibi Meſſiae diuinitas, ibi de peccato originali, de illius per Chriſtum expiatione, de coeleſti Hieruſalem, de caſu daemonum, de ordinibus angelorum, de purgatoriis, de inferorum poenis, eadem legi, quae apud Paulum & Dionyſium, apud Hieronymum & Auguſtinum quotidie legimus; apolog. p. 52.* Non quidem dubito legiſſe MIRANDVLAM eiusmodi libros; ſed non etiam dubito, quin vir optimus egregie deceptus ſit, dum pro genuinis Esdrae libris eos habuit, quos alius ſub eius nomine compoſuit; quod & ſupra iam nobis obſeruatum, & iam olim in *introd. ad hiſt. philoſ. Ebr. pag. 50.* Conferre etiam hac de re iuuat IO. REVCHLINVM, de *arte kabbaliſtica lib. I. p. 12.* itemque PETRVM CRINITVM, de *honeſta diſciplina lib. XXV. cap. III.* De reliquis libris, qui Esdrae adhuc tribui ſolent, vid. PETRVS LAMBECIVS, *biblioth. Vindob. lib. VI. p. 118.* IO. ALB. FABRICIVS, *cod. pſeudepigrapho vet. teſtam. p. 1162.* GEORG. SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Esdrae, cap. XIII. pag. 227. ſeqq.*

Denique & Ieſus Sirachidae liber, qui *eccleſiaſtici* nomine venit, & inter ſcripta apocrypha vel maxime eminet, hic nobis commemorandus eſt. Solebant iſti libri, qui non eiusdem cum canonicis erant auctoritatis, & nihilo ſecius, quod ad aedificationem aliquid conferre viderentur, in eccleſia legebantur, ſpecialiori quadam ratione *eccleſiaſtici* vocari. Hos inter cum ob praeceptorum multitudinem & praeſtantiam, haud vltimum locum hicce Sirachidae liber teneret, *eccleſiaſtici* nomen prae reliquis omnibus ei haeſit. Nec tamen negauerim, interdum & canonicos libros eccleſiaſticos dictos eſſe. Sed nihil frequentius, quam vt ſpecialior quaedam vocis ſignificatio vſu & conſuetudine ita firmetur, vt ſola tandem obtineat. A veteribus etiam *πανάρετος* vocatur, quia promtuarium velut quoddam eſt virtutum omnium. Ita EVSEBIO dicitur, in *chronico num. M DCC LXXXV.* & *demonſtrat. euangel. lib. VIII. cap. II.* itemque IO. DAMASCENO, *lib. IV. de orthod. fide cap. XVIII.* aliisque. Eadem nimirum ratione, qua & prouerbia Salomonis veteribus *πανάρετον σοφίαν* dicta, nonnullis obſeruatum: quemadmodum & librum Sirachidae apud Ebraeos *parabolae*, perinde ac liber prouerbiorum Salomonis, inſcriptum fuiſſe, HIERONYMVS auctor eſt; conf. HENR. VALESIVS ad *Euſebii hiſtor. eccleſ. p. 80.* Ex prologo qui in editione Complutenſi exſtat, nonnulli colligunt, nepotem Sirachidae, qui li-

librum hunc in graecum ſermonem tranſtulit, eundem *σοφίαν* inſcripſiſſe; qua quidem ratione & CLEMENTI Alexandrino, aliisque veterum adlegetur; immo fuiſſe deinceps, qui *πανάρετον σοφίαν*, aeque ac prouerbia Salomonis, dicerent. Cum vero etiam liber hicce in nonnullis cum ſcriptis Salomoneis, ſpeciatim prouerbiis, conueniat, inde forte factum, vt a quibusdam omnino *Sapientia Salomonis* adpellitaretur. Perperam quidem; cum Ieſum Sirachi filium non Salomonem, libri huius auctorem eſſe, in prologo diſerte dicatur, qui & Salomonis exemplum in libro hocce componendo ſibi propoſuit, vnde & in Complutenſis editionis prologo *ἐπαιδὸς τȣ̃ Σολομῶντος*, *ſectator Salomonis* dicitur. Et qui Salomo auctor eius eſſe poſſit, cum *cap. XLVIII.* Eliae, Eliſae, Ezechiae iniiciatur mentio? Quantumuis autem variae a nonnullis excogitentur rationes, cur liber hicce *Sapientia Salomonis* dici queat, etſi Salomo eius auctor non ſit; ad ſummam tamen rei parum proficiunt, cum titulus iſte vix aliter capi queat, quam vt Salomo libri auctor feratur; quod tamen falſum eſſe, ipſimet, quibuscum hic nobis res eſt, fateri coguntur. Neque ex ſcriptis Salomonis, quae in hocce libro exſtant, congeſta dici poſſunt, cum in hoc legantur plurima, quorum in illis nullum deprehendere licet veſtigium. Sirachidem librum hunc ebraice ſcripſiſſe, quem nepos eius in graecam linguam tranſtulerit, non tantum ex prologo conſtat, ſed veteres ſcriptores paſſim teſtantur. Immo ipſe HIERONYMVS ebraicum libri huius codicem ſe reperiſſe, teſtatur, *parabolas* (משלי) *praenotatum; praefat. in prouerb.* qui tamen hodie amplius non exſtat. De verſione autem ſua nepos Sirachidae ipſemet pronuntiat, quod vim quorundam verborum minime fuerit adſecutus, additque: *ȣ̓ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς ἑβραϊστὶ λεγόμενα καὶ ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν· non enim aeque valent illa, cum ebraice dicuntur, & cum in aliam linguam tranſlata fuerint.* Eo grauius itaque ebraici codicis iacturam ferendam, viri docti cenſent; praeſertim, cum & graecarum editionum mira ſit discrepantia, & varietas, & latina quoque vulgata vetus cum graeco parum conueniat. Sed de hisce, ceterisque, quae adhuc de hocce libro obſeruari poterant, legenda IO. ALB. FABRICII *prolegomena in eccleſiaſticum*, qui & de eo agit *bibliothec. graec. lib. III. cap. XXIX. pag. 272. ſeqq.*

* Sententiae huius, de pentateucho, ceterisque ſcripturae ſacrae, qui eo tempore exſtabant, libris, tempore captiuitatis Babylonicae deperditis, & ab Esdra ex adflatu diuino reſtitutis, origo itidem ex *libro IV. Esdrae cap. XIV. v. 21.* eſt repetenda. Tribuitur eadem nonnullis veteris eccleſiae doctoribus, IRENAEO, CLEMENTI Alexandrino, BASILIO, IO. CHRYSOSTOMO, auctori *ſynopſeos ſcripturae*, quae inter opera Athanaſiana

ſiana exſtat, & LEONTIO BYZANTINO. Nec diſplicuit quibusdam Romanae eccleſiae doctoribus, haud dubie eam ob cauſſam, vt certam ſcripturae ſacrae fidem, quam ob traditiones ferre nequeunt, labefactarent. Nonnulli vero fabulam iſtam, de combuſtis, ac reſtitutis ab Esdra omnibus ſcripturae ſacrae codicibus, repudiantes, in eam ingrediuntur ſententiam, Esdram libros ſacros, qui eo tempore exſtabant, in compendium aliquod redegiſſe; vt adeo, quos hodie habemus, veteris teſtamenti libri, ante Esdram conditi, ſi formam ſtilumque ſpectes, non alium quam Esdram, auctorem agnoſcant. Ita ANDREAM MASIVM ſentire conſtat, *praefat. comment. in Ioſuam*, atque THEODORVM BIBLIANDRVM *de opt. gen. interpret. ebr. pag.* 74. Mirum non eſt, arripuiſſe talia impietatis magiſtros, quos atheos dicimus, niſi ipſimet inuenerint. Primum inter eos ſuo merito locum tenet BENEDICTVS DE SPINOZA, qui non tantum librorum hiſtoricorum veteris teſtamenti ad paralipomena vsque conſcriptionem Esdrae tribuit, ſed eum quoque perfunctorie admodum atque indiligenter ea in re verſatum, audacter non minus, quam impudenter, pronuntiat. Hinc cum & *tract. theol. polit. cap. VIII. pag. 105. ſeqq.* omnes ingenii vires intendiſſet, vt probaret, iſtos libros ab iis non eſſe ſcriptos, a quibus vulgo ſcripti eſſe creduntur, *cap. IX. p. 115.* paullo apertius mentem ſuam hunc in modum prodit: *Verum praeter ſcriptorem alia animaduertenda, in ipſis libris ſuperſunt, quae communis ſuperſtitio vulgus deprehendere non ſinit. Horum praecipuum eſt, quod Hezras, (eum pro ſcriptore praedictorum librorum habebo, donec aliquis alium certiorem oſtendat) narrationibus in hisce libris contentis, vltimam manum non impoſuit, nec aliud fecit, quam hiſtorias ex diuerſis ſcriptoribus colligere, & quandoque non niſi ſimpliciter deſcribere, atque eas nondum examinatas, neque ordinatas, poſteris reliquit.* Non procul hinc diſcedit THOMAS HOBBESIVS. Saltem cum omnem mouiſſet lapidem, vt, quae de librorum veteris teſtamenti auctoribus credimus, in dubium vocaret, tandem concludit, ſcripturam veteris teſtamenti ea forma, qua hodie conſpicitur, nec ante captiuitatem Babylonicam, nec poſt Ptolomaei philadelphi tempora, editam eſſe, ſimulque ab Esdra eam accepiſſe, coniicit, teſtimonium auctoris libri IV. Esdrae non prorſus reſpuens: *Veruntamen manifeſtum ſatis eſt, veteris teſtamenti ſcripturam totam ea forma, quam nunc videmus, neque ante reditum a captiuitate Babylonica, neque, poſt Ptolomaei philadelphi tempora editam fuiſſe. Quod ſi libris Esdrae apocryphis fides habenda ſit, ab ipſo Esdra edita eſt; nam libri ſecundi cap. XIV. verſ. 21. ſeqq. ſic ſcribitur; Quoniam lex tua incenſa eſt, &c. Leuiath. cap. XXXIII. p. 179.* Nec praetermittendus RICHARDVS SIMON, libros hiſtoricos, quos hodie habemus, veteris teſtamenti, ex

 ſcri-

ſcribarum, quos fingit, publicorum commentariis excerptos, contendens, idque haud obſcure Esdrae tribuens, *hiſtor. crit. vet. teſtam lib. I. cap. I. p. 4.*

Verum, quod ad teſtimonium illud attinet, quod ex libro IV. Esdrae profertur, quodque hic vel maxime in cenſum venit, fruſtra quidem ad illud prouocant, cum auctor iſtius libri, de quo antea diximus, iam dudum apud prudentes rerum exiſtimatores fidem omnem decoxerit. Hinc & PETRO DANIELI HVETIO, hancce quaeſtionem velut in tranſitu attingenti, *homo male & inepte fraudulentus*, audit, *demonſtrat. euang. prop. IV. pag. 264.* Patres vero, ſeu veteres eccleſiae doctores, quorum antea recitauimus nomina, non vno eodemque omnes habendi ſunt loco. Nonnullis namque perperam hanc ſententiam tribui, patet, ſi verba illorum paullo adcuratius conſiderentur. Vel IRENAEI hoc comprobari exemplo poteſt, qui hac de re ita loquitur: ἐν τῇ ἐπὶ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ τοῦ λαοῦ διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν, καὶ μετὰ ἑβδομήκοντα ἔτη τῶν Ἰουδαίων ἀνελθόντων εἰς τὴν χώραν αὐτῶν, ἔπειτα ἐν τοῖς χρόνοις Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως, ἐνέπνευσεν Ἔσδρᾳ τῷ ἱερεῖ, ἐκ τῆς φυλῆς Λευΐ, τοὺς τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀνατάξασθαι λόγους, καὶ ἀποκαταστῆσαι τῷ λαῷ τὴν διὰ Μωσέως νομοθεσίαν· *In ea captiuitate populi, quae facta eſt a Nabuchodonoſor, corruptis ſcripturis, & poſt ſeptuaginta annos Iudaeis deſcendentibus in regionem ſuam, poſt deinde, temporibus Artaxerxis Perſarum regis, inſpirauit Hesdrae ſacerdoti tribus Leui, praeteritorum prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere populo eam legem, quae data eſt per Moſen; lib. III. cap. XXI.* Nimirum in textu graeco, quem nobis EVSEBIVS ſeruauit, *hiſt. eccleſ. lib. V. cap. VIII.* non dicitur, ſacrum codicem plane deperditum, ſed tantum: διαφθαρεισῶν γραφῶν, *corruptis ſcripturis*, quod qua ratione intelligendum ſit, mox exponemus. Voce autem ἀνατάξασθαι, quam HENRICVS VALESIVS reddit, *denuo componere*, RENATVS autem MASSVETVS, *digerere*, nihil aliud ſignificatur, quam quod codices emendandos iterum produxerit, omniumque vſui hac ratione reſtituerit. Quod cum non ſine inſtinctu quodam Numinis, atque pio animi adfectu factum ſit, recte IRENAEVS dicere potuit: ἐνέπνευσεν Ἔσδρᾳ τῷ ἱερεῖ· Quae CLEMENS Alexandrinus hac de re habet, *lib. I. ſtrom. p. 342.* aut ex edit. IO. POTTERI *pag. 410.* ex IRENAEO ſunt petita, vt eidem POTTERO recte obſeruatum, adeoque & eodem modo intelligenda, quo ipſa IRENAEI verba intelligenda eſſe diximus. Id ſolum obſeruamus, verbum διαφθαρεισῶν GENTIANVM HERVETVM minus bene vertiſſe: *cum periiſſent*: cum potius vertendum ſit, *cum corruptae eſſent.* Nec aliter intelligendum puto, quod antea item CLEMENS *pag. 329.* aut ex edit. POTTERI *p. 392.* dixerat: δι' Ἔσδραν γίνεται ὁ τῶν

Θεο-

θεοπνεύστων ἀναγνωρισμὸς, καὶ ἀνακαινισμὸς λόγων; per Esdram facta diuinitus inſpiratorum oraculorum recenſio & renouatio. Ad reliquos patres, quos vocant, quod attinet, negari nequit; quosdam ita loqui, vt nullum vere ſit dubium, quin fabulae ab auctore *libri IV. Esdrae* proditae, adhibuerint fidem. Cum vero ſatis inter omnes conſtet, eccleſiae veteris doctores facile in eiusmodi rebus decipi potuiſſe, & ſaepius deceptos eſſe, non eſt, vt illorum magnopere quenquam moueat auctoritas. Hinc &, qui ex ipſis Romanenſibus cautiores prudentioresque reliquis ſunt, vt ROB. BELLARMINVS, *lib. II. de verbo Dei cap. I.* CAESAR BARONIVS, *annal. ad annum mundi MMM CCCCXLVII. n. 4.* PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euang. prop. IV. p. 264.* LVD. ELIAS DV PIN, *diſſert. praelim. ſuper biblia lib. I. cap. IV. §. III. p. 144. ſeqq.* NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aet. mundi VI. diſſert. IV. p. 338. ſeqq.* aliique, hanc de libris ſacris deperditis, atque per Esdram reſtituris, fabulam magno conſenſu reiiciunt. Nec ſine ratione. Licet enim in tanta rerum omnium, quae iudaeis tempore captiuitatis Babylonicae incubuit conturbatione, vix aliter fieri potuerit, quam vt nonnulla ſacri codicis exempla perirent; de omnibus tamen hoc dicere, nimis temerarium foret. Quosdam enim praecipuae dignitatis viros, prophetas cumprimis ac ſacerdotes, omnem in eo operam poſuiſſe, vt, ſi vel maxime reliqua omnia amitterent, ſacrae tamen ſcripturae codicem, quem quisque habeat, conſeruarent, vix eſt, quod dubitemus. Immo cum prorſus vero ſimile ſit, vt ſupra iam obſeruatum, apud Iudaeos, in captiuitate Babylonica conſtitutos, litterarum floruiſſe ſtudia; eosque ſcholas ſeu ſapientiae habuiſſe domicilia, ecquis credat nullum apud eos fuiſſe legis Moſaicae, aliorumque ſcriptorum ſacrorum, codicem? Omne vero dubium eximit, quod *Dan. IX. v. 2. & 11.* & vaticiniorum Ieremiae, & legis Moſaicae, ceu librorum eo tempore in captiuitate Babylonica exſiſtentium, diſerte iniiciatur mentio. Sed & in ipſo libro Esdrae *cap. VI. 18.* templo reſtaurato, cultum quoque publicum reſtiturum dicitur, *ſicut ſcriptum eſt in libro Moſis.* Quod ſi quis de libro Moſis ab Esdra iam reſtituto intelligere velit, eum profecto luculentas ſui adſerti adferre oportet rationes. Denique & *Nehem. VIII. 3* Esdram librum legis Moſaicae protuliſſe, & in eo legiſſe coram populo adſeritur, reſtitutionis cuiusdam nulla facta mentione.

Corruit vero & hinc ſua ſponte, & iisdem refutatur argumentis illorum opinio, qui libros biblicos veteris teſtamenti ante hanc aetatem conſcriptos, qua formam ſaltem ſtilumque, Esdrae tribuendos ſibi perſuadent. Qua enim quaeſo ratione hoc probabitur? Quod enim BENEDICTVS DE SPINOZA, THOMAS HOBBESIVS, & qui horum veſtigia premunt, obuer-

tunt, in libris hiſce multa occurrere, quae aetati, qua ſcripti dicuntur, non reſpondeant, adeoque, ſi non auctorem, ſaltem conſarcinatorem longe recentiorem arguant, id dudum praeter alios profligauit PETRVS DAN. HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 255. ſeqq.* Hoc vero praeſidio deiecti, nihil aliud pro ſententia ſua, de Esdra ſacrorum librorum compilatore, quam inanes prorſus atque friuolas adferre poſſunt coniecturas. Conferendi, qui pluribus rem omnem conficiunt, fabulamque, de qua hactenus verba fecimus, explodunt, CHRISTIANVS KORTHOLDVS, de *variis ſcripturae ſacrae editionib. cap. I.* IO. GEORG. DORSCHEVS, *theol. Zachar. part. II. diſp. II. loc. I. p. 81.* ANDR. RIVETVS, *iſagoge ad ſcript. ſacr. p. 69. ſeqq.* IO. FRIDERIC. MAYERVS, *diſſert. de autographis bibl.* in *diſſertationibus* eius *Kilonienſibus p. 546. ſqq.* AVG. PFEIFFERVS, *crit. ſacr. cap. II. ſect. II. qu. I. p. 39. ſeqq.* GEORG. SERPILIVS, in *perſonalibus Esdrae cap. VIII. p. 136. ſeqq.* Licet autem fabula iſta de libris ſacris deperditis, ac ab Esdra reſtitutis, hodie a pleriſque reiiciatur, ſunt tamen nonnulli, qui ex teſtimoniis patrum antea adlatis id colligi poſſe, exiſtimant, codices ſcripturae ſacrae, tempore captiuitatis Babylonicae admodum fuiſſe corruptos, in quibus adeo corrigendis ac emendandis operam ſtudiumque ſuum collocauerit Esdra. Praeter multos alios, quibus eadem ſententia tribui ſolet, id inde probare adnititur vir doctiſſimus IO. CLERICVS, *art. crit. part. III. ſect. I. cap. II. p. 22.* LVDOVICVS porro ELIAS DV PIN, quae circa librorum ſacrorum reſtitutionem Esdra egerit, ad ſequentia reuocat capita: quod libros ſacros collegerit, canonemque conſtituerit; codices quod adcurate perluſtrauerit, & quae in eos forte irrepſerant vitia, emendauerit; quod libros ſacros in certum ordinem diſpoſuerit, eosdem quod nouo charactere ſcripſerit; & denique nonnulla forte ad connexionem & explicationem ſpectantia adiecerit; *diſſert. praelim. lib. I. cap. IV. §. III. p. 144.* Sed vt vltimum ſine probatione adſeritur, ita, quid de primo, tertio, & quarto capite ſentiendum ſit, iam ex ſupra dictis liquet. Ad ſecundum autem quod attinet, quod hic praecipue in cenſum venit, ſi ita intelligatur, quod eos codices, qui tempore captiuitatis Babylonicae corrupti aut minus adcurate deſcripti erant, ad fidem illorum, qui integri & illibati permanſerant, exegerit, & emendauerit, curamque impenderit, vt adcuratius maiorique ſtudió in poſterum deſcriberentur, admitti haud difficulter poſſet. Qui enim hoc ita capiunt, ac ſi omnes codices ſacri corrupti fuerint, eosque ex ſuo ingenio correxerit ac emendauerit Esdra, haud dubie falluntur, adſeruntque aliquid, quod ne ſpeciem quidem veri habet. Quis enim credat, omnes ſinguloſque codices ita corruptos fuiſſe, vt eiusmodi indiguerint emendatione? De quibusdam autem, immo & de plurimis, haud

Digitized by Google

haud ſine ratione hoc creditur. Hinc vero cum magna rerum confuſio ac conturbatio oriri potuiſſet, a vero non abhorret, operam dediſſe Esdram, vt ad illos, qui integri & incorrupti permanſerant, reliqui exigerentur. Fuerunt nonnulli, quod ὡς ἐν παρόδῳ commemoramus, qui αὐτόγραφα Esdrae, ſeu codicem ſacrum, ipſius Esdrae manu exaratum, Bononiae exſtare iactitarent; cuius quidem codicis FINVS ADRIANVS FINVS, Ferrarienſis, in *flagello iudaeorum lib. IX. cap. II. p. 557.* & ANGELVS ROCCHA, de *bibliotheca Vaticana, p. 394.* meminerunt, quorum loca praeter alios laudat IO. FRIDERICVS MAYERVS, in *diſſert.* de *authographis biblicis* §. *X. p. 564.* Verum BERNHARDVS DE MONTFAVCON, qui omnium adcuratiſſime codicem hunc Bononienſem deſcripſit, in *diario Italico p. 399. & 400.* ipſemet agnoſcit, licet ob antiquitatem codex iſte valde ſit commendabilis, fabulam tamen ſapere, quod traditur, eum ipſius Esdrae manu eſſe exaratum; conf. & IO. ALB. FABRICIVS, *cod. pſeudepigrapho vet. teſtam. p. 1147. ſeqq.* it. GEORG. SERPILIVS, in *perſonalib. Esdrae cap. XII. p. 220. ſeqq.*

Quae de ſacro codice ab Esdra reſtituto ac emendato diximus, illorum quoque praeſidium ſententiae adferre videntur, qui maſorae originem ad Esdram referunt. Sunt vero diuerſa hac de re virorum eruditorum placita. Nonnulli namque maſoram omnem ad Esdram viroſque ſynagogae magnae referunt, ea quidem ratione, vt non tantum canonem ſcripturae ab iis conſtitutum, & in certas partes, immo & verſus diſtributum, ſed veram quoque & genuinam lectionem ſtabilitam, immo litterarum, vocum, & verſuum ab iis initum numerum, contendant. Plerorumque ebraeae gentis magiſtrorum haec eſt ſententia, ſpeciatim R. ASARIAE, in *meor enaim fol. 179.* R. GEDALIAE, *in ſchalſchel. hakkab. fol. 21.* R. ISAACI ABARBANELIS, in *praefat.* libri, *nachale abboth*, aliorumque, quorum hac de re teſtimonia profert IO. BVXTORFIVS, qui & ipſe eidem ſuffragatur, in *Tiberiade, cap. XI. p. 96. ſeqq.* Referri huc etiam ſolet, quod in *capitulis patrum cap. I.* a viris ſynagogae magnae ſancitum dicitur: ועשו סיג לתורה *& facite legi ſepem.* Maſoram enim veluti ſepem quandam legis eſſe, contendunt, quippe qua caueatur, ne temere vlla textus corruptio in eam irrepere poſſit. Sed alii haecce de legis ſepe facienda, de traditionibus potius practicis, intelligunt, vt iam antea nobis eſt obſeruatum. Altera vero de origine & antiquitate maſorae ſententia illorum eſt, qui a magiſtris quibusdam ebraeis, ſaeculo poſt Chriſtum natum circiter ſexto Tiberiade congregatis, eam profectam autumant. Praecipuus huius ſententiae auctor atque defenſor R. ELIAS LEVITA eſt, in libro *maſoreth hammaſoreth*, ex quo praecipua, quae huc ſpectant, idem IO. BVXTORFIVS exhibet, *l. c. cap. III. p. 9.* Praeeuntem tamen ſibi habuit celeberrimi nominis

in-

inter Iudaeos doctorem ABEN ESRAM; ex cuius libro grammatico צחות dicto, haec paſſim proferri ſolent; כן מנהג חכמי טבריא כי מהם היו אנשי המסרת ומהם קבלנו כל הנקוד. *Sic fuit conſuetudo ſapientum Tiberiadis; nam ex illis fuerunt viri auctores Maſorae, & ab illis accepimus totam punctationem.* Simile quid & in commentario eius ad *Exod. XXV. 31.* inuenias. Quod autem ABEN ESRA timidiuſcule & velut aliud agendo more ſuo ſubinnuit, id deinceps palam protulit, & maiori ſtudio ac diligentia excoluit ELIAS LEVITA; cuius genuina hac de re ſententia eo redit: maſorae auctores fuiſſe innumeros, diuerſis ſaeculis; tempus principii & finis ipſorum eſſe incertum; Tiberienſes vero Ebraeos primum conſcripſiſſe maſoram, & inueniſſe puncta vocalium & accentuum, idque poſt abſolutum talmud, hoc eſt, longe poſt annum Chriſti quingenteſimum. Quae quidem eius hac de re placita nonnulli ex chriſtianis, IO. MORINVS, in *exercitationibus biblicis*, LVD. CAPPELLVS, in *critica ſacra*, RICHARDVS SIMON, *hiſtor. crit. vet. teſt. lib. I. cap. XXIV.* aliique, auide arripuerunt. Nec procul ab hac ſententia diſcedit BRIANVS WALTONVS, illis ſaltem, qui ad Esdram, viroſque ſynagogae magnae maſorae originem referunt, diſerte repugnat, in *adpar. bibl. prolegom. VIII. p. 294.* Iudaeorum ſane, rerum ſuarum antiquitatem vltra modum exaggerantium, commentiſque variis augere nunquam religioni ſibi ducentium, traditionibus non temere adhibendam fidem, lubens conſentio. Eiusmodi praeterea ſynagogam magnam, qualem Esdrae tempore fuiſſe, Iudaeorum magiſtri tradunt, nunquam exſtitiſſe, ceteriſque horum hominum fabulis adnumerandam eſſe, ſupra iam docuimus. Simul tamen nec id temere in dubium vocandum, Esdram de codice ſacro reſtituendo ac emendando, ea quidem, qua antea id explicauimus, ratione, fuiſſe ſollicitum. Nec a vero abhorret, exemplo eius excitatos viros quosdam pietate & ſapientia praeſtantes, qui in integritate ſacrorum codicum conſeruanda operam ſtudiumque collocauerint. Cum vero poſt alterum Hieroſolymae vrbis excidium Iudaei hinc inde diſperſi eſſent, nouumque corruptionis periculum codex ſacer ſubire videretur, magiſtri quidam Ebraeorum de eo conſeruando ſolliciti, non tantum obſeruationes priorum collegerunt, ſed maiori ſtudio ac induſtria in id incubuerunt, vt perpetuae ſacri codicis integritati conſuleretur. Quos inter cum ſaeculo poſt natum Chriſtum quinto Tiberienſes magiſtri eminerent; hinc factum, vt a quibusdam pro auctoribus maſorae reputarentur. Haec ſententia media velut eſt inter duo extrema, immo duas priores velut inter ſe conciliat: hinc & non tantum magna ſe commendat veriſimilitudinis ſpecie, ſed & hodie viris doctis probatur; conf. IO. BENEDICT. CARPZOVIVS, in *collegio bibl. in libellum Ruth. diſſert.* III.

III. praelim. p. 33. AVG. PFEIFFERVS, *diſſert. de maſora, ſiue critica ſacra Ebr. cap. II.* & *in crit. ſacr. cap. VI. ſect. II. qu. I. p. 261.* VAL. ERN. LOESCHERVS, *de cauſis linguae ebr. lib. I. cap. VIII. p. 91.* Connexa fere cum quaeſtione de origine maſorae eſt quaeſtio de origine punctorum vocalium, quibus textum ebraeum inſtructum hodie conſpicimus. Prout enim alii Esdram, alii autem magiſtros Tiberienſes, pro maſorae auctoribus habent, ita etiam alii Esdrae, alii autem omnino Tiberienſibus illis magiſtris, originem & inuentionem punctorum vocalium tribuunt; vltimam quidem ſententiam poſt ELIAM LEVITAM acriter defendente LVDOVICO CAPPELLO, cui poſt multos alios etiam accedit NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſt. aet. mundi VI. diſſert. IV. artic. II. p. 340. ſeqq.* Sed aliis non ſine ratione probabilius viſum, puncta vocalium ipſis litteris fuiſſe coaeua, adeoque nec ab Esdra, nec a magiſtris Tiberienſibus, aut inuenta aut litteris addita, quod copioſius diſcutere noſtri non fert inſtituti ratio. Adeat, qui plura hac de re cupit, AVG. PFEIFFERVM, *crit. ſacr. cap. IV. ſect. IV. qu. II. p. 109. ſeqq.* VAL. ERN. LOESCHERVM, *de cauſ. linguae ebr. lib. II. cap. III. p. 275. ſeqq.*

** Iam ante eam verſionem librorum veteris teſtamenti graecam, quae LXX interpretibus vulgo tribuitur, aliam quandam exſtitiſſe, Pythagorae, Platoni, aliisque Graecorum philoſophis lectam, ARISTOBVLVS auctor eſt, apud CLEMENTEM Alexandrinum, *lib. I. ſtrom. p. 342.* & EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. XIII. cap. XII.* Idem & ex DEMETRII PHALEREI epiſtola ad Ptolomaeum philadelphum, quae apud FL. IOSEPHVM exſtat, *antiquit. iud. lib. XII. cap. II.* nonnulli colligunt, cum de verſione adcuratiori concinnanda ibi ſermo fiat, ſimulque innuatur, iam exſtare aliam, ſed negligentius omnino factam. Haec & reliqua, quae pro eadem ſententia adferri ſolent, minime contemnenda quidam cenſent. Sed aliis ARISTOBVLI iſtud teſtimonium tanti non eſſe videtur, vt fidem mereatur. Legenda, quae de Ariſtobulo hocce adcurate diſputat HVMFREDVS HODIVS, de *bibliorum textibus originalibus, lib. I. cap. IX. p. 49. ſeqq.* DEMETRII autem PHALEREI verba, quae apud IOSEPHVM *l. c.* exſtant: συμβέβηκε δ' αὐτὰ καὶ ἀμελέστερον ἢ ἔχει σεσημάνθαι, RVFFINVS quidem ita interpretatur: *contigit etiam, minus diligenter eam, quam habent, transferri.* At apud ARISTEAM *p. m. 13. edit.* quae Oxonii an. MDCXCII. prodiit, verba haec ita leguntur: τυγχάνει γὰρ ἑβραϊκοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα· ἀμελέστερον δὲ καὶ οὐχ ὡς ὑπάρχει, σεσήμανται, hoc eſt: *Conſtant enim* (legum iudaicarum libri) *litteris ebraicis; ſed negligentius, nec ita, vt ſe habent, conſcripti.* Sed de verſionibus, quae ante ſeptuaginta viralem confectae dicuntur, plura dabit BRIANVS WAL-

nnnnn TO-

TONVS, in *adparatu biblico prolegom. IX. §. VI. p. 313.*

De ea, quae LXX interpretibus vulgo tribuitur, quae ARISTEAS (de quo deinceps plura) & qui huncce ducem ſequuntur, narrant, eo fere redeunt; Ptolomaeum philadelphum, Aegypti regem, cum magno litterarum amore flagraret, omnisque generis libros, qui vllibi inueniri poterant, conquireret, vt bibliothecam ſuam, quam Alexandriae colligebat, iis ornaret, ſuaſu Demetrii Phalerei, cui bibliothecae curam commiſerat, libros quoque, quibus Iudaeorum leges ac ſacra continebantur, bibliothecae huic inferri, vtque ab iis etiam, qui linguae ebraeae expertes erant, legi poſſent, in graecam, cuius eo tempore longe lateque vſus patuit, conuerti voluiſſe; eum itaque in finem honorificam ad Eleazarum, ſummum ſacerdotem, cum litteris, ſplendidiſſimisque in vſum templi donis, miſiſſe legationem, ab eoque libros gentis ebraeae ſacros, vna cum viris ea doctrina, aetate virtutibusque conſpicuos, vt in graecam eos transferre linguam poſſent, poſtulaſſe. Eleazarum porro conuocato concilio, viros LXXII ex qualibet ſcilicet tribu ſex, vna cum exemplo librorum ſacrorum, quod ex multis membranis artificioſe connexis conſtiterit, & litteris aureis fuerit deſcriptum, ad regem miſiſſe, qui & ſummo gaudio eos exceperit, & volumina ſacra venerabundus adſpexerit; hinc vero poſt conuiuia & colloquia in Pharum inſulam, ſeptem ſtadiis ab Alexandria diſtantem, dimiſerit, domo contemplationibus diuinis idonea, illis ibi adſignata, omnibusque ad vitam commode tranſigendam ſuppeditatis, vt curarum omnium immunes & a ſtrepitu remoti, verſionem ſacri codicis ex ebraica lingua in graecam perficerent; quam & LXXII dierum ſpatio abſoluerint. Tum vero iuſſu Demetrii coram ſacerdotibus, principibus, omnique populo iudaico, qui in Aegypto commorabatur, lectam illam verſionem, omniumque conſenſu adprobatam, neue in poſterum quidquam in ea mutaretur, conſtitutum, vt diris omnibus deuoueretur, qui vel addendo, vel transferendo, vel auferendo quidquam immutaturus eſſet. Regem porro Ptolomaeum, cum omnia ei praelecta eſſent, legiſlatoris admiratum ſapientiam, libros iſtos religioſe adſeruari iuſſiſſe; ipſos autem interpretes, donis ampliſſimis ornatos, magna humanitate dimiſiſſe, nec minus erga Eleazarum ſacerdotem ſummum ſuam demonſtraſſe liberalitatem. Atque haec quidem, cum ita iam comparata ſint, vt dubitem, an omnes a ſe impetrare queant, vt fidem eis adhibeant, praeſertim, ſi reliqua addantur, quae ARISTEAS nobis narrat; fuerunt tamen ex antiquis eccleſiae doctoribus, qui & magis incredibilia his adiicerent, & varia, quae circa hancce verſionem contigiſſent, miracula nobis commemorarent. Ex his tria praecipua ſunt; primum, quod interpretes illi ſpiritus ſancti adflatu perculſi, nunquam errauerint,

nec

nec errare potuerint; alterum, quod in diuerſis cellulis ſinguli, regis mandato concluſi, vt veritatem interpretationis ex omnium conſenſu cognoſceret, omnes in vnam eandemque ſententiam, immo in eadem verba conſpirarint, eademque ſcripſerint; tertium denique, quod tam immenſum opus tam breui temporis, LXXII ſcilicet dierum, ſpatio, abſoluerint.

Primi adſerti auctores ex ipſis veteris eccleſiae doctoribus ſunt IRENAEVS, *adu haereſ. lib. III. cap. XXV.* CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. lib. I. p. m. 410.* edit. IO. POTTERI, THEODORETVS, *praefat. in pſalmos*; AVGVSTINVS, *de ciu. Dei lib. XVIII. cap. XLIII.* aliique. Quorundam ex hisce verba recitat ANT. VAN DALE, *diſſert. ſuper Ariſtea cap. IX. p. 149. ſeqq.* Eandem & quibusdam Romanenſium adriſiſſe ſententiam, exemplo ROB. BELLARMINI, de *verbo Dei lib. II. cap. VI.* CAES. BARONII, ad *annum CCXXXI.* IO. MORINI, *exercit. VI. cap. I.* aliorumque conſtat. Sed hisce ipſemet refragatur ARISTEAS, interpretes hosce, de ſingulis inter ſe contuliſſe, autumans, & ſi conſentirent, tum demum litteris ea conſignaſſe; οἱ γὴ ἐπετέλουν ἕκαστα σύμφωνα ποιοῦντες πρὸς ἑαυτοὺς ταῖς ἀντιβολαῖς· τὸ δὲ ἐκ τῆς συμφωνίας γινόμενον πρεπόντως, ἀναγραφῆς οὕτως ἐτύγχανε παρὰ τοῦ Δημητρίου· *Illi autem rem aggreſſi, ſingula ex collationibus, ad conſonantiam elaborabant, & quod ita conſonum & elaboratum erat, vt dignum eſſet deſcriptione, a Demetrio ſcripto excipiebatur*; *p. m. 98.* Quae quidem collatio cum diuina inſpiratione conſiſtere nequit. Tot inſuper tamque manifeſtis erroribus verſio haecce ſcatet, tam ſaepe a textu ebraeo diſſentit, vt ab impietate prope abſit, ſancti ſpiritus inſpirationi eam tribuere velle. Cum vero iam a PHILONE iudaeo diuina iſtius verſionis inſpiratio credita fuerit, vt ex *libro* eius *ſecundo de vita Moſis p. 510.* patet, non ſine ratione inde viri docti colligunt, iam tum a Iudaeis Alexandrinis iſtud excogitatum fuiſſe, vt haberent, quod Iudaeis ebraizantibus, & diuinam ebraei codicis auctoritatem extollentibus, opponerent; conf. HVMFREDVS HODIVS, de *bibliorum textibus originalibus lib. II. cap. VI. p. 136.* Cum primo hocce, de quo diximus, miraculo, coniunctum alterum fuit, de LXXII cellulis, in quibus ſeparatim licet concluſi eſſent iſti interpretes, mirifice tamen non in ſententiis modo, ſed verbis ipſis conſenſerint. Primus, qui iſtarum cellularum mentionem facit, IVSTINVS martyr eſt, qui & veſtigia illarum in inſula Pharo ſibi monſtrata fuiſſe, adfirmat. Rem enim ipſam, quo pacto a Ptolomaeo rege ſeorſim domunculis ſingulis incluſi fuerint, nullumque inter ſe habuerint commercium, & nihiloſecius non ſolum eadem ſententia, verum etiam iisdem verbis in translatione vſi fuerint, vt ne vna quidem dictione alius ab alio diſſenſerit, rege quidem eam ob rem admiratione attonito, cum expoſuiſ-

 ſet,

ſet, addit: *ταῦτα ὦ μῦθος ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ πεπλασμένας ἱστορίας ἀπαγγέλλομεν· ἀλλ' αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ γενόμενοι, καὶ τὰ ἴχνη τῶν οἰκίσκων ἐν τῇ Φάρῳ ἑωρακότες ἔτι σωζόμενα καὶ παρὰ τῶν ἐκεῖ, ὡς τὰ πάτρια παρειληφότων ἀκηκοότες, ταῦτα ἀπαγγέλλομεν. Haec vobis, viri graeci, non vt fabulam, neque vt confictam hiſtoriam, renuntiamus, ſed qui ipſi Alexandriae fuerimus, & veſtigia domunculorum, apud Pharum adhuc reliqua viderimus, & ab incolis, qui res patrias a maioribus per manus ſibi traditas acceperunt, audierimus, ea commemoramus;* in *cohort. ad Graecos, p. m. 74.* ex edit. HVTCHINI. Sequuntur huncce ducem IRENAEVS, *adu. haereſ. lib. III. cap. XXV.* cuius locum & EVSEBIVS exhibet, *hiſtor. eccleſ. lib. V. cap. VIII.* CYRILLVS Hieroſolymitanus, *catecheſi IV. p. 37.* AVGVSTINVS, de *doctrina chriſtiana lib. II. cap. XV.* aliique veterum pariter ac recentiorum magno numero. EPIPHANIVS autem a reliquis in eo diſcedit, quod non ſingulis, ſed binis vnam cellulam adſignat, vt adeo non LXXII ſed tantum XXXVI fuerint cellulae; additque, eos quotidie vespertino tempore XXXVI nauiculis transuectos ad Ptolomaei philadelphi palatium, vt cum eo conuiuarentur, & hac ratione etiam binos in vno lectulo, adeoque omnes in XXXVI lectulis, dormiuiſſe; *de menſuris & ponderibus tom. II. opp. p. m. 161.* Pari ratione IVSTINIANVS imperator praeferendam hancce LXX interpretum verſionem cenſet ob id, quod circa eam contigit, quod ſcilicet *κατὰ δύο διαιρεθέντες, bini numero iuncti, ſicque ab inuicem & locis quoque diſcreti, tamen omnes eandem interpretationem reddiderint, nouell. CXLVI.* Interim ad Iudaeos quoque haec de diuerſis cellulis fabula pertranſiit; eſtque nonnullis obſeruatum, tum in talmude Babylonico *tract. megillah, cap. I.* tum in Hieroſolymitano, eodem *tract. megillah cap. I.* huius rei iniici mentionem; conf. BRIANVS WALTONVS, *in adparatu bibl. proleg. IX.* itemque HVMFREDVS HODIVS, de *biblior. textibus originalib. lib. II. cap. VI. p. 138. 139.* Quantumuis autem magna ſit illorum, qui pro cellulis iſtis pugnant, multitudo, haec tamen non obſtat, quo minus inter fabulas, inaniaque commenta referatur, quidquid de iis dicitur. Sane nec ARISTEAS, nec FL. IOSEPHVS, earum mentionem iniiciunt. Immo dum collatis inter ſe ſententiis LXX interpretes verſionem ſuam adornaſſe autumant, ipſimet hocce de cellulis iſtis commentum refellunt. Recte hoc obſeruatum HIERONYMO, qui & ipſe hasce cellulas vnico veluti halitu difflat, *Neſcio, quis primus auctor ſeptuaginta cellulas exſtruxerit; quibus diuiſi eadem ſcriptitarint, cum Ariſteas eiusdem* (Ptolomaei) *ὑπερασπιστής, & multo poſt tempore Ioſephus nihil tale retulerint; ſed in vna baſilica congregatos contuliſſe, ſcribant, non prophetaſſe. Alind enim eſt vatem agere, aliud eſt, eſſe interpretem; ibi ſpiritus futura prae-*

praedicit, hic eruditio & verborum copia, ea quae intelligit transfert; *in prologo ad pentateuch.* Accedit, quod nec ipſe PHILO, diuinam ceteroquin inſpirationem hiſce interpretibus vindicans, cellularum iſtarum iniiciat mentionem. Etſi enim nonnulli ad eius teſtimonium prouocent, magnopere tamen eos falli, oſtendit HVMFREDVS HODIVS *l. c. p. 154.* Nec eſt, quod IVSTINI martyris quenquam moueat auctoritas. Facile enim bonus ille vir decipi potuit ab iis, qui veterum quorundam aedificiorum rudera illi oſtendentes, pro LXXII cellularum ea venditarunt veſtigiis. Non infrequens id eſſe, ex hiſtoriarum monumentis conſtat, & quotidiana teſtatur experientia. Nec praetermittendum, eundem IVSTINVM in tota hac de LXX interpretibus narratione ſibi plane non conſtare, longeque aliter in quibusdam eam inſtituere, *apol. I. pro chriſtianis p. m. 60.* edit. IO. ERNESTI GRABII, quam *in cohort. ad graecos*, *loco* antea *citato*, facit. Immo in priori loco Ptolomaeum regem bibliothecam paraturum, deque Ebraeorum prophetiis certiorem factum, ad *Herodem Iudaeorum tunc regem* miſiſſe, copiamque ſibi fieri propheticorum librorum, petiiſſe, adſerit. Scilicet Ptolomaeus philadelphus iam dudum mortuus ad Herodem Iudaeorum regem mittere potuit. In omnem equidem hic ſe verſat partem IO. ERN. GRABIVS, vt Iuſtinum excuſet, exiſtimatque pro Ἡρώδῃ forte legendum ἱερεῖ. Sed quam friuolum vanumque hoc ſit, quilibet facile intelligit. Abunde vero inde perſpicitur, quam exiguam in eiusmodi rebus mereatur fidem Iuſtinus. Reliqui autem patres cum coeco eum ſecuti ſint impetu, illorum quidem nihil nobis negotii faceſſet auctoritas. Tertium ſupereſt miraculum, LXXII dierum ſpatio verſionem hanc confectam eſſe, quod ARISTEAS, FL. IOSEPHVS, aliique veterum ac recentiorum tradunt, & acriter propugnat BRIANVS WALTONVS, in *apparat. bibl. prolegom. IX. p. 316.* Sed non conueniunt inter ſe auctores, num vniuerſos libros, qui eo tempore in Iudaeorum canone exſtabant, in Ptolomaei gratiam transtulerint iſti interpretes, an tantum pentateuchum? Prius quidem IRENAEVS, CLEMENS Alexandrinus, EPIPHANIVS, *locis citatis*, aliique adſerunt, poſterius vero PHILO, *lib. II. de vita Moſis p. 510.* ARISTEAS, FL. IOSEPHVS, quibus nonnulli & doctores talmudicos in *tract. megillah cap. I.* & in *tract. ſopherim cap. I.* addunt; accedunt eidem ſententiae ex recentioribus praeter multos alios HVMFREDVS HODIVS, *l. c. lib. II. cap. VII. p. 159. ſeqq.* & ANT. VAN DALE, *l. c. p. 179. ſeqq.* Atque vltima haecce, vt minime contemnendis nititur rationibus, ſententia; ita, ſi admittatur, miraculum iſtud, quod a nonnullis adſeritur, valde imminuetur. Potuiſſe vero etiam ſine miraculo LXX dierum ſpatio verſionem iſtam confici, oſtendit B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae editionibus, cap. VI. p. 53. ſeqq.*

Sed omnino fides huius rei vacillabit, ſi tota ARISTEAE in dubium vocetur narratio. Atque hac de re nunc paucis nobis diſpiciendum eſt, vt tandem, quid de origine & auctoribus verſionis huius ſtatuendum ſit, pateat. Qui ſub Ariſtei, vel Ariſteae nomine hiſtoriam verſionis compoſuit, ſe pro Ptolomaei philadelphi miniſtro venditat, a quo cum Andrea eiusdem regis ἀρχισωματοφύλακι ad Eleazarum pontificem, librorum ſacrorum interpretumque impetrandorum cauſſa, miſſus fuerit. Atque ab hocce quidem Ariſtea librum huncce ſcriptum, magno conſenſu veteres pariter ac recentiores crediderunt, propugnante acriter eam ſententiam BRIANO WALTONO, *loco* ſaepius *citato*, cumprimis autem ISAACO VOSSIO, *de LXX interpretibus cap. IV.* alibique, quibus & addendus NICOLAVS LE NOVRRI, in *apparatu ad bibliothecam maximam patrum, tom. I. diſſert. XI. p. 225. ſeqq.* Sed rationibus, magna probabilitatis ſpecie ſe commendantibus, ab eruditiſſimis viris oſtenſum, non ab Ariſtea, qui tempore Ptolomaei philadelphi vixerit, librum huncce ſcriptum, ſed a Iudaeo quodam Alexandrino, ad auctoritatem verſioni graecae, quae inter Iudaeos helleniſtas obtinebat, conciliandam, ſub Ariſteae nomine confictum eſſe. Conſtat enim, & ſupra iam obſeruatum eſt, Iudaeos helleniſtas, praeſertim Alexandrinos, omnem mouiſſe lapidem, vt verſio graeca, qua vtebantur, non minoris fieret, quam codex ebraeus, quem iudaei ebraizantes tantopere extollebant. Ex eorum numero, qui apocrypha Tobiae, Iudithae, appendicum ad Danielem & Eſtheram, tertiique Esdrae libri fabulas, ſimiliaque, procudere auſi ſunt, huius quoque libri auctorem fuiſſe, ANTONIVS VAN DALE coniicit, qui ſimul obſeruat, cum auctor ſe gentilem eſſe, videri velit, tam male tamen hancce ſuſtinere perſonam, vt nunquam non talia admiſceat, quae iudaeum prodant; *diſſert. ſuper Ariſtea, cap. I. pag. 2.* Ceterum primus, qui de libri huius auctore dubium iniecit, LVDOVICVS VIVES fuit, ad *Auguſtin. de ciuit. Dei lib. XI. cap. XLII.* quem praeter LEONEM A CASTRO, & ALPHONSVM SALMERONEM, ſecutus IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, ad *Euſeb. chron. num. M DCC XXXV. pag. 133.* Contra SCALIGERVM vero dum diſputat BRIANVS WALTONVS, *l. c. pag. 32.* ei IACOBVM VSSERIVM opponit, qui licet verſionem, quae hodie ſub nomine LXX interpretum exſtat, deprimat, (immo reiiciat, genuinam verſionem LXX interpretum intercidiſſe, exiſtimans) Ariſteam tamen contra SCALIGERVM tueatur; itemque ISAACVM CASAVBONVM. Fuerunt nihilo ſecius plurimi non tantum ex proteſtantium numero, ſed iis quoque, qui Romanae eccleſiae ſacra ſequuntur, qui SCALIGERO hac in re ſuffragati ſunt, quos inter & RICHARDVS SIMON eſt, *hiſt. critic. vet. teſtam. cap. II.* & LVD. EL. DV PIN, *diſſert. praelim. in biblia*

lib.

lib. I. cap. VI. §. III. Cum vero ISAACVS VOSSIVS, pſeudo-Ariſteae huius patrocinium magno conatu in ſe ſuſcepiſſet, HVMFREDVS quidem HODIVS, aduerſus hiſtoriam Ariſteae librum conſcripſit, editum Oxoniae anno [M D C LXXXVI. Contra quem cum iterum VOSSIVS in aciem prodiiſſet, in *appendice obſeruationum in Pomponium Melam*, HODIO hinc occaſio ſuppeditata fuit, adcuratiori ſtudio, ampliorique deductione, idem argumentum pertractandi, in *libris quatuor de bibliorum textibus originalibus*, *verſionibus graecis*, *& latina vulgata;* Oxonii anno M D C C V editis. Eum vero tandem & ANTONIVS VAN DALE ſecutus eſt, qui in explodendis pſeudo-Ariſteae fabulis itidem ſtudium ſingulare atque induſtriam collocauit, in ſaepius iam laudata diſſertatione *ſuper Ariſtea de LXX interpretibus*, Amſtelodami anno M D C C V edita. Id ſane negari nequit, auctorem huius libri, quisquis etiam ſit, fabulas nobis meraque narrare commenta, quod tota eius narratio ad gentis iudaicae laudem vnice comparata, ſpeciatim vero quae de ſeptuaginta duobus iſtis interpretibus conuiuio a rege Ptolomaeo exceptis, ſapientiſſimisque illorum ad propoſitas quaeſtiones reſponſis, commemorat, ſatis ſuperque comprobant. Idem porro inde patet, quod nec ſibi ipſi vbique pſeudo-Ariſteas hicce conſtet, nec cum PHILONE, IOSEPHO, aliisque veterum conſentiat; multa vero, quae iſtius temporis moribus aut certiſſimis aliorum hiſtoricorum monumentis aperte repugnant, tradat; quod luculentiſſime ab HVMFREDO HODIO atque ANTONIO VAN DALE demonſtratur. Nos inter plurima, quae contra auctorem iſtum adferri poſſunt, argumenta, vnicum ſolum obſeruamus. Refert Ariſteas iſte, iisque, qui eum ſequuntur, perſuadet, Demetrium Phalereum bibliothecae regiae in Aegypto eo tempore praefuiſſe, & in toto hocce negotio vtramque velut feciſſe paginam. At Demetrium iſtum ſtatim poſt mortem Ptolomaei Lagi, cui ſoteris cognomen fuit, a philadelpho ab aula Alexandrina relegatum, in cuſtodia vitam finiiſſe, auctor eſt HERMIPPVS, minime contemnendus ſcriptor, apud DIOGENEM LAERTIVM *in vita Demetrii* ſiue *lib. V. ſect. LXXVIII. pag. 308.* Non deſunt equidem ſecus ſentientibus, quae contra hocce HERMIPPI teſtimonium excipiant, ad quae tamen adcurate reſpondet HVMFREDVS HODIVS, *l. c. lib. I. cap. III. p. 9. ſeqq.* BRIANVS WALTONVS ad Ariſtobuli praecipue prouocat auctoritatem, vt Ariſteam verum libri iſtius auctorem eſſe euincat, & ab eo dictis fidem conciliet *l. c. p. 312.* Sed Ariſtobulo huic non adeo multum tribuendum eſſe, ſupra iam monuimus; nec coniecturae deſunt, commentarios iſtos in libros Moſis, ex quibus teſtimonium hocce deſumtum eſt, ab alio quodam ſub eius nomine conſcriptos. Quod ſi etiam ad teſtimonium dicendum admittatur, nihil aliud inde ſequetur, quam

quam auctorem, qui ſub Ariſteae nomine latitat, ante Ariſtobulum vixiſſe, quippe qui ex illo ſua deſumſerit. Hoc, quem ſupra iam hac de re laudauimus, HVMFREDVS HODIVS pluribus edifferit *lib. I. cap. IX. p. 49. ſeqq.* Eſt vero nec illud nobis praetermittendum, ab Ariſtea, qualem hodie habemus, non tantum FL. IOSEPHVM, ſed cumprimis EPIPHANIVM *loco* ſupra *citato*, mirum in modum differre, licet vterque Ariſteam ſe ſequi profiteatur. Sed & alios ab his omnibus itidem diſcrepantia tradere, viris doctis obſeruatum eſt, licet & ipſi ad Ariſteam prouocent. Vnde a vero non abhorret illorum coniectura, qui plures fuiſſe, exiſtimant, qui ſub Ariſteae nomine eandem fabulam exornarint. Saltem eam Ariſteae hiſtoriam, qua vſus eſt EPIPHANIVS, a recentiore aliquo auctore ſcriptam eſſe, non ſine ratione contendit HODIVS, *l. c. lib. I. cap. II. p. 8. ſeqq.* conf. & ANTONIVS VAN DALE, *l. c. cap. VI. pag. 40. ſeqq.* Interim quae hodie exſtat Ariſteae hiſtoria, ſaepius edita, & in varias linguas translata, etiam a R. GEDALIA in *ſchalſchelet hakkabb. fol. 23.* in compendio exhibita eſt.

Quodſi vero quaeras, quid ergo tandem de ipſa verſione graeca, quae ſub LXX interpretum nomine exſtat, cenſendum ſit, maxime mihi probatur illorum ſententia, qui reiectis abſonis illis de LXX interpretibus a Ptolomaeo philadelpho in Aegyptum arceſſitis, fabulis, veteris teſtamenti libros canonicos non ab vno quidem eodemque auctore, ſed a variis, non multum tamen diuerſo tempore, Alexandriae in gratiam Iudaeorum, qui graeca lingua vtebantur, translatos, ſtatuunt. Quemadmodum vero ſub Ptolomaeo philadelpho verſionis iſtius initium factum non ſine ratione creditur, ita, num ſub eodem rege, an vero ſub Ptolomaeo demum philometore, qui Iudaeis in agro Heliopolitano templum condere permiſſit, ad finem perducta ſit? non aeque conſtat. Ita, quae viri ſaepius laudati HVMFREDVS HODIVS & ANTONIVS VAN DALE copioſius hac de re diſſerunt, ſummatim complectitur vir longe doctiſſimus IO ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XI. §. V. p. 324.* Plane mihi perſuadeo, non omni fundamento deſtitui illorum coniecturam, qui ob iſtam verſionem ſimultates, quae inter Iudaeos ebraizantes ac helleniſtas intercedebant, auctas exiſtimant, quibus & IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER exemplum praeiuit, ad *Euſeb. num. M DCC XXXIV.* Hinc vero vt helleniſtis occaſio fictis miraculis graecae verſionis auctoritatem euehendi enata, ita inter ebraizantes non deerant, qui eam verſionem improbabant, immo deteſtabantur. Atque hinc haud dubie factum, vt talmudici doctores in *tract. ſopherim cap. I. §. VII.* diem illum, quo verſio iſta facta, non minus Iſraeli grauem & luctuoſum accidiſſe teſtentur, eo, quo

quo maiores illorum vitulum conflarant. Immo non deſunt, qui eo tempore ieiunium anniuerſarium eam ob rem inſtitutum, perhibent, quod tamen ceu commentum explodit HVMFREDVS HODIVS, *lib. III. part. I. cap. I. pag. 221.* quemadmodum & anniuerſarium iſtud feſtum, quod ad laetitiam ſignificandam ad ſua vsque tempora in Aegypto celebrari ſolitum, PHILO nobis commemorat, ANTONIVS VAN DALE exſibilat, *cap. XXX. p. 223.* Id vero certum, Iudaeos ebraizantes in mitiorem de hac verſione deinceps conceſſiſſe ſententiam, adeo vt nonnulli quoque ex iis fabulam de LXXII cellulis ſuo adprobarent calculo. Ceterum, licet miracula iſta, quae circa iſtam verſionem contigiſſe dicuntur, recte explodantur, negari tamen nequit, prouidam Numinis, ſapientiſſime cuncta diſpenſantis, curam ſingulari quadam ratione hac in re interceſſiſſe. Per hancce enim verſionem Deus apoſtolorum praedicationi velut viam ſtrauit, cum gentes lingua ſibi nota, ea, quae ab apoſtolis praedicabantur, a prophetis dudum praedicta eſſe, legere poterant; immo haud dubie plurimi, qui libros Moſis & prophetarum iam antea legiſſent, hac ratione quodammodo praeparati, facilius admittebant, quae ab apoſtolis adſerebantur. Iungenda, quae hanc in rem praeclare diſſerit BRIANVS WALTONVS, in *apparat. bibl. prolegom. IX. p. 311.* Quod ſi porro antiquitatem huius verſionis ſpectemus, & quod ſecundum eam ſaepiſſime veteris teſtamenti oracula in nouo adlegentur, inſignem eius eſſe auctoritatem nemo non intelligit, etſi ideo pro diuinitus inſpirata, aut errorum omnium immuni, vt praeter alios ISAACVS VOSSIVS ſibi, aliisque, perſuadere conatus eſt, neutiquam ſit habenda. De vſu enim eius ſingulari, tum in veteris teſtamenti locis recte intelligendis, tum in ſtilo ſcriptorum noui teſtamenti illuſtrando, nemo eruditorum temere dubitauerit. Sed hac de re alii ex inſtituto agunt. De auctoritate verſionis, aliisque, quae circa eam in cenſum veniunt, capitibus, legendi adhuc praeter hactenus laudatos, CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae editionib. cap. VI. p. 51. ſeqq.* ABRAHAMVS CALOVIVS, *in critico ſacro diatrib. XI. pag. 81. ſeqq.* ANDREAS RIVETVS, *iſag. ad ſcriptur. ſacr. cap. X.* MICHAEL WALTHERVS, *offic. bibl. p. 271. ſeqq.*

§. XIII.

Superſtitionis atque tenebrarum regnum longe lateque adhuc hacce aetate patuit. Iudaeis quidem cum Samaritanis confligandum fuit; qui cum templum in monte Garizim exſtruxiſſent, aucta inde maximopere ſunt vtriusque gentis odia; ſimul tamen a gentiliſmo repurgata fuit Samaritanorum religio, vt propius inde ad Iu-

daeorum religionem accederet. * Apud Perſas Zoroaſtres nouae diſciplinae, ſiue ſectae, inter gentiles auctor exſtitit. ** Hellenismus non apud Graecos modo floruit, ſed paſſim in Aſia quoque, alibique receptus. *** Sed Romanorum quoque incrementa ſumſit ſuperſtitio: * quanquam tum apud hos, tum apud Graecos, viri exſiſterent eruditi & ſapientes, qui idololatriae vanitatem agnoſcerent, ex quibus tamen nonnulli ad alterum extremum, quod atheismus eſt, inclinare viſi ſunt. **

* De ſchismate, quod Samaritanos a Iudaeis ſeparauit, vt eo rectius ferri ſententia queat, de illorum quoque aliquid dicendum eſt religione. Huius autem vt tria commode conſtitui poſſunt interualla, primum, ab origine Samaritanismi vsque ad eius a gentilismo repurgationem; alterum, a repurgatione iſta vsque ad ortum Muhammedanismum; tertium vero, ab orto Muhammedanismo ad noſtra tempora; ita medium ſolum pro noſtri inſtituti ratione hic in cenſum venit. De primo enim, in quo idololatriam variarum gentium cum veri Dei cultu coniungebant, iam ſupra dictum ad *per. II. ſect. IV.* §. *XXXIV.* Vltimum autem ad noui teſtamenti, eamque recentiorem hiſtoriam eccleſiaſticam, pertinet. De medio itaque vt aliquid commemoremus, perſtitiſſe Samaritanos in idololatria, per variarum gentium colonos apud eos introducta, vsque ad captiuitatem Babylonicam, dubitari nequit. Certe *II. reg. XVII. 27.* diſerte dicitur, adoraſſe gentes illas Iehouam cum idolis ſuis, atque ita feciſſe filios eorum, & nepotes, עד היום הזה *vsque ad hunc diem.* Quae verba ſi eundem auctorem agnoſcant, qui capite vltimo eiusdem libri captiuitatis Babylonicae mentionem facit, res poſita eſt extra controuerſiam. An vero adhuc, cum poſt captiuitatem Babylonicam templum Hieroſolymitanum exſtrui coepit, idololatriae addicti fuerint, non aeque conſtat. In ſocietatem equidem templi Hieroſolymitani admitti cupientes, ad Zorobabelem dicebant: *nam inſtar veſtri quaerimus Deum veſtrum, Esdr. IV. 2.* Sed cum addant, *eique ſacra facimus a temporibus Aſſar-baddonis, Aſſyriorum regis, qui nos huc adduxit*, nonnulli obſeruant, de eiusmodi Numinis cultu eos loqui, qui tempore Aſſar-haddonis coeperit, adeoque cum cultu idololatrico fuerit coniunctus; indeque adeo colligunt, eos idololatriam illo tempore nondum depoſuiſſe. Cum autem deinceps Saneballatus templum in monte Garizim exſtrueret, eiusque ſacerdotem ſummum, generum ſuum Manaſſem conſtitueret, quod fuſius ſupra ad §. *IX.* huius ſectionis expoſuimus, alium quoque habitum Samaritanorum religio induiſſe, valde eſt probabile. Saneballato enim pariter ac Manaſſi cum conſtitutum eſſet, plurimos Iudaeorum ad partes

ſuas

ſuas pertrahere, idque fieri temere non poſſet, quamdiu idololatriam cum veri Numinis cultu Samaritani coniungerent, e re illorum erat, dare operam, vt idolorum cultus abrogaretur. Negare tamen nolim, iam antea fuiſſe ex Samaritanis, qui, perſpecta idololatriae vanitate, verum Deum tantum colere inceperint; vnde eo facilius deinceps erat, idololatriam prorſus abrogare. Confirmari, quod diximus, poteſt ex FL. IOSEPHO, qui *lib. XI. antiquit. iud. cap. VIII.* auctor eſt, annos ſabbaticos a Samaritanis obſeruatos, hinc & tributorum immunitatem ſeptimo quolibet anno ab Alexandro magno eos petiiſſe. Recte enim hinc colligitur, legis Moſaicae in aliis quoque capitibus apud eos in vſu fuiſſe obſeruantiam. Inter Samaritanos porro, quos idem IOSEPHVS a Ptolomaeo in Aegyptum deductos memorat, & Iudaeos, qui ibidem erant, magna fuiſſe certamina conſtat, non vtique de idololatria, ſed de loco cultus diuini, eſſetne Hieroſolymitano templo praeferendum Samaritanorum in monte Garizim? Quam quidem praecipuam earum, quae deinceps quoque inter Iudaeos ac Samaritanos interceſſerunt, fuiſſe controuerſiam, etiam ex *Ioan. IV. 22.* intelligitur.

Atque haec cum ita ſe habeant, diiudicare inde licet Iudaeorum calumnias, quibus ſuum erga Samaritanos odium produnt. Haud poſtrema inter eas eſt, qua idololatriam iis obiiciunt, quod & quidam ex chriſtianis faciunt. Adſeruerunt nonnulli ex Iudaeis, Samaritanos adorando montem Garizim, ſimulacra ſub eo abſcondita adoraſſe. Pari ratione & EPIPHANIVS, niſi quod per ignorantiam hoc ab iis fieri, auctor ſit. Samaritanorum enim haereſin vocat εἰδωλολατρεῦσαν κατ' ἄγνοιαν διὰ τὸ ἀποκεκρύφθαι τὰ εἴδωλα τῶν τεσσάρων ἐθνῶν ἐν τῷ ὄρει, *idola colentem per ignorantiam, quia ſub monte* (Garizim) *ſimulacra quatuor gentium ſunt abſcondita, haereſ. IX. tom. I. opp. pag. m. 25.* Alii referunt, tempore R. Meir, praeceptoris R. Iudae, qui Miſchnam compoſuit, columbam in monte Garizim inuentam, indeque Ebraeorum ſapientes iudicaſſe, Samaritanos idola colere. Atque hoc etiam R. MOSES MAIMONIDES innuit, qui ceteroquin Samaritanos abiecta idololatria ad legis Moſaicae rediiſſe obſeruantiam, adſerit, in *not. ad cod. miſchn. beracboth. cap. VIII.* Poſterioris quidem commenti πρόφασιν in eo quaerunt, quod Aſſyrii a quibus Cuthaei ſeu Samaritani deſcendunt, in vexillis ſuis columbam habuerint. Hoc autem, quam friuolum, quamque longe petitum ſit, nemo non intelligit. Priori vt ſpeciem quandam conciliarent, dixerunt, idola ſub monte Garizim abſcondita, alia eſſe non poſſe, quam quae Iacob patriarcha prope Sichem abdidiſſe *Gen. XXXV. 4.* dicitur, non attendentes, quod ſub quercu, non autem ſub monte, ibi idola iſta abdidiſſe commemoretur. Longe rectius totius fabu-

bulae originem ex antiqua Samaritanorum de vaſis ſacris, ſub monte Garizim reconditis, traditione, repetit HADRIANVS RELANDVS, in *diſſertat.* de *monte Garizim*, *part. I. diſſertation. miſcellan. pag.* 152. *ſeqq.* & in *diſſertat. de Samaritanis part. II. pag.* 57. *ſeqq.* In chronico namque Samaritano manuſcripto, quod poſſidet, mentionem fieri pontificis cuiusdam, nomine Ozi, ſub cuius pontificatu CCCLX annis poſt ingreſſum Israelitarum in terram Canaan, vaſa ſacra iuſſu & indicio Dei in ſpelunca montis Garizim fuerint abſcondita, quae deinde cum repetere vellent, inuenire non potuerint. Quod dum explicat, & vlterius ediſſerit, locum ex FL. IOSEPHI *antiquit. iud. lib. XVIII. cap. V.* profert, quo vt iſta traditio confirmatur, ita ipſe rurſus lucem egregiam inde accipit. Refert enim IOSEPHVS, impoſtorem quendam, vt populum Samaritanum ad partes ſuas pertraheret, voluiſſe, vt ad montem Garizim conueniret, vbi ei oſtenſurus eſſet, τὰ ἱερὰ σκεύη τῇδε κατορωρυγμένα, Μωυσέως τῇδε αὐτῶν ποιησαμένου κατάθεσιν· *ſacra vaſa recondita, quae ibi Moſes* (legendum putat, Ozis) *depoſuerit.* Cuncta enim hac ratione euidentia ſunt, ſi legatur, Ozis; ſin recepta lectio ſeruetur, obſcura & impedita. Cum ergo talis apud Samaritanos ipſos de vaſis ſacris ſub monte Garizim reconditis, iam olim eſſet traditio, montemque illum pro ſacro haberent, & obuerſa inſuper ad eum facie orarent; vnde ſuſpicio primum de idolis ibi reconditis, mox & calumnia orta ſit, facile intelligitur. Hancce autem de idololatria calumniam Iudaei alia confirmabant. Cum enim inter idola Samaritanorum *II. reg. XVII.* 30. etiam אשימא *Aſima*, quod ſpeciatim Chamatenſium fuit, commemoretur, adſeruerunt, Samaritanos in pentateuchi initio ita legere: *in principio creauit Aſima coelum & terram.* Sed qui hodie exſtant codices pentateuchi ſamaritani etiam antiquiſſimi, hocce commentum ſatis refellunt, quippe qui cum Iudaeis habent אלהים non autem אשימא vt praeter alios recte BRIANVS WALTONVS docet, *in apparat. bibl. prolegom. XI. pag.* 368. Quod autem FL. IOSEPHVS *antiquit. iud. lib. XII. cap. VII.* narrat, Samaritanos Antiocho templum ſuum obtuliſſe, vt Διὸς ἑλληνίου adpellaretur, id illis, qui ab idololatria eos abſoluunt, opponi nequit. Quemadmodum enim ibidem profitentur, templum illud hactenus Deo ἀνωνύμῳ ſacrum fuiſſe, ita ex metu aut cupiditate Antiochi gratiam captandi, hoc factum eſſe, res ipſa docet; nec magis inde Samaritanorum religio idololatriae argui poteſt, quam Iudaeorum, quod eodem tempore nonnulli ex his quoque ad hellenismum amplectendum ſe induci paſſi ſunt.

Praeter idololatriam Samaritanis etiam obiici ſolet, quod reſurrectionem mortuorum negauerint. Ita praeter alios

alios EPIPHANIVS: Σφαλέντες δὲ οἱ τοιοῦτοι καὶ μὴ τηλαυγῶς τὸ πᾶν μέρος τῆς πίστεως τε καὶ τῆς ἡμετέρας ζωῆς τὸ ἀκρίβασμα κατειληφότες, ἠγνόησαν μὲν νεκρῶν ἀνάστασιν καὶ ἀπιστοῦσι. *Errantes autem illi, nec omnes partes fidei noſtrae complexi, aut integram vitae noſtrae rationem, nec ſciunt mortuorum reſurrectionem, nec credunt*, *l. c. p. 24.* Alibi tamen *haereſ. XIII.* negat omnibus hunc errorem tribui poſſe, deque Doſitheis, quam ſectam Samaritanorum facit, adſerit, quod reſurrectionem confiteantur. Priori vero in loco cauſſam erroris innuere videtur, quod Samaritani ſolum pentateuchum receperint, in quo non adeo perſpicue doctrina de reſurrectione proponatur; hinc & ipſemet argumenta, quae potuit, ex eodem ad eam demonſtrandam colligit. Pari ratione & LEONTIVS *lib. de ſectis cap. VIII.* de Samaritanis: οὔτε δὲ ἄγγελον δοξάζουσιν εἶναι, οὔτε ψυχὴν ἀθάνατον, οὔτε ἀνάστασιν. *Nec angelum eſſe credunt, nec animam immortalem, nec reſurrectionem.* Verum haec ipſa LEONTII verba non ſine ratione ſuſpicionem alicui iniicient, & ab eo, & ab aliis, cum Samaritanis confundi Sadducaeos, quod ſubinde fieri, dudum viris doctis obſeruatum eſt. Incerto ſaltem fundamento nituntur, qui, Samaritanos mortuorum negaſſe reſurrectionem autumant, quod Sadducaeos feciſſe conſtat. EPIPHANII vtique & LEONTII, vt hoc nobis perſuadeamus, auctoritas non ſufficit. Nec GREGORIVS magnus in cenſum venit, quando Samaritanos camelis adſimilat, *qui graue onus in dorſo mentis tolerant, quia in omni, quod faciunt, ſine ſpe aeternitatis elaborant*; *lib. I. moral. in Iob. cap. XV.* Hinc & iam pridem viri doctiſſimi eos ab hoc errore immunes pronuntiarunt. Eo certe tempore, quo chronicon illud ſamaritanum, quod antea commemorauimus, ſcriptum eſt, eos neutiquam mortuorum reſurrectionem negaſſe, luculenter ex eo demonſtrat HADRIANVS RELANDVS, *diſſertat. de Samaritanis, part. II, diſſertation. miſcellan. p. 29.* Angelorum eos in dubium vocaſſe exſiſtentiam, ex LEONTII antea adlatis verbis itidem colligas. EPIPHANIVS ſanctum ſpiritum quidem ab iis negari, nos condocet, non autem angelos, immo hoc ipſo a Sadducaeis eos discernit, quod hi angelorum negent exſiſtentiam. Ex recentioribus etiam doctiſſimi quique, errorem hunc perperam illis tribui, exiſtimarunt, poſtquam obſeruarunt, in pentateucho ſamaritano a IO. MORINO edito, non ſemel angelorum fieri mentionem. Sed omnino eos nullos crediдиſſe angelos, tam luculenter probat, quem antea laudauimus, HADRIANVS RELANDVS, vt rem extra omnem dubitationem ponat, *l. c. p. 21. ſeqq.* Saepius equidem in pentateucho ſamaritano vocem angeli occurrere, ſed per *angelum* eos nihil aliud, quam *mandatum*, *efficaciam*, *vim Dei*, intelligere, liquido oſtendit. Obſeruat idem, *angeli maximi* mentionem in chronico ſamaritano fieri, quo nomine

ne haud dubie Meſſias intelligatur. Sed cum illis angelus nihil aliud ſit, quam *virtus Dei*, intelligi inde poſſe, cur Samaritani de Simone mago dixerint: *ἔτός ἐςιν ἡ δύναμις τῦ Θεῦ ἡ μεγάλη. Hic eſt virtus illa Dei magna. Actor. VIII. 10.* Videntur enim Simonem pro Meſſia habuiſſe. Solet denique Samaritanis & hoc obiici, quod tres litteras החע in alphabeto ſuo non agnoſcant. Quod ſi vel maxime verum eſſet, non tamen video, quo pacto inde haereſeos nota illis inuri poſſet. Sed falſum hoc quoque eſſe, & haſce litteras eos in alphabeto ſuo agnoſcere, iam IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER nos condocuit, *de emendat. tempor. lib. VII. p. 662.*

Ex dictis ergo cum pateat, quaenam Samaritanis obiiciantur, quamque omni criminationes iſtae deſtituantur fundamento, nihil aliud ſupereſt, quam vt concludamus, ſamaritanam religionem, poſtquam ab ethnicismo repurgata fuit, a religione Iudaeorum non fuiſſe diuerſam. Vnum enim Deum Iſraelis adorabant, in circumciſione, ſactificiis, obſeruatione feſtorum, horrore a pollutionibus, purificationibus, ceteriſque cultus diuini partibus, quas lex Moſaica exigebat, plane cum Iudaeis conſentiebant. Quod ſi vel maxime in ritibus ac caerimoniis diuerſi quid habuerunt, non magni tamen id momenti fuiſſe, videtur. Iidem vero aeque, ac Iudaei, Meſſiam quendam exſpectabant, vt ex *Ioan. IV. 25.* aperte conſtat. Diſcrimen vero, quod vtramque gentem in Numinis cultu ſeiungebat, in eo conſiſtebat: Samaritani ex libris ſacris ſolum recipiebant pentateuchum, cuius rei rationes BRIANVS WALTONVS adfert, in *appar. bibl. prolegom. XI. §. IX. p. 368.* Diuerſis tamen eos characteribus litterarum vſos, ex iis, quae ſupra copioſe hac de re diſceptauimus, patet. Traditiones porro Iudaeorum, quippe poſt horum ex captiuitate Babylonica reditum ortas, reiiciebant in littera autem legis obſeruanda, tanto erant diligentiores. Vnde & Samaritanos velut שומרים *cuſtodes* dici, nonnulli obſeruant, quod eſſent *φύλακες τῆς κατὰ τὸν νόμον* Μωυσέως *διατάξεως*, *obſeruatores legis Moſaicae*, vt EPIPHANIVS loquitur, *haereſ. IX. p. 24.* Accedebat ad haecce, quod templum peculiare, & ab Hieroſolymitano diuerſum, in monte Garizim haberent. Atque haec praecipua odii plus quam Vatiniani, quo ſe inuicem Iudaei & Samaritani proſequebantur, erat cauſſa. Cum Samaritani idololatriae adhuc addicti eſſent, mirum non eſt, alieno prorſus ab iis animo fuiſſe Iudaeos. Cum vero deinde iidem a templi Hieroſolymitani ſocietate reiecti, aedificationem iſtius templi impedire conarentur, inimicitia vtriusque gentis mirum in modum aucta eſt. Ad ſummum autem faſtigium peruenit, cum Samaritani templo in monte Garizim exſtructo, plurimas Iudaeorum ad partes ſuas pertraherent. Ethnicismum enim licet tum dimitterent, Iudaei tamen no-

nouum iſtud templum rebus ſuis valde noxium eſſe credentes, implacabili erga Samaritanos exarſerunt odio, in eodemque ſemper perſeuerarunt. Conſtat hoc ex hiſtoria euangelica, ſpeciatim ex *Ioan. IV. 9.* vbi mulier Samaritana ad Chriſtum dicebat: *Quomodo tu, qui Iudaeus es, bibere a me poſcis, quae ſum mulier Samaritana?* additque euangeliſta: *non enim Iudaeis vllum commercium intercedit cum Samaritanis.* Conſtat idem ex *Siracide cap. L. 33. 34.* *Duabus gentibus offenſa eſt anima mea, & tertia non eſt gens;* (ſunt autem) *commorantes in monte Seir* (in graeco equidem eſt ἐν ὄρει Σαμαρείας, ſed vulgatus interpres recte habet: *in monte Seir;* Idumaei enim ſignificantur, cum Samaritanorum deinde mentionem faciat) *Philiſtaei,* καὶ ὁ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Συκίμοις, *& populus ille ſtultus habitans Sycimis,* i. e. Samaritani. Idem vero & ex *pirke aboth* ſeu *capitulis patrum cap. XXXVIII.* patet, quem locum BRIANVS WALTONVS exhibet, in *apparat. bibl. prolegom. XI. §. IV. p. 365.* vbi plura de hocce Iudaeorum erga Samaritanos odio in medium adfert. Sed inter eos quoque Samaritanos, qui a Ptolomaeo Lagi filio in Aegyptum traducti erant, aut ſponte ſua eo ſe contulerant, & Iudaeos in Aegypto commorantes acerrimum odium interceſſiſſe, & ex ante commemoratis intelligitur, & pluribus FL. IOSEPHVS nos condocet, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. V.*

Vt vero ex dictis etiam fata, quae hactenus Samaritani experti ſunt, cognoſcere licet, ita quae in ſequenti temporis interuallo eos exceperunt, ſuo deinceps loco exponentur. EPIPHANIVS *haereſ. IX. p. 24. ſeqq.* varias equidem Samaritanorum refert ſectas; ſed vti ex his nonnullae Iudaeorum potius ſectis adnumerandae ſunt, vt Eſſeni, ita aliae poſt hocce demum, in quo verſamur, ortae ſunt temporis interuallum. Samaritanos in quibusdam conuenire cum Karaeis, erudite oſtendit, HADRIANVS RELANDVS, *diſſert. cit. de Samaritanis §. XXXV. p. 90. ſeqq.* Nec tamen quis inde collegerit, Karaeos fuiſſe Samaritanos, quamuis aliquando opprobrii cauſſa a Rabbanitis ita adpellentur, vti IACOBO TRIGLANDIO obſeruatum, in *diatribe de ſecta Karaeorum cap. II. p. m. 5.* Praeter WALTONVM ac RELANDVM, quos ſaepius laudauimus, plura de Samaritanis dabit IO. HENR. HOTTINGERVS, in *exercitationibus anti-Morinianis*, itemque in *theſauro philologico lib. I. cap. I. ſect. VI. p. 450.* In compendio etiam de iis dixi *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 51. ſeqq.* De pentateucho ſamaritano, qui adhuc hodie exſtat, & quem IO. MORINVS, in *exercitat.* de *pentateucho ſamaritano*, & LVD. CAPPELLVS, in *crit. ſacr. lib. III. cap. XX.* aliique, tanti faciunt, vt eum pentateucho ebraeo praeferre non dubitent, vt aliquid dicamus, huius loci non eſt. Legendi, qui IO. MORINO ſe ex inſtituto oppoſuerunt, quod praeter FRANCISCVM TAYLERVM & ARN. BOOTIVM ſe-

Digitized by Google

fecerunt SIMEON DE MVIS, in *cenſura in exercitat. Morini*, IO. HENR. HOTTINGERVS, in *exercitationib. anti-Morinianis*, alibique. Plurimum etiam pentateucho ſamaritano tribuit, eumque, qui hodie exſtat, eundem cum illo eſſe, qui HIERONYMO, aliisque veterum, laudatur, contendit BRIANVS WALTONVS, in *adparat. bibl. prolegom. XI.* §. *IX. ſeqq.* vbi & ex inſtituto de hocce pentateucho diſſerit; de quo & ex noſtratibus B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS conferendus, *de variis ſcripturae editionib. cap. XVI. p. 258. ſeqq.* Quae inter Iudaeos ſequenti aetate exortae ſunt ſectae, ad hocce equidem nondum pertinent interuallum. Earundem tamen hac aetate velut ſemina ſparſa eſſe, quae deinceps propullularent, negari nequit. Traditiones enim, quibus adcuratiori legis obſeruantiae conſultum cupiebant, hocce tempore ortae, phariſaeiſmo occaſionem dedere. Nec defuerunt, ſi Iudaeorum magiſtris credimus, qui ſadducaeiſmo praeluderent. Eſram namque referunt magnopere reſtitiſſe pullulaſcenti in diebus ſuis Sadducaeorum haereſi, eundemque, vt ſymbolum aliquod poneretur, quo orthodoxi a praue ſentientibus diſtinguerentur, decreuiſſe, vt ad coronidem omnium orationum, quae in templo fundebantur, diceretur; מן העולם עד עולם *a ſaeculo in ſaeculum; tract. talmud. babylon. berachoth, fol. 54.* Quod vt merito in medio relinquimus, ita nihil impedit, quo minus iam eo tempore exſtiterint, qui easdem animo conciperent opiniones, quas deinceps prodiderunt Sadducaei. Multo minus dubitandum, exſtitiſſe hac aetate, qui traditionibus ſe opponerent, quae prima Karaeorum fuit origo, a quibus forte deſcenderunt Sadducaei, a Karaeis tamen ſedulo diſcernendi. Ita ſane poſt IOSEPHVM IVSTVM SCALIGERVM ſentit IAC. TRIGLANDIVS, *de ſecta Karaeorum, cap. III. p. 9.* Sed hac de re in ſequentibus plura.

** Non vnum, ſed plures, ſi quibusdam credimus, fuiſſe, qui ſub Zoroaſtris nomine celebritatem quandam conſecuti ſunt, ſupra iam *ad per. I. ſect. III.* §. *XXII.* nobis obſeruatum eſt. Proxime tamen ad verum eos forte accedere, ibidem docuimus, qui vnicum ſolum Zoroaſtrem ſtatuerunt, Perſarum lingua Zerdusht dictum, qui tempore Darii Hyſtaſpidis vixit, nouaeque disciplinae religionisque ethnicae reformatae apud Perſas auctor exſtitit. Atque hic eſt, de quo, vt quaedam in medium adferamus, inſtituti ratio poſtulat. De origine vocis *Zerdusht* ſeu *Zardusht*, vnde Graecorum Ζωροάστρης, non erimus ſolliciti, cum ipſe THOMAS HYDE, vir perſicarum rerum non minus, quam linguae, peritiſſimus, fateatur, ſe eam in lingua perſica inuenire non potuiſſe, *hiſtor. relig. veter. Perſar. cap. XXIV. p. 310.* De parentibus eius, quae idem tradit, mittimus, hoc ſolum obſeruantes, quod Perſa quidem fuerit genere, hoc tamen non obſtante, quia

quia parentes eius pauperes fuerant, prophetae cuiusdam Iſraelitici ſeruus, ſi quidem ſcriptoribus orientalibus fides habenda. Quisnam autem propheta ille fuerit, inter ſe non conueniunt. ABVLPHARAGIVS auctor eſt, eum fuiſſe ſeruum Eliae, *hiſt. dynaſt. p. 54.* BVNDARI ſcriptor Muhammedanus, narrat, eum fuiſſe ſeruum alicuius diſcipuli Ieremiae. Sed ABV MVHAMMED MVSTAPHA, hiſtoricus Arabs, qui vitam *Gushtaſpis*, id eſt, Darii Hyſtaſpidis, ſcripſit, refert, fuiſſe eum ex diſcipulis *Ozeir*, i. e. Esrae, quem audire, eique viciſſim legere ſolitus fuerit; additque, cum contradiceret Esrae, hunc mala quaeuis ei imprecatum, vnde leproſus euaſerit; poſtea reiectum a filiis Iſrael in orientis commigraſſe plagam. Et hanc etiam ſententiam, Zerdushtum fuiſſe ſeruum Ozair, ſiue Esrae, calculo ſuo adprobat THOMAS HYDE *l. c. p. 314.* De lepra autem quod additur, haud dubie ex confuſione cum hiſtoria Gehazi, qui fuit ſeruus Eliſae, ortum eſt. Certe, quem laudauimus, vir doctus, THOMAS HYDE, non dubitat, quin in iuuentute ſua Zerdushtus prophetae cuiusdam Iſraelitici fuerit ſeruus, hinc & porro addit: *a talis prophetae miraculis fuit ſtimulatus ad ſimilia patrandum, & proinde multas aſtutias ſtuduit, prompto ingenio, & forti imaginatione, & naturali audacia & confidentia adiutus; nam ſi non fuiſſet audax & intrepidus, totius nationis religionem ſuo modo non reformare tentaſſet, l. c. p. 311. 312.* ABV MVHAMMED MVSTAPHA porro refert, Zerdushtum, cum ab Iſraelitis eiectus in orientem migraſſet, librum compoſuiſſe, in duodecim tomos diuiſum, ſcriptos in coriis taurinis, quales ſingulos totidem vituli portare poſſent; eoque in libro licitum feciſſe coniugium cum matre aut ſorore, & vini potationem permiſiſſe; inſeruiſſe eidem multa ex verbis Dauidis prophetae, quae ab Ozair, ſeu Esra audiuerat; ſcriptum porro librum iſtum litteris aureis; quem cum Gushtap ſeu Dario Hyſtaſpidi obtuliſſet, hunc iuſſiſſe, vt in vrbe Iſtacha reponeretur. Fuſius haec enarrat BVNDARI, eidem THOMAE HYDEO *p. 314.* laudatus, qui eum ceu egregium praeſtigiatorem deſcribit: *in arte praeſtigiatoria verſatus, res quasdam miras populo oſtendit, quas miracula ſua vocitauit: ex quibus fuit, quod ſupinus iacuit, dum bipondium aeris liquefacti ſuper ſinum eius fuderunt; aes vero ſuper ſinum eius granatim concretum nullum ei damnum intulit; aliud fuit, quod ignem manu tenuerit, & manus eius non fuit combuſta: & in cuiusque manum dederit, alterius quoque manus non fuit combuſta.* Quo pacto aditum ſibi ad regem Gushtaſp parauerit, apud eundem HYDEVM legi poteſt, *p. 316.* qui & ex CHONDEMIRO docet, Zerdushtum, cum ex lege Moſaica didiciſſet, Deum promiſiſſe Iſraelitis, *quod eis ſuſcitaturus eſſet virum ad inſtar Moſis, cui auſcultaturi eſſent*, nimia arrogantia & vanitate inflatum, ſe pro illo viro ven-

venditaſſe, atque ac ſi ex ſtellis hoc didicisset, prae ſe tuliſſe. Videtur autem Zerdushtus ad tempus ſeceſſum quaeſiuiſſe, vt inde, cum iterum in hominum conſpectum prodiiſſet, maiorem ſibi compararet ſapientiae opinionem. Huc pertinet, quod in libro de *nympharum antro* ex EVBVLO refert PORPHYRIVS: *Zoroaſtres primus omnium in montibus Perſidi vicinis, antrum natiuum, floribus fontibusque irriguum, in honorem creatoris, & omnium matris, Mithrae conſecrauit; ita vt antrum conditi a Mithra mundi figuram ei repraeſentaret; ea vero, quae intra antrum erant, certis inuicem interuallis diſpoſita, vt elementorum climatumque mundanorum ſymbola ſeu figuras gererent.* Commemorat hoc ex PORPHYRIO HYDEVS *cap IV. p. 118.* qui & ex DIONIS CHRYSOSTOMI *orat. XXXVI.* refert, eum amorem ſapientiae prae ſe ferentem, in montem diſceſſiſſe, quem cum reliquiſſet, coeleſti igne inuolutus fuerit, ſaluusque euaſerit; qua re adductus Perſarum rex cum magnatibus ad illum acceſſerit. Longe autem plura, maximaque ſimul, ſi credere fas eſt, miracula de Zerdushto noſtro referuntur in libro, cui titulus: *Schâbnâma-nesr*, ex quo ea recitat HYDEVS *cap. XXIV. p. 319.* quae ſi non commentis longe abſurdiſſimis adnumeranda, praeſtigiatorem ſummum, callidiſſimumque impoſtorem Zerdushtum fuiſſe, arguunt. Et pro maximo impoſtore cum ipſe HYDEVS eum habeat, mirandum tamen maximopere, quod nihilo ſecius diuinas ei obtigiſſe reuelationes adſerere non dubitet. Ita enim in praefatione de eo verba facit: *Zoroaſtri quidem ex conuerſatione cum captiuis in Perſia Iudaeis bene notum fuit vetus teſtamentum, & multi ex eo ritus in Perſarum vſum deducti ſunt, vti conſtat tam ex eius hiſtoria creationis, & aliis rebus cum Iudaiſmo coincidentibus, quam ex eo quod (referente* GIANNABIO*) multa Dauidica in libros ſuos inſeruit, & prophetias edidit de Meſſiah in veteri teſtamento praedicto & ſubobſcure reuelato. Sed praeterea neceſſe erat, ipſum clariore & magis peculiari reuelatione fuiſſe obſecundatum, eandemque (vt durabilis eſſet, nec cum tempore intercideret) in ſuis libris ſcriptam reliquiſſe pro Magis ſuis per ſtellam ducendis ad Chriſtum natum in Iudaea, regione longinqua, cum alias certe id non nouiſſent, nec in Iudaeam a longinquo ex oriente veniſſent; nam iſti peregrini hanc rem melius perſpectam habuerunt, quam incolae vrbis Bethlehem, & rex, & Iudaei omnes, qui ab illo Magorum euangelio condocefacti ſimul & terrefacti fuerunt. Quae omnia ſuadent & perſuadent, Zoroaſtrem hac in parte vere diuinam reuelationem habuiſſe, cum compertum habeamus, quod Deus aliquando (quia ipſius ſapientiae ſic viſum eſt) falſis prophetis res veras reuelare dignatus eſt.* Ego vero non equidem nego, Deum interdum & falſis prophetis quaedam reuelaſſe, idque adeo facere poſſe; ſed quae de Zoroaſtre vir do-

Qua

ctus hic nobis narrat, nimis incerta mihi eſſe videntur; etſi eadem ABVL PHARAGIVS etiam habeat in *hiſtor. dynaſtiar. p. 54.* Quod ſi enim vel maxime concedatur, inter Perſarum magos traditionem quandam (quam nonnulli a Daniele repetunt) de ſtella, natum Meſſiam indicatura, exſtitiſſe, nondum tamen inde ſequitur, a Zoroaſtre eam originem ducere, aut illi a Deo hoc fuiſſe reuelatum. Nimium etiam orientalium ſcriptorum relationibus vir doctiſſimus tribuit, quas tamen & longe incertiſſimas, & commentis plurimis refertas eſſe, nemo non videt. Non tamen repugno, aliquid veri ſubeſſe, vnde occaſionem acceperint fingendi reliqua. Nec enim obſtat, quo minus a Iudaeis quaedam acceperit, quorum illi in religionis Perſarum reformatione vſus aliquis fuerit.

Id vero nunc eſt, quod porro & quidem praecipue nobis obſeruandum, eum mutationis cuiusdam, quae in religione Perſarum contigit, exſtitiſſe auctorem. Non nouam enim eum religionem introduxiſſe, ſed veterem Perſarum ſolum reformaſſe, ex ſcriptoribus orientalibus docet EDVARDVS POCOKKIVS, in *notis ad Abulpharag. p. 148.* Praeter alios idem confirmat, ſimulque ipſam reformationem indicat BEIDAVIVS, hiſtoriographus perſicus, in *vita regis Hyſtaspis*, apud THOMAM HYDE *cap. XXIV. p. 313. Huius* (Hyſtaſpis) *tempore* (inquit) *Zerdusht religionem Maguſaeam propagauit, & homines a religione Sabia auocauit* &c. De Zabiis, ſeu Sabiis qui totum olim orientem, idololatria, ſpeciatim ſtellarum, & imaginum ſub eis confectarum cultu compleuiſſe dicuntur, iam ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XXII. p. 333. ſeqq.* ex inſtituto dictum. Perſas olim itidem Sabaitas ſeu Sabios fuiſſe, ex ſcriptoribus Muhammedanis docet THOMAS HYDE *cap. III. p. 87. ſeqq.* ſed ea tamen ratione, vt cum Sabaei non vnius fuerint generis, Perſas ex illorum fuiſſe numero, contendat, qui reuerentiam equidem ſtellis exhibuerint, eas autem neutiquam adorauerint. Omnem etiam operam nauat, vt veterem Perſarum religionem ab Abrahamo deriuet, & ab idololatria alienam fuiſſe, probet, *cap. III. p. 82. ſeqq.* Nec ex Mithrae cultu, aut ignis cuſtodia, eos poſſe idololatriae conuinci, probare adnititur *cap. IV. ſeqq.* itemque *cap. VIII.* Sabaeismum autem licet, prout apud Perſas in vſu fuit, ab idololatria abſoluat, eum nihilo ſecius a magis reiectum fuiſſe, quorum purior adhuc diſciplina fuerit. Duplex enim vero etſi ſtatuerent principium, boni alterum, alterum mali; eos tamen prius ſaltem pro aeterno & increato, poſterius pro creato habuiſſe, quae etiam antiquiſſima veterum Perſarum fuerit ſententia, *cap. IX. p. 161. ſeqq.* Magorum autem licet itidem hac de re diuerſimode proponatur ſententia, immo quantum ex teſtimoniis ab auctore adlatis colligere licet, diuerſa etiam fu-

Digitized by Google

fuerit, Zoroaſtrem tamen, eosque, qui eum ſecuti ſunt, tum de aliis religionis capitibus, tum de hoc quoque ita exiſtimaſſe, vt, quae docuit, cum ſcriptura ſacra haud obſcure conſentire videantur. Idque cum SHAHRISTANI, qui *de religionibus orientis* librum arabice ſcripſit, teſtimonio maxime confirmet, *cap. XXII. p. 294. ſeqq.* iuuat nonnulla ex eo adferre, inde, vt, quae Zerdushti ſeu Zoroaſtris de duplici principio ſententia fuerit, intelligatur: *Zerdusht affirmauit, lucem & tenebras eſſe duo principia ſibi inuicem contraria, & ſic eſſe Yezdân & Abreman, qui fuerunt initium eorum, quae inueniuntur in mundo; ex eorum miſtione (ſeu combinatione) exſtitiſſe compoſitiones, & ex variis compoſitionibus productas fuiſſe formas. Et quod Deus, qui creauit lucem & tenebras, vtriusque auctor vnicus ſit, ſine ſocio, ſine pari aut ſimili; nec ei referenda ſit exſiſtentia tenebrarum, ſicut dicunt Zeruanitae; ſed bonum & malum, integritas ac corruptio, & puritas ac ſpurcities exiuerunt ex miſtione (ſeu commiſſione) lucis & tenebrarum, & niſi haec duo commiſta fuiſſent, non exſtitiſſet mundus. Et haec duo contra ſe inuicem inſurgebant, & de victoria contendebant, donec lux vinceret tenebras, & bonum malum. Tum poſtea ſaluum euaſit bonum ad mundum ſuum, & malum diuertebat ad mundum ſuum, & ſic fuit cauſa liberationis. Cumque Deus excelſus haec duo temperauerat, & miſcuerat pro arbitrio ſuo, eaque in compoſitione viderat, tum inſtituit lucem, vt originale quiddam, & indixit exſiſtentiam eius, vt exſiſteret. Sed tenebrae ſecutae ſunt, ſicut vmbra perſonam. Nam cum videret, eas quodammodo exſiſtere, ſed non realiter exſiſtere, tum plane produxit lucem, & acquiſitae ſunt tenebrae per conſequentiam, nam ex neceſſitate exſtitit contrarium, quippe cuius exſiſtentia fuit neceſſaria, ſcilicet vt contingens in creatione, non autem ex prima intentione, ſecundum exemplum, quod adduximus, de perſona & vmbra.* Multa in hisce, quae adduximus, SHAHRISTANI verbis, reprehenſione digna ſibi inueniſſe viſus eſt vir doctiſſimus, PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. crit. voc. Zoroaſtres. p. 3079.* Et ſane ſunt quaedam in iis, quae, quid ſibi velint, non temere dixeris, e. g. dum dicitur, bonum euaſiſſe ad mundum ſuum, & malum diuertiſſe ad mundum ſuum, & ſic fuiſſe cauſſam liberationis, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Id tamen aperte inde conſtat, Zoroaſtrem vnicum ſolum principium ſummum & independens ſtatuiſſe, a quo lux & tenebrae, bonum & malum prouenerint. Quod & ipſemet non diffitetur BAELIVS, licet nondum ſibi perſuadere queat, veram ac genuinam hanc fuiſſe Zoroaſtris ſententiam; immo contrarium aliquot euincere rationibus adlaboraret. At hae mihi nondum tanti eſſe videntur, vt SHAHRISTANI, aliorumque ſcriptorum orientalium fidem prorſus labefactent. Scio equidem

dem, graecos auctores Zoroaſtris ſententiam ita proponere, ac ſi duo principia ſumma & independentia, boni alterum, alterum mali, admiſerit. Ita PLVTARCHVS: *ſunt, qui putant, duos eſſe deos, quaſi contrariis deditos artibus, vt bona alter, alter mala opera conficiat; eum, qui eſt melior, Deum, qui deterior, daemonem dicunt*, ὥσπερ Ζωροάστρης ὁ Μάγος, *ſicut Zoroaſtres Magus, qui illum vocat* Ὡρομάζην, *iſtum vero* Ἀρειμάνιον *&c. de Iſide & Oſiride, p. 369.* Sed, an Graecorum hac in re plus tribuendum ſit teſtimoniis, quam orientalium, ceu ſcriptorum domeſticorum, aliis diiudicandum relinquo. Id dubio caret, illorum errorem, qui duplex principium independens admiſerunt, ex ſcriptura ſacra perperam intellecta, originem traxiſſe. Fuiſſe enim nonnullos, qui in ea haereſi verſarentur, negari nequit, nec negat, ſed adſerit potius ipſemet THOMAS HYDE *cap. IX. p. 164.* De reliquis religionis perſicae, prout a Zoroaſtre reſtaurata dicitur, dogmatibus, vt aliquid dicamus, neceſſe non eſt, cum cuncta eo tedeant, vnum eſſe Deum, eumque omnipotentem, ſine quantitate, & ſine qualitate; hunc rerum omnium, praeſertim hominum eſſe creatorem, qui religioſo cultu eum proſequi debeant, quod omnium rectiſſime vitae motumque fiat ſanctitate; idque eo magis, quod peccata aliquando grauiſſime puniturus, virtutes autem praemiis remuneraturus ſit; huius autem Numinis voluntatem cum hominibus omnium luculentiſſime manifeſtauerit Zerdusht, hunc, ceu prophetam diuinum, magno in honore eſſe habendum. In compendio haec ita exhibentur in prooemio libri: *Sad-der*, (de quo deinceps plura) ex quo ea adfert THOMAS HYDE *cap. XXXIII. p. 397.* Quam firmiter autem veteres Perſae ſibi perſuaſerint, Zerdushtum verum atque ſincerum veri Numinis prophetam fuiſſe, patet ex iis, quae idem auctor ex eodem libro *Sadder* adducit, *cap. XXIV. p. 326.*

Plurima a graecis ſcriptoribus ſub Zoroaſtris nomine laudata ſcripta, conſtat, aſtrologica, phyſica, mathematica, chemica, aliaque, de quibus diligenter diſſerit PETRVS LAMBECIVS, in *prodromo hiſtor. litterar. pag. 79. ſeqq.* Cumprimis autem celebrantur λόγια ſiue *oracula* Zoroaſtris, ad quae & ſubinde Platonici in doctrinis ſuis prouocant, ex quibus etiam nonnulli, vt IAMBLICHVS, PORPHYRIVS, PROCLVS commentariis ea illuſtrarunt; qui tamen ad nos non peruenerunt. Agit de illis MARINVS, in *vita Procli pag. 61. ſeqq.* Quae ſuperſunt ex hisce oraculis, edita fuere, primum cum ſcholiis GEMISTI PLETHONIS atque MICHAELIS PSELLI. Tum vero FRANCISCVS PATRICIVS, in iis ex Platonicorum ſcriptis colligendis, operam ſtudiumque collocauit, cumque antea ſexaginta tantum verſus exſtarent, ſupra trecentos congeſſit. Quae quidem Zo-

Zoroaſtris oracula ſaepiſſime edita, & graece & latine apud PETRVM quoque LAMBECIVM legere licet, *prodrom. hiſt. litterar. pag. 79. ſeqq.* & apud THOMAM STANLEIVM, *hiſt. philoſ. p. 1176. ſeqq.* Opus illud ingens, in quo ſacra ſua dogmata aut leges potius Zoroaſtres complexus dicitur, quodue a Deo ipſo illum accepiſſe ſcriptores orientales ex mente veterum Perſarum tradunt, *Zend-uaeſtâ* vocatur, in cuius adpellationis rationem THOMAS HYDE inquirit, *cap. XXV. pag. 331. ſeqq.* De hocce opere auctor libri *Sad-der*, in prooemio ita loquitur:

Zerâtusht attulit religionem rectam,
Nemo debet in hac religione eſſe remiſſus,
Quia Deus ei dedit Veſta-va-zend,
Vnde religio eius in mundo celſa euaſit,

apud TH. HYDE *cap. XXIV. pag. 326.* Compendium aliquod eius *Zend-vaeſtâ* exhibet liber *Sad-der*, quem in ſummam velut contractum ſub titulo: *Magorum liber Sad-der, Zoroaſtris praecepta & canones continens, in vſum eccleſiae Magorum & fidelium eorum omnium*, idem exhibet *hiſtor. relig. veter. Perſ.* ſubiectum *pag. 429. ſeqq.* Genuinum vero eſſe tum hunc, tum reliquos, qui hodie adhuc apud Perſas exſtant, Zoroaſtris libros, atque ab ipſo Zoroaſtre profectos, non dubitant ſcriptores quidam orientales, nec dubitat TH. HYDE, qui in *praefat.* hac de re ita loquitur: *Veterum Perſarum propheta Zerdusht ſeu Zeratusht, ſcripſit aliquam multos libros de variis ſubiectis, omnes lingua antiqua, in pleriſque locis iam obſoleta; qui manent ſicut theſauri obſignati, quos nondum rimati ſunt doctorum oculi. Iſti codices omnes diligenti cuſtodia ad hodiernum diem ſeruati, apud illius doctrinae aſſeclas nunc exſtant; quod tamen forte aegre perſuaſum ſit noſtratibus, qui in hisce rebus hoſpites, ne quidem ſomniantes, veteres Perſas ſemper habuiſſe bene regulatam eccleſiam, quae ſua monumenta conſeruaret, eamque in ſplendore duraſſe vsque ad Yezdegherd vltimum circa 1000 ab hinc annis regnantem & poſtmodum ab eo tempore, (quamuis minus ſplendide) continuaſſe.* Aliter autem tum de reliquis, quae ſub Zoroaſtris nomine circumferuntur, ſcriptis, tum de ipſo etiam libro Zend-a-veſta dicto, pronuntiat PETRVS DANIEL HVETIVS: *Ex Zoroaſtris*, inquit, *fama & exiſtimatione prouenit eorum fallacia, qui ſub eius nomine oracula quaedam magica graece ſcripta incautis obtruſerunt. Edita illa ſunt cum Plethonis ſcholiis; ſed ſi nares admoueris, fraus ſubolebit. Vetuſtiora quidem illa ſunt, nihilo tamen γνησιώτερα, oracula, quae Croeſi temporibus exſtitiſſe narrat Nicolaus Damaſcenus. Inſinceros quoque eos dixerim libros, quot chaldaice ſcriptos, & chaldaicis commentariis illuſtratos, & effata ac ſententias com-*

ple-

plexos, Ioannem Picum habuiſſe ferunt; inſincerum & librum Zind, mihi de nomine ſolum cognitum, quo ritus magicos & ignis colendi diſciplinam aiunt contineri; inſinceros & quos Hermippus, Plinio teſte, ducentis verſuum millibus ſub Zoroaſtris nomine conditos, indicibus quoque poſitis, explanauit. Ex iisdem falſariorum incudibus profectus eſt ſupra memoratus Perſicarum legum codex Zundauaſtaw, quem vetuſtiſſimum tamen coniicio, & eundem fortaſſe, qui ab Euſebio collectio ſacra Perſicarum rerum appellatur; demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 138. Conſentientes hac in re HVETIVS facile ſecum habebit doctiſſimos quosque, ſaltem ad oracula quod attinet; quamuis negari nequeat, in hisce forte veſtigia quaedam antiquae philoſophiae orientalis occurrere, quod & iam obſeruatum, ad *per. I. ſect. III. §. XXII. p. 353.* De libris, qui apud orientales ſub Zoroaſtris nomine exſtant, ſpeciatim de Zend-ua-eſta, iudicium ferre, paulo difficilius, cum eorum adcurata ad nos nondum peruenerit notitia. Quod autem idem vir doctiſſimus exiſtimat, codicem huncce legum Perſicarum Zend-ua-eſta dictum, eundem fortasſe eſſe cum τῇ ἱερᾷ συναγωγῇ τῶν περσικῶν, EVSEBIO memorata, *praeparat. euangel. lib. I. p. 42.* in eo diſſentit IO. ALB. FABRICIVS, vir itidem longe clariſſimus, *biblioth. graec. lib. I. cap. XXXVI. p. 252.* Ex libro enim *Sad-der* ſaepius iam nobis memorato, qui velut compendium aliquod libri Zend-ua-eſta exhibeat, patere putat, in eo non tam dogmata de Deo rebusque diuinis, quam leges & praecepta contineri, cum ἱερὰ iſta συναγωγὴ contra, EVSEBIO memorata, dogmata de Deo rebusque diuinis continuiſſe videatur. Non temere certi quid, vt ego quidem exiſtimo, hac de re pronuntiari poteſt. Sed de Zoroaſtre haec ſufficiant.

** Quae helleniſmi, ſeu graecanicae religionis ac theologiae, hocce tempore ratio fuerit, haud difficulter ex iis, quae ad *per. II. ſect. IV. §. XXXIV.* diximus, intelligitur. Cum etiam res Graecorum magis ex eo tempore efflorueriut, auctam quoque ſimul, vt fieri ſolet, ſuperſtitionem, deorumque ac dearum cultum ſplendidiorem redditum, facile coniicere licet. Poetarum etiam, atque hiſtoricorum, qui hocce tempore vixerunt, immo & philoſophorum ſcripta, in quibus graecanicae theologiae paſſim iniicitur mentio, idem comprobant. Cum porro Alexander magnus, Graecia ſubiugata, per Aſiam, omnemque orientem, victricia circumferret arma, helleniſmus ſimul longe lateque propagatus fuit. Idem & per ſucceſſores eius factum, qui Aſiae, Syriae atque Aegypti obtinuerunt regna. Nec defuiſſe, qui ſummo ſtudio id facerent, immo vim quandam adhiberent, vel Antiochi epiphanis exemplo patet. Is enim in animum induxit ſuum, populos, qui eius imperio ſubiecti erant, reli-

ligionis vinculo inter ſe vnire; volebatque adeo ab omnibus recipi helleniſmum. Hinc *lib. I. Maccab. cap. I. v.* 43. de eo dicitur: *Et ſcripſit rex Antiochus omni regno ſuo, vt eſſet omnis populus vnus, & relinqueret vnusquisque legem ſuam.* Et ab ethnicis quidem haud difficulter receptus fuit: *Et conſenſerunt omnes gentes ſecundum verbum regis Antiochi, v.* 44. Immo & a plurimis Iudaeorum: *Et multi ex Iſrael conſenſerunt ſeruituti eius, & ſacrificauerunt idolis, & coinquinauerunt ſabbathum, v.* 45. Idem & ex *II. Maccab. VI.* 1. *ſeqq.* conſtat, vnde ſimul, quaenam helleniſmi eo tempore fuerit ratio, patet: *Sed non poſt multum temporis miſit rex ſenem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudaeos, vt ſe transferrent a patriis & Dei legibus; contaminare etiam, quod Hieroſolymis erat, templum, & cognominare Iouis Olympii, & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Iouis hoſpitalis. Peſſima autem & vniuerſis grauis erat malorum incurſio. Nam templum luxuria & commeſſationibus gentium erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus, ſacratisque aedibus mulieres ſe vltro ingerebant, intro ferentes ea, quae non licebat.* Ita nimirum Antiochus demere ſuperſtitionem reliquis gentibus ſibi videbatur, dum Graecorum omnibus adnitebatur dare mores, vt ex C. CORNELII TACITI *hiſtor. lib. I. cap. VIII.* iam ad §. *VII.* huius ſectionis obſeruauimus. Habent itaque, in quo, ceu pulcri facinoris auctore, glorientur, qui impii iſtius atque furibundi regis exemplum recentiori quoque aetate imitantes, tum demum pii atque religioſi ſibi eſſe videntur, cum ſuperſtitionem ſuam, aut errores, vel priuatas doctorum opiniones, vi armisque aliis obtrudunt. Graecis tamen, ne quid diffitear, exemplum quodammodo praeiuiſſe videntur Perſae, ſi modo vera ſunt, quae de iis memoriae prodita legimus. Xerxem namque Perſarum regem, cum Graecis bellum inferret, templa eorum incendiſſe, referunt. Hinc Alexander in oratione ad milites, ſpeciatim ad Graecos: *Deum templa ruinis & ignibus eſſe deleta*; apud Q. CVRTIVM RVFVM *lib. III. cap. X.* Parum veroſimile eſt, quod nonnulli dicunt, feciſſe hoc Xerxem, quod a Iudaeis veram religionem edoctus, ex praecepto diuino *Deut. VII.* 5. id ſibi faciendum putaret. Rectius, ni fallor, CICERO, perſuaſum a magis ait, Graecos criminantibus, *quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent eſſe patentia*; *lib. II. de legib. cap. X.* Atque ita iam tum patuit, ſuperſtitionis certiſſimum fructum, intempeſtiuum zelum eſſe, atque ſummam crudelitatem.

* Ipſa quae rerum ſuarum habuerunt incrementa Romani, atque victoriae ab hoſtibus reportatae, ad augendam ſimul ſuperſtitionem & idololatriam eos induxere. De bello latino verba faciens L. ANNAEVS FLORVS,

Digitized by Google

RVS, *ea denique*, inquit, *atrocitas fuit proelii, vt interfuiſſe ſpectaculo deos, fama tradiderit; duos in candidis equis, Caſtorem atque Pollucem, nemo dubitauit. Itaque & imperator veneratus eſt, pactusque victoriam templa promiſit: & reddidit, plane quaſi ſtipendium commilitonibus deis: lib. I. cap. XI.* Et ita Caſtoris atque Pollucis cultus apud Romanos introductus fuit. Eiusdem rei mentionem faciunt PLVTARCHVS, in *Coriolano cap. V.* DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, *lib. VI. cap. XI.* CICERO, de *natura deor. lib. II. cap. II.* aliique. Templo *ſalutis* occaſionem praebuit bellum Samniticum. Qua de re LIVIVS: *Eodem anno aedes ſalutis a C. Iunio Bubulco cenſore locata eſt, quam conſul bello Samnitium vouerat; lib. IX. cap. XLIII.* Et iterum: *C. Iunius Bubulcus die octauo triumphans in vrbem cum rediiſſet, aedem ſalutis, quam conſul vouerat, cenſor locauerat, dictator dedicauit, lib. X. cap. I.* Templi, quod Bellonae exſtructum, quae fuerit origo, idem T. LIVIVS nos condocet, de pugna cum Samnitibus & Tuſcis commiſſa verba faciens: *Dicitur Appius, in medio pugnae diſcrimine, ita, vt inter prima ſigna manibus ad coelum ſublatis conſpiceretur, ita precatus eſſe: Bellona, ſi hodie nobis victoriam duis, aſt ego templum tibi voueo; lib. X. cap. XIX.* Sic in alia cum iisdem Samnitibus pugna M. Attilius conſul, *manus ad coelum attolens, voce clara, ita vt exaudiretur, templum Ioui ſtatori vouet, ſi conſtitiſſet a fuga Romana acies, redintegratoque proelio cecidiſſet, viciſſetque legiones Samnitium.* De templo autem telluri deae ſacrato L. ANNAEVS FLORVS: *Domiti ergo Picentes, & caput gentis Aſculum, Sempronio duce, qui, tremente inter proelium campo, tellurem deam, promiſſa aede, placauit; lib. I. cap. XIX.* Longe plura eiusdem generis addi poſſent, ſi hiſce diutius immorari liberet. Superſtitio enim religionis ſpecie multis mortalium imponens, cum omnibus fere Romanorum actibus, publicis, priuatis, ſe immiſceret, fieri aliter non potuit, quam vt in tantum creſceret, in quantum res illorum priuatae publicaeue ex voto animique iis fluerent ſententia. Confirmari etiam, quae diximus, Marcianorum carminum exemplo poſſunt, quae ludis Apollinis, & Graecorum ſacris recipiendis occaſionem dederunt. Digna haec ſunt, quae apud eundem LIVIVM legantur, *lib. XXV. cap. XII.* Sed & de aucto tum ſacerdotum, tum augurum, M. Valerio, & Q. Appuleio, Coſſ. numero, eum conſulere iuuabit, *lib. X. cap. VI. ſeqq.* Ex his enim, vt & reliquis, quae paſſim idem auctor refert, quaenam ſacrorum apud Romanos hac aetate fuerit ratio, cognoſcere licet.

** Quantumuis magna ſuperſtitio hocce tempore incrementa ſumeret, plurimi tamen hinc inde, praeſertim apud Graecos ac Romanos extiterunt, qui vanitate eorum, quae

de diis gentilium tradebantur, perſpecta, vniuerſam gentilium religionem, ſingulasque eius partes ludibrio habuerunt. Probari hoc exemplis plurimis poſſet, niſi otium hic nobis feciſſet IOANNES SARTORIVS, in *ſchediasmate litterario de hypocriſi gentilium circa cultum deorum*, Lipſiae anno M DCC XIII. edito, vbi, eundo per praecipua religionis gentilium capita, hoc demonſtrat. Sacerdotum etiam, ſacra deorum gentilium pro commodi ſui ratione inſtruentium, fraudes, quo frequentiores erant, eo minus occultari poterant. Hinc perſpicacioribus non poterat non ſuſpectus fieri totus ethnicae religionis adparatus. Documento eſſe poſſunt oracula, ad nutum illorum, qui ceteris liberaliores erant, compoſita. Notum illud Demoſthenis, Graeciae oracula φιλιππίζειν. Qua de re CICERO: *Demoſthenes quidem, qui abhinc annos prope* CCC *fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id eſt, quaſi cum Philippo facere. Hoc autem eo ſpectabat, vt eam a Philippo corruptam diceret. Quo licet exiſtimare, in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non ſinceri fuiſſe; de diuinat. lib. II. cap. LVII.* Cum ſacerdotum autem fraudibus ſuperſtitionis, quae plebeiorum praecipue hominum animos occupauerat, abſurditatem plurimis eo tempore perſpectam fuiſſe, eo minus mirandum, quo clarius philoſophiae lux apud Graecos effulſit. Licet enim philoſophi iſti, quorum Graecia hocce tempore admodum ferax fuit, non vnam vitae philoſophandique rationem ſequerentur, ſed in plures ſectas abirent, ad euertendam tamen ſuperſtitionem omnes, licet non vna ratione, contulerunt plurimum; licet nonnullis contingeret, vt, dum vnum extremum euitare voluerunt, ad alterum, ſeu atheiſmum, procurrere viderentur. Quod vt demonſtremus, praecipuas, quae hac aetate celebritatem quandam conſecutae ſunt, perluſtrabimus ſectas.

De Ionicae ſcholae conditore, Thalete Mileſio, qui & ſeptem, quos vocant, Graeciae ſapientibus adnumeratur, iam ad *ſect. IV. §. XXXIV.* dictum, quemadmodum & primos eius ſucceſſores Anaximandrum & Anaximenem, iam ad *ſect. praeced. §. XIV.* commemorauimus. Anaxagoras, a quo alteram ſcholae Ionicae periodum arceſſere ſolent, eo anno, quo Xerxes in Graeciam traiecit, annum agebat viceſimum, quo & philoſophari coepit, vt auctor eſt DIOGENES LAERTIVS. Primum eum fuiſſe, qui in ſyſtemate Ionicae philoſophiae materiae mentem, ſeu Deum, iungeret, magno conſenſu veteres, PLATO, ARISTOTELES, TERTVLLIANVS, aliique, tradiderunt, quorum loca laudat PETRVS BAELIVS, *diction. hiſtor. crit. voc. Anaxagoras, p. 219. col. 1.* Luculentus cumprimis eſt locus ARISTOTELIS, *lib. I. metaphyſ. cap. III.* qui ſi adcurate conſideretur, patebit, eum non tantum mentem, motus omnis ordinisque cauſſam, ſed eandem etiam liberam, & a materia ſeparatam, ſtatuiſſe, nulla-

Iaque adeo ratione atheiſmi accuſari poſſe. Eum vero atheum cognominatum, diſerte IRENAEVS adſerit, *lib. II. adu. haereſ. cap. XIX.* Nimirum, quod ſuperſtitionem vulgi reiiceret, haud dubie hocce ornatus eſt elogio. Ceterum ex eo, quod primus in ſchola Ionica materiae mentem, ſeu Deum, iunxerit, non ſtatim colligere licet, qui eum in hacce ſchola praeceſſerunt, fuiſſe atheos. Fieri enim poteſt, vt aliquis in rerum naturalium cauſſis explicandis materiae tantum habeat rationem, vt tamen inde nondum ſequatur, nullum eum admittere Deum, ſeu atheum eſſe. Hoc iam obſeruatum in *theſibus de atheiſmo ac ſuperſtitione* ad *cap. I. §. X. pag. 22.*

Ex ſchola Ionica tandem prodiit Socrates, magnum illud Graeciae lumen, ſummusque inter ethnicos ſapientiae magiſter. Tantam is ob virtutis & ſapientiae ſtudium apud omnes conſecutus eſt celebritatem, vt non ab ethnicis modo pro ſapientiſſimo habitus, ſed inter antiquos eccleſiae doctores a IVSTINO martyre inter eos relatus fuerit, qui etiam ante ortum chriſtianorum nomen, re ipſa chriſtiani, hoc eſt, veri dei cultores, extiterint, *apol. I. pro chriſtianis p. m. 91.* Immo MARSILIVS FICINVS atque SYMPHORIANVS CHAMPERIVS in Socrate typum Chriſti, eiusque paſſionum, ſibi inueniſſe viſi ſunt. Sed vt hi quidem plus quam decebat, illi tribuunt, ita virum fuiſſe ſumma ſapientia praeditum, qui prouida haud dubie Numinis cura excitatus fuit, vt ſuperſtitionis craſſiſſimae tenebras diſpelleret, veramque virtutis viam, quousque rationis lumen pertingit, Graecis monſtraret, negari nequit. Si, quae eius de Deo rebusque diuinis fuerit ſententia, inquiras, ex iis, quae apud PLATONEM pariter ac XENOPHONTEM de eo leguntur, conſtat, eum reiecta atque improbata fabulari omni theologia, quae Graecorum eo tempore animos occupauerat, vnum quendam ſummumque, & eum ab omni imperfectione humana procul remotum, agnouiſſe Deum. Fabulas nimirum illas poetarum, quibus Graecorum ſuperſtructa erat ſuperſtitio, ceu parum dignas diuino Numine, eum reieciſſe, vel ex dialogo PLATONIS, qui *Euthyphron* vocatur, & *tom. I.* operum, *p. 1. ſeqq.* exſtat, patet. Inducit namque PLATO Euthyphrontem quendam, quaſi patrem capitis accuſaret, factumque hoc ſuum nefarium, exemplo Iouis, qui vincula Saturno iniecerat, eumque exſecuerat, defenderet. Quod cum Euthyphron dixiſſet, atque addidiſſet, quosdam ſibi propterea indignari, quod patris eſſet accuſator, qui tamen, quod Saturno fecerat Iupiter, non improbabant, adeoque a ſemet ipſis diſſentiebant, reſpondet Socrates: Ἆρά γε, ὦ Εὐθύφρον, τοῦτ' ἐστὶν οὗ ἕνεκα τὴν γραφὴν φεύγω, ὅτι τὰ τοιαῦτα ἐπειδάν τις περὶ τῶν θεῶν λέγῃ, δυσχερῶς πως ἀποδέχομαι· *Scilicet hoc vnum eſt, Euthyphron, cuius cauſa hanc ſubeo accuſationem;*

 quo-

quoniam cum huiusmodi quaedam quis de diis dixerit, difficulter atque anxie haec amplectar. Hinc cum Eutyphrontem interrogaſſet, an reuera contigiſſe crederet, quae de diis narrabantur, & ille reſpondiſſet: καὶ ἔτιγε τέτων θαυμασιώτερα ἃ οἱ πολλοὶ ὀκ ἴσασι, *& illis quidem mirabiliora, quod vulgus ignorat;* tum quidem rurſus Socrates: καὶ πόλεμον ἄρα ἡγῇ σὺ εἶναι τῷ ὄντι ἐν τοῖς θεοῖς πρὸς ἀλλήλες, καὶ ἔχθρας δεινὰς καὶ μάχας, καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλὰ οἷα λέγεται ὑπὸ τῶν ποιητῶν, καὶ ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν γραφέων; τά τε ἄλλα ἱερὰ ἡμῖν καταπεποίκιλται, καὶ δὴ καὶ τοῖς μεγάλοις παναθηναίοις ὁ πέπλος μεςὸς τῶν τοιέτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν· ταῦτα ἀληθῆ φῶμεν εἶναι, ὦ Εὐθύφρον; *Exiſtimasne, reuera bellum, grauesque ſimultates, & pugnas inter deos exſiſtere, & alia huiusmodi, quae a poetis & bonis ſcriptoribus commemorantur? His cum alia nobis templa imaginibus ſunt variegata, tum etiam in magnis Panathenaicis peplum eiusmodi picturis plenum, in arcem fertur, verane eſſe haec dicemus, o Euthyphron? p. m. 6.* Longe adhuc illuſtriora ſunt, quae apud eundem PLATONEM exſtant, *lib. II. de republ. tom. II. opp. p. m. 377.* Dum enim in eo eſt, vt oſtendat, quantum hominibus, iuuentuti cumprimis, periculum poetarum adferant fabulae, de Heſiodo, Homero, ceterisque eiusdem generis poetis dicit: ἔτοι γάρ πε μύθες τοῖς ἀνθρώποις ψευδεῖς συντιθέντες ἔλεγόν τε καὶ λέγεσι. *hi enim falſas quasdam fabulas effinxerunt, quas hominibus proponerent, & quae iam olim inualuerunt, atque etiamnum obtinent.* Tum vero ſpeciatim, quid in fabulis iſtis reprehendendum ſit, indicat: ὅταν εἰκάζῃ τις κακῶς ὀσίας τῷ λόγῳ περὶ θεῶν τε καὶ ἡρώων, οἷοί εἰσιν· ὥσπερ γραφεὺς μηδὲν ἐοικότα γράφων οἷς ἂν ὅμοια βεληθῇ γράψαι· *Quando aliquis naturas deorum & heroum importune & perperam fingit, atque repraeſentat, nec bene deſcribit, quales ipſi ſint, veluti pictor, qui nulla veroſimilitudine ea pingit, quae inſtituit imitari.* Idque copioſius deinceps, deſcendendo ad exempla, illuſtrat, idololatriam Graecorum, quae iſtis poetarum fabulis innitebatur, palam perſtringens. Eodem pertinet, quod in antecedentibus *p. 364.* diſſerit, circulatores & vates diuitum domos frequentantes, adfirmare, penes ſe eſſe vim quandam, quae deorum numine ſibi tribuatur, ſacrificiorum & incantationum ritibus nonnullis expiare quoduis ſcelus, vel ab ipſis, vel a maioribus perpetratum, ita vt & voluptas & feſtiuitas conſequatur; quo ſi quis velit vindictam de hoſte ſumere, id futurum exiguo ſumptu in iuſti & iniuſti poteſtate; ſe enim deos ita ad ſe allicere & demereri, incantationibus & vinculis quibusdam, vt ſibi etiam obſequantur. Quae cum ineptiſſimae ſuperſtitionis documenta ſint luculentiſſima, ex poetarum iſta originem trahere commentis, iisque confirmari, ibidem PLATO oſtendit. Id-

Idque quin ex mente ſententiaque Socratis faciat, non eſt, quod dubitemus. Simulque inde patet, quam alieno ab idololatria & ſuperſtitione Graecorum fuerit animo, vt facile inde coniicere liceat, penes eum non ſtetiſſe, quo minus ad vnius Dei cultum Graecorum animi traducerentur. Idque & ex antiquis eccleſiae doctoribus IVSTINVS martyr confirmat: ὁ δὲ δαίμονας μὲν τοὺς φαύλους, καὶ τοὺς πράξαντας ἃ ἔῤῥασαν οἱ ποιηταὶ, ἐκβαλὼν τῆς πολιτείας, καὶ Ὅμηρον καὶ τοὺς ἄλλους ποιητὰς παραιτεῖσθαι τοὺς ἀνθρώπους ἐδίδαξε. *At ille daemones quidem malos, & eorum, quae poetae deſcripſerunt, patratores, vrbe exegit; hominesque vt Homerum, & poetas alios vitarent, docuit; apol. II. pro chriſtianis. p. m. 27.* Nec probare Socrates tam inſanam Graecorum ſuperſtitionem poterat, quippe qui ipſemet duce ratione longe rectiores de Deo animo conceperat notiones. Vnum enim eum credidiſſe Deum, eumque inconſpicuum, qui hominum genus crearit, ſuaque prouidentia omnibus proſpiciat, patet ex iis, quae paſſim de eo diſſerit XENOPHON, *memorabil. lib. I. cap. IV. n. 4. it. n. 11. ſeqq. lib. IV. cap. III. n. 13. ſeqq.* conf. THOMAS STANLEIVS, *hiſtor. philoſ. part. III. cap. V. ſect. I. p. 116. ſeqq.* Confirmat idem PLVTARCHVS, cuius digna vtique ſunt, quae hic legantur, verba: Σωκράτης καὶ Πλάτων τὸ ἓν τὸ μονοφυὲς καὶ αὐτοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθὸν, πάντα δὲ ταῦτα τῶν ὀνομάτων εἰς τὸν νοῦν σπεύδει, νοῦς ἐν ὁ θεὸς, χωριστὸν εἶδος, τουτέστι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης, μηδενὶ παθητῷ συμπεπλεγμένον. *Socrates & Plato vnum ſingularis & per ſe ſubſiſtentis naturae ac ſolitarium reuera bonum* (ſtatuerunt) *omnia autem haec nomina ad mentem referuntur. Mens ergo eſt* Deus, *ſpecies ſeparata, hoc eſt, ſincera ab omni materiae miſtura; nec vlli rei, quae pati aliquid poſſit, implicita; de placitis philoſophor. lib. I. cap. VII.* Vnum autem licet Socrates cumque ſummum agnouerit Deum, alios tamen, & quidem inferiores Deos non negaſſe videtur, ſiquidem apud PLATONEM pariter ac XENOPHONTEM ſubinde θεοὺς commemoret. Platonici certe, praeſertim recentiores, κακοδαίμονας eſſe, docuerunt, eosque peſſimorum quorumuis facinorum, fallaciarum etiam, quibus in errores varios homines inducantur, crediderunt eſſe auctores. Poteſtque id ex iis etiam confirmari, quae magno conſenſu de genio Socratis tradiderunt veteres; quo nomine angelum quendam bonum eum intellexiſſe, vero admodum eſt ſimile. Legenda hac de re erudita GOTTFRIEDI OLEARII diſſertatio, de *genio Socratis*, THOMAE STANLEII *hiſtoriae philoſophicae* inſerta, *part. III. cap. VI. p. 130. ſeqq.* Non minus itaque, vti ex dictis patet, ab impietate ſeu atheiſmo, quam ſuperſtitione alienus fuit Socrates, exemplumque adeo pulcherrimum, quod imitarentur, Graecis praebuit. Dum vero homines ſuperſtitioni dediti, nihil moleſtius, quam il-

illos ferant, qui eos rectiora docere cupiunt, non eſt mirandum, accuſatum Socratem, quaſi deos eſſe negaret, alia vero noua daemonia inducere voluerit, ſecundum formulam accuſationis, apud DIOGENEM LAERTIVM *lib. II. ſect. XI. p. 104.* & XENOPHONTEM, *memorabil. Socrat. lib. I. cap. I.* Hoc ipſo enim idem expertus eſt fatum, quod poſtea plurimi veritatis confeſſores ex chriſtianis experti ſunt; vti & IVSTINO martyri obſeruarum; *apol. II. pro chriſtianis p. m. 26.* Facillimum itaque fuit, Socratis cauſſam contra aduerſarios agere, ſi rem ipſam ſpectes, non aeque, ſi Athenienſium de diis opiniones, quas eo tempore habuerunt, conſideres. Hinc PLATO aeque ac XENOPHON, eius ita apologiam inſtituunt, non potuiſſe Socratem negare deos, qui daemonas, hoc eſt, inferiores deos eſſe, agnoſceret, deosque ex priſcis vrbis inſtitutis, quemadmodum alii ciues ſolebant, ſemper coluiſſet. Si enim, quod res erat, dixiſſent, Socratem de Deo reuera aliter ſenſiſſe, quam Athenienſes ſentiebant, nec ea in re peccaſſe, rem quidem, vti erat, enuntiaſſent, ſed homines ſuperſtirioſos magis ſaltem irritaſſent. Dum vero ipſe deos more recepto coluit, conſuetudini forte aliquid dandum cenſuit; nec dubium, quin mente longe puriori, verum cultum ad vnicum ſummumque Deum referendo, hoc fecerit; & quamuis ea in re peccauerit, ab homine tamen ethnico, & reuelationis diuinae lumine deſtituto, vix plura exſpectari poſſe, cogitandum eſt. Legenda, quae hanc in rem differit IO. CLERICVS, in *ſyluis philologicis*, *Aeſchinis dialogis* additis, *cap. III. p. 206. ſeqq.* De virtute autem quam praeclare ſenſerit Socrates, quantaque induſtria non modo ipſemet eam ſectatus ſit, ſed alios etiam ad eius ſtudium excitauerit, ex XENOPHONTE, PLATONE, DIOGENE LAERTIO, aliiſque, ſatis notum eſt. Non dubitabit autem, qui cuncta adcuratius conſiderauerit, non ſine ſingulari Numinis prouidentia huncce virum Graecis obtigiſſe, qui & a ſuperſtitione illorum animos auerteret, & verum rationis vſum vel exemplo ſuo condoceret, vt eo promtius verum & inueſtigare & inuenire Deum poſſent. Natus eſt Socrates anno quarto olympiadis LXXVII, cumque annos LXX vixiſſet, mortuus eſt anno primo olympiadis XCV.

Inter plurimos, qui ex ſchola eius prodierunt, philoſophos, primum praecipuumque locum tenet Plato, qui tamen & alios tum in Graecia, tum in Italia eo tempore inclytos philoſophos, ſpeciatim Parmenidem & Euclidem Megaricum audiuit, ſed itinere quoque in Aegyptum ſuſcepto, ſacerdotes, qui ibi erant, conſuluit, & ſi IAMBLICHO credendum, ex Mercurii columnis plurima hauſit, *de myſter. Aegyptior. ſect. I. cap. II. p. 3.* Multa quoque ex ſcriptura ſacra eum accepiſſe, quae iam tum in graecam linguam translata fuerit, ARISTOBVLVS nobis perſuadere adnititur, apud EVSEBIVM, *praeparat. euang. lib. IX. cap. VI.*

VI. Sed de hocce Ariſtobuli quid cenſendum ſit teſtimonio, iam ſupra expoſuimus. Interim Moſis eum inuolaſſe libros, magno conſenſu tradunt FL. IOSEPHVS, IVSTINVS, CLEMENS, THEODORETVS, aliique, quorum loca indicat, ſententiamque ſimul adprobat PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euang. propoſ. IV. p. 40.* Notum quoque illud NVMENII, Pythagoraei, Platonem nihil aliud eſſe, quam Moſen Atticiſſantem, apud EVSEBIVM *praeparat. euangel. lib. XI. cap. X.* Sunt tamen haec omnia, ne quid diſſimulem, ita comparata, vt varia adhuc moueri poſſint dubia. Certe, quae Plato ex ratione cognoſcere potuit, ea ex ſcriptis Moſaicis eum hauſiſſe, vt dicamus, neceſſe non eſt. Praeterea, ſi quae tradit, quae cum Moſaicis conuenire videntur, diſpiciendum, an eodem quoque ſenſu, quo Moſes hoc adſerat. Haec ſi obſeruentur, pleraque argumenta, quibus euinci ſolet, Platonem ex Moſe ſua hauſiſſe, ſua ſponte corruent. Non equidem negauerim, eum ab Aegyptiis, aliisque philoſophis, quaedam accepiſſe; in plerisque tamen quin Socratem magiſtrum ſecutus ſit, vix eſt, quod dubitemus. Hinc & eius exemplo inductum, ſuperſtitionem ac idololatriam eum improbaſſe, vt credamus, par eſt; etſi ſupplicio deterritus, paullo cautius hac in re verſatus ſit. Haud obſcure & hoc colligas ex verbis eius, quae in *Timaeo* exſtant: τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τȣ̃ δὲ τȣ̃ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν: *conditorem & patrem huius vniuerſi & inuenire difficile; & eum, qui inuenerit, vt omnibus dicat, fieri nequit; p. 526.* Sine maximo nempe praeſentiſſimoque, quod a ſuperſtitioſis hominibus imminebat, periculo, neminem profiteri veram de Deo ſententiam poſſe, indicat. Timaeo equidem hoc tribuit PLATO, Socrati autem IVSTINVS, *apol. II. pro chriſtian. p. 27.* Nullum tamen dubium, quin ipſius Platonis eadem mens fuerit atque ſententia. Veteres ſane eccleſiae doctores, qui huius effati ſubinde meminerunt, collegerunt inde, Platonem de Deo cum vulgo non ſenſiſſe. Atque id tum ex ſcriptis eius, in quibus paſſim de vno ſummoque Deo loquitur, tum & PLVTARCHI, quod antea iam adduximus, teſtimonio patet. Vnde & ſimul intelligitur, tantum Platonem ab impietate & atheiſmo abfuiſſe, quantum a Graecorum abfuit ſuperſtitione. Non ſum neſcius, eſſe quoſdam ex recentioribus, qui Platonem aeque ac alios quoſdam Graecorum philoſophos in atheiſmi adducunt ſuſpicionem. Materiam namque non tantum aeternam eum ſtatuiſſe, aiunt, ſed &, quae ex ipſo Deo ſit, ſeu per emanationem ex eſſentia eius prodierit. Quam in rem locum ex *Philebo* eius proferunt *tom. II. opp. p. 23.* vbi Socrates adfirmat: τὸ μὲν ἄπειρον δεῖξαι τῶν ὄντων τὸ δὲ πέρας, *ex iis, quae ſunt, alterum infinitum, alterum manifeſtaſſe finitum.* Nimirum

τὸ

τὸ ἄπειρον ſeu ἀπειρίαν materiam primam ſignificare; contendunt, vt adeo materia maneat ἀγένητος, vti ipſe Deus, etſi eam manifeſtauit, hoc eſt, ex ſe expulit, atque ita oſtendit. Verum etſi lubens fatear, non omnis erroris immunem fuiſſe Platonem, lubensque concedam, inter reliquos eius errores haud vltimum illum fuiſſe de materiae aeternitate, in atheorum tamen numerum ideo eum referendum eſſe, nondum mihi perſuadere poſſum. Materiam quod aeternam ſtatuit, hoc cum reliquis gentilium philoſophis illi commune fuit, & ita inſuper comparatum, vt, qui reuelationis lumine deſtitutus, ſolius rationis ductum ſequitur, non temere hinc ſe expedire queat. Conſtat vero ſimul, Deum ex mente Platonis, libere ſine neceſſitate ad mundum inde formandum acceſſiſſe, adeoque Platonem, Deum pro principio a materia diſtincto & prorſus ſeparato habuiſſe; quod veterum teſtimoniis comprobare poſſem, niſi hoc iam ab aliis factum eſſet, quos laudaui in *theſ. de atheiſmo & ſuperſtit.* ad *cap. I. §. XIII. p. 31.* Nec vnicus iſte, isque minus luculentus, qui ex *Philebo* eius producitur, locus, efficiet, vt rerum omnium ex eſſentia diuina emanatio illi tribui queat, praeſertim cum nec eo in loco, nec alibi apud Platonem emanationis vox occurrat. Non abnuerim, eos falli, qui, cum materia a Deo Platonis *facta*, *creata*, *condita* dicitur, hoc eo ſtatim ſenſu accipiunt, quo chriſtiani mundum a Deo conditum credunt. Non minus tamen & illos falli, exiſtimo, qui in verbis Platonis emanationem quandam materiae ſibi inueniſſe viſi ſunt. Cuncta namque adcuratius conſideranti patebit, Platonem nihil aliud dicere voluiſſe, quam materiam, licet ſemper exſtiterit, non tamen ſine quadam a Deo eſſe dependentia, ſeu Deum eius eſſe cauſſam. Si quaeras, num per *creationem*, *an per emanationem?* Platonem hac de re tam diſtincte non cogitaſſe, adeoque nihil certi ex eius mente reſponderi poſſe, exiſtimo. Certe nullum hactenus ex ſcriptis eius locum productum vidi, in quo alterutrum diſtincte & aperte definiatur. Praeter vnum vero illum ſummumque Deum, Platonem aeque ac Socratem, alios quoque inferiores, genios, daemoneſque admiſiſſe, notum eſt, & antea quoque iam obſeruatum. Ita praeterea de Deo ſubinde philoſophatus eſt, vt tres ὑποστάσεις ἀρχικὰς, ſeu ſubſtantias, quae ſint principia rerum omnium, admittere, non ſine ratione crederetur. Earum apud MACROBIVM haec ſunt nomina: *Deus ſummus, mens ex Deo nata, mundi anima, quae animarum omnium fons eſt*; *in ſomn. Scipion. lib. I. cap. VI. p. 32.* Qua quidem in Platonis ſententia nonnulli myſterium trium, quas in diuinitate veneramur, perſonarum ſibi inueniſſe viſi ſunt; qui & Platonem ex ſcriptis Moſaicis iſtud hauſiſſe exiſtimant, refragantibus aliis, & ratiocinando ad has cogitationes Platonem peruenire po-

Digitized by Google

potuiſſe, contendentibus, quos inter & IO. CLERICVS eſt, *epiſt. crit. VII.* itemque in *biſtor. eccleſ. prolegom. ſect. II. cap. II. p. 64.* vt & auctor libri: *le Platoniſme devoilé, part. I. cap. V. p. 51. ſeqq.* Id certum eſt & exploratum, ſententiam Platonis multis paraſangis diſtare a ſententia, quam chriſtiani iique orthodoxi, praeeunte ſcriptura ſacra, de myſterio trinitatis fouent, quod ab aliis abunde eſt demonſtratum. Certum quoque, eandem Platonis ſententiam Arrianis, Sabellianis, aliisque diuinae veritatis corruptoribus occaſionem, erroneas animo hac de re concipiendi notiones, praebuiſſe. Eſt vero idem & de aliis quibusdam Platonis dogmatibus cenſendum, ea veritatis quidem magnam prae ſe ferre ſpeciem, ſed adiunctis quibusdam, quos ſecum vehunt, erroribus, prorſus deformari. Animae namque non tantum credidit, ſed & in dialogo, cui titulum fecit: *Φαίδων, ἢ περὶ ψυχῆς*, variis argumentis adſtruxit immortalitatem; quanquam ſimul fateatur, certam demonſtrationem exſpectandam non eſſe. Dum vero ſimul *προύπαρξιν* animarum atque *μετεμψύχωσιν* cum Pythagora atque Aegyptiis credidit, grauiſſimos dogmati huic adſperſit errores. Solet etiam illi ſententia, de animarum ex eſſentia diuina emanatione, & in eandem remeatione, tribui; indeque ſimul fundamentum enthuſiaſmi Platonici arceſſi. Nec dubium, in Platonicorum ſcriptis reperiri, quae huc faciant; an ipſi Platoni recte haec ſententia tribuatur, nondum expeditum eſt. Vidi ſane, ab iis, qui hoc argumentum ex inſtituto tractarunt, proferri loca EPICHARMI, MENANDRI, DEMOPHILI, PLVTARCHI, aliorumque; ex ipſo Platone nullum hactenus adlegatum teſtimonium vidi. Quodſi tamen haec ſententia illi tribuenda ſit, ita hoc intelligendum fuerit, ex anima mundi originem trahere animas hominum, vt illam ex Deo; conf. *theſes* noſtrae *de atheiſmo & ſuperſtitione cap. III. §. II. p. 261.* Veteris nihiloſecius eccleſiae doctoribus mirifice Platonis doctrina adriſit, quod de Deo, tribusque hypoſtaſibus, de animae immortalitate, deque geniis, ſeu angelis, cumprimis & de virtutum ſtudio talia tradere videretur, quae cum chriſtianorum diſciplina conuenirent; vnde non tantum mirum in modum eum laudarunt, & conſenſum eius cum ſcriptura ſacra demonſtrare adniſi ſunt; ſed varios eius incauti, nec vera a falſis ſatis diſcernentes, ſimul adoptarunt errores. Hoc vel Origenis exemplo patet, de quo legenda, quae in *Origenianis* diſſerit PETRVS DANIEL HVETIVS. Natus eſt Plato anno primo olympiadis LXXXVIII, mortuus autem anno primo olympiadis CVIII, annum aetatis agens octogeſimum primum. Cum anno aetatis viceſimo Socratem audire coeperit, non amplius, quam octo annos inſtitutione eius vti potuit: cum Socrates mortuus ſit anno primo olympiadis XCV. Succeſſor Platonis in academia fuit Speuſippus, ſororis eius fili-

filius, mortuus anno ſecundo olympiados cx, quem deinceps alii exceperunt.

Ariſtoteles vero, qui ex eadem ſchola prodiit, a magiſtro in plurimis diſſentiens, nouam ſectam condidit, diutius, quam reliquas omnes, deinceps continuandam, & in chriſtianorum quoque ſcholis imperium occupaturam. De Deo in libris metaphyſicorum agere, illi conſtitutum eſt; ſed tam obſcure, & per tot ambages, hoc facit, vt non ſine magno labore veram & genuinam eius hinc exſculpas ſententiam. Copioſe enim admodum cum de natura humanae cognitionis, deque ente generatim ſpectato diſputaſſet, vix circa finem ad caput cauſſae accedit, idque ea fere ratione, vt lectorem non minus dubium, quam antea fuerat, dimittat. Docet tamen tandem & oſtendere adnititur, dari ἀΐδιόν τινα οὐσίαν ἀκίνητον, *aeternam quandam, quae & immobilis ſit, ſubſtantiam*, per quam materia moueatur, quae ſe ipſam mouere nequeat: πῶς γὰρ κινηθήσεται εἰ μηθὲν ἔσται ἐνεργείᾳ αἴτιον; οὐ γὰρ ἥ γε ὕλη κινήσει αὐτὴ ἑαυτὴν, ἀλλὰ τεκτονική. *Quomodo enim mouebitur, ſi nulla ſit actu cauſa?* (motus ſcilicet) *non enim materia ſe ipſa mouerit, ſed vis opificis; metaphyſic. lib. XI. cap. VI.* Deinde poſt varios ambages ita concludit: φαμὲν τὸν θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον, ἄριστον. ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ, τοῦτο γὰρ ὁ θεός· *dicimus, Deum eſſe animal aeternum, optimum. Itaque vita & aeuum perpetuum & aeternum eſt Deo, hoc enim Deus.* Sed etiam antea *cap. VIII.* dixerat: ἓν μὲν ἄρα καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον ὄν. *eſt quidem ergo & ratione & numero vnum primum mouens, quod immobile eſt.* Quae quidem ita comparata ſunt, vt vix quenquam dubitare ſinant, Ariſtotelem primum aliquod & vnicum principium agnouiſſe, a quo motus omnis originem ducat. Amplius quid adhuc eſt, quando mundi originem caſui & fortunae tribui poſſe negat, ſimulque Anaxogoram, quod mentem, vt in animalibus, ſic & in natura, cauſſam & mundi & totius ordinis dixerit, laudat, ita quidem, vt, ſi is cum reliquis, qui ex ſola materiae diſpoſitione cuncta deriuabant, conferatur, *quaſi ſobrius collatus cum prioribus temere loquentibus*, videatur, *lib. I. metaphyſic. cap. III.* Haec vero omnia ſi paulio adcuratius conſiderentur, id ſaltem inde conficitur, πολυθεότητα, atque adeo Graecorum Ariſtoteli minime probatam ſuperſtitionem. Quod inde quoque confirmatur, quod circa finem *libri XI. metaphyſicor.* reiectis eorum, qui multa principia ſtatuebant, ſententiis, addit: τὰ δὲ ὄντα οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος. *Entia nolunt male gubernari, non bonus eſt multorum principatus, ſit vnus dominus.* Eam etiam ob cauſſam ab Eurymedonte ſacrorum antiſtite, τῆς ἀσεβείας, impietatis accuſatus videtur, adeo vt relictis Athenis, vbi tre-

de-

decim annis iam docuerat, in Chalcidem ſe conferre cogeretur, vt auctor eſt DIOGENES LAERTIVS, *lib. VI. ſect. V. p. 272.* PHAVORINVS, in *omnimoda hiſtoria*, a Demophilo cum impietatis accuſatum refert, quod hymnum in Hermiam ſcripſiſſet, & epigramma aliquod ſtatuae, quae in Delphis eſt, incidi curaſſet, apud DIOGENEM *l. c.* vbi & epigramma illud pariter ac hymnum legere licet. Demophilus nimirum vir magnae auctoritatis erat, quem Eurymedon ſacerdos in partes ſuas pertraxerat, vt adcuſationibus ſuis contra Ariſtotelem pondus ac robur adderet. Id ATHENAEVS nos docet, *deipnoſoph. lib. XV. cap. XVI.* Quid Eurimedon pariter ac Demophilus ex hymno iſto atque inſcriptione exſculpſerint, vt Ariſtotelem atheiſmi accuſarent, vix dicere licet, cum in iis, quod accuſationi huic colorem praebeat, non inueniatur. Forte obtentui ſumtum, profanaſſe Ariſtotelem hymnos, in laudem hominis mortalis eos adhibendo, qui tantum deorum immortalium honoribus deſtinati erant. Fieri etiam potuit, vt quaedam ex verbis aut hypotheſibus Ariſtotelis captarent, inde vt illi impietatis notam inurerent. Certe ORIGENES *lib. I. contra Celſum, p. m. 51.* auctor eſt, Ariſtotelem propter dogma aliquod impietatis adcuſatum; idemque *lib. II. p. 68.* adſerit Peripateticorum dogma eſſe, preces & ſacrificia nullius vſus eſſe. Ex ſententia ſane Ariſtotelis, qua ſupremi motoris prouidentiam ad ſublunaria haec ſe extendere negat, de qua deinceps, hoc fluere, negari nequit. An vero diſerte hoc docuerit, nec adfirmare, nec abnuere, pronum eſt. Non enim ſemper philoſophi, etiam acutiſſimi, quae ex eorum principiis conſequuntur, aut vident, aut adprobant. PETRI BAELII coniecturis ſi locus relinquatur, accuſationis iſtius fundamentum in immutabilitate, quam Deo tribuit, & futurorum praeſcientia, forte quaerendum, quae non admittat, vt per hominum preces velut admonendus ſit, quid facere debeat; *diction. hiſt. crit. voc. Ariſtot. p. 348.* Quod quo animo dictum ſit, haud difficulter coniicere licet. Sed quicunque demum accuſationis iſtius aut color fuerit, aut πρόφασις, relictis Athenis, ſaluti ſuae conſulere Ariſtoteles neceſſe habuit, interrogatusque, cur Athenas reliquiſſet, reſpondit, *noluiſſe ſe committere vt Athenienſes bis peccarent in philoſophiam;* Socratis mortem, ſuumque ſimul ſignificans periculum, vt auctor eſt DIOGENES LAERTIVS *l. c.* conf. & ORIGENES *lib. I. contra Celſum, p. 51.* Haec itaque ſi ob reiectam ac improbatam Graecorum idololatriam, vti a vero non abhorret, Ariſtoteles paſſus eſt, laude maxima dignum merito cenſebimus. Quantumuis autem Eurymedon iniuriam hac ratione illi fecerit, philoſophiae tamen, quod de Deo propoſuit, ſyſtema, ſi ad iſtud, quo hodie fruimur, rationis lumen exigatur, ab impietatis labe neutiquam immune

 pro-

pronuntiari poterit. Primum enim motorem licet ſtatuerit, quem Deum vocat, ſimul tamen conſtat, mundum ex eius ſententia aeternum eſſe, adeoque nec initium habuiſſe, nec habiturum finem; cum porro a Deo neceſſario productum, qui & cum eo, non equidem per modum *formae informantis*; vt in ſcholis loqui ſolent, ſed *aſſiſtentis* tamen, vinculo prorſus neceſſario ſit coniunctus; cumque variae ſint ſphaerae coeleſtes, quae ab intelligentiis moueantur, Deum coelo ſupremo praeſidere, ſeu intelligentiam primam atque motorem primum eſſe, cui adeo cura ſit primi mobilis, non autem reliquorum, multo minus rerum, quae in hac noſtra tellure gerantur. Veram hanc & genuinam Ariſtotelis eſſe ſententiam, viri doctiſſimi, harumque rerum peritiſſimi, quorum nomina in *theſibus theolog. de atheismo ac ſuperſtit.* ad *cap. I.* §. *XV. p. 41.* laudaui, luculenter demonſtrarunt. De negata ab eo prouidentia diuina, addenda, quae ex ATTICO, philoſopho Platonico, refert EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. XV. cap. V.* conf. & DIOGENES LAERTIVS, *lib. V. ſect. XXXII.* Ad mores vero Ariſtotelis, vitaeque, quam tenuit, rationem, ex qua vera virtus pietasque aeſtimari ſolet, quod attinet, in contrarias de iis viri docti ſcinduntur partes. Grauiſſimis vitiis obrutum fuiſſe, ex inſtituto demonſtrat FRANCISCVS PATRICIVS, in *diſcuſſionibus Peripateticis tom. I. lib. I, p. 6. it. p. 11. 12.* alibique; item PETRVS GASSENDVS, in *exercitationib. paradoxicis adu. Ariſtoteleos, exercit. III. p. 53. ſeqq.* In compendio cuncta, quae ei obiiciuntur, complectitur RENATVS RAPINVS, *dans les comparaiſons des grands hommes de l' antiquité p. m. 311.* Nec defuerunt, qui integris ſcriptis cauſſam Ariſtotelis agerent; quos inter vel maxime memorandus eſt FORTVNIVS LICETVS, in *libro de pietate Ariſtotelis aduerſus Deum & homines.* Huic equidem VALERIANVS MAGNVS librum de *atheismo Ariſtotelis* oppoſuit; quem tamen male ideo mulctatum, carcerique mancipatum, ferunt. Cum ſumma enim in ſcholis per orbem chriſtianum olim Ariſtotelis eſſet auctoritas, eum laceſſere, crimine non vacabat. Nec mirum, cum tanta quosdam cepiſſet veſania, vt ſanctorum, immo beatorum in coelo triumphantium adſcribere numero Stagiritam, eumque pro quodam ſeruatoris in naturalibus venditare praecurſore, non dubitarent; quam quidem in magiſtris Colonienſibus ſtultitiam dudum viri docti notarunt. Nimirum ſcripta quaedam Coloniae hac de re edita memorantur; certe anno M CCCC LXXXVII cuiusdam LAMBERTI DE MONTE *quaeſtio magiſtralis, oſtendens per auctoritates ſcripturae diuinae, quid iuxta ſaniorum doctorum ſententiam probabilius dici poſſit, de ſaluatione Ariſtotelis ſtagiritae*, Coloniae prodiit. Immo & GENESIVS SEPVLVEDA eandem ſententiam ſcripto quodam publico defendit, quem etſi ob nimiam temerita-

tatem reprehendat IACOBVS GRETSERVS, ipſemet tamen in eandem ſe propendere ſententiam, profitetur; conf. PETRVS BAELIVS, *diction. hiſtor. crit. voc. Ariſtoteles*, *p.* 350. *lit. R.* Contra FORTVNIVM LICETVM praeter VALERIANVM MAGNVM & CHRISTIANVS SCHOTANVS ſcripſit, librumque de *ethnicismo Ariſtotelis* edidit; quem deinceps & alii ſecuti ſunt, tanto maiori libertate de philoſopho, quem per tot ſecula homines chriſtiani coeco obſequio venerati fuerant, ſententiam pronuntiantes, quo maiori ſtudio, veritate indies magis magisque exſplendescente, a viris cordatis in eo elaboratum, vt iugum illud philoſophiae Ariſtotelico-ſcholaſticae a ceruicibus eruditorum remoueretur. De morali doctrina Ariſtotelis hoc ſolum addimus, eam tantum ad vitae ciuilis rationem fuiſſe comparatam; falluntur que adeo magnopere, qui aliud quid in ſcriptis philoſophi huius quaerunt. Multum itaque hoc in capite Socraticae ac Platonicae philoſophiae cedit: interiorem animi culturam longe adcuratius inſtruenti; ideoque & ab antiquis eccleſiae patribus, reiecta Ariſtotelica adprobatae. Sed hac de re alibi agitur. Natus eſt Ariſtoteles ſecundum APOLLODORVM apud DIOGENEM LAERTIVM, anno primo olympiadis XCIX, obiitque olympiadis CXIV anno III, aetatis LXIII. Poſt obitum eius ſcholam Peripateticam rexit Theophraſtus Ereſius, Peripateticorum doctiſsimis adnumerandus, cuius diſcipulus Strato Lampſacenus fuit, magni itidem nominis philoſophus; ſed ſi doctrinam ſpectes, atheismi non ſine ratione accuſatus. Dixi hac de re in *theſibus de atheismo & ſuperſtitione*, *cap. I.* §. *XVI. p.* 44. & *cap. II.* §. *IX. p.* 232. *ſqq.*

Ex Socratis porro ſchola Ariſtippus atque Euclides Megarenſis prodierunt, quorum ille Cyrenaicae, hic autem Megaricae ſectae auctor conditorque exſtitit. Priori qui addicti erant, cum in corporis voluptate ſummum hominis bonum collocarent, de religione, Numinisque cultu parum eos fuiſſe ſollicitos, vt credamus, par eſt. Facile hinc & fieri potuit, vt nonnulli in atheismum theoreticum prolaberentur. Theodorus ſane, cognomine ἄθεος dictus, qui ex hacce ſecta fuit, eiusque diſcipulus Bion Boriſthenites, hoc nomine male audiunt; nec ſine ratione, vt videtur; quamuis non deſint, qui Theodorum ob reiectam deorum gentilium multitudinem inter atheos relatum, contendunt, vt GERHARDVS IOAN. VOSSIVS, de *orig. & progreſſu idololatr. lib. I. cap. I.* Poſteriori, ſeu Megaricae ſectae qui nomen dederant, ex Socratica diſciplina nihil aliud, quam diſputandi acumen retinuerunt, cauillationibusque logicis toti dediti erant. Haec vero cum certiſſima ad amittendam potius, quam inueniendam veritatem via ſit, mirum non eſt, ſi nonnulli ex hisce quoque, dum vnum extremum, ſuperſtitionem, euitare voluerunt, ad alterum, ſeu atheismum prolapſi ſunt. Reliquos ex hac ſchola celebritate vin-

cit Stilpo Megarenſis, qui an iure atheismi arguatur, adhuc inter eruditos disputatur; gentilium vero eum irriſiſſe ſuperſtitionem, dubio caret, ſatisque ex iis patet, quae de eo refert DIOGENES LAERTIVS, *lib. II. ſect. CXVI.* Inter reliquos Socratis discipulos Antiſthenes adhuc cumprimis commemorandus eſt, quippe a quo Cynici, qui rurſus Stoicis originem dederunt. Et Cynici quidem, quos inter DIOGENES ille Sinopenſis eminet, cum ἀδιαφορίας limites, vltra, quam par eſt, proferrent, & non modo decorum omne, ſed &, quod inter honeſtum atque turpe intercedit, discrimen tollerent, non poterant non in religionem Numinisque cultum valde iniurii eſſe. Emendare haec vtcunque voluerunt Stoici, ἀδιαφορίαν equidem cum Cynicis in multis admittentes, ſed ſimul, quae bona & mala ſint, definientes. Iidem vero etiam dum Epicuraeis, cum Numinis prouidentia cultum quoque eius, adeoque religionem omnem tollentibus, magno ſtudio ſe oppoſuerunt, haud raro in contrarium, vt fieri ſolet, prolapſi ſunt, non tantum fatum aliquod abſolutum adſerentes, ſed gentilium quoque ſuperſtitioni patrocinantes. Hinc & non tantum vaticinia, oracula, diuinationes gentilium, ſed ipſam quoque πολυθεότητα defendere quodammodo conati ſunt, ea quidem ratione, vt futurorum praedictiones ex inſita quadam hominum animis vaticinandi facultate deriuarent; de diis autem quae poetae tradebant, ἀλληγορικῶς de variis naturae partibus, rerumque naturalium operationibus, explicanda cenſerent. Ita ſane Zeno, Cleanthes, Chryſippus, qui principem fere inter eos locum tenent. Legendus autem hac de re CICERO, *lib. I. de nat. deor. cap. XIV. ſeqq.* SENECA tamen, quae de iis poetae tradebant, non minus, ac quae de inferis commemorabant, commentis fabulisque adnumerare non dubitat. Patet hoc ex iis, quae *lib. VII. de beneficiis cap. II.* & *de vita beata, cap. XXV.* itemque *ad Marciam cap. XIX.* hisce de rebus diſſerit. Sed de ipſo quoque Deo ita philoſophabantur, vt non aliud quid hoc nomine, quam naturam ſe intelligere, proderent. Diſerte & ſine ambagibus SENECA: *Quid aliud eſt natura, quam Deus, & diuina ratio toti mundo & partibus eius inſerta? lib. IV. de benefic. cap. VII.* Et alibi: *vis Deum naturam vocare, non peccabis; eſt enim, ex quo nata ſunt omnia; lib. IV. quaeſtion. natur. cap. XLV.* Deus ergo & natura Stoicis vnum idemque. Praeclare equidem interdum admodum & magnifice de Deo eiusque cultu, de ſapientiae itidem atque virtutis loquebantur ſtudio; ſed lubrico cuncta ſuperſtructa erant fundamento, & ſub ſplendidis verbis grauiſſimi latitabant errores, virtutis ſtudium euertentes potius, quam promouentes. Quod exemplis luculentiſſimis alibi eſt demonſtratum. Fieri tamen potuit, vt nonnulli, quae ex principiis hisce, atque rationibus conſequun-

quuntur, non perſpicerent, rectiusque adeo de Deo & virtute ſentirent, quam per iſta principia ſentire potuiſſent. Atque inde etiam contingere potuit, vt principiorum iſtorum atque rationum immemores, longe aliter quandoque loquerentur, & talia, quae cum iis conſiſtere non poterant, proferrent. Subinde ſane iis exprobratur, quod ſibi non conſtarent, indeque & PLVTARCHO occaſio, librum *de repugnantiis Stoicorum*, ſcribendi, enata fuit. Idem, etſi de Deo rebusque diuinis longe alias, quam vulgus ethnicorum, animo fouebant opiniones, modum tamen numina colendi, in qualibet republica receptum, aeque ac alii philoſophi, ſequebantur, ſiue & hac in re ſibi non conſtarent, ſiue a plebe ſibi timerent, ab hypocriſi inde non abſoluendi. Hypocriſeos ſane paſſim arguuntur, foecundiſſimumque eam ob rem ridendi Epicuraeis, aliisque, praebebant argumentum. Quod tamen de omnibus minime intelligendum. Fuerunt enim inter illos viri ingenui & cordati, qui praeclara virtutis & ſapientiae dedere documenta, ab educatione potius, & indolis bonitate, experientiaque, prudentiae magiſtra, quam philoſophiae, qua imbuti erant, praeceptis deriuanda. De morali doctrina Stoicorum, quam maxime nonnulli admirantur, adhuc addendum, eam non tantum, quantumuis ſplendida videatur, grauiſſimis erroribus refertam, ſed thraſonicam inſuper atque iactabundam eſſe, cum de felicitate ſumma, deque ἀπαθείᾳ, itemque de viri ſapientis virtutibus, talia praecipiant, quae nemo mortalium conſecutus vnquam eſt, aut conſequi poteſt; ſubinde & vocibus, vt pueri nucibus, ludunt, ſophiſticationibusque ineptisſimis efficiunt, vt, quae magna pompa protulerunt, mox, ſi penitius introſpiciantur, in fumum abeant. Zeno Cittieus, Stoicae ſectae conditor, obiiſſe dicitur olympiade CXXIX.

De Eleatica priusquam dicamus ſecta (nam hactenus de Ionica, & qui ex ea prodierunt, philoſophis verba fecimus) de Pythagora, quem nonnulli pro Eleaticae ſectae conditore habent, aliquid commemorandum eſt. A Pherecyde, & deinceps Thalete, ſapientiae praeceptis imbutus, huius ſuaſu, anno aetatis vigeſimo ſecundo Aegyptum petiit, ibique per annos, XXII haeſit, vt auctor eſt IAMBLICHVS, in *vita Pythagorae*, *cap. IV.* Tum vero a Cambyſe Perſarum rege, Aegypti victore, captus, atque Babylonem adductus eſt, anno aetatis XLIV, ibique in captiuitate annos XII transegit, vt idem IAMBLICHVS teſtatur *l. c.* Libertati reſtitutus, domum tamen reuerti non poterat, idque ob Syloſontis, qui frater erat Polycratis, qua Samum, patriam philoſophi noſtri, premebat, immanem tyrannidem. Delphos ergo cum ſe contuliſſet, & hinc Cretam inſulam, indeque Spartam, ad Minois ac Lycurgi leges condiſcendas, petiiſſet, tandem anno aetatis LVIII Samum rediit; mox tamen, relicta patria, in Italiam venit, & Cro-

Crotone rerum ſuarum ſedem fixit. Quae tum porro geſſerit, quaeue expertus ſit fata, donec olympiad. LXXVII, aetatis anno XCIX, in proelio inter Agrigentinos & Syracuſanos commiſſo, occumberet, aliunde ſatis notum eſt, & ex inſtituto HENRICVS DODVVELLVS exponit, qui & temporum rationes adcuratisſime expedit, in *exercit. de aetate Pythagorae*, Londini M DCC IV. 8. edita. Addere & noſtram de *peregrinationibus Pythagorae diſſertationem* licet, quae in *analectis hiſtor. philoſ.* exſtat, *p. 1. ſeqq.* & quae in *praefat.* ex DODVVELLO attulimus. In Aegypto ergo atque Babylone cum tamdiu verſatus ſit, colligunt inde viri docti, plurima eum a Iudaeis accepiſſe. Ita IO. SELDENVS, de *iure nat. & gent. iuxta discipl. Ebraeor. lib. I. cap. II.* & IO. SCHEFFERVS, de *natura & conſtit. philoſ. Ital. cap. IV. & V.* Ex kabbaliſtarum veterum eum ſapuiſſe placitis, IO. REVCHLINVS credidit, *lib. I. de arte kabbaliſt.* adprobante hanc ſententiam CAMPEGIO VITRINGA, *obſeruation. ſacrar. lib. I. obſeruat. II. p. 120. 130.* Ab Eſſaeis (Pythagorae aetate forte nondum cognitis) ſua eum mutuatum, HVGO GROTIVS exiſtimauit, *epiſt. DCII.* Vlterius progreditur PETRVS DANIEL HVETIVS, & eum Danielem pariter ac Ezechielem prophetas audiuiſſe, autumat, *demonſtrat. euangel. p. m. 79. 397. & 414.* Pari ratione & GODEFRIDVS VVENDELINVS, Pythagorae τετρακτὺν nihil aliud ſignificare, coniectat, quam nomen Dei τετραγράμματον, idque a Daniele, magorum principe, qui tum ſenex fuerit, eum accepiſſe, in *diſſertat. de Pythagorae tetracty;* quam eius ſententiam itidem calculo ſuo adprobat PETRVS DANIEL HVETIVS *l. c. p. 414.* Fuerunt porro, qui ex Pythagora omnino Iudaeum facerent, quemadmodum Romanenſes eum in monachorum transſcripſerunt ordinem, contra quos IO. FRIDERICVS MAYERVS diſputat, in *diſſertat. vtrum Pythagoras fuerit iudaeus, an monachus Carmelita?* Hamburgi, anno M DCC edita. Haec omnia vero ita comparata ſunt, vt adcuratius examen vix ſuſtineant. Qui ex Iudaeorum fontibus ſua eum irrigaſſe arua cenſent, ad HERMIPPVM prouocare ſolent, qui eum Iudaeorum dogmata & leges in ſuam transtuliſſe philoſophiam tradidit, vt poſt IOSEPHVM *lib. I. contra Apion. p. 1046.* auctor eſt ORIGENES, *lib. I. contra Celſum pag. 13.* Idem & ARISTOBVLVS teſtatur apud CLEMENTEM Alexandrinum *lib. I. ſtrom. p. 345.* & EVSEBIVM *lib. IX. praeparat. euangel. cap. VI.* Sed vt nec HERMIPPI, nec ARISTOBVLI magna apud nos eſt auctoritas; ita vterque nihil aliud, quam ſuas nobis narrat coniecturas. Res omnis ad conuenientiam quandam rituum, ac inſtitutorum redit, quam in compendio exhibet HVETIVS *l. c. pag. 78.* quae tamen vt longe minor eſt, ſi adcuratius examinetur, quam prima fronte videtur, ita aliunde quoque prouenire potuit. A Daniele autem aut Eze-

Ezechiele quidquam accepiſſe Pythagoram, tam incertum eſt, quam quod longe eſt incertiſſimum. Vnde enim conſtat, hosce adhuc in viuis fuiſſe vates, cum Babylone fuit Pythagoras? Ad Ezechielem equidem quod attinet, HVETIVS ad Clementem Alexandrinum prouocat, qui refert, Alexandrum in libro de Pythagoricis ſymbolis narrare, Pythagoram Nazarati Aſſyrii auditorem fuiſſe; additque porro CLEMENS, eſſe, qui Nazaratum hunc Ezechielem fuiſſe, exiſtiment, quibus tamen ipſe neutiquam ſuffragatur. Suffragatur autem HVETIVS, atque vt id euincat, miris vtitur ambagibus. Pro Ναζαράτῳ enim apud CLEMENTEM ζαράτῳ legendum putat; hunc vero cum PORPHYRII Zabrato vnum eundemque facit, tandemque Zaradem hinc exſculpſit; quo quidem nomine Zoroaſtres apud THEODORETVM atque AGATHIAM veniat. Sub Zoroaſtris autem nomine cum Ezechielem celebrari atque per orbem circumferri cenſeat, non amplius dubitat, quin ab ore eius pependerit Pythagoras. Quae quidem, lubrica admodum & prorſus inania eſſe, cum omnes facile intelligunt, tum & ex inſtituto a me demonſtratum, in *diſſertat.* de *peregrinationibus Pythagorae*, §. *XXI. pag. 29. ſeqq.* Ad philoſophiam Pythagorae quod attinet, magnam olim, nec ſine ratione, obtinuit auctoritatem, ob pulcherrima virtutum praecepta, ob finem, quem ſibi conſtitutum habebat, nobilisſimum, ob ἀσκήσεις, quibus ad virtutem manuducebantur, qui in eius ſe tradebant diſciplinam, & ob multas denique, quas continebat, veritates; quae omnia in compendio legi poſſunt apud IO. SCHEFFERVM, de *natura & conſtitutione philoſophiae Italicae.* De Deo vero quaenam ſententia eius fuerit, CICERO nos condocet: *Pythagoras, qui cenſuit,* (Deum) *animum eſſe per naturam intentum & commeantem, ex quo noſtri animi caperentur, non vidit, diſtinctione animorum humanorum diſcerpi & dilacerari Deum &c. de natura deor. lib. I. p. 9.* Quae quidem Dei notio ſatis oſtendit, alienum a ſuperſtitione & idololatria gentilium fuiſſe Pythagoram, cum vnum tantum Deum agnouerit; minus autem recte de Deo eum ſenſiſſe, ſimul condocet. Immo ab atheismi labe non prorſus immunis eſt, cum Deum pro anima quadam mundi habere videatur; talemque ſimul Deum inducit, qui lacerari & in partes diuidi queat; quod abſurdum eſſe, recte iudicauit CICERO. De anima humana autem ita eum ſenſiſſe, diuinae eſſentiae eam eſſe particulam, quae vt a Deo ſit, ita iterum, poſt varios per corpora varia circuitus, in eius eſſentiam ſit reducenda, ex iis etiam confirmari poteſt, quae hac de re THEODORETVS diſſerit, de *curandis Graecorum affectionib. lib. V. p 516.* & CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. lib. V. p. 590.* Nec mirum, in hanc ſententiam Samium deueniſſe ſenem, cum Aegyptiorum, a quibus plurima hauſiſſe dicitur, eadem, ſi nonnullis cre-

credimus, de Deo animaque hominis philoſophia fuerit. Ab atheiſmo autem illo, qui Deum cum natura confundit, vt talia non procul abſunt; ita & Pythagorae iam olim atheiſmum obiectum fuiſſe, ex THEOPHILO Antiocheno condiſcimus, cuius hac de re locum ex *lib. III. ad Autolycum pag. 120.* iam attuli in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit. cap. I.* §. *XIX. pag. 56.* vbi &, quid pro excuſando Pythagora dici poſſit, oſtendi. Idem THEOPHILVS, Pythagoram etiam adſeruiſſe, dicit, *omnia fortuito fieri, & Deum mortalium nullam curam gerere.* Sed & apud PHOTIVM exſtat locus, *cod. CCXLIX. col. 1316.* vbi inter Pythagoraeorum dogmata recenſetur, *quod Deus ſit in ſummo coeli & duodecim orbium firmamento, nec* (quod nonnulli addunt, in PHOTIO autem non legitur) *vlterius diffundatur, vel praeſens ſit.* Sed iniuriam fieri Pythagorae pariter ac ſectatoribus eius, quippe a quibus prouidentia diuina luculenter adſerta ſit, contendunt alii, ſpeciatim THOMAS REINESIVS, *variar. lection. lib. III. cap. VI. p. 445.* cumprimis autem THOMAS CRENIVS, *animaduerſion. philolog. & hiſt. part. XII. pag. 183.* Admiſiſſe vero Pythagoram, aeque ac Aegyptios, aliasque orientis gentes, ac philoſophos, ſpiritus, conſtat; immo totum aerem plenum eſſe animarum tradidit, easque & daemonas & heroas exiſtimari, atque ab his hominibus immitti ſomnia, & ſigna morbi & ſanitatis; neque ſolum hominibus, verum & pecudibus, & iumentis; atque ad has referri luſtrationes, diuinationesque omnes, & vaticinia, & alia id genus, vt auctor eſt DIOGENES LAERTIVS, *lib. VIII. ſect. XXXII. pag. 514.* Hinc & diuinationi plurimum eum tribuiſſe, IAMBLICHVS adſerit, in *vita Pythagorae, cap. XXVIII. n. I.* Iungenda, quae hac de re collegit THOMAS STANLEIVS, in *hiſtoria philoſophiae part. VIII. p. 765. ſeqq.* Qua quidem ratione ad confirmandam, in quibusdam, ethnicorum ſuperſtitionem, Pythagoricam plurimum contuliſſe philoſophiam, negari nequit. Spiritibus autem cum non tantum aeque ac Platonici, corpora ſubtiliora tribuerent, ſimulque rebus corporeis eos adfici ac moueri, exiſtimarent, facili ratione ad artes magicas exercendas adduci potuerunt. Hinc & nonnulli ex hisce philoſophis magiae ſubierunt ſuſpicionem, a qua tamen Pythagoram ipſum, qui itidem eiusdem criminis reus a quibusdam agitur, non ſine ratione alii abſoluunt.

Ceterum, quod probare incepimus, philoſophos, qui magno numero in hocce temporis interuallo exſtiterunt, dum ſuperſtitionem plebis euitare voluerunt, in alterum ſubinde extremum procurriſſe, id quodammodo equidem ex hactenus dictis patet, longe autem adhuc luculentius reliquorum, qui ad Eleaticam ſectam referri ſolent, exemplo comprobari poteſt. Hisce ſane atheiſmus velut proprius fuiſſe videtur. Xenophanes namque

Colophonius, dum vnum omnia eſſe docuit, idem haud obſcure dixit, quod recentiori aetate BENEDICTVS DE SPINOZA protulit, vnam tantum eſſe ſubſtantiam. Eandem ſententiam ſecuti ſunt Parmenides, Meliſſus, atque Zeno Eleates, quam &, vt tuerentur, eo vsque progreſſi ſunt, vt omnem motum, omnesque adeo generationes atque corruptiones negarent. Acceſſerunt deinde Leucippus atque Democritus, qui dum ex fortuito atomorum concurſu mundum conſtruebant, Dei in eo producendo & conſeruando operam ſibi minus neceſſariam videri, teſtabantur. Hunc equidem ad mortem ſaltem, vt videtur, euitandam introduxit Epicurus, at talem, qui nulla rerum humanarum cura tangeretur. Diuinam enim ab eo negatam prouidentiam, tam manifeſtum eſt, vt dubitari de eo nequeat. Perinde autem hoc erat, ac ſi Deum ipſum negaſſet, cum eiusmodi Numen, quod nullam rerum humanarum curam gerat, ad ſe minime pertinere, adeoque nec cultu religioſo proſequendum eſſe, homines cenſere ſoleant, & vix aliter cenſere queant. Quod enim a quibusdam obuertitur, coli tamen eiusmodi Numen poſſe, ob maieſtatem eximiam atque naturae praeſtantiam, friuolum eſt, & ne dignum quidem, quod refellatur. Cuncta autem qui adcuratius penſitauerit, non dubitabit, Epicurum ad plebis furorem euitandum tantum Dei, aut vt ethnici loqui ſolebant, deorum iniecisse mentionem, cum ipſe reuera nullum crederet, quod & CICERONI recte obſeruatum *lib. I. de nat. deor. p. 123.* Principiis certe Epicuri hoc eſt longe conuenientiſſimum, dum nihil aliud in hocce rerum vniuerſo admittebat, quam atomos & vacuum. Nec veroſimile, tam acuti ingenii philoſophum ſibi ipſi non conſtitiſſe, aut talia adſeruiſſe, quae cum ipſius ſyſtemate non conſentiebant. Atque hinc non tantum, quid de religione cultuque deorum ſenſerint Epicurei, ſed & quae doctrina illorum moralis fuerit, haud difficulter intelligitur; quae etiam aliunde ſatis nota ſunt. Ethnicorum non poterant non improbare ſuperſtitionem, quod & fecerunt ſtrenue, non tantum deorum cultum, & poetarum de iis fabulas, reiicientes, ſed & vaticinia, praedictiones, diuinationes, totumque vanae ſuperſtitionis adparatum irridentes, & ſacerdotum in his omnibus fraudes & impoſturas detegentes. Qua in re vt reliquis philoſophis facile palmam praeripuerunt, ita & vel maxime hoc nomine aliorum obnoxii fuere reprehenſioni. Referendi huc ſpeciatim ſunt, qui ex Democriti ſchola prodierunt, & ob atheismum apud ipſos iam olim male audiuerunt ethnicos, Diagoras, Protagorasque, & huius diſcipulus Prodicus Chius; de quibus ex inſtituto dictum in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. I. §. XIX. pag. 72. ſeqq.* Non multo melioris commatis erant ſceptici ſeu Pyrrhonii; quibus & academicos adnumerare liceat; ſaltem

 eos,

eos, qui ſecundam & tertiam academiam conſtituebant; quamuis me non fugiat, tum hosce inter ſe, tum & a Pyrrhoniis diſcerni ſolere. Siue enim Deum neges, ſiue dubites, num Deus ſit, haud multum differt. Saltem non magis Deum colet, quem exſiſtere dubitat, quam qui diſerte Deum eſſe negat. Dubitaſſe autem ſcepticos, an Deus ſit? vel ex iis patet, quae Cotta, qui academicorum partes tuetur, apud CICERONEM in *libris de natura deorum* disputat. Sic & SEXTVS EMPIRICVS oſtendere conatur, non eſſe, cur Numen eſſe, aut non eſſe, adfirmemus, immo, quod mireris, vtrumque impium eſſe vult, praeſertim, ſi Deus hominibus prouidere dicatur, eo quod quotidie tot mala eueniant; *lib. III. Pyrrhoniar. hypotypoſ. cap. I.* Interim deos, ſecundum receptos cuiusque gentis mores colendos dictitabant, vt ex eodem SEXTO EMPIRICO *l. c.* patet. Populi namque metus haud dubie obſtitit, quo minus ex animi ſui ſententia ſe gererent, aliique in vita communi videri vellent, quam erant, cum philoſophabantur. Atque de Deo quidem ipſo, cum dubitarent, mirum non eſt, de reliquis ad religionem ſpectantibus, prouidentia diuina, animae immortalitate, virtutum poſt hanc vitam praemiis, peccatorumque poenis, non rectius eos ſenſiſſe. Nec poterant non omne virtutis & vitii, honeſti & inhoneſti, tollere diſcrimen, ſimulque adeo ad quiduis perpetrandum, ſummam inducere licentiam. Id certe SEXTVS EMPIRICVS ex inſtituto agit, per integrum librum ſextum *contra mathematicos*, & *lib. III. Pyrrhon. hypotypoſ.* Quam parum itaque tota ſcepticorum & academicorum ſchola ab atheismo abfuerit, inde intelligitur, qui & ſpeciatim Carneadi, huiusque diſcipulo Clitomacho, obiectus fuit; illum quidem fruſtra excuſante CICERONE, de *nat. deor. lib. III. pag. 625.* vt alibi iam obſeruatum.

Atque haec quidem de graecanicorum philoſophorum ſectis, ex quibus Platonica, Ariſtotelica, Stoica & Epicurea maximam celebritatem & diuturnitatem conſecutae ſunt, ideo commemorare viſum fuit, vt, quaenam religionis apud Graecos vera facies fuerit, inde cognoſceretur. Duo autem hinc condiſcere licet. Alterum, philoſophiae, quod tum exortum eſt, lumen, ſuperſtitionis equidem vtcunque dispellere coepiſſe nebulas; nec tamen vt prorſus euerteretur, ſufficiens fuiſſe, pleriſque inſuper philoſophorum ob populi metum in vita communi receptas de diis, eorumque cultu, ſententias ſequentibus. Quod autem philoſophia non potuit, id euangelii deinceps doctrina potuit; cui tamen per philoſophiam, ad ſuperſtitionis regnum labefactandum, via quodammodo praeparata fuit. Alterum, philoſophiam ad emendandos hominum mores, ſuperſtitionemque deſtruendam, non tantum non ſatis fuiſſe validam, ſed plurimis occaſionem

nem dediſſe, vt, cum incaute hac in re verſarentur, ad alterum extremum, ſeu atheismum, praecipites ruerent. Chriſtianae itaque religionis, cuius ſplendore orbis deinceps colluſtratus fuit, in eo quoque conſpicitur praerogatiua, quod non tantum hominum vitiis obicem poſuerit, ſed ad verum Numinis cultum eos erudiendo, atheismum non minus, quam ſuperſtitionem caute euitare docuerit.

§. XIV.

Iudaeorum, quae hocce tempore ſubierunt, fata, & ſcriptorum quorundam profanorum teſtimonio conſtant, & ex iis, quae de Perſarum Graecorumque rebus, deque Alexandri magni ſucceſſoribus iidem commemorant, confirmari poſſunt.* Ad reliquas gentes quod attinet, Perſarum imperium a Cyro ad ſummum potentiae faſtigium perductum, ſed deſtructum iterum ab Alexandro magno, hanc maxime aetatem nobilitauit.** Graeci libertatem primum contra Perſas maſcule defenderunt; quam deinde per inteſtinas diſcordias amiſerunt, a Macedonum rege Philippo, eiusque filio Alexandro magno, ſub iugum miſſi. Et hic quidem Perſicam etiam deſtruxit monarchiam, totumque orientem victoriis ſuis illuſtrauit.*** Eo autem in flore aetatis exſtincto, nulloque ſucceſſore relicto, cum quilibet ex ducibus eius partem imperii ſibi vindicaret, varia inde exorta ſunt regna, ex quibus quatuor praecipua ſurrexerunt, Macedonicum,* Aſiaticum,** Aegyptium*** Syriacum;* ex quibus rurſus potentiſſima fuere Ptolomaeorum in Aegypto, & Seleucidarum in Syria. Interea vero & Romani, eiectis regibus, in libertatem reſtituti, vicinarumque gentium domini, & bellis Punicis defuncti, Graecia ſubiugata, iam Aſiae rebus ſe immiſcere coeperunt, cuncta tandem imperio ſuo complexuri.**

* Iudaeorum in hocce temporis interuallo apud ſcriptores profanos ſubinde mentionem fieri, variis documentis comprobari poteſt. Templum Hieroſolymitanum a Nebucadnezare deſtructum, ſub Cyro reſtaurari coeptum eſſe, ex BEROSO commemorat FL. IOSEPHVS, *contra Apion. lib. I. p. 1045.* CHOERILVM, antiquum poetam, idem laudat, *l. c.* adſerentem, Iudaeos cum Xerxe, Perſarum rege, contra Graecos militaſſe, immo & ipſa CHOERILI hac de re verba adfert. Quod vt a vero non abhorret, ita falſum contra & ſupra quoque iam exploſum, quod IVSTINVS refert, *primum Xerxem, Perſarum regem, Iudaeos domuiſſe, lib. XXXVI. cap. III.*

HERODOTVM, qui in hocce temporis interuallo vixit, Iudaeorum itidem mentionem facere, conſtat, dum Phoenices atque Syros, qui ſunt in Palaeſtina, hoc eſt, Iudaeos, circumciſionem ab Aegyptiis accepiſſe, confirmat, *lib. II. cap. CIV.* quod quo iure ab eo adſeratur, ſupra iam inquiſiuimus, ad *per. I. ſect. III.* §. *IV. p. 221.* Eundem HERODOTI locum & FL. IOSEPHVS laudat, *l. c. p. 1047.* qui & ibidem ad ARISTOTELIS teſtimonium apud CLEARCHVM, philoſophum peripateticum nobiliſſimum, in libro de *ſomno*, prouocat. Iudaeos enim Indorum philoſophorum, qui Calani vocantur, propaginem eſſe, & in Syria Iudaeos a loco dici, Ariſtoteles autumat, ſimulque Iudaeum iſtum, qui ad ſe in Aſia degentem venerit, ob ſcientiam & eruditionem valde laudat. Verum, quantum huic CLEARCHI teſtimonio tribuendum ſit, ad §. *XII.* huius ſectionis diſputauimus. Tum porro HECATAEVM ABDERITAM laudat IOSEPHVS, qui ἀνὴρ φιλόσοφος ἅμα καὶ περὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατος illi audit. Eundem porro cum Alexandro magno nutritum, & cum Ptolomaeo Lagi non obiter commoratum, integrum de ipſis Iudaeis compoſuiſſe librum, teſtatur, ex quo inſigne ibidem fragmentum adfert, quod & ex eodem repetit EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. IV.* Hiſce IOSEPHVS AGATHARCHIDEM CNIDIVM ſubiungit, qui ſucceſſorum Alexandri res geſtas conſcripſit, Iudaeorumque ſimul attigit conditionem, & inter alia, quo pacto Ptolomaeus Lagi vrbe Hieroſolyma potitus ſit, commemorat. Ex eodem auctore & idem iam adduxerat *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. I. p. 388.* quem eius locum ad §. *V.* huius ſectionis exhibuimus. Adiungit IOSEPHVS his & alios, de quibus aliquid dicere, huius loci non eſt. Id ſaltem addendum, Antiochi epiphanis, in templum Hieroſolymitanum, ipſumque ſanctum ſanctorum, ingreſſum, ſcriptoribus quibusdam ethnicis memoratum. Hinc enim non tantum APIONI occaſio calumniae, de capite aſini ab Antiocho in ſancto ſanctorum viſo, enata, ſed DIODORVS quoque SICVLVS, Antiochum virum aſino inſidentem ibi inueniſſe teſtatur, in *excerptis* apud PHOTIVM *cod. CCXLIV. p. 1150.* Hanc vero calumniam dum refellit FL. IOSEPHVS, POLYBIVM, STRABONEM, NICOLAVM DAMASCENVM, aliosque ſcriptores laudat, qui, quae Antiochus contra Iudaeos geſſit, deſcripſerint, nec tamen, quod aliquid deriſione dignum in templo inuenerit, memoriae prodiderint; *lib. II. contra Apion. p. 1065.* Hi omnes itaque rerum inſimul iudaicarum meminerunt. Conferenda, quae ad §. *VII.* huius ſectionis diximus.

** De Cyri, a quo Perſarum conditam Monarchiam nouimus, origine, rebusque geſtis, vsque ad Babylonici imperii deſtructionem, iam dictum eſt ad *ſection. praeced.* §. *XV.* Subacta autem Aſia, & vniuerſo oriente in poteſtatem redacto, Scythis, ſeu ſecundum HERODOTVM, Maſſagetis,

tis, bellum intulit, quibus Tomyris regina, fortiſſima mulier, eo tempore imperabat. Cumque Scythas ebrietate oppreſſos per inſidias magna clade adfeciſſet, filio Tomyris, qui copiis praeerat, vna interfecto, ipſe rurſus ad anguſtias a Scythis fugam ſimulantibus perductus, cum ducentis millibus Perſarum trucidatus eſt. *In qua victoria*, inquit IVSTINVS, *etiam illud memorabile fuit*, *quod ne nuntius quidem tantae cladis ſuperfuit*, additque, caput Cyri amputatum iuſſu reginae in vtrem humano ſanguine repletum coniectum, cum hac exprobratione crudelitatis: *Satis te ſanguine*, *quem ſitiſti*, *cuiusque inſatiabilis ſemper fuiſti*, *lib. I. cap. VIII.* Eundem fere in modum & HERODOTVS rem refert, *lib. I. cap. CXXIV.* DIODORVS autem SICVLVS captum Cyrum crucique adfixum narrat, *lib. II. cap. XLIV.* τὸν Κῦρον, inquit, *αἰχμάλωτον γενόμενον ἀνεσταύρωσε. Cyrum captum cruci adfixit.* XENOPHON haec omnia ignorat. Placida namque morte Cyrum in aedibus ſuis occubuiſſe, memorat, cum ſalutaria de concordia & amore fraterno monita dediſſet, atque ad praeſentes de animae immortalitate, ac finibus bonorum & malorum, diſſeruiſſet; *Cyropaed. lib. VIII. cap. VII. p. 539. ſeqq.* Imperauit Cyrus XXIX annis finitis, ſecundum HERODOTVM, ſeu triginta inchoatis, ſecundum CTESIAM, IVSTINVM, aliosque. Quo pacto hoc ei a magis praedictum ſit, CICERO commemorat, *lib. I. de diuinat. cap. XXIII.* Duplicem a chronologis epocham Cyri conſtitui, primam regni Perſici, alteram Babylonici, notum eſt, & ex ſupra dictis conſtat.

Succeſſorem habuit Cambyſem, filium, hominem improbum, atque crudelem, adeoque patri prorſus diſſimilem, qui *Esdr. IV. 6.* Ahasuerus vocatur. Conferenda, quae ad §. *I.* huius ſectionis diximus. Hic imperio patris Aegyptum adiecit. Amaſis namque rex Aegypti pro filia, quam Cambyſes in coniugium petierat, veritus, ne pro pellice haberetur, Nitetidem, Apries anteceſſoris filiam, ſubſtituerat. Qua de re plura HERODOTVS *lib. III. cap. I. ſeqq.* Sunt, qui aiunt, Nitetidem Cambyſi blanditiis admodum placuiſſe, ipſique hoc bellum perſuaſiſſe, vt patris ab Amaſi rege occiſi, necem vindicaret. Mortuo interea Amaſi, Cambyſes victoria ad Peluſium potitus, Aegyptumque ingreſſus, Pſammenitum Amaſis filium ſanguine taurino propinato exſtinxit, multa crudeliter deſignauit, & in corpus quoque Amaſis furorem ſuum effudit. Bene factum, quod, vt IVSTINVS ait, *ſuperſtitionibus Aegyptiorum offenſus*, *Apis*, *ceterorumque deorum aedes dirui iuſſit*, *lib. I. cap. IX.* at quod homo ethnicus communes Deos, Iouem, Vulcanum, pariter ſpoliatum iuit, impietate non caret; conf. HERODOTVS *lib. III. cap. XXV. & XXXVII.* Contra Aethiopes expeditionem ſuſcepit, infelici exitu. Deficiente enim commea-

meatu, magnaque hinc exercitus parte amiſſa, re infecta redire in Aegyptum coactus eſt. Alium eodem tempore miſerat exercitum ad Ammonis nobiliſſimum templum expugnandum, qui tempeſtatibus & arenarum molibus oppreſſus interiit; HERODOTVS *lib. III. cap. XX. ſeqq.* IVSTINVS *lib. I. cap. IX.* Dum in Aegypto haerebat, ſomnio, quo fratrem Smerdin in ſolio ſedentem, coelumque capite contingere viderat, deluſus, miſſo Prexaſpe fratrem interemit. Quo facinore perpetrato, duo magi, iidemque fratres, coniurauerunt, quorum alterum, Patizithem dictum, Cambyſes rei domeſticae curatorem reliquerat. Hic fratrem ſuum Cambyſis fratri cognominem, formaque ſimillimum, in ſolium extulit. Quam rem edoctus Cambyſes, ſumma feſtinatione domum redire ſecum conſtituit, ſed in Syria cum eſſet, inſilienti in equum gladius vagina excidit, femurque lethali vulnere ſauciauit; ex quo & mortuus eſt, cum annis ſeptem & quinque menſibus regnaſſet. Copioſius HERODOTVS haec exponit, *lib. III. cap. LXIV.* qui & de furore eius, inceſtu, ſummaque crudelitate plura commemorat.

Poſt Cambyſis obitum Prexaſpe pernegante, Smerdim Cambyſis fratrem a ſe fuiſſe interfectum, Smerdis magus, ſe Cyri filium ſimulans, per menſes VII rerum potitus eſt. Quem HERODOTVS Smerdim vocat, IVSTINVS Oropaſten, CTESIAS autem Spenhadatem adpellitat. Eo facilius autem fraus procedebat, quod Perſiae regibus in more poſitum erat, ſub ſpecie maieſtatis in occulto verſari; dabantque inſuper magi diligenter operam, ne quis praeter domeſticos, ad regem admitteretur. Vt populi autem fauorem ſibi conciliaret, benignum & liberalem ſe praebuit, tributorum grauiori exactione remiſſa, & conceſſa militiae vacatione in triennium. Quae res cum Oſtani, viro nobili, ſuſpecta eſſet, explorata per filiam, quae inter regias pellices erat, veritate, eaque per Prexaſpis confeſſionem confirmata, ſeptem principes, quos inter & Darius Hyſtaſpis filius fuit, conſpiratione inita, Smerdim cum aliis magis, qui ipſum tuebantur, interficiunt. Tantique Μαγοφονίας hoc facinus Perſis viſum, vt in eius memoriam feſtum inſtituerent, ac quotannis celebrarent; vid. HERODOTVS *lib. III. cap. LXXVIII.* In ſcriptura ſacra pſeudo-Smerdis iſte, Arthaſaſta vocatur; *Eſdr. IV. 7. Occiſis magis, magna quidem gloria recepti regni principum fuit, ſed multo maior in eo, quod cum de regno ambigerent, concordare potuerunt.* Ita recte IVSTINVS *lib. I. cap. X.* Tandem, cum diu multumque de forma reipublicae conſtituenda diſputaſſent, inter eos conuenit, vt ſub ortum ſolis conſcenſis equis, cuius equus hinnitum primum edidiſſet, is Perſarum imperium obtineret. Quod auſpicium cum Dario Hyſtaſpis filio, Ochanis equiſonis ſui arte obtigiſſet, ceteri

ri ex equis deſilientes, Darium regem ſalutauerunt, regnum illi a Deo decretum arbitrati. Solem namque Deum eſſe, Perſae credebant, & equos ei ſacros habebant. Multum profuit Dario, quod Cyrum genere attingeret, cuius etiam φαρετροφόρος fuerat. Vt eo magis autem regnum ſibi firmaret, Atoſſam, Cyri filiam, quae Cambyſi fratri, & deinceps Smerdi mago nupſerat, praeter hanc vero Artyſtonam eius ſororem, itemque Parmyn, Smerdis, Cyri filii filiam, & Phaedimam denique Oſtanis filiam, qui pſeudo-Smerdim prodiderat, in matrimonium duxit; vid. HERODOTVS *lib. III. cap. LXXXVIII.* Imperium in viginti prouincias diuiſit, quibus totidem ſatrapas praefecit, tributo ſingulis gentibus impoſito, vnde κάπηλος *inſtitor* dictus eſt, quemadmodum Cambyſen *dominum*, Cyrum autem *patrem* vocabant. Dum magi regnum Perſarum turbabant, defecerant Babylonii; quos Darius, vrbe Babylone fraude Zopyri occupata, iterum imperio ſuo ſubmiſit. Rem praeter HERODOTVM *lib. III. cap. CLIII.* exponit IVSTINVS *lib. I. cap. X.* Expugnata Babylone, aduerſus Scythas expeditionem ſuſcepit, conſcripto ſeptingentorum millium hominum exercitu, praeter claſſem, quae ſexcentis conſtabat nauibus. Mediam namque Scythae inuaſerant, vt auctor eſt HERODOTVS *lib. IV. cap. CXXX.* IVSTINVS vero ait, cum Iancyri Scytharum regis filiae nuptias non obtinuiſſet, Darium Scythis bellum intuliſſe, *lib. II. cap. V.* Quem Iancyrum IVSTINVS vocat, HERODOTVS Indathyrſum, CTESIAS Scytarcen, OROSIVS Attyram adpellitat. Scythis autem pugnae copiam non facientibus, metuens Darius, ne interrupto ponte Iſtri reditus ſibi intercluderetur, amiſſis octoginta millibus hominum, trepidus refugit. Ita IVSTINVS *l. c.* qui & addit: *quae iactura, abundante multitudine, inter damna numerata non eſt.* Iungenda tamen, quae HERODOTVS hac de re memorat, *lib. IV. cap. CXXX. ſeq.* Hinc Iones a Cyro, Croeſo debellato, Perſarum imperio ſubiectos, nunc autem duce Hiſtiaeo Mileſio frenum mordentes, nauali proelio ſuperatos, aliiſque cladibus adfectos, ad officium redire coegit. Dum autem Athenienſes Ionibus auxilia mittunt, accedentibus & aliis cauſſis, bellum inter Perſas & Graecos exoritur, in quo Miltiadis ductu rex incredibilem cladem in campo Marathonio accepit. Nota haec ſatis ſunt ex HERODOTO, *lib. V. cap. XCVII. ſeqq.* IVSTINO, *lib. II. cap. IX.* CORNELIO NEPOTE, in *vita Miltiadis*, aliiſque. Haec dum gerebantur, Aegyptii a Perſarum imperio deficiebant: quos dum iterum ad obſequium reducere Darius laborat, nouumque ſimul contra Athenienſes bellum molitur, in ipſo tantarum rerum adparatu diem ſupremum obiit; cum antea Xerxem filium, quem ex Atoſſa Cyri filia ſusceperat, ſucceſſorem in regno declaraſſet; conf. HERODOTVS *lib. VII. cap. VII.* Imperio per

annos XXXVI praefuit, animoque erga Iudaeos benigno fuit, concedens illis, vt templi ſtructura promoueretur. Qua de re ſupra ad §. *I.* huius ſectionis, ex inſtituro dictum.

Xerxes ſecundo poſt mortem Darii patris anno, aduerſus rebelles Aegyptios exercitum duxit, quos debellatos, & in arctiorem, quam ſub Dario fuerant, ſeruitutem redactos, Achaemeni fratri ſuo gubernandos tradidit. Tum expeditionem in Graeciam ſuſcepit, olympiade LXXV. Placuit namque ei patris conſilia proſequi, & Marathonianam vlciſci cladem; ſuadente idem Mardonio, itemque Piſiſtratidis, aliiſque, qui ex Graecia profugi in Perſiam ſe receperant. Claſſem Xerxis mille & ducentarum nauium fuiſſe, quam duo millia onerariarum ſint ſecuta, terreſtres autem copias DCC M peditum, & equitum CCC M, CORNELIVS NEPOS auctor eſt, in *Themiſtocle.* Graeci ſcriptores omnia mirum in modum exaggerant, monteſque perfoſſos, & maria pontibus ſtrata nobis narrant. De Atho monte ab eo perfoſſo, POMPONIVS MELA, *lib. II. cap. II.* Quod an verum ſit, diſputat ISAACVS VOSSIVS ad *h. l.* Certe parum credibile ſibi videri, teſtatur PETRVS BELLONVS, *obſeruation. lib. I. cap. XXXV.* Iudaeos quoque in exercitu Xerxis fuiſſe, ex CHOERILO poeta FL. IOSEPHVS docet, *lib. I. contra Apion. p. 1047.* Sed tantis conatibus euentus non reſpondit. Nam ad Thermopylas a Lacedaemoniis terreſtri proelio, & bis nauali ad Artemiſium & Salamina, Themiſtoclis Athenienſis virtute ſuperatus, & ad fugam compulſus fuit. Nec Mardonius, quem cum reliquiis exercitus in Graecia reliquit, meliori vſus eſt fortuna, Pauſaniae Lacedaemonii auſpiciis ad internecionem apud Plateas Boeotiae deletus. IVSTINVS, Mardonium fuga euaſiſſe, ait, *lib. II. cap. XIV.* DIODORVS SICVLVS autem *lib. XI. cap. XXXI.* & CORNELIVS NEPOS in *Pauſania cap. I.* proelio cecidiſſe tradunt. Addit IVSTINVS: *Caſtra referta regalis opulentiae capta; vnde primum Graecos, diuiſo inter ſe auro Perſico, diuitiarum luxus cepit.* Eodem die, quo duce Pauſania terreſtri proelio apud Plateas, nauali etiam apud Mycalem, Ioniae promontorium, ducibus Leotychide Lacedaemonio, & Xanthippo Athenienſi, & poſt paullo Cimone duce apud Cyprum, & iterum terreſtri proelio, ad Eurymedonta Pamphyliae fluuium, Perſae a Graecis victi ſunt & profligati. Conſtant haec ex DIODORO SICVLO, *lib. XI.* PAVSANIA, in *Laconicis & Boeoticis*, PLVTARCHO, in *vita Themiſtoclis*, IVSTINO, *lib. II. cap. XIV.* CORNELIO NEPOTE, in vita *Pauſaniae*, *Cimonis* &c. Magnopere autem fallitur IVSTINVS, dum, Xerxem, Perſarum regem, primum Iudaeos domuiſſe, ait, *lib. XXXVI. cap. III.* Rebus in Graecia infeliciter geſtis, ſuis etiam contemptui eſſe coepit, tandemque ab Artabano praefecto, in ſpem regni adducto, interfectus eſt; quod copio-

ſius

ſius IVSTINVS ediſſerit, *lib. III. cap. I.* Vitia Xerxis, libidinem, inceſtum cum fratris vxore, parricidia, ſacrilegia, HERODOTVS enarrat, *lib. VII. cap. VII.* Templa deorum ab eo ſpoliata, & diruta, imaginesque profanatas, valde conqueruntur ſcriptores graeci; quod tamen ex religione Perſica facere potuit, quae nec templa ferebat, nec ſimulacra. Imperio praefuit annis xx, ſucceſſoremque habuit Artaxerxem filium, *longimanum* dictum

Hic Artabanum, ſcelera eius & molitiones a Baccabaſo edoctus, ſua manu interfecit, filiosque eius occidi iuſſit, & ita patris fratrisque natu maioris manibus parricidarum ſanguine parentauit; vid. IVSTINVS *lib. III. cap. I.* Imperii ſui rebus compoſitis, Themiſtoclem patria eiectum, proceribus Perſarum fruſtra repugnantibus, ſuſcipit. Contra perduelles Aegyptios, qui ab Inaro, Afrorum rege, vt Perſarum iugum excuterent, ſe induci paſſi ſunt, auxiliaribus Graecorum fretos, primum aduerſo Marte pugnauit, ſed totam demum Aegyptum ſubegit, praeter Amyrtaeum, regem eorum, qui in paludibus degebant. Claſſi etiam Graecorum, in Aegyptiorum auxilium venienti, magna illata clades. Sed mutata poſtmodum belli fortuna, cum nauali proelio Graeci Perſas viciſſent, Artaxerxes, ne Cyprum amitteret, pacem cum Athenienſibus iniit. Pluribus haec ediſſerunt DIODORVS SICVLVS, *lib. XI. p. m. 54.* & *lib. XII. p. m. 74.* THVCYDIDES, *lib. I. p. m. 71.* & *lib. IV. p. 285.* CTESIAS, in *Perſicis*, *apud* PHOTIVM *cod. LXXII. p. m. 119.* PLVTARCHVS, in *Themiſtocle*, itemque in *Cimone*. De Megabyzo, qui defectione ſua ſub Artaxerxe Perſicum imperium turbauit, legenda, quae ex CTESIA refert PHOTIVS *l. c.* Propenſiſſimo regem huncce erga Iudaeos fuiſſe animo, ex iis quae ad §. *II.* & *III.* huius ſectionis diſſeruimus, abunde conſtat. Imperio praefuit annis XLI. Filium vnicum legitimum ex vxore Damaſpia reliquit, Xerxem II, ſpurios autem XVII, in quibus erant Sogdianus, quem CTESIAS Secundianum vocat, Ochus & Arſites. Xerxes autem a Sogdiano interfectus eſt, quadrageſimo quinto die poſt patris obitum, vt CTESIAS auctor eſt *l. c.* Annum vnum imperii a quibusdam illi tribui, DIODORVS SICVLVS teſtatur, *lib. XII. p. 74.* Sogdianus ab Ocho iterum ſublatus eſt, poſtquam ſex menſes & dies viginti regnaſſet. Ochus hicce, cum imperium adeptus eſſet, Darius vocari voluit, ſed nothus quoque cognomine dictus eſt, quod ſpurius eſſet. Sororem Pariſatidem more Perſarum in vxorem duxit, cuius voluntati & conſilio plurimum tribuebat. Ex ea, priusquam imperio admotus eſſet, Ameſtrin filiam, & Arſacen filium ſusceperat; deinceps vero plures liberos, interque eos Cyrum, genuit. Variis ſub eo motibus concuſſum fuit Perſarum imperium; excuſſerantque iugum Aegyptii, quos & ad obſequium reducere non potuit. Medos autem, frena itidem morden-

 tes,

tes, duplici aduerſus eos ſuſcepta expeditione, compeſcuit; cumque eodem tempore Peloponneſium bellum acerrime in Graecia gereretur, Lacedaemoniorum partibus ad opprimendos Athenienſes acceſſit. Nota haec ſunt ex CTESIA, in *Perſicis*, apud PHOTIVM *cod. LXXII. p. 119. ſeqq.* DIODORO SICVLO, *lib. XII. & XIII.* THVCYDIDE, *lib. VIII. p. 593.* XENOPHONTE, *hiſtor. graec. lib. I. p. 435.* Mortuus eſt Darius hicce Babylone, cum annos regnaſſet nouendecim.

Excepit eum in imperio filiorum natu maximus, Arſaces, mutato nomine Artaxerxes, & a memoriae felicitate *mnemon* dictus. Multum ei negotii faceſſiuit Cyrus frater, quem circa regni initium catenis aureis iam vinctum, vt interficeretur, precibus ac lacrymis matris dedit, incolumemque ad praefecturam, quam hactenus obtinuerat, in Lydia ac maritimis ciuitatibus, remiſit. Cyro autem non conquieſcente, ſed militem externum vndique conquirente, ad arma deuentum, proelioque commiſſo, Artaxerxes quidem ab ipſo Cyro per loricam in pectore vulneratur; Cyrus vero dum ſecunda pugna elatus, incautius in hoſtem fertur, ab alio quodam percuſſus, occumbit, Artaxerxe tum furori ſuo adeo nullum ponente modum, vt crudeliſſime in corpus fratris ſaeuiret. Fuſius haec enarrantur a CTESIA, qui apud Artaxerxem medici munere fungens, vulnus eius ſe curaſſe ſcribit, in *Perſicis* apud PHOTIVM *l. c.* itemque a XENOPHONTE, qui & ipſe expeditioni huic interfuit, atque ſtrenui ducis partibus praeclare functus eſt, in Κύρȣ ἀναβάσεως, ſeu *de expeditione Cyri, libris ſeptem;* quos quidem ſub Themiſtogenis Syracuſii nomine eum ſcripſiſſe, nonnulli exiſtimant, cum ipſe XENOPHON Themiſtogenem de expeditione Cyri ſcripſiſſe, adfirmet, *de rebus Graecor. lib. III. circa init.* Fieri tamen potuit, vt Themiſtogenes aeque ac XENOPHON de iſta expeditione ſcriberet. Saltem, quam hodie habemus, de iſta expeditione hiſtoriam, ab ipſo XENOPHONTE ſcriptam eſſe, rationibus euidentiſſimis euincit GERARDVS IOANNES VOSSIVS, *de hiſtor. graecis lib. I. cap. II.* Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Victo atque interfecto Cyro, Artaxerxi bellum vlterius aduerſus Lacedaemonios ſuſtinendum fuit, quorum copiis Ageſilaus dux praeerat. Sed Cononis, Athenienſis, qui Perſicae claſſi praeerat, virtute ita apud Cnidum concuſſi ſunt Lacedaemonii, vt, quantumuis Ageſilaus in proelio ad Coroneam nutantes ſuorum res quodammodo ſeruaſſet, pacem tamen a Perſis petere cogerentur. Conditiones pacis Lacedaemoniis ignominioſae fuere, vt graecae per Aſiam ciuitates ſub Perſarum regis ditionem redirent, reliquae liberae eſſent, & ſuis legibus a Graecis regerentur. Antalcidae pax iſta dicta fuit, ab Antalcida, legato a Lacedaemoniis ad regem miſſo, quae etſi Thebanis pariter ac Athenienſibus valde diſpliceret, nihilominus & ipſi, vtpote tanto regi impares, leges eius re-

recipiebant. Conſulendi hac de re DIODORVS SICVLVS, *lib. XIV.* & PLVTARCHVS, in *Artaxerxe.* Tum arma in Euagoram Cypri regem ſumpta, qui poſt decennale bellum Cypri vrbes omnes Perſis cedere coactus, Salamina ſaltem ea lege retinuit, vt quotannis tributum ſolueret, & imperata facere paratus eſſet. Aegyptiis quoque magnam cladem intulit, ſed Pharnabazi & Iphicratis ducum diſcordia victoriae perdidit fructum. Sed extremis Artaxerxis temporibus, variarum gentium defectionibus, Perſarum res peſſum iuere. Iidem, quos antea laudauimus, auctores, PLVTARCHVS ac DIODORVS haec pluribus exponunt. Domeſticae quoque eum tandem excepere calamitates, Dario, filio natu maiori, quem in imperii conſortium adſumſerat, cum fratribus quinquaginta (ex pellicibus enim cxv filios ſuſceperat) contra patrem conſpirante, eo tamen tandem euentu, vt coniuratione detecta, omnes parricidii poenas darent. Copioſius haec IVSTINVS enarrat, *lib. X. cap. I.*. Obiit Artaxerxes mnemon anno imperii ſui quadrageſimo tertio.

Succeſſit ei filius Artaxerxes Ochus, qui *parem coniurationem timens, regiam cognatorum caede, & ſtrage principium replet, nulla, non ſanguinis, non ſexus, non aetatis miſericordia permotus*, vt IVSTINVS loquitur, *lib. X. cap. III.* Aduerſus Phoenices, Cypriosque, iugum quaſſantes, feliciter bellum geſſit, memorabilisque Sidonis vrbis interitus. Aegyptios quoque in ordinem redegit, Nectanebo rege in Aethiopiam ſe recipere coacto. Legendus de hisce DIODORVS SICVLVS, *lib. XVI. p. 532.* Pherendate, Aegypti ſatrapa conſtituto, Babylonem cum exercitu rediit, & ingentem Iudaeorum multitudinem captiuam ſecum abduxit, pluribus in Hyrcaniam ad mare Caſpium deportatis; vid. EVSEBIVS, in *chron. num. MDCXLVII.* OROSIVS, *lib. XXXI. cap. VII.* conf. & FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XI. cap. VI.* Imperii tandem eius anno vigeſimo tertio aegrotantem Bagoas eunuchus, militum tribunus, medici opera, veneno e medio ſuſtulit, vt praeter DIODORVM SICVLVM, AELIANVS commemorat, *var. hiſtor. lib. VI. cap. VIII.* Aegyptius enim cum Bogoas eſſet, iniuriam Apidi ab Artaxerxe illatam vindicare hac ratione voluit. Interemto Artaxerxe idem Bagoas filium eius natu minimum, Arſen, regem conſtituit, quem vt eo magis obnoxium ſibi haberet, omnes eius fratres itidem vita priuauit. Tandem & ipſum Arſen, cum intellexiſſet, ſe ſcelerum ſuorum illi daturum poenam, cum regia prole, anno imperii eius tertio, e medio ſuſtulit, atque Darium, quem Arſamis filium nonnulli vocant, alias Codomannum dictum, ad ſupremum rerum in Perſia faſtigium euexit. Hunc AELIANVS ex ſerua natum, ait, *var. hiſtor. lib. XII. cap. XLIII.* ſaltem ex regia familia genitum, negant STRABO, *geogr. lib. XVI.* & IVSTINVS. *lib. X.*

 cap.

cap. III. DIODORVS vero SICVLVS eum Ochi ex fratre nepotem fuiſſe, auctor eſt, *lib. XVII. p. 665.* Quidquid eius ſit, magnam in bello aduerſus Caduſios, ab Artaxerxe mnemone geſto, virtutis ſibi pepererat laudem. Imperio iam admotum, cum Bagoas itidem medicata potione vita priuare vellet, inſidiis patefactis, rex poculum Bagoae tradidit, & ad illud ebibendum vi hominem adegit, vt DIODORVS SICVLVS refert *l. c.* Continuo acerboque bello ab Alexandro magno laceſſitus, tribusque proeliis ad Granicum amnem, in Ciliciae faucibus, & ad Arbela, deuictus, & Aſiae regno ſpoliatus eſt. A Nabarzane denique atque Beſſo, qui contra eum conſpirauerant, dum fugientem Alexander inſequebatur, in curru compedibus aureis vinctus, multisque vulneribus confoſſus, miſere periit, anno imperii ſui, vt quorundam fert opinio, quinto. Nota haec ſunt ex DIODORO SICVLO, ARRIANO, PLVTARCHO, Q. CVRTIO RVFO, IVSTINO, aliisque, qui de rebus ab Alexandro magno geſtis expoſuerunt. Ex dictis etiam intelligitur, duraſſe regnum Perſicum annos circiter CCIV, aut ſi Dario Codomanno ſeptem annos tribuas, quod nonnulli faciunt, CCVII. Hisce ſi addas annos XXII quibus Cyrus in Perſia rerum potitus eſt, priusquam Babylonicum imperium occuparet, exſurgit inde numerus annorum CCXXIX. Atque hicce licet proxime haud dubie ad veritatem accedat numerus, non omnes tamen in eo conſentiunt, eſtque magna de imperii huius duratione inter chronologos controuerſia; de qua conf. AEGIDIVS STRAVCHIVS, in *breuiar. chronolog. part. ſpecial. lib. IV. cap. XXII. quaeſt. VII. pag. 553.* add. MELCHIOR LEIDECKERVS, *de republ. Ebraeor. tom. II. lib. V. cap. IV. p. 364. ſeqq.*

** Vt, quae in Graecia, & a Graecis in hocce temporis interuallo geſta ſunt, breuiter quidem, ſed ordine tamen, exhibeamus, initium nobis faciendum eſt ab Athenienſibus. Apud hos quo pacto Piſiſtratus tyrannidem occupauerit, dictum eſt ad *ſect. praeced.* §. *XV.* Eo mortuo, filius eius Hippias tyrannidem continuauit; ſed occiſo fratre eius Hipparcho, Hippias ipſe pulſus eſt, cum annos XVIII poſt patris obitum praefuiſſet. Atque ita tandem Alcmaeonidarum opera, & auxilio Lacedaemoniorum, Piſiſtratidarum dominatus Athenis exſtinctus eſt, anno ante Marathonium proelium viceſimo; quod pluribus ediſſerit THVCYDIDES, *lib. VI. p. m. 449. ſeqq.* Hippias autem ex patria eiectus, cum ad Perſas ſe contuliſſet, Darium Hyſtaſpidem ob bellum Ionicum Athenienſibus iratum, non tantum magis contra eos irritauit, ſed belli quoque ducem eidem ſe obtulit. Cum namque Hiſtiaeus, Mileti tyrannus, cum genero ſuo Ariſtagora in eo eſſet, vt Iones ad defectionem a Perſarum imperio ſollicitaret, Ariſtagoras fruſtra tentatis Lacedaemoniis, ab Athenienſibus

ſibus viginti nauium auxilium impetrauit. Erat vero & Macedonibus iratus Darius, eo quod Alexander, Amyntae regis filius, legatos Perſarum, petulantius in conuiuio domi ſuae laſciuientes, occidiſſet. Hosce itaque cum vna cum Thracibus, finitimisque regionibus, ſibi ſubieciſſet, legatos in Graeciam miſit, qui aquam & ignem poſcerent. Hac enim formula Perſae vti ſolebant, cum ab aliis gentibus, vt illorum ſe ſubmitterent imperio, poſtulabant. Paruerunt Aeginetae: ſed renitentibus reliquis, ingenti cum exercitu in Graeciam venit, claſſeque ad Euboeam adpulſa, Eretriam cepit, indeque in Atticam progreſſus, copias ſuas in campum Marathonium deduxit. Ibi commiſſo proelio, ab Athenienſibus victi non tantum Perſae, ſed memorabili etiam clade adfecti ſunt. Exercitus Athenienſium decem ſolum millium fuit; e quibus nouem millia Athenienſium fuere, & mille Plataeenſium. Miltiadis in hocce proelio maxime enituit virtus, a plurimis Graecorum ſcriptoribus celebrata, qui & certatim Marathoniae mentionem iniecerunt victoriae. Inter alios vero & Hippias, qui Darium ad bellum hocce concitauerat, in proelio iſto cecidit. Dum vero Darius in eo erat, vt bellum contra Athenienſes inſtauraret, morte oppreſſus, curam hancce filio Xerxi relinquere coactus eſt. Conſtant haec praecipue ex HERODOTO, *lib. VI.* & CORNELIO NEPOTE in *vita Miltiadis.* Patris voluntati morem geſturus, cladem que Marathoniam vindicaturus Xerxes, ingenti quidem cum exercitu Graecis bellum intulit, ſed euentu infelici, vt antea iam, cum inter Perſiae reges verba de eo faceremus, expoſuimus. Interea Athenienſes dirutae vrbis moenia ſumma diligentia, opus vrgente Themiſtocle, fruſtra renitentibus Lacedaemoniis, reſtaurant, eiusdemque Themiſtoclis conſilio portum in Piraeeo faciunt, cum Phalerico hactenus vterentur. Pauſanias vero ad depellenda barbarorum praeſidia a Graecis cum claſſe in Cyprum & Helleſpontum miſſus, capto Byzantio, moras ibi faciens, occulta cum Perſis de prodendis Graecis conſilia iniit: quibus patefactis, a Lacedaemoniis domum reuocatus, tandemque perfidiae conuictus, cum in Palladis templum fugiſſet, fame ibi necatus eſt. Athenienſes interim, Graecos populos, Pauſaniae ſuperbia a Lacedaemoniis alienatos, per Ariſtidem ſibi adiunxere, qui & in inſula Delo commune aliquod conſtituere aerarium, in quod ad bellum contra Perſas ſuſtinendum ſinguli quotannis aliquid conferrent, cenſum de tota Graecia ſumma integritate agente Ariſtide, qui & cognomen *iuſti* meritus eſt. Eandem minime laudem retulit Themiſtocles, qui poſt Pauſaniae necem a Lacedaemoniis proditionis accuſatus, ad Perſas abiit, ſusceptusque eſt ab Artaxerxe longimano. Viuente adhuc Xerxe hoc factum contendit DIONYSIVS PETAVIVS, in *rationar.*

nar. temp. part. II. lib. V. cap. X. Reliqua, quae sub Artaxerxe longimano, Dario notho, & Artaxerxe mnemone, Graecos inter atque Perſas interceſſere negotia, iam attigimus antea, cum de Perſarum rebus verba faceremus. Hocce etiam tempore odia inter Lacedaemonios & Athenienſes magis magisque gliſcere coeperunt. Cum Helotes & Meſſenii a Lacedaemoniis defeciſſent, Athenienſes, vt opem ferrent, acciti ſunt. Quod dum facere parant, hoſtes ab Archidamo compreſſi, & ſuſpecta iam Athenienſium auxilia dimiſſa ſunt. Eam rem grauiter ferentes Athenienſes, pecuniam, quae erat in ſtipendium Perſici belli ab vniuerſa Graecia collata, a Delo Athenas transferunt, ne deficientibus a fide ſocietatis Lacedaemoniis, praedae ac rapinae eſſent. Ita IVSTINVS, *hiſtor. lib. I. cap. VI.* Meſſeniacum hocce, cuius hic mentionem fecimus, bellum, tertium fuit. De duobus prioribus dictum ad *per. II. ſect. IV.* §. *XXXV.* Socios praeterea, quos opinione comitatis ac iuſtitiae Athenienſes ſibi conciliauerant, conuerſis in ſuperbiam moribus, ita offenderunt, vt Thaſii & Aeginetae ad Lacedaemonios ſeſe reciperent. Velitationes hinc inter vtramque gentem, immo mutuae hinc inde in agros incurſiones, & varia atrociſſimorum, quae deinceps orta ſunt, bellorum praeludia. Tricennalium equidem induciarum pactione vtcunque haecce bella ſopita ſunt, anno III olympiadis LXXXIII. Interim Samii, ab Athenienſibus deficientes ad Lacedaemonios, a Pericle perdomiti ſunt, & Corinthii contra Corcyraeos, & eorum ſocios, Athenienſes bellum mouerunt, nauali ſuperandi proelio. Lacedaemoniis hinc enata occaſio conquerendi, violatas ab Athenienſibus inducias. Indeque belli Peloponneſiaci, quod quinquageſimo poſt Xerxis e Graecia diſceſſum anno enatum, ſcriptores fide digni tradiderunt, initium.

Auctores belli Lacedaemonios IVSTINVS prodit. Tricennalium enim induciarum cum inieciſſet mentionem, addit: *ſed tam longum otium inimicitiae non tulerunt. Itaque quinto decimo anno* (vel vt alii legendum cenſent: *intra quintum decimum annum*) *rupto foedere, cum contemptu deorum hominumque, fines Atticos populantur*; *lib. III. cap. VII.* Alii in Periclem culpam conferunt, oratorem pariter ac ducem ea aetate longe clariſſimum, quippe qui ſeptem millibus talentum expenſis, ne rationes reddere cogeretur, permiſcere omnia maluerit. Cum Atticam populati eſſent Lacedaemonii, interiecto aliquo temporis ſpatio Athenienſes naues conſcendunt, & nihil ſentientibus Lacedaemoniis, omnem eorum regionem depraedantur, multoque plura auferunt; quam amiſerant. A Pericle haec ſuſcepta eſt expeditio, de quo addenda, quae IVSTINVS habet, *lib. III. cap. VII.* Poſt biennium autem & ſex menſes, quam bellum ini-

Digitized by Google

initium ſumſerat, Pericles, peſtilentia, quae anno ſecundo ſaeuiſſima graſſari coeperat, moritur. Anno quarto Lesbii & Mitylenaei ab Athenienſibus defecerunt, a Pachete duce deinceps recipiendi, & aegre ab internecione ſeruandi. Cum anno decimo belli iſtius Cleo dux Athenienſium, & Braſidas Lacedaemoniorum ad Toronam in acie cecidiſſent, quinquaginta annorum vtrinque factae ſunt induciae. Interea anno belli decimo ſexto Siciliam adgreſſi ſunt Athenienſes, vt Aegeſtanis & Leontinis contra Syracuſanos opem ferrent. Nicia, & Alcibiade, & Lamacho ducibus creatis, *tantis viribus*, inquit IVSTINVS, *Sicilia repetitur, vt ipſis terrori eſſent, in quorum auxilia mittebantur*; *lib. IV. cap. IV.* Sed Alcibiades abſens, ob ſacra Cereris reuelata, ſacrilegii poſtulatus, domumque reuocatus, Lacedaemonem ſe recepit, & ad auxilia Syracuſanis, ea efflagitantibus, ferenda Lacedaemonios impulit. Ab his ergo miſſus Gylippus, duobus quidem proeliis victus, congreſſus tertio, occiſo Lamacho, & hoſtes in fugam compulit, & ſocios obſidione liberauit. Cumque Athenienſes a bello terreſtri ad nauale ſe transtuliſſent, Gylippus itidem claſſem Lacedaemone cum auxiliis arceſſit; quo cognito, Athenienſes in locum amiſſi ducis Demoſthenem & Eurymedonta cum ſupplemento copiarum mittunt, Peloponneſiis contra communi ciuitatum decreto Syracuſanorum cauſſam tuendam ſuſcipientibus. Tum terra marique aliquoties victi Athenienſes, magnisque adfecti ſunt cladibus. Ex ducibus Eurymedon in acie cecidit, Demoſthenes amiſſo exercitu ſeipſum interfecit, Nicias autem cladem ſuorum auxit dedecore captiuitatis; conf. IVSTINVS, *lib. IV. cap. V.* Sed in Aſia quoque in periculum adductae ſunt res Athenienſium, accedente ad partes Lacedaemoniorum Dario notho, ſocietateque per Tiſſaphernem Lydiae praefectum, cum iis inita. Alcibiades autem, qui plurima hactenus patriae mala intulerat, & tributarias etiam Athenienſium in Aſia ciuitates auctoritate nominis ſui ad defectionem induxerat, cum virtus eius apud Lacedaemonios plus inuidiae, quam gratiae ei contraxiſſet, Tiſſaphernis ab eis abalienauit animum; hinc, vt cum Athenienſibus in gratiam rediret, operam dedit; quorum cum ad illum veniſſent legati, amicitiam regis iis pollicitus eſt, ſi res publica a populo translata ad ſenatum foret. Quod cum obtinuiſſet, mox res eo peruenit, vt reuocatus Alcibiades claſſi praeficeretur. Praeclara hinc a Lacedaemoniis reportata victoria, Athenas reuerſus, ſumma omnium laetitia excipitur. Sed Lacedaemonii Perſarum freti auxilio, exercitum Athenienſium in Aſia ſparſum, opprimunt. Quamobrem Alcibiades, populi impetum veritus, denuo in exilium proficiſcitur. Licet autem Conon Alcibiadis loco exercitui praeficeretur, tandem tamen Athenienſes ad

Ae-

Aegos potamos victi, & ita debilitati ſunt, vt vrbs ipſa in Lacedaemoniorum poteſtatem veniret. Delendum tum nonnulli Athenienſium nomen, vrbemque incendio conſumendam cenſuerunt; at negarunt Lacedaemonii, ſe ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos, pacem polliciti, ſi demiſſa Pyraeeum verſus muri brachia deiicerent, nauesque, quae reliquae forent, traderent, resque publica ex ſemet ipſis triginta rectores acciperet. In has leges traditam ſibi vrbem Lacedaemonii, Lyſandro formandam tradiderunt; vid. IVSTINVS, *lib. V. cap. IX.* Atque ita tandem finis bello Peloponneſio impoſitus, quod XXVII annorum ſpatio circumſcribitur. Inchoatum namque eſt anno circiter XXXIV Artaxerxis longimani, cum is ſecundum THVCYDIDEM, *lib. III. p. 285.* anno ſeptimo belli iſtius mortuus ſit, cum regnaſſet annos XL, (aut, vt alii volunt, XLI.) Cumque Darius nothus Perſarum imperio praefuerit annos XIX, ſequitur, finitum hocce bellum eſſe anno circiter ſecundo Artaxerxis mnemonis. Ex inſtituto hoc deſcripſit THVCYDIDES, quocum conferendi XENOPHON, *bellenic. lib. II.* DIODORVS SICVLVS, *lib. XIII.* CORNELIVS NEPOS, in *Alcibiade*, *Lyſandro*, *Conone*, PLVTARCHVS in *Lyſandro*, IVSTINVS *locis* ſubinde *citatis.*

Cum autem triginta iſti, qui conſtituti erant, reipublicae rectores, inaudita in ciues crudelitate graſſarentur, plurimosque, qui iis inuiſi erant, aut eiicerent, aut interficerent, aut bonis ſpoliarent, plerique fuga ſibi conſuluerunt, Graeciaque Athenienſium exulibus repletur. Quod etiam ipſum auxilium cum miſeris Lacedaemonii eriperent, edicto prohibentes, ne quis exules reciperet, Argiui atque Thebani crudelitatem iſtam Lacedaemoniorum deteſtantes, benigne miſeros ſuſceperunt. Tandem Thraſibulus, vir ſtrenuus & domi nobilis, pro patria & ſalute communi aliquid audendum ratus, collectis exulibus, tyrannos iſtos adgreditur, proelioque victos, vrbe relicta Eleuſina migrare cogit; immo, cum id agerent, vt tyrannidem recuperarent, per inſidias captos interficit, ſancita Athenis ἀμνηςία (nonnulli enim Athenienſium a partibus tyrannorum ſteterant) qua ſinguli ἔχωσι ἃ ἔχωσι, *habeant, quae haberent*: vid. XENOPHON, *bellenic. lib. II. p. m. 84. ſeqq.* IVSTINVS, *lib. V. cap. IX. ſeqq.* Reſtituta itaque Athenis libertas, anno IV olymp. XCIV, quarto ab eadem vrbe capta. Eodem tempore Cyrus iunior, qui Graecorum, inprimis Lacedaemoniorum, fretus auxilio, arma contra fratrem Artaxerxem mnemonem ſumſerat, in proelio caeſus interiit; Graecorumque auxiliares copiae ad quinque millia ex decem redactae, duce inter alios Xenophonte, non ſine magnis periculis in Graeciam euaſere. Lacedaemonii autem rebus ſecundis elati, & ad Aſiae imperium adſpirantes, Tiſſaphernem, quem vna cum Pharnabazo Artaxerxes Aſiae praefecerat

cerat, ad partes ſuas pertrahunt. Pharnabazus contra cum iſta intellexiſſet, apud regem effecit, vt Conon Athenienſis claſſi praeficeretur. Lacedaemonii itaque Ageſilaum regem cum ingentibus copiis in Aſiam mittunt, qui & multa praeclare fortiterque ibi geſſit. Occiſo autem a Perſarum rege Tiſſapherne, cum Boeotii, Athenienſes, aliique contra Lacedaemonios conſpiraſſent, domum reuocatus, proelio ad Coroneam nutantes res ſuorum quodammodo ſeruauit; quae, cum & ad Gnidum nauali certamine Lacedaemonii a Perſis, Conone duce victi eſſent, valde eo tempore adflictae erant, ac labefactatae. Praeter XENOPHONTEM *bellenic. lib. IV.* hac de re agunt PLVTARCHVS atque CORNELIVS NEPOS, vterque in *Ageſilao*. Poſt proelium ad Coroneam commiſſum, collatum eſt omne bellum circa Corinthum, ideoque *Corinthium* eſt adpellatum. Exules namque Corinthios defendebant Spartani, oppidanis ſtudebant Athenienſes, Thebani atque Argiui. Poſt octo tandem annos praeualuerunt Lacedaemonii, & exules reſtituti ſunt. Initium huius belli incidit in annum tertium olympiadis XCVI. DIODORVS SICVLVS illud attingit, *lib. XIV.* & CORNELIVS NEPOS, in *Ageſilao cap. V.* & *Iphicrate cap. II.* Haec dum gerebantur, Artaxerxis mnemonis in Aegyptum, quae defecerat, bellum mouentis opera, pax inter Graecos ſtabilita fuit. Non Graecorum is fauebat commodis, ſed ſuos in Graecia detineri nolebat exercitus; vid. IVSTINVS, *lib. VI. cap. VI.* Sed non diuturna fuit iſta Graecorum concordia; quin immo recrudeſcente bello, acrius inter ſe dimicarunt. Lacedaemoniis enim, priſtinum decus recuperaturis, acriter reſtiterunt Thebani, Athenienſes, aliique. Celebrantur hac aetate Chabrias, Iphicrates, Timotheus, duces Attici, quibus Ageſilaum, Cleombrotum, alios, oppoſuerunt Spartani. Apud Thebanos Pelopidae maxime & Epaminondae enituit virtus. Varia hinc commiſſa proelia, in quibus, praeſertim ad Leuctra, & ad Mantineam, Lacedaemoniorum ita attritae vires ſunt, vt nunquam eas recuperare potuerint. Iam in Peloponneſo dominabantur Thebani, cuncta pro lubitu agentes, victoriisque elati, de maris etiam imperio cogitabant; ſed mortuo ex vulnere, quod in proelio ad Mantineam acceperat, Epaminonda, cum imperatore etiam imperium Thebanorum deſiit. Reliqua DIODORVS SICVLVS dabit, *lib. XV.* & CORNELIVS NEPOS, in *Epaminonda.* Obiit Epaminondas anno II olympiad. CV. Anno ſequenti ſeu tertio olympiados CV *ſociale*, quod vocatur, bellum (*συμμαχικὸς πόλεμος*) conflatum eſt, & ab Athenienſibus contra Byzantios, Rhodios, Coos, Chios, quod a ſocietate defeciſſent, acerrime geſtum, ſed anno quarto finitum eſt, territis per famam Perſici auxilii, quod hoſtibus veniret, Athenienſibus. Eo in bello Chabrias, dux

 Athe-

Athenienſium, periit; CORN. NEPOS, in *Chabria cap. IV.* DIODORVS SICVLVS, *lib. XVI.* Secutum eſt bellum, quod *ſacrum* vocatur, idque Graeciae liberae vltimum. Occaſionem bello Thebani dedere, quibus cum parum eſſet, Lacedaemonios & Phocenſes armis eieciſſe, eosdem apud commune Graeciae concilium ſuperbe accuſauere. Lacedaemoniis crimini datum, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupaſſent, Phocenſibus, quod Boeotiam depopulati eſſent; vel, vt alii volunt, quod agri ſacri nonnihil tenerent. Ab Amphictyonibus itaque ad mulctam, quam ſoluere non poterant, damnati Phocenſes, cum agris, liberis, coniugibusque priuarentur, rebus deſperatis, Philomelo quodam duce, velut Deo iraſcentes, Apollinis, quod Delphis erat, templum diripiunt, pecuniamque inde adepti, conducto mercenario milite, bellum Thebanis inferunt. Factum autem Phocenſium licet omnes exſecrarentur, plus tamen inuidiae Thebanis, a quibus ad hanc neceſſitatem compulſi fuerant, quam ipſis, attulit. Cumque Phocenſes ab Athenienſibus & Lacedaemoniis adiuuarentur, Thebani ad Philippum Macedoniae regem confugiunt. Atque huic quidem id valde opportunum accidit, quippe qui iam dudum veluti e ſpecula quadam libertati omnium Graeciae ciuitatum inſidiabatur; earumque adeo contentiones alebat, auxiliumque ferendo inferioribus, victos pariter ac victores regiam tandem ſubire ſeruitutem coegit. Huius ergo opera oppreſſi Phocenſes, vrbibus eorum ſolo aequatis, praeter Abas, quae ſacrilegii participes non fuerunt. Coepit hocce bellum anno II olympiad. CVI, annoque decimo, poſt quam initum erat, finitum eſt.

Seriem atque ſucceſſionem Macedoniae regum ad huncce Philippum vsque, ſupra exhibuimus, ad *per. II. ſect. IV. §. XXXV.* Philippus hicce, pater Alexandri magni, Amyntae fuit filius; de quo, eiusque in regno Macedonico anteceſſoribus, iisque, quae de illis memoratu digna, vid. IVSTINVS *lib. VII. cap. I. II. ſeqq.* Conſtat, eum Thebis obſidem apud Epaminondam aliquamdiu vixiſſe, cuius diſciplina quantum profecerit, deinceps demonſtrauit. Mortuis fratribus, Alexandro, Ptolomaeo Alonite, & Perdicca, regnum obtinuit, anno II olympiad. CV. Primum illi cum Athenienſibus certamen fuit, quibus per inſidias victis, metu grauioris belli, cum interficere omnes poſſet, incolumes ſine pretio dimiſit. Quae res magnam illi & gratiam & auctoritatem conciliauit. Paeoniis hinc atque Illyriis bello ſuperatis, Theſſalos, non praedae cupiditate, ſed quod exercitui ſuo robur Theſſalorum equitum adiungere vellet, ex improuiſo adoritur, atque in ſuam poteſtatem redigit. Debellatis ita finitimis, & confirmato iam Macedoniae regno, Graecorum ſe immiſcendi rebus, bellum iſtud ſacrum, de quo antea dictum, peroportunam prae-

praebebat occaſionem. Dum in eo erat, Cappadociam Macedonum imperio adiecit, Thraciamque inuaſit, Olyntho vrbe nobili & praepotente expugnata atque deleta. Eodem hoc contigit tempore, quo bello ſacro eſt finis impoſitus, olympiade cvii. Quo quidem in bello ita ſe geſſit, vt vtrique parti callide imponeret; vid. IVSTINVS *lib. VIII. cap. III. IV. V.* Mortuo poſtea Arymba rege Moloſſorum, Alexandrum, vxoris ſuae Olympiadis fratrem, excluſo Aeacida Arymbae filio, regem facit. Toti porro Graeciae cum bellum inferre ſecum ſtatuiſſet, Byzantium obſidione cinxit, exhauſtisque opibus, piraticam exercet, Scythiam, vt praedam conſequeretur, inuadit, atque cum Triballis, reuertenti tranſitum negantibus, pugnat. Graecorum autem conſenſu territus, Byzantii obſidionem ſoluit, pacemque cum Athenienſibus facit, olympiade cx; qua anno tertio diſſoluta, cum iisdem Athenienſibus & Boeotis ad Chaeroneam conflixit; quo in proelio, etſi Athenienſes numero militum longe praeſtarent, fortiterque pugnarent, victi tamen profligatique ſunt a Macedonibus. *Hicce dies*, inquit IVSTINVS, *vniuerſae Graeciae & gloriam dominationis, & vetuſtiſſimam libertatem finiuit; lib. IX. cap. III.* Moderate autem admodum iſta victoria vſus eſt, idque operam dedit, vt vniuerſae Graeciae nomine dux contra Perſas eligeretur. Legatis hinc omnium ciuitatum Corinthum euocatis, pacis leges, pro meritis ſingularum ciuitatum conſtituit, auxiliaque iisdem contra Perſas imperat. Haec dum animo voluebat, in ipſa ludorum celebritate, quos Aegis in Macedonia peragebat, a Pauſania, ſtipatore corporis ſui, Olympiadis coniugis & Alexandri filii, vt nonnulli volunt, conſilio, ex improuiſo confoditur. Praeter IVSTINVM *locis citatis*, de Philippi rebus legendus DIODORVS SICVLVS, *lib. XVII.* atque PLVTARCHVS, in *Alexandro.* Excepit Philippum Alexander, cui res praeclare feliciterque geſtae *magni* cognomen peperere. Anno aetatis vigeſimo, occiſo patre Philippo, regnare coepit, quo ipſo anno & Darius Codomannus apud Perſas rerum ſummam adeptus eſt. Prima ei cura fuit, vt regni ſui res componeret & firmaret, gentesque vicinas a patre deuictas, in fide & obſequio contineret. Mox & communibus Graeciae, praeter Lacedaemonios, ſuffragiis, aeque ac pater ipſius Philippus, ad bellum Perſis inferendum, imperator eligitur. Sed dum in Triballis & Illyriis agebat, Graeci ab eo deficiunt. Id vero cum percepiſſet, tanta celeritate, inſtructo paratoque exercitu, Graeciam oppreſſit, vt, quem venire non ſenſerant, videre ſe vix crederent. Ab Athenienſibus itaque ceterisque placatus, contra Thebanos, qui pertinacius in ſententia manebant, arma ſumſit, & vrbem illorum vi expugnatam, funditus euertit. Grauius namque in eos animaduertendum cenſuit, ne quid in Aſiam profectu-

rus in Graecia metuendum relinqueret. Tum Helleſponto traiecto in Aſiam venit, exercitum triginta millium peditum, & quater millium ducentorum equitum ducens. His tam exiguis copiis, in quibus tamen viri longe fortiſſimi fuere, Perſarum euertit imperium. Primum ad Granicum, Phrygiae fluuium, commiſſum proelium, quo fuſi fugatique Perſae Aſiam fere omnem, Graecorum frequentatam coloniis, Alexandro conceſſere, inſulas interim populante Memnone Graeco, Darii duce fortiſſimo. Profligatis altero proelio ad Iſſum Ciliciae Perſarum copiis, in Phoeniciam progreſſus eſt, Tyrumque vrbem, pertinacius reſiſtentem, ſtupendis operibus expugnat, expugnatamque ſolo aequat. An eodem tempore Hieroſolymam, a Iaddo, ſummo ſacerdote, exceptus, venerit, ſupra iam diſputauimus. Poſt Aegyptum ingreſſus, Ammonis Iouis oraculum adiit, & inde reuertens Alexandriam condidit. Tandem omni orientis robore ad Arbela profligato, & Dario, vt ſupra diximus, in ſuorum inſidias illapſo, ad Indum vsque & oceanum, profectus, victricia vndique arma circumferens, & gentes varias ſuo ſubmittens imperio, barbarorum, quos vicerat, mores induebat, diuinis quoque expetitis honoribus. Adulatione porro corruptus, luxui & crapulae addidit crudelitatem, nonnulloſque ex amicis, optime de patre ac de ſe meritos, occidit. Babylonem vero regreſſus, anno regni ſui decimo tertio, hoc eſt, annis duodecim & ſex menſibus exactis, Babylone ex morbo, quem ebrietate contraxerat, vel, vt alii volunt, veneno, obiit, cum annum aetatis trigeſimum iniiſſet. Ingens eſt illorum numerus, qui de Alexandro magno egerunt, quos diligenter recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. lib. III. cap. VIII. p. 207. ſeqq.* Praecipui in his ſunt DIODORVS SICVLVS, *lib. XVII. & XVIII.* ARRIANVS NICOMEDIENSIS, *libris VIII.* de *expeditione Alexandri*, PLVTARCHVS, in *Alexandro*, Q. CVRTIVS RVFVS, de *rebus geſtis Alexandri*, IVSTINVS, *lib. I. cap. XI. ſeqq.*

Exornarunt hanc, in qua verſamur, aetatem, viri ingenio atque doctrina longe praeſtantiſſimi, poetae, oratores, hiſtorici atque philoſophi. Et in illo quidem temporis ſpatio, quod ab initio Perſicae monarchiae per Babylonicae euerſionem a Cyro conditae, vsque ad obitum Darii Hyſtaſpidis, initiumque Xerxis effluxit, celebrantur Simonides, Phocylides, Anacreon, poetae, & inter philoſophos Xenophanes Colophonius, Pythagoras, de quo iam ſupra dictum, Heraclitus Epheſius, atque Zeno Eleates. Poſt Xerxis in Graeciam expeditionem vsque ad bellum Peloponneſiacum floruerunt, philoſophi quidem, Anaxagoras, Socrates, Democritus, Empedocles, & medicorum princeps Hippocrates, poetae autem Pindarus, Aeſchylus, Sophocles, Euripides, cui atheiſmum obiectum alibi nobis obſeruatum eſt, ali-

liique. Euripidi coaeuus a nonnullis ſtatuitur Protagoras Abderites, quem ab Athenienſibus itidem atheiſmi damnatum conſtat. Socrati coaeuus fuit Ariſtophanes, comicus, qui & eum ſubinde in comoediis ſuis traduxit. Tempore autem belli Peloponneſiaci vsque ad Alexandrum magnum, celebritatem conſecutus eſt inter philoſophos Plato, quem in ſchola eius excepit Speuſippus; tum Ariſtoteles, peripateticae ſectae conditor, atque a Philippo, Macedonum rege, Alexandro filio, vt litteris eum imbueret, moresque formaret, praefectus. Obiit vero Ariſtoteles anno tertio olympiad. CXIV, cum biennio ante Diogenes Sinopenſis, cynicae ſectae magiſter, mortuus eſſet. Hiſtorici porro nobiliſſimi Herodotus atque Thucydides ad initium belli Peloponneſiaci referuntur. Qua de re ex PAMPHILA AVL. GELLIVS: *Hellanicus, Herodotus, Thucydides, hiſtoriae ſcriptores, in iisdem temporibus fere laude ingenti floruerunt; & non nimis longe diſtantibus fuerunt aetatibus. Nam Hellanicus initio belli Peloponneſiaci fuiſſe quinque & ſexaginta annos natus videtur; Herodotus tres & quinquaginta, Thucydides quadraginta; noct. Atticar. lib. XV. cap. XXIII.* Addendus his Xenophon, Socratis diſcipulus, philoſophiae non minus quam rerum fortiter geſtarum gloria clarus. Copiis enim Graecorum, qui Cyro iuniori, cum fratre Artaxerxe bellum gerenti, auxilio mittebantur, eum ducem praefuiſſe, ſupra iam commemorauimus. Obiit Corinthi anno primo olympiad. CV. Eudoxus Cnidius, qui aſtronomorum ea aetate habitus eſt princeps, circa olympiadem CIII floruit. Iſocrates porro, inter Graeciae oratores non vltimum locum tenens, natus olympiade LXXXVI, eo anno obiit, quo ad Chaeroneam victi ſunt Athenienſes. Cteſiam Cnidium, medicum & hiſtoricum, Artaxerxis mnemonis & Cyri tempore vixiſſe, vel inde liquet, quod medici apud illum functus ſit munere, vti iam ſupra ex PHOTIO obſeruauimus. Inter poetas Choerilus Samius, olympiade nonageſima quarta floruit, quem Lyſander in comitatu ſuo habere ſolebat, vt res a ſe geſtas celebraret. Olympiadem centeſimam octauam Aeſchines, atque Demoſthenes, oratorum, quos Graecia tulit, facile praeſtantiſſimi, nobilitarunt. Hi initio pacis cum Philippo Macedonum rege ineundae auctores Athenienſibus fuerunt, ſed poſtea Demoſthenes ad Athenienſes pariter ac reliquos Graecos contra Philippum excitandos, omnes ingenii & eloquentiae neruos intendit. Cum varia expertus fata eſſet, obiiſſe anno ab Alexandri obitu tertio, dicitur. Multa de hisce aliisque, quos Graecia eo tempore tulit, viris, ingenio & doctrina florentiſſimis dici poſſent; ſed alium haec locum poſtulant.

*** Mortuo Alexandro, cum is ſucceſſorem deſignare noluiſſet, totidem fere reges emerſere, quot erant duces atque praefecti. Maxima tamen

men initio Perdiccae fuit auctoritas, & potentia, quippe cui moriens Alexander annulum tradiderat. Titulus equidem regis Aridaeo, quem Philippus ex Philinna, ſaltatrice & ſcorto, ſusceperat, datus, cui & Philippi nomen impoſitum; ſed, cum is non ſatis mentis compos eſſet, Perdiccas curatoris ſimul munere fungi iuſſus eſt. Tum vero prouinciae atque praefecturae inter principes ducesque exercitus diuiſae. Quae ſingulis obuenerint, apud IVSTINVM legere licet, *lib. XII. cap. IV.* qui & & recte addit: *cum haec diuiſio veluti fatale munus ſingulis contigiſſet; ita magna incrementorum materia plurimis fuit. Siquidem non magno poſt tempore, quaſi regna, non praefecturas, diuiſiſſent, ſic reges ex praefectis facti, magnas opes non ſibi tantum parauerunt, verum etiam poſteris reliquerunt.* Diuiſiſſe Alexandrum, cum ſe moriturum intelligeret, regnum inter nobiliſſimos, qui cum ipſo educati fuerant, hosque poſt eius mortem regia ſibi impoſuiſſe diademata, *I. Maccab. I. 7. 8.* adſeritur. Sed merito hoc reiicitur, cum magno conſenſu ſcriptores, qui de rebus Alexandri egerunt, DIODORVS, IVSTINVS, CVRTIVS, ARRIANVS, PLVTARCHVS, aliique, tradant, Alexandrum, dum viueret, regnum non diuiſiſſe, ſed id demum poſt eius obitum factum eſſe. Acerrima autem inter praefectos iſtos, quorum plurimi regum nomen titulumque ſumſerunt, eorumque ſucceſſores ac poſteros, exorta ſunt bella, quibus ſe inuicem lacerarunt, minus potentibus a potentioribus oppreſſis, donec tandem omnes Romanorum ſubire iugum cogerentur. Quatuor tamen inter reliqua, ex hac diuiſione enata, eminuerunt regna, Macedonicum, Aſiaticum, Aegyptiacum & Syriacum.

Macedonia Antipatro obtigit, quippe qui viuo adhuc Alexandro eidem praefuit. Nuntiato autem Alexandri obitu, Athenienſes, quod diu ante moliti fuerant, bellum Macedonibus pro libertate inferunt, pellectis in ſocietatem plerisque Graecorum. Antipater acie victus, Lamiam, quod Theſſaliae oppidum eſt, confugit, & diu obſeſſus liberari non prius potuit, quam, Leoſthene, Athenienſium duce, inter oppugnatores occiſo, auxilia transmarina aduenirent. Verum his quoque Graecorum virtute profligatis, Craterus ex Cilicia cum veteranis euocatus, res nutantes ſtabiliuit, & ſecundo proelio Athenienſium ſocios coegit, vt pacis leges ab Antipatro acciperent. Hisce vero & Athenienſes, cum ſoli belli molem ſuſtinere non poſſent, ſe ſubmiſerunt; vid. DIODORVS SICVLVS, *lib. XVII. cap. CXI.* & *XVIII. cap. IX. ſeqq.* Antipatro mortuo, Caſſander filius eius, nomine Aridaei regis, Macedoniae praefuit, & ex nutu Eurydices, Aridaei coniugis, cuncta gerit. In Graeciam profectus multis ciuitatibus bellum infert, earumque excidio aliis terrorem iniicit. Interea per Olympiadem, Alexandri magni matrem, Ma-

Macedoniae ſtatus turbatur, eiusque iuſſu & rex Aridaeus cum coniuge Eurydice, interficitur. Aduentante autem Caſſandro, Macedonibus diffiſa, in Pydnam vrbem concedit, in qua capta Caſſandri itidem iuſſu interficitur, qui & deinceps duos Alexandri filios, Herculem ex Barſine, & Alexandrum ex Roxane ſuſceptos, e medio ſuſtulit; conf. PAVSANIAS, in *Boeoticis p. 287.* IVSTINVS, *lib. XIV. cap. VI.* Macedonico autem regno potitus eſt Caſſander anno III olympiad. CXV, ſimulque Theſſalonicen, Alexandri magni ſororem, in matrimonium duxit. Interea inter duces ſucceſſoresque Alexandri, qui in Aſia bella grauiſſima inter ſe geſſerunt, Antigonus eminere coepit, vtque reliquos etiam oppimeret, contra Caſſandrum atque Ptolomaeum bellum inſtaurauit, vna cum Demetrio filio, qui poliorcetae cognomen adeptus eſt. Obtentui ſumebat, ſe Olympiadis, a Caſſandro interfectae, mortem vlciſci velle, & Alexandri regis ſui filium cum matre obſidione Amphipolitana liberare; vid. IVSTINVS *lib. XV. cap. I.* Olympiade enim Pidnae occiſa, Roxane cum filio Alexandro Amphipolin abducta eſt, vt ibi cuſtodiretur. Vterque porro & Antigonus, & Demetrius profitebatur, ſe Graeciae ciuitates, quarum libertatem Caſſander oppreſſerat, recuperare velle. Pleraſque etiam Demetrius legibus ſuis reſtituit, imprimis Athenas, anno decimo quinto, poſtquam Lamiaco bello, (de quo antea dictum) in ſeruitutem venerant, detracto praeſidio, priſtinae libertati reddidit. Contigit hoc anno ante natum Chriſtum CCCVII, ſeu anno ſecundo olymp. CXVIII, quo tempore & tam Antigonus & Demetrius, quam reliqui ſucceſſores Alexandri, regium ſibi nomen & inſignia ſumſere. Poſt haec, cum reliquis Antigoni hoſtibus & Seleucus ſe adiunxiſſet, commiſſo ad Ipſum Phrygiae oppidum praelio, Antigonus ipſe in acie occubuit, Demetrius autem fuga ſaluti ſuae conſulere neceſſe habuit. In Graeciam ergo cum ſe recepiſſet, ab Athenienſibus excluſus eſt, quorum tamen vrbem poſt anni obſidionem expugnauit, pulſo Lachare, qui tyranni inſtar ei hactenus imperitauerat. Summa autem in victos lenitate vſus, praeter libertatem omnia reſtituit, ſimulque contra Lacedaemonios arma conuertit. Iis etiam cum rege Archidamo ſuperatis, iam in eo erat, vt Spartam ipſam obſidione cingeret, cum mutata rerum in Macedonia facies illum eo vocaret. Mortuus paullo ante Caſſander, ex Theſſalonica tres filios reliquerat, Philippum, Antipatrum, & Alexandrum. Mortuo vero etiam poſt vnius anni regnum Philippo, Antipater & Alexander de imperio contendebant. Theſſalonice cum propenſior in Alexandrum videretur, ab Antipatro filio, cum vitam etiam per vbera materna deprecaretur, occiditur. Alexander itaque ad mortem matris vlciſcendam Pyrrhum Epirotam, mox & Demetrium, in auxilium vocat.

Demetrius ſine mora aduolat, pulſisque Pyrrho & Antipatro, Alexandro interfecto, Macedoniae regnum ſibi vindicauit; anno III olymp. CXXI. Legendus PLVTARCHVS, in *Demetrio*, & IVSTINVS, *lib. XVI. cap. I. II.*

Regno ergo Macedonico potitus Demetrius, dum ad Aſiam recuperandam ingentem exercitum comparat, Seleucus, Lyſimachus, Ptolomaeus & Pyrrhus conſilia viresque contra eum coniungunt. Macedonia itaque eiectus, ac ciuitatum reliquarum defectione territus, Seleuco ſe tradere cogitur. Tum Pyrrhus Epirota regno Macedoniae potitus eſt, cui mox Lyſimachus Thraciae rex illud eripuit, quem rurſus Seleucus Syriae rex proelio victum vita regnoque ſpoliauit, poſt ſeptem menſes iterum interficiendus a Ptolomaeo cerauno, Ptolomaei Lagi ex Eurydice filio. Atque hic quidem cum Arſinoen ſororem ſuam, Lyſimachi viduam, in matrimonium duxiſſet, mox eius filios immani crudelitate interfecit, matre in exilium expulſa. Perfidiae autem ſaeuitiaeque promeritas poenas dedit, dum a Gallis, qui eo tempore Macedoniam inuadebant, captus vitam ferro amiſit; IVSTINVS, *lib. XVII. cap. II.* & *lib. XXIV. cap. II. III.* Deſperatas Macedoniae res vnius principis virtus Soſthenis erexit, qui barbaros exſultantes victoria repreſſit, ac Macedoniae finibus expulit, eoque merito regnum eſt conſecutus; IVSTINVS *lib. XXIV. cap. V.* Commemorantur ante Soſthenem Meleager & Antipater; qui tamen ſolum aliquot menſium aut dierum reges fuere. De Gallorum, quorum antea facta mentio, in Thraciam & Graeciam expeditione, praeter IVSTINVM *lib. XXIV. cap. IV. ſeqq.* legendus eſt PAVSANIAS, in *Phocicis*, *p.335.* Poſt Soſthenem Antigonus Gonata, Demetrii poliorcetae filius, apud Macedonas regnum adeptus eſt. Hic feliciter quidem contra Gallos pugnauit, at a Pyrrho Epirotarum rege regno ſpoliatus, ad eam redactus eſt ſortem, vt non tam de regno recuperando, quam vita conſeruanda, ſollicitus eſſet. Pyrrho autem, dum Argos oppugnabat, qua in vrbe Antigonum concluſum tenebat, occiſo, Antigonus non tantum regnum recuperat, ſed & Peloponneſios ſibi ſubiicit, & Athenienſibus bellum infert. Rurſus equidem cum Alexander, Epiri rex Pyrrhique filius, patris mortem vindicaturus, Macedoniam ingreſſus eſſet, regnum cum exercitu amiſit; ſed Demetrius Antigoni filius, puer admodum, abſente patre, reparato exercitu, non ſolum Macedoniam recepit, verum etiam Epiri regno Alexandrum ſpoliauit; vid. IVSTINVS *lib. XXV. cap. I. II. XXVI. I. II.* Interea Achaeorum res publica magis magisque efflorescere coepit. Ea paullatim in Peloponneſo coaluerat, fundamentis quidem circa olympiadem CXXIV iactis. Tum enim Dymaei, Patrenſes, Tritaeenſes & Pharaeenſes concordiam inierunt, ad quos & reliqui deinceps acceſſerunt; vid.

vid. POLYBIVS *lib. II. p. 179.* Enituit ea in re vel maxime virtus Arati Sicyonii, qui anno aetatis vigeſimo graecas vrbes, quae a tyrannis per id tempus pleraeque obtinebantur, ab eorum, nec non Macedonum iugo liberare, adgreſſus eſt. Aegre id ferebant Macedonum reges, qui in plerisque ciuitatum graecarum tyrannos aut ipſi collocauerant, aut iam per ſe conſtitutos, praeſidio ſuo firmabant. Impedire tamen non poterant, quo minus virtute & induſtria Arati plurimae ciuitates federi huic Achaico adiunctae, libertatem reciperent; quemadmodum & ſuperſtite adhuc Antigono Gonata, Sicyon & Corinthus, eiecto illinc tyranno, hinc Macedonum praeſidio, ad fedus illud acceſſere.

Mortuo Antigono Gonata, filius Demetrius Macedoniae regnum obtinuit, qui cum & ipſe exactis annis decem, relicto Philippo filio paruulo, deceſſiſſet, Antigonus, cognomine *doſon*, eo quod daturum, quod petebatur, identidem aiebat, dictus, tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem ſe conſtitui, laborabat; IVSTINVS *lib. XXVIII. cap. III.* Haec dum contingebant, Aratus Sicyonius ad liberandam Graeciam omne ſtudium ſuum contulit. Neque Atticam ſolum iugo Macedonum exſoluit, ſed Argiuos, Hermiones, Phliaſios, aliosque ad idem fedus accedentes, recepit. Dum vero Aetoli & Lacedaemoniorum rex Cleomenes huic Achaeorum inſtituto aduerſabantur, bellum exortum eſt, in quo cum hoſtibus impares eſſent, Achaei, Antigonum, qui *doſon* dictus eſt, in auxilium vocarunt; idque vt obtinerent, arcem Corinthiam illi tradiderunt, graecique nominis ducem terra marique renuntiarunt. Accedentibus ad idem fedus & aliis populis, auctae illorum vires ſunt; tandemque, commiſſo ad Selaſiam proelio, ab Antigono victus eſt Cleomenes. Et hic quidem ad Ptolomaeum euergetem ſe recepit, ille autem cum Lacedaemoniis libertatem & priſtina iura reſtituiſſet, in Macedoniam reuerſus, profligatis Illyriis, aliisque barbaris, qui Macedoniam inuaſerant, confecto pridem tabe corpuſculo, deceſſit, & Philippo Demetrii filio, imperium reliquit. Contigit hoc anno IV olymp. CXXXIX. Philippus, cum rerum ſummam obtinuiſſet, malo conſilio impulſus, Romanos laceſſere non dubitans, bellis atrociſſimis Romanos inter atque Macedonas occaſionem praebuit, quorum hic tandem exitus fuit, vt Macedonia, tandemque & Graecia vniuerſa, Romanorum imperio ſubiiceretur. Sed haec ex hiſtoria Romana nota ſunt. Ea vero, quae hactenus commemorauimus, ex POLYBII *libro II.* PLVTARCHO in *vita Arati*, & IVSTINO *locis citatis*, conſtant. Totius etiam Graeciae ſtatum ex dictis cognoſcere quodammodo licet, quam hocce etiam temporis interuallo viri doctrina & ingenio florentes nobilitarunt. Inter peripateticos Theophraſtus Ereſius Ariſtoteli in ſcholae regimine ſucceſſit, quem Strato Lampſa-

cenus excepit, qui in quibusdam ab Ariſtotelis placitis diſceſſit, a nonnullis etiam atheismi accuſatur. Inter Platonicos Xenocrates eminet, quem Polemo audiuit, vti hunc Crates, & hunc iterum Crantor, Arceſilae magiſter, qui mediae academiae auctor perhibetur. Nec praetermittendus Epicurus, qui anno tertio olympiad. cix. natus, anno ſecundo olympiad. cxxvii, obiit. Cratetis diſcipulus Zeno fuit Cittieus, Stoicae ſectae conditor, quae Epicureae quam maxime oppoſita fuit. Eandem porro ſcholam Cleanthes, huiusque diſcipulus Chryſippus, hoc tempore ornarunt. Eratoſthenes quoque, vir in omni litterarum genere praeſtans, ad hanc aetatem refertur, quiue olympiade cxlvi obiiſſe dicitur. Demetrius Phalereus, philoſophus pariter ac rhetor clariſſimus, & Theophraſti diſcipulus, annos decem Athenis praefuit: vrbe vero a Demetrio poliorceta occupata, ad Ptolomaeum Lagi filium ſe recepit; a cuius filio Ptolomaeo philadelpho cum relegatus eſſet, aſpidis morſu periit, anno circiter primo olymp. cxxiv. Inter poetas huius temporis Menander atque Callimachus, inter hiſtoricos Beroſus Aegyptius, atque Manethon Dioſpolitanus, eminent.

* Cum mortuo Alexandro magno, belli duces praefecturas & prouincias inter ſe diuiderent, Antigono Phrygia maior, itemque Lycia & Pamphylia obtigit. Perdiccas equidem cum in oriente omnia ad ſe transferre cuperet, opprimendorum ducum initium a Ptolomaeo Lagi filio, cui Aegyptus obtigerat, fecit. Sed in ipſo Nili tranſitu, cum Aegyptum magno cum exercitu inuadere vellet, conſpiratione ſuorum occiſus eſt. Eumenes Perdiccae fauebat, & paullo ante Craterum & Neoptolemum vicerat. Sed huic aeque ac Perdiccae fratri, Alcetae, ſe oppoſuerunt Ptolomaeus, Antipater, qui Macedoniae praeerat, & Antigonus. Eumene vero, cum in Antigoni poteſtatem per proditionem veniſſet, interfecto, Antigonus opibus ac potentia auctus, Aſiae atque Ponti regnum inſtituit, ſimulque contra Caſſandrum, Antipatri filium, & Ptolomaeum, bellum inſtaurauit. Idem & per filium Demetrium, qui poliorceta dictus eſt, plerisque Graeciae ciuitatibus, inprimis & Athenis, libertatem reſtituit. Sed cum nimiam Antigoni & Demetrii potentiam metuerent reliqui, Lyſimachus, Caſſander, atque Seleucus eum adgrediuntur, commiſſoque ad Ipſum Phrygiae oppidum proelio, eum vincunt. Atque Antigonus quidem in acie cecidit; Demetrius vero filius eius fuga ſibi conſuluit; cuius & quae deinceps fata fuerint, iam antea dictum. Macedoniae enim eum occupaſſe regnum, conſtat. Eo vero mortuo, Ponti quoque atque Aſiae regnum exſpirauit, prouinciis partim ad Syros translatis, partim regulorum dominationi concedentibus, donec ſingulae in Romanorum poteſta-

ſta-

Digitized by Google

ſtatem venirent. Nimirum per Mithridatem Cappadociae & Ponti regnum conſtitutum eſt; Pergami cum circumiecta regione, per Philetaerum. Sed Bithynia quoque, exuto iugo Macedonum, proprios reges habere coepit, quorum notiſſimus eſt Pruſias. Ne quid nunc de Paphlagonia atque Cilicia dicam, quarum reges paſſim commemorantur. De Antigono quae diximus, ex DIODORO SICVLO conſtant, *lib. XVIII. & XIX.* itemque ex PLVTARCHO & CORNELIO NEPOTE, in *Eumene*. De Mithridate APPIANVS legendus in *Mithridaticis*; reliqua ex IVSTINO, POLYBIO, LIVIO, aliisque rerum Romanarum ſcriptoribus conſtant.

** Aegyptii regni hiſtoriam ordine ad *ſect. praeced.* §. *XV.* ad Cambyſen vsque, Perſarum regem, deduximus, quippe a quo Aegyptus in prouinciae formam redacta, Perſarumque ſubiecta fuit imperio. Excutere deinceps Perſicum iugum conati ſunt Aegyptii ſub Dario Hyſtaſpide, cum is infeliciter contra Graecos pugnaſſet. Eo vero in ipſo belli adparatu mortuo, Xerxes filius illos iterum ad obſequium reduxit. Immo in arctiorem, quam ſub Dario experti erant, ſeruitutem redactos, Achaemeni fratri ſuo gubernandos tradidit. Turbato per Xerxis mortem rerum Perſicarum ſtatu, ab Inaro Afrorum rege inducti, Perſicum denuo tentarunt excutere iugum, auxiliaribus maxime Graecorum freti copiis. Et primo quidem infeliciter contra eos pugnauit Artaxerxes longimanus, ſed tandem totam Aegyptum ſubegit, praeter Amyrtaeum, eorum regem, qui in paludibus degebant. Sub Dario notho iterum defecerunt, qui & ad obſequium eos reducere non potuit. Artaxerxes mnemon magnam Aegyptiis intulit cladem; ſed ducum Pharnabazi & Iphicratis diſcordia effecit, quo minus fructum ex victoria iſta perciperet. Artaxerxes Ochus non tantum eos iterum in ordinem redegit, rege illorum Nectanebo in Aethiopiam ſe recipere coacto, ſed acriter quoque illos caſtigauit, oppidorum praecipuorum deſtructis moenibus, faniſque exſpoliatis. Haec dum DIODORVS SICVLVS refert, addit: ἀπήνεγκε δὲ καὶ τὰς ἐκ τῶν ἀρχαίων ἱερῶν ἀναγραφάς, ἃς ὕστερον Βαγώας πολλῶν χρημάτων ἀνελύτρωσε τοῖς ἱερεῦσι τῶν αἰγυπτίων. *Commentarios denique ex templis antiquis ſecum aſportat; quos tamen Bagoas aliquanto poſt grandi pecuniae ſumma redimendos ſacerdotibus conceſſit; lib. XVI. p. 534.* Atque hic ipſe etiam Bagoas, qui Aegyptius erat, Artaxerxem Ochum ob iniuriam Apidi illatam e medio ſuſtulit. Victo tandem ab Alexandro magno Dario Codomanno, Aegyptus quoque Graecorum imperio ſubiecta eſt, quam & ingreſſus eſt Alexander ipſe, vt Iouis Ammonii oraculum adiret, & Alexandriam vrbem ibi condidit, quae maximam deinceps conſecuta eſt celebritatem. Atque haec quidem omnia ex iis, quae ſupra de Perſarum regibus diximus, conſtant.

In prouinciarum deinceps diſtributione poſt mortem Alexandri magni, inter duces eius inſtituta, Aegyptus Ptolomaeo obtigit, qui adeo ſimul in Libya, Cyrenaica, & omni illa Arabiae parte, quae Aegypto adiacet, imperare coepit. Ab eo commune Ptolomaeorum & Lagidarum nomen, quo Aegypti reges deinceps venerunt, ortum eſt. Lagi enim fuit filius; quanquam nonnulli tradant, a Philippo Alexandri patre eum genitum, qui Arſinoem matrem eius grauidam, Lago cuidam, obſcuro inter Macedonas homini, tradiderit. Aegypto vero viciniſque regionibus Syriam totam atque Phoeniciam adiecit, duce Nicanore; ſed Iudaeam quoque ingreſſus, occupatiſque per dolum Hieroſolymis, plurimos Iudaeorum in Aegyptum traduxit, vt FL. IOSEPHVS auctor eſt, *lib. XII. antiquit. iud. cap. I.* Qua de re cum iam ſupra ad §. *V.* huius ſectionis dictum ſit, vt ea repetamus, neceſſe non eſt. Quaenam in bellis grauiſſimis, inter duces & ſucceſſores Alexandri exortis, partes eius fuerint, iam ex iis conſtat, quae de Antigono Aſiae, deque Antipatro & Caſſandro, Macedoniae regibus, diximus. Laudatur Ptolomaeus hicce, quod & litteratus ipſe, & litteratorum fautor inſignis exſtiterit. Promptiſſimus licet eſſet bellator, pacis tamen artibus maiorem, clarioremque fuiſſe, Q. CVRTIVS pronuntiat, *lib. IX. cap. VIII.* Immo hiſtoriam contexuit de expeditionibus Alexandri magni, quibus ipſe interfuit, cuius PLINIVS & PLVTARCHVS meminere, ille *lib. XII. hiſtor. natur. cap. XIII.* hic autem in *Alexandro p. 691.* Sed & CVRTIVS haud obſcure ad eam reſpicit, *lib. IX. cap. V.* Idem Ptolomaeus ſapientiae magiſtros, viroſque eruditos plurimos in aula ſua aluit, fouitque, quos inter Theodorum, atheum dictum, Stilponem Megarenſem, Diodorum Cronum, & Stratonem Lampſacenum fuiſſe, ex DIOGENE LAERTIO colligere licet, ex quo etiam condiſcimus, Theophraſtum eum ſuſpexiſſe, litteraſque ad eum miſiſſe; in *vita Theophraſti* ſeu *lib. V. ſect. XXXVI. p. 289.* A fide itaque etiam non abhorret, Ptolomaeum huncce celeberrimum illud muſeum Alexandrinum, quod doctorum virorum collegium fuit, inſtituiſſe, ad quod etiam bibliothecam Alexandrinam pertinuiſſe, viris doctis obſeruatum eſt. Vulgo equidem, Ptolomaeum philadelphum Alexandrinae bibliothecae ieciſſe fundamenta, exiſtimant; ſed ſecus ſe rem habere, vel ex SVIDA euinci poteſt, quippe qui Zenodotum Epheſium, tempore Ptolomaei Lagi bibliothecae iſti praefectum fuiſſe, docet, *voc. Ζηνόδοτος, p. m. 7.* Praeclare tamen & de muſeo, & de bibliotheca Alexandrina Ptolomaeus philadelphus meritus eſt; conf. HVMFREDVS HODIVS, *de biblior. textib. original. lib. I. cap. VIII. pag. 44.* Demetrium Phalereum Athenienſem, philoſophum atque rhetorem, cum patriae ſuae per annos decem praefuiſſet, ea a Deme-

metrio poliorceta occupata, ad Ptolomaeum huncce Lagi ſe recepiſſe, & benigne ab eo exceptum fuiſſe, antea iam commemorauimus. Addenda, quae praeter DIOGENEM LAERTIVM, in *vita Demetrii Phalerei*, hac de re diſſerit CICERO, *lib. V. de finibus bonor. & malor. cap. XX.* Eum per annos XL Aegypto praefuiſſe; LVCIANVS in *macrobiis*, EVSEBIVS in *chronico*, CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. lib. I.* aliique, docent. Ab eo nimirum tempore, quo Alexander obiit, non autem, quo nomen titulumque regis vſurpauit; hoc enim annis circiter ſeptendecim demum poſt mortem Alexandri contigit.

Ante obitum ſuum Ptolomaeus Lagi filium ſuum, ex Berenice ſuſceptum, Ptolomaeum, qui philadelphus dictus eſt, regem declarauit; qui & per aliquod temporis ſpatium, viuente adhuc patre, regnauit. Cum vero is ex filiis Ptolomaei natu minimus eſſet, id contra ius gentium factum eſſe cenſet IVSTINVS. *Finito bello*, inquit, *Ptolomaeus cum magna rerum geſtarum gloria moriturus, contra ius gentium minimo natu ex filiis, ante infirmitatem regnum tradiderat*; *lib. XVI. cap. II.* Bellum Ptolomaeo philadelpho cum Antiocho Syriae rege, qui Θεὸς dictus eſt, interceſſit; quod cum Ptolomaeus tandem finire cuperet, filiam ſuam Berenicem Antiocho in vxorem dedit; qua de re quae obſeruatu digna ſunt, iam ſupra ad §. *V.* commemorauimus. Maximam autem gloriam celebritatemque, ex ſingulari erga litteras earumque cultores amore, conſecutus eſt. Muſeum equidem Alexandrinum, & bibliothecam, quae cum eo coniuncta fuit, non primus inſtituit, quippe quod a patre eius Ptolomaeo Lagi factum, antea iam obſeruauimus; conſeruauit tamen, auxit & amplificauit. Nec quidquam temere, quod ὡς ἐν παρόδῳ moneo, apud veteres muſeo iſto celebrius, quod paucis STRABO deſcribit, *geogr. lib. XVII. pag. 920.* copioſius autem, qui integras de eo conſcripſerunt diſſertationes, IO. FRID. GRONOVIVS & LVD. NEOCORVS ſiue KVSTERVS, quae *tom. VIII. antiquitat. graecar.* GRONOVII exſtant, itemque ADAMVS RECHENBERGIVS, cuius diſſertationem inter *exercitationes* eius in *nouum teſtamentum &c.* iunctim editas, legere licet, *pag. 513. ſeqq.* Iſtud vero, quo rex tenebatur, ſtudium, bibliothecam libris optimis augendi, illum quoque induxiſſe dicitur, vt ſuaſu Demetrii Phalerei, libros ſacros Iudaeorum ex ebraea in graecam linguam transferri curaret; quod cum pſeudo-ARISTEA, FL. IOSEPHVS, EPIPHANIVS, EVSEBIVS, aliique veterum ac recentiorum magno conſenſu tradunt; quanquam IRENAEVS Ptolomaeo Lagi hoc tribuat, *lib. III. cap. XXV.* CLEMENS Alexandrinus autem, vtramque ſententiam referendo, rem velut in dubio relinquat, *ſtrom. lib. I. p. 341.* Sed incerta omnia eſſe, quae vulgo hac de re dicuntur, tenebriſque maximis & dubiis grauiſſimis inuoluta, conſtare ex iis poteſt, quae

ad

Digitized by Google

ad §. *XII.* ex inſtituto hac de re diſputauimus. Obſtat inter alia, quod ſecundum pſeudo-ARISTEAM, Demetrii Phalerei praecipuae hoc in negotio partes fuerint; quem tamen a Ptolomaeo philadelpho, quod patri eius conſilium dediſſet, vt ſuſceptos ex Eurydice liberos regni ſucceſſores deſignaret, relegatum, iam antea ex DIOGENE LAERTIO docuimus. Ad quod quidem nonnulli ita reſpondent, vt Zenodotum pro Demetrio ſubſtituant. Ita IO. VAILLANTIVS in *hiſtoria Ptolomaeorum pag. 32.* DIONYSIVS autem PETAVIVS, viuente forte adhuc patre, Ptolomaeum philadelphum Demetrium bibliothecae praefeciſſe, coniicit, eo quod eo tempore ſuum erga illum nondum expromere auſus fuerit odium; *animaduerſionib. in Epiphan. p. 379.* Sed haec quam lubrica ſint, nemo non intelligit. Summa autem Ptolomaei philadelphi erga litterarum cultores & magiſtros beneuolentia effecit, vt ex omni Graecia plurimi ad illum confluerent viri doctrina & ingenio florentes, in quibus & Theocritus fuit, Lycophron, Callimachus, Zoilus, aliique. In matrimonium duxit Arſinoën, Lyſimachi filiam, cui poſtea alteram Arſinoën ſororem ſuam adiunxit. Atque hanc quidem cum praecipuo loco haberet, prior illa in necem mariti vna cum Amynta & Chryſippo Rhodio, medico ſuo, conſpirauit; vnde illos quidem rex e medio ſuſtulit, coniugem autem Coptum Thebaidos vrbem relegauit, poſtquam iam Ptolomaeum & Lyſimachum filios, & filiam Berenicen, ex ea ſuſceperat. Alteram autem coniugem ſororemque Arſinoën inſano prorſus amore proſecutus eſt, eiusque plurima extare voluit documenta; vid. PLINIVS, *hiſtor. natur. lib. XXXVII. cap. VIII.* Idem & duos fratres ex Eurydice natos occidit, quamobrem philadelphus per antiphraſin dictus eſt. Regem huncce luxu corruptiſſimum, eo vsque ſtultitiae progreſſum, vt vitam perennem ſibi promitteret, ex Philarcho refert ATHENAEVS, *lib. XII. dipnoſophiſt. p. 536.* praeter quem, aliosque iam laudatos, de eo legendus STRABO, *lib. XVII. p. 553. & alibi,* & PAVSANIAS *lib. I. pag. 6. 7.*

Imperio Ptolomaeus philadelphus poſt patris obitum praefuit annos XXXVIII, ſucceſſoremque habuit filium cognomine *euergetem* dictum. Huius ſororem Berenicem, Antiocho Syriae regi, qui *Θεὸς* dictus eſt, nupſiſſe, antea diximus. Hoc dum fiebat, Antiochus Laudicem, ex qua duos iam filios, Seleucum callinicum & Antiochum ſuſceperat, concubinae tantum loco ſe habere, Berenicem autem regni conſortem eſſe, declarabat. Poſt aliquod vero temporis ſpatium Laudicem cum liberis ſuis in regiam reduxit; quae mariti inconſtantiam metuens, eum cum filio, quem ex Berenice ſuſceperat, e medio ſuſtulit, atque vt Seleucus callinicus filius ſuus rerum potiretur, effecit. Regno admotus Seleucus, etiam Be-

Berenicem ipſam, hortante matre Laudice, interfecit. Hanc ſororis necem vlturus Ptolomaeus euergetes, Seleuco bellum intulit, Syriamque, Ciliciam, ac ſuperiores regiones trans Euphratem, & propemodum Aſiam vniuerſam, ſubegit. Quae vero deinceps ſecuta ſunt, quaeue Antiochi fuerint fata, ſupra iam ad §. *V.* huius ſectionis ſunt expoſita. Confirmant hoc praeter IVSTINVM *lib. XXVII. cap. I.* APPIANVS, in *Syriacis*, & POLYBIVS, *lib. V.* Eximium etiam Ptolomaei huius euergetae monumentum, in quo expeditiones eius feliciter ſuſceptae, ampliſſimaeque victoriae, graecis litteris inſcriptae, leguntur, in Adule, ciuitate Aethiopum maritima, obſeruauit, ſimulque nobis conſeruauit, ſcriptor quidam graecus ſub Iuſtino imperatore clarus, quem nonnulli Coſmam monachum Aegyptiacum vocant, & a nauigatione, quam ſuſcepit, Indica, Indicopleuſten. Primus hocce monumentum cum verſione latina in lucem produxit LEO ALLATIVS, Romae M DC XXXI, deinceps & alii; tandem vero BERNHARDVS DE MONTFAVCON, ipſam Cosmae χριϛιανικὴν τοπογραφίαν, *chriſtianam topographiam, ſiue chriſtianorum opinionem de mundo, tomo II. collectionis nouae patrum & ſcriptorum graecorum, p. 113. ſeqq.* inſertam, edidit; quippe in qua monumentum hocce Adulitanum exſtat, quod & ex eadem exhibet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XXV. p. 604. ſeqq.* Ceterum Ptolomaeus hicce euergetes in litterarum & bibliothecae amplificandae ſtudio patris veſtigia preſſit; & Eratoſthenem Cyrenaeum, Athenis arceſſitum, bibliothecae praefecit. Ariſtarchi grammatici eum fuiſſe diſcipulum, & commentarios ſcripſiſſe, ATHENAEVS nos condocet, *dipnoſophiſt. lib. II. p. 71.* Inter viros ingenii & doctrinae laude ſub hocce rege florentes, eminet Apollonius Rhodius, rhetor & poeta, Alexandriae natus, Callimachi diſcipulus, & poſt Eratoſthenem Alexandrinae bibliothecae praefectus. Regno praefuiſſe Ptolomaeus hicce dicitur annos XXVI; quem ex morbo obiiſſe auctor eſt POLYBIVS *lib. II. p. 216.* occiſum a filio, qui κατ᾽ ἀντίφρασιν philopator dictus eſt, IVSTINVS *lib. XXIX. cap. I.*

Atque huic quidem Ptolomaeo philopatori, quae, poſtquam regnum adeptus erat, cum Antiocho magno Syriae rege, ſimulque cum Iudaeis negotia intercesſerunt, ſupra iam ad §. *VI.* expoſuimus. Voluptati & luxuriae ita deditus fuit, vt noctes in ſtupris, dies in conuiuiis conſumeret; hinc & alia flagitia, facinoraque turpiſſima, deſcripta IVSTINO *lib. XXIX. cap. I.* Conferendi & POLYBIVS, *lib. XV.* & ATHENAEVS, *lib. VI. cap. VI.* & *lib. XIII. cap. XIII.* Poſt ſeptendecim annorum regnum mortuus, filium quatuor aut quinque circiter annorum, Ptolomaeum epiphanem, ſucceſſorem reliquit, quem Romani, tutores eius conſtituti, contra Antiochi ma-

magni iniurias defenderunt. Cum ſupra iam ad §. *VI.* quae de rege hocce memoratu ſunt digna, expoſita ſint, ea vt hic repetamus, neceſſe non eſt. Regnauit annos XXIV, duosque reliquit filios, Ptolomaeum philometorem, & euergetem, ſeu physconem, ac filiam Cleopatram. Ptolomaeo philometori, cum regnum adeptus eſſet, grauiſſima cum Antiocho epiphane, Syriae rege, interceſſerunt bella, de quibus deinceps dicemus, cum de Syriae regibus verba facienda erunt. Non minus & cum fratre Ptolomaeo euergete, ſeu physcone, illi pugnandum fuit, cui, mox in regni conſortium adſcito, mox remoto, Cyrenes regnum tandem attribuit. Ab vtroque fratre ſubinde ſenatus populusque Romanus ſollicitatus, vt contra alterum ſibi auxilium ferret. De quibus, vt & reliquis, quae huc ſpectant, legendi APPIANVS, in *Syriacis*, POLYBIVS, *legat. LXXII. XC. XCII.* &c. IVSTINVS, *lib. XXXIV. cap. II. & III.* Floruiſſe ſub hocce rege in Aegypto dicitur Ariſtobulus iudaeus, philoſophus peripateticus, ex cuius commentariis in Moſen nonnulla adducunt CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. lib I. p. 305.* & EVSEBIVS, *praep arat. euangel. lib. XIII. cap. VII.* & *lib. VIII. cap. III.* Verum incertum adhuc eſſe, quando Ariſtobulus iſte vixerit, & commentarios, qui ſub eius nomine allegantur, ſuppoſititios, & poſt Chriſtum natum conſcriptos videri, oſtendit HVMFREDVS HODIVS, de *biblior. textib. original. lib. I. cap. IX. p. 49. ſeqq.* Iungenda tamen, quae de Ariſtobulo hocce monet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XI. p. 280.* & quae ipſe olim de eo dixi in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 54.* Ptolomaeus autem philometor, cum annos XXXV regnaſſet, in proelio aduerſus Alexandrum Balam, Syriae regem, victor licet, vulneratus, obiit. Reliquos Aegypti reges in ſequentibus commemorabimus.

*** Cum in Babylonicae monarchiae locum Perſica ſuccederet, Syria, Phoenicia, regionesque vicinae, Perſarum itidem ſubierunt iugum. Ex Phoenicum autem vrbibus Tyrus a Nebucadnezare deſtructa, ſed alio in loco iterum exſtructa, ſub Dario Hyſtaſpide iterum ſui iuris facta videtur, ſecundum vaticinium Eſaiae, *cap. XXIII. 15.* Conferenda, quae ad *ſect. V.* §. *XIV.* diximus. Poſtea autem Alexander magnus vrbem hancce ſtupendis operibus expugnatam, ſolo aequauit. Cum Artaxerxes Ochus apud Perſas rerum potiretur, Phoenices, Aegyptiorum exemplum imitati, a Perſarum imperio defecerunt. Cumprimis Sidonii omnem mouerunt lapidem, vt iugum hocce excuterent, eo quod ſatrapae & legati regii in mandatis exigendis contumelioſe & ſuperbe erga eos ſe geſſiſſent. Omnia equidem, quae ad bellum ſtrenue gerendum neceſſaria erant, Sidonii comparauerant, & vrbem quoque diligenter muniuerant, ſed a Tenne rege

ge ſuo, & Mentore Rhodio, qui copiis, quas Aegyptii illis auxilio miſerant, praefectus erat, proditi, cum viderent, ſe vrbem contra Perſas tueri non poſſe, illam aeque ac ſe ipſos, flammis exuſſere. Copioſius haec deſcribit DIODORVS SICVLVS *lib. XVI. p. 531. ſeqq.* Syriae praeſidem in hocce bello Perſarum partes ſecutum, ex eodem DIODORO *l. c. p. 532.* conſtat. Poſt Alexandri, qui & hasce prouincias ſibi ſubiecerat, mortem inter reliquos duces & Seleucus Nicanor, aut potius Nicator, a plurimis, quas retulit, victoriis dictus, eminuit; & annis poſt Alexandri mortem duodecim elapſis, in Babylonia, Media, aliisque orientis regionibus, ex praefecto rex factus, regnum conſtituit. A quo quidem tempore aerae Seleucidarum origo repeti ſolet. Plurima illi tum cum aliis, tum maxime cum Antigono Aſiae rege interceſſerunt bella; eo vero in proelio ad Ipſum, Phrygiae oppidum, victo & interfecto, variarum vrbium & ditionum acceſſione mirifice aucta eſt Seleuci potentia. Tum & de Syria inter eum & Ptolomaeum Lagi pugnatum; vnde magna in Iudaeos incommoda. Dictum hac de re ad §. *VI.* Non minus vero & cum Demetrio poliorcete bellum geſſit, quem iunctis cum Ptolomaeo Lagi, Lyſimacho, & Pyrrho, Epiri rege, viribus, Macedoniae regno exuit. Mox vero & cum Lyſimacho committitur, quem collatis ſignis magna clade adfecit; eaque victoria elatus, in Macedoniam tranſire decreuit, Aſia filio Antiocho commendata. At poſt menſes ſeptem a Ptolomaeo cerauno, cuius ſororem Lyſimachus in matrimonium habuerat, per inſidias trucidatus periit, cum annos XXXII regnaſſet. Legendi de eo PAVSANIAS, in *Atticis*, APPIANVS, in *Syriacis*, IVSTINVS, *lib. XVII. cap. I. & II.*

Succeſſorem habuit filium Antiochum, qui σωτὴρ dictus eſt; quod Gallos in Aſiam ſe diffundentes repreſſerat. Sub Brenno enim, aliisque ducibus, eo tempore in Aſiam eruperant, multisque fortitudinis praeclarae editis ſpeciminibus, terrorem longe lateque circumferebant. De rebus ab iis geſtis IVSTINVS praecipua memoratu digna refert, *lib. XXIV.* De eorum ex Europa in Aſiam tranſitu Demetrium Byzantinum tredecim ſcripſiſſe libros, DIOGENES LAERTIVS auctor eſt, in *Demetrio Phalereo p. 511.* Imperio Antiochus hicce ſoter praefuit annos nouendecim. Excepit eum filius, Antiochus ſecundus, a Mileſiis primum impia adulatione Θεὸς dictus, poſtquam Timarchum illorum tyrannum ſuſtuliſſet. De bellis eius cum Ptolomaeo philadelpho Aegypti rege, ſupra dictum, ſimulque obſeruatum, Ptolomaeum, vt certaminibus hiſce finem imponeret, filiam ſuam Berenicem Antiocho in matrimonium dediſſe. Hinc vero quae conſecuta ſint, ibidem commemorauimus. Beroſum ſuos chaldaicae hiſtoriae libros Antiocho huic conſecraſſe, auctor eſt TATIANVS, *orat. ad Graecos p. 126.*

Digitized by Google

126. A Laudice cum filio, quem ex Berenice ſuſceperat, eum interfectum, ex ſupra dictis conſtat. Regno praefuit annos XV; quo poſt eius mortem potitus eſt Seleucus callinicus, quem ex Laudice ſuſceperat. Huic Ptolomaeus euergetes rex Aegypti, ob Berenicem ſororem interfectam, bellum intulit, eumque Syria, Cilicia, partibusque ſuperioribus trans Euphratem, & Aſia propemodum vniuerſa, exuit. Claſſe vero ingenti, quam aduerſus Aſiae ciuitates, quae defecerant, comparauerat, tempeſtate repente exorta, amiſſa, ciuitates iſtae ad miſericordiam iſtis calamitatibus commotae, imperio eius iterum ſe ſubmiſerunt; vnde melioris fortunae fiducia Ptolomaeo euergetae iterum bellum intulit. Sed victus, cum trepidus Antiochiam confugiſſet, fratrem Antiochum, cui incredibilis cupiditas aliena inuadendi, qua accipitrem referre videbatur, *hieracis* cognomen peperit, oblata illi Aſia intra fines Tauri, in auxilium vocauit. Ea re permotus Ptolomaeus, pacem cum Seleuco in annos decem fecit, ſed Antiochus, mercenario Gallorum exercitu adiutus, fratrem adgreditur, proelioque commiſſo vincit. Dum vero Galli, Seleucum occubuiſſe rati, in ipſum Antiochum arma vertere, vt exſtincta regia ſtirpe, Aſia vniuerſa illis pateret, cogitant, Antiochus, conſilia eorum edoctus, pacem redimere, ſocietatemque cum illis inire, coactus eſt. Tum vero & Eumenes Bithyniae rex, armis in Antiochum conuerſis, magnam Aſiae partem occupat, Seleuco interea & Antiocho fratribus, neglecto hoſte externo, inter ſe concertantibus, & in mutuam ruentibus perniciem. Victus autem a fratre Antiochus, ad Artamenem, Cappadociae regem, ſocerum ſuum, ſe recepit; apud quem cum inſidias ſibi parari intelligeret, ad Ptolomaeum euergetem, licet hoſtem ſuum, decurrit, tutiorem fidem eius, quam fratris exiſtimans. Hic vero ſeruari eum arctiſſima cuſtodia iuſſit, ex qua meretricis cuiusdam opera elapſus, a latronibus, in quos incidit, interfectus eſt. Seleucus quoque eodem fere tempore equo praecipitatus, periit. Conſtant haec omnia ex IVSTINO, *lib. XXVII. cap. I. II. & III.* Eadem fratrum Seleuci & Antiochi diſcordia, Parthis quoque occaſionem dedit, vt a Syriae regibus; quibus hactenus paruerant, deficerent, iamque proelio certare auſi, nouam conſtituerent rempublicam. Vnde & ſequenti aetate celebre, ipſisque Romanis formidandum, exſtitit Parthorum nomen. Sunt, qui eos iam ab Antiocho, qui Θεὸς dictus eſt, defeciſſe, contendunt; ſed ad Seleucum callinicum probabiliori ratione hoc refert IVSTINVS, *lib. XLI. cap. IV.* Excepit hunc in regno filius natu maior Seleucus, cognomine *ceraunus* dictus, qui contra Attalum, Pergami regem, qui omnem iam cis Taurum Aſiam, imperio ſuo ſubiecerat, expeditionem ſuscepit, ſed veneno ab amicis in Phrygia e medio ſublatus, cum nondum omnino tres an-

annos regno praefuiſſet, ſucceſſorem nactus eſt Antiochum, cui res praeclare geſtae *magni* cognomen pepere-re. Hic varia equidem bella feliciter geſſit, nec tamen in omnibus fortunam votis reſpondentem habuit. A Romanis ſaepius victus eſt, a quibus & pacem rogare ac grauiſſimis conditionibus recipere compulſus eſt, viginti obſidibus datis, interque eos filio ſuo Antiocho epiphane. Sic & cum aduerſus Ptolomaeum philopatora, Aegypti regem, bellum ſuscepiſſet, maximam cladem ad Raphiae oppidum in finibus Aegypti & Coelo-Syriae accepit, Syriaque cedere coactus, miſſis de pace legatis, inducias in annum obtinuit. Redintegrato deinceps paullo ante Ptolomaei philopatoris obitum, bello, ac in filium eius ac ſucceſſorem Ptolomaeum epiphanem conuerſo, quem iunctis cum Philippo, Macedonum rege, viribus, opprimere decreuerat, a Romanis, regis pupilli tutoribus, prohibitus ac repulſus eſt. Noua nihiloſecius expeditione ſuscepta, proelio cum ſcopa duce Ptolomaei prope Iordanis fontes commiſſo, victor exſtitit, & vna cum Iudaea multas Coelo-Syriae vrbes recepit. Sed cum a Romanis ſibi metueret, pacem deinceps cum Ptolomaeo epiphane fecit, eique filiam ſuam Cleopatram in matrimonium dedit, conceſſa illi dotis nomine Coelo-Syria, Phoenicia, Iudaea, & Samaria. Occaſionem vero hinc etiam exſpectabat Aegypto potiundi; qua tamen ſpe excidit, cum Ptolomaeus eiusque duces artes eius eluderent, & ipſa etiam Cleopatra mariti amorem ſceleſtis patris conſiliis praeferret. Inopia tandem ob graue tributum, quod Romanis ſoluere tenebatur, adductus, aut auaritia ſollicitatus, templum Iouis Beli, aut, vt IVSTINVS *lib. XXXII. cap. II.* vocat, Elimaei, cum exercitu adgreſſus, magnam inde pecuniae vim abſtulit. Qua re prodita, concurſu vicinarum gentium cum omni militia interficitur. Qua de re, vt & reliquis ad regem huncce ſpectantibus, ſupra equidem ad §. *VI.* diximus; ſed ordinis cauſſa paucis repetenda fuerunt. Auctores, qui de eo agunt, APPIANVM, POLYBIVM, IVSTINVM, itidem ſupra iam laudauimus. Excepit Antiochum magnum filius Seleucus, qui a FL. IOSEPHO, *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. III. ſoter*, ab aliis *philopator* dicitur. Otio is deditus, nec ob cladem, quam pater acceperat, admodum potens, nihil adeo memoratu dignum geſſit. Quae cum Iudaeis ei interceſſerint negotia, & quo erga eos animo fuerit, ſupra iam ad §. *VI.* huius ſectionis expoſuimus.

Fratrem Antiochum, quem Romanis obſidem pater dederat, miſſo in eius locum Demetrio filio, admodum puero, inde reuocauit. Iam Athenas peruenerat Antiochus, cum Seleucus, Heliodori inſidiis oppreſſus, periit; cum annos XII rerum ſummam tenuiſſet. Tum vero Antiochus, cognomine *epiphanes* dictus, ob

ob mores autem, inſaniam & ſtultitiam prodentes, ἐπιμανὴς rectius dicendus, fratris regnum, excluſo Demetrio, Seleuci filio, ſibi vindicauit, & Attali quoque ac Eumenis opera obtinuit. Syriam praeterea, tanquam tutor filiorum ſororis ſuae Cleopatrae, quae Ptolomaeo epiphani nupſerat, inuaſit. Ptolomaeus autem hicce epiphanes duos, vt antea iam diximus, reliquit filios, Ptolomaeum philometorem & Ptolomaeum euergetem. Horum ergo tutores Syriam, aliasque prouincias, Aegyptiis a Syriae regibus ademtas, repetunt. Ea re permotus Antiochus, arma contra Ptolomaeum philometorem capit, atque Aegyptum inuadit; immo & Ptolomaeum, cum exercitu illi occurrentem, per ſuorum perfidiam, vincit. Id cum Alexandrini intellexiſſent, reiecto philometore, fratrem eius Ptolomaeum euergetem regem conſtituunt. Philometor autem in ſummas hac ratione anguſtias coniectus, ad ipſum Antiochum ſe recipit, qui hanc opportunitatem auide arripiens, Aegyptum occupauit; Alexandria tamen fruſtra oppugnata, relicto Memphi Philometore, in Syriam rediit. Perſpiciens tandem Philometor, id agere Antiochum, vt Aegyptum vtrique ereptam ſuis ditionibus adiiceret, interuentu vxoris & ſororis Cleopatrae, cum fratre euergete in gratiam redit, ea lege, vt vterque ſimul regnaret. Qua quidem fratrum concordia conſilia ſua irrita reddi, aegre ferens Antiochus, Aegyptum iterum inuaſit, vtrique arma illaturus. Sed interceſſerunt Romani, eumque extemplo cum exercitu ex Aegypto diſcedere iuſſerunt; quibus & ſine mora paruit. Illuſtre C. Popilii, Romanorum legati, virga regem circumſcribentis, circuloque deſcripto excedere vetantis, priusquam, an populi Romani mandatis parere vellet, reſpondiſſet, & tum demum, poſtquam ſe pariturum dixerat, amicitiae dextram illi porrigentis, facinus, POLYBIVS, *legat. CXII.* T. LIVIVS, *lib. XLV. cap. XII.* VALERIVS MAXIMVS, *lib. XI. cap. IV.* VELLEIVS PATERCVLVS, *lib. I. cap. X.* IVSTINVS, *lib. XXXIV. cap. II.* aliique referunt; ex quibus etiam reliqua, quae de eo commemorauimus, conſtant. Quae illi cum Iudaeis interceſſerunt, partim ſupra ad §. *VII.* iam expoſita ſunt, partim & in ſequentibus adhuc ediſſerentur. Regno annos vndecim praefuit. Mors eius deſcribitur *I. Maccab. VI. 1. ſeqq.* it. *II. Maccab. I. 12. ſeqq.* & *IX. 3. ſeqq.* ſed vt parum inter ſe conſentanea ſint, quae in hisce locis de ea traduntur. Conciliare iſta adnititur NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi VI. cap. I. art. III. pag. 240. ſeqq.*

* Cum Iudaei in captiuitate Babylonica conſtituti eſſent, reges Romae rerum potiebantur, de quibus ad *ſect. V. §. XV.* dictum. Soluta iſta captiuitate, cum ſuis ſedibus iam redditi eſſent Iudaei, eiecto ob filii ſtuprum, quod Lucretiae intulerat, Tarqui-

quinio ſuperbo, nomen pariter ac poteſtas regia abrogata, vtque per duos conſules, per annum ſolum munere iſto functuros, res publica adminiſtraretur, conſtitutum. *Ex perpetuo* (imperio) *annuum placuit*, inquit FLORVS, *ex ſingulari duplex; ne poteſtas ſolitudine vel mora corrumperetur; conſulesque adpellauit pro regibus; vt conſulere ſe ciuibus ſuis debere meminiſſent*; *lib. I. cap. IX.* Conſules itaque creati L. Iunius Brutus, iniuriae Lucretiae illatae vindex, auctorque recuperatae libertatis, & Lucretiae maritus, Collatinus Tarquinius. Hunc vero vel ob ſolum nomen Tarquinii, genusque regium, conſulatu ſe abdicare, vrbeque excedere coegerunt, ſubſtituto in eius locum Valerio Publicola. Brutus inſuper adeo ſeuerus fuit, vt filios quoque ſuos, quod regibus eiectis fauerent, publice virgis caeſos, ſecuri percuſſerit. Expulſos Tarquinios Porſena, Hetruſcorum rex, vi & armis reſtiturus, Romam trans-Tiberinam diu tenuit, alteram quoque partem occupaturus, niſi Horatius Cocles reciſo ſublicio ponte retardaſſet; & intrepida Mutii Scaeuolae virtus Hetruſcorum regi terrorem inieciſſet. Nec felicius Latini, aemulatione & inuidia ducti, adſerendos Tarquinios in ſe ſusceperunt; quos inter pertinaciſſimos Aequos & Volſcos, Lucius Quinctius, ille ab aratro dictator, perdomuit. Intra quindecim dies coeptum peractumque bellum. Dum vero Romani latius extendere fines coeperunt, ſecutum eſt bellum, cum Etruſcis, Faliſcis, & Fidenatibus. Rapidiſſimum procurrentis imperii curſum Gallorum Senonum parumper morata eſt incurſio. Hi enim victo ad Alliam flumen Romanorum exercitu, vrbem ipſam nemine defendente ingreſſi, caedibus atque incendiis omnia complent, ſola capitolii arce excepta, quam tuente Manlio ſex menſibus obſeſſam expugnaſſent, niſi anſeris clangor nocturnus hoſtium prodidiſſet inſidias. Obſidionis tandem diuturnitate fatigatos ſubito a tergo adgreſſus Camillus, ita cecidit, *vt omnia incendiorum veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deleret*; vt FLORVS loquitur *lib. I. cap. XIII.* Ita etiam deinceps Gallos iſtos Senones perſecuti ſunt Romani, vt nulla illorum ſupereſſent veſtigia. Victis hinc Latinis, Sabinis, Samnitibus, Etruscis, Romani ad gentes transmarinas arma transtulerunt. Bellum hinc Tarentinum, ob violatos Romanorum legatos; inde cum Pyrrho, Epirotarum rege, a Tarentinis in auxilium vocato, qui cum primum Romanos elephantis territos viciſſet, mox ipſe victus caſtrisque exutus eſt. Enituit maxime in hocce bello Fabricii conſulis virtus; ad quem cum Pyrrhi medicus veniſſet, ſeque regem iſtum veneno e medio ſublaturum promiſiſſet, ſi optatam ſceleris acciperet mercedem, vinctum medicum iſtum ad Pyrrhum miſit, hoc ideo ab eo mactatus elogio: *difficilius ab honeſtate, quam ſolem a curſu ſuo, auer-*

auerti poſſe Fabricium. Paullo aliter tamen hoc referunt VALERIVS MAXIMVS, *lib. VI. cap. V.* & AVL. GELLIVS, *noct. Attic. lib. III. cap. VIII.*

Leuioribus hinc quibusdam bellis ac ſeditionibus defuncti Romani, cum Carthaginienſibus congrediuntur. Vnde bella Punica. Primo, quod anno vrbis conditae quadringenteſimo nonageſimo, Appio Claudio Caudice, & M. Fuluio Flacco, conſulibus, ſecundum A. GELLIVM, *lib. XVII. cap. XXI.* coeptum, Sicilia occaſionem praebuit, vnde & a Graecis *bellum Siculum* vocatur. Fertilitate ſua ea inſula inuitabat Romanos; cuius partem cum Poeni tenerent, Romani vt eos a locis Italiae propinquis remouerent, in Mamertina facile inuenerunt cauſſa; quod ex inſtituto POLYBIVS ediſſerit *lib. I. cap. VII. ſeqq.* Victo Hierone Syracuſano, qui ſocietatem cum Carthaginienſibus contra Romanos inierat, ipſi quoque Poeni ex nauali ad Liparas proelio inferiores diſceſſerunt, claſſe illorum partim fugata, partim ſubmerſa. Ita Sicilia potiti Romani, in Africam traiiciunt, & duce M. Attilio Regulo, nominis ſui terrorem longe lateque circumferentes, ipſam Carthaginem obſidione cingunt. Proelio autem commiſſo, Poeni, duce Xantippo Lacedaemonio, non modo Romanos vincunt, ſed ipſum quoque Regulum conſulem capiunt, cuius tamen virtutem & conſtantiam nec carcer, nec ſupplicii vincere potuit atrocitas, aut eo adducere, vt pacem cum Carthaginienſibus ineundam ſuaderet. Continuatum itaque eſt bellum, & poſt multa proelia Lutatii conſulis virtute eo res deducta, vt Poeni pacem a Romanis peterent, & duris etiam conditionibus impetrarent. Viginti quatuor circiter anni in hocce bello conſumpti; quo finito, breuis & quaſi ad recipiendum ſpiritum ſecuta eſt requies, argumentumque pacis fuit tum primum poſt Numae regnum clauſum Iani templum. Hocce tempore L. Liuium Andronicum poetam primum Romae fabulas dediſſe, AVL. GELLIVS nos condocet, *noct. Attic. lib. XVII. cap. XXI.* & CICERO, *quaeſtion. Tuſculan. lib. I.* aliique. Naeuium poetam, Ennio antiquiorem, primum bellum Punicum carmine ſcripſiſſe, ex eodem GELLIO, *lib. III. cap. II.* aliisque conſtat. Mox Iani iterum patuit templum, Liguresque & Inſubres, Galli pariter ac Illyrii, Romanam non ſine periculo laceſſi virtutem, poſteros docuere. Tum bellum Punicum ſecundum ſecutum, coeptumque anno vrbis conditae quingenteſimo trigeſimo ſexto. Per annos octodecim ſaepius pugnatum, diuerſo euentu. Annibal ſtupendo itinere per Alpes in Italiam profectus, Romanum exercitum apud Ticinum Inſubriae, deinde apud Trebiam, porro apud Cannas, Apuliae vicum, cecidit, tantaque clade adfecit, vt iam vltima Romanis inſtare fata viderentur. Delere vtique cum vrbe Romanum nomen potuiſſet, niſi Capuam digreſſus fuiſſet; vbi

dum

dum loci iſtius deliciis & luxuria exercitus eius eneruabatur, Romani vires iterum colligunt, tandemque Marcello duce prope Nolam adgrediuntur, eumque ſuperari poſſe, oſtendunt. Tum certatim in Africa, Sicilia, Hiſpania Poenos adgreſſi Romani, vires illorum imminuunt; captae etiam Syracuſae, quamuis Archimedis ingenio defenderentur. In Hiſpania Publius & Cneius Scipiones feliciter contra Asdrubalem, Annibalis fratrem, pugnant, ſimul tamen, ingenti parta gloria, cadunt. Reliquum bellum, tam in Hiſpania, quam in Africa, P. Cornelius Scipio confecit. Annibal autem interea tertio ab vrbe lapide caſtra metatus, tempeſtatum vi in vltimum Italiae angulum redire coactus eſt; fratreque Asdrubale in Vmbria cum exercitu ad internecionem caeſo, ipſemet a ſuis domum reuocatus, a Scipione in Africa acerrimo proelio ſuperatur. Tot ergo cladibus fracti Poeni, pacem iterum, licet duriorem, a Romanis accipiunt.

Pacem Punicam, bellum Macedonicum primum excepit. Cauſſam praebuit Philippi Macedonum regis fedus, quo iam pridem Annibalem ſibi ſociauerat; quem & alias ſociis ſuis infeſtum, Romani aegre ferebant. Accedebant Athenienſium preces, Romanorum, contra regis iniurias, auxilium implorantium. Aliquot proeliis, inter quae illud ad Scotuſam eminet, feliciter commiſſis, regem eo adigunt, vt pacis leges accipere cogeretur; ſimulque libertas Graeciae reſtituta. Aetoli vero, Romanorum in hoc bello ſocii, minus ſpe ſua praemium adepti, Antiochum magnum Syriae regem aduerſus Romanos ſollicitant, quem & Annibal contra eosdem incitabat. Hinc bellum Syriacum, cuius gerendi prouincia Mario Acilio Glabrioni demandata, qui victum ad Thermopylas Antiochum in Aſiam ſecedere coegit. Sed claſſis quoque Antiochi ad Corycum, ad Myonneſum, & in Pamphylio mari, quamuis parti Annibal praeeſſet, victa & profligata. Tandem & a L. Cornelio Scipione in proelio ad Magneſiam victus Antiochus, pacem ea conditione accipit, vt Aſia mulctatus, intra Taurum regnet, & paternis finibus contentus ſit. Tum Aetoli, Hiſtri, Gallo-Greeci, qui Antiocho auxilium tulerant, immo & ex parte Syriacum bellum conflauerant, breui temporis ſpatio victi, debellatique, audaciae ſuae poenas dederunt. Dum vero ita aliae aliaeque gentes Syriaci belli ſequuntur ruinam, Macedonia rurſus ſe erexit. Perſes Philippi filius, priſtini decoris, quod Macedones conſecuti erant, memor, contra Romanos arma capit, Liciniumque Craſſum, Romanum conſulem, vincit. Mox tamen ipſe ab Aemilio Paulo victus, & e Samothrace, quo confugerat, retractus, atque in triumpho cum tribus filiis ductus eſt. Pacem Macedoniae datam iterum turbauit Andriscus, qui Phi-

Philippi filium mentiebatur; ſed a Metello mox oppreſſus, hoc demum effecit, vt Macedonia in prouinciae formam redigeretur. Sed pſeudo-Perſes etiam, qui ſe pro Perſis filio venditabat, cum ſeruis, quos concitauerat, a Tremellio quaeſtore ſubito oppreſſus, ſuae temeritatis poenas dedit. Inter viros ingenii & doctrinae laude apud Romanos florentes, hanc aetatem praeter M. Liuium Andronicum, cuius antea iam facta mentio, nobilitarunt, Ennius, Caecilius Statius, Marcus Pacuuius, M. Accius Plautus, & Terentius, poetae. Scipionis Africani familiaris Panaetius fuit, patria Rhodius, magni inter Stoicos nominis philoſophus. Quae de rebus Romanis in compendio hactenus pro inſtituti ratione diximus, ex ſcriptoribus graecis & latinis, qui gentis huius res geſtas ſcriptis ad poſteros transmiſerunt, POLYBIO, PLVTARCHO, in variis vitarum deſcriptionibus, APPIANO, in *Syriacis* & *Punicis*, cumprimis T. LIVIO, Romanorum hiſtoricorum principe, L. ANNAEO FLORO, EVTROPIO, aliisque, ſatis nota ſunt. Res Carthaginienſium & Siculorum, cum Graecorum & Romanorum rebus intermixtae ſint, vt ſeorſim de iis diceremus, neceſſe non fuit. Interim ex iisdem auctoribus, qui de Graecorum Romanorumque rebus praecipiunt, conſtant.

PERIODI SECVNDAE

A MOSE AD CHRISTVM

SECTIO VII.

A PRINCIPATV MACCABAEORVM VSQVE AD NATVM CHRISTVM.

Σύνοψις.

Mathatias gentis Maccabaeae conditor, primus Antiochi epiphanis tyrannidi ſe opponit, §. *I.*

Ei ex filiis ſuccedit Iudas, qui variis ab hoſtibus reportatis victoriis, temploque purgato cultum Numinis publicum reſtituit, §. *II.*

Idem contra Antiochum eupatora ſtrenue ſe defendit; ſed templum tandem ei tradere cogitur, munitionibus nudandum, §. *III.*

Res Iudaeorum ab Alcimo turbatae; Iudas inſignem a Nicanore refert victoriam; tandemque cum contra Bacchi-

Bacchidem fortiter pugnaſſet, in proelio occubuit, §. *IV*.

Ionathan, Iudae fratris ſucceſſor, Bacchidi ſe opponit; pax vtcunque reddita per Bacchidem abrumpitur, qui inſigni a Ionathane clade adfectus pacem redintegrat, §. *V*.

Res Syriae turbatae libertatis & dignitatis incrementa Iudaeis & Ionathani adferunt; hic vero a Tryphone, ad quem relictis Demetrii partibus tranſierat, libertate & vita priuatur, §. *VI*.

Res geſtae Simonis, qui fratrem Ionathanem excepit; Iudaeorum ſub eo ſtatus longe florentiſſimus, §. *VII*.

Geſta Ioannis, qui patri Simoni ſucceſſit, §. *VIII*

Ariſtobulus, Ioannis filius, patri; illi vero frater Alexander Iannaeus ſucceſſit; quo mortuo, vxor eius Alexandra non ſine laude regno praefuit, §. *IX*.

Hyrcani & Ariſtobuli fratrum diſſenſiones, Pompeio occaſionem Hieroſolymam occupandi praebent; irriti Ariſtobuli, eiusque filiorum, pro recuperanda priſtina dignitate, conatus, §. *X*.

Antipater Iulii Caeſaris fauore adiutus, cum filiis Phaſaelo & Herode maximas dignitates obtinet, §. *XI*.

Herodes in regiam familiam adſcitus, regisque titulo decoratus, Antigonum vincit; ipſemet crudelitate infamis, domeſticis diſſidiis agitatur; eo regnante Chriſtus naſcitur, §. *XII*.

Viri doctrina, ſapientia, aliisque virtutibus illuſtres, qui hanc aetatem nobilitarunt, §. *XIII*.

Religio, ſeu doctrina publica, §. *XIV*.

Cultus Numinis externus, §. *XV*.

Matrimoniorum ratio, ſtatusque ciuilis, §. *XVI*.

Litterarum ſtudia, ſcholae, libri in hocce temporis interuallo editi, §. *XVII*.

Verae eccleſiae incommoda; improbi, apoſtatae, hypocritae, apud Iudaeos; ſectarum apud eosdem origo; apud ethnicos cum ſuperſtitionis decremento, incrementum atheismi coniunctum, §. *XVIII*.

Rerum iudaicarum apud exoticos ſcriptores mentio; gentium reliquarum ſtatus, §. *XIX*.

§. I.

SAeuiente in Iudaeos Antiocho epiphane, Matthatias, ex ſacerdotali genere ortus, idemque gentis Maccabaeae, quae & Asmonaea dicitur, conditor, * cum filiis, aliisque viris piis atque cordatis, impiis tyranni auſibus ſe opponens, diuino concitatus zelo, in oppido Modin, iudaeum quendam idolis ſacrificantem, regiumque praefectum, contrucidauit. Tum vero cum filiis, conuocatis etiam omnibus, quibus vlla religionis cura ſupererat, in ſolitudinem

nem ſe contulit, armiſque & vitam & libertatem, ciuiumque ſuorum defendere ſalutem coepit, grauiter ſimul in apoſtatas animaduertens, verumque Numinis cultum, quantum poterat, reſtituendo, idololatriam vero profligando, omnibus velut ſignum aliquod ad bene ſperandum ſuſtulit. **

* Matthatiam huncce gentis ſuae, ac veri Numinis cultus vindicem fortiſſimum, ex genere ſacerdotali fuiſſe, & quidem ex ordine Ioiarib, qui primus erat inter XXIV ordines a Dauide inſtitutos, ex *I. chron. XXIV. 7.* & *I. Maccab. II. 1.* itemque ex FL. IOSEPHO, *antiquit. iud. lib. XII. cap. VIII.* conſtat. Dicitur ibidem, eum fuiſſe Hieroſolymitanum, quod Hieroſolymis natus eſſet. Quod quidam ex Ebraeorum doctoribus aiunt, eum ſummum ſacerdotem fuiſſe, fundamento deſtituitur. Qui ab eo deſcenderunt, *Maccabaei*, itemque *Haſmonaei*, ſeu *Aſſamonaei*, dicti ſunt. Quorum nominum obſcura minusque explorata eſt ratio. Aſſamonaeos namque nonnulli dictos putant, a quodam Aſſamonaeo, Matthatiae proauo; quibus FL. IOSEPHVS fauet *l. c. cap. VIII.* Alii, a Simeone, auo Matthatiae, hoc nomen fluxiſſe, putant. Alii rurſus ab ebraea voce חשמנים quae *optimates*, *principes*, ſignificat, eos ita adpellitatos contendunt. Maccabaei cognomen primum Judae, Matthatiae filio, fratrum fortiſſimo, haeſit; deinde & reliquis ex eadem gente datum; praeſertim a chriſtianis. Ebraei enim ſoli Iudae id tribuunt; vid. IO. DRVSIVS ad *Sulpicii Seueri hiſtor. ſacr. lib. II. cap. XX.* Vocem autem מכבי originem traxiſſe nonnulli volunt, ex litteris initialibus verborum: מי כמוכה באלהים יהוה *quis vti tu inter deos Iehoua? Exod. XV. 11.* quae vexillo, in quo & leo, fuerint inſcriptae. Sed cum eius rei certum fideque dignum teſtem a nemine laudatum videam, eodem hoc habendum loco, ac reliquae coniecturae, quas praeter alios NIC. FVLLERVS adfert, *miſcellan. lib. II. cap. XIII.*

** Aegre ferebat Matthatias gentis ſuae ac religionis conditionem, eamque acerbe deplorabat; *I. Maccab. II. 7. ſeqq.* Interea praefecti Antiochi & ad Modin vrbem veniebant, vt eos, qui illuc ſe receperant, ad ethnicorum amplectenda ſacra cogerent. Plurimi quoque illis paruerunt. Blanditiis, ſed fruſtra, cum filiis ipſe tentatus Matthatias. Immo cum Iudaeum quendam, ſacra idolis facientem, videret, zelo correptus, ſuper ipſam aram eum trucidauit, & praefectum etiam regium occidit. Tum, vt periculum euitaret, in ſolitudinem cum ſuis ſe recepit; quod, eius exemplo inducti, & alii fecerunt quam plurimi. Horum nonnullos, qui in petra quadam ſe abdiderant, dum Antiochi copiae inuadebant, atque illi religione ducti, die ſabbathi ſe defen-

ſendere nollent, magna illis illata clades eſt. Eam rem edoctus Matthatias, diuinam de ſabbatho legem recte interpretatus eſt, eamque, ſi, quae ad vitae conſeruationem pertinent, ſuſcipiantur, minime violari, docuit; *I. Maccab. II. 40. ſeqq.* conf. & HVGO GROTIVS, de *iure belli & pac. lib. II. cap. IV.* §. *VII.* Confluentibus autem ad Matthatiam praeter alios & Haſidaeis, quibus praecipua religionis cura erat, magnoque pro eius conſeruatione zelo flagrabant, collecto exercitu, hoſtes hinc inde inuaſit, aras ethnicorum euertit, pueros, quos praeputiatos adhuc inuenit, circumcidit, & ita libertatem cum religione reſtituere coepit. Rectene ita contra Antiochum regem arma ceperit? praeter alios HVGO GROTIVS diſputat, de *iure belli & pac. lib. I. cap. IV.* §. *VI. num. V.* Atque defendit quidem ille hocce Maccabaeorum facinus; ſed ea ratione, vt adhuc quaedam moneri queant. Nullis mea opinione hic ambagibus opus. Si vel maxime in imperium Antiochi conſenſerunt Iudaei, non tamen in ſummam eius conſenſerunt tyrannidem. Hanc a ceruicibus ſuis depellere, impiis regis auſibus reſiſtendo, optimo iure poterant. Legenda, quae copioſe hac de re diſſerit MELCHIOR LEIDECKERVS, de *rep. Ebraeor. tom. II. lib. VIII. cap. I. p. 581. ſeqq.* Matthatiae, iudaeum, regiumque praefectum contrucidantis, facinus, exemplo Pineae defenditur, *I. Maccab. II. 26.* Nec abnuo, motum quendam heroicum in Matthatia fuiſſe. Pineae autem exemplum non temere imitandum aliunde conſtat; & a me oſtenſum in *differt. de iure zelotarum in gente Ebraea.* Contigerunt haec anno CXLV regni Graecorum.

§. II.

Senio iam confectus Matthatias, cum mortem ſibi inſtare animaduerteret, ex filiis Iudam, ceu fortiſſimum, reliquis praefecit, qui rem iudaicam ſeruaret, verique Numinis reſtauraret cultum.* Quod dum Iudas ſtrenue peregit, Antiochi duces, Apollonium, Seronem, Lyſiaeque, quem rex ad Perſas profectus regno praefecerat, legatos, Ptolomaeum, Gorgiam atque Nicanorem, cum ingentibus, quos ducebant, exercitibus, oratione magis, quam armis, fudit atque fugauit.** Tum Lyſiae altera vice profligato exercitu, *** templum repurgat, cultumque Numinis reſtituit.* Templum praeterea & vicinum caſtellum, Bethzuram, egregie communiuit, Idumaeisque & Ammonitis, aliisque gentibus vicinis, qui Iudaeos laceſſere auſi fuerant, victis, ſecuritatem ſuis conciliat.**

 * Mat-

* Matthatiam per vnum ſolum annum principatum tenuiſſe, auctor eſt FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XII. cap. XII.* Filios autem reliquit quinque, Iochananem, ſeu Iohannem, Simonem, Iudam, Eleazarum, Ionathanem, quorum cognomina paullo aliter *I. Maccab. III. 2. ſeqq.* exprimuntur, quam apud IOSEPHVM *l. c.* Ex his pater Iudae curam, publicam rem adminiſtrandi, bellumque continuandi, demandauit ob eius fortitudinem; Simon autem cum prudentia praeſtaret, conſiliis eius non aliter, ac patris, reliquos obtemperare voluit; *I. Maccab. II. 66. 67.* Sunt, qui Iudam patri etiam in pontificatu ſucceſſiſſe, autumant. Sed hoc quam falſum ſit, ex iis intelligetur, quae in ſequentibus dicemus.

** Fuſius iſta enarrantur *I. Maccab. III.* & *IV.* & apud FL. IOSEPHVM, *antiquit. iud. lib. XII. cap. XI.* Obſeruatu dignum, quod de Iudaeis Mizphati congregatis, *I. Maccab. III. 48.* dicitur, eos protuliſſe libros ſacros, quos conquiſiuerint ethnici, *vt inſcriberent in ipſis ſimilitudinem idolorum ſuorum.* Vero namque ſimile, ethnicos idolorum ſuorum imagines in codicibus ſacris pingendo, eos inutiles Iudaeis reddidiſſe. Eiusmodi ergo libros protulerunt, & expanderunt coram Deo, ceu luculentiſſima miſeriae ſuae atque calamitatis documenta, quemadmodum Hiskias litteras Sennacheribi blaſphemiis refertas, coram domino expandit, *II. reg. XIX. 14.*

*** Hoc anno ſequenti factum, *I. Maccab. IV. 28. ſeqq.*

* Purgato ab idolis templo, intermiſſus per triennium cultus reſtauratus, idque eodem die factum, quo templum profanatum erat; vigeſimo quinto menſis Casleu anno CXLVIII regni Graecorum, *I. Maccab. IV. 36. 52.* adeoque anno vno ante mortem Antiochi. Repugnat, quod *II. Maccab. X. 3. ſeqq.* biennio poſt Antiochi mortem templi reſtauratio narretur. Quae vt inter ſe conciliet, laborat NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi VI. cap. I. artic. III. p. 240.* Sed occurrunt in eodem libro & alia, quae difficulter aut cum libro primo Maccabaeorum, aut cum rei veritate conciliaueris. Inter alia & *cap. VIII. 10.* victoria quaedam Iudaeorum commemoratur, quam in Babylonia contra Galatas, ſeu Gallo-graecos, reportauerint, cuius nulla apud alium quenquam exſtat mentio. Superuacaneum hinc etiam eſſe exiſtimo, diſputare, quando victoria iſta contigerit. In memoriam cultus diuini reſtituti, ſpeciatim altaris ſolenni ritu dedicati, feſtum aliquod inſtitutum, *I. Maccab. V. 59.* quod *feſtum luminum* adpellatum, FL. IOSEPHVS teſtatur, *antiquit. iud. lib. XII. cap. XI.* eo quod illis praeter ſpem tanta felicitas ſubito illuxiſſet.

** Conſtant haec ex *I. Maccab. IV. 60. 61.* it. *cap. V. verſ. 1. ſeqq.* add. FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XII. cap. XII.*

§. III. Mor-

§. III.

Mortuo interea Antiocho epiphane,* regnique habenas capeſſente filio eius Antiocho eupatore,** Iudas, vt tutiorem ſuis ad templum commeatum faceret, arcem Sionis oppugnare coepit. Eam rem edoctus eupator, ingenti cum exercitu in Iudaeam venit; cui licet fortiter ſe opponeret Iudas, impedire tamen non potuit, quo minus vrbem Hieroſolymam, atque Bethzuram occuparet; immo ipſe Iudas in templo, quod acriter cum ſuis defendebat, ob annonae defectum ad ſummas redactus anguſtias, eo lubentius pacem a rege, non minoribus incommodis preſſo, & ob Philippi molitiones domum reuocato, oblatam acceptauit; templo equidem a rege contra datam fidem munitionibus nudato, incolumitate tamen, patriaeque legis libero vſu Iudaeis conceſſo, & Menelao, turbarum iſtarum auctore, grauiſſimo ſupplicio adfecto.***

* De morte Antiochi epiphanis iam dictum ad §. *vltimam* ſectionis praecedentis. Nunc FL. IOSEPHI ſolum de ea iudicium ſubnecto, quod mihi plane ſingulare viſum. Demirari enim ſe dicit, Polybium Megalopolitanum, qui alias *ἀγαθὸς ἀνὴρ vir probus* ſit, adſerere, hunc Antiochum periiſſe, quod conatus ſit, Dianae templi theſauros ac donaria diripere; *τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον, οὐκ ἐστὶ τιμωρίας ἄξιον· voluiſſe enim tantum, & non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur res digna ſupplicio.* Plane, ac ſi eiusmodi conatus non ſatis ſuperque de ſumma animi teſtaretur improbitate. Addit porro, veroſimilius ſibi videri, ob exhauſtum ſacrilegiis templum Hieroſolymitanum, acceleratum eſſe eius interitum. Rurſus tamen, non ſatis ſibi conſtans, ſubiicit: *ἀλλὰ περὶ μὲν τούτου οὐ διαφέρομεν, τὴν ὑπὸ τοῦ Μεγαλοπολίτου λεγομένην αἰτίαν, παρὰ τὴν ὑφ' ἡμῶν ἀληθῆ νομίζουσιν· Si quis tamen magis probat Polybii ſententiam, cum eo nunc non libet contendere; lib. XII. cap. XIII.*

** Hunc, cum adhuc admodum iuuenis eſſet, pater primum Lyſiae, conſobrino ſuo, *I. Maccab. III. 33.* moriens vero Philippo cuidam commendauerat, *I. Maccab. VI. 14.* Commemoranda hic eſſent, quae *I. Maccab. X. XI. & XII.* referuntur: ſed dubia eorum eſt fides, quam & impeditae admodum temporum rationes magis adhuc ſuſpectam reddunt. De loco *II. Maccab. XII. 43.* vbi Iudas ſacrificia pro mortuis in templo Hieroſolymitano offerens laudatur, in ſequentibus dicemus.

*** Conſtant haec omnia ex *I. Maccab. VI. 17. ſeqq.* atque ex FL. IOSEPHO, *antiquit. iud. lib. XII. cap. XIV. & XV.* Confirmari etiam poſſunt

ſunt ex DIODORI SICVLI, *excerptis* apud PHOTIVM *cod. CCXLIV. p. 1150.* Antiocho enim (eupatori) Hieroſolymam obſidenti, eo vsque Iudaeos reſtitiſſe, dicit, donec neceſſaria omnia defeciſſent. Cumque legatos de componenda re miſiſſent, hos quidem regi ſuaſiſſe, vt vrbe deleta, gentem Iudaeorum funditus euerteret. Antiochum vero mitioribus tandem conſiliis reliquiſſe locum, moenibusque vrbis Hieroſolymae deiectis, & tributo impoſito, obſidibusque acceptis, crimine Iudaeos liberaſſe. Quod de victus inopia dicitur, quae tum obſeſſos, tum obſeſſores preſſit, id ex eo ortum, quod annus ſabbathicus eſſet, vt *I. Maccab. VI. 53.* dicitur, ex quo & FL. IOSEPHVS *l. c.* id repetit. Antiochus vero & eam maxime ob cauſſam ad pacem ineundam inductus eſt, quod Philippus, qui paterno teſtamento tutor eius conſtitutus erat, defecerat, *I. Maccab. VI. 56. & 63.* Menelaum autem omnium iſtarum turbarum auctorem iam antea ex turri quinquaginta cubitis alta, in ſubiectum cineris aggerem detrudi iuſſerat, *II. Maccab. XIII. 4. ſeqq.*

§. IV.

Menelao in pontificatu ſucceſſerat Alcimus, homo improbus atque apoſtata.* Is Demetrii, qui, occiſis Antiocho & Lyſia, Syriae regnum obtinuerat,** gratiam nactus, Iudam, & qui cum eo faciebant, ceu rebelles & publicae calamitatis auctores apud regem detulit. Hinc Bacchides, mox & Nicanor cum validis contra eos miſſus copiis. His cum fraudes, quibus vti decreuerant, non prorſus ex voto cederent, res iterum ad arma venit, victoriamque plane illuſtrem, non ſine manifeſto Numinis auxilio, a Nicanore Iudas retulit; ipſo Nicanore in proelio iſto occiſo.*** Ex federe autem cum Romanis inito tum quidem nullum fructum percepit. Demetrius enim caedem Nicanoris vindicaturus, bellum impune redintegrauit, Bacchide & Alcimo cum nouo exercitu in Iudaeam miſſis. His Iudas cum octingentis tantum militibus obuiam factus, cum fortiter pugnaſſet, in proelio cecidit.*

* Antiochum eupatora Hieroſolymis diſcedentem Alcimo ſummum ſacerdotium tradidiſſe, nonnulli referunt; aliis autem probabilius videtur, eum a Demetrio illud obtinuiſſe. Quidquid huius ſit, id inde manifeſtum, ſummum ſacerdotium eo tempore nondum penes Maccabaeos fuiſſe. Sed hac de re deinceps. Sed & de Onia, qui hocce tempore templum Heliopolitanum in Aegypto extruxiſſe dicitur, in ſequentibus dicemus,

** Demetrius, Seleuci philopa-

patoris filius, pro patruo Antiocho epiphane Romanis olim obſes datus, audita eiusdem epiphanis morte, Roma aufugit, & ab Antiochenis receptus, cum Antiochum eupatorem & Lyſiam necari iuſſiſſet, regnum paternum recuperauit. *I. Maccab. VII. 1. 2.*

*** Enarrantur haec vberius *I. Maccab. VII. & II. Maccab. XIV. & XV.* item a FL. IOSEPHO, *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. XVI. & XVII.* ſed ita, vt varias in hiſce ſcriptoribus diſſenſiones, praeſertim qua temporum rationes deprehendere liceat, in quibus tollendis fruſtra nnnnulli deſudant. Nec vero ſimile admodum quod *II. Maccab. XIV. 24. ſeqq.* de amicitia inter Nicanorem & Iudam Maccabaeum, & quod hic ex illius conſilio vxorem duxerit, narratur. Suſpecta etiam forte quibusdam videbitur viſio illa, quam Iudas Maccabaeus ſibi oblatam narrat, *II. Maccab. XV. 11. ſeqq.* Raziae, ſeipſum, ne in hoſtium veniret poteſtatem, interficientis, memorabile quidem eſt facinus, ſed perperam laudatur, *II. Maccab. XIV. 37. ſeqq.* Etſi enim non deſint, qui illud excuſandum cenſeant, vt ex iis patet, quae hac de re HVGO GROTIVS diſſerit, de *iure belli & pacis lib. II. cap. XIX. §. V.* aperte tamen hoc cum lege diuina, vitae conſeruationem nobis commendante, adeoque omnem damnante *αὐτοχειρίαν*, pugnat, quod & ipſi iam recte obſeruatum AVGVSTINO, *lib. I. contra epiſt. Gaudentii, cap. XXXI. tom. IX. opp. p. m. 445.* Inſignis autem plane fuit illa victoria, quam a Nicanore retulit Iudas Maccabaeus, idque contigit die XIII menſis Adar, anno regni Graecorum, ſeu Seleucidarum CLI, qui dies Iudaeis deinceps feſtus atque ſolennis fuit. *I. Maccab. VII. 45.* Neſcio an a crudelitatis ſuſpicione plane abſolui Iudas queat, dum caput Nicanoris atque dextram amputari, & ad arcem Hieroſolymitanam e regione templi ſuſpendi iuſſit.

* Refertur fedus hocce cum Romanis *I. Maccab. VIII. 1. ſeqq.* vbi tamen non omnia cum hiſtoria Romana ſatis conuenire, viris doctis obſeruatum eſt. Reprehendit hocce fedus RVPERTVS, abbas *lib. X. de victoria verbi Dei, cap. vlt.* Sed non omnia cum gentilibus federa Iudaeis illicita fuiſſe, exemplo Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Dauidis comprobari poteſt; conf. HVGO GROTIVS, *lib. II. de iure belli & pac. cap. XV. §. IX.* Reliqua ex *I. Maccab. VIII. & IX.* conſtant. Cum Iudas in proelio cecidiſſet, corpus eius a fratribus Ionathane ac Simeone, quos in omnibus fere expeditionibus ſocios habuerat, ereptum, & in maiorum eius ſepulcro, in vrbe Modin conditum eſt; *cap. IX. v. 19. 20.*

§. V.

Ad ſummas anguſtias per mortem Iudae redacti veri Dei cultores, Ionathanem Iudae fratrem, principem conſtituunt. Qui licet Bacchidi regis duci ſtrenue ſe opponeret, impedire tamen non potuit, quo minus oppidis quibusdam munitis, ex procerum iudaicorum liberis obſides acciperet.* Mortuo etiam eo tempore Alcimo per biennium pacata cuncta atque tranquilla fuerunt.** Abinuidis vero improbisque hominibus iterum incitatus Bacchides, cum Beth-Beſen oppidum, in quod Aſamonaei fratres ſe receperant, obſidione cinxiſſet, magna clade accepta, ſuaſoribus belli ſupplicio adfectis, pacem tandem cum Ionathane iniit.***

* Iudae ſucceſſit Ionathan, electus & exoratus ab iis, quibus libertatis veraeque religionis cura fuit, *I. Maccab. IX. 28.* Atque hic quidem Bacchidi, regio duci, ſtrenue ſe oppoſuit, quocum etiam congreſſus, cum mille homines ex copiis eius occidiſſet, per Iordanem cum ſuis ſaluus euaſit, *v. 48.* Prius autem, quam hoc contingeret, fratris ſui Ioannis mortem, aduerſus filios Iambri, magna illorum ſtrage, vltus erat, *v. 35. ſeqq.* Bacchides Ionathanem vlterius perſequi, minime conſultum ducens, in oppidis variis muniendis omne ſtudium poſuit; per praeſidia in iis diſpoſita Iudaeos vexaturus, *v. 50. 51.*

** Alcimum, qui ſummo hactenus ſacerdotio functus erat, cum porticum quandam templi, prophetarum olim inſtinctu exſtructam, diruere vellet, apoplexia diuinitus immiſſa exſtinctum eſſe, *I. Maccab. IX. 54. 55.* refertur. Contigiſſe hoc dicitur anno CLIII regni Seleucidarum, cum Ionathan rerum potiretur, adeoque Iudas iam mortuus eſſet. Vnde vix capere licet, quod FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XI. cap. XVII. p. 224.* dicit, poſt Alcimi mortem, populum communibus ſuffragiis pontificatum Iudae tradidiſſe. Quod & *cap. XIX. p. 425.* repetit, adſerens, Iudam per triennium ante obitum, pontificale ſacerdotium adminiſtraſſe. Quomodo enim Alcimo ſuccedere potuit, qui ante Alcimum mortuus eſt? Vix haec conciliaueris, niſi dicas, Iudam a ſuae partis hominibus, viuente adhuc Alcimo, pontificem conſtitutum.

*** Vrbs Bethbeſſen, vt vulgatus eam vocat, vel vt in textu graeco dicitur, Βαιθβασὶ, in deſerto ſita erat, quam reſtaurauit & communiuit Ionathan, poſtquam vna cum fratre Simone, & reliquis, qui cum eo faciebant, eo conceſſerat. Eam Simoni defendendam commiſit Ionathan, cum ipſe interea ad alias expeditiones excurriſſet. Bacchides vero cum acriter eam vrbem oppugnaſſet, clade inſigni

ſigni adfectus, obſidionem ſoluere coactus eſt. Quod aegre ferens, in ſuaſores expeditionis iram omnem effudit. Ea opportunitate vtendum ratus Ionathan, pacem a Bacchide petiit & impetrauit. Hieroſolyma autem cum aliis vrbibus munitis, in regis manſerunt poteſtate. Hinc Ionathan Michmaſi rerum ſuarum ſedem fixit, iuraque ſuis reddidit, & contra apoſtatarum iniurias defendit, *I. Maccab. IX. v. 58. ſeqq.*

§. VI.

Exortum praeterea inter Alexandrum Balam & Demetrium bellum, noua dignitatis & libertatis incrementa Ionathani & Iudaeis attulit, illo quidem Alexandri partes ſequente, qui & miſſis ornamentis regiis, eum amicum & ſummum ſacerdotem adpellauit.* Immo & noua fauoris ſui documenta addidit, cum Ionathan exercitum Demetrii nicanoris, cui Apollonius praeerat, victum profligaſſet, variasque ſimul vrbes occupaſſet.** Demetrii equidem deinceps per Ptolomaeum philometorem, Aegypti regem, res reſtitutae ſunt, quem & hoc nomine iratum ſibi Ionathan habuit, quod expugnandae arcis Hieroſolymitanae conſilium cepiſſet; placatus vero muneribus Demetrius non modo principatum cum ſacerdotio Ionathani confirmauit, ſed & commoda plurima Iudaeis conceſſit. Adfuit deinde Ionathan eidem Demetrio contra Triphonem ſeu Diodotum, Alexandri filium Antiochum in regnum Syriacum reducturum. Demetrium vero ingratum eſſe agnoſcens ad Tryphonis partes acceſſit, facile, quae volebat, ab illo obtinens; quo tamen id agente, vt interfecto Antiocho, ipſemet Syriae regnum ſibi vindicaret, per inſidias captus atque in vincula coniectus, libertate pariter ac vita priuatus eſt.***

* Alexander nimirum cognomento Veles ſeu Bala dictus, Antiochi epiphanis ſe ferebat filium, regnumque adeo paternum recuperaturus, arma contra Demetrium ſoterem, Seleuci philopatoris filium, quem Syriae regnum occupaſſe, *ad* §. *IV.* diximus, cepit. Cum ergo occupata Ptolomaide vrbe ibi regnare coepiſſet, Demetrius ſoter in anguſtias coniectus, pacem Ionathani obtulit, eique redditis, qui in arce Hieroſolymitana detinebantur, obſidibus, poteſtatem conſcribendi exercitum conceſſit. Hieroſolymam itaque ingreſſus Ionathan, vrbem montemque Sion communiuit, hoſtium reliquiis hinc inde dilabentibus, apoſtatis autem Bezuram ſe recipientibus. Contigit hoc anno Seleucidarum CLX. conf. *I. Maccab. X.*

1. ad

1. ad *15.* De his omnibus certior redditus Alexander, Ionathanem in ſuas pertrahere partes conatus eſt. Scriptis itaque ad eum litteris, amicum ſummumque ſacerdotem adpellauit, ſimulque purpuram & coronam miſit. Qua re permotus Ionathan, conditiones oblatas acceptauit; ſacerdotaliaque ornamenta induit, in feſto ſcenopegias, anno CLX. *I. Maccab. X. 21.* Scripſit equidem rurſus & Demetrius ad Ionathanem, eique & toti genti iudaicae conditiones longe ſplendidiores obtulit; quibus tamen, quantumuis magnificis, Ionathan a fide Alexandri abduci non potuit. Recteque eum rebus ſuis conſuluiſſe, euentus docuit, ſiquidem anno ſequenti Demetrius magno proelio ab Alexandro victus occubuit; *I. Maccab. X. 21.* ad *25.* add. FL. IOSEPHVS, *antiquit. ind. lib. XIII. cap. IV. & V.* Rectene, an ſecus fecerit Ionathan, quod relictis Demetrii partibus ad Alexandrum tranſiit, tum demum definiri poterit, ſi, quisnam ex illis iuſtam belli habuerit cauſſam, conſtiterit. Id enim haud difficulter concedi poteſt, neutri iuſtas cauſſas imperium in Iudaeos ſibi vindicandi fuiſſe. Atque tum quidem illum adiuuare poterat, ſi quieſcere non liceret, cuius cauſſa erat melior. In eo vero, quod poſt Alexandri demum conceſſionem pontificatu fungi coeperit, minime culpandus eſt. Ea enim rerum iudaicarum eo tempore erat conditio, vt inuitis Syriae regibus hoc facere non potuiſſet. Conſtans autem Alexandri & Ionathanis fuit amicitia, ſiquidem & illius nuptiis cum Cleopatra, Ptolomaei philometoris Aegypti regis filia, Ptolomaide celebratis, Ionathan interfuit, magnifice ab vtroque rege exceptus: accuſatores autem eius ne quidem auditi ſunt; *I. Maccab. X. 15.*

** Demetrius hicce nicanor erat Demetrii ſoteris filius, qui Apollonium cum exercitu in Syriam miſit; quem cum Ionathan magna clade adfeciſſet, vrbesque Ioppen, Azothum, Ascalonem expugnaſſet, Alexander ei cingulum aureum miſit, cuiusmodi regum cognatis mittere, moris erat, & Accaronem vrbem, omnesque eius fines, illi dono dedit, *I. Maccab. X. 67. ſeqq.*

*** Ptolomaeus philometor, rex Aegypti, id equidem agebat, vt Syriae regnum cum Aegypto coniungeret. Hinc amicitiae ſpecie in Syriam venit, ſed in vrbibus, in quas introducebatur, ſtatim praeſidia reliquit. Demetrium equidem ad ſe vocauit, eique filiam ſuam, quae Alexandro nupſerat, in matrimonium tradidit, ſimul tamen Antiochiae duplicem coronam, Aegypti alteram, alteram Aſiae, ſibi impoſuit. Hisce Ptolomaei pariter ac Demetrii conatibus cum Alexander ſe opponeret, viribus tamen inferior, in Arabiam fuga ſe recipere coactus eſt; vbi Zabdiel Arabs eum interfecit, & caput ad Ptolomaeum miſit, qui & ipſe poſt triduum obi-

obiit, regnumque Aegypti fratri Ptolomaeo Phyſconi reliquit. Syriae autem regnum Demetrius nicanor iterum obtinuit. Contigerunt haec anno Seleucidarum CLXVII. Inter haſce turbas Ionathan conſilium cepit arcis Hieroſolymitanae expugnandae. Quod cum Demetrius, ab apoſtatis eam rem edoctus, aegre ferret, Ionathan non tantum coepta intermittere, ſed & ad regem Ptolomaidem venire iuſſus eſt. Idque cum feciſſet Ionathan, muneribusque regem placaſſet, non tantum in pontificatu confirmatus eſt, ſed & cum eidem trecenta talenta promiſiſſet, immunitatem toti Iudaeorum regioni & tribus toparchiis ei adiectis, a tributis & decimis, quae regibus pendi conſueuerant, obtinuit. *I. Maccab. XI. 1.* ad *39.* Cum regnum Demetrius obtinuiſſet, & dimiſſis copiis domeſticis, militem peregrinum retineret, plurimorum ſibi attraxit odia. Ea occaſione vtendum ratus Tryphon, qui ex Alexandri amicis erat, ad Emalkuelem Arabum regem, apud quem Antiochus Alexandri filius educabatur, ſeſe contulit. Interea exorto Antiochenſium ciuium tumultu, in magnum vitae periculum Demetrius adducebatur, cui Iudaei, ab Ionathane ei contra Tryphonem auxilio miſſi, illum eripiebant. Centum millia hominum vno die Antiochiae tum occiſa ſunt, ſi vera ſunt, quae *I. Maccab. XI. 48.* referuntur. FL. IOSEPHVS, hunc numerum non exprimit, & mercenarios inſuper milites a regis partibus ſtetiſſe, adſerit, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. IX.* quod negatur *I. Maccab. XI. 42.* Mox autem Antiochus Tryphonis ope regno potitus eſt: cuius partes & Ionathan amplexus eſt, eo quod Demetrium & ingratum & promiſſorum parum memorem expertus eſſet. Variae hinc Ionathanis expeditiones, & inſignis victoria, quam ad lacum Genneſareth a Demetrii ducibus retulit, *I. Maccab. XI. 54. ſeqq.* Hinc fedus cum Romanis atque Spartanis renouat, *I. Maccab. XII. 1.* ad *24.* Cognationis hic Iudaeos inter ac Spartanos, ob communem ab Abrahamo originem, iniicitur mentio, *v. 21.* de qua iam ſupra ex inſtituto dictum. Tum iterum feliciter contra Demetrii duces in Amathaea regione, itemque contra Arabes pugnat; omnibusque ex voto peractis, de moenibus Hieroſolymorum reſtaurandis, praeſertim de arce a ciuitate muro intermedio ſeparanda, cum ſenioribus populi conſultationem inſtituit; *I. Maccab. XII. 24.* ad *36.* add. FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIII. cap IX.* Tryphoni autem cum conſtitutum eſſet, interfecto Antiocho, Syriae regnum ſibi adſerere, facileque intelligeret, non alium magis, quam Ionathanem tam improbo aduerſaturum conſilio, blanditiis fraudibusque eum induxit, vt dimiſſo exercitu, Ptolemaidem ſecum proficiſceretur, ibique in vincula coniectum, poſt aliquod temporis ſpatium cum duobus filiis, quos Simoni, obſides patentis futuros, vna cum ma-

magna pecuniae ſumma, fraudulenter extorſerat, interfecit; *I. Maccab. XII. 41.* ad *54. XIII. 1. ſeqq.* FL. IOSEPHVS, *ant. iud. lib. XIII. cap. X.*

§. VII.

Supererat ex Matthatiae filiis adhuc Simon, qui prudentiae ac fortitudinis non vnum hactenus documentum dederat. Hic omnium ſuffragiis in fratris locum ſuffectus, a Tryphonis ſceleribus abhorrens, cum Demetrio nicanore, a Tryphone Syria pulſo, fedus ea inter alias lege renouauit, ne Iudaei Syriae regibus annuum tributum amplius pendere cogerentur. Ablato ita a Iudaeis gentium iugo, libertas reddita, quam Gaza expugnata, arceque Hieroſolymitana per praeſidiariorum deditionem recepta, Simon egregie confirmauit. * Fuerunt ſub hocce principe res Iudaeorum longe florentiſſimae, atque ita inclaruerunt, vt nec Spartani nec Romani illorum amicitiam reſpuerent. Hinc & Simoni huic eiusque poſteris, principatus cum ſummo ſacerdotio hereditarius, confirmatus fuit. ** Capto interim a Parthis Demetrio, Tryphon Syriae regnum occupat, eodem mox per Antiochum Sidetem deturbandus. Hunc & Simon, ſplendidis promiſſis inductus, adiuuit. Sed cum mox iniquiſſimum experiretur, arma contra ducem eius Cendebeum cepit, quem filii Simonis, Iudas & Ioannes, exercitui a patre praefecti, fuderunt, ac profligarunt. Ipſe vero Simon a Ptolomaeo, genero ſuo, inter hoſpitales epulas, cum filiis duobus Matthatia & Iuda, nefando ſcelere interfectus, indignum virtutibus ſuis vitae exitum nactus eſt. ***

* Fratre Ionathane a Tryphone capto, Simon princeps ſummusque ſacerdos vnanimi populi conſenſu conſtitutus eſt. Cumque contractis copiis ad bellum ſe comparaſſet, a Tryphone ſpes fratrem recipiendi, ſi centum talenta & duos Ionathanis filios obſides mitteret, ei facta eſt. Sed pecunia cum obſidibus accepta, Simoni Tryphon illuſit, tandemque Ionathanem cum filiis, vt antea diximus, interfecit. Corpora occiſorum in monumentum paternum Simon intulit, quod ſplendidiſſime exſtruxit, *I. Maccab. XIII. 25. ſeqq.* Mox vero Tryphon, occiſo & Antiocho, Syriae regnum ſibi vindicauit. Quam rem edoctus Simon, cum Demetrio nicanore, qui in Aſia ſuperiori degebat, fedus renouauit, ea quidem lege, vt immunitatem a tributis omnibus populus iudaicus impetraret, & munimenta, quae exſtruxerat, retineret. Primum hoc redditae liber-

ta-

tatis initium fuit, vnde & in eius rei memoriam nouam annorum epocham inchoarunt, ab anno ſcilicet primo, quo Simon principatu ſummoque ſacerdotio fungi coepit. Idque contigit anno regni Seleucidarum centeſimo ſeptuageſimo. *I. Maccab. XIII. 41. 42.* Nec a vero abhorret ab hocce tempore, ſimulque in huius rei memoriam, nummos cudi coepiſſe, quorum nonnulli Samaritanis litteris inſcripti ad noſtram peruenere aetatem; quod quidem ius monetam cudendi deinde Iudaeis confirmauit Antiochus Demetrii filius, *I. Maccab. XV. 6.* Sed hac de re ſupra ad *praeced. ſect.* §. *XII.* dictum. Gaza tum expugnata, & arce Hieroſolymitana per praeſidiariorum deditionem recepta & repurgata, ſolenni pompa in eam ingreſſus eſt Simon, die XXIII menſis II anno Seleucidarum CLXXI; quem diem deinceps quotannis feſtum eſſe voluit. Haec & reliqua conſtant ex *I. Maccab. XIII. v. 43.* ad *fin.*

** Summa iſta gentis iudaicae ſub Simonis principatu felicitas deſcribitur *I. Maccab. XIV. 4. ſeqq.* De legationibus eius honorifice a Romanis & Spartanis exceptis, *ibid. v. 16. ſeqq.* Principatus autem hereditarius Simoni & poſteris eius confirmatus fuit die XVIII menſis Elul, anno regni Seleucidarum CLXXII. Factum id fuit in conuentu magno ſacerdotum & populi, & principum gentis, & ſeniorum regionis, *in Aſaramel*, vt interpres latinus habet, vel vt in textu graeco legitur: ἐν Σαραμὲλ· Vbi quidem nonnulli vocem *Aſaramel* ex voce *Ieruſalem* corruptam exiſtimant; alii autem, ebraeum loci nomen fuiſſe putant, חצר מלא *atrium Millo*, ſiquidem in Millo conuentus publicos haberi ſolitos, teſtetur R. DAV. KIMCHI ad *I. reg. IX. 24.* Quae vt minime contemnenda eſt coniectura, ita ſimul patet, latinum interpretem rectius hanc vocem expreſſiſſe, quam textum graecum; conf. HVGO GROTIVS ad *h. l.* Confirmarunt autem Simoni principatum & ſummum ſacerdotium, *donec conſurgat propheta fidelis*, *I. Maccab. XIV. 41.* Quibus verbis vti egregiam de Meſſia, quem exſpectabant, confeſſionem edunt, ita haud obſcure ſe Meſſiae aliquod regnum, quod huius ſeculi ſit, credere, ſignificant. Praeter illorum autem opinionem contigit, vt non longe poſt principatum a gente Aſſamonaea ablatum, *propheta ille fidelis*, adueniret. Sed hac de re deinceps.

*** Qua ratione Demetrius nicanor ab Arſace Parthorum rege captus ſit *I. Maccab. XIV. 1. 2. 3.* exponitur. Tum vero Antiochus Sidetes, frater Demetrii nicanoris, ſuadente Cleopatra, eiusdem nicanoris vxore, ſimulque matrimonium offerente, contra Tryphonem Syriae regnum ſibi vindicantem, arma cepit; Iudaeorumque confirmatis priuilegiis, magnificisque additis promiſſis, Simonis amicitiam ſibi conciliat. Ius cu-

cudendae monetae, cuius inter alia *I. Maccab. XV. 6.* mentio inijcitur, non tam primus conceſſiſſe, quam a Simone iam vſurpatum confirmaſſe videtur, vt antea iam obſeruauimus. Adfuit & Antiocho Simon, & Tryphonem Dorae obſidenti copias auxiliares cum pecunia atque armis miſit. Haec vero non modo reſpuit Antiochus, ingenti, quem habebat, exercitu fretus, ſed & vrbes quas Syriae regibus a Iudaeis ademtas dicebat, cum ingenti pecuniae ſumma ſibi reſtitui volebat; quem in finem & Athenobium Hieroſolymam miſit. Renuentibus autem Iudaeis, Cendebeum ducem cum exercitu in Iudaeam immiſit, qui & circa Gazam & Iamniam caſtra metatus, plurima Iudaeis damna intulit. Mox autem fugam capeſſere coactus eſt a Iuda & Ioanne, Simonis filiis, quibus pater belli curam demandauerat. *I. Maccab. XV. 25.* ad *fin. it. XVI. 1. ſeqq.* Hoc etiam circiter tempore legati ad Romanos miſſi redierunt, cum litteris ſenatus, quibus Iudaei Romanorum ſocii declarabantur; ſimulque reges & ciuitates viciniae vllam illis creare moleſtiam, aut transfugis eorum receptum praebere, prohibebantur. *I. Maccab. XV. 25. ſeqq.* In litteris Romanorum Lucius conſul nominatur; quem nonnulli Luc. Metellum, alii Luc. Calpurnium Piſonem interpretantur; HVGO vero GROTIVS ad *h. l.* Lucium Furium Philum, a CICERONE & OBSEQVENTE memoratum, & in faſtis per errorem *Publium* dictum, intelligit. Recte etiam idem GROTIVS monet, non referri hocce ſenatus conſultum, prout Romae ſcriptum fuit, ſed ſenſum eius ſolum exprimi. Stilo enim alio, aliisque formulis, Romani vti ſolebant. Parricidium Ptolomaei, quo Simonem ſocerum ſuum, eiusque duos filios, Matthatiam & Iudam e medio ſuſtulit, vt ipſe principatum obtineret, deſcribitur *I. Maccab. XV. 11. ſeqq.* add. FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XIV.* Contigit hoc anno regni Seleucidarum CLXXVII.

§. VIII.

Ioannes vero Simonis filius, cognomine Hyrcanus dictus, qui Ptolomaei inſidias vix euitauerat, patri in principatu aeque ac ſacerdotio ſucceſſit. Is ab Antiocho Sidete, qui vaſtata Iudaea, Hieroſolymam obſidione cinxit, eo penuria victus adactus eſt, vt armis obſidibusque traditis, pacem peteret, Ioppes, aliarumque extra Iudaeam vrbium, vectigalibus cederet, & pro redimendo praeſidii onere quingenta talenta ſolueret. ** Antiochum deinde in expeditionem Parthicam ſecutus eſt: quo poſt aliquot annos caeſo, dimiſſoque a Parthis Demetrio, rebusque adeo Syriae turbatis, Ioannes

nes aliquot Syriae vrbes occupauit, templum Samaritanorum in monte Garizim funditus euertit, Idumaeos ad circumciſionem ſuſcipiendam adegit; renouatoque cum Romanis federe, cuncta ab Antiocho ablata recepit. *** Continuatae deinceps Syriae turbae occaſionem ei dederunt expugnandi, funditusque euertendi Samariam vrbem, Scythopolinque recipiendi. Obiit, cum annis XXVI principatum tenuiſſet. *

* Miſerat Ptolomaeus ſatellites Gazam, qui Ioannem ibi agentem interficerent. Sed cum Ioannes inſidias illas, itemque patris & fratrum caedem edoctus ante eſſet, quam ſatellites iſti aduenirent, captos illos capitali adfecit ſupplicio, *I. Maccab. XVI. 19. ſeqq.* Quo pacto Ioannes, cum patri in principatu & ſummo ſacerdotio ſucceſſiſſet, Ptolomaeum obſederit, & qua ratione hic tandem liberatus aufugerit, FL. IOSEPHVS narrat, *lib. XIII. antiquit. iud. cap. XV.* Sed haec nonnullis incerta admodum videntur. Interim in iis, quae porro commemorabimus, ſolus nobis ſequendus eſt IOSEPHVS, cum auctor libri primi Maccabaeorum hic ſubſiſtat. Ioannis equidem huius, de quo dicere incepimus, geſta peculiari libro ſcripta eſſe, *I. Maccab. XVI. 23. 24.* adſeritur. Sed hicce hodie non exſtat. SIXTVS equidem SENENSIS *biblioth. ſanct. lib. I. p. 39.* refert, ſe Lugduni in bibliotheca Santis Pagnini apud Praedicatores reperiſſe librum quartum Maccabaeorum longe alium, quam qui vulgo ita vocatur, plenum hebraismis, & hiſtoriam XXXI annorum continentem, atque incipientem his verbis: *καὶ μετὰ τὸ ἀποκτανθῆναι τὸν Σίμωνα ἐγενήθη Ἰωάννης ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἱερεὺς ἀντ' αὐτοῦ.* Quae ipſa facile aliquem in eam inducere ſententiam verba poſſent, eundem hunc fuiſſe librum, qui *I. Maccab. XVI. 24.* laudatur. Quod ſi fuit, & iſte periit, cum bibliotheca iſta Pagnini incendio conſumta ſit; conf. IO. SELDENVS, de *ſucceſſ. in pontificat. lib. I. cap. XIII.* & IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XXIX. pag. 750.*

** Refert haec FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XVI.* vbi & Antiochi regis pietatem laudat, tum quod obſeſſis Hieroſolymitanis ad feſtum tabernaculorum celebrandum, non inducias tantum conceſſerit, verum etiam victimas & donaria miſerit; tum quod eorum conſilio, qui gentem inſociabilem, & inſtitutis a reliquis omnibus diſcretam, penitus eſſe delendam ſuadebant, locum non reliquerit. Quod autem IOSEPHVS de ſepulcro Dauidis a Ioanne aperto, magnoque ibi reperto theſauro, ex quo tria millia talentorum produxerit, addit, inter fabulas merito refertur, & ſupra iam exploſum eſt, ad *per. II. ſect. III. § XX. p. 172. ſeqq.*

bbbbbb

*** Quod

*** Quod diximus, Ioannem in expeditione Parthica Antiochum ſecutum, id NICOLAI DAMASCENI teſtimonio comprobat FL. IOSEPHVS, *l. c. lib. XIII. cap. XVI.* Reliqua idem fuſius commemorat, Parthorum regem Phraatem, quocum dimicans Antiochus Sidetes in proelio occubuit, communi gentis huius regibus nomine Arſacen adpellitans. Quod autem Ioannes hicce Idumaeos ad circumciſionem coegerit, laudatur quidem a nonnullis, iis ſcilicet, qui homines violentia quadam armisque ad religionem quandam amplectendam adduci poſſe, ſibi aliisque perſuadere conantur. Hi ipſi vero vt aperte ſatis, ſe, quid religio ſit, neſcire, produnt, ita eos religionem ſolum prauis ſuis cupiditatibus, imperandi maxime libidini obtendere, plane exiſtimo. Indumaeos equidem, vtpote ex Abrahami ſemine progenitos, ad circumciſionem ex Numinis praecepto obſtrictos fuiſſe, non dubito. Grauiter etiam citra controuerſiam peccauerunt, dum ethnicorum mores & ritus, tum in aliis, tum & in circumciſionis intermiſſione adſumſerunt. Sed ideo non ſtatim vi atque armis ad priſtinos reducendi erant ritus. Quam quidem conuertendi homines methodum vt in Antiocho epiphane merito improbabant Iudaei, ita & ipſi eadem erga Idumaeos neutiquam vti debuiſſent. Eam vero, ſi homines ad deſperationem non ducat, hypocritas ſaltem facere, vel hoc ipſum Idumaeorum exemplum comprobat. Refert enim IOSEPHVS, cum Ioannes illis edixiſſet, vt circumciderentur, niſi mallent e propriis pelli ſedibus, illos *amore patriae admiſiſſe & circumciſionem, & reliquam ſecundum iudaicos ritus viuendi formulam.* Si amore patriae ſolum hoc fecerunt, ergo non ex animi ſententia. Interim, vt porro IOSEPHVS addit, ex eo primum tempore inter Iudaeos cenſeri coepti ſunt.

* Demetrium nicanorem a Parthis dimiſſum, antea commemorauimus. Huic Ptolomaeus physcon Aegypti rex, a Syris incitatus, oppoſuit Alexandrum quendam Zebinam, qui ſe Antiochi Sidetis ferebat filium. Res ergo cum ad proelium veniſſet, Demetrius victus, nec a Cleopatra vxore (quae poſt eius captiuitatem fratri eius Antiocho Sideti nupſerat) in vrbem Ptolomaidem admiſſus, inde Tyrum delatus, ab inimicis capitur, tandemque miſere vexatus interficitur; conf. IVSTINVS, *hiſtor. lib. XXXIX. cap. I.* Ex filiis autem eius Seleucus, quoniam ſine matris auctoritate diadema ſumſerat, itidem occiditur, imperio eius ad fratrem Antiochum, cui propter naſi magnitudinem cognomen Grypo fuit, delato, ea tamen ratione, vt nomine quidem regis gauderet, imperii autem vis omnis penes matrem eſſet. Interea Alexander Zebina Syriae regnum occupauerat, ſucceſſuque rerum tumens, ipſum Ptolomaeum, a quo ſubornatus fuerat, ſpernere coepit. Ptolomaeus itaque Cleopatrae ſorori reconciliatur, Grypi par-

partes amplectitur, eo quidem euentu, vt Alexander proelio victus, in Grypi tandem poteſtatem veniret, a quo & interfectus eſt. Mox vero Grypo ſe oppoſuit frater eius vterinus, Antiochi Sidetis ex Cleopatra filius, Antiochus Cyzizenus, vnde nouae in Syria turbae. Praeter FL. IOSEPHVM, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XVII.* de hisce omnibus legendus IVSTINVS, *lib. XXXIX. cap. I. & II.* Atque hisce quidem cum tempeſtatibus dum Syria colluctabatur, Iudaei non tantum alta pace fruebantur, ſed Ioannes quoque nullam occaſionem, res illorum firmandi & amplificandi praetermiſit. Samariam itaque etiam vrbem poſt diuturnam obſidionem, Antiocho Cizyzeno fruſtra Samaritanis auxilium ferre conante, expugnauit, & inducto in aream vrbis deſtructae torrente, funditus deleuit; FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XVIII.* Zelus namque quidam pro religione eum induxiſſe videtur, vt non minus in Samaritanos, quam Idumaeos arma caperet. Qua in re an modum ita, vt decet, ſeruauerit, nunc non diſquiram. Idem etiam Scythopolin, & alia quaedam oppida, prodente Epicrate, Antiochi duce, recepit, vt ex eodem IOSEPHO *l. c.* conſtat. Refert etiam IOSEPHVS ad haecce tempora, fortia Iudaeorum in Aegypto facta, Chelciae cumprimis atque Ananiae, filiorum Oniae, quos Cleopatra, a filio ſuo Ptolomaeo Lathuro diffidens, copiis ſuis praefecerit. Sed non ſatis ſibi conſtare hiſtoricum, & temporum forte rationes confundere, patebit, ſi quis, quae *lib. II. contra Apion. p. 1064.* differit, conferat. Qua ratione Ioannes Hyrcanus, cum antea Phariſaeorum ſectae addictus eſſet, orta inter illum & Phariſaeos discordia, ad Sadducaeos tranſierit, apud eundem legere licet, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XVIII.* Annus principatus Ioannis XXXI, quo obiit, reſpondet anno regni Seleucidarum CC VIII.

§. IX.

Qui Ioannem excepit ex filiis natu maximus Ariſtobulus, non alia magis re, quam crudelitate in ſuos, & quod primus regium nomen & diadema vſurpauit, memorabilis; poſt vnius anni imperium mortuus, regnum fratri Alexandro Iannaeo reliquit. * Hic cum fratris caede regnum ſibi firmaſſet, a Ptolomaeo Lathuro Aegypti rege, cui violato federe, arma intulerat, magna clade adficitur; Ptolomaeo autem in Cyprum reuerſo, Gazam expugnat. Sed ab Arabibus quoque victus, omnem in ipſos Iudaeos furorem effudit. Ab his vero Demetrius Syriae rex in auxilium vocatus, eum vincit, & fugam in montes capeſſere cogit. Iudaeorum autem fortunam eius miſerantium, ope reſtitutus, magna iterum crudelitate

in eos, qui arma aduerſus illum ſumſerant, ſaeuiit. Multa vero idem & contra Syros, Idumaeos, aliasque gentes vicinas, feliciter fortiterque geſſit, & vrbes plurimas ditioni ſuae adiecit. ** Mortuus vero vxori Alexandrae regni adminiſtrationem ex teſtamento reliquit; qua & ita functa eſt, vt ex conſilio mariti, Phariſaeorum factioni plurima indulgeret, qui & eo tempore cuncta ex ſuo velut arbitrio agebant. Et ita per nouem annos quiete regnauit, Tigrane Armeniorum rege, qui Syriam inuaſerat, muneribus placato, & Romanorum auctoritate ab inſtituto depulſo. ***

* Poſt Zedekiam, vltimum ante Babylonicam captiuitatem regem, primus Ariſtobulus hicce *regis* nomen atque inſignia ſumſit. Qui ante eum ex gente Maccabaea ſummam rerum tenuerunt, *principum* ſolum aut *ethnarcharum* nomine veniunt. Animum crudelem variis documentis prodidit. Matrem enim, quam Ioannes Hyrcanus pater rerum dominam reliquerat, fame enecauit, tres fratres in vincula coniecit, Antigonum, quem prae reliquis fratribus amabat, adeoque regni conſortem fecerat, calumniatoribus aurem praebens, per ſatellites interfici iuſſit. Et nihiloſecius idem, qui haec refert, FL. IOSEPHVS eum natura aequum & modeſtum fuiſſe, adſerit, idque STRABONIS & TIMAGENIS auctoritate comprobat, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XIX.* Poterant vtique graeci iſti hiſtorici ita iudicare, ob amorem ſingularem, quo Graecos Ariſtobulus proſecutus dicitur, vnde & φιλέλλην adpellatus eſt; cum cetera illis ignota eſſent. Sed aliter iudicare, & hunc illorum debebat corrigere errorem IOSEPHVS. Ituraeos, Iſmaelitici generis gentem, deuicit, & exilii comminatione circumciſionem, ceterosque iudaicae gentis ritus ſuſcipere coegit. Studium nimirum, ea ratione religionem propagandi, eo tempore inualuit, nec a moribus hominis crudelis alienum fuit; immo forte hac ratione Deum iterum placari poſſe exiſtimauit. Continuo ſanguinis vomitu exhauſtum, & conſcientiae ſtimulis miſere dilaniatum, obiiſſe, idem IOSEPHVS refert, *l. c.*

** Poſt Ariſtobuli obitum, Salome eius vxor, ſolutis fratribus eius, quos in vincula coniecerat, Alexandrum Iannaeum regem conſtituit, aetate, vt IOSEPHVS loquitur, ceteros praecedentem, & modeſtia. Regno is potitus alterum fratrem, inſidias ſibi ſtruentem, interfecit, alterum contentum priuata & otioſa vita in honore habuit. Bello, quod cum Ptolomaeo Lathuro Aegypti rege geſſit, vrbs Ptolomais occaſionem praebuit. Hanc quippe ſibi volebat ſubiicere Alexander, ſed ciues in auxilium vocabant Ptolomaeum, qui, a matre Cleopatra e regno eiectus, Cyprum obtine-

nebat. Reliqua FL. IOSEPHVS narrat, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XX. & XXI.* Ptolomaeus, cum inſigni parta victoria Iudaeam deuaſtaret, & in vicos quosdam pueris & mulieribus refertos incidiſſet, iuſſit omnes promiſcue iugulari, & in fruſta concidi, ac in ollis coqui, vt terrore omnia impleret, eiusque milites carnibus humanis veſci crederentur. Cum Ptolomaeus Cyprum repetiiſſet, Alexander Gazam vrbem expugnauit, cuius incolae crudelitatem experti ſunt, cum militi ſaeuiendi in eos licentiam conceſſiſſet. Hieroſolymam reuerſus, populi conuiciis eum laceſſentis petulantiam ſex millium caede vltus eſt. Victis deinde Arabibus, Moabitis & Galeaditis tributa imperauit, & Amathuntem diruit; ſed cum Obeda Arabum rege, denuo congreſſus, & in inſidias pertractus, aegre incolumis euaſit, delatusque fuga Hieroſolymam, & ſuper acceptam cladem per ſex annos a ſua gente bello vexatus, non minus, quam quinquaginta millia Iudaeorum occidit. Quo ipſo ita illorum erga ſe accendit odia, vt reconciliationem quaerenti, & roganti, quid poſtularent, vno ore reſponderint: vt de medio ſe ipſum tolleret. Quo pacto tum a Iudaeis Demetrius eucaerus a Iudaeis in auxilium aduocatus ſit, quaeue tum porro contigerint, apud FL. IOSEPHVM, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XXII.* legi poſſunt. Victo Iudaeorum perduellium exercitu, nouum crudelitatis ſuae documentum dedit. Octingentos namque cruci adfigi iuſſit, cum prius ſub illorum oculis vxores & liberos illorum iugulari mandaſſet, eoque ſpectaculo ipſemet paſci voluit, dum in editiori loco, vnde proſpectus patebat, cum meretricibus epularetur. Morbo ex largiori potatione contracto, in Geraſenorum finibus mortuus eſt, dum Ragaba caſtellum obſidebat, poſtquam vxorem Alexandram admonuerat, vt Phariſaeorum ſibi conciliaret animos, ſi quiete & tranquillitate frui vellet. IOSEPHVS *l. c. cap. XXIII.*

*** Alexandra, magni & virilis animi femina, ex defuncti mariti conſilio regnum adminiſtrans, populi ſibi conciliauit fauorem, tum quod Phariſaeis, quorum iam tum magna erat auctoritas, plurimum tribueret, tum, quod a mariti crudelitate ſemper abhorrere viſa eſſet. Phariſaei autem, quos penes reuera tum rerum ſumma erat, iſta reginae gratia abuſi, crudeliter in eos, qui viuente Alexandro illis moleſti fuerunt, ſaeuierunt, plurimis e medio ſublatis. Quieta tamen per annos nouem, quos regnauit, vtcunque Iudaeorum fuit respublica. Filium natu maiorem Hyrcanum pontificem declarauit, quod otium amaret, & rebus gerendis parum idoneus cenſeretur; alterum autem filium, Ariſtobulum, cum audax & induſtrius eſſet, exercitui praefecit. Quae hinc ſecuta ſint, deinceps exponemus. Legendus de hisce FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. III. cap. XXIV.* vbi &, quod de Tigrane, Armeniorum rege, diximus, pluribus ediſſerit.

§. X.

Exorta poſt matris obitum inter fratres Hyrcanum & Ariſtobulum diſſenſione, res eo tandem peruenit, vt Hyrcanus, vocato in auxilium Areta, Arabiae dynaſta, Hieroſolymam obſideret. Aemilius autem Scaurus, Pompeii in oriente legatus, pecunia ab Ariſtobulo expugnatus, non tantum Arabes obſidionem vrbis ſoluere coegit, ſed Hyrcanum ipſum adortus, magna clade adfecit.* Pompeio deinceps rem cognoſcente, Hyrcani cauſſa ſuperior exſtitit. Cui Romanorum duci cum Ariſtobulus ſe opponeret, Pompeius cum exercitu Iudaeam ingreſſus, Hieroſolymamque profectus, & ab Hyrcani factione facile intra vrbem admiſſus, templum ipſum ab iis, qui cum Ariſtobulo faciebant, ſtrenue defenſum expugnat, pontificatum Hyrcano reſtituit, & Ariſtobulum cum duobus filiis, totidemque filiabus, vinctos Romam mittit.** Alexander equidem Ariſtobuli filius, iterum arma ſumſit; ſed victus repreſſusque eſt a Gabinio proconſule, qui & Hyrcanum in pontificatu confirmauit. Ariſtobulus quoque Roma profugus, contractoque exercitu priſtinam dignitatem recuperaturus, ab eodem Gabinio victus captusque cum filio Antigonō fugae comite Romam remiſſus eſt.*** Victo interim altera vice a Gabinio, Alexandro, & C. Caſſio Longino, Ariſtobuli partes, inſtigante Antipatro, vexante, Hyrcani factio ſuperior exſtitit. Tandem & Ariſtobulus a Iulio Caeſare dimiſſus, veneno a Pompeianarum partium hominibus propinato exſtinctus eſt. Alexandrum autem eius filium, quod denuo arma contra Romanos ſumſiſſet, Scipio iuſſu Pompeii, Antiochiae ſecuri percuſſit.*

* Viuente adhuc, ſed difficili morbo laborante matre Alexandra, Ariſtobulus arma ſumſit, & viginti caſtellis intra quindecim dies expugnatis, exercitum contraxit, quo fratri regnum eriperet. Mortua Alexandra, Hyrcanus quidem, qui iam ſummus ſacerdos erat, etiam rex ſalutatus eſt, ſed cum fratri ſimul ſe opponere cogeretur, bellum exarſit, quod & per triennium geſtum eſt, donec Hyrcanus, in proelio ad Ierichuntem commiſſo, victus, & ab exercitu deſertus, pacem ea lege acciperet, vt regnum fratri cederet. Nec Hyrcanus, cum ſedati animi eſſet, a priuata viuendi ratione temere abiiſſet, niſi Antipater Idumaeus, de cuius genere deinceps diſceptabimus, opibus florens, & ad res nouas moliendas pronus, ad regnum repetendum eum concitaſſet. Eo itaque ſuadente, & poſt multam cunctationem vix inducente, ad Aretam Arabiae regem con-

confugit, eiusque auxilio Hieroſolymam obſedit. Quo pacto autem per Aemilium Scaurum obſidionem ſoluere coactus ſit, commiſſoque proelio ſuperior exſtiterit Ariſtobulus, iam dictum, pluribusque exponit FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. III. IV.* Quae de Onia quodam, viro ſancto, hac occaſione IOSEPHVS narrat, deinceps ad §. *XIII.* commemorabimus.

** Cum Pompeius in Syriam veniſſet, Ariſtobuli & Hyrcani de regno inter ſe contendentium cauſſam cognouit; ſententiam tamen diſtulit, donec Ariſtobulo ſpe vana lactato caſtella quaedam & pecuniam extorſiſſet. Eo vero, quod cunctaretur, & promiſſis non ſtaret, in cuſtodiam miſſo, Hieroſolymam profectus, vrbe quidem facile illorum, qui cum Hyrcano faciebant, ope potitus eſt, templum vero, quod, qui ab Ariſtobuli ſtabant partibus, ſtrenue defendebant, poſt trium menſium demum obſidionem cepit, die ieiunii, olympiade CLXXIX, C. Antonio, & M. Tullio Cicerone conſulibus. Non itaque ſine magno labore Pompeius templum expugnauit; quod praeter FL. IOSEPHVM, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. VIII.* & DIO CASSIVS confirmat, *lib. XXXVII. p. 36.* Atque ne tum quidem templum expugnaſſet, niſi obſeſſorum hoc feciſſet ſuperſtitio, quippe qui Romanorum opera & machinas, quibus erigendis die ſabbatho occupabantur, adgredi, nefas ducebant. Quod haud dubie ex Phariſaeorum profectum eſt disciplina. Captum templum Pompeius *victoriae iure*. VT C. CORNELIVS TACITVS ait, *lib. V. hiſtor. cap. IX. ingreſſus eſt*, & ea vidit, quae videre fas nemini erat, praeter ſacerdotes, quod aegre ferebant Iudaei, prohibere autem non poterant. Laudat pietatem Pompeii IOSEPHVS, quod nihil ex ſacris theſauris abſtulerit, immo ne attigerit quidem: *οὐχ' ἥψατο δὶ εὐσέβειαν, ne attigit quidem prae pietate, l. c. lib. XIV. cap. VIII.* At aliter CICERO hac de re iudicat. *orat. pro L. Flacco, cap. XXVIII. At Cn. Pompeius*, inquit, *captis Hieroſolymis, victor ex illo fano nihil attigit. Inprimis hoc, vt multa alia, ſapienter, quod in tam ſuſpicioſa ac maledica ciuitate locum ſermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim, credo, religionem & Iudaeorum & hoſtium, impedimento praeſtantiſſimo imperatori, ſed pudorem fuiſſe.* Cecidiſſe eo tempore dicuntur duodecim millia Iudaeorum. Pompeius autem principibus factionis ſupplicio adfectis, Iudaeos Romani populi vectigales fecit; pontificatum Hyrcano reddidit. An vero regnum eidem reſtituerit? diſceptant inter ſe viri eruditi, qua de re deinceps ad §. *XVI.* Praeterea vrbes in Coelo-Syria, maritimas praeſertim, Iudaeis ademtas, Syriae prouinciae Romanis iam parenti, attribuit; Ariſtobulum vero, vti iam dictum, cum duobus filiis totidemque filiabus vinctos Romam miſit, triumphum eius Aſiaticum cum Mithridatis liberis, aliisque Aſiae regibus & dyna-

naſtis, exornaturos, vt FL. IOSEPHVS *l. c.* nos condocet.

*** Quod de prima, quam Gabinius ab Alexandro Ariſtobuli captiui filio retulit, victoria diximus, FL. IOSEPHVS enarrat, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. X.* Ne prorſus Alexandrum perderet Gabinius, hoc matris eius precibus dedit. Addit IOSEPHVS, Hyrcano Hieroſolymam reducto, & in pontificatu confirmato, Gabinium regionem iudaicam in quinque conuentus iuridicos diuiſiſſe, *l. c.* Cum Ariſtobulus, corruptis cuſtodibus, Roma profugus in patriam rediiſſet, contracta octo millium armatorum manu, caſtella quaedam diruta occupauit, & munire coepit. In caſtello autem quodam obſeſſus, & ad deditionem compulſus, altera vice cum filio Antigono Romam miſſus eſt; liberi tamen eius mox a Romanis dimiſſi ſunt, eo quod ſenatus cognouerat, id illorum matri in caſtellorum quorundam deditione a Gabinio promiſſum eſſe.

* Romanorum nimirum copiis in Aegypto occupatis, Alexander Ariſtobuli filius multos Iudaeorum, vt deficerent, induxit, Romanorumque praeſidia oppreſſit, ac triginta millia militum ſub ſignis habens, cum Gabinio proelium committere auſus eſt, quo ex acie iudaica decem millia deſiderata ſunt. Gabinium proconſulem in praefectura excepit M. Craſſus, qui contra Parthos exercitum ducens, & Hieroſolymam tranſiens, & templi theſaurum, a quo Pompeius abſtinuerat, diripiens, ad talentorum decem millia inde abſtulit, praeter trabem auream, quam redimendo theſauro Eleazarus ſacerdos tradidit. Immanem hanc pecuniae ſummam credibilem reddere FL. IOSEPHVS adnititur, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. XII.* An autem omnibus, quae dicit, perſuaſurus ſit, dubito. M. Craſſo a Parthis interfecto, C. Caſſius Longinus cum reliquiis exercitus Syriam ſtrenue propugnauit, ſimulque inſtigante Antipatro, Ariſtobuli partes adflixit, valdeque debilitauit. Iul. Caeſar Ariſtobulum non tantum vinculis ſoluit, ſed & cum duabus legionibus in Syriam miſit; eum vero cum Pompeianarum partium homines veneno e medio ſuſtuliſſent, & haec ſucceſſu caruerunt conſilia. De Alexandro Ariſtobuli filio, iuſſu Pompeii a Scipione ſecuri percuſſo, Antigono autem, altero Ariſtobuli filio a Ptolomaeo Mennaeo, Chalcidis ad Libanum dynaſta, ſeruato, vid. FL. IOSEPHVS *l. c. lib. XIV. cap. XIII.*

§. XI.

Antipater autem, vir magnae auctoritatis, qui Hyrcani hactenus partes ſtrenue adiuuerat, interfecto Pompeio, Caeſaris tanta induſtria captauit fauorem, vt facile, quae vellet, ab eo impetraret. Non tan-

tantum itaque ciuitate Romana, ſed & ea, quam ipſe elegiſſet, praefectura, in Syria, & Iudaeae procuratione donatus, ſua commendatione effecit, vt Hyrcano ſummi ſacerdotii dignitas confirmaretur. Ex filiis ſuis idem Phaſaelum Hieroſolymis, Herodem autem, licet admodum iuuenem, Galilaeae praefecit.* Interfecto autem Caeſare, & Antipater, & Herodes eius filius, C. Caſſii ita ſibi conciliarunt fauorem, vt Herodes Coele-Syriae praefectus conſtitueretur. Mox autem Antipater a Malicho quodam veneno e medio ſublatus eſt, Malicho iterum praeſcitu Caſſii ab Herode interfecto.**

* Cum ab Antipatro hocce gens Herodum, quae ſummam apud Iudaeos poteſtatem adepta eſt, deſcendat, ab inſtituto noſtro non alienum erit, de origine eius quaedam praemittere. Ab Idumaeis autem eam repetendam eſſe, plerique fere recentiorum adſerunt, nec ſine ratione, cum diſerte nec ſemel hoc tradat FL. IOSEPHVS, cui quamobrem hic denegare fidem debeamus, nullam rationem video, De Antipatro namque, Herodis patre, verba faciens, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. II. Amicus quidam*, inquit, *Hyrcani, Idumaeus, nomine Antipater, vir pecunioſus, natura factioſus & induſtrius, infenſus erat Ariſtobulo, eo quod ipſe ſtuderet Hyrcani partibus.* Refellit deinde NICOLAVM DAMASCENVM, a Iudaeis genus eius deducentem: *Quamuis Nicolaus Damascenus huius genus deducat a primatibus Iudaeorum, qui in Iudaeam venerunt ex Babylonia. Sed hoc dicit in gratiam Herodis, eius filii, quem fortuna ad Iudaeorum regnum euexit.* Sic & *cap. XXVII.* Herodem vocat, *Idumaeum, hoc eſt, ſemi-Iudaeum.* Et iterum *lib. I. de bello iud. cap. V.* De Antipatro ſcribit: *Erat autem genere Idumaeus, & nobilitate ac opibus gentis ſuae princeps.* Haec cum ſatis luculenta ſint, aliud quid tamen antiqui eccleſiae patres ſibi perſuaſerunt, inducti traditione quadam, quam IVLIVS AFRICANVS in *epiſtola* ad *Ariſtidem*, ceu veriſſimam, & a ſeruatoris noſtri cognatis profectam, in medium protulit; Herodis magni auum, qui itidem Herodes dictus ſit, ſeruum in templo quodam Apollinis Ascalonitico fuiſſe. Ex epiſtola hacce IVLII AFRICANI plurima EVSEBIVS profert, *hiſt. eccleſ. lib. I. cap. VII.* vbi & inter alia haec, quae huc ſpectant, leguntur: *Neque vero id certa ratione deſtitutum, aut temere confictum eſt. Cognati enim ſeruatoris noſtri ſiue ad oſtendendam generis ſui nobilitatem, ſiue vt ſimpliciter rem docerent, veraci vtique ſermone haec nobis tradiderunt: latrones ſcilicet Idumaeos, cum Ascaloni Palaeſtinae ciuitati ſuperueniſſent, ex delubro quodam Apollinis, quod ad ipſos vrbis muros poſitum erat, Antipatrum* Ἡρώδου τι-

 νος

vos ἱεροδέλȣ παῖδα, *Herodis cuiusdam hieroduli filium, ſimul cum reliqua ſacra praeda captiuum duxiſſe. Cum vero pro redemtione filii miniſter templi pretium ſoluere non valeret, Antipater Idumaeorum more inſtitutoque educatus, poſtmodum Hyrcani ſummi Iudaeorum pontificis amicus effectus eſt, &c* Nec contemnendam prorſus hanc cognatorum Chriſti traditionem, praeter alios nuper etiam cenſuit v. c. BASNAGIVS, *hiſtor. & relig. Iud. lib. I. cap. II.* §. *VIII.* cum illis haud dubie gentis Herodum vera origo perſpectior eſſe potuerit, quam recentioribus; & amor quoque ſingularis, quo tum Antipater, tum Herodes, Aſcalonem vrbem proſecuti ſunt, ſententiam hancce admodum veroſimilem reddat. Sed grauioribus mihi rationibus pugnare videntur, qui IOSEPHVM potius, quam IVLIVM AFRICANVM hic ſequendum cenſent, quos inter & HENRICVS VALESIVS eſt ad *Euſebii l. c. p. m. 14.* & ISAACVS CASAVBONVS, *exercitat. I. contra Baron. p. 21.* Praeterquam enim, quod eiusmodi traditiones dubiae ſint fidei, Antipater, Herodis pater, non Herodem, ſed Antipam Idumaeum, patrem habuit, quem quidem Alexander, Iudaeorum rex, totius Idumaeae praefectum conſtituit, vt diſerte FL. IOSEPHVS refert, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. II.* Atque hic primus auctor fuiſſe videtur iſtius potentiae, ad quam poſteri ipſius poſtea peruenerunt.

IVLII interim AFRICANI ſententiam eo lubentius amplexi ſunt veteris eccleſiae doctores, EPIPHANIVS, *haereſ. XX. p. 45.* IVSTINVS martyr, *dialog. cum Tryphone p. 272.* CYRILLVS Alexandrinus, *glaphyror. in geneſ. cap. VII. p. 223.* aliique, quod exiſtimarent, demonſtrari ita quam commodiſſime poſſe, quo pacto oraculo Iacobi de ſceptro a Iuda non auferendo, donec veniat Schilo, *Gen. XLIX. 10.* reſpondiſſet euentus: per Herodem enim ceu alienigenam cum ſceptrum a Iuda ablatum eſſet, tum ſub eodem rege natum eſſe mundi ſeruatorem. Hoc & ISAACO CASAVBONO obſeruatum, *exercitat. I. contra Baronium p. 22.* vbi IVSTINVM martyrem excipit; recte quidem, ſi adplicationem oraculi Iacobaei ſpectes; ceteroquin enim Herodem *loco* antea *citato*, diſerte *Aſcalonitem* vocat. EPIPHANIVS, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, exiſtimat, Herodianos ex hoc ipſo loco *Gen. XLIX. 10.* occaſionem ſumſiſſe, eum pro Meſſia venditandi; ſimul tamen in eo errat, quod Antipatrum ad Demetrii perueniſſe familiaritatem ſcribit; Hyrcanum enim haud dubie nominare voluit. Sed idem ex ſuo quoque ingenio addit: καὶ ἀπὸ τȣ̃ ἐπιτροπεύειν προσηλυτεύει, περιτέμνεταί τε καὶ αὐτὸς, ϗ περιτέμνει Ἡρώδην τὸν υἱόν. *Atque ex illa procuratione proſelytum ſe faciens, vna cum Herode filio circumciſus eſt, l. c. p. 45.* Eos nimirum antea nondum circumciſos, tum demum & circumciſionem & ſacra Iudaeorum ſuſcepiſſe, innuit, cum id ad honores aut

aut adipiſcendos, aut adeptos augendos & amplificandos, e re ſua eſſe, intelligerent. Atque hac ratione plerique patrum, Herodem *ἀλλόφυλον* fuiſſe, adſerentes, ſimul negarunt, eum fuiſſe Iudaeum. At erraſſe ea in re iſtos veteris eccleſiae doctores, adſerit IOS. IVSTVS SCALIGER, qui Herodem omnino Iudaeum fuiſſe contendit, eo quod maiores eius ſacra Iudaeorum amplexi ſint; nec dubitat, quin mater eius, etſi ex Arabia genus duceret, fuerit proſelyta; *ad chron. Euſebii p. 150.* Eandem ſententiam contra CAESAREM BARONIVM operoſe tuetur ISAACVS CASAVBONVS, *exercit. I. contra Baronium, p. 21. ſeqq.* Vtrumque ex inſtituto ſibi refellendum ſumſit NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſt. aetat. mundi VI. diſſert. IX. p. 408. ſeqq.* Sed iſtam haud adeo difficile eſt componere litem. Conſentiunt in eo omnes, Herodem genere fuiſſe Idumaeum. IVLII AFRICANI traditionem de origine gentis huius ex Aſcalone arceſſenda; antea iam reiecimus. Hinc & ſua ſponte corruit, quod ex EPIPHANIO attulimus, Antipatrum tum demum ſacra Iudaeorum ſuſcepiſſe, cum hac ratione ſibi & filiis viam ad honores patere intelligeret. Quin immo cum Idumaeos a Ioanne Hyrcano, cum circumciſione Iudaeorum ſacra ſuſcipere coactos, conſtet, & ſupra ad §. *VIII.* obſeruatum ſit, longe veroſimilius, maiores Herodis inter proſelytos eſſe connumerandos. Nec Antipam Herodis auum Alexander rex toti Idumaeae praefeciſſet, niſi ille iam tum Iudaeorum imbutus fuiſſet ſacris. Atque hoc intuitu Herodes recte Iudaeus dicitur, ſi voce iſta denotetur, qui & ipſe Iudaeorum ſacris addictus eſt, & ex eiusmodi maioribus prognatus, qui itidem ſacra Iudaeorum amplexi ſunt. Contra, ſi is demum Iudaeus dicendus ſit, qui ex ſtirpe Iſraelis originem trahit, Herodem hoc nomine non venire poſſe, manifeſtum eſt. Atque hinc etiam quo pacto *ἀλλόφυλος* dici queat, intelligitur. Lis omnis, ſi dicendum, quod res eſt, de voce eſt. Et ita EL. IOSEPHVS quoque ſibi conſtat, qui Herodem mox Idumaeum diſerte vocat, *locis* antea *citatis*, & hinc *ſemi-iudaeum*, mox autem de eo, vt Iudaeo loquitur. In contentione vtique Caeſareae inter Syros & Iudaeos orta, hi principem ſibi locum vindicant, *διὰ τὸ τὸν κτιστὴν Καισαρείας Ηρώδην αὐτῶν βασιλέα γεγονέναι τὸ γένος ἰουδαῖον*, *quod conditor Caeſareae rex Herodes fuiſſet genere Iudaeus*; ap. FL. IOSEPHVM, *antiquit. iud. lib. XX. cap. VII.* Sceptrum autem non per Herodem a tribu Iuda ablatum eſt, quippe qui vmbram ſolum, non veram regis poteſtatem habuit, ſed a Romanis, cum Iudaea in prouinciae formam redigeretur; initio tamen iam tum facto, cum a Pompeio Romanis Iudaei ſubiicerentur. IO. HARDVINVM, Herodem Athenienſem fuiſſe, adſerentem, idque ex inſcriptione quadam SPONII colligentem, de *nummis Herodiadum p. 50.* ex inſtituto refellit IAC. BASNA-

GIVS, *hiſt. & relig. iud. lib. I. cap. II. §. X. p. m. 33.* itemque SAM. BASNAGIVS FLOTTEMANVILLAEVS, in *annalibus politico-eccleſiaſticis, tom. I. p. 33.* Sed inſcriptionem hancce recentem & omnino fictam eſſe, ipſemet tandem agnouit HARDVINVS, *de nummis Herodiadum proluſione*, prout in *operibus* eius *ſelectis* exſtat, *p. 350.* Eundem porro HARDVINVM longe aliam, quam IOSEPHVS exhibet, gentis Herodum commentum genealogiam, conſtat: qua de re hic dicendi locus non eſt. Fuerunt etiam, qui haec eius paradoxa adcurate ſub examen reuocarent, ac exploderent, vt praeter BASNAGIVM *l. c.* CHRISTOPHORVS CELLARIVS in diſſertatione: *Flauiana Herodum hiſtoria adſerta & nummis antiquis conciliata;* conf. & SAL. DEYLINGIVS, *obſeruat. ſacrar. part. II. obſeruat. XXVI. p. 247. ſeqq.*

Antipater itaque hicce, de quo dicere incepimus, cum nullam res ſuas augendi occaſionem praetermitteret, victo & interfecto Pompeio, ad Caeſaris partes tranſiit, eique in Aegypto bellum gerenti opem ferens, & Hyrcanum in eadem ſtudia trahens, ita eius ſibi conciliauit animum, vt magnis multisque ab eo adficeretur honoribus. Quo pacto, quod diximus, eum Iudaeae quoque procuratione donatum eſſe, intelligendum ſit, deinceps ad §. *XVI.* explicabitur. Habuit autem Antipater ex Cypride ſiue Cypro vxore, nobili inter Idumaeos loco nata, filios quatuor, Phaſaelum, Herodem, Ioſephum & Pheroram, filiamque Salomen. Ex his cum Phaſaelum Hieroſolymis, & Herodem Galileae praefeciſſet, huius mox, quale ingenium eſſet, adparuit. Ob Ezechiam enim quendam latronum ducem interfectum, Hieroſolymae accuſatus, Romanorum in Syria magiſtratuum gratia fretus, iudicium non modo ſuperbe eluſit, ſed iniuriam quoque armata manu vlturus, & Hieroſolymam inuaſurus, vix patris fratrisque precibus, vt mentem mutaret, induci potuit. Haec poſtquam FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. XVII.* enarrauit, varia Romanorum, aliarumque ciuitatum decreta, in Hyrcani & Iudaeorum gratiam condita, recitat, in quorum nonnullis etiam facultas & verum Deum more maiorum colendi, legesque ſuas circa ſacra obſeruandi, illis conceditur. Cum vero non omnia iſta decreta in editis IOSEPHI codicibus legantur, praeclare de re litteraria, deque ipſo IOSEPHO meritus eſt IACOBVS GRONOVIVS, dum ea, quae deſunt, ex codice quodam manuſcripto edidit. Proſtant namque: *Decreta Romana & Aſiatica pro Iudaeis, ad cultum diuinum per Aſiae minoris vrbes ſecure obeundum, ab Ioſepho collecta in lib. XIV. archaeologiae, ſed male interuerſa & expuncta, in publicam lucem vtilitatemque reſtituta,* &c. *ab Iacobo Gronouio, Lugduni Batauor. M DCCXII. 8.*

** Cum C. Caſſius magnam pecuniae vim Iudaeis extorqueret, in ea colligenda Antipater & Herodes dili-

ligentem illi nauarunt operam, & hac ratione gratiam eius ſibi compararunt. Malichus ille, qui Antipatrum e medio ſuſtulit, ſed mox Herodi ſceleris ſui poenas dedit, gentis Aſſamoneae dignitatem aliter, quam Antipatro & liberis eius exſtinctis, ſeruari non poſſe, exiſtimauit; vid. FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. XVIII.*

§. XII.

Victo deinde Antigono, Ariſtobuli filio, Herodes per matrimonium cum Mariamne in regiae familiae ſuſceptus eſt adfinitatem. In magnum equidem iterum res eius adduxit periculum Antigonus, dum a Parthis adiutus, Hyrcano exauctorato, regnum & ſacerdotium occupauit; ſed Romam cum Herodes confugiſſet, non tantum M. Antonium, ſed Caeſarem quoque Octauianum, aliosque ad ſuas ita pertraxit partes, vt rex Iudaeorum a ſenatu declararetur.* Bellum hinc Antigono illatum, variaque fortuna geſtum, donec tandem occupata vrbe Hieroſolyma, rex Antigonus in hoſtium poteſtatem veniret, quem Antonius, Herodis precibus inductus, Antiochiae ſecuri percuſſit.** Poſt Antonii cladem in ſummo periculo conſtitutus, Caeſaris Auguſti ſibi conciliauit gratiam, ſimul tamen crudelitate ſumma in vxorem, ſocrum, amicos, aliosque, Iudaeorum ſibi attraxit odium, quod beneficiis lenire conatus eſt. Inteſtinis denique domus ſuae diſſidiis agitatus, eo vsque tandem furoris progreſſus eſt, vt ſuos ex Mariamne filios, Alexandrum & Ariſtobulum, necaret.*** Priusquam autem viuendi finem faceret, anno fere integro, Ieſus Chriſtus, humani generis ſeruator, natus eſt.

* Antigonus, Ariſtobuli filius, a Ptolomaeo adfine ſuo adiutus, Galilaeam inuaſerat; ſed illum proelio victum Herodes ex prouincia ſibi demandata expulit; quo ipſo magnam Hyrcani gratiam iniit. Mariamne, quae tum illi deſponſata, Alexandri Ariſtobulo nati filia fuit, Hyrcani vero ex filia neptis. Iam antea vero e popularibus ſuis vxorem duxerat, Dorem nomine, ex qua Antipatrum filiorum natu maximum ſuſcepit. Legendus FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. XXI.* qui &, quo pacto Herodes M. Antonii, poſt pugnam Philippicam, Brutumque & Caſſium oppreſſos, Aſia potiti, ſibi conciliauerit fauorem, adeo vt accuſatores eius ne audiuerit quidem, benigniſſimum quoque in Hyrcani & Iudaeorum gratiam edictum ediderit, immo Herodem cum fratre Phaſaelo tetrarchas conſtitu-

tuerit, *cap. XXII. & XXIII.* fuſius ediſſerit. Antigonus autem Parthos, promiſſis mille talentis & quingentis virginibus, vt regnum ſibi reſtituerent, induxit. Ab his itaque, iuuante Antigoni factione, Hieroſolyma direpta, Hyrcanus & Phaſaelus Herodis frater in vincula coniecti, Antigonus regnum & ſacerdotium occupauit, iuſſitque Hyrcano aures amputari, ne ſacerdotio in poſterum fungi poſſet. Phaſaelus vt hoſtium crudelitatem euitaret, cum manus ſibi propter vincula inferre non poſſet, eliſo ad parietem capite, vitam abrupit. Herodes cum vix euaſiſſet, primum, fruſtra quaeſito a Malcho, Arabum dynaſta, auxilio, in Aegyptum ſe contulit; inde Romam tandem multis magnisque ſuperatis periculis, peruenit, ibique tum miſeratione mutatae fortunae, tum induſtria & pecuniae pollicitatione, procerum ita ſibi conciliauit fauorem, vt a ſenatu rex declararetur. Reliqua apud FL. IOSEPHVM legere licet, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. XXIV. XXV. & XXVI.* qui paucis tamen forte perſuadebit, regnum Herodi praeter ipſius opinionem oblatum, cum id potius coniugis ſuae fratri Ariſtobulo, Alexandri filio, petiturus fuiſſet.

** Cum Herodes Roma reuerſus eſſet, bellum cum Antigono per triennium geſſit, quo & Ioſephus Herodis frater ſublatus eſt. Multis oppidis caſtellisque expugnatis, cladibusque variis Antigoni factione debilitata, ipſam vrbem Hieroſolymam, vndecim legionibus Romanis adiutus, vi expugnauit. Ea durante obſidione Mariamnem, dudum ei, vt antea diximus, deſponſatam, vxorem duxit. Quod de Antigono, Antonii iuſſu Antiochiae ſecuri percuſſo, IOSEPHVS narrat, id STRABONIS quoque teſtimonio confirmat, *antiquit. iud. lib. XV. cap. I.* Ea ita finitus eſt Aſſamonaeorum principatus, poſt annum centeſimum vigeſimum ſextum.

*** Antigono e medio ſublato, Herodes Hyrcanum clementer a Parthis habitum Hieroſolymam pellexit, vt ab eo ſecurior eſſet. Deinde vxoris & ſocrus precibus, itemque Cleopatrae & Antonii interceſſione inductus, vxoris fratrem Ariſtobulum, Alexandri filium, pontificem creauit, remoto Ananelo, quem Babylone accitum muneri iſti praefecerat. Hunc ipſum vero Ariſtobulum mox in piſcina, vicina regiae, natantem, ſpecie luſus praefocari iuſſit, annos natum octodecim, quod & populum ei fauere, & ſocrum, eo viuente, ſpem regni in familiam ſuam reducendi, non depoſituram ſuſpicaretur. Ad dicendam cauſſam vocatus Antonium muneribus placat. Redux autem Ioſephum, ſororis ſuae maritum, occidit, quod Mariamni vxori ſecreta mandata, de ea, ſi viuus ipſe non rediiſſet, interficienda, reuelaſſet, Alexandram ſocrum in vincula coniecit, vxori aegre reconciliatus. Antonio Actiaca pugna victo, maximum quidem periculum

culum Herodes adiit; ſed ad Caeſarem Auguſtum itinere ſuſcepto, oratione generoſa, & obſequii oblatione, eius ita permouit animum, vt regnum ei confirmaret. Redeuntem deinde ex Aegypto Caeſarem cum exercitu Ptolomaide regia magnificentia excepit, & octingentis talentis donauit. Antequam autem hoc fieret, Hyrcanum ſenem octogenarium, qui ſpe regni recuperandi fugam ad Arabes meditabatur, occidit, vxoremque Mariamnem caſtello incluſit, eodem, quo olim conſilio, cum ad Antonium proficiſceretur. Non tantum autem a Caeſare Auguſto in regno confirmatus eſt, ſed plurima etiam, quae regium ſplendorem inſigniter augebant, obtinuit. Sed eam domeſtico ſcelere ipſemet corrupit felicitatem, Mariamne vxore ex iniquis ſuſpicionibus, & calumniis Salomes ſororis ſuae, interfecta; cuius tamen ipſe mox tam aegre tulit necem, vt in morbum grauiſſimum incidens de ſtatu mentis paulisper dimoueretur. Dumque interea Alexandra ſocrus res nouas moliretur, & eam e medio ſuſtulit. Sanitati reſtitutus, ferocior adhuc factus, nec ab amicorum intimis cruentas abſtinuit manus.

Firmato, vt illi videbatur, hunc in modum tot caedibus imperio, ad Caeſaris gratiam captandam athletica certamina, quinto quouis anno in eius honorem Hieroſolymis inſtituit, amphitheatro exſtructo; quod cum Caeſaris tropaeis ornatum eſſet, Iudaei hominum imagines ſub iis latere arbitrati, ſeditionem excitarunt; quae multorum vix ſedata eſt caedibus. Hypocriſin haec atque profanum Herodis animum ſatis ſuperque demonſtrant. Securitati autem ſuae vt eo magis conſuleret, & Iudaeos in officio contineret, vrbes nonnullas, quas inter & Samaria fuit, quam ſimul inſtaurauit, & Sebaſten adpellauit, muniuit, variasque hinc inde arces condidit, militibus praeſidiariis, ad ſui regnique tutelam in iis diſpoſitis. Fame autem cum eo tempore atque annonae inopia vehementer premerentur Iudaei, Herodes profuſis opibus, & regia ſupellectile diſtracta, immenſum tritici modum coemit, & inter populum diſtribuit, eaque ratione & populi amorem ſibi conciliauit, & maximam beneficentiae laudem conſecutus eſt. Noua deinde regia in ſuperiori vrbis parte exſtructa, nouam etiam vxorem duxit, Simonis Boethi, Iudaei Alexandrini, quem, exauctorato Ieſu Phabetis filio, pontificem creauit, filiam. Ciuitate deinceps in loco vbi turris Stratonis erat, exſtructa, quam Caeſaream vocauit, filiisque, quos ex Mariamne ſusceperat, ſalutandi Caeſaris cauſſa Romam miſſis, eius ſibi conſeruare gratiam adniſus eſt, quem in finem & templa hinc inde illi erexit & ſtatuas dedicauit. Hinc & qui eum apud Caeſarem accuſabant, non tantum nihil obtinuerunt, ſed ab eodem etiam Trachonitidem, aliasque dynaſtias accepit. Cum autem monumentis eiusmodi, quae in Caeſaris honorem exci-

citabat, religionis iudaicae ſcita vio-lare videretur, multique hinc ab eo abalienarentur, nonnullos quidem beneficiis placauit, reliquos autem ſeueriori quadam ratione, vt in officio manerent, compulit. An vero, quod idem IOSEPHVS, quem ſequimur, tradit, templum Hieroſolymitanum plane nouum e fundamentis exſtruxerit? de eo in ſequentibus diſpiciemus.

Interea Alexander & Ariſtobulus, filii eius, quos ex Mariamne ſusceperat, Roma reuerſi, diſciplinisque liberalibus imbuti, populi in ſe conuertebant oculos; vnde cum ſuſpicio quaedam animo eius iniiceretur, inſtigatus inſuper a Salome ſorore & fratre Pherora, conſilium Antipatrum, prioris vxoris filium, promouendi cepit, quem adeo Caeſari commendauit, & in Agrippae comitatu Romam miſit. Repetitis paullo poſt ab Antipatro calumniis, eosdem filios, tanquam inſidias ſibi ſtruentes, apud Caeſarem accuſat; Alexandro quidem ſuam fratrisque cauſſam tanta modeſtia, tantaque efficacia agente, vt Caeſar, Herodem vanis ſuſpicionibus indulgere agnoſcens, parentem filiis reconciliaret. Fuſius haec omnia IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XV. cap. VI. ſeqq.* qui & *cap. X.* decreta, quae Iudaei Aſiatici & Cyrenenſes pro libero legum & rituum vſu, & pecuniae Hieroſolymam mittendae facultate, a Caeſare obtinuerant, exhibet. Quo loco habenda ſint, quae *cap. XI.* de ſepulcro Dauidis ab Herode aperto, vt aeque ac Hyrcanus, magnos inde theſauros auferret, narrat, ex iis, quae ſupra hac de re diximus, intelligere licet. Recrudeſcentibus interea per Salomes & Pherorae machinationes, inteſtinis diſſidiis, Alexander, tandem in vincula coniectus, multa non ex vero, ſed vexandi parentis cauſſa, quem ſuſpicionibus miſere agitari videbat, faſſus eſt. Immo quatuor libellis oblatis, inſidias a ſe patri ſtructas detexiſſe videri voluit, ſed ea ratione, vt ipſum Pheroram, & amicorum regis fidiſſimos, earum participes faceret, nec Salomen quoque eximeret. Necatis hinc aliis, aliis in vincula coniectis, foeda aulae facies; ipſique Herodi metus & ſuſpicio pro tormento grauiſſimo erat, cum ipſemet, cuinam ſe credere deberet, ſemper dubitaret. Tandem vero & hac vice patri reconciliatus eſt Alexander, opera Archelai, Cappadocum regis, cuius filiam Glaphyram vxorem duxerat. Orta tum inter Arabes & Herodem, ob receptos latrones quosdam & aes alienum non ſolutum, controverſia, Syllaeus quidam, qui nomine Obodae regis omnia poterat, accuſatione ſua apud Caeſarem effecit, vt magnam is animo aduerſus Herodem indignationem conciperet. Sed Nicolai Damaſceni, qui pro ipſo legationem obiit, induſtria ſingulari illi reconciliatus eſt. Interim Alexander & Ariſtobulus nouis Euryclis cuiusdam Lacedaemonii calumniis oppreſſi, in vincula coniecti,

&

& apud Caeſarem accuſati ſunt. Cumque Caeſar cauſſam hanc apud Syriae praeſides, & conuentum Romanorum Beryti agitare iuſſiſſet, tanta id ab Herode factum eſt vehementia, vt miſeri illi, ne auditi quidem, ſed ſtatim damnati, patrisque arbitrio relicti, &, eius adeo mandato ſtrangulati ſint. Trecentos etiam ductores ex militibus ſuis, ceu eiusdem cum filiis coniurationis reos, apud populum accuſauit, a quo lapidibus ſunt obruti; vid. FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XVI. cap. XVII. & XVIII.* Atque hinc, qualis ſub hocce rege iudaici populi ſtatus fuerit, cum ſeruator mundi naſceretur, patet. Id vero anno fere integro ante eius mortem contigit.

§. XIII.

Inter viros pietate, ſapientia, aliisque virtutibus illuſtres nonnulli ex Maccabaeis primum merito locum tenent. * Nec defuerunt alii, ſapientiae aut virtutis laude celebres, FL. IOSEPHO laudati, ** quibus & addendi Hillel, Schammai, aliique. *** Summi porro ſacerdotes huc pertinent, quorum plerique ex gente fuere Maccabaea, nonnulli inſuper cum principatu, alii cum regia dignitate ſummum ſacerdotium coniunxerunt, pauci autem mores tam ſacro munere dignos ſecum attulerunt. *

* De omnibus enim hoc dici nequit. Nonnulli enim ex hac gente ambitione, crudelitate, aliisque vitiis partam a maioribus gloriam valde obſcurarunt, & non tam de populi iudaici ſalute, quam de imperio ſibi firmando, fuere ſolliciti. Sed haec iam ex antea dictis conſtant.

** Sic Iudam quendam, vatem, cuius *praedictiones nunquam fefellerint*, quiue Antigoni a fratre Ariſtobulo occiſi interitum praedixerat, commemorat, *antiquit. iudaic. lib. XIII. cap. XIX. pag. 455.* Huc etiam Onias ille pertinet, cuius idem IOSEPHVS de Ariſtobuli & Hyrcani bellis verba faciens, mentionem iniicit, quiue δίκαιος ἀνὴρ καὶ θεοφιλὴς illi audit. Hunc aliquando ſiccitatis tempore piis precibus pluuiam impetraſſe, refert; cumque ob ciuile bellum in latebras ſe abdidiſſet, in caſtra adductum a Iudaeis, qui cum Hyrcano faciebant, rogatumque, vt, quemadmodum olim ſterilitati attuliſſet remedium, ita nunc diris demoueret Ariſtobulum, & quotquot eius factionem ſequebantur; cumque diu hoc facere recuſaſſet, coactum a turba, atque in medio eorum ſtantem ſic precatum eſſe: Deus, vniuerſi huius mundi rex, quoniam & hi, qui mecum ſtant, tuus ſunt populus, & qui oppugnantur, tui ſacerdotes

ſunt, precor, vt neque hos contra illos; neque illos contra hos, orantes exaudias; quod cum feciſſet, a perditis quibusdam hominibus ex eorum, qui aderant, numero, eum lapidibus fuiſſe obrutum; *antiquit. iud. lib. XIV. cap. III.*

*** Plurimos ante Hillelem fuiſſe apud Iudaeos, doctrinae & ſapientiae laude praeſtantes, non eſt, quod dubitemus. Immo grauiſſimae, quae illis, cumprimis tempore Antiochi epiphanis, incubuerunt vexationes, ad legis Moſaicae ſtudium eo acrius excolendum eos excitaſſe videntur. Quorſum nonnulli verba Danielis *cap. XI. 33.* referunt. Legendi etiam hac de re R. ABRAHAM BEN R. SAMVELIS ZACVTI, in libro *iuchaſin*, & R. DAVID GANZ, in *tſemach Dauid.* Nec praetermittendum, quod R. MOSES MAIMONIDES *praefat.* ad *iad chaſakah* tradit, omnes ſapientes, qui R. Hillelem praeceſſere, adpellatos non רבן *Rabban*, aut רבי *Rabbi*, ſed ſuis tantum nominibus, idque datum eſſe illorum dignitati, quia nomina illis digna reperiri non potuerint, prorſus vt prophetae nullis titulis honorabantur. Hillel autem iſte, ſenior ſcilicet, a iuniori quodam eiusdem nominis probe diſtinguendus, diſcipulus fuit Schemaiah & Abdalionis, a quibus kabbalam ſeu oralem legem ac traditionem accepiſſe fertur. Progna tus fuit ex tribu Beniamin, ex parte matris, ſi Ebraeis credimus, ex ſtirpe regia Dauidis, licet parentes eius fuerint pauperrimi. Babylone cum anno MMMDCXLVIII, ante Chriſtum natum CXII, lucem primum adſpexiſſet, annos natus quadraginta, vrbe hacce relicta, cum tota familia Hieroſolymam conceſſit; ibique dum docuit, magnam ſapientiae famam celebritatemque conſecutus eſt; vid. R. ABRAHAM in libro *iuchaſin p. 22.* Sapientiam eius commentis portentoſis exaggerant Ebraeorum magiſtri, *cod. de ſcribis cap. XVI.* Filius eius Simeon fuit, quem eundem eſſe putant, qui ſeruatorem noſtrum vlnis exceptum amplexus eſt, quiue in talmude paſſim Rabban Schimeon vocatur. Diſcipulus eius fuit R. Schammai, qui poſtmodum in academiae praefectura collega illi datus, ſociusque factus, & aemulatione quadam accenſus, in diuerſas diſſentientesque a magiſtri placitis abiit opiniones. Exſtitere inde famoſae iſtae apud Iudaeos ſcholae *Beth-Hillel* & *Beth-Schammai*, quae in decidendis quaeſtionibus, de variis legis Moſaicae capitibus exortis, fere ſemper contrarias opiniones ſequebantur. Conferenda, quae hac de re dixi *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 82. ſeqq.* Plura quoque de Hillele dabit IVL. BARTOLOCCIVS, *in biblioth. rabbin. magna, tom. II. pag. 784. ſeqq.*

* Seriem & ſucceſſionem ſummorum pontificum ad Alcimum vsque, qui vltimus ex illis fuit, qui ante Maccabaeos hocce functi ſunt munere, exhibuimus ad *ſection. praeced. §. VIII.* Ad ipſam vero gentem Mac-

Maccabaeani quod attinet, nonnulli quidem Iudam Matthatiae filium, primum ex ea pontificem fuiſſe contendunt; immo non deſunt, qui Matthatiam ipſum, eiusque patrem Ioannem inter pontifices numerant, quae ſententia licet non ſine ratione a IOSEPHO IVSTO SCALIGERO, *lib. V. de emendat. tem. p. 410.* & DIONYSIO PETAVIO, *lib. X. de doctrina temp. cap. LII.* reiiciatur, non tamen plane improbandam cenſet IO. SELDENVS, cum fieri potuerit, vt ex ſuffragio populi ipſo quidem iure eſſent pontifices, etſi Alcimus, Lyſimachus, aliique, velut antipapae, per vim eam dignitatem ad ſe rapuerint, tituloque adeo iſto, praeter fas ſuperbiuerint, de *ſucceſſ. in pontif. lib. I. cap. X. p. 154.* Ad Iudaeorum inſuper teſtimonia in gemara Babylonica ad *tit. megilla cap. I.* & *in libro iuchaſin fol. 16.* itemque ad SVLPITIVM SEVERVM, & teſtimonium aliquod ex fragmentis EVSEBII prouocat. Hisce vero omnibus quin praeferenda ſint, quae in libris Maccabaeorum & apud FL. IOSEPHVM leguntur, non temere quis dubitauerit. Nec coniectura viri doctiſſimi de binis eodem tempore pontificibus, quorum alter ius, poteſtatem & titulum alter habuerit, certo fundamento innititur. Ad Iudam quod attinet, Matthatiae filium, FL. quidem IOSEPHVS auctor eſt, mortuo Alcimo, populum communibus ſuffragiis pontificatum ei tradidiſſe, *antiquit. iud. lib. XII. cap. XVII. pag. 424.* quod & *cap. XIX. p. 425.* repetit, adſerens, Iudam per triennium ante obitum, pontificale ſacerdotium adminiſtraſſe. Sed ex *I Maccab. IX. 54. 55.* conſtat, Iudam mortuum eſſe ante Alcimum; vnde eidem in pontificatu ſuccedere non potuit. Accedit, quod ipſe hac in re ſibi ſatis non conſtet IOSEPHVS; ſiquidem *lib. XX. antiquit. iud. cap. VIII. p. 701.* diſerte, Alcimum triennio in pontificatu exacto, neminem ſucceſſorem habuiſſe, ſed ciuitatem per ſeptennium manſiſſe ſine pontifice. Qui Iudam pontificatu functum volunt, eo mortuo quadriennium circiter effluxiſſe, putant, vt nullus eſſet pontifex. Licet enim Ionathan Iudae fratri in principatu ſucceſſiſſet, pontificatus tamen non prius functum munere, quam ab Alexandro Bala Syriae rege haecce dignitas illi conferretur. Ita praeter alios IO. SELDENVS, *l. c. p. 254.* Sed, cum perperam ſupponatur, Iudam pontificatu functum, rectius mea opinione dicitur, mortuo Alcimo, ius quodammodo hoc officio fungendi fuiſſe Ionathani, quod & forte populi ſuffragio illi collatum fuit; deinceps autem ex voluntate Alexandri Balae ſolenni quadam ratione muneris iſtius eum ſuſcepiſſe adminiſtrationem, vti ſupra ad §. *VI.* huius ſectionis dictum.

Ionathanis in vtraque dignitate ſucceſſor fuit Simon frater, ita tamen, vt, cum a Tryphone dolo captus eſſet Ionathan, principatus, ſeu ethnarchia ei a populo deferretur; in-

 ter-

terfecto autem paullo poſt eodem Ionathane, pontificatus adiiceretur. Hinc a FL. IOSEPHO diſerte dicitur: *καταςαθεὶς ἀρχιερεὺς ὑπὸ τȣ̃ πλήθȣς: pontifex conſtitutus a populo, lib. XIII. antiquitat. iud. cap. XI.* conf. quae ad §. *VI. & VII.* dicta ſunt. Ioannes, cognomine Hyrcanus dictus, principatum ſimulque pontificatum per annos triginta tenuit. Filius autem eius natu maximus atque ſucceſſor Ariſtobulus regium ſibi impoſuit diadema, adeoque cum pontificatu regiam dignitatem coniunxit. Tradunt tamen quidam Ebraeorum, eum pontificatu functum non eſſe. Ita R. DAVID GANZ: כי הוא בזה בכהונה גדולה ולא רצה לעבור עבודה *quia ſacerdotium magnum ſpreuit, nec miniſterio eius functus eſt*; in *tſemach Dauid, p. 42.* Quod ſi verum eſt, alium forte quendam conſtituit, qui vicibus eius fungeretur. Sed rem iſtam in medio relinquimus. Mortuo poſt vnius anni imperium Ariſtobulo, pontificatus cum regia dignitate ad fratrem eius Alexandrum Iannaeum peruenit. Hic vero cum ex vxore Alexandra binos ſuſcepiſſet filios, eidem morti proximus regni adminiſtrationem teſtamento reliquit, ſimul *καταςῆσαι τὸν ἀρχιερατευσόμενον ἐπιτρέψας, arbitrium deligendi pontificem permittens*, vt FL. IOSEPHVS loquitur, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XXII* Atque Alexandra filium natu maiorem, Hyrcanum, pontificem declarauit; minorem autem ſeu Ariſtobulum exercitui praefecit. Quae vero deinceps poſt matris obitum inter fratres hosce geſta ſint; quae ſpeciatim Hyrcani fata, quis tandem exitus fuerit; ex inſtituto iam ſupra §. *X. XI. XII.* expoſuimus. Cum autem ſumma rerum ad Herodem perueniſſet, is quidem cum & Hyrcano, licet ex captiuitate, in quam a Parthis abductus erat, reduci, pontificatum reddere nollet, & Ariſtobulum, Alexandri filium, nepotem iſtius Ariſtobuli, qui frater erat Hyrcani, cui ſucceſſionis iure poſt Hyrcanum pontificatus debebatur, pontificem conſtituere, minus conſultum duceret, Ananelum quendam *ἱερέα τῶν ἀσημοτέρων, obſcuri generis ſacerdotem*, ex genere tamen pontificali, Babylone natum, pontificatu donauit. Quod cum Alexandra Hyrcani filia, mater Ariſtobuli iunioris, aegre ferret, tum eius, tum Mariamnes vxoris, quae Ariſtobuli iſtius ſoror erat, precibus inductus Herodes, Ariſtobulum equidem annum aetatis decimum octauum agentem, depulſo Ananelo, pontificem conſtituit; ſed mox Ariſtobulo, ſpecie luſus cum nataret, iuſſu Herodis praefocato, Ananelo pontificatum reddidit. Exſtincta hunc in modum gente Hasmonaea, iuſta ſimul in pontificatu ſucceſſio deſiit; quiue deinceps hoc munere functi ſunt, ex arbitrio ſiue principum Romanorum, ſiue regum ſeu ethnarcharum, vel etiam multitudinis tumultuantis impetu, hanc aut acceperunt, aut amiſerunt dignitatem. Ex quibus ad noſtrum interuallum adhuc per-

pertinet, qui Ananelum excepit, Ieſus Phabetis filius, quo ſummoto, Herodes Simonem Boethi Alexandrini filium, ſocerum ſuum, hac dignitate exornauit, vt ſupra ad §. *XII.* diximus; add. IO. SELDENVS, de *ſucceſſ. in pontif. lib. I. cap. X. XI.*

§. XIV.

Doctrina de Deo rebusque diuinis ſacra, cuius praecipuum caput erat de Meſſia, eiusque beneficiis in hominum genus conferendis, etiam in hocce temporis interuallo conſeruata inter Iudaeos atque propagata fuit, variis tamen ſubinde erroribus & corruptelis deformata. *

* Doctrinam de Meſſia, humani generis redemtore, etiam hac aetate conſeruatam in gente ebraea atque propagatam fuiſſe, vel ex hiſtoria euangelica diſcimus, in qua haud ſemel illi commemorantur, qui regni Iſraelitici per Meſſiam, ſeu magnum illum prophetam a Moſe promiſſum, reſtitutionem exſpectarint. Talis Simeon iſte fuit, qui ſeruatorem noſtrum vlnis ſuis excepit, *προσδεχόμενος παράκλησιν τȣ̃ Ισραὴλ.* Atque is inſuper diuino oraculo certior factus erat, non eum moriturum, priusquam vidiſſet *τὸν χριςὸν τȣ̃ Κυρίȣ*, *vnctum domini*, quem omnes pii eo tempore tam anxie exſpectabant. *Luc. II. 25. 26.* Idem & ex verbis, quibus Philippus Nathanaelem adloquitur, luculenter adparet: *ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ, καὶ οἱ προφῆται, εὑρήκαμεν*, *Ioann. I. 46.* Exſpectabant ergo eo tempore aliquem Iudaei, de quo Moſes atque prophetae ſcripſerunt; qui non alius erat, quam Meſſias. Cum vero nulli libri canonici in hocce temporis interuallo prodierint, ſed tantum apocryphi; mirum non eſt, doctrinae huius pauca ſolum admodum in iis exſtare veſtigia. Quod ſi librum *ſapientiae*, quod nonnulli faciunt, ad hanc aetatem referre liceret, locum illum ex *cap. II. 13. ſeqq.* producere poſſemus, qui doctiſſimorum virorum iudicio de Meſſia capiendus eſt. Ipſe ſane HVGO GROTIVS, *haec ita generaliter intelligi poſſe*, pronuntiat, *vt tamen in Ieſum Chriſtum ſpecialiter directa videri poſſint*, ad *h. l.* Variis autem rationibus eandem explicationem confirmat ABR. CALOVIVS. Cumprimis autem illuſtre illud, quod *I. Maccab. XIV. 41.* exſtat, nobis hic commemorandum eſt teſtimonium, quippe quod de fide Iudaeorum iſtius temporis in Meſſiam, quem exſpectabant, nos dubitare non ſinit. Simoni enim eiusque poſteris principatum, ſummumque ſacerdotium, in perpetuum deferunt, donec ſurgat *ὁ προφήτης ὁ πιςὸς*, *propheta ille fidelis*

lis. Illum namque prophetam intelligunt, quem Moſes illis pollicitus erat, *Deut. XVIII. 15.* Atque ipſi ſimul, quamuis praeter opinionem ſuam, tempus, quando fidelis ille propheta adparuit, deſignant; quippe quod contigit, cum paullo ante gens Maccabaea exſtincta eſſet.

Inter reliqua ſacrae doctrinae capita, quorum luculenta in hocce temporis interuallo occurrunt veſtigia, illud de vita aeterna, deque reſurrectione mortuorum, minime praetermittendum eſt, ſingulari quippe teſtimonio comprobatum, *II. Maccab. VII. 9. ſeqq.* Enimuero, licet auctor libri ſecundi Maccabaeorum non in omnibus fidem promereatur, dataque opera talia commemorare videatur, vt inualescentibus Sadducaeorum erroribus ſe opponeret; hac tamen in re eo facilius illi credi poteſt, quod & ex Daniele, aliisque librorum canonicorum locis conſtet, in veteri eccleſia Iſraelitica hancce doctrinam extra dubitationem poſitam fuiſſe, quam deinceps acerrime etiam Phariſaei contra Sadducaeos defenderunt. Non perinde de eo cenſendum, quod idem auctor Iudam Maccabaeum, ſacrificia pro mortuis, iis quidem, qui ob grauiſſima delicta ſua iuſto Dei iudicio in acie ceciderant, offerentem, laudat, *II. Maccab. XII. 44. ſeqq.* Quod ſi enim vel maxime Iudas Maccabaeus id fecit, ſuam tamen ea in re, eamque adeo erroneam, non veteris eccleſiae Iſraeliticae, ſecutus eſt ſententiam. Eiusmodi enim ſacrificia Deo probata, nullo ex libro canonico condoceri exemplo poteſt. Fieri tamen etiam potuit, vt Iudas Maccabaeus ſacrificia offerri voluerit, non pro mortuis, aut vt mortuorum peccata expiarentur, ſed ne illorum crimina iram Dei reliquis, qui adhuc in viuis erant, attraherent. Quod ſi admittatur, auctorem libri ſecundi Maccabaeorum mentem Iudae non recte interpretatum, inde ſequetur. Idque valde mihi ſit veroſimile. Cum enim ſatis adpareat, eum nullam occaſionem Sadducaeorum erroribus ſe opponendi praetermittere, hoc quoque Iudae facinus, ſine dubio praeter eius mentem ſententiamque, eo trahere voluit. Cum enim illud enarraſſet, addit: *ſi reſurrectionem non credidiſſet, fruſtraneus fuiſſet & ſtultus, cum pro mortuis precaretur: &c.* Vtcunque haec ſe habeant, tantam non eſſe auctoris iſtius auctoritatem, vt multum negotii nobis faceſſere debeat, ab aliis dudum eſt demonſtratum; conf. IO. RAINOLDVS, in *cenſura apocryphor. praelect. XXXIX.* Falluntur itaque Romanenſes, dum ingens hic pro purgatorio, animarumque ex eo liberatione, praeſidium ſibi inueniſſe viſi ſunt; quod prae reliquis & NAT. ALEXANDER ſibi perſuadet, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. act. mundi VI. cap. I. artic. III. p. 241.*

Ceterum eo minus omnia Iudaeorum huius aetatis placita promiscue pro veteris eccleſiae Iſraeliticae dog-

Digitized by Google

dogmatibus habenda, quo certioribus documentis conſtat, grauiſſimis iam tum corruptelis doctrinam ſacram apud eos fuiſſe deprauatam. Meſſiam nimirum licet exſpectabant, plerique tamen in eo errabant grauiter, dum eo nomine potentiſſimum quendam huius mundi regem intelligebant, regnumque aliquod temporale, cum omni deliciarum adfluentia, animo ſuo effingebant. Atque in hunc eo facilius descendere errorem poterant, quod & illi, qui pro ſanctiſſimis praeſtantiſſimisque inter eos habebantur, quales Phariſaei erant, externum virtutis ſtudium, cum adcurata legum ceremonialium, & traditionum humanarum obſeruantia, ſufficere arbitrarentur, vtaliquis Deo gratus eſſet. Prauos autem animi adfectus cum pro peccatis non reputarent, veramque adeo miſeriam ſuam ignorarent, talem etiam Meſſiam, qui veram animae ſalutem illis adferret, exſpectare non poterant. Hinc reliqui errores fluxerunt, quibus mirum in modum religio Iudaeorum ea aetate corrupta fuit & deprauata. Acceſſit tamen etiam gentilis, ſpeciatim graecanicae, philoſophiae cum religionis iudaicae ſcitis commixtio; quosdam ſaltem, ſi non Phariſaeorum, certe Sadducaeorum, ex iſta philoſophandi ratione originem duxiſſe errores, extra dubitationem poſitum videtur; ſed hac de re deinceps.

§. XV.

Cultus Numinis externus ſecundum Moſaicae legis praeſcriptum adminiſtratus, aliquando tamen propter grauiſſimas vexationes intermiſſus.* Templum ipſum ab Antiocho epiphane ſpoliatum, profanatumque, & Ioui Olympio dedicatum, mox tamen a Iuda Maccabaeo iterum purgatum; munitionibus rurſus nudatum ab Antiocho eupatore, ſed iterum munitum, illaeſum a Pompeio, expilatum a Craſſo, ab Herode denique reſtauratum, ſplendideque exornatum.** Sacerdotes & Leuitae ſuis fungebantur muneribus.*** Sacrificia, quando per hoſtium vexationes licebat, more conſueto oblata.* Diebus feſtis hactenus receptis noui quoque in memoriam ſingularium Numinis beneficiorum, acceſſere.** In ſynagogis quoque, quarum magnus hocce tempore exſtitit numerus, vſu receptum fuit, vt lectioni Moſis quaedam ex prophetis ſectiones ſubiicerentur.***

* Vt tempore Antiochi epiphanis, quo per triennium ceſſauit; inſtaurandus a Iuda Maccabaeo, vti ad §. *II.* huius ſectionis, dictum.

** Cum reliqua ex antea dictis ſatis conſtent, de reſtauratione ſolum templi, ab Herode ſuſcepta, aliquid addendum eſt. Quae FL. IOSEPHVS *lib.*

lib. XV. antiquit. iud. cap. XIV. hac de re tradit, ita a plurimis capiuntur, ac ſi Herodes plane nouum ex ipſis fundamentis excitauerit templum, quod adeo a Salomoneo fuerit tertium. Id vero cum parum credibile videatur, paſſim viri docti hanc IOSEPHI relationem impugnare ſolent, variisque rationibus eum mendacii hac in re arguere. Herodi, inquiunt, tot iam ſumtibus exhauſto, & Romanorum dominationi ſubiecto, in quos & largitiones immenſas feciſſe dicitur, quis credat, tantam ſuperfuiſſe pecuniae vim, quanta ad tam ſplendidi templi ſtructuram requirebatur? Qui Caeſaream, Sebaſten, tot templa in honorem Caeſaris, arcem Antoniam, nouam Hieroſolymis regiam, theatrum & amphitheatrum, caſtra quam plurima aedificauerat, qui regiam dignitatem largitionibus ſibi Romae comparauerat, & alias ſaepe ingentem argenti vim profuderat, hunccine tam ingentibus adhuc opibus inſtructum fuiſſe, cogitare licet, quae tam ſplendido operi ſufficerent? Addunt porro, ipſam ſtructurae rationem a IOSEPHO ita deſcribi, vt vel inde adpateat, veritati non eſſe, quae refert, conſentanea; qua de re legenda, quae a IO. BAPTISTA VILIALPANDO in medium adferuntur, *tom. II. in Ezech. lib. V. cap. LXVIII.* Rurſus tamen, qui IOSEPHI illam minime in dubium vocandam relationem cenſent, id maxime vrgent, quod nulla ratione credibile ſit, tantam IOSEPHI in mentiendo fuiſſe audaciam, tantaque impudentiam, vt pro vero aliquid venditauerit, cuius falſitas a plurimis, qui eo tempore viuebant, Iudaeis, ſtatim potuiſſet demonſtrari. Quod enim IAC. SALIANVS, *in annalib. ad annum mundi MMMM XXXV.* & ex eo NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſt. aet. mundi VI. cap. II. p. 259.* regerit, perpaucos, aut potius nullos eo tempore ſuperſtites fuiſſe Iudaeos, qui eum mendacii redarguere potuerint, non temere quis conceſſerit. Eſto vero, perpaucos ſolum fuiſſe ſuperſtites; ne ſic quidem credibile id auſum IOSEPHVM; cum vel vnius ex illis teſtimonium in tam manifeſto mendacio eum totius orbis ludibrio exponere potuiſſet. Quod ſi etiam vel maxime ex illis, qui memoria templi iſtius hiſtoriam recolere potuerunt, nulli fuiſſent ſuperſtites, poſteris tamen illorum, qui eo tempore viuebant, res iſta minime ignota eſſe potuit.

Sed tota iſta forte viri docti ſuperſedere potuiſſent disputatione, ſi paullo adcuratius IOSEPHVM inſpexiſſent. Sunt enim qui contendunt, IOSEPHVM id neutiquam dicere, totum templum plane nouum ab Herode exſtructum. Herodem namque anno regni ſui decimo octauo, poſt tot praeclata facinora, atque poſt tot admiranda opera, eximium illud animo concepiſſe, ait, *τὸν ναὸν τȣ̃ Θεȣ̃ δι' ἀυτȣ̃ κατεσκέυαϑαι*; quae verba vulgo ita vertuntur: *Dei templum denuo conſtruere.* Sed praeterquam, quod *δι' ἀυτȣ̃* minus recte vertatur, *denuo*;

ver-

verbum κατεσκευάσθαι de *inſtauratione etiam atque amplificatione* accipi poteſt. Atque hinc addit IOSEPHVS: μείζω τε τὸν περίβολον καὶ πρὸς ὕψος ἀξιοπρεπέστατον ἐγείρειν. *ampliori ambitu & huic conuenienti celſitudine exſtruere.* Porro, cum Herodes conſilii ſui rationes populo iudaico aperiret, cauſſam inſtitui ſui praecipuam hanc adlegat, quod templo poſt captiuitatem Babylonicam exſtructo, ad priſcam altitudinem ſexaginta deeſſent cubiti; tanto enim Salomoneum templum celſius fuiſſe poſteriori. Hinc & porro ſubiicit: *dabo operam, vt, quod maiores, ſub alieno nutu viuentes, non ſatis adcurauerunt, ſuppleam, &, quicquid deeſt, ad honorem Dei, memor acceptorum beneficiorum, grate ac pie perſoluam.* Hinc itaque viri docti colligunt, Herodem ſtructuram ſolum interioris templi, quod proprie היכל dicebatur, altius extuliſſe, & reliqua templi ornamenta in maius excitaſſe. Idque cum commode fieri non poſſet, niſi noua huic aedificio fundamenta ſubderentur, id FL. IOSEPHVS innuit, quando porro dicit: ἀνελὼν δὲ τοὺς ἀρχαίους θεμελίους, καὶ καταβαλόμενος ἑτέρους, ἐπ' αὐτῶν τὸν ναὸν ἤγειρε, *ſublatis veteribus fundamentis, & nouis repoſitis*, ſiue adiectis, *deſuper templum exſtruebat;* conf. SAL. DEYLINGIVS, vir clariſſimus, *obſeruation. ſacrar. part. III. p. 149.*

Quidquid vero tandem de mente IOSEPHI ſit, Herodem non nouum plane templum exſtruxiſſe, ſed Zorobabelicum ſolum reſtauraſſe, amplificaſſe, exornaſſe, eruditiſſimorum virorum eſt ſententia, IO. SELDENI, *lib. III. de ſynedr. p. 219.* CONSTANTINI L'EMPEREVR, *praefat.* ad *tract. middoth.* IO. LIGHTFOOTI, *harmon. IV. euangeliſt. part. II. tom. I. opp. p. 419.* conf. & MELCHIOR LEIDEKKERVS, *de republ. Ebraeor. tom. II. lib. VI. cap. II. p. 431.* Nimirum non tantum templum ipſum celſius effecit, reſtaurauitque & exornauit, ſed, vt idem IOSEPHVS porro refert, nouum quoque eidem aedificium adiecit, longitudine centum cubitorum, altitudine totidem, & viginti amplius: vniuerſum praeterea templum nouis ampliſſimisque porticibus cinxit, arcemque ad tutelam templi munitiorem reddidit, plurimaque, quae ad eius ornamentum faciebant, adiecit. Inter haec vero etiam vitis illa aurea fuit, pondere mille talentorum auri puri, ſi Iudaeis fides habenda, cuius praeter FL. IOSEPHVM, *lib. XV. antiquit. iud. cap. XIV.* mentionem faciunt doctores talmudici, in *tractat. middoth. cap. III.* & R. ISAAC ABARBANEL, ad *I. reg. VIII. 10.* conf. CONSTANT. L'EMPEREVR, ad *tract. middoth. p. 131. ſeqq.* Dum vero etiam aquilam auream, Romanorum inſigne, portae templi maiori impoſuit, templum ipſum profanaſſe, nonnullis viſus eſt. Indignantibus hinc Iudaeis, cum imagines in templo non ferrent, ſeditione exorta magiſtrorum diſcipuli eam deturbarunt, vt FL. IOSEPHVS refert

fert *lib. XVII. antiquit. iud. cap. VIII.* Ceterum, quando Iudaei apud Ioannem *cap. II. 20.* dicunt, templi ſtructurae annos XLVI fuiſſe inſumtos, id citra controuerſiam de ea ſtructura, qua Herodes templum inſtaurauit, amplificauit, & exornauit, eſt intelligendum, vt ſupra quoque ad *ſect. praeced.* §. *I.* obſeruauimus. Sed ea ratione, vt a tempore quo ſtructuram inceperat Herodes, vsque ad illud tempus, quo iſta loquebantur, XLVI anni effluxerint, ſiquidem & poſt Herodis mortem noua quaedam ſubinde ornamenta adiecta, & ſtructura velut continuata fuit.

*** Et quidem ſecundum ἐφημερίας, ſeu claſſes illas, in quas Dauid ſacerdotes deſcripſerat, vt vel ex *Luc. I. 5.* conſtat. Conferenda, quae ſupra hac de re dicta ad *per. II. ſect. III.* §. *XXIV. p. 209.*

* Eadem nimirum ratione, qua, vt in reliquis, ita & in ſacrificiorum oblatione cultus publicus ſe habuit, eum poſt Babylonicam captiuitatem is reſtitutus eſſet, eum in vltimo etiam hocce temporis interuallo peractum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Immo hoc vel ex *I. Maccab. IV. 49. ſeqq.* conſtat, vbi, dum reſtauratio cultus publici deſcribitur, vaſorum ſacrorum, ſuffitus, candelabri cum lampadibus accenſis, ſacrificiorumque more conſueto oblatorum, iniicitur mentio. Sic & Herodes, cum templi ſtructuram abſoluiſſet, *trecentos boues Deo mactauit, & alii pro ſuis quisque facultatibus tantum victimarum, quantum vix comprehendi poſſit numero, fallente veram aeſtimationem earum multitudine*, vt FL. IOSEPHVS loquitur, *antiquit. iud. lib. XV. cap. XIV. p. 546.*

** De ſabbathi obſeruatione vt aliquid addamus, neceſſe non eſt. In ea enim Iudaeos, praeſertim, qui Phariſaeorum disciplinam ſequebantur, ad ſuperſtitionem vsque religioſos fuiſſe, vel ex hiſtoria euangelica conſtat. Quaenam poſt captiuitatem Babylonicam feſta, iis, quae a Moſe inſtituta fuerant, acceſſerint, ſupra ad *ſect. praeced.* §. *X.* commemorauimus. Inter ea, quae in hocce temporis interuallo introducta ſunt, eminet feſtum encaeniorum, in memoriam repurgati & reſtituti a Iuda Maccabaeo templi & altaris inſtitutum. Die nimirum XXV menſis Caſleu, & ſequentibus, per octo dies celebrandum erat, *I. Maccab. IV. 59.* Tempore Chriſti, feſtum illud adhuc celebratum fuiſſe, ex *Ioan. X. 22.* discimus. Dictum etiam fuit λυχνοκαΐα, *feſtum luminum*, ob accenſa vbiuis in candelabris lumina; vid. FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XII. cap. XI.* Iudaei הדלקת נרות adpellitant. Significare voluerunt, ex tenebris, quibus velut obruti erant, ſummi numinis beneficio in lucem clariſſimam ſe eductos; conf. IO. SELDENVS, de *ſynedr. lib. III. cap. XIII.* HERM. WITSIVS, in *dodecat. exercit. p. 568. ſeqq.* De libro *megillat Antiochus*, dicto, quem in hocce feſto legere ſolent, conf.

conf, IVL. BARTOLOCCIVS, *biblioth. rabbin. magna p. 400. ſeqq.* Dicemus de eo & in ſequentibus. A Iudaeis hunc morem tranſiiſſe ad chriſtianos, feſtum purificationis teſtatur, quod & *feſtum luminum* dicitur. Nec diffitetur id IAC. SALIANVS, in *annalib. ad annum MMM DCCCC XC. n. XXVI.* In memoriam deditionis arcis Hieroſolymitanae itidem feſtum aliquod inſtitutum, ex *I. Maccab. XIII. 52.* conſtat. Feſtum autem *Maccabaeorum martyrum* apud Iudaeos nunquam celebratum fuit, ſed tantum in eccleſia chriſtiana. Certe nec apud FL. IOSEPHVM, nec in aliis Ebraeorum ſcriptis, vlla eius mentio. Apud chriſtianos autem, & quidem tum graecos, tum latinos, Maccabaeorum, ceu martyrum memoriam, orationibus in eorum laudem recitatis, celebratam, ex GREGORIO NAZIANZENO pariter ac AVGVSTINO diſcimus; illo quidem *orat. XXII.* hoc autem *ſerm. CIX. & CX.*

*** Synagogarum ex proxime antecedentis temporis interuallo repetendam eſſe originem, conſtat, & ad *ſect. praeced.* §. *X.* monuimus. Quo ardentiori autem ſtudio per ipſas ethnicorum vexationes excitati plurimi Iudaeorum, poſt Antiochi epiphanis tempora flagrabant, patria auitaque ſacra conſeruandi & propagandi, eo enixiori cura, vt plurimae excitarentur ſynagogae, in quibus populus legem Moſaicam edoceretur, eos operam dediſſe, vt credamus, par eſt. In qualibet itaque vrbe maiori plures vna feciſſe ſynagogas, Ebraeorum magiſtri tradunt. Immo Hieroſolymis vltra cccc vel omnino cccc LXXX בתי כנסיות *ſynagogas*, & in ſingulis בית ספר *bibliothecam* & בית תלמוד *domum doctrinae* fuiſſe, iidem perhibent, quas Titus Veſpaſianus deſtruxerit. Certe per omnem Galilaeam ſynagogas fuiſſe, in quibus ſubinde ſeruator noſter docuit, ex hiſtoria euangelica nouimus. Addunt vero porro Iudaei, omni in loco vbi decem degerent viri, dignitate quadam conſpicui, qui ab opere otiari, & quotidie ſacris adeſſe poterant, quos בטלנים *otioſos* vocant, ſynagogas fuiſſe exſtructas. Ceterum, cum antea ſola lex Moſis in ſynagogis legeretur, deinceps etiam certas ex prophetis ſectiones, quas הפטרות adpellitant, & quae paraſchis, ſeu ſectionibus legis Moſaicae, ſenſu vel proprio vel figurato vtcunque reſpondent, adiunxerunt. Cum enim tempore Antiochi epiphanis, legis Moſaicae lectio iis interdicta eſſet, eius loco ſectiones illas ex prophetis ſubſtituerunt, easque deinceps retinuerunt, cum facultatem legendi legem Moſaicam iterum obtinuiſſent. Ita quidem Iudaeorum magiſtri. Plura autem de ſynagogis, ritibusque & ceremoniis, in iis obſeruari ſolitis, praeter multos alios dabit, qui diligenter hocce in argumento verſatus eſt, vir doctiſſimus, CAMPEGIVS VITRINGA, de *ſynagoga veteri libris tribus*; conf. & IO. LIGHTFOOTVS, *harmon. euangeliſt.*

part. III. tom. I. opp. p. 479. ſeqq. & MELCHIOR LEYDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. I. lib. VIII. cap. V. p. 528. ſeqq.*

§. XVI.

Matrimoniorum non alia fere hocce tempore, quam in praecedenti interuallo, fuit ratio. Doctorum tamen iudaicorum hac aetate de legibus matrimonialibus, non vnam ſemper, eandemque ſententiam fuiſſe, vel illorum de diuortiis diſſenſiones teſtantur. * Reipublicae ſtatus varius fuit. Initio ſumma rerum penes Hasmonaeos fuit, qui primo ſub principum, deinde regum nomine, rem publicam adminiſtrarunt. Deinceps vero ad Herodum equidem familiam rerum adminiſtratio tranſiit; qui tamen aeque ac populus ipſe, ſubiecti erant Romanorum poteſtati, poſtquam Cn. Pompeius vrbem Hieroſolymam occupauerat, ea tamen ratione, vt ipſa res publica iudaica ſubſiſteret, & haud exiguam ſummi imperii partem retineret. Populi, procerumque, in hocce temporis interuallo, pro diuerſa principum aut regum indole, mox maior, mox minor poteſtas fuit. ** Cumprimis autem ſynedrii magni, ſi Ebraeorum doctoribus credimus, magna fuit auctoritas. ***

* Quam inualeſcens apud Iudaeos, poſt captiuitatem Babylonicam, nimia in dimittendis vxoribus licentia, Malachiae vati extorſit querelam; ſupra ad *ſect. praeced.* §. *XI.* commemorauimus; ſimulque obſeruauimus, oſtenſum eodem tempore Iudaeis ab eodem propheta, quae polygamiae pariter ac diuortium, ſecundum diuini iudicii normam ſit ratio. Antiqui nihiloſecius in hocce etiam temporis interuallo obtinuerunt mores, a Deo hactenus, *διὰ τὴν σκληροκαρδίαν* gentis huius, tolerati. Fuerunt equidem, qui polygamiam improbarent, & ex ipſa lege etiam binas vxores ſimul retinere, nefas eſſe putarent. Huc pertinet dictum cuiusdam R. AMI: כל הנושא אשת על אשתו יוציא ויתן כתובה *quisquis vxori vxorem ſuperinduxerit, oportet eum priorem diuortio eiicere cum dote; gemar. Babylon.* ad *tit. iabimoth cap. VI. f. 65.* apud IO. SELDENVM, de *vxore ebr. lib. I. cap. IX. p. 44.* Sed addit idem SELDENVS, eos, qui ita ſenſerunt, ceu haereticos a magiſtris exploſos, quippe qui numerum vxorum a lege non voluerint praefiniri. Ne tamen iſta polygamiae licentia in infinitum abiret, monuiſſe ſapientes, quaternarium vxorum numerum a nemine praeter regem, fuiſſe excedendum. Neque hoc ſolum tempore, ſed deinceps etiam, cum iam chriſtiana doctrina magnam

or-

orbis partem illuſtraſſet, polygamia in hac gente in vſu fuit, vsque ad tempora Theodoſii, Arcadii & Honorii, quorum reſcripto *l. VII. c. de iudaeis & coelicolis*, ſancitum eſt, *ne deinceps quis Iudaeorum, morem ſuum in coniunctionibus retineret, nec ſecundum legem ſuam nuptias ſortiretur, nec in diuerſa ſub vno tempore coniugia conueniret.* Ad diuortia equidem quod attinet, ea itidem hocce tempore apud Iudaeos in vſu fuiſſe, conſtat, licet magiſtri de cauſſis eorundem non ſatis inter ſe conuenirent. Inter ſcholam namque Hillelianam & Schammaeanam, vt in aliis, ita in hocce quoque capite maximus interceſſit diſſenſus; illa quidem voces ערות דבר *Deut. XXIV. 1.* diuiſim exponente, acſi dictum eſſet, או ערוה או דבר *aut turpitudinem aliquam, aut rem aliam foedam,* quod deinceps de moribus quibusuis inconcinnis, aut parum decoris, explicabant; hac autem voces iſtas coniunctim capiente, adeoque non aliam diuortii cauſſam, quam *libidinem, laſciuiam, impudicitiam* admittente. Qua quidem in re licet Schammaeana ſchola propius ad veritatem accederet, quam Hilleliana, a primaeua tamen matrimonii inſtitutione & illa aberrauit, vt ſeruator oſtendit, *Matth. XIX. 8. ſeqq.* & alibi copioſius eſt explicatum. Plura de iſto vtriusque ſcholae in cauſſa diuortiorum diſſenſu adferunt IO. SELDENVS, in *vxore ebraica lib. III. cap. XX. pag. 321. ſeqq.* qui & *p. 329.* obſeruat, FL. IOSEPHVM Hillelianae ſcholae ſententiam ſecutum; IO. LIGHTFOOTVS, *hor. ebr. in Matth. cap. V. 31. tom. II. opp. p. 290. ſeqq.* IO. BVXTORFIVS, de *ſponſalib. & diuortiis pag. 89. ſeqq.*

** Circa initium huius interualli reipublicae adminiſtratio penes ſummos ſacerdotes fuit, qui tamen ex nutu & voluntate Syriae regum omnia agere tenebantur, aut ſponte ſua agebant, ſi ex iſtorum regum fauore commodum aliquod ſperarent. Cum deinceps Iudas Matthatiae filius, libertatem Iudaeis, duriſsimo Syriae regum iugo ab eorum ceruicibus depulſo, reſtituere incepiſſet, principatus ſimul, ſeu ſumma reipublicae adminiſtratio ad gentem Maccabaeam tranſiit, qua initio ſub *ethnarcharum* nomine FL. IOSEPHO ſaepius memorato, functi ſunt, donec Ariſtobulus, Ioannis Hyrcani filius, cum diademate regis quoque nomen titulumque ſibi ſumeret. Licet autem Hasmonaei ex tribu Leui oriundi eſſent, non magis tamen ſceptrum a Iuda tum ablatum dici poterat, quam cum & ante eos ſumma rerum adminiſtratio penes ſummos ſacerdotes eſſet. Manebat namque ſummum imperium penes tribum Iudae, etſi eius adminiſtratio penes homines eſſet, ex tribu Leui oriundos. Quod & ſupra nobis iam obſeruatum eſt, ad *per. I. ſect. III. §. XIV. pag. 283.* Non itaque neceſſe eſt, vt, quod nonnulli faciunt, ex tribu Iuda Maccabaeorum originem arceſſamus, contra a-

 per-

perta teſtimonia *I. Maccab. II. 1. & XIV. 29.* itemque FL. IOSEPHI, *antiquit. iud. lib. XII. cap. VIII.* Nec audiendi, qui genus maternum Haſmonaeorum e regia Dauidis ſtirpe deriuant; quod parum etiam ad rem facit. Ceterum initio principes ſiue ethnarchae a populo conſtituebantur, vt Ionathanis atque Simonis exemplo patet; Simoni autem eiusque poſteris a populo in plenam iam libertatem reſtituto, principatus ita collatus eſt, vt in poſterum iure quodam hereditario eum obtinerent, vt ſupra iam obſeruatum, & ex *I. Maccab. XIV. 41. ſeqq.* conſtat. Hinc & ſimul patet, populi procerumque mox maiorem, mox minorem, aut omnino nullam circa reipublicae adminiſtrationem fuiſſe poteſtatem, pro diuerſa principum ipſorum regumque indole ac conditione. Cum deinceps Hyrcani & Ariſtobuli fratrum diſſenſiones, Romanis Iudaeorum rebus ſe ingerendi occaſionem dediſſent, Pompeius, qui Hyrcani contra Ariſtobulum partes tuendas ſusceperat, Ariſtobulo in vincula coniecto, vrbeque Hieroſolyma occupata, templum vi expugnauit. Idem quoque Hyrcano τὴν ἀρχιερωσύνην ἀπέδωκεν, *pontificatum reddidit*, vt IOSEPHVS, *lib. XIV. antiquit. iud. cap. VIII.* adnotauit; quod & *lib. I. de bello iud. cap. V.* repetit.

An vero etiam regnum eidem reſtituerit? viri docti inter ſe diſſentiunt. Negat praeter alios CAROLVS SIGONIVS, *de republ. Ebr. lib. VII. cap. IV.* qui & omnino Iudaeam eo tempore in prouinciae Romanae formam redactam, atque Antipatrum, Herodis patrem, ei procuratorem impoſitum, exiſtimat. Praeeuntem hac in re ſibi habuiſſe videtur AMMIANVM MARCELLINVM, qui, *Pompeius*, inquit, *Iudaeis domitis, & Hieroſolymis captis, in prouinciarum ſpeciem, rectori delata iurisdictione, formauit: lib. XIV. cap. XXVI.* Certe hanc MARCELLINI mentem eſſe, & HENRICVS VALESIVS ad *h. l.* contendit; qui & eandem acriter propugnat ſententiam; quam & ipſe IOSEPHVS confirmare videtur; quando Pompeium Syriam & Iudaeam Scauro adminiſtrandam dediſſe, adſerit, *lib. I. de bello iud. cap. V.* Sed parum hoc probabile videtur aliis, qui ante Archelai relegationem, Iudaeam, in prouinciae formam redactam, ſtrenue negant, quando primus procurator Coponius, eo anno conſtitutus fuit, quo Quirinius proconſul Syriae factus fuit, quod ex ipſo IOSEPHO *lib. XVIII. antiquit. iud. cap. I.* notum eſt. Et ſane, cum ad extrema Auguſti tempora reges & ethnarche in gente iudaica tolerati ſint, prouinciae Romanae forma in ea locum habere non potuit. Scauro equidem Pompeius Syriam & Iudaeam commiſit; ſed non eodem modo; illam vt prouinciam, hanc tanquam ex Syria ſi opus foret, defendendam; conf. ISAACVS CASAVBONVS, *contra Baron. exercit. I.* Eo magis autem iſta ſententia, de Iudaea

daea a Pompeio in prouinciae formam redacta, corruit, ſi inſuper Hyrcano cum pontificatu regiam quoque dignitatem reſtitutam adſeramus. Regnum ſane Hyrcano a Pompeio redditum, diſerte DIO CASSIVS teſtatur, *lib. XXXVII. pag. 37.* atque FL. IOSEPHVS, non ſemel poſt Pompeii diſceſſum, Hyrcanum *βασιλέα regem* vocat; *lib. I. de bello iud. cap. VIII.* In litteris atque decreto Iulii Caeſaris, quod IOSEPHVS profert *lib. XIV. cap. XVII.* Hyrcanus, Pompeio iam extincto, ἀρχιερεὺς καὶ ἐθνάρχης, *pontifex* & *ethnarcha* ſalutatur; quo pacto & in libris Dolabellae, ad magiſtratus Epheſios, quos ibidem IOSEPHVS recitat, Caeſare iam interfecto, adpellitatur. Vnde ad minimum illud colligas, principatum cum ſacerdotio Hyrcano redditum fuiſſe, licet nomine tituloque regis vſus non ſit. Idque etiam ISAACVS CASAVBONVS *l. c.* contendit, regnum ipſum Hyrcano reſtitutum, non autem nomen titulumque regis. Nec obſtat, quod Antipater Iudaeae procurator a Pompeio conſtitutus dicatur. Non enim id ea ratione intelligendum, qua ſub Romanis imperatoribus *procuratores prouinciarum* conſtituebantur, (cum enim reſpublica adhuc libera eſſet, hoc nomen in prouinciis auditum non eſt) ſed cum is iam antea Hyrcani in rebus gerendis adminiſter eſſet, indeque ἐπιμελητὴς Ἰουδαίων *Iudaeorum procurator* FL. IOSEPHO dicatur, non tantum poſt Pompeii ex Iudaea diſceſſum hanc dignitatem retinuit, ſed eodem etiam ſenſu Caeſar, cum Hyrcano pontificatum confirmaſſet, Antipatrum ob rem ad Peluſium praeclare geſtam, Iudaeae ἐπίτροπον *procuratorem* declarauit; vt FL. IOSEPHVS, auctor eſt, *lib. XIV. cap. XIV.*

Quantumuis autem haec ita ſe habeant, recte nihiloſecius dicitur, ſceptrum a Iuda eo tempore auferri coepiſſe, cum Pompeius Hieroſolymam vrbem templumque occupaſſet. Populum enim iudaicum ſimul Romanorum imperio ſubiectum fuiſſe, eo minus dubitare licet, quod FL. IOSEPHVS, *lib. XIV. antiquit. iud. cap. VIII.* tradat, Pompeium Hieroſolymam Romanis ſtipendiariam reddidiſſe, Romanosque breui tempore plus, quam decem millia talentorum a Iudaeis exegiſſe; immo diſerte profitetur: τὴν ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν· *libertatem perdidimus, & Romanorum imperio ſubiecti ſumus.* Nec obſtat quod Hyrcano regnum ſiue principatus reſtitutus ſit, & Herodes etiam nomine tituloque regis ſit gauiſus; immo quod immunitates & priuilegia quaedam Iudaeis a Romanis ſint conceſſa. Vmbra enim ſolum libertatis fuit, quam Iudaeis reliquerunt, regnumque Hyrcani & Herodis plane precarium fuit. Notum illud TACITI: *vetus & iam pridem recepta populi Romani conſuetudo fuit, vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & reges;* in *Agricola cap. XIV.* Plane autem tandem ſcep-

ſceptrum a Iuda ablatum fuit, cum Iudaea in prouinciae formam redacta, tandem & vrbs Hieroſolyma a Tito imperatore ſolo aequaretur. Sunt equidem plurimi, ex ipſis etiam antiquis eccleſiae doctoribus, qui ſceptrum a Iuda tum ablatum contendunt, cum Herodes regnum acciperet, quem ideo *ἀλλόφυλον* fuiſſe, non tantum ſibi perſuadent, ſed plane contendunt; ſed hac de re quid cenſendum ſit, ſupra iam expoſitum, cum de origine gentis Herodicae verba faceremus. Licet autem per Pompeium ſceptrum auferri coeptum, imperiumque Iudaeorum valde imminutum ſit, non tantum tamen ipſa respublica Iudaeorum perſtitit, ſed pars adhuc quaedam ſummae poteſtatis penes populum permanſit, etſi eam independenter haud exerceret, vti iam ad *per. I. ſect. III.* §. *XIV. pag.* 283. nobis obſeruatum eſt.

*** Tria in republica Iudaeorum fuiſſe dicuntur ſynedriorum genera; quorum minimum tribus conſtiterit iudicibus, & in ſingulis vrbibus, quae pauciores, quam CXX habebant incolas, fuerit; medium ſeu maius, viginti & trium virorum fuerit, & in oppidis maioribus, vbi plus, quam CXX patres familias erant, conſederit; maximum denique, quod ſupremum in gente iudaica iudicium conſtituerit, ſummamque obtinuerit auctoritatem. Atque vltimum hocce *κατ' ἐξοχὴν* dicitur בית דין הגדול *ſynedrium magnum*, quod conſtabat LXX viris, quibus praeſes ſeu princeps praeficiendus erat, qui, ſi ceteris adnumeretur, conficiebat numerum LXXI virorum. Ita ſane Ebraeorum doctores, quorum hac de re ſcita profert IO. SELDENVS, *de ſynedr. lib. II. cap. IV.* Falli itaque eos manifeſtum eſt, qui LXXII viris iudicium hocce conſtitiſſe exiſtimant, quibus exemplum praeiuit CAESAR BARONIVS, in *annalib.* ad *an. XXXI. n. X.* Licet autem ex omnibus populi Iſraelitici tribubus, qui idonei erant, in ſenatum huncce cooptari potuerint, Leuitarum tamen & ſacerdotum, ſi vera ſunt, quae paſſim hac de re traduntur, potiores in eo partes fuiſſe videntur. Prae ceteris autem omnibus in hocce conſeſſu eminebant duo, aut, vt aliis placet, tres: quorum primus fuit praeſes, נשיא *princeps* dictus, alter vice-praeſes, qui אב בית דין *pater domus iudicii* vocatur, cuiusque ſedes a dextra principis fuerit: & tertius denique ſecundum nonnullos החכם *ſapiens*, cuius locus fuerit a ſiniſtra principis. Teſtimonio talmudico hoc firmat IO. COCCEIVS, in *not. ad ſanhedr. cap. IV. num. XIII.* Summi ſacerdotes in hocce ſaltem temporis interuallo praeſidis munere functi non ſunt, vti nec Hasmonaei principes; quin immo praeſides ex tribu Iuda & quidem familia Dauidis ſemper fuiſſe, autumant. Seriem illorum praeſidum poſt Eſram vsque ad Herodem, ſequentem tradunt: Simeon iuſtus, Antigonus Sochaeus, Ioſe filius Ioëzer, Ioſua

ſua filius Perachiae, Iudas filius Thabbaei, Schemaia, Hillel. Et hosce quidem non tantum ſumma ſapientia praeditos fuiſſe, ſed kabbalam etiam ſeu oralem traditionem ſummo ſtudio & conſeruaſſe, & propagaſſe, perhibent. Locum porro ſynedrii huius magni non ſemper eundem fuiſſe, referunt; ſub templo tamen ſecundo, & quidem Hasmonaeorum temporibus, conclaue aliquod templi לשכת הגזית *conclaue caeſi lapidis* dictum, huic vſui fuiſſe deſtinatum. Conditor huius couclauis fuiſſe dicitur Simeon ben Schetach, ſynedrii vice-praeſes, cum Iuda ben Thabbai praeſes eſſet, regnante Iannaeo Hasmonaeo; quadraginta tamen annis ante templi deſtructionem ſynedrium loco ceſſiſſe dicunt, & decies mutaſſe ſtationes.

De ſumma autem ſynedrii huius auctoritate mira nobis narrant Ebraeorum magiſtri. De rebus enim priuatis pariter ac publicis, eccleſiaſticis ac politicis, ſententiam in eo fuiſſe pronuntiatam, aiunt; immo regis creandi poteſtatem talmudici doctores eidem tribuunt. Eius porro erat, ſtatuta de rebus ſacris condere, & modos comminiſci, quibus lex exponeretur; & quae alia ſunt eiusdem generis. Iurisdictioni autem eius omnes, cuiuscunque generis ac dignitatis, erant ſubiecti, ne prophetis quidem, ſummisque ſacerdotibus ac regibus, exceptis. Immo ad reges quod attinet, eos corrigi atque in ordinem redigi a ſynedrio potuiſſe, etiam flagellatione, ſed ob certa tantum crimina. Sed hoc de regibus ſolum, qui ex domo Dauidis erant, intelligunt, quorum tanta fuerit modeſtia, vt iudicio ſynedrii ſe ſubmiſerint; Iſraelitarum enim reges & Hasmonaeos id facere noluiſſe, vnde & ſuperbiam illis ac arrogantiam exprobrant. Atque haec aliaque de ſynedrio magno Ebraeorum magiſtri tradunt, ex quorum monumentis diligenter collecta ea praeter IO. SELDENVM opere notiſſimo de *ſynedriis Ebraeorum*, exhibent IO. VORSTIVS, *diſſert.* de *ſynedriis Ebraeor.* quae exſtat *faſcic. IV. opuſculor. ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectantium*; HERM. WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. II. diſſert. III.* MELCHIOR LEYDECKERVS, *de republ. Ebr. tom. II. lib. VIII. cap. VI. pag. 610. ſeqq.* Nec tamen temere, & ſine adcuratiori diiudicatione omnia ſunt admittenda. Exſtitiſſe hocce tempore eiusmodi ſenatum, non prorſus vtique negandum. Nec a vero abhorret, poſt captiuitatem Babylonicam eum exortum, vt ad *ſect. praeced.* §. *XI.* iam docuimus. Sed tantam eius & auctoritatem ac poteſtatem fuiſſe, quantam magiſtri Ebraeorum illi tribuunt, vel hoc nomine parum probabile videtur, quia tot errores, diſſenſiones, ſectaeque diuerſae, gentem iudaicam diuidere & mirum in modum lacerare non potuiſſent; ne de morum improbitate, aliisque incommodis grauiſſimis dicam, quibus obuiam ire facili negotio potuiſſet

ſynedrium, ſi tanta eius fuiſſet auctoritas. Sed & in reliquis omnibus talmudicorum praecipue doctorum hic ſtandum eſt fide, quae quam lubrica, quamque incerta in eiusmodi rebus ſit, neminem temere fugit.

§. XVII.

Litterarum ſtudia, vt alibi, ita & inter Iudaeos hacce aetate vel maxime effloruerunt. Nec variae, quas ſubierunt, calamitates, eas ita exſtinguere potuerunt, vt non ſemper maiori diligentia excitarentur. * Scholas etiam & academias non in Iudaea modo, ſed alibi quoque terrarum habuere inſignes. ** Nec deſunt ſcripta quaedam, hocce tempore concinnata, & ad noſtram aetatem propagata. ***

* Apud Graecos pariter ac Romanos philoſophiam, eloquentiam, aliaque litterarum ſtudia diligenter hac aetate culta fuiſſe, nemini, niſi qui hoſpitem plane ex veterum lectione retulit animum, ignotum eſſe poteſt. Idque plurima etiam, quae ad nos peruenerunt, teſtantur monumenta. Sed de hisce aliquid commemorare cum noſtri non ſit inſtituti, quaenam apud Iudaeos litterarum hocce tempore ratio fuerit, paucis indicabimus. Fuiſſe in hac gente viros doctrinae & ſapientiae laude praeſtantes vel inde intelligitur, quod ſubinde *γραμματεῖς* & *νομοδιδάσκαλοι* in hiſtoria euangelica commemorentur. Sic & praeter prophetas *σοφοὶ καὶ γραμματεῖς*, חכמים וסופרים *ſapientes & ſcribae* celebrantur, *Matth. XXIII. 34.* Nimirum, nomine חכמים *ſapientum* initio generatim omnes veniebant, qui litterarum ſtudiis pro more gentis iudaicae imbuti erant; quod tamen deinceps ſpeciatim illis haeſit, qui legis non ſcriptae ſtudio addicti, hanc vnam efferebant, & doctrina pariter ac vitae inſtituto vrgebant, quales Phariſaei erant. Hinc IOSEPHVS GORIONIDES de Phariſaeorum ac Sadducaeorum diuerſis opinionibus verba faciens, *ecce! Phariſaei*, inquit, *dicebant: obſeruemus legem, quam patres noſtri nobis tradiderunt*, מפורשת על פי החכמים *quamque ſapientes, qui legem explicant, expoſuerunt, eamque recipiamus.* Qui in litteris & ſapientiae ſtudio erudiebantur, תלמידי חכמים *diſcipuli ſapientum* audiebant; quanquam interdum ipſi magiſtri modeſtiae cauſſa, vt nonnulli cenſent, eo nomine venirent, aeque ac qui apud Graecos ſapientiae ſtudio dediti erant, poſt Pythagorae aetatem, non *σοφοὶ* ſed *φιλόσοφοι* adpellari voluerunt. Quod ad *ſcribas* ſeu סופרים attinet, vox iſta interdum in talmude, & quidem *tract. kiduſchin fol. 30. numeratores* denotat,

ſeu

ſeu eos, qui litteras, voces, verſus ſacri codicis numerabant, quod & Maſoretharum fuiſſe officium nouimus. Sed vſus tamen eius latius etiam patebat, vt quemlibet legis doctorem denotaret, immo etiam מלמדי תינוקות *ludimagiſtros, qui puerulos inſtituebant.* Hoc nomine vero etiam veniebant, qui regibus a litteris ſecretioribus erant, aut etiam acta publica litteris conſignabant, vel ea ſcribebant, quae alia quadam ratione ad negotia ſpectabant ciuilia; idque iam ante captiuitatem Babylonicam, vt ex *II. reg. XII. 10.* aliisque locis conſtat. Diuerſi ab hisce erant illi, qui circa legis interpretationem verſabantur, *γραμματεῖς τοῦ νόμου*, quorum erat, ſcribere, docere atque exponere legem; qualis Esdra fuit, *Esdr. VII. 6.* ſequenti autem aetate longe plurimi, non modo ex tribu Leui, ſed & ex tribu Iuda; ſiquidem nulla tribus ab hocce munere excludebatur; conf. IO. DRVSIVS, de *ſectis Iud. lib. II. cap. XII.* Obſeruatum nonnullis eſt, patres ſynedrii *κατ' ἐξοχὴν* dictos *ſcribas*, eoque referunt illud ſeruatoris: *ſcribae & Phariſaei ſedent in cathedra Moſis*, *Matth. XXIII. 2.* Per *cathedram Moſis* enim cathedram legislatoriam, adeoque ſynedrium intelligunt. Quod autem ſcribae hic a Phariſaeis diſtinguuntur, id non ita intelligendum, ac ſi Phariſaei itidem non fuerint ſcribae, quippe qui vel maxime hocce munus ſibi arrogabant; ſed quod ſcribae fuerint, qui non eſſent Phariſaei. Habebant namque & Sadducaei ſuos *γραμματεῖς* ſeu *ſcribas*. Hinc ſubinde in talmude סופרי צדוקין *ſcribae Sadducaeorum* commemorantur; & rurſus Phariſaeorum ſcribae, ſeu *γραμματεῖς, τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων, Act. XXIII. 9.* Quemadmodum autem non vnum erat apud Iudaeos doctrinae genus, nec ratio vna legem explicandi, ſed alia textus lectio & litteralis expoſitio, מקרא illis dicta; alia doctrina traditionum, atque earunden elucidatio משנה illis dicta; alia denique doctrina, atque explicatio ſcripturae myſtica vel allegorica מדרש dicta; ita diuerſi quoque ſcribarum ſiue doctorum conſtitui poſſent ordines; niſi dicendum, unum interdum eundemque doctorem, in variis ſimul docendi & ſcripturam explicandi modis, excelluiſſe. Legenda, quae hanc in rem IO. LIGHTFOOTVS in medium adfert, *hor. ebr. in Luc. X. 25. tom. II. opp. pag. 520. ſeqq.*

Sunt, qui exiſtimant, ſcribas etiam dictos fuiſſe *νομικοὺς* item *νομοδιδασκάλους*. Sed diſcrimen aliquod interceſſiſſe, viri docti ex *Luc. XI. 45.* colligunt. Cum enim Chriſtus dixiſſet: *οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, ὑποκριταί* &c. reſpondens quidam *τῶν νομικῶν* dixit ei: *Magiſter, cum haec dicis, etiam nos adficis iniuria*, i.e. non tantum ſcribas & Phariſaeos, ſed etiam nos *νομικοὺς*, ſeu legis peritos. Suum nimirum ordinem *νομικὸς* hicce, & a ſcribis & a Phariſaeis diſtinguit, ſed ita, vt pro-

 pius

pius ad ſcribas eum accedere ſubinnuat, quam ad Phariſaeos. Quamdiu enim Chriſtus Phariſaeorum acriter reprehendit vitia, nihil regeſſit. Sed cum ſeruator Phariſaeis etiam ſcribas adiungeret, tum demum per horum latus *νομικὸς* quoque pungi exiſtimauit. Simul vero id inde liquet, exiſtimaſſe *νομικὸν* huncce, ſuum ordinem meliori apud ſeruatorem loco eſſe, quam & ſcribarum & Phariſaeorum. In quonam itaque diſcrimen inter *γραμματεῖς* & *νομικὸς* conſtiterit? inter viros doctos quaeſitum eſt. Nonnulli illud in eo quaeſiuerunt, quod *γραμματεῖς* in theoria maxime, *νομικοὶ* autem in praxi, & quaeſtionibus practicis, fuerint occupati. Quod vt fundamento deſtituitur, ita vel ideo admitti nequit, quod, quae magiſtros omnes eo tempore occupabant, doctrinae capita, non alia erant, quam *πρακτικὰ*, ſeu quae circa agenda verſabantur. IACOBVS TRIGLANDIVS, vir clariſſimus, totus in eo eſt, vt probet, *νομικὸς* eos fuiſſe, qui textui ſeu litterae ſcripturae, repudiatis traditionibus omnibus, adcurate inhaererent, qui deinde קראים *Karaei*, vocati ſunt. Simul & de voce כופרים obſeruat, nonnullos ideo ita dictos, quod reiectis traditionibus, ſolam ſcripturam venerarentur; in *diatribe de ſecta Karaeorum*; *cap. VI. p. 210. ſeqq.* Qua in re refragantem ſibi habet virum clariſſimum IO. HENRICVM HOTTINGERVM, in *notis ad Thomae Goodwini Moſ. & Aaron. lib. I. cap. VI. pag. 119.* qui & ſimul obſeruat, forte gradu ſolum ſcribas a legis peritis diuerſos fuiſſe, quod illi his eſſent honoratiores. IO. autem LIGHTFOOTVS omnino *νομικὸς* vel maxime traditionarios fuiſſe, contendit, *hor. ebr. in Luc. XI. 45. tom. II. opp. pag. 530.* TRIGLANDII tamen ſententiam, calculo ſuo adprobat vir doctiſſimus, IOAN. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, in *praefat. notitiae Karaeorum &c.* praemiſſa, vbi & IAC. ALTINGIVM, IAC. BASNAGIVM, aliosque ceu ὁμοψήφους, laudat. An inter *νομικὸν* & *νομοδιδάσκαλον* diſcrimen interceſſerit, & in quo iſtud conſtiterit, IO. LIGHTFOOTVS itidem *l. c.* diſquirit. Id ex iſtis virorum doctorum diſſenſionibus ſatis patet, diſcrimen, quod inter ſcribas & *νομικὸς* interceſſerit, determinari non poſſe; licet certum ſit, aliquod interceſſiſſe, quod fruſtra negat DIONYSIVS PETAVIVS, ad *Epiphanii haereſin XV.* Ceterum in hoc etiam temporis interuallo poſt Hillelem ſenem inuenti ſunt varii honorum tituli, quibus doctores inſigniebantur. Digniſſimus inter eos fuit רבן *Rabban*, ſed idem Hillelis poſteris, ceu ex regia ſtirpe prognatis, ſi doctrina legis excellerent, proprius fuit. Mariam Magdalenam, ſeruatorem noſtrum a mortuis reſuſcitatum hoc titulo compellaſſe, nonnulli exiſtimant, quando eum ῥαββονὶ ſalutauit: *Io. XX. 16.* Etſi enim non deſint, qui ad vocem רבון *Ribbon*, qua ſolus Deus denotatur, hic reſpici velint, obſtare tamen alii putant, quod ipſe Ioannes ex-

explicationem addat: ὃ λέγεται, διδάσκαλε. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Sequitur titulus: רבי *Ribbi* vel *Rabbi*, quem cum altero אב vel אבא *pater* magno ambitu Iudaeorum magiſtri adfectabant, graui ideo cenſura a ſeruatore notati, *Matth. XXIII. 8. 9.* Fuit autem titulus *Ribbi*, illis, qui in Palaeſtina promoti erant, proprius; qui enim in academiis Babyloniae dignitatem doctoris conſecuti erant, רב *Rabb* & מר *Mar* dicebantur. Vſitatum etiam erat, vt ſolenni ritu ac ceremoniis, manuum cumprimis impoſitione, qui digni erant, in doctorum numerum reciperentur; quae omnia fuſius exponit IAC. ALTINGIVS, in *hiſtoria promotion. academ. ebraear.* quae exſtat in *heptade oration. academic. p. 297. ſeqq.*

Quemadmodum autem ex dictis vtcunque conſtat, quaenam litterarum & eruditionis apud Iudaeos eo tempore fuit ratio; ita, an graecanicis litteris, ſpeciatim philoſophiae, pretium aliquod ſtatuerint? diſceptari inter viros doctos ſolet. Nonnulli hac de re adeo non dubitant, vt ex commixtione philoſophiae graecanicae & doctrinae ſacrae plurimos Iudaeorum errores, & ipſam etiam ſectarum diuerſitatem exortam exiſtiment; vti & iam olim a me obſeruatum, *introd. ad hiſtor. philoſ. ebr.* §. *XVIII. p. 54.* & §. *XIX. p. 63. ſeqq.* conf. & MELCHIOR LEYDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. VIII. cap. V. p. 605.* Sane, cum ſub Antiocho epiphane, graecanici mores apud Iudaeos introducti ſint, plurimique ex ipſis Iudaeis eos ſponte ſua amplecterentur, *I. Maccab. I. 12. ſeqq.* plurima etiam ex eo tempore Iudaeis cum Graecis intercederent commercia, fuiſſe nonnullos, qui Graecorum & litteris & philoſophia caperentur, quaedam etiam philoſophorum placita adſumerent, vix eſt, quod dubitemus. Cum vero alii, quibus patriae religionis puritas praecipue curae cordique erat, graecanicos valde improbarent mores, a litteris & philoſophia Graecorum alieno prorſus fuiſſe animo, itidem non eſt, quod ambigamus. In tractatu miſchnico *ſotah cap. IX. num. XIV.* refertur, orto bello Titi, cautum eſſe, שלא ילמד אדם את בנו יונית *ne quis filium in graecanicis erudiret.* Sed in *gemara* ad *h. l.* dicitur, iam eo tempore, quo Hyrcanus & Ariſtobulus bellum inter ſe gerebant, hanc pronuntiatam fuiſſe ſententiam: ארור אדם שלמד בנו חכמה יונית *maledictus eſto, quisquis filium ſuum ſapientiam graecanicam edocet.* Locum integrum ex gemara exhibet IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, *ad miſchnae tract. cit. p. 307.* edit. GVIL. SVRENHVSII. In tractatu *menachoth fol. 99.* ſequentia ſeguntur: *Dumae filius, qui ex R. Iſmaelis ſorore genitus erat, quaeſiuit ex hoc auunculo: num mihi, qui legem ſacram vniuerſam addidici, fas eſt, ſtudere artibus, & litteris graecanicis? Ibi inculcauit ei auunculus dictum (Ioſ. I. 8.) ne diſcedito liber ille legis ex ore tuo, ſed meditaberis de eo* in-

Digitized by Google

interdiu ac noctu; (ſubiungens deinde) *adesdum & tecum ipſe reputa, quae ſit illa hora; quae nec ad diem, nec ad noctem pertinet, atque hac ſapientiae graecanicae operam nauare tibi licebit.* Refert hoc itidem, quem antea laudauimus, WAGENSEILIVS *l. c.* qui & aliud eiusdem generis reſponſum R. Ioſuae, addit, ſimul tamen exempla ex talmude in contrarium profert, eorum, qui cum doctrina legis, graecanicam non dubitarunt coniungere ſapientiam. Obſeruat porro, non debuiſſe a Iudaeis contemni ſapientiam graecanicam, quippe cuius ipſi ſe auctores praedicent, ſiquidem ſecundum FL. IOSEPHVM & ARISTOBVLI teſtimonium apud CLEMENTEM Alexandrinum, Pythagoras plurima a Iudaeis acceperit. Sed haec quidem vt pauciſſimis forte Iudaeorum tribui poteſt ſententia, ita plerosque ſaltem eo tempore, de quo loquimur, aliter exiſtimaſſe, non dubitauerim. Fuiſſe quosdam, qui graecanicis litteris animum imbuere, ſibi religioni non duxerunt, non abnuo; eam tamen opinionem, quae graecanicas litteras reiicit, apud pleroſque obtinuiſſe, adeoque praeualuiſſe, patriae auitaeque disciplinae amor, quem in plurimis, Phariſaeis maxime, obſeruare licet, haud ſine ratione ſuadet.

** Plurimas apud Iudaeos hocce tempore fuiſſe ſcholas, prout a ſynagogis diſtinguuntur, vel ea, quae de litterarum ſtudiis, tanta diligentia apud eos excultis, diximus, nos dubitare non ſinunt. Neque tantum de eiusmodi ſcholis, in quibus prima doctrinae elementa pueris tradebantur, hoc eſt intelligendum, ſed cumprimis & de iis, in quibus altiora ſublimioraque doctrinae ſacrae capita exponebantur. Quamlibet ſynagogam, quae בית כנסת vocabatur, Hieroſolymis ſimul habuiſſe בית ספר *domum libri*, ſeu *bibliothecam*, vt nonuulli hoc capiunt, atque בית תלמוד *domum doctrinae* antea iam ad §. *XV*. oſtendimus. Numerum praeterea ſynagogarum, quae Hieroſolymis fuerint, ad CCCC LXXX vsque a quibusdam extendi, ibidem docuimus. Et exſtat ſane numerus iſte in *tractat. megillah, fol. 73.* Sed in *talmud. Hieroſol. chetubb. fol. 35.* CCCLX ſolum ſynagogae Hieroſolymis numerantur, ſimulque additur, vnamquamque ſynagogam habuiſſe בית ספר למקרא *domum libri, pro ſcriptura* ſcilicet legenda, & aliam למשנה *pro traditionibus.* Ita quidem IO. LIGHTFOOTVS hoc capit, *cent. chorograph. Matthaeo praemiſſa, cap. XXXVI.* Differt paulisper, quod ab aliis profertur, teſtimonium ex *talm. Babylon. chetubb. fol. 105.* & ita ſe habet: *Et ecce!. dixit R. Phineas, R. Vſchaiam dixiſſe: trecentas nonaginta quatuor domos iudiciorum fuiſſe Hieroſolymis; totidem ſynagogas, totidem academias, ac denique totidem* בתי כופרים *paedagogea.* Ita enim nonnulli pro בית כפר legunt, & ita hanc vocem interpretantur. Ceterum ſchola eiusmodi, quae a ſynagoga diſtin-

ſtinguebatur, dicebatur בית תלמוד itemque בית אולפנא item בית מדרש aliquando & ſimpliciter בית *domus*, vbi tamen vox אולפנא, aut ſimilis, ſubaudienda. Diſcrimen ſynagogae & ſcholae in eo praecipue conſiſtebat, quod in illa ad orandum, & ad legem atque prophetas legendum conuenirent, in hac autem לדרוש ad ſcripturam allegorice explicandam, itemque ad traditiones proponendas, euoluendasque. Hinc & ſcholae maiorem, quam ſynagogae fuiſſe ſanctitatem, auctor eſt R. MOSES MAIMONIDES, in *tractat. thephillah cap. XI.* Extraneos Iudaeos Hieroſolymis quoque ſcholas ſuas habuiſſe, ex *Actor. VI. 9.* colligas; quemadmodum rurſus non tantum in Palaeſtina, ſed alibi quoque terrarum Iudaei ſuas habuere ſcholas; qualis ſecundum quosdam Epheſi illa Tyranni fuit, *Actor. XIX. 9.* quippe quae a ſynagoga ibi diſtingui videtur. Quae in Babylonia floruerunt Iudaeorum ſcholae ſeu academiae, Nahardeenſis, Sorana & Pumbeditana, ſequenti equidem aetate celebritatem conſecutae ſunt; nec tamen dubium, quin in hocce iam exſtiterint temporis interuallo, cum a Iudaeis illis, qui in Babylonicam captiuitatem abducti cum reliquis in patriam redire noluerunt, eas fundatas eſſe, dubitari nequeat; conf. IAC. ALTINGIVS, in *hiſtoria academiar. ebraear. p. 286. ſeqq.*

*** Inter ſcripta, quae ad hanc aetatem referri ſolent, primum praecipuumque locum tenet, *liber ſapientiae.* Eos enim, qui illum Salomoni tribuunt, magnopere falli, iam ſupra demonſtratum eſt, ad *per. II. ſect. IV. §. XXXIII. p. 519. ſeqq.* Quis autem verus ac genuinus eius auctor ſit, certo adſeri nequit; hinc & coniecturis tantum locus conceditur. Ab vero abhorret, quod AVGVSTINVS tradit, Ieſum Sirachi filium, & huius, & alterius, qui *eccleſiaſtici* nomine venit, libri auctorem eſſe, etſi ſcribat, hoc *conſtantiſſime perhiberi*, de *doctrina chriſtiana lib. II. cap. VIII.* Hinc & ipſe hoc reuocat *lib. II. retract. c. IV.* Recepta fere, plurimorumque calculo adprobata eſt ſententia, Philonem libri huius auctorem eſſe; num vero iunior ille, ſeu Alexandrinus, an ſenior quidam, de eo iterum in diuerſas partes viri docti abeunt. Eorum, qui prius adſerunt, nonnullos indicauit CHRISTIANVS KORTHOLDVS, in *tract.* de *canone ſcripturae cap. XIII. p. 278. ſeqq.* Nec contemnendae prorſus ſunt, quas pro hac ſententia adducit rationes IO. RAINOLDVS, in *cenſura apocryphor. tom. I. p. 179. ſeqq.* quarum praecipuas & ipſe in compendio exhibui, in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 61.* Non minus tamen graues & praegnantes rationes obſtant, quo minus Philoni iuniori ſeu Alexandrino tribui queat; quas itidem *l. c.* exhibui. Vnde & alii, iique doctiſſimi viri, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, non iuniorem illum, ſeu Alexandrinum, ſed alium quendam ſeniorem Philonem libri huius auctorem eſſe, cui & ipſe *l. c.* ſubſcripſi.

PE-

PETRVS quoque DANIEL HVETIVS librum ſapientiae ex libris Salomonis excerptum fuiſſe, putat, & a Philone hocce ſeniore graece redditum, *demonſtr. euangel. part. I. prop. IV. p. 359.* Dubium tamen inde nonnulli mouent, quod incertum ſit, quis Philo ille ſenior fuerit. Eum enim, quem de Iudaeis quaedam ſcripſiſſe, FL. IOSEPHVS auctor eſt, *lib. I. contra Apion* & CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. lib. I.* & ex vtroque EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XX. & XXIV.* vel ideo intelligi non poſſe, quod ethnicus fuerit, & quidem Pythagoraeus, quem libri ſapientiae aut auctorem aut interpretem eſſe, parum ſit credibile. At IOSEPHVM, qui Philonem iſtum non Iudaeum, ſed graecum fuiſſe, adſeruit, auctoritate HIERONYMI, Iudaeum eum fuiſſe, adfirmantis *praefat. in. lib. Salom.* refellit PETRVS DANIEL HVETIVS, *l. c. p. 90.* renitente rurſus viro clariſſimo IO. ALB. FABRICIO, qui HIERONYMVM *l. c.* non de ſeniori, ſed iuniori Philone ſeu Alexandrino loqui, &, inepte quoque IOSEPHVM hominem iudaeum Apioni oppoſiturum fuiſſe, contendit, *prolegom. in libr. ſap. §. XIII. p. 239.* Interim dum ipſe vir doctiſſimus fateatur, & ex IOAN. IONSIO *lib. III. de ſcriptoribus hiſtor. philoſ. cap. IV.* doceat, plures fuiſſe olim, quibus Philonis nomen haeſerit, & inter Iudaeos quoque non adeo inuſitatum hocce nomen fuiſſe conſtet; nihil obſtat, quo minus alius adhuc Philo extiterit, qui libri iſtius auctor ſit; quanquam tum ſimul fatendum ſit, de eo praeter nomen nihil nobis conſtare, & incertum quoque eſſe, quando vixerit, aut quo tempore liber hicce ſapientiae ſcriptus ſit. Graeco eum ſcriptum idiomate, vel inde nonnulli colligunt, quod, ipſo HIERONYMO iudice, *ſtylus graecam eloquentiam redoleat*, qui &, ſuo eum tempore ebraice non extitiſſe, confirmat. PETRVS nihilominus DANIEL HVETIVS ex ebraeo archetypo eum vel conuerſum, vel collectum, pluribus indiciis deprehendi, pronuntiat; nam & ebraiſmos in eo occurrere, & carmine adſtrictum fuiſſe, perinde, vt reliquos Salomonis libros, & Iobum, & pſalmos, nonnullos e veteribus memoriae prodidiſſe, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. p. 359.* Sed haec & reliqua, quae pro hac ſententia adfert, quam infirma, quamue lubrica ſint, oſtendit, quem antea iam laudauimus, vir doctiſſimus, IO. ALB. FABRICIVS, *prolegom. in libr. ſapient. §. VI. p. 228.* R. MOSES NACHMANIDES, librum idiomate ebraeo ſeu chaldaeo, vel potius dialecto Hieroſolymitana, ſcriptum, commemorat, cui titulus: חכמתא רבתא דשלמה *ſapientia magna Salomonis*, quem eundem cum noſtro libro ſapientiae eſſe, recte quidem SCIPIO SGAMBATVS oſtendit, *archiu. vet. teſtam. lib. III. tit. XXVI. p. 329.* ſed in eo fallitur, dum inde concludit, librum ſapientiae dialecto primum Hieroſolymitana ſcriptum, & in graecam linguam deinceps translatum; cum nihil obſtet, quo minus li-

liber iſte ex lingua graeca in chaldaeam transferri potuerit; vti iam ſupra obſeruatum, ad *per. II. ſect. IV.* §. *XXXIII. p. 521.* Et conſentientem ſane mecum hac in re habeo PETRVM DANIELEM HVETIVM, qui e graeco conuerſum putat, ab aliquo ordinis Rabbinorum, ſodalibus ſuis gratificante, cum eos inſigni hocce Salomonis (ita enim vir ille doctus cenſet) opere carere nollet. Addit, R. AZARIAM, cum verba NACHMANIDAE in teſtimonium adduxiſſet, in *imre binah cap. LVII.* coniectare, chaldaice a Salomone eſſe ſcriptum, in gratiam regis alicuius ad orientem poſiti אם לא נעתק *ſi non ſit conuerſus*; *l. c. p. 359.* Reliqua, quae de hocce libro disputari ſolent, aut moneri adhuc poterant, non ſunt huius loci.

Sequuntur *libri Maccabaeorum*, vt vocari ſolent. Et primus quidem non ſine ratione ita dicitur, quia bella grauiſſima, quae Matthatias cum filiis, Iuda Maccabaeo, Ionathane & Simone, contra populi iudaici hoſtes fortiter geſſerunt, ex inſtituto deſcribit. Auctor libri huius incertus eſt. A Ioanne Hyrcano eum ſcriptum eſſe, nonnulli inde euincere volunt, quod patris & patrui geſtis omnibus interfuerit, quod FL. IOSEPHVS eum prophetam fuiſſe, tradat, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. X.* quod, cum Iudaeis per annos XXI praefuerit, pace ſimul & quiete gauiſus ſit, & denique, quod in morte Simonis patris ſui deſierit. Alii, licet ipſi Ioanni Hyrcano hunc librum non tribuant, eius tamen tempore a ſacerdote quodam conſcriptum, contendunt. Cuncta incerta ſunt, etſi a vero non abhorreat, non diu admodum poſt res iſtas geſtas, quae in eo narrantur, eum eſſe compoſitum; quod PETRO DANIELI HVETIO inde quoque probabile redditur, quod *ſtili ipſius character vetuſtatem indicet, & ad priſcorum exemplarium formam opus ſit compoſitum*; *demonſtr. euangel. part. I. prop. IV. p. 460.* Librum huncce ebraice ſe reperiſſe, teſtatur HIERONYMVS in *prolog. galeat.* Vnde hac lingua eum ſcriptum, nonnulli colligunt; quod inde etiam confirmari poteſt, quod titulum eius ebraicum ORIGENES conſeruauit apud EVSEBIVM, *hiſt. eccleſ. lib. VI. cap. XXV.* Cum enim libros ἐνδιαθήκους veteris teſtamenti commemoraſſet, ἔξω δὲ τούτων, inquit, ἐςὶ τὰ Μακκαβαϊκά, ἅπερ ἐπιγέγραπται Σαρβὴθ Σαρβανὲ ἔλ. *Extra horum cenſum ſunt libri Maccabaeorum, qui inſcribuntur Sarbeth Sarbane el.* Quae quidem verba cum diuerſimode a viris doctis exponantur, non multum tamen a vero mihi aberrare videntur, qui ea ita interpretantur: שרבית שר בני אל *ſceptrum principis filiorum Dei*; conf. PETRVS DANIEL HVETIVS, *not. ad Origen. opera exegetica p. 9. & dem. euangel. p. 460.* Ebraica autem lingua, qui librum hunc ſcriptum adſerunt, de dialecto ſyro-chaldaica, quae eo tempore apud Iudaeos in vſu fuit, hoc intelligunt; ſimulque verſionem, quam hodie habemus, graecam, inde prognatam volunt; quam nonnulli Theo-

odotioni tribuunt; quod quo iure fiat, iam olim diſceptaui in *diſſert. de Theodotione*, quae in *parergis hiſtorico-theologicis* exſtat *p. 39*. Verſio autem latina a graeca in plurimis, annorum maxime deſignatione, mirifice diſcrepat; vt, num ex graeca, an ex ipſo textu ſyro-chaldaico expreſſa ſit, viri docti dubitent.

Qui primo Maccabaeorum libro ſubnectitur, *alius* potius, ipſius B. MARTINI LVTHERI iudicio, quam *ſecundus*, dici debebat. Non enim continuatio quaedam illorum, quae in libro primo narrantur, in eo continetur, ſed nonnulla, quae itidem ad Maccabaeos ſpectant, commemorantur. Nimirum, quae *cap. III. IV. & V.* narrantur, ante ea contigerunt, quae in primo libro enarrantur; quae vero liber primus habet, poſt caput ſeptimum, de eo nihil in ſecundo exſtat. Ex multis vero partibus ſecundum huncce librum Maccabaeorum conflatum eſſe, res ipſa docet. Duabus enim epiſtolis, quas Iudaei Hieroſolymis agentes ad Iudaeos in Aegypto commorantes ſcripſerant, nec non praefatione, praemiſſis, epitome ſequitur librorum quinque, quibus Iaſon Cyrenaeus res illas, quae Iudaeis ſub Seleuco, Antiochi magni filio, & deinde ad regnum vſque Antiochi eupatoris, euenerunt, complexus erat. Hoc enim diſerte *II. Maccabaeor. II. 24.* indicatur. Qua lingua Iaſon iſte Cyrenaeus hiſtoriam ſuam ediderit, dubitat DAVID BLONDELLVS, de *ſybillis*, *lib. II. cap. XXIV.* Sed omnino graeca eum ſcripſiſſe, euincit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. p. 461.* Cum vero & Callinicus Sutorius hiſtorias Alexandrinas decem libris complexus ſit, inque iis, vt nonnulli tradunt, iudaica quoque horum temporum late tractauerit, HVGO quidem GROTIVS ex hocce auctore, quae *cap. XII. libri II. Maccab.* exſtant, depromta exiſtimat. Ex eodem etiam auctore, aut ex archiuis Alexandrinae Iudaeorum ſynagogae, epiſtolas antea memoratas, quas epitomaſtes hiſtoriae ſuae praemiſit, depromtas, nonnulli arbitrantur. Ea autem libertate Iaſonem ſequitur, vt ea ſolum, quae ad rem pertinere viſa, decerpat; ſed ex aliis etiam eum quaedam depromſiſſe, nonnulli ex *II. Maccab. II. 25. 26. 29.* colligunt. Quis vero compilator iſte fuerit, non conſtat. Qui enim aut Ioſepho, aut Philoni, aut neſcio cui Iudae Eſſaeo opus hocce tribuunt, eos omnes magnopere falli, recte oſtendit HVETIVS *l. c.* Quisquis autem ſit, inſignem paſſim iudicii imbecillitatem prodit. In plurimis etiam eum cum libro primo Maccabaeorum pugnare, vtriusque collatio docet; vnde haud exiguus labor eos inter ſe conciliandi illis enaſcitur, qui vtrumque pro canonico habent. Nec tamen ex voto ſemper illis res ſuccedit, vt ſubinde ſupra, praeſertim ad §. *II. huius ſectionis*, docuimus. Qui vulgo *tertius liber Maccabaeorum* vocatur, perperam prorſus hoc titulo inſignitur. Tempora

pora enim Maccabaeis priora attingit, & Iudaeorum ſub Ptolomaeo philopatore, Aegypti rege, fata exponit. Cur Maccabaicus vocetur, non alia adferri ratio poteſt, quam quod mos receptus ita ferat, cum Maccabaeorum eum libris coniungere. Eundem huius libri & libri *ſapientiae* auctorem eſſe, Philonem ſcilicet, ex ſtili ſimilitudine nonnulli coniiciunt. Certe graece hunc librum ſtilo & charactere Alexandrino, ampulloſo, & qui proxime a cothurno abſit, ſcriptum eſſe, IOSEPHI SCALIGERI quoque eſt ſententia, *animaduerſionib. in Euſebium p. 138.* Inde tamen nihil certi de auctore eius colligere licet; hinc & tempus, quando conſcriptus ſit, incertum eſt. Nonnulla in eo, quae a veritate aliena ſint, referri, dudum viris doctis obſeruatum; nec tamen ideo cauſſa erat Romanenſibus a canone eum reiiciendi, cum in duobus prioribus Maccabaeorum libris plura adhuc eiusdem generis occurrant. Sed hac de re disceptari huius loci non eſt. Num *philopatoris*, an *paſtoris* nomine apud HIERONYMVM veniat, & quid vltima vox ſibi velit, diſputant viri docti; conf. IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XXIX. p. 749.* Qui a nonnullis *liber quartus Maccabaeorum* vocatur, non alium eſſe, quam qui a Ioſepho περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ ſcriptus eſt, idem vir doctus *l. c.* oſtendit.

Referri praeterea ad hanc aetatem poſſunt *paraphraſes* quaedam, ſeu *chaldaicae* librorum quorundam veteris teſtamenti *verſiones*; ſpeciatim prophetarum illa, tum priorum, tum poſteriorum, quae Ionathanem, Vzielis filium, auctorem agnoſcit. De tempore equidem, quo Ionathan iſte vixerit, adeoque, quando paraphraſis iſta confecta ſit, viri docti inter ſe non conueniunt. Quod talmudici doctores tradunt, in pueritia ſeu adoleſcentia eum fuiſſe diſcipulum Haggaei, Zachariae, & Malachiae prophetarum, & in ſenectute Onkeloſum vidiſſe, quem inſuper poſt templum ſecundum exuſtum adhuc in viuis fuiſſe, autumant, inter portentoſa illorum commenta referendum eſt, cum ea ratione quadringentos, & quod excedit, annos, viuendo eum tranſegiſſe oporteat; niſi, quod nonnulli volunt, ita forte intelligendum ſit, quod ab vltimis iſtis prophetis verum ſcripturae ſenſum per traditionem oralem acceperit. GILBERTVS GENEBRARDVS Ionathanem Vzielis filium annis XXVIII; ante Chriſtum natum obiiſſe, auctor eſt, in *chronolog. p. 209.* R. DAVID GANZ in *zema. h Dauid*, eum refert ad annum MMM DCCC XXIV, hoc eſt, XXXVI ante natiuitatem ſeruatoris. Sed neuter fundamento, quod fidem mereatur, innititur; adeoque incerta omnia atque dubia eſſe, non ſine ratione pronuntiat IVL. BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabbin. magna, tom. III. p 792.* Hinc & patet, de tempore, quo paraphraſis illa confecta ſit, itidem nihil certi pronuntiari poſſe; etſi nonnulli anno XXI, alii

xxvii, alii xxx, ante natum Chriſtum id factum adſerant. In eo tamen omnes conſentiunt, factum id ante Chriſtum natum; quemadmodum & extra dubium poſitum cenſetur, Ionathanem huncce Hilelis ſenioris fuiſſe diſcipulum. Plura de eo dabit, quem iam laudauimus, BARTOLOCCIVS *l. c.* vbi & miracula, quae Iudaei eo tempore contigiſſe fingunt, cum paraphraſi huic incumberet, refert. Onkeloſum, qui pentateuchum in linguam chaldaeam tranſtulit, Ionathane iuniorem fuiſſe, plurimi contendunt, idque vel inde probari poteſt, quod Gamalielis, qui Pauli apoſtoli praeceptor fuit, morti interfuiſſe, eique iuſta feciſſe, & in eius funere LXX libras opobalſami inſumſiſſe, dicitur *tract. auodah. ſarah. cap. I.* Vnde porro colligitur, eum ſeruatori noſtro fuiſſe σύγχρονον. Repugnat, quod nonnulli ex Ebraeorum magiſtris, eum ſororis Titi imperatoris fuiſſe filium, tradunt, vt talmudici doctores in *tract. gittim fol. 56.* Sed illum Onkeloſum filium Kalonimos, cuius ibi mentio iniicitur, diuerſum fuiſſe a noſtro paraphraſte, dudum viri docti oſtenderunt. Non minus vero egregie falluntur, qui Onkeloſum hunc eundem cum Aquila Pontico, qui codicem ebraeum in linguam graecam tranſtulit, faciunt, quem errorem praeter alios in ROBERTO BELLARMINO caſtigauit B. CHRISTIANVS KORTHOLDVS, de *variis ſcripturae ſacrae editionibus cap. III. p. 35.* Iungendus & BARTOLOCCIVS *l. c. tom. I. p. 405.* vbi plura de Onkeloſo. Quemadmodum vero inter paraphraſes chaldaicas, quas hodie habemus, Ionathanis illa citra controuerſiam antiquiſſima eſt; ita, annon iam ante eam aliae in gente iudaica exſtiterint, diſceptari ſolet. Nec ego prorſus hoc abnuerim; ſaltem eo tempore, quo lingua ebraea purior apud Iudaeos in vſu eſſe deſiit, interpretationes quasdam in lingua chaldaica textui ebraeo additas fuiſſe, vix eſt, quod dubitemus. Quod licet oretenus initio factum fuerit, fieri tamen potuit, vt litteris etiam conſignarentur. Quorundam ſane eſt ſententia, Ionathanem primum, deinceps Onkeloſum, paraphraſes antea iam exſiſtentes, emendaſſe, atque in ordinem redegiſſe. Mirum maximopere alicui videri poſſet, nec FL. IOSEPHVM, nec ex antiquis eccleſiae doctoribus ORIGENEM AC HIERONYMVM, qui rerum ebraicarum prae ceteris fuerunt peritiſſimi, vllam chaldaicarum paraphraſium iniicere mentionem. Quod quidem nonnullis tanti viſum eſt momenti, vt poſt HIERONYMI demum aetatem eas quoque paraphraſes, quae Ionathanis atque Onkeloſi ſunt, confectas, arbitrarentur. Sed magnopere iſtos falli, & cauſſas quasdam probaliles, cur iſti auctores paraphraſeon iſtarum nullam iniecerint mentionem, adferri poſſe, oſtenſum eſt ab aliis; ſpeciatim ab AVG. PFEIFFERO, *crit. ſacr. cap. VIII. ſect. II. quaeſt. I. p. 329.* qui & plura de paraphraſtis iſtis, de quibus hactenus diximus, ſuppeditat, quod & praeter plures alios BRIANVS

WAL-

WALTONVS facit, *apparat. bibl. proleg. XII. per integr.* Neſcio, an ad ſcripta huius aetatis etiam referenda ſit hiſtoria Antiochi, quae ſub titulo: מגלת אנטיוכוס *volumen Antiochi*, exſtat, &, ſi non ratione auctoris, certe ratione argumenti, huc pertinet. De auctore & tempore, quando ſcriptum hoc compoſitum ſit, nihil inueni. Cum vero in מחזור hiſpanico, atque aliis quibusdam editionibus precum iudaicarum, poſt ritum celebrandi חנוכה ſiue encaeniorum feſtum, in quo a Iudaeis legitur, exſtaret, integrum cum verſione latina & notis *bibliothecae* ſuae *rabbinicae magnae* eum inſeruit IVL. BARTOLOCCIVS, *tom. I. p. 383. ſeqq.* conf. & IO. ALB. FABRICIVS, *cod. pſeudepigraph. vet. teſtam. p. 1165. ſeqq.*

§. XVIII.

Fuerunt denique inter Iudaeos viri pii & cordati, qui cum doctrinae veritate vitae ſanctae ſtudium coniungerent. * Fuerunt vero etiam improbi quam plurimi, peſſimique hypocritae. Immo plurimi, ad ethnicorum principum captandam gratiam, aut ſimiles ob cauſſas, ethnicorum imitari mores & adprobare inſtituta, non dubitabant. ** Origo haec erat plurimorum malorum, & domeſticarum diſſenſionum, quas ſectae hocce tempore natae, certe caput extollentes, Phariſaeorum cumprimis & Sadducaeorum, non minus alebant, quam fouebant. *** Samaritanorum etiam atque Iudaeorum mutua, eaque acerrima continuabantur odia; * quemadmodum & templum Heliopolitanum, ab Onia exſtructum, nouo ſchismati occaſionem dedit. ** Apud ethnicos ſuperſtitionis arcana magis equidem magisque & detegebantur & explodebantur, ſed ita vt plurimi ad extremum alterum, quod impietas eſt, ſeu atheismus, prolaberentur. ***

* Fuiſſe inter iudaeos, ſaltem circa initium huius interualli, viros cordatos & pios, qui cum religionis conſeruandae cura vitae ſanctae ſtudium coniungerent, vel illorum exemplo patet, qui חסידים Ἀσιδαῖοι dicebantur, quorumue in libris Maccabaeorum ſubinde fit mentio; conf. *I. Macc. II. 42. VII. 12. II. Maccab. XIV. 6.* Hi ergo חסידים *benigni* ſeu *boni* dicebantur, quod non tantum pro religione cuncta, quae poterant, agerent, ſed illis etiam, qui religionis cauſſa vexabantur, ſuccurrerent; hinc & opes ſuas in templi vſum pariter ac pauperum, hominumque adflictorum, elargiri, parati erant. Mos inde inualuit, vt diſcrimen aliquod inter חסיד *benignum* & צדיק *iuſtum* conſtitueretur;

Digitized by Google

adeo, vt, qui ea praeſtabant, quae ſine iniuria nemini denegare poterant, ſeu quae ciuili quoque iuſtitiae ratio poſtulabat, *iuſti* dicerentur; qui vero plus praeſtabant, ſuamque & erga Deum pietatem, & erga alios charitatem ſingulari quadam ratione demonſtrabant, *benigni* ſeu *boni* audirent. Benigni namque ſeu חסידים ſecundum ea, quae in *pirke avoth cap. V.* hac de re traduntur, dicebant: *quod meum eſt, tuum eſt, & quod tuum eſt, tuum eſt & manet; ſed* צדיקים ſeu *iuſti* dicebant: *quod meum eſt, meum eſt, & quod tuum eſt, tuum eſt.* Ab vtrisque diſtinguebantur רשעים *impii*, qui religionis aut nulla aut exigua tangebantur cura; nec aliis tantum non ſuccurrebant, ſed &, quae illorum erant, iis eripere atque ſibi vindicare non ſibi ducebant religioni. Sunt, qui in verbis ſeruatoris *Matth. V. 45.* diſcriminis huius veſtigium ſibi inueniſſe videntur, ſiquidem ibi & ἀγαθοὶ & δίκαιοι, itemque πονηροὶ & ἄδικοι commemorantur; multo magis autem in verbis Pauli *Rom. V. 6. 7. Chriſtus* ὑπὲρ ἀσεβῶν *pro impiis mortuus eſt; vix enim quis* ὑπὲρ δικαίου *pro iuſto moriatur; nam* ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ *pro bono forſitan etiam quis mori ſuſtineat;* vid. THOMAE GOODWINI *Moſes & Aron, lib. I. cap. IX. §. V.* Repugnant tamen alii; vid. MELCHIOR LEYDECKERVS, de *republ. Ebraeor. tom. II. lib. VIII. cap. V. pag. 610.* Inter hosce itaque Aſidaeos fuiſſe viros cordatos, ſincerosque pietatis cultores, non eſt, quod dubitemus: nec tamen de omnibus hoc adſeruerim; hypocritas enim iis admixtos fuiſſe, humani ingenii indoles itidem nos dubitare non ſinit.

** Inter ipſos Aſidaeos hypocritas fuiſſe, antea diximus. Longe vero luculentius deinceps foeda hypocriſis in Phariſaeis patuit. Illorum, qui ethnicorum impios aut adprobarunt aut imitati ſunt mores, exempla, & libri Maccabaeorum, & FL. IOSEPHVS, ſuppeditant; ſuntque haec etiam ex iis, quae ſupra diximus, nota. Veſtigia huius impietatis in Sadducaeis etiam deprehendere licet; vt ex dicendis patebit.

*** Varias hocce tempore apud Iudaeos fuiſſe ſectas, vel ex hiſtoria noui teſtamenti notum eſt. EPIPHANIVS quidem ſeptem Iudaeorum ſectas memorat, Sadducaeos, Scribas, Phariſaeos, Hemerobaptiſtas, Naſaraeos, Oſſenos, Herodianos, *tom. I. opp. p. 31.* At ſectas non tantum facit, quae non erant, vt ſcribarum & Nazaraeorum, ſed & multa inſuper falſa de iis narrat, merito ideo caſtigatus a DIONYSIO PETAVIO. Duas praecipuas Iudaeorum fuiſſe ſectas, Phariſaeorum & Sadducaeorum, hiſtoria euangelica nos condocet; quibus PHILO atque IOSEPHVS, Eſſenos addunt.

De Phariſaeis itaque vt primo loco dicamus, eos a verbo פרש *ſeparauit, ſecreuit,* פרושים dictos, inter eruditos fere conuenit. Studio enim legis ſingulari, eiusque, vt & traditionum, quas a maioribus acceperunt, adcurata obſeruatione, a reliquis ſe ſepa-

parabant atque ſeiungebant. Vnde & Paulus apoſtolus hanc ſectam ἀκριβεστάτην vocat, *Actor. XXVI. 5.* Eos, qui vocem hanc a פרץ *rupit*, *diſrupit*, deriuant, falli, manifeſtum eſt, etſi a nonnullis haec ſententia tribuatur HIERONYMO. Vox פרש equidem etiam *exponendi*, *explicandi*, ſignificationem habet; vnde nonnulli Phariſaeos פורשים *explanatores*, *legis interpretes*, dictos, exiſtimant. Praeterquam vero, quod & Sadducaei ſuos legis interpretes habebant, prior ſignificatio totum vitae inſtitutum, quod Phariſaei tenebant, longe rectius exprimit; conf. IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, *de emendat. temp. lib. VI. p. 538.* Recte itaque SVIDAS: Φαρισαῖοι ὁι ἑρμηνευόμενοι ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων εἴς τε τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου καὶ ἀκριβέστατον, καὶ ἐις τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα· *Phariſaei, ſi vocem interpreteris, ſeparati, quod ſe ab aliis omnibus diſtinguerent & ſepararent, vt vitam puriſſimam & adcuratiſſimam ſecundum legis praecepta agerent; p. 588.* edit. KVSTERI. Quando autem SVIDAS porro addit: Φαρὲς γὰρ κατὰ τὴν ἑβραΐδα ἀφορισμὸς ἑρμηνεύεται ἢ διακοπή. *Phares enim in ebraica lingua vertitur, ſeparatio, aut abſciſſio*; non ſine cenſura id dimittendum cenſuit v. c. IO. CLERICVS. *Nam*, inquit, *non a* פרס *Phares, quod nomen fuit filii Iudae, ſed a verbo* פרש *Pharaſch, deducitur nomen Phariſaeorum. Idem tamen habet Epiphanius; hiſtor. eccleſiaſt. duorum a Chriſto nato ſeculor. ſect. I. cap. II. p. 5.* Sed fieri potuit, vt auctores iſti ad coniugationem Piel verbi iſtius reſpicerent; in qua & ſpeciatim *ſeparandi & diuidendi* ſignificationem verbum hoc obtinere, nonnullis obſeruatum eſt. De origine Phariſaeorum diuerſimode viri docti ſentiunt. Quod ſi FL. IOSEPHO, credimus, iam tempore Ionathae Aſſamonaei tres iſtae Iudaeorum ſectae, Phariſaeorum, Sadducaeorum & Eſſenorum fuerunt. Id enim diſerte tradit, *antiquit. iudaic. lib. XIII. cap. IX.* conf. & *lib. XVIII. cap. II.* Alii tamen iſtarum ſectarum, praeſertim Phariſaeorum, originem recentiorem faciunt; vid. NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. aet. mundi VI. cap. I. artic. V. §. III. p. 252.* Sed certo haec omnia deſtituuntur fundamento. Probabile admodum, prima Phariſaeiſmi & Sadducaeiſmi ſemina non diu poſt ſolutam captiuitatem Babylonicam ſparſa eſſe. Decretum ſane, quod Ebraeorum magiſtri ſynagogae magnae tribuunt, ועשו סיג לתורה *& facite legi ſepem*, non potuit non traditionibus viam aperire, in quarum obſeruatione & propagatione praecipuum velut Phariſaeiſmi caput conſiſtebat. Dictum hac de re iam ſupra eſt, ad *ſect. praeced. §. XII.* Hinc ſucceſſu temporis error & ſuperſtitio incrementa ſumſit, donec tandem & nomine *Phariſaeorum* a reliquis diſtinguerentur; cuius a tempore Simeonis ben Schetah, & deinceps, in ſcriptis Ebraeorum fit mentio. Fu-

Fuiſſe & inter Aſidaeos quosdam, qui in hanc claſſem referendi ſint, non negauerim: plane autem 'Aſidaeos cum Phariſaeis conſenſiſſe, non temere ſibi perſuadebit, qui paullo adcuratius, quae de vtrisque dicuntur, ſecum expenderit.

Quod ſingulare huic ſectae erat, in eo praecipue conſiſtebat, quod praeter legem Moſaicam, ceterosque libros ſacros, in quibus vera ad ſalutem via continebatur, *παραδόσεις*, ſeu traditiones veterum non ſcriptas, admitterent, immo pluris, quam ipſa ſcriptis mandata praecepta facerent, adeoque inſtituta humana populo pro diuinis obtruderent, quod ſeruator ipſe iis exprobrat; *Matth. XV. 9. Marc. VII. 8. 13.* Confirmat idem FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XVIII.* Idem porro IOSEPHVS illis tribuit, quod fato & prouidentia Dei res omnes regi adſeuerauerint, ſecus ac Sadducaei: *εἱμαρμένῃ τε καὶ θεῷ προσάπτουσι πάντα*, *fato & Deo omnia tribuunt, & facere iuſta vel ſecus, plerumque in hominum poteſtate eſſe putant, ſed ad ſingula adiuuare etiam fatum*; *de bello iud. lib. II. cap. XII.* Simila & *lib. XIII. antiquit. iud. cap. IX.* & *lib. XVIII. cap. II.* de iis refert. Non plane equidem ſibi conſtare videtur IOSEPHVS, dum aliquando, omnia eos fato tribuiſſe, dicit, aliquando, in quibusdam, non in omnibus, eos fatum admiſiſſe. Id tamen eum velle, haud obſcure patet, eos ita fatum admiſiſſe, ne hominis voluntatem omni prorſus libertate priuarent. Dubitari etiam poteſt, an IOSEPHVS ſententiam Phariſaeorum voce *εἱμαρμένη*, *fatum*, recte expreſſerit, cum in ebraicis veteris teſtamenti libris nulla vox occurrat, quae ei reſpondeat; & IOSEPHO inſuper nihil ſolennius ſit, quam Iudaeorum dogmata & inſtituta ad Graecorum adcommodare placita. Recentiores equidem Iudaei id voce גזירה ſiue גזירתא *decretum*. & fatum aſtronomicum nomine מזל exprimunt; ſed hasce iam tum in vſu fuiſſe voces dici nequit. EPIPHANIVS non tantum fato, ſed & aſtronomiae, hoc eſt, aſtrologiae apoteleſmaticae Phariſaeos plurimum tribuiſſe, auctor eſt; *haereſ. Phariſaeor. §. II. p. 34.* Quod forte de iudaeis quibusdam ſui temporis adſerere potuit; an vero de iis etiam, qui ante Chriſtum natum vixerunt, non liquet. De animabus porro hominum, earumque poſt mortem ſorte, Phariſaeorum hunc in modum ſententiam exprimit IOSEPHVS: *ψυχὴν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνον, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι*: *animum omnem eſſe incorruptum; tranſire vero in alterum corpus ſolum bonorum, malorum vero aeterno ſupplicio puniri*; *lib. II. de bello ind. cap. XII.* Quibus quidem IOSEPHI verbis inducti nonnulli, dogmatibus phariſaicis *μετεμψύχωσιν* adnumerant; cum alii contra exiſtiment, hac loquendi ratione animarum tantum innui immortalita-

tatem, ita, vt hoc corpore relicto, in aliud glorioſum, non ſubſtantia, ſed qualitate diuerſum tranſeant; vt ita de Sadducaeis tradat, eos negare animarum praemia & poenas poſt hanc vitam; de Eſſaeis, animas ſine corporibus permanſuras; de Phariſaeis, manſuras quidem animas, ſed ita vt in alterum corpus migrent. Et ipſe ſane IOSEPHVS alibi ita hac de re loquitur, vt nullam μετεμψυχώσεως faciat mentionem. Docere namque Phariſaeos, ait, *immortalem vim eſſe animis*, & *ſub terra poenas eſſe & praemia iis, qui virtuti aut vitio in vita addicti fuiſſent, & his aeternum carcerem propoſitum eſſe*, τοῖς δὲ ῥᾳστώνην τοῦ ἀναβιοῦν, *illis vero facilem ad vitam reditum*; *lib. XVIII. antiquit. iud. cap. II.* Nec aliud quid ex libris noui teſtamenti colligas. Immo non aliam ἀναβίωσιν ſeu ad vitam reditum, quam quae in reſurrectione mortuorum futura eſt, vbi quaelibet anima cum ſuo iterum coniungetur corpore, eos admiſiſſe, vel ex *Actor. XXIII. 8.* colligas, vbi Paulus ſuam de reſurrectione mortuorum ſententiam a Phariſaeorum placitis minime diſtinguit, quod nec ſeruator ipſe facit, *Matth. XXII. 23. ſeqq.* Solent equidem nonnulli huc trahere locum *Matth. XVI. 14.* ac ſi credidiſſent Phariſaei, animam Eliae in Chriſtum migraſſe; ſed ita Chriſtus non potuiſſet dici Elias, non magis, quam ille, in quo anima Eliae ante Eliam fuit. Accedit, quod Iudaeis conſtaret, Eliam nunquam mortuum. Qui ergo credere potuerunt, animam eius migraſſe in corpus Chriſti? Nec ratione Ieremiae hoc credere poterant, quem iam reſurrexiſſe putabant, *Luc. IX. 19.* Sed nec ratione Ioannis baptiſtae hoc credere poterant. Credere enim ſimul debuiſſent, Chriſtum vel prius nullam habuiſſe animam, aut poſtea geminam. Longe itaque probabilius; eos crediaiſſe, Chriſtum vel ipſum eſſe Eliam, vel prophetam alium ex mortuis reſuſcitatum, quod & *Luc. IX. 19.* haud obſcure innuitur. Inter recentiorum Ebraeorum, kabbaliſtarum maxime, placita μετεμψύχωσις referri ſolet, vt vel ex MENASSE BEN ISRAEL conſtat, de *reſurrect. mortuor. lib II. cap. XXVIII.* & a me quoque iam obſeruatum, *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 366.* Hi vero cum & a Pythagoraeis dogma iſtud accipere potuerint, iam ante Chriſtum natum Phariſaeos eandem tenuiſſe ſententiam, inde colligi nequit. Quemadmodum autem animas immortales eſſe, adeoque ſine corpore non minus, quam corpore indutas, eſſe poſſe, credebant; ita quoque non dubitabant, quin eſſent angeli, ſeu ſpiritus corporis expertes, quo ipſo, vti & dogmate de reſurrectione mortuorum, vel maxime a Sadducaeis diſtinguebantur; *Actor. XXIII. 8.*

Iam vitae, quam tenuerunt, ſi rationem ſpectes, ea ad oſtentationem vnice erat comparata, cum id agerent, vt ſanctitatis pietatiſque famam ſibi adquirerent. Spectabant

huc frequentes luſtrationes, *Marc. VII. 3. 4.* preces longae, & quidem in locis publicis ad Deum fuſae, *Matth. VI. 5. Luc. V. 33.* quibus & crebra adiungebant ieiunia, *Matth. IX. 14. Luc. V. 33.* & conſtanter quidem bis in hebdomade, *Luc. XVIII. 12.* decimarum exacta ſolutio, etiam de rebus minimis, *Matth. XXIII. 23.* ſuperſtitioſa ſabbathi obſeruatio, adeo, vt geſtationem lecti, ſpicarum euulſionem ad ſedandam famem, immo ſanationem aegrorum, eo die prohibitam cenſerent, *Matth. XII. 2. Luc. VI. 7. Ioan. IX. 16.* inepta ac ſuperſtitioſa ſimul circa iuramenta cauillatio, merito reprehenſa a ſeruatore, *Matth. V. 34. ſeqq.* & *XXIII. 16. ſeqq.* Praeterea, cum hominibus profligatae vitae non capiebant cibum, immo nec ab iis tangi ſe patiebantur; *Matth. IX. 11. Luc. VII. 39.* Phylacteria inſuper ſua dilatabant, & veſtium ſuarum amplificabant fimbrias, vt hac quoque in re legum diuinarum obſeruantiores, quam reliqui homines, viderentur; *Matth. XXIII. 5.* Erant autem phylacteria alia capitis, alia manus, illa תפילין של ראש haec autem תפילין של יד dicebantur; de quibus, cum plura dicere inſtituti noſtri non permittat ratio, legenda, quae peculiari tractatu de iis obſeruauit R. MOSES MAIMONIDES; itemque IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, in *ſota, excerpt. gemar. cap. II. ſect. I. num. X.* & IO. BVXTORFIVS, *ſynagog. iud. cap. IX.* conf. THOMAE GOODWINI, *Moſes & Aaron lib. I. cap. X. §. XX. ſeqq.* & quae ad *h. l.* notauit v. c. IO. HENRICVS HOTTINGERVS. Ex quibus etiam auctoribus, quo pacto phylacteria dilatauerint, intelligere licet. His denique addendum ingens illud ſtudium, quo flagrabant, faciendi proſelytos, ſeu illorum numerum, qui ex gentibus Iudaeorum ſacra amplectebantur, augendi, *Matth. XXIII. 15.* Vt enim ex cultu moribusque externis religionem omnem metiebantur, nec dubitabant, eam, quam tenebant ipſi, vitae rationem omnium rectiſſimam eſſe, rem Deo perquam gratam ſe facere, exiſtimabant, ſi alios homines ad idem vitae inſtitutum perducerent. Haec enim ſuperſtitionis eſt indoles, vnde ſimul grauiſſimum erga quosuis diſſentientes odium haud raro oriri ſolet. Interim magna Phariſaeorum, ob ſanctitatis opinionem, apud populum erat auctoritas; quod & FL. IOSEPHVS teſtatur, *antiquit. iud. lib. XVIII. cap. II.* Sed improbitatem iſtorum hominum, turpiſſimamque hypocriſin, detexit ſeruator, *Matth. XXIII. 1. ſeqq.* alibique.

Altera Iudaeorum ſecta, quae a quibusdam Phariſaeis antiquior cenſetur, Sadducaeorum eſt. Eos a quodam צדוק *Zaddoc* nomen ſortitos, recepta eſt ſententia, qui diſcipulus fuerit Antigoni Sochaei, cuius etiam verba perperam intellecta, condendae haereſi occaſionem dederint. Dictum Antigoni, quod in *capitulis patrum cap. I.* exſtat, hoc fuit: *Ne ſitis inſtar mercenariorum, qui domino ſerui-*

uium, ea conditione, vt accipiant mercedem, ſed ſitis inſtar mercenariorum, qui ſeruiunt domino, ſed non ea conditione, vt accipiant mercedem; ſitque timor Dei apud vos. Quorum quidem verborum cum recta etiam ſententia eſſe queat, Saddokum tamen ita ea accepiſſe, ac ſi Antigonus voluiſſet, nulla eſſe praemia, nec ſupplicia poſt mortem exſpectanda, adeoque animam cum corpore interire. Ita quidem Iudaeorum magiſtri; quibus an tuto fides adhiberi queat, nonnulli dubitant; exiſtimantque adeo, de tempore, quo primum orti ſint Sadducaei, nihil certi adſeri poſſe, etſi credibile ſit, eos vna cum Phariſaeis exortos eſſe. Cum enim Phariſaei plus aequo traditionibus patrum tribuerent, nec ſatis ex veteri teſtamento animae immortalitatem ac corporis reſurrectionem probarent, fieri facile potuiſſe, vt alii, infirma traditionum fundamenta perſpicientes, in alterum extremum procurrerent, & non tantum traditiones reiicerent, ſed nihil etiam admitterent, quod non diſertis verbis in ſcriptura ſacra exſtabat. Mihi quidem, quod de Phariſaeis dixi, etiam de Sadducaeorum ſecta obſeruandum videtur, eam ſenſim & ſucceſſu temporis ortam. Non diu poſt populi iudaici ex captiuitate Babylonica reditum, Phariſaeiſmi pariter ac Sadducaeiſmi ſemina quaedam ſparſa, vt admodum probabile, ita de illo iam antea indicatum. Facile autem fieri potuit, vt, quamprimum nonnulli in legis apicibus obſeruandis, patrumque traditionibus introducendis, nimis ſtudioſi eſſent, alii ad alterum extremum deflectere inciperent. Fieri etiam potuit, vt nonnulli ex commercio cum gentilibus, profanas de animae immortalitate, & reſurrectione mortuorum, referrent ſententias. Certe in *tractat. Babylon. berachoth fol. 54.* Ebraeorum magiſtri tradunt, ipſum Esdram, vt eiusmodi hominum erroribus obuiam iret, decreuiſſe, vt preces, quae in templo fundebantur, hac formula מן העולם עד עולם *a ſeculo in ſeculum*, finirentur. Quidquid huius ſit; a vero non abhorret, iam tum exſtitiſſe homines, quibus eiusmodi errores placerent. Cum vero deinceps ſub Syriae regibus, Antiocho maxime epiphane, Graecorum mores & inſtituta non tantum Iudaeis obtruderentur, ſed a plurimis etiam arriperentur, adeoque haud dubie non deeſſent, qui graecanicorum philoſophorum placitis animum imbuerent, latius errores hos diffuſos, incrementum accepiſſe, non temere quis dubitauerit. Simul tamen fieri potuit, vt, qui ceteroquin iam ad iſtos errores proni erant, dicto iſto Antigoni antea memorato, & perperam intellecto, magis in iis confirmarentur.

Vt autem in aliis, ita & in eo Phariſaeis maxime oppoſiti erant Sadducaei, quod hi omnes traditiones reiicerent, vt FL. IOSEPHVS quoque tradit, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XVIII.* Conueniunt ea in re cum

 קראים

קראים *Karaeis*; nec tamen ideo Karaei iidem plane ſunt cum Sadducaeis, vt deinceps dicemus. Nec tantum traditiones omnes reiiciebant Sadducaei, ſed animam quoque hominis poſt mortem exſiſtere, infitiabantur, nullos quoque dari ſpiritus credebant, quemadmodum & corporum negabant reſurrectionem. Conſtant haec ex *Actor. XXIII. 8.* vbi Lucas: *Sadducaei dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque angelum, μήτε πνεῦμα, neque ſpiritum*, ſcilicet humanum, ſiue animam hominis non eſſe eiusmodi ſpiritum, qui poſt mortem exſiſtat. Atque hoc, quod de anima hominis diximus, etiam FL. IOSEPHVS confirmat: ψυχῆς τε διαμονὴν καὶ τὰς κατ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι *animas* (poſt mortem) *permanere, ſuppliciaque & praemia in inferis negabant*; *de bello iud. lib. II. cap. XII. p. m. 788.* Atque ſunt haec plane inter ſe coniuncta. Mortuorum enim cum negarent reſurrectionem, proximum erat, vt animas cum corpore interire, adſererent; negare ergo eos etiam oportebat, animam eſſe ſpiritum; cumque eis obiici poſſet, dari tamen angelos, qui itidem ſint ſpiritus, hoc quoque negandum ſibi eſſe cenſuerunt. Mirantur nonnulli, qui angelos negare Sadducaei potuerint, cum ſcripturam ſacram veteris teſtamenti admitterent. Sed cum recentiori aetate non defuerint, qui, cum ſcripturam veteris pariter ac noui teſtamenti ſe admittere, videri vellent, angelorum nihilo ſecius, ſi non exſiſtentiam, certe operationes in dubium vocarunt, facile etiam Sadducaei excogitare aliquid potuerunt, quo clariſſimis illis ſcripturae ſacrae oraculis caliginem offunderent. Forte per angelos virtutem, maieſtatem, efficaciam ſupremi Numinis, aut ſimile quid, intellexerunt. Dictum iam aliquid hac de re in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 69.* Ad doctrinam de fato quod attinet, FL. IOSEPHVS haec de Sadducaeis tradit: τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσι. καὶ τὸν Θεὸν ἔξω τοῦ δρᾷν τι κακὸν ἢ ἐφορᾷν τίθενται· *fatum plane tollunt, & Deum extra mali cuiusuis patrationem, vel inſpectionem conſtituunt*; *de bello iud. lib. II. cap. XII.* Quae quidem IOSEPHI verba nonnulli ita capiunt, ac ſi omnino prouidentiam diuinam negauerint; quae & ſubinde illis a viris doctis tribui ſententia ſolet. Sed obſeruatum aliis eſt, τὸ ἐφορᾷν non meram cognitionem, ſed & procurationem ſignificare. Certe omnem prouidentiam diuinam negaſſe Sadducaeos, credibile non eſt. In cultu enim Numinis cum Phariſaeis, ceteriſque Iudaeis hactenus conſentiebant, vt non minus ac illi, precibus, ieiuniis, ſacrificiis vacarent. Quod quidem ſerio facere non poterant, niſi Numinis quandam admiſiſſent prouidentiam. Nec obſtat, quod praemia poenasque, quae mortales poſt hanc vitam manent, negauerint. Deum enim recte facta in hocce remunerari ſaeculo, eademque ratione peccata punire, ſufficere poterat. Eum vero, qui

qui Dei prouidentiam prorſus negat, cum ex animi ſententia colere poſſe, vix intelligitur. Iungenda, quae hac de re dixi in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. III. §. I. p. 243.* Sunt &, qui Sadducaeos, ſolum pentateuchum pro verbo Dei habuiſſe, adſerunt, reiectis reliquis codicis ſacri libris. Quae ex eo forte nata eſt opinio, quod FL. IOSEPHVS, eos ſoli ſcripturae Moſis adhaerere, tradit, *antiquit. iud. lib. VIII. cap. XVIII.* Traditionibus nimirum cum legem Moſis ſcriptam opponat, nonnulli ita forte hoc acceperunt, ac ſi eam reliquis ſacri codicis libris opponeret. Sed cum omni fundamento ea ſententia deſtituatur, magno conſenſu hodie a viris doctis reiicitur. Iungenda, quae hanc in rem diſputat V. C. IO. HENRICVS HOTTINGERVS, ad *Thomae Goodwin. Moſ. & Aaron. lib. I. cap. XI. p. 213.* Interim iam ex patribus hanc Sadducaeis ſententiam tribuunt TERTVLLIANVS, de *praeſcript. haereticor. cap. XIV.* & qui eum ſequitur HIERONYMVS, ad *Matth. cap. XXII.* De moribus Sadducaeorum legenda, quae IOSEPHVS refert, *lib. II. de bello iud. cap. XII.* Saddoci, qui Sadducaeis originem dediſſe dicitur, condiſcipulus fuit ביתוס *Baithos*, a quo Baithoſaei dicti; quos nonnulli perperam cum Eſſaeis confundunt, ac ſi vox ביתוסים idem eſſet ac בית אוסים *ſecta Eſſaeorum.* Nomen Baithos namque diſerte in ſcriptis Ebraeorum memoratur, ſpeciatim in *tractat. auodah ſarah. cap. V. n. 2.* A Sadducaeis non diuerſos fuiſſe, alii exiſtimant, qui a Saddoco denominari maluerint, quam a Baithoſo, quod hic eſſet ſpurius. Certe cum Sadducaeis paria ſenſerunt, & ex male intellectis Antigoni verbis reſurrectionem mortuorum, itemque praemia & poenas poſt hanc vitam, negarunt. Quod ſi diſcrimen aliquod inter Baithoſaeos & Sadducaeos interceſſerit, ſimul fatendum, non conſtare nobis, in quo illud conſtiterit; conf. IO. HENR. HOTTINGERVS, *theſ. philolog. lib. I. c. I. ſect. V. p. 37.* & IO. DRVSIVS, *lib. III. de ſectis Iud. c. IV.* Doſitheani quoque quaedam docuiſſe perhibentur, quae cum Sadducaeorum placitis conueniunt. Nec ideo plane pro iisdem habendi. Simul tamen notandum, duos fuiſſe Doſitheos, quorum vnus apoſtolorum tempore vixit, alter autem ante Chriſtum natum; quorum poſterior ille eſt, de quo loqui videtur EPIPHANIVS, *haereſ. XIII.* & TERTVLLIANVS, de *praeſcript. adu. haereſ. cap. XIV.* aliique, qui aut Sadducaeos cum Doſitheanis confundunt, aut illos γέννημα ſeu foetum Doſitheanorum vocant. Illius tamen etiam, qui tempore apoſtolorum vixit, adſeclae, talia docuiſſe perhibentur, quae ad dogmata Sadducaeorum prope accederent; vti iam a me obſeruatum, *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 68.*

Sunt vero &, qui Karaeos pro Sadducaeis, aut eorum ſaltem reliquiis, habent, qua de re, vt, quid cenſendum ſit, pateat, de origine Karaeorum quaedam adferre, haud abs re fue-

Digitized by Google

fuerit. Duplex poſt captiuitatem Babylonicam apud Iudaeos fuiſſe hominum genus, vir doctiſſimus IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER obſeruat: vnum, quod ſacri codicis praecepta ſimpliciter obſeruaret; alterum eorum, qui praeter praecepta legis, ſupererogationes & voluntarias functiones, nullo rogante, obibant. Illos *Karaim* nuncupat, hos autem חסידים *Haſidaeos* vocatos, cenſet, de quibus antea dictum. Ex illis per optimae hypotheſeos abuſum, Sadducaeos ortos eſſe; ex his, impoſita traditiones obſeruandi neceſſitate, Phariſaeos. Indeque concludit, Karaim tempore priores fuiſſe, quam Sadducaeos; in *elencho tribaereſ. cap. XXII.* Hanc SCALIGERI ſententiam acriter ſibi exagitandam ſumſit IO. MORINVS *lib. II. exercit. VII.* §. *VII. VIII.* qui ſimul in eam ingreditur ſententiam, ſaeculo decimum poſt Chriſtum natum octauo ortam eſſe Karaeorum ſectam, auctore quodam R. Anane, ex familia Dauidis, nouae ſectae conditore. MORINVM, vt alias, ita hac quoque in re, ſecutus eſt RICHARDVS SIMON, audacter pronuntians, Rabbanitas, qui exactiſſime ſcripſerunt, non altius retuliſſe Karaeorum originem, quam ad ſeculum octauum; *hiſt. crit. vet. teſtam. cap. XXIIX. p. 161.* Sed SCALIGERI ſententiam defendendam in ſe ſuſcepit vir doctiſſimus, IAC. TRIGLANDIVS, in *diatribe de ſecta Karaeorum, ſyntagmati trium de ſectis Iudaeorum ſcriptorum* addita, *capite III. & IV.* recteque docet, diſtincte hac in re ſpectandam antiquitatem doctrinae, ſchismatis, & adpellationis. Doctrinam ipſam antiquiſſimam eſſe, non aliam quippe, quam ſcriptorum ſacrorum atque prophetarum. Huic ſenſim oppoſita fuiſſe inuenta hominum & varia ſuperſtitionis commenta, donec tandem, qui vnice ſcripturae ſacrae adhaerebant, & qui traditiones amplectebantur, in partes ſcinderentur, & ita res illa in apertum ſchisma erumperet, quod circa Ioannis Hyrcani, eiusque filii Alexandri Iannaei tempora factum, ipſimet Karaeorum ſcriptores tradant. Praecipuos tum doctores, qui ſignum velut extulerint, fuiſſe Iehudam ben Tabbai, & R. Simeonem ben Setha. Nomen vero *Karaim* quando ortum ſit, certo definiri non poſſe. Atque haec quidem ita comparata ſunt, vt facile cordatiſſimos quosque vir doctiſſimus ſecum habiturus ſit conſentientes. Prorſus itaque veroſimile, cum humanarum traditionum auctoritas apud Iudaeos inualeſceret, fuiſſe, qui priſtinae ſimplicitati inhaererent, nec a lege ſcripta ſibi diſcedendum eſſe exiſtimarent. Idque illorum etiam confirmat opinio, qui Sadducaeos eosdem cum Karaitis eſſe cenſent, in qua multi tum Iudaeorum, Rabbanitae ſcilicet, tum chriſtianorum verſantur. Et Iudaeorum quidem hacde re teſtimonia adfert vir doctiſſimus IO. GOTHOFREDVS SCHVPARTVS, in *diſſertatiionib. hiſtorico-philologicis de ſecta Karaeorum cap. II.* §. *VI.* in *notis p. 32.* Quanquam, vt hoc ὡς ἐν παρό-

δῳ

do moneam, quaedam teſtimonia id ſolum euincant, Karaeos a Iudaeis vocatos Sadducaeos, quod cum ex odio, vel ad ignominiam illis inurendam, fieri potuerit, nondum inde colligere licet, Sadducaeos ex illorum mente non fuiſſe a Karaeis diſtinctos. Diſtinctos vero omnino eſſe, dubitari nequit. Neque enim vnquam Karaei leguntur, vel negaſſe, vel in dubium vocaſſe, aut reſurrectionem mortuorum, aut praemia poenasque poſt hanc vitam, aut ſpirituum denique exſiſtentiam. Cui dubio vt occurrerent, nonnulli quidem in eam ingreſſi ſunt ſententiam, Sadducaeos, cum animaduerterent, ſe non ſine periculo omnes maiorum hypotheſes retinere poſſe, vel etiam de earum falſitate plane conuictos, quibusdam earum nuntium miſiſſe, & in eo ſubſtitiſſe, vt traditiones reiicerent, qua quidem ratione ex Sadducaeis facti ſint Karaei. Ita ex Iudaeis R. LEO DE MODENA, de *ritib. & cerem. iudaeor. part. V. cap. I.* ex chriſtianis autem IO. BVXTORFIVS, *lex. talmud. fol. 2115.* IO. HENR. HOTTINGERVS, *theſ. philolog. lib. I. cap. I. ſect. V.* IO. BENEDICT. CARPZOVIVS, *introd. in theolog. iud. cap. III.* §. *VIII.* IVL. BARTOLOCCIVS, *bibliotb. rabbin. magna tom. I. p. 38.* aliique. At repugnant alii, qui rem omnem paullo adcuratius expendunt. Nec enim vllam, praeter coniecturam, rationem adferunt, qui Sadducaeos ea ratione in Karaeos transformatos exiſtimant. Periculum, quo ad mutandam ſententiam inducti ſint Sadducaei, fruſtra fingitur. De opinionum ſuarum falſitate conuictos ſponte ſua iis nuntium miſiſſe, ſine probatione, ſiue teſtimonio adſeritur. Ipſi praeterea Karaei hoc inter Rabbanitarum calumnias & figmenta, ad inſidiam ſibi faciendam excogitata, referre, nulli dubitant; quod pluribus IAC. TRIGLANDIVS comprobat, *l. c. cap. V. p. 41. ſeqq.* Longe probabilior itaque illorum eſt ſententia, qui Sadducaeos potius a Karaeis ortos exiſtimant, ſed ita, vt ab iis plane eſſent diuerſi. Optima enim Karaeorum hypotheſi nonnulli abuſi in Sadducaeismum prolapſi videntur, plurimis tamen remanentibus, qui a Sadducaeorum abhorrebant erroribus, in eo tamen cum iis conſentientes, quod ſoli ſcripturae inhaererent, patrum vero traditiones reiicerent ac repudiarent. Non tantum autem traditiones, ſed expoſitiones etiam ſcripturae myſticas & allegoricas, reiiciebant, litterae vnice inhaerentes, ſed & in ritibus quoque quibusdam ac ceremoniis a Rabbanitis diſſentiebant. Quae vero Karaitarum, praeſertim poſt Chriſtum natum, fata fuerint, & qua ratione ſaeculo VIII per Ananem haecce ſecta iterum reſtituta fuerit, ea exponere, huius loci non eſt. Plura qui deſiderant, adire poſſunt eos, qui ex inſtituto de iis commentati ſunt, IO. GOTHOFREDVM SCHVPARTVM, virum doctiſſimum, in *diſſertationibus hiſtorico philologicis, de ſecta Karaeorum,* Ienae anno M DCCI editis; IACOBVM TRIGLANDIVM, in *diatribe de ſecta Ka-*

Karaeorum, aliquoties iam laudata; cumprimis vero clariſſimum, longeque celeberrimum, IO. CHRISTOPHORVM WOLFIVM, in *notitia Karaeorum, ex Mardochai Karaei recentioris tractatu haurienda* &c. quae cum TRIGLANDII *diatribe*, Hamburgi anno M DCC XIV lucem adſpexit publicam.

Superſunt inter Iudaeorum ſectas praecipuas adhuc Eſſaei, quorum PHILO pariter ac FL. IOSEPHVS meminere. De nominis origine nihil niſi coniecturas oppido incertas, adferre licet. Nonnulli enim per apocopen a חסידים eos dictos volunt; alii a verbo ſyriaco אסא, quod ſignificat *ſanare, mederi*, θεραπεύειν, quod multi ex iis medicinam exercerent, & nonnulli etiam ſub therapeutarum nomine a PHILONE deſcribantur; alii rurſus a חסה quod ad loca deſerta confugerent; alii denique a voce Syriaca חסי, quae *ſanctum, pium, bonum*, denotat, quae & IOSEPHI IVSTI SCALIGERI fuerat ſententia, quam deinceps tamen mutauit, & a חשאי quod chaldaice *ſilentium* ſignificat, vocem hanc deriuare maluit, quia erant ἡσυχαςαὶ, *quieti*, in *tribaereſ. cap. XXVI.* Prior tamen illa SCALIGERI ſententia minime contemnenda videtur, niſi omnino cum aliis a graeco ὅσιοι, *ſancti*, Eſſaeos dictos, admittere velis. Duplex autem fuiſſe Eſſaeorum genus, recte viris doctis obſeruatum eſt, alterum τῶν πρακτικῶν, alterum τῶν θεωρητικῶν. De illis egerunt PHILO in libro, *quod omnis vir probus liber ſit*, atque FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XVIII. cap. II.* de his autem ſolus PHILO in libro, de *vita contemplatiua*. Practicorum rurſus duplex fuit genus; nonnulli enim vxores ducebant, coelibem autem vitam agebant alii. Quae autem de practicis referri ſolent, eo fere redeunt: omnia eos fato permittere; vnde nonnulli inter tres Iudaeorum ſectas hocce interceſſiſſe diſcrimen, contendunt, quod Phariſaei quaedam fato, quaedam arbitrii libertati adſcripſerint; Eſſaei cuncta fato, nihil libero arbitrio; Sadducaei nihil fato, omnia libero arbitrio. Et de Eſſaeis diſerte quidem hoc adfirmat IOSEPHVS; ſimul tamen addit, ἐπὶ θεῷ καταλιπεῖν φιλεῖ τὰ πάντα ὁ λόγος, *ſolent Deo omnia permittere, antiquit. iud. lib. XVIII. cap. II.* Vnde incertum, quid nomine εἱμαρμένης intelligat, num fatum, an prouidentiam diuinam? PHILO quoque ita eorum ſententiam exprimit: πάντων μὲν ἀγαθῶν αἴτιον, κακοῦ δὲ μηδενὸς, νομίζειν εἶναι τὸ θεῖον, *ad Deum auctorem bona omnia, malum vero nullum referunt; libro, quod omnis probus liber, p. 877.* Sacrificia porro nulla eos Deo obtuliſſe, idem PHILO *l. c. pag. 876.* adſerit. Summa enim religione eos Deo ſeruire, dicit, οὐ ζῶα καταθύοντες, ἀλλ᾽ ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες, *non mactando victimas, ſed ſuasmet ipſorum mentes componendo ad ſanctimoniam.* IOSEPHVS autem hac de re ita loquitur, vt inde colligas, cum illis in templo Hieroſolymitano ſacrificia offerre conceſſum non eſſet,

eos

eos apud ſe ſacrificia obtuliſſe; *l. c.* Quod mihi minus credibile videtur, quam quod PHILO refert. His nonnulli addunt, quod ſolem adorauerint, quod tamen alii ita capiunt, quod verſus ſolis ortum adorauerint. Verba IOSEPHI hac de re haec ſunt: *πρὸς γε μὴν τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς, πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχάς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι.* Quae verba RVFINVS ita transtulit: *Praecipue circa Deum religioſi ſunt; nanque ante ſolis ortum nihil profani loquuntur, ſed ei patria quaedam vota celebrant, quaſi vt oriatur precantes.* Sed non ſine ratione, vt mihi videtur, nonnulli monent, pro *εἰς αὐτὸν* legendum eſſe, *εἰς αὐτὸ*, vt adeo ad Deum, non ad ſolem, quod de precibus dicitur, referatur. Parum etiam adcurate IOSEPHVS, Eſſaeorum hac in re mentem expreſſiſſe videtur, quam longe rectius & luculentius, ni fallor, PHILO exhibet, cuius verba breuitatis cauſſa latino ſaltem ſermone damus: *Quotidie bis precari ſolent, mane ac ſub vesperam, oriente ſole petentes diem vere felicem, vtque mentes eorum coeleſti repleantur lumine; occidente vero, vt anima in totum exonerata ſenſibus moleque rerum ſenſibilium, veritatem veſtiget in conſiſtorio domeſtico; l. c. p. 893.* De theoreticis enim Eſſaeis, ſiue therapeutis, etſi itidem loquatur, non tamen adparet, diſcrimen aliquod hoc in capite inter vtrosque interceſſiſſe. Inter pietatis indicia PHILO porro refert, *τὸ ἀνώμοτον*, *non iurare.* Quod non ita capiendum, ac ſi nunquam iuraſſent; ex IOSEPHO enim *lib. II. de bello iud. cap. XII.* patet, omnino aliquando eos iure iurando ſe obſtrinxiſſe. Iuramenta itaque ſolum in vitae quotidianae commercio, & leui quidem de cauſſa ſuscepta, damnaſſe videntur. Reliqua vt paucis complectamur, conſtat, tum ex PHILONE, tum ex IOSEPHO, *locis citatis*, bona omnia eos habuiſſe communia; habitaſſe in coenobiis, per varias vrbes, ac per vicos, ſolitosque excipere hoſpitio alios Eſſaeos iter facientes; veſtes omnibus fuiſſe pares, & quidem candidas; quotidie aqua frigida ablutos, menſae communi accubuiſſe; variis opificiis deditos fuiſſe; nihil ſibi inuicem vendidiſſe, ſed e fructibus opificiorum, aut etiam agriculturae, in commune collatis, ſuſtentatos fuiſſe, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, quae enarrare omnia prolixum nimis foret. Communia haecce placita & inſtituta fuerunt, tum iis, qui coelibem vitam agebant, tum iis, qui in matrimonio viuebant. Nonnulli enim, vt antea diximus, a reliquis in eo diſſentiebant, quod coniuges ſibi ducendas arbitrarentur, cum alia non eſſet ratio, genus humanum propagandi.

Sublimius vtrisque vitae inſtitutum ſectati videntur theoretici, de quibus PHILO in libro de *vita contemplatiua*, verba facit, quosue *θεραπευτὰς* adpellitat. Eos non more aut

 ad-

adhortatione, *ſed amore coeleſti raptos, quemadmodum, qui Bacchi aut Corybantum furore agitantur, enthuſiasmo pleni ſunt, donec, quod cupiant, videant*, ad hocce vitae inſtitutum inductos, idem PHILO auctor eſt. Relictis facultatibus omnibus, conſanguineis atque amicis, ſecedebant in villas ſolitarias, ne prauis aliorum hominum moribus inficerentur. Inter Graecos pariter ac barbaros, praeſertim in Aegypto, & circa Alexandriam, hocce hominum genus fuiſſe, ab eodem condocemur. In ſeparatis aedibus ſinguli habitabant, neque nimis vicinis, quod ſolitario vitae generi repugnaret, neque nimis remotis, vt contra latronum curſus ſibi inuicem ſuccurrere poſſent, interim omni ornatu deſtitutis & ita ſolum inſtructis, vt frigus atque calorem arcere poſſent. Singuli praeterea habebant ſacras aediculas, quae *σεμνεῖα* & *μοναστήρια* vocabant, *ἐν οἷς μονούμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται, vbi ſolitarii ſanctae vitae myſteriis dant operam*; nec cibi potusue quidquam eo inferebant, aliudue in vſum corporis, ſed legem tantum & prophetarum oracula, diuinitus prodita, hymnosque & quaedam alia, pietati ſcientiaeque promouendae vtilia. Refert tum porro de precibus illorum, quod antea iam commemorauimus, atque medium matutini veſpertinique temporis interſtitium totum *τῇ ἀσκήσει exercitationi*, hoc eſt, ſcripturae ſacrae meditationi eos attribuere, adſerit. Ita enim, quod de *ἀσκήσει* dixit, intelligendum eſſe, patet, dum porro addit: *Verſantes enim ſacra volumina dant operam philoſophiae per manus acceptae a maioribus, ſcrutando eius allegorias, quoniam ſub apertis verbis latere credunt ſecreta naturae, coniecturis explicanda probabilibus.* Praeter ſacrum codicem & alios eos habuiſſe libros, ex iis colligas, quae porro ſubiicit: *Habent etiam priſcorum commentarios, quia huius ſectae auctores multa monumenta reliquerunt, de allegoriis eiusmodi, ad quorum imitationem poſteri ſe accommodant.* Neque meditationi tantum vacabant, ſed etiam cantica hymnosque in Dei laudem componebant, vario metrorum carminumque genere, *rythmis concinnatos in auguſtiorem ac religioſam ſpeciem.* Atque ea quidem ratione cum ſex hebdomadis dies transigerent, ſeptimo in commune ſemneum omnes conueniebant, vbi maximi natu & peritiſſimi dogmatum orationem alii audiebant. Sed mitto reliqua, quae apud eundem PHILONEM *l. c. p. 893.* legi poſſunt, qui & haecce therapeutarum inſtituta valde miratur, & ſupra modum laudat. Immo, ſi dicendum, quod res eſt, rhetorem magis cuncta exaggerantem, quam hiſtoricum, ex rei veritate Eſſaeos deſcribentem hic agnoſcas, ne dicam, quod ea etiam laudet, quae, an laudanda ſint, alii forte non ſine ratione dubitauerint. An therapeutae iſti atque therapeutrides PHILONIS omnino Eſſaei fuerint? inter viros doctos dispu-

putatum fuit. Adfirmat quidem illud IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, de *emendat. temp. lib. VI. p. 539.* it. ad *Euſeb. chron. p. 14.* & in *tribaereſ. cap. XXIX.* Negat autem HENRICVS VALESIVS, in *notis ad Euſebii hiſtor. eccleſ. lib. II. cap. XVII. p. 34.* Non deeſſe tamen, quae ad VALESII rationes reſponderi queant, oſtendit IO. CLERICVS, *hiſtor. eccleſ. duorum primor. a Chriſto nato ſeculor. prolegom. ſect. I. cap. V. §. XVI. p. 29.* Alii omnino in therapeutis iſtis chriſtianos inueniſſe viſi ſibi ſunt, quibus exemplum praeiuit EVSEBIVS, *hiſt. eccleſ. lib. II. cap. XVII.* Eamque ſententiam contra VALESIVM defendendam in ſe ſuſcepit THOMAS BRVNO, canonicus Windſorienſis in *diſſertat. de therapeutis Philonis*, quam Clementis Romani duabus ad Corinthios epiſtolis a ſe editis ſubiecit PAVLVS COLOMESIVS; Londini M DC LXXXVII 8. BRVNONEM, praeter GVILIELMVM BEVEREGIVM, *cod. can. vind. p. 374. ſeqq.* ISAACVM VOSSIVM, *variar. obſeruat. p. 46.* TILLEMONTIVM, *commentar. hiſt. eccleſiaſt. inſeru. tom. II. part. I. pag. 167.* aliosque, ſecutus eſt BERNARDVS DE MONTFAVCON, qui libellum Philonis de *vita contemplatiua* gallice vertit, & cum diſſertationibus eo ſpectantibus Lutetiae anno M DCC IX & M DCC XII edidit. Sed contrarium dudum viri doctiſſimi HENRICVS VALESIVS, ad *Euſebii l. c.* DAVID BLONDELLVS, *lib. I. de ſibyllis cap. VII.* GVIL. CAVEVS, in *antiquit. apoſt.* in *vita Marci euangeliſtae, §. III.* aliique, grauiſſimis demonſtrarunt rationibus, quas ipſe etiam in compendio exhibui in *diſſertat. de origine, dignitate, & vſu nominis chriſtiani*, quae in *ſyntagmate diſſertationum theologicar.* exſtat, §. *XV. p. 410.*

Iam ſi de origine Eſſaeorum aliquid dicendum ſit, fatendum, nihil certi de ea conſtare. PLINIVS dum eorum mentionem iniicit, poſtquam obſeruauerat, eos ſine vlla femina, omni venere abdicata, viuere, ſubiicit: *Ita per ſeculorum millia (incredibile dictu) gens aeterna eſt, in qua nemo naſcitur. Tam foecunda illis aliorum vitae poenitentia eſt; hiſtor. nat. lib. V. cap. XVII.* Forte a iudaeo quodam fabulatore PLINIVS hoc acceperat. Sunt, qui Eſſaeos a Rechabitis deriuant. Sed diſcrimen maximum inter vtrosque intercedere, manifeſtum eſt ex iis, quae ſupra de Rechabitis diſputauimus. Vnde non magis haec admitti ſententia poteſt, quam illorum, qui Eſſaeos eosdem cum Naziraeis faciunt, de quibus SCALIGER in *tribaereſio cap. XXIII.* Maxime mihi probabile videtur, eo tempore, quo Antiochi epiphanis furor Iudaeos vexabat, immo & deinceps, cum bella grauiſſima genti iudaicae incumberent, plurimos forte ex illorum numero, qui חסידים *Aſidaei* dicebantur, vt hoſtium crudelitati ſe ſubtraherent, hinc inde diſperſos, vitae genus, quod ab aliorum commercio remotum eſſet, colere coepiſſe; cumque iſtius commoda perſpexiſſent, ſua ſponte feciſſe, quod ante neceſſitas iuſſe-

iuſſerat; cum vero quandam pietatis & ſapientiae opinionem obtinuiſſent, ea permotos alios ſubinde ad eos acceſſiſſe. Fieri etiam potuit, vt cum inter gentiles degerent, ſucceſſu temporis quaedam gentilium philoſophorum, Pythagorae maxime ac Platonis, placita & inſtituta, quae virturis & ſanctitatis ſpecie maxime ſe commendabant, adſumerent. Certe conuenientiam in plurimis capitibus inter Eſſaeos & Pythagoraeos, dudum viri docti animaduerterunt, quam & ex inſtituto demonſtrare adnititur THOMAS GOODWINVS, in *Moſe* & *Aarone lib. I. cap. XII. p. 225. ſeqq.* Quodſi FL. IOSEPHO fides habenda, longe antiquior fuit Eſſaeorum ſecta. Eos enim cum Sadducaeis & Phariſaeis iam tempore Ionathanis Aſſamonaei exſtitiſſe adſerit, *antiquit. ind. lib. XIII. cap. IX.* Immo Eſſaeos omnibus Graecorum ſapientibus antiquiores fuiſſe, *lib. XVIII. cap. II.* adfirmat. Hinc & quod apud HOMERVM eſt de inſulis fortunatis, in quos heroum animi poſt mortem migrarent, ab Eſſaeis deſumtum ſibi perſuadet. Sed, vt pro lubitu, ſine fundamento, ſineque ratione certa, talia IOSEPHVS pronuntiat, ita longe veroſimilius, Eſſaeos, ſi modo reuera ea docuerunt, quae IOSEPHVS illis tribuit, a Graecorum philoſophis iſta accepiſſe, idque eo magis, quod nonnulla, quae IOSEPHVS de iis refert, verbotenus ex HOMERO ſint petita; conf. IO. CLERICVS, *hiſtor. eccleſ. duor. primor. a Chriſto nato ſeculor. ſect. I. cap. IV. §. V.* it. *XV. XVI. pag. 17. & 19* Eſt vero ſimul ὡς ἐν παρόδῳ obſeruandum, eundem IOSEPHVM de Iudaeorum hactenus memoratis ſectis non aliter, quam de philoſophorum ſectis loqui. Sic *lib. XVIII. antiquit. iud. cap. II.* Ἰουδαίων inquit, φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν &c. & *lib. II. de bello iud. cap. XII.* τρία παρὰ Ἰουδαίοις εἴδη φιλοσοφεῖται &c. Hinc vero & alii tres iſtas Iudaeorum ſectas cum celebrioribus, quae apud Graecos fuerunt, philoſophorum ſectis comparare ſolent; vt Phariſaeos quidem Stoicis, Sadducaeos Epicureis, Eſſaeos autem Phythagoraeis reſpondere contendant. Nec ſine omni, vt puto, ratione, cum ſaltem Sadducaeorum & Eſſaeorum quaedam dogmata, cum nonnullis Epicureorum & Pythagoraeorum placitis, conueniant. Fieri etiam potuiſſe, vt tum Sadducaei, tum Eſſaei a Graecorum philoſophis quaedam acciperent, ex antea dictis liquet. Phariſaeorum etiam hypocriſis, hypocriſi Stoicorum, quae his paſſim ab Epicureis exprobrabatur, exacte reſpondet; in doctrina autem de fato non prorſus eos inter ſe conſentire, ex dictis intelligitur. Nec probabile eſſe, Phariſaeos a gentilium philoſophis ſua accepiſſe, itidem ex iis, quae antea monuimus, colligere licet.

Ceterum inter Iudaeorum ſectas Herodiani etiam atque Gaulonitae referri ſolent; ſed parum adcurate. EPIPHANIVS *haereſ. X.* aliique, veterum pa-

pariter ac recentiorum, Herodianos ita dictos fuiſſe cenſent, quod Herodem magnum pro Meſſia habuerint. At parum credibile eſſe, iudicant alii, Iudaeos induci potuiſſe, vt hominem ἀλλόφυλον, qualem Herodem fuiſſe iſti ſupponunt, pro Meſſia haberent. Probabilius hinc iis videtur, eos, qui Herodis, adeoque & Romanorum partibus prorſus addicti erant, eorumque vnice inuigilabant commodis, ita adpellatos. Nec aliud quid ex *Matth. XXII. 16. & Marc. VIII. 16.* colligas. Ex Sadducaeorum eos fuiſſe numero, a vero non abhorret. Gaulonitas FL. IOSEPHVS, pro quarta equidem *philoſophorum ſecta* apud Iudaeos habet, *antiquit. iud. lib. XVIII. cap. II.* cum tamen alibi diſerte tres tantum Iudaeorum ſectas deſignet. Atque ex iis, quae idem IOSEPHVS porro ſubiicit, patet, Gaulonitas hoc tantum peculiare habuiſſe, quod Romanorum iugum aegerrime ferrent, illudque a ceruicibus Iudaeorum quauis ratione depellendum cenſerent, eos gentilium ſeruos eſſe, nefas ducentes, qui ſolius Dei ſerui eſſent; in ceteris autem, vt idem IOSEPHVS auctor eſt, cum Phariſaeis eadem plane ſentiebanr. Non tam ſecta itaque, quam factioſorum hominum turba fuit, cuius dux caputque Iudas quidam Gaulonites fuit, qui & alias Iudas Galilaeus dicitur; Gaulonites quidem, quod ex vrbe Gamala oriundus eſſet, in inferiori Gaulonitide ſita; quae & ad Galilaeam, in latiori ſignificatione acceptam, referebatur, vnde & Galilaeus vocatur. Hic eſt, cuius & *Actor. V. 37.* mentio iniicitur; vnde etiam, quam infeliciter hominibus illis iſti conatus ceſſerint, conſtat.

* De Samaritanorum origine, religione, eiusque diuerſis periodis, dogmatibus, aliisque, quae de iis obſeruatu digna ſunt, itemque fatis eorum ad hocce interuallum vsque, copioſe admodum ſupra dictum, ad ſectionis praecedentis §. XIII. Nunc ea ſolum, quae in hocce interuallo experti ſunt fata, paucis addimus. Cum Antiochus epiphanes omnem furorem ſuum in Iudaeos effunderet, Samaritani terrore perculſi, ethnicorum ſuscepere ſacra, permiſeruntque, vt templum Garizimitanum Ioui hellenio conſecraretur; vt FL. IOSEPHVS auctor eſt, *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. VII.* Ex eo tamen, quod deinceps ſub Ptolomaeo philometore, pro templo Garizimitano contra Hieroſolymitanum cum Iudaeis contenderunt, vt idem IOSEPHVS, *lib. XIII. cap. VI.* refert, nonnulli colligunt, ab ethnicismo eos iterum receſſiſſe. A Ioanne vero Hyrcano ethnarcha Iudaeorum atque ſummo ſacerdote, templum Garizimitanum vna cum vrbe Samaria, dirutum ſoloque aequatum, vt IOSEPHVS itidem commemorat, *lib. XIII. cap. XVII.* & ſupra quoque §. *VIII.* huius ſectionis iam indicatum eſt. Herodes equidem deinceps vrbem inſtaurauit, templumque in ea condidit; Samaritani au-

tem, vt in eo ſacrificia offerrent, induci non potuerunt, ſed in altari potius, quod in monte Garizim exſtruxerunt, ſacra Deo facere perrexerunt; quorſum & mulieris Samaritanae ſermo *Ioan. IV. 20.* ſeſe refert.

** Conditor templi iſtius Heliopolitani, adeoque ſchiſmatis inde ſecuti auctor, Onias fuit, Oniae tertii ſummi pontificis ſecundum FL. IOSEPHVM, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. VI.* filius. Talmudici equidem doctores Oniam iſtum, qui templum Heliopolitanum condidit, Simonis iuſti filium, fratremque Semaiae fuiſſe, adſerunt, adeoque Heliopolitanum templum multo antiquius faciunt; vid. IO. SELDENVS, *de ſucceſſ. in pontificat. lib. I. cap. VIII.* Sed potiores hic eſſe IOSEPHI rationes, ſupra iam pronuntiauimus, ad *ſection. praeced.* §. *VIII.* vbi ex inſtituto hac de re dictum. IO. equidem SELDENVS ipſe, dum loca IOSEPHI, in quibus de hocce templo loquitur, inter ſe confert, deprehendiſſe ſibi viſus eſt, IOSEPHVM omnino de duobus diuerſis Aegypti templis loqui, quorum alterum conditum fuerit prope Alexandriam ab Onia, Simonis iuſti filio, alterum ab Onia IV ſub Ptolomaeo philometore. Sed falli virum doctiſſimum, oſtendit CAMPEGIVS VITRINGA, in *comment.* ad *Eſa. XIX. pag. 779.*

Ad rem ipſam vt accedamus, turbatis valde ſub Antiocho epiphane Iudaeorum rebus, Onias hicce in Aegyptum profugerat, ibique dum commorabatur, Ptolomaeo philometori atque Cleopatrae in pretio eſſe coepit. Cum ergo ſpem nullam, pontificatum in Iudaea obtinendi, haberet, ſimulque cum dignitate aeternum nominis ſibi comparare vellet decus, a Ptolomaeo philometore, & coniuge eius atque ſorore Cleopatra per litteras petiit, vt ſibi in Aegypto templum Hieroſolymitano ſimile aedificare liceret. Exhibet litteras illas vna cum regis reſponſo FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. VI.* Inter alia quibus Onias, ſi IOSEPHO credimus, a rege hanc facultatem impetrare voluit, ad oraculum Eſaiae prouocauit, quo praedixerat, Deo ſacrarium aliquod, ſeu altare in Aegypto fore. Haud dubie locum, qui *Eſa. cap. XIX. 18. 19.* exſtat, indigitat. Diſerte enim ibi dicitur, altare Domino in medio Aegypti fore. Dum autem IOSEPHVS porro addit: *καὶ πολλὰ δὲ προεφήτευσε ἄλλα τοιάυτα, διὰ τὸν τόπον, & multa alia vaticinatus eſt, quae ad locum attinent*; ſunt nonnulli, qui cum ad verba prophetae עיר ההרס reſpicere, exiſtimant, ac ſi ipſum nomen loci *Heliopolis* expreſſum eſſet, cum Oniae illud templum in tractu Heliopolitano ſit exſtructum. Sed voces ebraeae potius vertendae ſunt per *ciuitas deſtructionis*; quamuis negari nequeat, iam olim nonnullos eas vertiſſe per *ciuitas ſolis*, ſiue in codicibus ſuis pro הרס legerint חרס, ſiue exiſtimauerint, הרס ob litterarum affinitatem pro חרס accipi poſſe. SYMMA-

CHVS

CHVS ſane vertit: *πόλις ἡλίȣ*, & vulgatus interpres: *quarum vna vocabitur ciuitas ſolis.* IONATHAN paraphraſtes chaldaeus vtramque ſignificationem coniungit, dum transfert: קרתא בית שמש *ciuitas domus ſolis* דעתירא למחרב *quae vaſtabitur.* Diſceptari autem ſolet: an oraculum hocce Eſaiae, ex mente diuini vatis, recte ad templum hocce Heliopolitanum referatur? IOSEPHVM quidem ita exiſtimare, conſtat; forte & ipſi Oniae hoc perſuaſum fuit, aliisque Iudaeis, in templo iſto Deo ſacra facientibus. Immo & PETRO DANIELI HVETIO perſuaſum fuit, implementum prophetiae in hocce Oniae templo recte demonſtrari, adſerenti, *demonſtrat. euangel. prop. VI. pag. 482.* Sed longe ſublimius atque excelſius quid diuinum vatem innuere, & de cultu potius veri Numinis, tum alibi terrarum, tum & in Aegypto, per Meſſiam reſtituendo, verba facere, facile intelliget, qui cuncta paullo adcuratius penſitauerit. Interim ſi IOSEPHO credimus, plurimum hocce argumentum apud Ptolomaeum valuit, vt libertatem templum condendi Oniae concederet. Alibi tamen *lib. VII.* ſcilicet de *bello iud. cap. XXX.* Ptolomaeo eum propoſuiſſe, ait, fore, vt gens Iudaeorum ſe ei contra Antiochum ſociaret, ſi hanc facultatem ſibi concederet. Aut me omnia fallunt, aut efficacius hoc argumentum apud Ptolomaeum fuit, quam vaticinium Eſaiae. Addit enim ipſemet IOSEPHVS, Ptolomaeum inimicum fuiſſe Antiocho. Impetrauit itaque Onias hanc facultatem, ſed ea conditione: *εἰ μέλλει τȣ̃το ἔσεσθαι κατὰ τὸν νόμον, ὥς τε μηδὲν ἡμᾶς δοκεῖν εἰς τὸν θεὸν ἐξημαρτηκέναι· quatenus poteſt ſalua legis obſeruatione fieri, ne videamur per hoc peccare in dominum.* Ita enim rex & regina diſerte loquuntur, in litteris ad Oniam a IOSEPHO relatis, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. VI.* Immo antea ipſemet IOSEPHVS dixit: *τὴν γὰρ ἁμαρτίαν καὶ τὴν τȣ̃ νόμȣ παράβασιν εἰς τὴν Ονίȣ κεφαλὴν ἀνέθησαν· Nam peccatum hoc & praeuaricationem legis a ſe in Oniae caput reiecerunt.* Quae ſi ita ſe habeant, Ptolomaeum cum Cleopatra inſigni non tantum pietate, ſed rerum quoque iudaicarum peritia inſtructum fuiſſe, oportet; quod an IOSEPHVS omnibus perſuaſurus ſit, valde dubito.

Exſtructum vero fuit templum iſtud in nomo Heliopolitano, centum & octoginta ſtadiis a Memphi (ſcilicet verſus ortum aeſtiuum) apud Leontopolin illius praefecturae, in loco, qui *agreſtis Bubaſtis* dicitur, vbi templum erat collapſum, olim, vt videtur, Bubaſti, ſiue Dianae, vel Iſidi ſacrum. Onias in litteris ad Ptolomaeum & Cleopatram locum illum *plenum varia materia, ſacrisque animalibus*, hoc eſt, animalibus ſoli conſecratis, vocat. Ptolomaeus autem & Cleopatra in reſponſo mirantur, *ſi poſſit acceptum eſſe Deo templum, ſtatutum in impuro loco & pleno animalibus*; apud IOSEPHVM *l. c.*

Ad-

Addit porro IOSEPHVS, templum & altare ad Hieroſolymitani ſimilitudinem exſtructum fuiſſe, ſed minus fuiſſe, & non peraeque opulentum; ſed *lib. II. de bello iud. cap. XXX.* templum illud οὐχ' ὅμοιον *diſſimile* ei, quod Hieroſolymis erat, fuiſſe, ait, turrim autem fuiſſe ſimilem. Altaris fabrica Hieroſolymitanum imitabatur. Loco candelabri habebat lychnum aureum, de catena aûrea ſuſpenſum. Cinctum porro erat muro ex cocto latere, ſaxeas portas habente. In eo primus ſacerdos ſummus ipſe Onias fuit, inſtitutis ſacerdotibus & Leuitis, qui ſacrificia pararent, & offerrent, & feſta celebrarent. Clauſum tandem fuit a Veſpaſiano imperatore, cum ſtetiſſet annis CCC XLIII ſupputante IOSEPHO *l. c.* ſed fallente calculo, a Traiano autem prorſus deſtructum eſt. Cum autem reliqui Iudaei, qui in Palaeſtina erant, hocce Oniae facinus aegerrime ferrent, non potuit non grauiſſimo occaſionem dare ſchiſmati. Et licet in ceteris cum Iudaeis Palaeſtinenſibus plane conſentirent Aegyptienſes, templumque Hieroſolymitanum venerari non deſinerent, idque donis ſuis Hieroſolymam miſſis teſtarentur, quo ipſo mitius iudicium promerebantur, quam Samaritani, auctore & duce Manaſſch templum in monte Garizim exſtruentes, illi tamen hac ratione placari non poterant. Et peccauit haud dubie grauiſſime Onias, cum alibi, quam Hieroſolymis, ſacerdotio & ſacrificiorum oblatione defungi lex diuina diſerte prohibeat. Prauo inſuper conſilio, ambitione ſcilicet, & aemulatione quadam inductus, hocce opus ſuſcepit, quidquid etiam obtenderet. Recte id FL. IOSEPHVS obſeruat, minime ex ὑγιῶς γνώμης *ex ſana voluntate* id feciſſe Oniam, *ſed quod ei contentio eſſet cum Iudaeis apud Hieroſolymam degentibus, propter fugae memorem iracundiam*; *de bello iud. lib. VII. cap. XXX.* Orta itaque hinc inter Aegyptienſes & Palaeſtinenſes Iudaeos odia, accedentibus & aliis cauſſis aucta, permanſerunt, cum etiam Palaeſtinenſes templo ſecundo deſtructo, & ipſi patriam relinquere coacti eſſent.

*** Helleniſmum, qui praeter Graeciam, Aſiam fere vniuerſam hac aetate peruaſerat, ſupra iam delineauimus. Non multum ab eo diuerſa fuit Romanorum ſuperſtitio, cum imperio ipſo incrementa ſumens. Hoc ex iis, quae ad *ſect. praeced.* §. *XIII.* diximus, intelligere licet; quod &, qui de Romanis antiquitatibus egerunt, confirmant. Germanorum etiam cum hac aetate celebrari coeperit nomen, de horum quoque dici poſſet ſuperſtitione. Sed conſulere potius iuuat eos, qui ex inſtituto hac de re commentati ſunt, ELIAM SCHEDIVM, de *diis veterum Germanorum*, qui & de Gallorum pariter ac Britannorum diis & religione egit; PAVLVM HACHENBERGIVM, in *Germania media, diſſertat. VIII. p. 151. ſeqq.* TROGILLVM ARNKIEL, in *Cimbriſchen heiden-*

denthum, & qui nuper erudite hocce in argumento verſatus eſt, CASP. CALVOERIVM, in *Saxonia inferiori antiqua gentili & chriſtiana, lib. I. cap. VI. pag. 17. ſeqq.* conferatur & v. c. GODEFRIDVS HECHTIVS, in *Germania ſacra & litterata part. I. lib. I. cap. II. ſeqq.* Hellenismi vero & Romanae ſuperſtitionis tenebras magis magisque philoſophiae lux diſpellere coepit. Exſtiterunt enim in vtraque gente viri longe praeſtantiſſimi, qui a vulgi ſuperſtitione eo recedebant longius, quo acriori ſtudio philoſophiae incumbebant. Inter ſectas philoſophorum Platonica, Ariſtotelica, cumprimis autem Stoica & Epicuraea florebant. Quae cum dogmatibus inter ſe maximopere diſſentiebant, in eo tamen coneniebant omnes, vt πολυθεότητα & ſuperſtitionem plebis damnarent; ad alterum tamen extremum, quod atheismus eſt, iterum accedebant, licet quaedam propius, quam aliae. Repetenda, quae ad *ſect. praeced.* §. *XIII.* diximus. Prae reliquis autem inter Graecorum philoſophos magnam celebritatem conſecutus eſt Carneades, quem recte ad hocce temporis interuallum referri, ex iis patet, quae de eius aetate diſputat DION. PETAVIVS, in *ration. temp. part. I. lib. IV. cap. XIX. p. 164.* Tertiae is academiae conditor fuit, quae aeque ac ſecunda talia docebat, quae a ſcepticiſmo, adeoque & atheiſmo, non procul aberant. Mirum itaque non eſt, tum Carneadem ipſum, tum diſcipulum eius Clitomachum inter atheos relatum; vti iam a me obſeruatum in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. I. §. XIV. pag. 35.*

Licet autem in Graecia non deeſſent viri doctrinae & ſapientiae laude praeſtantes, longe tamen hac aetate plures fuere Romae ac in Italia, translata velut cum imperio litterarum gloria. His vero omnibus palmam praeripuit M. TVLLIVS CICERO, qui ad eloquentiae, cuius ſummum conſecutus eſt faſtigium, laudem, philoſophiae decus adiunxit. Non aliunde rectius, philoſophorum gentilium de Deo, rebusque diuinis, ſententias intelligere licet, quam ex *tribus* eius *de natura Deorum libris*. In iis vero cum Cotta contra omnes collocutores, qui exſiſtentiam deorum defendebant, victoriam referre videatur, non defuerunt, qui ipſum Ciceronem in atheismi ſuſpicionem adducerent. Qua de re dictum a me in *theſib. de atheismo & ſuperſtitione* ad *cap. I. §. XXII. p. 99.* Ceterum in tanta philoſophiae luce, quae Graecis Romanisque tum adfulſit, fieri aliter non potuit, quam vt idololatricae ſuperſtitionis vanitas plurimis introſpiceretur, atque hinc inde etiam omnium ludibrio exponeretur. Quod nonnulli quidem palam atque aperte faciebant, alii autem, ne plebem offenderent, religionis ſecundum receptam conſuetudinem prae ſe ferebant ſpeciem, idque per turpiſſimam hypocriſin, dum ipſi nihil reuera eorum, quae vulgo de diis eorumque cul-

cultu, itemque auguris, diuinationibus, ceteriſque ethnicae theologiae capitibus tradebantur, credebant. Notum eſt illud CICERONIS: *Mirabile videtur, quod non rideat haruſpex, cum haruſpicem viderit*; *de nat. deor. lib. I. cap. XXIX.* Et ſane, quid de diuinationibus ſapientiores ſenſerint, ex eiusdem CICERONIS *de diuinatione libris duobus*, notum ſatis eſt. Plura vero de iſta gentilium circa numinum cultum hypocriſi, quae in hocce maxime temporis interuallo magis magisque manifeſtabatur, dabit, quem alibi iam laudauimus, IO. SARTORIVS, de *hypocriſi gentilium circa cultum deorum*.

§. XIX.

Iudaeorum exteri ſcriptores non potuerunt non ſubinde mentionem facere, cum plurima illis non cum Aegyptiorum tantum & Syrorum regibus, ſed cum ipſis quoque Romanis negotia intercederent. * Aegyptiorum vero, ** & Syrorum, ** non alia fuerunt fata, quam reliquorum Aſiae regulorum, * ipſorumque Graecorum, ** & Carthaginienſium, *** ſiquidem omnes Romanorum tandem imperium ſubierunt; quibus tamen Parthi acriter reſtiterunt. * Gallorum & Germanorum, quae hac aetate fuerit conditio, ex ipſa hiſtoria Romana ntelligitur. ** Et ipſi quidem Romani, vt ſummum potentiae ſuae conſecuti ſunt faſtigium, ita domeſticis diſſenſionibus, bellisque inteſtinis grauiter concuſſi ſunt, donec tandem Auguſtus cuncta ciuilibus discordiis feſſa, nomine principis ſub imperium acciperet. *** Atque ſub hocce imperatore ille natus eſt, qui ſpirituale regnum, ſeu eccleſiam noui teſtamenti, per orbem vniuerſum erexit

* Ex mox dicendis patebit, quae graeci latinique ſcriptores de Aegyptiorum, Syrorum, Romanorumque & aliarum gentium, quibuscum Iudaeis negotia in hocce temporis interuallo interceſſere, rebus tradunt, conſentanea iis eſſe, quae de Iudaeorum hactenus ſatis commemorauimus. Subinde tamen & diſerte eorum mentionem faciunt. De Antiocho namque eupatore, Hieroſolymam obſidente, DIODORI SICVLI extat teſtimonium in *excerptis*, apud PHOTIVM *cod. CCXLIV. pag. 1150.* quod iam exhibuimus ad *ſect. huius* §. *III.* Expeditionem Parthicam a Ioanne Hyrcano, Simeonis filio, de quo §. *VIII.* dictum, ſuſceptam, NICOLAVS DAMASCENVS quoque commemorat, apud FL. IOSEPHVM, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XVI.* Ariſtobuli, qui primus poſt captiuitatem Babylonicam inter Iudaeorum principes regium diadema ſibi impoſuit, elogium ex STRABONE

&

& TIMAGENE recitat idem IOSEPHVS *l. c. lib. XIII. cap. XIX.* IVSTINVS autem de Demetrii & Antiochi Sidetis rebus verba faciens, ex inſtituto Iudaeorum hiſtoriam, plurimis licet fabulis conſperſam, ſubnectit, *lib. XXXVI. cap. II.* Templum Hieroſolymitanum a Pompeio magno non ſine magno labore expugnatum, DIO CASSIVS confirmat, *lib. XXXVII. pag. 36.* Captum vero templum iure victoriae ingreſſum C. CORNELIVS TACITVS quoque tradit, *lib. V. hiſtor. cap. IX.* Eiusdem rei mentionem iniicit CICERO, *orat. pro L. Flacco cap. XXVIII.* Repetenda autem, quae hac de re ad §. *XX.* diximus. Sed FLORVS quoque eius rei meminit: *Hieroſolymam defendere tentauere Iudaei; verum hanc quoque intrauit* (Pompeius) *& vidit grande illud impiae gentis arcanum, patens, ſub aureo vitem coelo; lib. III. cap. V.* Ad vitem nimirum illam auream reſpicere videtur, qua templum ab Herode exornatum ad §. *XV.* diximus. De Antipatri, a quo gens Herodum deſcendit, origine, NIC. DAMASCENI ſententiam refert, atque refellit FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIV. cap. II.* Cumprimis vero illuſtre admodum hiſtoriae iudaicae monumentum exhibent decreta illa Romanorum, aliarumque ciuitatum, in Hyrcani & Iudaeorum gratiam condita, in quorum nonnullis etiam facultas verum Deum more maiorum colendi, legesque ſuas circa ſacra obſeruandi, iis conceditur. Quae quidem cum non omnia in impreſſis IOSEPHI codicibus legantur, ſeparatim IAC. GRONOVIVS edidit, vt iam ad §. *XI.* obſeruatum.

** Ptolomaeum philometorem, quem in praecedenti ſectione inter Aegypti reges vltimo loco commemorauimus, frater eius Ptolomaeus euergetes II excepit, poſtea propter maleficia *cacergetes* ab Alexandrinis adpellatus, a corporis autem ſagina & diſtento aqualiculo *phyſcon* dictus. Initio Cyrenas regundas accepit, quibus Cyprum adiicere voluit, ſed repugnante fratre, conſentiente licet ſenatu Romano, non obtinuit; vid. POLYBIVS *legat. CXV. ſeqq.* Fratre deinceps philometore mortuo, Cyrenis reuocatus regnoque admotus parricidiis, aliisque flagitiis foediſſimis, omnium in ſe prouocauit odia; de quibus IVSTINVS *lib. XXXVIII. cap. VIII.* Obiit, cum poſt fratris philometoris mortem annis XXIX regnaſſet, tribus relictis filiis, ex quibus Ptolomaeus Apion, quem ex pellice ſusceperat, Cyrenarum regnum ex teſtamento patris adeptus eſt; Ptolomaeus vero Lathurus, qui & a quibusdam *ſoter*, ab aliis *philometor*, κατ' ἀντίφρασιν, dicitur, quemue cum fratre Alexandro ex Cleopatra, prioris coniugis & ſororis ſuae, quae itidem Cleopatra, dicebatur, filia, ſusceperat, matre licet inuita, vtpote in Alexandrum proniori, Aegypti regnum obtinuit. Mox vero a matre expulſus, fratri Alexandro regnum relinquere coactus eſt; a quo matre ipſa interfecta, di-

Digitized by Google

gnum ſceleribus ſuis vitae exitum ſortita eſt. Sed Alexandro rurſus, ob necem matri illatam a populo expulſo, Lathurus reuocatus regnoque reſtitutus eſt, cui per annos ſeptem & ſex menſes deinceps praefuit; vid. IVSTINVS, *lib. XXXIX. cap. III. ſeqq.* Poſt Lathurum filius eius natu maior Dionyſius auletes vulgo ponitur. Alii autem Lathuro Alexandrum, eius ex fratre Alexandro filium, & huic fratrem, itidem Alexandrum dictum, ſucceſſiſſe, volunt, priusquam ad Dionyſium ſumma rerum perueniret. Certe temporum aliter ſibi non conſtare rationes, contendunt; vid. DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina tempor. lib. X. cap. XLVI.* Alterum ex his Alexandrum, ab Alexandrinis expulſum, deſperata regni recuperatione, Tyrum ſeceſſiſſe, ibique morientem, populum Romanum regni ſui heredem inſtituiſſe, perhibent. Dionyſius autem auletes, cum regni poſſeſſionem Romanorum amicitia tueri vellet, idque tandem immenſis largitionibus obtineret, eumque in finem immania a ſuis tributa exigeret, anno regni ſui octauo Romam ſe recipere coactus eſt; biennio autem poſt, iuſſu Pompeii reſtitutus eſt a Gabinio. Tum filiam natu maiorem, eo abſente ad regnum euectam, cum marito Archelao interfecit, mox vero & ipſe mortuus eſt. Conſtant haec ex STRABONE, *lib. XVII.* & DIONE CASSIO, *lib. XXXIX.* Auletae filius Ptolomaeus puer, ex illorum, quorum conſiliis regebatur, ſuaſione, Pompeium a Caeſare victum, trucidari iubet; ſed ipſe rurſus a Caeſare victus vitam in Nilo, merſo nauigio, finiuit. Rem pluribus exponunt APPIANVS, *de bellis ciuilib. lib. II.* A. HIRTIVS, *de bello Alexandrino*; DIO CASSIVS *lib. XLII.* conf. & EVTROPIVS, *lib. VI. cap. XVII.* Tandem Cleopatra, Ptolomaei antea memorati ſoror, regnum obtinuit, M. Antonii amoribus famoſa, a cuius partibus cum contra Octauium Caeſarem ſtetiſſet, poſt Actiacam eiusdem Caeſaris victoriam, & Alexandriae expugnationem, aſpidis ſiniſtro brachio admotae morſu perire, quam in triumphum deduci maluit. Aegyptus vero Romanae prouinciae formam accepit, cum Cyrenaicam, quae & ipſa olim Aegyptii iuris erat, dudum Romani teſtamento Ptolomaei Apionis poſſediſſent, vt EVTROPIVS auctor eſt, *lib. VI. cap. IX.* De Cleopatrae fatis legendi FLORVS *lib. IV. cap. II.* VELLEIVS PATERCVLVS, *lib. II. cap. LXXXVII.* PLVTARCHVS, in *Antonio*, DIO CASSIVS, *lib. L.* aliique.

*** Antiochum epiphanem, qui vltimus inter eos fuit, quos ſupra commemorauimus, in Syriae regno excepit filius eius Antiochus eupator, a Lyſia educatus, qui & vniuerſi regni negotiis ab eo praefectus eſt. Non tantum cum Iudaeis, vt ex ante dictis conſtat, ſed & cum Ptolomaeo philometore Aegypti rege, bellum geſſit. Poſt biennium vero a Demetrio ſotere, Seleuci philopatoris

rii filio, qui Roma clam aufugerat, & in Syria magno hominum fauore exceptus erat, interemtus eſt. Syriae itaque regnum cum occupaſſet Demetrius, mox aduerſarium expertus eſt Alexandrum Balam, infimae ſortis & incertae ſtirpis hominem, quem Antiocheni, a Demetrio deficientes, adiuuantibus Ptolomaeo philometore Aegypti, Attalo Aſiae, & Ariarathe Cappadociae regibus, ſubornarunt, vt pro Antiochi filio ſe venditando, Syriae regnum velut paternum armis repeteret. Cumque idem & Romanorum fauorem ſibi conciliaſſet, totius fere orientis viribus ſuccinctus, bellum Demetrio infert, victumque vita & regno ſpoliat. Demetrius inter confertiſſimos fortiſſime dimicans, in acie cecidit; vid. IVSTINVS *lib. XXXV. cap. I.* Ducta deinceps in matrimonium Cleopatra, Ptolomaei philometoris filia, res ſuas egregie ſibi firmaſſe videbatur, adeoque ſe totum otio & luxuriae dedit.

Ea res Demetrium, qui deinceps nicanor cognomine dictus eſt, Demetrii ſoteris filium, in ſpem regnum paternum recuperandi erexit. Sed Aegypti quoque rex Ptolomaeus philometor, e re ſua eſſe iudicans, Demetrii partes amplecti, filiam ſuam Cleopatram ab Alexandro abductam, Demetrio vxorem dedit, quamuis reuera id agere videbatur, vt Syriam cum Aegypto coniungeret; certe Antiochiae duplicem coronam, Aegypti alteram, alteram Aſiae, ſibi impoſuit. Aegypti tamen regno ſe contentum fore, dictitans, Antiochenis, vt Demetrium reciperent, perſuaſit, ad quem cum milites etiam paterni tranſiiſſent, Alexander proelio victus, ad Zabdielem Arabiae dynaſtam, quem FL. IOSEPHVS Zebelam vocat, ſe recepit, cuius iuſſu capite truncatus eſt; *I. Maccab. XI. 17.* conf. & FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. VIII.* T. LIVII *epitome lib. LII. cap. XXXVIII. ſeqq.* IVSTINVS, *lib. XXXV. cap. II.* Quanta iſtae Syriae regum contentiones commoda Iudaeis attulerint, & quae horum in hisce bellis partes fuerint, iam ſupra §. *VI.* expoſuimus. Et ita quidem Demetrius nicanor Syriae regnum, non tamen tranquillam eius poſſeſſionem, obtinuit. Mox enim Diodotus ſiue Tryphon, vnus ex Alexandri Balae ducibus, in Arabiam profectus, Antiochum eiusdem Alexandri filium, qui apud Malchum, ſeu Emalkuelem Arabiae regem, educabatur, debellato Demetrio, ac in Ciliciam fugato, regem conſtituit. Cumque Demetrius inſuper ob inertiam omnium contemtum ſibi attraxiſſet, paſſim ciuitates ab eo deficiebant. Ad abolendam equidem ſegnitiae maculam Parthis arma intulit, quos etiam, multarum gentium auxiliis adiutus, multis proeliis fudit. Sed ad poſtremum, pacis ſimulatione deceptus, capitur, *traductusque per ora ciuitatum, populis, qui defecerant, in ludibrium fauoris oſtenditur*, vt IVSTINVS loquitur, *lib XXXVI. cap.*

cap. I. Miſſus vero deinde in Hyrcaniam benigne, & ſecundum cultum priſtinae fortunae, habetur. Interea vero Tryphon, Antiocho, Alexandri Balae filio, per fraudem e medio ſublato, Syriae regnum inuaſit, vt praeter IVSTINVM *l. c.* FL. IOSEPHVS docet, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. IX.* Sed huic mox Antiochus Sidetes, Demetrii nicanoris frater ſe oppoſuit, & ad paternum regnum recuperandum e Rhodo in Syriam profectus eſt. In matrimonium is etiam duxit Cleopatram, fratris vxorem, quae eum & ad Syriae regnum ſibi vindicandum vel maxime incitauerat, quo etiam breui temporis ſpatio potitus eſt. Quae cum Iudaeis regi huic intercesſerint negotia, iam ad §. *VII. & VIII.* enarrauimus. Poſtea aduerſus Parthos expeditionem ſuſcepit, qui Syriae regnum adfectabant, vſuri Demetrio aduerſus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli exegiſſet. Cumque tribus proeliis victor Babyloniam occupaſſet, magnus haberi coepit, adeo, vt omnibus populis ad eum deficientibus, nihil Parthis praeter patrios fines reliqui eſſet. Parthi autem Demetrium, Antiochi fratrem, libertati reſtitutum cum praeſidio ad Syriae regnum recuperandum mittunt, vt ea ratione Antiochus ad ſua tuenda reuocaretur. Interim, cum res iterum ad proelium veniſſet, Antiochus a ſuis deſertus, occiditur. Ita IVSTINVS, *hiſt. lib. XXXVIII. cap. IX. & X.* Paullo aliter APPIANVS. Antiochum namque contra Phraatem Parthorum regem cum exercitu profectum ait, vt Demetrium fratrem repeteret, quem etiam Phraates, rebus ſuis metuens, remiſerit; Antiochum nihilominus cum Parthis congreſſum proelio, & victum, ſibi manus intuliſſe; *de bellis Syriacis p. m. 214.* Ita ergo Demetrius nicanor Syriae iterum regno potitus, cum crudelitate & ſuperbia omnium a ſe abalienaſſet animos, illud poſt aliquot annorum interuallum rurſus vna cum vita amiſit. Ptolomaeus enim physcon, rex Aegypti, bello a Demetrio petitus, & a Syris inſuper excitatus, Protarchum quendam, negotiatoris filium, quaſi per adoptionem Antiochi in familiam regiam receptum, nomine Alexandri oppoſuit; a quo victus Demetrius, tandemque Tyrum delatus, iuſſu praefecti interfectus eſt; vt IVSTINVS auctor eſt, *lib. XXXIX. cap. I.* APPIANVS Demetrium ab vxore Cleopatra necatum ſcribit, aemulatione percita, quod Rhodogunem Parthorum regis filiam, vxorem duxiſſet; *l. c. p. 214.*

Quo pacto, Seleuco, altero ex filiis Demetrii, quod ſine matris auctoritate diadema ſumſiſſet, ab ipſa matre occiſo, altero autem, Antiocho, cui cognomen Grypi fuit, rege quidem conſtituto, ſed ea ratione, vt vis omnis imperii penes matrem eſſet, Alexander, qui Demetrium vicerat, quemue cognomine Zebinam dictum, ex FL. IOSEPHO diſcimus, *antiquit. iud. lib. XIII. cap. XVII.* regnum Syriae

riae occupauerit, eodem tamen mox ope Ptolomaei physconis Aegypti regis ſpoliatus, & ab Antiocho Grypo interfectus ſit, ſupra iam ad §. *VIII.* commemorauimus; conſtantque ex IVSTINO *lib. XXXIX. cap. II.* Mater autem Antiochi Grypi Cleopatra, victoria filii dignitatem ſuam inferiorem factam credens, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit; quod cum ipſa bibere cogeretur, veneno, quod filio parauerat, exſtinguitur, ſuorumque adeo ſcelerum poenas iuſtiſſimas dedit. Parta regni ſecuritate, Grypus octo annis quietem & ipſe habuit, & regno praeſtitit. Deinde aemulum habuit Antiochum Cycicenum, eiusdem Cleopatrae ex Antiocho Sidete filium, quem cum veneno e medio tollere voluiſſet, eo maturius, vt armis de regno ſecum contenderet, excitauit. Idem porro Antiochus Cycicenus, Cleopatram, Ptolomaei Lathuri Aegypti regis coniugem a viro dimiſſam, in vxorem duxit, quam Grypus, victo prius Cyciceno, Antiochiae captam, iuſſu Tryphaenae coniugis, quae & Cleopatrae ſoror erat, quantumuis inuitus, interfecit, ſaltem impedire non potuit, quo minus a militibus, quos Tryphaena excitauerat, confoderetur. Mox autem repetito proelio victor Cycicenus, vxorem Grypi, Tryphaenam, cepit, eiusque ſupplicio ſuae vxoris parentauit manibus; expulſo etiam fratre Grypo, in Syria regnauit. Grypus vero cum Aspendium ſeceſſiſſet, inde Aspendii nomen retulit; nec diu tamen ibi permanſit, ſed Syriae rurſus potitus eſt regno, diuiſoque tandem imperio, Cycicenus Coelo-Syriam obtinuit, donec Grypus ab Heracleone interficeretur, cum regnaſſet annos XXVI. Tum Cycicenus a Seleuco, filio Antiochi Grypi natu maiori, bello adpetitus, & cum eo congreſſus, proelio victus eſt, cumque ab equo in hoſtium caſtra abriperetur, iam iam capiendus ſe ipſum interemit, cum regnaſſet annos XVIII. Filii denique tum Grypi, tum Cyziceni, fraternis diſcordiis ſe inuicem atterebant; & prout quisque partem regni occupauerat, diademate ſumto contra fratres ſe & agnatos tuebantur, donec Syri bellorum ciuilium pertaeſi, Tigrani Armeniae regi, ſe dediderunt, quem Lucullus eiecit, Antiocho Aſiatico, Antiochi pii filio, Grypi nepoti, regnum reſtituturus, cui id Pompeius, vt indigno ademit, & prouinciam fecit Romanam, ſola Comagene Antiochis relicta, in qua ad Veſpaſiani vsque tempora regnarunt. Quae omnia ex APPIANO, *de bellis Syriacis*, IVSTINO, *hiſtor. lib. XXXIX.* & *XL.* aliisque conſtant.

* Aſiae regnum, quod Antigonus conſtituerat, in plurimas diuiſum prouincias, quarum quaedam ad Syros translatae, quaedam ſuos dominos ſeu regulos acceperint, iam ad §. vltimam ſectionis praecedentis, adnotauimus. Ortum hinc inter alia Pergamenorum regnum, quod Attalus, Eumenis filius, cum prouinciis eo ſpectan-

ſtantibus, Myſia, Phrygia, Lydia, Ionia, Caria, teſtamento ad Romanos transmiſit. Ariſtonicus equidem, Eumenis ex pellice filius, ſe Romanis oppoſuit; vnde bellum Aſiaticum, ſed eo tandem euentu geſtum, vt Romani, quae vellent, obtinerent; vid. FLORVS, *lib. II. cap. XX.* IVSTINVS, *lib. XXXVI. cap. IV.* EVTROPIVS, *lib. IV. cap. IX.* Contigit hoc eo tempore, quo Ioannes Hyrcanus in Iudaea rerum ſummam tenebat. Pari ratione Nicomedes III Bithyniae rex, Nicomedis II filius, & Pruſiae nepos, cum a Romanis in regnum reſtitutus eſſet, quo eum exuerat Mithridates, teſtamento populum Romanum Bithiniae regni heredem inſtituit, quo tempore Alexandra vidua Iudaeam adminiſtrabat; vid. IVSTINVS, *lib. XXXVIII. cap. III.* VELLIVS PATERCVLVS, *lib. II. cap. IV.* & *XXXIX.* Nec praetermittendi reges Pontici, quos inter famoſiſſimus Mithridates eupator, filius Mithridatis euergetae. Hic ciuilem Romanorum diſcordiam in rem ſuam vertens, Bithyniaque & Paphlagonia occupata, omnem Aſiam terrore impleuit, LXXX millibus Romanorum ciuium vna die & vna epiſtola trucidatis. A Sulla equidem victus, bellum nihiloſecius reſtaurauit, Aſiam tanquam ſuam repetens, hinc cum Cyzicum oppugnaret, a Lucullo repulſus & regno exutus, Iberos, Albanos, ac Tigranem Armeniae regem, in ſocietatem pertraxit; armis tandem Pompeii magni ceſſurus, a quo acie victus, regniſque omnibus ſpoliatus eſt. Cumque denuo Italiam per Scythiam & Pannoniam inuadere cogitaret, deficientibus ſuis, mortem voluntariam elegit, *maleque tentatum veneno ſpiritum ferro expulit*, vt FLORVS loquitur *lib. III. cap. V.* Pompeius vero inde ab Euphrate & Ponto omnem Aſiam, & ſic Palaeſtinam quoque Hieroſolymis trimeſtri obſidione captis, vt ſupra dictum, in poteſtatem Romanorum redegit. Ex inſtituto de Mithridate eiusque geſtis & fatis agit APPIANVS, *de bellis Mithridaticis*, cui praeter FLORVM *l. c.* iungendi PLVTARCHVS, in *Pompeio*, & DIO CASSIVS, *lib. XXXVI.* Inter gentes a Pompeio occaſione belli Mithridatici deuictas, etiam Armeni fuere, qui ab Alexandri magni temporibus Seleucidis paruere, vsque ad Antiochum magnum, quo a Romanis victo, Artaxias, rex eorum deficit, & fedus cum Romanis iniit; vid. POLYBIVS, *legat. LIX.* Poſtea Tigranes, Armeniae rex, inſtinctu Mithridatis regis Pontici Cappadociam inuadit; vid. APPIANVS, *de bellis Mithridaticis p. m. 363.* immo & cum Mithridate fedus contra Romanos iniit; IVSTINVS *lib. XXXVIII. cap. III.* Idem etiam Tigranes a Syris, domeſticorum diſſidiorum pertaeſis, arceſſitus, Syriae regnum obtinuit, eoque per annos XVIII potitus eſt ſecundum IVSTINVM *lib. XL. cap. I.* aut per annos XIV ſecundum APPIANVM, *de bellis Syriacis p. 215.* Victus deinceps cum Mithridate eſt a Lucullo, ſed Pompeius ei Ar-

Armeniam reſtituit; vid. APPIANVS, *de bellis Mithridat. p. 402.* FLORVS, *lib. III. cap. V.* PLVTARCHVS, in *Lucullo* & in *Pompeio*, DIO, *lib. XXXVI.* Pari etiam ratione Thraciae, Boſpori, Iberiae, Albaniae, Cappadociae, Paphlagoniae, Ciliciae, aliarumque prouinciarum aut reguli, aut principes, Romanorum ſe ſubmittere imperio, aut eorum fedus vel amicitiam cum libertatis iactura ambire coacti ſunt; quod vt copioſius ediſſeramus, nec neceſſe eſt, nec inſtituti noſtri permittit ratio.

** Poſtquam Romani Macedoniam imperio ſuo ſubiecerant, vti ad *ſect. praeced.* §. *XIV.* dictum, non poterat non iis via ad Graeciam ſubigendam ſterni. Idque etiam per bellum Achaicum contigit, quo Corinthus, vrbs nobiliſſima Graeciae, euerſa funditusque deleta eſt. Legendi de hocce bello IVSTINVS, *lib. XXXIV. cap. I. & II.* LIVIVS, *epitom. lib. LI. & LII.* EVTROPIVS, *lib. IV. cap. III.* FLORVS, *lib. II. cap. XVI.*

*** Belli Punici tertii hic exitus fuit, vt Carthago tandem funditus euerteretur; vid. APPIANVS, *de bellis Punicis p. m. 135.* FLORVS, *lib. II. cap. XV.* LIVIVS, *epitome lib. XLVIII. & XLIX.* VELLEIVS PATERCVLVS, *lib. I. cap. XII.* EVTROPIVS, *lib. IV. cap. III.* PLVTARCHVS, in *Catone*, aliique.

* Parthos a Syris, quibus hactenus parebant, ſub Seleuco callinico defeciſſe, nouamque conſtituiſſe rempublicam, iam ad ſectionis praecedentis §. *XIV.* obſeruauimus, cum de Syrorum ibi loqueremur rebus. Diſſentientes auctorum de origine Parthici imperii ſententias nonnulli ita conciliant, vt primam eius epocham ab eo tempore ducendam contendant, quo Macedonicum imperium excuſſerant, ſub Antiocho Θεῷ; alteram a victoria de Seleuco callinico reportata. Aliquoties deinceps tum de Seleucidis, tum de Romanis triumpharunt. Mithridates frater Phraatis primi, Mediam imperio ſuo addidit, & Elymaidem, Demetrium quoque Syriae regem, vti ſupra dictum, vicit & captiuum tenuit; vid. IVSTINVS, *lib. XXXVI. cap. I.* Phraates autem II Mithridatis filius, Antiochum Sidetem, qui aliquot a Parthis victorias retulerat, oppreſſit, vt itidem ſupra iam indicatum & ex IVSTINO quoque conſtat, *lib. XXXVIII. cap. X.* & *lib. XXXIX. cap. I.* Hinc & cum aliis gentibus, & cum Romanis quoque varia Parthis interceſſere negotia, donec ſub Orode rege magna clade ab iis adficerentur Romani, quorum exercitui Craſſus praeerat, qui vitam ipſe vna cum vndecim legionibus amiſit. *Cupiditas conſulis Craſſi*, inquit FLORVS, *dum Parthico inhiat auro, vndecim ſtrage legionum, & ipſius capite mulctatus eſt; lib. III. cap. XI.* Conferendi hac de re & APPIANVS, de *bellis Parthicis p. 151. ſeqq.* PLVTARCHVS, in *M. Craſſo*, IVSTINVS, *lib. XLII. cap. IV.* EVTROPIVS, *lib. VI. cap. VI.* Quo pacto Parthi Antigonum, Ariſtobuli Iudaeorum re-

gis filium, regno reſtituerint, expoſitum ad ſectionis huius §. *XII.* Cum Romanis vero deinceps iterum commiſſi, a Ventidio vincuntur, grauique adficiuntur clade; de qua FLORVS, *lib. IV. cap. IX.* APPIANVS, *l. c.* IVSTINVS, *lib. XLII. cap. IV.* Mox autem ſub Phraate IV rege Antonium ex Media profligant, Armeniamque & Mediam occupant; FLORVS, *lib. IV. cap. X.* APPIANVS, *l. c.* PLVTARCHVS, in *Antonio.* Subinde equidem deinceps a Romanis victi ſunt, durauit tamen eorum dominatio vsque ad tempora Alexandri ſeueri; tum enim ad Artaxerxem Perſam, eiusque ſucceſſores, imperium illorum tranſiit.

** Galli, qui variis hactenus fortitudinis editis documentis, magnam celebritatem conſecuti erant, vna cum Belgis, victi atque ſubiugati ſunt a Iulio Caeſare. Atque hoc ipſe memoriae prodidit CAESAR, in *libris ſeptem commentariorum de bello gallico*; ex quibus &, quid contra Germanos aut geſſerit, aut tentauerit, intelligere licet. Primus equidem arma trans Rhenum tulit contra Sigambros, ſed Vbiis acceptis in fidem, nec vlla alia re memorabili geſta, in Galliam ſe recepit. Tranſiuit equidem altera vice Rhenum, auxilia a Cattis ſubmiſſa Treuiris cauſſatus, ſed eodem, ac prima vice, euentu. Praeter CAESAREM ipſum de rebus eius in Gallia & Germania geſtis conferendi PLVTARCHVS, in *Caeſare*, DIO CASSIVS, *lib. XXXIX.* FLORVS, *lib. III. cap. X.* APPIANVS, in *Celticis.* Ceterum antiquiſſimus ille Germaniae ſtatus non ſatis nobis exploratus eſt, cum non alii, quos de eo conſulere poſſimus, exſtent ſcriptores, quam Romani quidam & Graeci, iique rerum noſtrarum non ſatis conſulti, maximam partem etiam ea, quae ad geographiam ſpectant, ſtrictim attingentes, vt patet ex iis, quae STRABO, PLINIVS, POMPONIVS MELA, PTOLOMAEVS, de veterum Germanorum rebus referunt. Ipſi CAESARI debemus plurima, poſt quem plenius adcuratiusque C. CORNELIVS TACITVS, qui imperante Veſpaſiano procurator Belgio praefectus, Germanorum, qui finitimi erant, cultum, mores, inſtituta, cognouit, & explorauit, eos in libello de *moribus Germanorum* deſcripſit. Nec defuerunt deinceps, poſt accenſam in ipſa Germania meliorum litterarum lucem, qui in rebus antiquis Germanorum inueſtigandis, & e tenebris, quibus conſepultae iacebant, eruendis, ſtudium operamque collocarent, multaque ſcitu digna tum ad geographiam, tum ad hiſtoriam, primasque origines Germanorum ſpectantia, proferrent, vt BEATVS RHENANVS, *libris tribus inſtitutionum rerum Germanicarum*, quos adnotationibus illuſtratos edidit IAC. OTTO; itemque PHILIPPVS CLVVERIVS, in *Germania antiqua*, PAVLVS HACHENBERGIVS, in *Germania media*, ne quid de HERMANNI CONRINGII, IO. NICOLAI HERTII, aliorumque doctorum virorum diſſertationibus, aut ſcriptis aliis, varias veteris hiſtoriae Germanicae partes illuſtrantibus, dicam.

cam. Quibus omnino addendus, qui non ſine ſingulari diligentiae & ingenii laude nuper in hocce argumento verſatus eſt, IACOBVS CAROLVS SPENERVS, in *notitia Germaniae antiquae*, itemque in *hiſtoria Germaniae vniuerſali, & pragmatica, breuiter ac perſpicue expoſita &c.* Hos ſi cui conſulere placeat, veterum Germanorum, qualis hocce tempore ſtatus fuerit, vtcunque condiſcet.

*** De rebus in Syria pariter ac Macedonia feliciter & ex animi ſententia a Romanis geſtis, auctoque hinc & amplificato illorum imperio, ad §. *XIV.* ſectionis praecedentis, vltimo loco diximus. Interea Carthaginienſes contra fedus naues habere, & Maſiniſſam, ſocium regem, armis infeſtare, compertum fuit. Suaſit igitur Cato in ſenatu, vt deleretur Carthago; Scipio Naſica, vt ad virtutis aemulationem ſeruaretur. Vtriusque rationes apud DIODORVM SICVLVM legere licet, in *excerpt. Valeſ. p. 382.* Placuit ſenatui media ſententia, & diruta vrbe alio transferre ciuitatem decreuit; quod cum nollent Carthaginienſes concedere, vrbs terra marique oppugnari coepta eſt. Auctores, qui tertium hocce bellum Punicum deſcribunt, iam antea indicauimus. Carthaginis ruinam ſtatim excepit Corinthus, ſimulque Achaia in prouinciae formam redacta. Occaſionem bello Critolaus dedit, qui legatos Romanos, *dubium, an & manu, certe oratione violauit*, vt FLORVS loquitur, *lib. II. cap. XVI.* Dictum & hac de re iam antea eſt. Hiſpania, quae poſtquam victa eſt, ſuas demum vires intellexit, fruſtra excutere iugum tentauit. Poſt varia enim atque cruenta certamina Romana virtus ſuperior exſtitit. Viriatus Luſitaniae dux, & alter quaſi Hiſpaniae Romulus, prouinciam omnem Romanis eripiebat, ſed fractus a Fabio Maximo, tandemque a Seruilio immiſſis percuſſoribus oppreſſus eſt; *qui hanc hoſti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuiſſe*; FLORVS, *lib. II. cap. XVII.* Numantini quoque a Scipione, qui Carthaginem euerterat, eo adacti, vt ſe ſuosque ferro & veneno, ſubiectoque vndique igne, perimerent, Romano victori nihil niſi nomen triumphi relicturi. De cauſſa huius belli ipſemet FLORVS ita pronuntiat: *non temere, ſi fateri licet, vllius belli cauſſa iniuſtior*; *lib. II. cap. XVIII.* Addendi de eo LIVIVS, *epitome lib. LVII. ſeqq.* DIODORVS SICVLVS, in *excerptis Valeſ. p. 381.* PLVTARCHVS, in *Mario.* Attalum, Pergamenorum regnum, cum prouinciis eo ſpectantibus, ad Romanos teſtamento transmiſiſſe, iam antea commemorauimus. Aſia porro Romanorum facta, cum opibus etiam vitia ad eos transtulit. Iugurtham hinc Numidiae regem non tam armis ferroque, quam pecunia & auro pugnantem, Metelli primum, deinde & Caii Marii virtus in ordinem redegit; traditusque Syllae, Marii quaeſtori, & catenis vinctus, Romae in triumphum ducitur. Cimbros Teutonesque cum gentibus ſo-

ſociis ab Italiae finibus Marii virtus arcuit; quemadmodum a Cn. Pompeio, & L. Sulla bellum Italicum, ſiue ſociale, quod & Marſicum dicitur, compoſitum eſt. Mithridatis, Ponti regis, contra Romanos inſurgentis, conatus non alium euentum habuiſſe, quam vt Romanis occaſio imperii limites amplificandi ſuppeditaretur, ex antea dictis intelligitur. Interea & domeſticis iisque ſubinde grauiſſimis diſſenſionibus agitata reſpublica Romana, quae & libertati ciuium finem tandem attulere. Cumprimis, quod inter Marium & Sullam ortum eſt ciuile bellum, ipſi vrbi Romae funeſtum admodum fuit, ſummam Sullae, Marianarum partium victoris, crudelitatem expertae. Enatum hinc bellum Sertorianum. Sullae enim proſcriptionem cum effugiſſet Sertorius, qui a Marii partibus ſteterat, Hiſpaniam contra Romanos ſollicitauit. Vix videtur a Metello pio, & Cn. Pompeio, tum adhuc adoleſcente, bello finis imponi potuiſſe, niſi a ſuis occiſus fuiſſet Sertorius. Eum in modum dum populus Romanus in varias diſtrahebatur partes, Cilices, Iſauri & Pamphilii, mare mediterraneum infeſtabant. Hinc bellum piraticum, a Cn. Pompeio quadraginta dierum ſpatio, adeoque non minori velocitate, quam felicitate, confectum. Dum vero idem Pompeius Mithridate profligato in oriente morabatur, per ſcelerata Catilinae conſilia res publica Romana in ſummum adducta eſt diſcrimen, actumque de ea fuiſſet, niſi Ciceronis, eo tempore conſulis, prudentia, & Caii Antonii collegae eius virtute, fuiſſet ſeruata. C. SALLVSTIVS CRISPVS *bellum* hocce *Catilinarium* deſcripſit, cuius calamo & *bellum Iugurthinum* debemus.

Interim Pompeius tot victoriis elatus, cum ſocero C. Iulio Caeſare, & M. Licinio Craſſo, ſocietatem iniit, primas reipublicae partes occupandi; quas & aliquamdiu tenuere. Cumque ex eorum arbitrio omnia gererentur, facile impetrarunt, vt Caeſari Gallia, Pompeio Hiſpania, & Craſſo Parthia decerneretur. Craſſi autem, cum auro Parthico inhiaret, quaenam fuerint fata, iam antea commemorauimus. Auctam autem per res in Gallia feliciter geſtas Caeſaris potentiam cum aegre ferret Pompeius, adeoque cum potiori ſenatus parte impediret, quo minus abſentis in conſulatus ſecundi petitione ratio haberetur, Caeſar cum legionibus Romam venit, quam Pompeius cum ſuis fugiens reliquerat, aerarioque vi effracto, aurum & argentum, quo ad futurum bellum opus erat, diripuit. Legatis hinc Pompeii in Hiſpania ad deditionem compulſis, Pompeium in Graeciam perſequitur, a quo primo conflictu ad Dyrrhachium victus, mox cum in campis Pharſalicis res iterum ad manus veniſſet, tanta clade adfecit, vt copiis eius disiectis & diſſipatis, ipſe Pompeius fuga ſibi conſulere cogeretur, qui & in Aegyptum tandem delatus, in Peluſio littore, *imperio viliſſimi regis, conſiliis ſpadonum, &, ne quid malis deeſſet, Septimii deſertoris ſui gladio trucidatus, ſub oculis uxo-*

ris

ris ſuae liberorumque mortuus eſt, vt FLORVS loquitur, *lib. IV. cap. II.* Caeſar, cum inſidias, in quas in Aegypto inciderat, ope Mithridatis Pergameni aegre euaſiſſet, Aegyptum omnem ſibi ſubiecit, quam Pharnace, Mithridatis Pontici filio, victo, Cleopatrae reſtituit. Tum rebus Romae, quantum poterat, compoſitis, in Africam profectus, Pompeianas reliquias contriuit, ducibus praecipuis violentas ſibi ipſis inferentibus manus. Sed Pompeii quoque filiis in Hiſpania, aegre licet & ſummo cum periculo victis, imperium ſibi firmauit. Romam vero reuerſus, vix quinque menſes quiete ibi vixerat, clementia & benignitate omnium ſibi concilians animos, cum a Marco & Decimo Brutis, & C. Caſſio, aliisque ſenatoribus, idibus Martiis in Pompeii curia XXIII vulneribus interficeretur; anno V. C. DCCX ante ſeruatoris natiuitatem XLIV ſecundum aeram vulgarem. Plura de hiſce CAESAR ipſe *commentarior. de bello ciuili libris III.* PLVTARCHVS, in *Caeſare & Pompeio*, APPIANVS, *de bellis ciuilibus*, C. SVETONIVS TRANQVILLVS, in *vita Caeſaris.*

Quo pacto deinceps ad C. Octauium vel Octauianum, Iuliae, Caeſaris ſororis filium, ab Iulio Caeſare adoptatum, & ex teſtamento heredem, ſumma rerum tranſierit, C. CORNELIVS TACITVS paucis ita complectitur: *Poſtquam Bruto & Caſſio caeſis nulla iam publica arma; Pompeius apud Siciliam oppreſſus; exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, niſi Caeſar dux reliquus; poſito triumuiri nomine conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem tribunitio iure contentum; vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paullatim, munia ſenatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo aduerſante, &c. annal. lib. I. cap. II.* Triumuiratu nimirum inter Octauianum, Antonium & Lepidum, inito, Sextus Pompeius, alter filiorum Cneii, apud Siciliam, non incruenta tamen victoria, opprimitur; & deinde iuſſu Antonii in Aſia interficitur. Lepidus, cum hoſtilem erga Caeſarem animum in Sicilia prodidiſſet, ſocietate, dignitateque adeo triumuiratus excidit. Brutus & Caſſius cum non infeliciter ad Philippos Thraciae cum Octauiano pugnaſſent, errore ducti, ſeque victos exiſtimantes, rebus deſperatis, violentas ſibi intulerunt manus. Marcum Antonium Cleopatrae amores praecipitem dedere. Cum enim impotentis animi femina etiam Romae regnare vellet, eamque ob cauſſam Antonius res nouas moliretur, ab Octauiano ad Actium victus, in Aegypto tandem, cum nec ibi res ex voto fluerent, ſeipſum interemit, exemplum eius ſequente Cleopatra, vt triumphi ludibrium euitaret. Atque ita tandem Octauianus, cuncta ciuilibus diſcordiis feſſa, nomine *principis* ſub imperium accepit. Tandem cum variis auctus honoribus eſſet, Dacoſque, Dalmatas, Hiſpanos, Parthos, aliaſque gentes viciſſet, anno imperii eius XLII, vel vt alii volunt XLI (quanquam hae inter ſe conciliari ſententiae poſſint) mundi ſeruator natus eſt. Num Iani templum, quod plurimi adſerunt, eo tempore clauſum fuerit, alibi diſputamus. Quae in compendio diximus, fuſius exſequuntur C. SVETONIVS TRANQVILLVS, in *Octauio Auguſto*, PLVTARCHVS, in *Antonio*, itemque in *Bruto*, APPIANVS de *bellis ciuilibus.* DIO CASSIVS, *lib. XLVII. ſeqq.* FLORVS, *lib. IV. c. V. ſeqq.* VELLEIVS PATERCVLVS, *lib. II. cap. LXV. ſeqq.*

* * * * * * * * *

CVm iis, quae ſupra *period. II. ſect. III.* ad §. *XXVII. pag. 245. ſeqq.* de pythoniſſa Endorea dicta ſunt, ex *diſſertatione epiſtolica* ad virum doctiſſimum AVGVSTVM GOTTHELFF GRAFFIVM, in qua ad dubia a IOANNE ALPHONSO TVRRETINO, theologo apud Geneuenſes longe celeberrimo, ſententiae meae *oppoſita*, reſpondi, lux quaedam adfundi queat, eam hic ſubiicere integram placuit.

VIR MAXIME REVERENDE,

INter plurima, quae TVI erga me amoris exſtare voluiſti, documenta, hoc quoque refero, quod humaniſſimis TVIS, quas nuper ad me dediſti, litteris, IOANNIS ALPHONSI TVRRETINI, Geneuenſium theologi longe celeberrimi, *diſputationem*, quam vocat, *apologeticam*, *pro veritate religionis chriſtianae aduerſus incredulorum difficultates*, operis, vt vidi, quod molitur, inſignis *partem quintam*, adiecisti. In ea enim licet viro iſti doctiſſimo placuerit, meam de pythoniſſa Endorea ſententiam, rationesque, quibus eam comprobaui, ſub examen reuocare; mirifice tamen mihi placuit, eo quod ingenii iſtud acumen, cum ſumma animi moderatione coniunctum, quod in omnibus ſcriptis Turretinianis elucet, ibi quoque deprehenderem. Tantumque abeſt, vt indigne tulerim, a tanto me refutari viro, vt elogia potius, quae mihi tribuit, mihi pudorem incuſſerint. Nec ſane is ego ſum, qui aliorum a meis opinionibus pati nequeam diſſenſum; immo me pati poſſe, etiamſi aſperis ſatisque duris id fiat verbis, non vno, vt puto, hucusque demonſtraui exemplo. Nihilque magis a ſapientiae laude alienum eſſe exiſtimo, quam ſi quis ſe ſolum ſapere credat, magnamque ſtatim animo concipiat iram, ſiquis in rebus quoque leuiſſimis aliter ſe ſentire ſignificet.

Cum vero ea, quae doctiſſimus TVRRETINVS, ad meas infringendas rationes in medium attulit, quantumuis apte & concinne excogitata, me nondum inducere potuerint, vt in ipſius prorſus tranſirem caſtra, & quaedam non omnino nullius momenti ſupereſſe credam, quae dubiis eius reponi queant; ſumma eius modeſtia animique aequitas me dubitare non ſinit, quin in bonam interpretaturus ſit partem, ſi ea paucis expoſuero; immo hoc minime ingratum illi fore, confido. AD TE, VIR MAXIME REVERENDE, vt haec ſcribere adgrederer, non ea ſolum me induxit, quam iam indicaui ratio, quod TVA opera iſta ad me peruenit diſſer-

tatio, quae haecce litteris conſignandi occaſionem mihi praebuit, ſed & quod doctiſſimo non minus TVRRETINO, quam mihi, TVVM probaſti candorem, eruditionem, ingeniique vim ſingularem, adeoque vterque noſtrum TE communem eumque ſincerum agnoſcat amicum. Nec opportunitatem hancce praetermittere volui, declarandi publice, quanti TE faciam, idque & ob virtutes praeclaras, & ob egregia etiam TVA in ſacra noſtra merita. Quanta enim eccleſiae noſtrae, quae Geneuae eſt, cura, vt illibata maneret doctrinae puritas, quanta ſimul & prudentiae, & moderationis laude praefueris, nemo niſi eorum omnium, quae in vrbe iſta celeberrima noſtra aetate contigerunt, prorſus ignarus, neſcire poteſt.

Dum vir doctisſimus TVRRETINVS in eo eſt, vt inſtituto prorſus laudabili chriſtianae religionis veritatem ab obiectionibus impiorum hominum vindicet; iure meritoque illorum profligat ſententiam, qui etiam a ſpiritibus malignis, certe eorum opera & interuentu, miracula edi poſſe, adfirmant, ſaltem incertum eſſe, annon in eorum hoc poſitum ſit viribus, ſibi, aliisque perſuadere conantur. Miratus namque & ipſe non ſemel ſum, viros quosdam doctos, praeſertim in Anglia, qui ceteroquin ſatis egregie religionis chriſtianae cauſſam contra atheos egerunt, in hanc ingreſſos ſententiam, cum ſpirituum creatorum non ſatis nobis nota ſit potentia, non quoque conſtare, annon aut eadem, aut ſimilia efficere poſſint, quae Chriſtus atque apoſtoli, vt a Deo ſe, ad veram ſalutis viam mortalibus monſtrandam, miſſos eſſe demonſtrarent, magna cum videntium & audientium admiratione perpetrarunt. Iidem vero dum nihiloſecius veritatem religionis chriſtianae ex miraculis probare voluerunt, inexplicabiles ſibi diſpoſuerunt anfractus, ex quibus non niſi magno labore, & ne tum quidem ſatis feliciter, ſe potuerunt expedire. Vnum hic duntaxat nominare placet, qui & inter reliquos eminet, SAMVELEM CLARCKIVM, virum vtique ingenio praeſtanti praeditum, quo & ad atheorum impietatem deſtruendam funditusque euertendam magna cum laude ita vſus eſt, vt omnes iis elabendi vias praecluderet, & quo ſe reciperent, nihil relinqueret. Sed cum ad miracula ventum, * quibus vel maxime chriſtianae religionis innititur veritas, dum de iis ea ratione diſſerit, vt malignis ſpiritibus illa edendi facultatem denegare non audeat; mirum in modum ſe torquet, ſuisque ſe inuoluit ambagibus, vt hocce integrum chriſtianae religioni maneat praeſidium, quod tamen ipſemet, certe ſi vim & robur iſtius argumenti ſpectes, labefactauerat. Nec video, quae nos cogat neceſſitas, eiusmodi ſpiritibus creatis tribuere potentiam, qua eos gaudere, nec vllo exemplo probari, nec aliis argumentis demonſtrari poteſt. Immo dum ſpiritibus crea-

* *à l' exiſtence & des attributs de dieu &c. tom. II. cap. XII. pag. 367.*

creatis, etiam malignis, ſi rem omnem rite aeſtimemus, aliquid tribuitur, quod ſoli Deo conuenit; parum abeſt, quin in Deum ipſum iniurios eſſe cenſeam, qui eiusmodi quid adſerunt. Cum vero nihil iſtis ſit ſolemnius, quam vt nobis inculcent, nemini noſtrum conſtare, quantae ſint ſpirituum vires, & quibus circumſcriptae ſint limitibus; recte prorſusque eleganter TVRRETINVS reſpondet: *Verum parcant viri doctiſſimi, qui ita ratiocinantur, non ſtringit haec inſtantia. Quid enim? An quia ignoramus qualis & quanta ſit cacodaemonum potentia, ideo debemus malignos illos ſpiritus in numina conuertere, operationesque plane diuinas iis adſcribere, qualis eſt ſubita animantium productio, ſolo verbo, ſolo iuſſu, qualis & mortuorum ſuſcitatio; futurorum praenuntiatio, aliaque id genus?*

Nec tamen, vt puto, vir doctiſſimus diffitebitur, maiorem ſpirituum creatorum, etiam malignorum, potentiam eſſe, quam hominum eſt. Licet itaque miracula edere, hoc eſt, eiusmodi quid, quo naturae leges tolluntur aut mutantur, efficere nequeant; nihil tamen obſtat, quo minus per cauſſarum naturalium directionem, aut combinationem, aliaue ratione, talia perpetrare poſſint, quae in hominum viribus poſita non ſunt, quaeue merito *mirabilia* dixeris. Pari ratione licet futura, quae contingentia vocantur, non magis aut ſcire aut praedicere queant, quam homines; cum tamen multarum rerum abditas perſpiciant cauſſas, quae nos latent, dubitandum non eſt, quin quaedam futura & ſciant ipſimet, & aliis indicare queant, quae vim humani intellectus multum ſuperant. *Idque ſi* concedamus, nihil tamen inde conſequitur, quo argumenti, quod pro veritate religionis chriſtianae, a miraculis Chriſti & apoſtolorum, deſumitur, vis imminuatur aut labefactetur; cum criteria, quibus vera & genuina miracula a praeſtigiis iſtis infernalis genii diſcernantur, luculenta praeſto ſint. In illis enim cum eiusmodi quid conſpiciatur, quo leges naturae tollantur, aut immutentur; a ſolo Deo ea proficiſci poſſe, nemo non intelligit.

Ad ipſam pythoniſſam Endoream vt tandem accedamus, atque praedictionem ab ea Sauli factam; tres de ea inter viros doctos circumferri ſententias conſtat. Prima illorum eſt, qui ipſum Samuelem, aut potius animam eius, a muliere iſta euocatam Sauli adparuiſſe, eumque fata illi imminentia edocuiſſe contendunt. Altera eorum, qui, diabolum adſumta Samuelis ſpecie, iſta feciſſe, autumant. Tertia denique illorum eſt, qui nullam hic interceſſiſſe infernalis genii operam, ſed cuncta pythoniſſae *fraudibus* peracta fuiſſe, arbitrantur. Ex hiſce doctiſſimus TVRRETINVS, reiecta prima & ſecunda, tertiam amplexus eſt, atque ſibi propugnandam ſumſit. Cumque in eo conſentiamus, primam admitti *nulla ratione poſſe*; de ſecunda ſolum vt diſpiciamus, ſu-

pereſt. Quodſi enim probatum fuerit, nondum eam ita labefactatam, vt non firmo potius conſiſtere talo iure cenſeatur; quo loco tertia habenda ſit, nemo non perſpiciet.

Hic vero cumprimis, vt reliqua eo rectius procedant, nobis inquirendum eſt, quid אוב quidue בעלי אוב apud Ebraeos ſignificet. Non magni equidem momenti hoc eſſe vir doctisſimus exiſtimat. *Hic opus non eſt*, inquit, *critice diſquirere, quid eſſet* אוב, *quid* בעלי אוב *apud Ebraeos. LXX.* ἐγγαστριμύθους *vertunt; vulgata verſio, habentes Pythonem. Hoc conſtat, mulierem hanc ex iis diuinis ſeu hariolis fuiſſe, qui necromantiae operam dabant, & conſultis vel euocatis mortuis, res futuras eorum auxilio, ſe praedicere gloriabantur.* At ego neutiquam, tam leui brachio hoc praetermittendum, exiſtimo, cum caput fere cauſſae in eo conſiſtat. Si enim inde probatum fuerit, per ſpiritum malignum, aut eius intercedente opera, hanc praedictionem factam; meris vtique mulierculae iſtius fraudibus ſcenam hanc inſtructam fuiſſe, dici nequit. Iam vero neminem fugit, licet vox אוב, & in multitudinis numero אובות interdum *vtrem* denotet, vt *Iob. XXXII. 19.* & hinc ſignificatio eius ad ventriloquos ſeu ἐγγαστριμύθους tranſlata ſit, eo quod a maligno ſpiritu obſeſſi, velut vtres inflati turgeſcerent, & impurus ſpiritus interdum ex illorum ventre, aut partibus obſcoenis reſponſa daret; ſubinde tamen per eam ipſum ſpiritum malignum indicari, qui certis artibus eliciebatur, vt euocaret mortuorum manes, qui quaerentes futura, aut alia, quae ex illis diſcere cupiebant, condocerent. Sic Moſes inter eos, qui artes magicas & diuinatorias exercebant, quosue Deus inter Iſraëlitas tolerari noluit, diſerte recenſet ושאל אוב & *interrogantem Ob; Deut. XVIII. 11.* Vbi an aliud quid per vocem אוב quam ſpiritus aliquis malignus, ſi ſenſus iſtorum verborum ſibi conſtare debet, intelligi queat, valde dubito. Pari ratione & *Leuit. XIX. 31.* dicitur: אל־תפנו אל־האובות quae verba 10. CLERICVS recte vertit: *ne conuertamini ad fatidicos ſpiritus*; atque porro in *commentario* ad *h. l.* obſeruat: *Nos* אוב *putamus eſſe ſpiritum malum, qui certis artibus eliciebatur, vt euocaret mortuorum manes, qui praedicerent, quae ab iis petebantur.* Nec morari nos debet, quod ſpiritus ille malignus mortuorum manes euocaſſe dicitur, qui quaerentes de rebus futuris aut occultis erudirent; ſiquidem, ſi vel maxime manes mortuorum reuera non excitarit, facili tamen negotio phantasmate quodam, oculis illorum, qui aderant, obiecto, ſe hoc feciſſe, aut facere poſſe, perſuadere iis potuit. Nobis quidem, vtcumque ea res ſe habuerit, perinde eſſe poteſt; cum ſolum oſtendere cupiamus, voce אוב in hisce aliisque locis, ſpiritum quemdam malignum ſignificari. Atque hoc ex ipſo iſto, de quo praecipue diſceptamus, loco, *I. Sam. XXVIII. 7.*

Digitized by Google

longe eſt manifeſtiſſimum. Mulier enim iſta, quam Saul adibat, diſerte vocatur אוב בעלת *domina Ob* ſeu *habens Ob*. Non itaque ipſa mulier erat *Ob*, ſed per *Ob* reſpondebat ad ea, de quibus conſulebatur; quemadmodum & *Ob* eiusmodi quid erat, quod quaerentes de rebus futuris certiores facere poterat, quod non poteſt non aut de ſpiritu maligno, aut de re quadam, qua ſpiritus malignus ad ſententiam ſuam manifeſtandam vtebatur, & cui ipſemet ſuberat, intelligi. Hinc & Saul mulierem iſtam ita adloquitur: diuina mihi באוב *per Ob, & fac mihi aſcendere, quem tibi dixero*. Confirmari idem ex *Eſ. XXIX. 4.* poteſt, vbi adflictas Hieroſolymitanorum opes deſcribens propheta, *humiliaberis*, inquit, *e terra loqueris atque e puluere; humilis erit tua oratio, erit* כאוב *ſicut Ob vox tua, atque e puluere ſermo tuus murmurabit*. Cum enim diuinus vates τῷ *Ob* vocem, eamque humilem atque ſubmiſſam, tribuat; ſpiritus aliquis haud ſine ratione intelligitur, qui talem vocem edat. Quod ſi enim dicas, mulieres, quae ſe eiusmodi ſpiritum habere iactitabant, ad fallendos incautos tali voce vſas, vt crederent a ſpiritu quodam eam profectam; obſtabit, quod nullo exemplo doceri aut probari queat, de ipſis hominibus vel mulieribus vatidicis vocem אוב vſurpari. Et quid, quaeſo, ambagibus opus? cum Lucas diuinus ſcriptor, *act. XVI. 16.* Philippis puellam fuiſſe, memoret, quae habuerit πνεῦμα Πύθωνος, *ſpiritum Pythonis*. A ſpiritu itaque quodam, eoque vtique maligno, effata eiusmodi atque vaticinia, quibus futura miſeri mortales condoceri cupiebant, edebantur. Et ne vllum ſuperſit dubium, Lucas diſerte refert, ſpiritum iſtum a Paulo ex puella iſta eiectum. Dicebat namque τῷ πνεύματι, *ſpiritui iſti*: *praecipio tibi in nomine Ieſu Chriſti, egredere ex illa. Et ipſa iſta hora egreſſus eſt ab illa.* Spiritus itaque aliquis fuit, qui per puellam illam reſponſa dedit, cui Paulus praecepit, vt ex puella egrederetur, qui etiam mandato apoſtoli obſequutus eſt.

Iam expendamus paullisper, quae eruditiſſimus TVRRETINVS contra noſtram diſputat ſententiam. *Altera ſententia*, inquit, *de ſpectro Samuelis a diabolo fabricato, atque animato, & cuius ore diabolus fata Saulis praedixerit, non minus grauibus ac intolerandis laborare incommodis, nobis videtur. Vt mittamus enim, ne verbum quidem in ſacro textu eſſe, nec de ſpectro, nec de diabolo, vnde conſtat, poteſtatem illam, ſpectra fabricandi, atque animandi, ac per ea miſeris mortalibus illudendi, diabolo ineſſe? An id docet ratio? Nemo dixerit. An reuelatio? Nec id etiam dici poteſt. Fuerunt haec ethnicismi ſomnia, apud quem neſcio quot fabulae de lamiis & lemuribus venditabantur.* Miror, virum doctiſſimum tam fidenter dicere, in ſacro textu ne verbum quidem eſſe, nec de ſpectro nec de diabolo. Secus enim eos ſentire oportet, qui per אוב ſpiritum quem-

dam

dam malignum ſignificari credunt, quos vtique non omni deſtitui fundamento, ex antea dictis patet. Iam vero non tantum mulier illa dicitur בעלת אוב *habens Ob*, ſed Saul quoque diſerte eam ita adloquitur: *diuina mihi* באוב *per Ob*. Dum porro quaerit, vnde conſtet, poteſtatem illam ſpectra fabricandi atque animandi, ac per ea miſeris mortalibus illudendi, diabolo ineſſe? innuere videtur, ac ſi nulla prorſus dari ſpectra credat. Quod niſi verba viri doctiſſimi indicarent, fateri mallem, me ſententiam eius non recte capere, quam aliquid illi tribuere, quod forte ei in mentem non venit. Reſponderi autem ad iſtam quaeſtionem, ni fallor, haud difficulter poteſt. Ad rationem enim quod attinet, ea euidenter docet, non eſſe ἀδύνατον, vt ſubſtantiae quaedam materiae expertes exſtent, & facultate agendi in corpora praeditae, quas quidem nos ſpiritus vocamus. Iſtud qui negare velit, ei demonſtrandum, cur ἀδύνατον ſit, vt eiusmodi ſubſtantiae exſiſtant. Hoc autem ſi admittatur, non video, quid obſtet, quo minus efficere aliquid queant, quod homines aut videant, aut audiant; id quod ſpectra vocare ſolemus. Quod ſi dicas, ex eo, quod non ἀδύνατον ſit, vt eiusmodi ſubſtantiae ſeu ſpiritus exſiſtant, & talia efficere queant, nondum conſequi, reuera eos exſiſtere; id quidem lubens fateor: nec tamen, vt ratio vlterius hic progrediatur, exigi poteſt. Cum enim res, vt loqui ſolent, facti ſit; ad aliorum, qui, ſe iſtas ſpirituum operationes aut vidiſſe, aut audiuiſſe, adfirmant, teſtimonia, omnis probatio redit. Ad quae quidem quid regeri ſoleat, haud ignoro. Nec vtique me fugit, quanta ſit plurimorum mortalium ad alios fallendos pronitas pariter ac calliditas, quanta rurſus aliorum ſit credulitas, quamue facile in errorem induci queant. Non me fugit, quanta ſit vis & efficacia imaginationis, praeſertim ſi adfectus, temporisque & loci ad vim ſenſuum impediendam comparata ratio accedant, & quam facile inde contingat, vt homines ſe aliquid audire, aut videre exiſtiment, quod reuera nec vident, nec audiunt. Haec & alia, quae adferri ab iis ſolent, qui ſpectra dari negant, probe ſcio, ſaepiusque perpendi. Si tamen rurſus conſidero, quanta ſemper fuerit in omnibus totius fere orbis populis eorum multitudo, qui ſpectra ſe vidiſſe, aut vocem, vel ſonum, quem ediderunt, audiuiſſe, perhibuerunt; nondum perſuadere mihi poſſum, omnium iſtorum ita prorſus reiicienda teſtimonia, vt quosdam ſaltem excipere nolimus, qui & tanta fuerint ſinceritate, vt alios decipere noluerint, & tanta prudentia & circumſpectione, vt decipi ipſimet non potuerint. Alterutrum enim dicere oportet, ſi aliquem ceu teſtem parum idoneum reiicere velimus; deceptorem eum eſſe aut deceptum. At de tanto hominum numero hoc adſerere, quod aut decipere omnes voluerint, aut omnes decepti

ſint, quantumuis ſe deceptos negent, & eiusmodi rerum περιστάσεις adferant, vt eos decipi potuiſſe, credibile non ſit, durum, fateor, admodum mihi videtur. Ex ſcriptura ſacra autem dum vir doctisſimus profeiri teſtimonia cupit, aut potius proferri poſſe negat; prouocare equidem liceret ad loca illa, vbi diſerte ſpectrorum iniicitur mentio; *Marc. VI. 49. Luc. XXIV. 37.* Id enim inde intelligitur, diſcipulorum ſeruatoris eam fuiſſe ſententiam; ob quam cum nuſpiam ab eo reprehenſi legantur, nec aliud quid in ſcriptura ſacra occurrat, quod eidem repugnet; falſam illam erroneamque fuiſſe, dici nequit. Quodſi non omnis inde eximatur ſcrupulus; cogitandum porro, infinita fere in ſcriptura ſacra eſſe loca, in quibus ſpirituum creatorum, bonorum, pariter ac malorum iniicitur mentio, ita quidem vt, tamquam ſubſtantiae materiae expertes, intellectu tamen & voluntate, ſimul vero & potentia agendi in corpora, eaque longe maiori, quam hominum eſt, praeditae, deſcribantur. Hoc vero ſi ita eſt, ecquid obſtabit, quo minus interdum talia efficiant, quae oculos auresque hominum feriunt? Id vero eſt, quod ſpectra adpellitamus.

Sed pergit vir eruditisſimus: *certe ſi talis facultas, ſpectra, hoc eſt, corpora ſimilia corporibus defunctorum, fabricandi, atque animandi, eorumque ore loquendi, penes diabolum eſſet, quam miſera eſſet viuentium ſors? quanta occaſio ipſos perpetuo decipiendi atque terrendi? Et quam impoſſibile eſſet, ab eiusmodi deceptionibus ſibi cauere? Quis ergo credat Deum optimum maximum & humani generis amantem, talem poteſtatem ſceleſtiſſimo enti, ſibi rebelli, bonisque omnis oſori, concedere voluiſſe?* At cum longe maius quid ſit, quod infernalis genius poteſtatem habeat, permittente Deo, corpora hominum inuadendi, eaque adfligendi, aut ceu organis ac inſtrumentis ſuis, iis vtendi, quod in obſeſſis fieri adſolet, quam quod potentia gaudet, interdum ſpeciem quamdam corporis humani effingendi, & per eam verba quaedam proferendi; haec quidem ei denegari nequit, niſi ſimul & illam in dubium vocare velis. Quod tamen a viro doctisſimo fieri non exiſtimo; cum exempla iſta quam plurima & luculentisſima, quae euangeliorum ſcriptores ſacri litteris conſignata nobis reliquerunt, obſtent. Immo cum daemoniorum ex corporibus obſeſſorum expulſiones haud exiguum miraculorum a Chriſto perpetratorum numerum conſtituant, quibus chriſtianae religionis veritas adſtruitur; hiſce omnibus nihil omnino effici, fatendum eſſet, niſi admittamus, homines iſtos miſeros reuera a ſpiritibus malignis obſeſſos, eaque omnia expertos, quae de iis narrantur. Tanta itaque tamque terribilis cum iſtorum ſpirituum in corpora hominum ſit poteſtas; cur quaeſo ea agere atque efficere non poſſent, quae ſpectris tribuuntur? Immo & non minor eorum in ipſas mentes impiorum ho-

hominum eſt poteſtas; quippe quas caligine ac tenebris replere, in errores coniicere, ad foeda quaeuis incitare atque impellere poſſunt. Euidentiora haec ſunt, quam vt in dubium a quoquam vocari queant; ſimul tamen ita comparata, vt quae de ſpectris eorumque operationibus dicuntur, leuia prae iis cenſeri debeant. Quare ſi rationes a viro doctiſſimo adlatae quidquam probarent, plus probarent, quam ipſe forte vellet, nullam ſcilicet ſpirituum in hominum aut corpora aut mentes operationem admittendam eſſe. Quantumuis autem magna in hisce omnibus malignorum ſpirituum ſit poteſtas; limites tamen, quibus Deus eam circumſcripſit, neutiquam transgredi, adeoque ſine eius voluntate & permiſſione efficere nihil poſſunt. Quod ſi non eſſet, tum demum dici poſſet, *miſeram eſſe viuentium ſortem, occaſionemque perpetuo eſſe illos decipiendi atque terrendi, immo impoſſibile eſſe, ab eiusmodi deceptionibus ſibi cauere.* Iam vero haec nos non feriunt, qui ſpiritus malignos non aliter potentia ſua vti poſſe, credimus, quam prout Deus aut ad iuſtiſſimam mortalium poenam, aut rurſus ſolum ad illorum caſtigationem, & hinc porro omnino ſalutem, hoc eis concedit. Quod ſi feriant, proſcribendae erunt omnes malignorum ſpirituum in homines operationes, & clariſſima ſimul ſcripturae ſacrae effata in dubium vocanda.

Addit tandem vir doctiſſimus: *Sed, quod durius longe atque a vero alienius nobis videtur, ea eſt futuri notitia, quam diabolo tribuunt ſententiae iſtius fautores. Quis enim neſcit, futuri notitiam praerogatiuam Dei eſſe? & quis ignorat quam viuide & quanta cum verborum emphaſi, eam ſibi adſerat & propriam faciat, apud Eſaiam. Declarate res venturas, ait, & noſcemus vos eſſe Deos. Quis ille eſt, qui res iſtas declarauit ab initio &c. Dices, diabolum multa noſſe, e quibus de futuro iudicium ferre poteſt, hocque pacto, quaenam fata Saulem manerent, praedicere potuiſſe. Sed profecto diaboli ſagacitate hanc in rem opus non erat.* Futurorum vtique, quae contingentia vocari ſolent, notitia Deo ita propria eſt, vt in eum merito iniurius cenſeatur, qui illam aut homini, aut ſpiritui cuidam creato tribuere velit. Cum vero, vti iam antea dictum, cauſſae quaedam rerum futurarum ſpiritibus etiam malignis notae eſſe queant, quae homines fugiunt; illorum quoque, quoad euentus futuros longe maiorem ampliöremque, quam horum, eſſe notitiam, nemo mirabitur. Quodſi ergo muliercula quaedam aut vetula, talia praedicat, quae captum eius merito ſuperare cenſentur, ſagacitate omnino diaboli opus eſſe exiſtimo; quodſi inſuper artem ſpiritus malignos euocandi, qui alios futura doceant, profiteatur; quis, quaeſo, dubitabit, quin a ſpiritus potius maligni, quam a mulierculae iſtius ſagacitate, oracula iſta fuerint profecta?

Quae deinceps doctiſſimus TVRRETINVS pro ſua ſententia confirmanda adfert, eo fere redeunt, regem im-

imbecillo fuiſſe ingenio, qui non ſemel in vita dementiae & melancholicarum paſſionum indicia dederit, ſuperſtitioſum, credulum, a Philiſtaeis preſſum, pauefactum, extra ſe poſitum, a Deo deſertum, ſolitisque Dei reſponſis deſtitutum, denique tota die & nocte ieiunum, quod ad metum & crudelitatem augendam non parum faciat; mulierem contra, quam conſuluerit, fuiſſe callidam, vafram, ad nequitias omnes & fallaciam inſtitutam, longoque vſu edoctam. Nihil ergo fuiſſe facilius, quam vt eiusmodi homo, qualis rex iſte fuerit, a tali muliere falleretur, & ad quiduis credendum induceretur. Ego quidem illis, quae de Saule dixit, non refragabor: ad mulierem autem iſtam quod attinet, vereor ne vir doctiſſimus illam longe callidiorem aſtutioremque nobis ſiſtat, quam reuera fuit. Quidquid eius ſit; ſi haec omnia ita ſe habuerint, prout vir doctiſſimus ingenioſe ea depinxit; nihil aliud inde ſequitur, quam per fraudes & fallacias iſtius mulieris ea peragi ita potuiſſe: reuera autem peracta eſſe, nondum euincunt. Id enimuero eſt, de quo quaeritur. Immo cum antea probatum ſit, mulierem iſtam opera maligni ſpiritus vſam eſſe; omnia iſta, ni fallor, quantumuis ſpecioſe & eleganter dicta, ſponte ſua corruunt.

Non itaque etiam neceſſe fuerit, copioſe diſputare, an iſta, quae diuinus ſcriptor narrat, per meras mulieris iſtius fieri potuerint fallacias? Dum vero fieri non potuiſſe probaui, confirmare ſolum ſententiam illam, atque oſtendere volui, ſi vel maxime ab eo, quod caput cauſſae eſt, diſcedas, non tamen deeſſe, quae illis, qui cuncta per fraudes & fallacias geſta exiſtimant, opponi queant. Eſtque tota haec ita comparata diſputatio, vt non aliis rationibus, quam quae veroſimilitudinem quamdam pariant, pugnari queat. Quare ſi vel maxime rationes, quas doctiſſimus TVRRETINVS meis oppoſuit, probabiliores eſſent; parum tamen inde ad rei ſummam proficeret. Iſtis enim rationibus, quantumuis magnam probabilitatis ſpeciem prae ſe ferentibus, nihil aliud euinceretur, quam hoc, veroſimile admodum videri, cuncta per fraudes & fallacias eſſe geſta. At ſi ratio iterum certa & firma adferatur, qua probetur, ſpiritus maligni omnino acceſſiſſe operam; tota iſta diſputatio, quid fraudes mulieris efficere potuerint, vſu carebit atque ſuperuacua erit.

Interim nec id concedo, rationes, quibus vir doctiſſimus meas impugnauit, ceu probabiliores praeferendas eſſe. Dixeram: *Si cuncta per fraudes & fallacias facta eſſent, temporis quodam interuallo, ad haec ita excogitanda & diſponenda opus fuiſſet.* Reſpondet vir doctiſſimus: *Verum mulieres eiusmodi ad omnem fallaciam inſtitutae, longo tempore, multis conſiliis opus non habebant, ad ſuas fraudes diſponendas & exercendas. Hic inprimis quid facto opus eſſet, res ipſa ſtatim docebat, ipſeque rex ad deceptionem admittendam ita erat diſpoſitus, vt multae ambages ad eum decipiendum quaerendae non eſſent.* At virum doctiſſimum mulierem

erem iſtam callidiorem aſtutioremque credere, quam reuera fuit, antea iam monui. Vt rex ad eam veniret, praeter omnem eius contingebat opinionem, nec vmquam eiusmodi quid exſpectare poterat. Hic itaque ſtatim ſineque mora, aut vllo temporis interuallo, omnia iſta, quae ad ſcenam illam inſtruendam dicenda aut agenda erant, mulieri iſti in mentem venire potuiſſe, fidem, fateor, ſuperat. Praeterea quod hic negat doctiſſimus TVRRETINVS, temporis quodam interuallo opus fuiſſe, deinceps adfirmat, ſuamque adeo refellit reſponſionem, vt ipſemet quoque VIR MAXIME REVERENDE, recte obſeruaſti. *Etenim regem*, inquit, *quamquam mutato habitu, nec niſi duobus ſtipatum comitibus multis indiciis cognoſcere potuit, a ſtatura, a facie, quis enim Palaeſtinae incolarum ipſum non viderat? a ſermonibus comitum eius, quod haud dubie callida mulier, cum per ſe, tum per alios, diligenter, magnaque cum ſolertia ſciſcitata fuerat &c.* Enimuero ſi mulier iſta tot indiciis opus habuit, vt regem cognoſceret, ſi comites eius, tum per ſe, tum per alios diligenter magnaque cum ſolertia ſciſcitata eſt; nonne temporis quodam interuallo opus fuit?

Nec rationes iſtae dubium, quod propoſui, veroſimile non eſſe, *mulierem ſimulaturam, ſe regem non noſſe, ſi ipſum nouiſſet, ſiquidem cur ſimularet cauſſae nihil fuerit, eo quod neſciret, quam ob rem ad ſe veniret*, tollunt. Iam antea regem illi ita notum fuiſſe, vt eum ſtatim, cum mutato habitu ad illam accederet, agnoſcere potuerit, non temere ſibi quis perſuaſerit. Vt ex aliis indiciis quae vir doctiſſimus commemorat, hoc intelligeret, praeter alia, temporis quoque ratio non permittebat. Regem non ſani capitis fuiſſe fatetur, quod in eo rerum ſtatu a caſtris diſceſſerit: ſed addit, *nec ſano capite fuiſſe, plus ſatis adparebat.* Sed num mulier iſta hoc ſtatim ſibi perſuadere poterat? Simulaſſe itaque eam, ac ſi regem non noſceret, atque exſpectaſſe, donec a mortuo id accepiſſe videri poſſet, nondum hucusque euictum eſt. Dixeram porro: *quis credat, mulieri vocem Samuelis adeo cognitam fuiſſe, vt imitari eam auſa ſit? Si vero eam non recte imitata eſſet, nonne id Saul erat animaduerſurus?* Reſpondet vir doctiſſimus, imitatam eam eſſe vocem ſenilem, vocem prophetae ac magiſtratui conuenientem. At vox ſenilis, prophetae & magiſtratui conueniens, nondum eſt vox Samuelis. Vidit hoc ipſe vir doctiſſimus; hinc ſubiicit: *Quod ſi vero Samuelis voci per omnia ſimilis non fuerit, quis miretur, inter vocem hominis, & vocem eiusdem mortui, aliquid diſcriminis eſſe!* At cum hominis mortui nulla vox ſit, mulier vocem Samuelis non aliam, quam quae viuentis fuit, imitari potuit. Quantumuis etiam Saul *conſternatus* & *mentis impos* fuerit, quod vir doctiſſimus porro vrget; non tamen omni rationis ac ſenſuum vſu fuit deſtitutus. Immo, quoniam res magni momenti erat, de qua agebatur, & in qua ſalus eius verſabatur; eum quam adcuratiſſime ad omnia, quae videbat, aut audiebat, attendiſſe, vt credamus, par eſt.

Obieceram porro, *ſermones perſonati Samuelis, ſimplicitatem mulierculae, quantumuis callidae, multum ſuperare; non potuiſſe vetulam illam de rebus ad rempublicam pertinentibus tam perite ratiocinari; neque Saulis & Dauidis fata diuinatione quadam politica praedicere.* Regerit vir doctiſ-

doctiſſimus, dubium non eſſe, *quin Saulem a Deo reiectum, Dauidemque ei praelatum, in vulgus notum fuerit.* Sed num inde ſtatim ſequitur, illud etiam mulierculae huic notum fuiſſe? Pergit, *cum ergo res Saulis peſſimo in ſtatu eſſent, nihil eſſe iis in ſermonibus, quod mulier iſta forte politices callentiſſima, vt erant plerumque vates, forte & monita atque inſtituta a Saulis comitibus, proferre non potuerit.* At bene eſt, quod vir celeberrimus dixit, mulierem iſtam *forte* politices fuiſſe callentiſſimam, itemque eam *forte* a Saulis comitibus monitam ac inſtitutam fuiſſe. Haec enim, quam incerta iſta ſint, atque lubrica, ſatis ſuperque docent.

Vltimo loco dixeram, ſi impoſtura ſolum fuiſſet, nullam adparere rationem, cur mulier iſta *non laeta potius quam triſtia praedicere maluerit; ſiquidem triſtis rerum exitus nullum periculum, laetus contra magna praemia ei adferre potuiſſet.* Reſpondet vir doctiſſimus, *cum hocce argumentum nimis probet, nihil probare, ſiquidem contra triſtia omnia auguria, regibus ac imperatoribus prolata, faciat, quae tamen magno vt plurimum vatibus ipſis vſui fuerint.* Verum ſi aliquando triſtia auguria vatibus ipſis vſui fuerunt; haud dubie tum & alia rerum fuit conditio, quam illa, in qua & Saul, & mulier quoque, immo & tota gens Iſraelitica fuit conſtituta. Nec intelligere licet, quodnam ex triſti hocce augurio muliercula iſta capere potuerit commodum. Sed pergit: *ad haec imminentia Sauli fata ita clara erant, per ſeſe, vt metuere potuerit mulier, ne ſi laeta praedixiſſet, ſe ridendam propinaret, ſuamque omnem auctoritatem amitteret.* Praeliorum omnium dubius atque anceps eſt euentus. Adeoque nec imminentia Sauli tam certa erant fata, vt mulier eiusmodi quid, quod vir doctiſſimus inde colligit, metuendi habuerit cauſſam. Praeterea ſoli Sauli & comitibus eius, quae praedixit, innotuerunt, qui ſi vel maxime ſuperſtites poſt praelium fuiſſent, non tamen auſuri fuiſſent prodere, quid muliercula praedixerat, niſi ipſimet omnium ſe odio & ludibrio exponere voluiſſent. Nullam itaque cauſſam metuendi habebat mulier, ſi laetioribus auguriis vel maxime euentus non reſpondiſſet. Sed nondum adquieſcit vir doctiſſimus, quin potius, *poſtremo*, inquit, *nec deſunt, qui coniiciunt, in odium edicti contra hariolos a Saule promulgati mulierem in eo magis magisque terrendo delectatam eſſe, ſponteque cadentem, non modo non ſuſtentaſſe, ſed & fortius ad deſperationem & ruinam impuliſſe.* Mera autem cum haec ſit coniectura, omni fundamento deſtituta, eaque non viri doctiſſimi, ſed aliorum, quorum ſententiam refert; vt plura hac de re addamus, neceſſe non eſt.

Atque haec ſunt, VIR MAXIME REVERENDE, quae doctiſſimo TVRRETINO reſpondere volui, non vtique litigandi animo, ſed vt quaeſtioni, de qua ſaepe inter viros doctos diſceptatum fuit, & forte porro diſceptabitur, lucem adfunderem. Nec omni, vt puto, amica haecce ſententiarum, & rationum, quibus vtrimque pugnatur, collatio, deſtituetur fructu. Etſi enim aliae rationes, quibus ſpirituum malignorum exiſtentia & operationes demonſtrari poſſunt, non deſint, ſi vel maxime ſpectrum illud Endoreum euaneſcat; non temere tamen vllam demonſtrationem dimittendam, cenſeo, qua iſtius doctrinae veritas extra dubium atque controuerſiam poni queat, ne plus quam decet diſſentientibus in re grauiſſima largiendo, in errore eos confirmare videamur. Vale, VIR MAXIME REVERENDE ac DOCTISSIME, & quod facis, mihi porro faue. Scribebam Ienae die XVII Sept. anno M DCC XXVII.

IN-

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICVS.

A. M.

2919 Dauid naſcitur, 30 annis antequam Sauli ſuccederet, *2 Sam. V, 4.* cum *1 Sam. XVI, 1.*

2941 Dauid a Samuele vngitur rex in locum Saulis, 40 annis ante coniurationem Abſolomi, *1 Sam. XVI, 1.* cum *2 Sam. XV, 7.*

2949 Saul cum filiis moritur eodem circiter tempore, quo contigere, quae de Ziklago vrbe ab Amalekitis direpta, & ab Dauide reſtituta narrantur *2 Sam. XXX.* Dauid 30 annos natus denuo vngitur Hebroni, vbi 7 annis, 6 menſibus regnauit, *2 Sam. II, 1. 4. 11. & V, 4.*

2951 Cum quiete per biennium maximam regni paterni partem tenuiſſet Isboſeth, *2 Sam. II, 10.* initium fit belli inter ipſum & Dauidem.

NB. Hierauf folget S. im 7. Alphabet, wie es der Cuſtos weiſet.

Digitized by Google

A. M.	
2952	Iubilaeus octauus.
2956	Abnero & Isboſetho interfectis, Dauid Hebrone tertium vngitur, & totius populi rex conſtituitur, poſtquam 7 annos & 6 menſes Hebrone tantum regnaſſet *1 chron. XII, 1, ſeq. 2 Sam. V, 5.*
2971	Salomo naſcitur.
2981	Poſt 40 ab vnctione prima Dauidis annos Abſolon ab illo deficit, *2 Sam. XV, 7.*
2990	Ineunte anno Dauid moritur, cum 33 annis tot populo praefuiſſet, qui iunctis 7 annis quibus Hebrone regnauit, faciunt annos 40. vid. *p. 171b.* Anni Salomonei regni ſex menſibus ante mortem Dauidis incipiendi, quo tempore filio is regnum tradidit.

Anno

A.M.

2992 anno 480 ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto, anno quarto regni Salomonis (vid. notam ad annum 2990.) templi fundamenta a Salomone iacta; *1 reg. VI, 1.37.*

3000 anno vndecimo regni Salomonis, menſe octauo, templum abſolutum; *1 reg. VI, 38.* vid. *p. 174.* & *185. b.*

3001 iubilaeo nono, menſe ſeptimo, templum dedicare incipit Salomo; *2 chron. V, 3.*

3012 Salomo anno 13 poſt exſtructum templum regiam ſuam perficit, impenſis in vtrumque opus annis 20; *1 reg. VII. 1 chron. VIII, 1.*

3029 Salomo moritur poſt annos 40 regni ſui; *1 reg. XI, 42.*

Hinc, filio Rehabeamo ſceptra ſuſcipiente, incipit fatalis illa regni in Iudaicum & Iſraeliticum diſtractio.

* Difficultates omnes, quae in componenda inter ſe Iudaicorum & Iſraeliticorum regum chronologia occurrunt, proponere, nedum diſſoluere, non fert inſtituti ratio. Fundamenta breuiter indicata *p. 467. a. ſeq.* Quomodo res concipi commodiſſime omnium poſſit, ex VSSERII potiſſimum mente, proponemus.

A. M.

3030 In hunc annum incidit defectio ſolennis Ieroboami a cultu veri Dei, atque adeo initium 390 annorum iniquitatis Israelis, de quibus *Ezech. IV, 5.* id quod probatum eſt *p. 466. a.*

3046 anno finiente, Ieroboami anno 10 ineunte, Rehabeamo defuncto ſuccedit filius Abia, regnatque annis 3. *1 reg. XV, 1. 2 chron. XIII, 1.*

3049 exeunte, anno Ieroboami 20 completo, Abiam in regno Iudae excipit Aſa filius, regnatque annis 41. *1 reg. XV, 9. 10.*

3050 qui annus eſt iubilaeus decimus, anno ſecundo Aſae, Ieroboamo patri ſuccedit Nadab, regnatque in annum ſecundum; *1 reg. XV, 25.*

3051 cum adhuc curreret annus tertius Aſae, Baaſa, Nadabo totaque familia Ieroboami exſtinctis, regnum occupat, & in annum vsque 24 tenet, *1 reg. XV, 27. ſeq.*

fini-

A.M.

3074 finiente, anno 26 Aſae, Baaſam defunctum excipit filius Ela; *1 reg. XVI, 8. ſq.*

3075 & hunc Simri, qui familiam Baaſae deleuit, ſed 7 tantum diebus regnum tenuit, *1. reg. XVI, 15.* ereptum vna cum vita ab Omri, qui aemulo ſuo Tibni ſublato, anno 31 Aſae ſolus regnare incipit; *1. reg. XVI, 23.*

3086 exeunte, anno 38 Aſae, Omri mortuo ſuccedit Achabus filius, qui ad annum vsque 25 regnum obtinuit; *1. reg. XVI, 29.*

3090 Aſa defuncto, regnum ſuſcipit Ioſaphat anno quarto Achabi deſinente, illudque tenet annis 25; *1. reg. XXII, 41. 42. 2 chron. XX, 31.*

3108 Achabo caeſo ſuccedit Achazias filius, quem iam duobus ante annis, 17mo Ioſaphati ineunte, proregem pater conſtituerat, *1. reg. XXII, 52.* Huic, paulo poſt patrem defuncto, anno Ioſaphati 18 finiente, ſuccedit Ioramus frater, regnatque annis 12; *2. reg. III, 1.*

A.M.

3112 Ioſaphat reliquis filiis dona, Ioramo autem regnum tribuit, (cuius iam 6 annis ante vicariam illi poteſtatem dediſſe, colligere licet ex *2 reg. I, 17.*) Iorami Iſraelitici regis anno quinto, idque 8 annis ab eo tempore tenuit; *2 chron. XXI, 2. 3. 2 reg. VIII, 16.*

3115 finiente, Ioſaphat moriens plenum filio regnum relinquit, quod 4 ab eo tempore annis tenuit.

3119 moritur Ioram Iudæ rex, cum anno praecedente, ſiue Iorami Iſraelitici vndecimo, Achaziam filium in regni ſocietatem adſumſiſſet, quod colligere eſt ex *2 reg. IX, 29.* Achazias autem poſt obitum patris vno tantum regnauit; *2 chron. XXII, 19.*

3120 exeunte, Athalia, Achabi filia, Achaziae mater, filio hoc ſuo defuncto, regnum occupat, illudque ſex annis tenet, interfecta omni familia regum Iudae. ' Ereptus ſolus Ioas tum anniculus, qui 6 annis in templo delituit; *2 reg. XI, 1. 2. 3.* Eodem anno Ioram Iſraelitarum rex occiditur a Iehu, qui totam Achabi familiam exſtinguit, regnatque annis 28; *2 reg. IX, & X, 36.*

deſi-

A. M.

3126 deſinente, Ioas ſeptennis producitur, occiſaque Athalia auia, cultum publicum inſtaurat, regnatque ad initium vsque anni 40; *2. reg. XIII, 1. 2 chron. XXIV, 1.*

3148 exeunte, Ioachas Iehu patri ſuccedit, anno 23 Ioaſi Iudae regis, regnum tenet annis 17; *2 reg. XIII, 1.* vltimo anno in ſocietatem aſſumto filio. Itaque

3163 Ioas filius Ioachaſi regnare incipit anno 37 Ioaſi Iudae regis exeunte, regnumque tenet annis 16; *2. reg. XIII, 10.*

3165 finiente, Ioas Iudae rex cum 40mum regni annum vix attigiſſet, occiditur. Excipit illum Amaſias filius, qui regnare incipit anno ſecundo Ioaſi, Iſraelitici regis, regnatque annis 29; *2. reg. XIV, 1. ſeq.*

3178 deſinente, anno 15 Amaſiae, patri Ioaſo Iſraelitico ſuccedit filius Ieroboam II, quem is iam 11 ante annis in ſocietatem regni aſſumſiſſe colligitur ex *2. reg. XV, 1.* Tenuit autem regnum annis 41; *2. reg. XIV, 23.*

A.M. 3194 Amaſiae mortuo ſuccedit filius Vzias, ſive Azarias, anno 27 Ieroboami II, (initio computationis ab eo tempore facto, quo in regnum coopratum a patre Ieroboamum diximus ad an. 3178) & regnat annis 25; *2. reg. XV, 1.*

Hoſeas, Ionas, Amos, prophetae hoc tempore florent.

3207 Circa haec tempora in Lydia regnauit ex Heraclidarum gente Ardyſus.

3210 In Macedonia Garanus Heraclida & ipſe regnum videtur condidiſſe.

3220 exeunte, mortuus eſt Ieroboam II, a quo tempore ad ἀναρχίαν & interregnum vndecim annorum & dimidii, rediiſſe res videtur, ſuadente hoc ſynchronismo, vt nimirum menſes 6, quibus regnauit Zacharias, Ieroboami II filius, Vziae anno 38uo; menſis vnicus autem, quo regnauit Schallum, Zachariae percuſſor, anno eiuſdem regis 39no reſpondeat.

ab

A. M.	
3228	ab aeſtate huius anni prima Graecorum numeratur olympias, deſinitque tempus, quod *μυθικὸν* appellauit Varro, ſuccedit *ἱστορικόν*; *p. 581. b. ſeqq.*
3232	anno Vziae regis 38, regnat, quod iam diximus, Zacharias, Ieroboami II filius, 6 menſium ſpatio; *2 reg. XV, 8.*
	incipiente, anno Vziae 39, Schallum, Zachariae percuſſor, regnat menſe vnico *2 reg. XV, 13.* vid. dicta ad an. 3220.
3233	poſt turbas II fere menſium, deſinente anno 39 Vziae, Menachem ope Phulis Aſſyrii regis regnum Iſraelis occupat, illudque annis 10 obtinet; *2 reg. XV, 17.* * Hunc Phulem Sardanapali patrem credit VSSERIVS, de quo dictum *p. 565. b. ſeqq.*
3243	Pekahia ſuccedit Menachemo patri anno 50 Azariae, regnatque annis 2; *2 reg. XV, 23.*

Pekah,

Digitized by Google

A. M.

3245 Pekah, interemto Pekahia, regnum occupat, tenetque annis 20; *2 reg. XV, 27.*

3246 hoc anno, qui eſt iubilaeus decimus quartus, ineunte, mortuo Vziae ſuccedit filius Iotham, anno ſecundo Pekae, & regnat annis 16; *2 reg. XV, 7. 32. 33. 2 chron. XXVII, 1. 8.*

Hoc tempore vaticinari incipiunt Ieſaias, Micha, Nahum.

3256 vt vult Fabius Pictor, vel quinquennio ante, ſecundum Varronem, Roma condita; vid. *p. 598. a. ſeq.*

3257 Sardanapalus ab Arbace & Beleſo vita regnoque priuatus, quod videtur VSSERIO.

3262 Achaz Iothamo patri in regno Iudae ſuccedit, anno Pekae 17 deſinente, regnatque annis 16; *2 reg. XVI, 1. 2.*

Hoſeas

A. M.

3265 Hoſeas, interfecto Peka, regnum inuadit anno 20, ex quo Iotham apud Iudaeos regnare inceperat, (vid. *p. 417. a. ſeq.*) ſed, propter turbas exortas, nouem demum annis poſt, firmam eius poſſeſſionem adeptus eſt.

3274 Hoſeas tandem potitus eſt regno Iſraelis, deſinente anno 12 Achazi, *2 reg. XVI, 1.* ibid. *p. 417. b. ſeq.*

3277 Achaz poſtremo regni ſui anno Hiskiam filium in regni ſocietatem aſſumit, qui a 3 inde anno deſinente regni Hoſeae, regnauit annis 29; *2 reg. XVIII, 1, 2.*

3283 anno regni ſui 9 Hoſeas a Salmanaſſare regno exutus, decem tribus patria pulſae, regnoque toti Iſraelitico finis impoſitus; vid. *p. 418. b. ſeq.*

3288 Candaules Lydorum rex a Gyge necatur; vid. *p. 581. a.*

A. M.	
3294	Sennacheribi exercitus ad preces Hiskiae regis caeſus ab angelo.
3295	Iubilaeus quintus decimus; huc pertinet *Ieſ. XXXVII, 30. 2 reg. XIX, 29.*
3306	Manaſſes Hiskiam patrem excipit, regnatque 55 annis; *2 reg. XXI. 1 chron. XXXIII, 1.*
3327	Samaritana regio nouis colonis ethnicis aucta, quae nouae gentis ac religionis occaſio fuit.
3348	* Ad haec tempora, & ad Saosduchinum Aſſyriae regem refert VSSERIVS, quae de Iuditha & Holoferne in hiſtoria illius apocrypha narrantur; vid. *p. 490. b. ſeq.*
3361	Manaſſi defuncto ſuccedit filius Amon, qui duobus tantum annis regnauit; *2 reg. XXI, 18. 2 chron. XXXIII, 21.*

Amon

A. M.

3363 Amon per proditionem occiſus, ſucceſſorem habuit filium Ioſiam, octo annos natum, qui regnauit annos 31; *2 reg. XXII, 1. 2 chron. XXXIV, 1.*

3364 * Thales naſcitur.

3374 Ieremias propheticum munus ſuſcipit anno 13 Ioſiae. *Ier. I.*

3384 * Zenophanes Colophonius, Eleaticae ſectae princeps, naſcitur.

3388 Necos Pſammitichi filius, qui in ſcriptura dicitur Pharao Necho, in Aegypto regnat; vid. *p. 564. b.*

3393 * Anaximander natus.

3394 Ioſias occiditur; ſuccedit illi plebis voluntate Ioachaz, Schallum alias dictus, filius Ioſiae minor Eliakimo, quem remoto poſt 3 menſes fratri, & in Aegyptum adducto, ſurrogat Necho, & mutato nomine Ioiakimum nuncupat; vid. *p. 457. ſeq.*

A. M.

3398 Nebucadnezar Ioiakimum capit, & ſi non ipſum, magnam certe populi partem in Babyloniam deportat, quae prima eſt e maioribus deportatio in captiuitatem Babylonicam, a qua incipiendi 70 anni captiuitatis a prophetis praedicti; vid. *p. 607. a. ſeq.*

3401 Ioiakimus in regnum reſtitutus rebellat, 2 *reg. XXIV, 1.*

Daniel in aula Babylonica exſplendescere incipit.

3405 Ioiakim a Chaldaeis captus, necatusque, ſucceſſorem habuit Ioiachinum, qui & Iechonias vel Chonias dicitur; is tribus tantum menſibus regnauit, poſt quos a Nebucadnezare Babyloniam abductus, & patruus ipſi Matthanias, tertius Ioſiae filius, ſuffectus, quem mutato nomine Nebucadnezar Zedekiam dixit. Haec deportatio fuit ſecunda e maioribus.

3405 Aſtyages, quem ſcriptura Ahasuerum vocat, apud Medos imperat annis 35.

Hoc anno Ezechieli prima viſio obtigit.

3414 Pittacus Mitylenaeus floret.

Hiero-

A M.

3416 Hieroſolymis expugnatis, Zedekias rex capitur, & excœcatus Babyloniam abducitur, cum annos 9 ante vrbis obſidionem regnaſſet *2 reg. XXV, 1, ſeq.* Haec tertia eſt inter maiores deportatio, qua finis eſt impoſitus regno iudaico.

3420 Finis annorum iniquitatis Iſraelis & Iudae; vid. *p. 466, a.*

3434 Nebucadnezari obuenit ſomnium de arbore; *Dan. IV.*

3442 Nebucadnezar regno pulſus reſtituitur, eodemque anno obit; ſuccedit Euilmerodach.

Croeſus in Lydia regnare incipit. Haec aetas vidit Aeſopum, Solonem, itemque Piſiſtratum Athenienſem tyrannum.

3457 Anaximandri ſcholam continuat Anaximenes Mileſius.

A. M.

3465 Cyrus Babylonem occupat, quam tum Darius Medus tenebat, qui BEROSO & MEGASTHENI Nabonnedus dicitur; vid. *p. 653. b. ſeq. & p. 661. ſeq.*

3468 Cyrus, orientis monarchia potitus, captiuitatem Babylonicam ſoluit, poſt LXX annos a prophetis praefinitos.

3475 Cyrus moritur, ſucceſſorem nactus Cambyſen filium, quem ſcriptura Ahasverum vocat.

Hoc tempore geri incipiunt, quae Nehemiae, & Esdrae libris referuntur.

3483 Darius Hyſtaspis, magis, inprimis pſeudo-Smerde, quem ſcriptura Artachſchastam vocat (vid. *p. 723. b.*) interfectis, regno Perſarum potitur.

3485 Darii anno ſecundo, remotis tandem impedimentis omnibus, hortatu Haggaei & Zachariae, templum ſecundum aedificari coeptum, & 4 annis abſolutum, vid. quae diſputantur *p. 721. b. ſeq.*

Reges

A. M.

3490 Reges Roma propter Tarquiniorum ſcelera exacti, ex ratione Fabii Pictoris, quam quinquennio praecedit Varroniana.

3519 Moritur Darius, ſuccedit Xerxes, bellis cum Graecia infelicibus notiſſimus.

3531 Xerxi fraude Artabani occiſo, ſuccedit Artaxerxes longimanus, Eſtherae, vti videtur, maritus; vid. *p. 765. b. ſeq.*

3537 Esdra ab Artaxerxe ampliſſima genti ſuae priuilegia impetrat.

3550 muri Hieroſolymarum Nehemia auctore reſtaurantur, dedicantur, & respubl. iudaica vtcunque conſtituitur.

3573 belli Peloponneſiaci initia. Viuunt Herodotus, ac paulo hoc iunior Thucydides.

3579 moritur Artaxerxes, ſuccedit Xerxes II, qui vno tantum anno imperat. Neque Sogdiano fratricidae imperium 6 menſibus longius fuit. Necatus ſiquidem eſt ab Ocho fratre, qui poſt Darium vocari ſe voluit; nothi nomen ſcriptores adiiciunt.

vlti-

A. M.

3589 vltimis Nehemiae temporibus floruiſſe videtur vltimus prophetarum vet. teſtam. Malachias.

Succeſſio ſummorum pontificum circa haec tempora ſatis incerta; vid. *p. 738. ſeq.*

3600 morienti Dario notho ſuccedit Artaxerxes mnemon, cuius cum Cyro fratre diſſidia imperium concuſſere.

3602 Ioannes pontifex fratre Ieſu vel Ioſua interfecto, calamitatum magnarum populo auctor fit, de quo *p. 739. a.*

3643 Ataxerxi ſuccedit Ochus filius crudelitate notiſſimus.

3648 naſcitur Alexander M.

3656 Plato moritur; Ariſtoteles floret.

3666 Ochus rex perſarum a Bagoa necatur, & Arſes ſolus a caede regiae familiae ſuperſtes rex creatur,

3668 Arſi & ipſi a Bagoa interemto ſuccedit Darius Codomannus. Philippo Macedone interfecto, imperium ſuſcipit filius Alexander M.

Hoo

A. M.	
3671	Hoc anno & ſequenti contigiſſe videntur, quae *p. 739. b. ſeq.* de Manaſſe, Iaddi pontificis fratre, narrantur.
3672	Alexander ad Hieroſolymas infeſto animo accedens a Iaddo pontifice maximo placatur; vid. *p. 740. a.*
3674	Cum Dario proelio ad Arbela debellatum.
3681	Alexandro mortuo, monarchia Graeca diuiſa eſt. Iudaea Syriam & Aegyptum interiacens, ab illo tempore regum vicinorum iniuriis expoſita fuit.
3682	Onias pontificatum ſuſcipit.
3684	Ptolemaeus Lagi, Aegypti rex, Hieroſolymas dolo occupat; Iudaeorum multa millia deportari in Aegyptum iubet.
3694	Epicurus florere incepit.
3704	Oniae in pontificatu ſuccedit filius Simon iuſtus.

Digitized by Google

A. M.	
3712	huic frater Eleazarus.
3713	Seleucus nicanor in conditas a ſe Aſiae vrbes Iudaeos collocat.
3721	Ptolemaeus philadelphus regnum patrium Aegypti ſuſcipit.
3727	laudatus modo rex ſcripturam ſacram per LXXII interpretes in ſermonem graecum transferri curaſſe dicitur, qua de re *per. II. ſect. VI. §. XII.* idemque ſupra decem myriadas Iudaeorum pretio 460 amplius talentorum redemiſſe.
3741	Belli Punici I initium.
3745	Eleazaro in pontificatu ſuccedit patruus Manasſes.
3758	Ptolemaeo philadelpho defuncto ſuccedit filius Ptolemaeus euergetes, qui Syria a ſe occupata Hieroſolymis euchariſtica obtulit.

Onias

A. M.	
3771	Onias II, Simonis iuſti filius, fit pontifex maximus.
3785	Simon II, Oniae II filius, pontificatum ſuſcipit.
3787	hic Ptolemaeum philopatora ab adytis templi prohibet.
3805	Onias III, Simonis II filius, pontificatum adit.
3821	ad hunc legationem & litteras mittit Areus Lacedaemoniorum rex.
3818	Heliodorus a templi direptione plagis deterretur.
3829	regnare in Syria incipit Antiochus epiphanes, flagellum illud Iudaeorum.
3834	Onias III pontifex maximus perfide interimitur, Antiocho ipſo ſcelus vlciſcente; qui tamen eodem anno contra Iudaeos ſaeuire incipit.

A.M.

3837 Antiochus edicto propoſito ad gentilismum reuocare Iudaeos ſtudet, & detrectantibus obſequium vim adhibet. Huc pertinent exempla conſtantiae ab Eleazaro, VII fratribus, & Rhazi edita, origo item Maccabaeorum, quorum pater Matthatias.

3838 Matthatias moriens ſucceſſorem ſibi conſtituit Iudam Maccabaeum, qui rem ſtrenue contra Antiochi duces gerit.

3840 Iudas templum ab Antiocho pollutum repurgat.

Eodem anno miſere moritur Antiochus, ſucceſſorem nactus filium Antiochum eupatora, non minus, quam pater fuerat, Iudaeis infeſtum.

3842 Menelaus, qui pontificatum inuaſerat, necatur iuſſu Antiochi, ſubſtituitur illi Alcimus, nihil iſto melior.

Rhazis mors ad hunc annum refertur: ipſius quoque Iudae Maccabaei, cuius interim legati cum populo Romano ſuae gentis nomine pacem fecerunt.

Iudae ſuccedit Ionathan frater; Ioannes alius frater occiditur.

3852 Ionathan pontificatum, qui annis 7 ab Alcimi morte vacauerat, ſuſcipit.

Onias

A.M.

3854 Onias; Oniae III pontificis filius, apud Aegyptios degens, templum Heliopolitanum condit.

3855 Belli Punici III initia.

3861 Ionathan Tryphonis fraude perit, ſuccedit in pontificatu pariter ac principatu Simon, qui federa cum Romanis ac Spartanis renouat.

3870 Simon perfidia Ptolemaei generi ſui occiditur cum filiis, effugiente ſolo Ioanne Hyrcano.

3898 obit Ioannes Hyrcanus. Ariſtobulus patri ſuccedens primus nomen regium reduxit.

3899 moritur Ariſtobulus; ſuccedit Alexander Iannaeus frater.

3926 hic moriens vxori Alexandrae regni adminiſtrationem teſtamento relinquit, quam illa nouem annis geſſit.

A.M.	
3935	Alexandra regina vita fungitur; ſequuntur diſſidia fratrum, Hyrcani maioris natu, & Ariſtobuli, funeſta familiae, & genti toti fatalia.
3939	Hyrcanus cum aliquandiu priuatus vixiſſet, Antipatri (qui pater fuit Herodis M.) impulſu ad Aretae Arabiae regis fidem confugit, qui Ariſtobulum Hieroſolymis obſidet; ſed is Aemilii Scauri ope liberatus, hoſtes caedit.
3941	Pompeius M. pro Hyrcano pronuntiat, Ariſtobulum cum familia capit, in vrbem intromiſſus, templum vi expugnat, Iudaeos tributarios facit Hic ipſe annus eſt, quo M. Tullio Cicerone Cos. natus eſt C. Octauius, qui deinde imperauit.
3950	Craſſus nullo idoneo praetextu templum Hieroſolymitanum ſpoliat.

Dimit-

A. M.

3955 Dimittitur a Iulio Caeſare Ariſtobulus, vt aliquid contra Pompeium in oriente moliatur; ſed a Pompeianis veneno ſublatus, filius autem Alexander Pompeii iuſſu ſecuri percuſſus eſt,

3957 Antipater ſummis officiis beneuolentiam Caeſaris & procurationem Iudaeae meretur, quem inter filios Phaſaelum & Herodem diuidit.

3961 quo anno Iulius Caeſar periit, Antipater etiam veneno exſtinctus eſt.

3964 Antigonus Ariſtobuli filius Parthorum auxilio, Phaſaelum capit, mortisque metu ad αὐτοχειρίαν compellit. Herodes autem profugiens a Romanis, Antonio praeſertim, opem, & regium diadema conſequitur.

Hie-

Digitized by Google

A. M.	
3967	Hieroſolymas a Romanis adiutus occupat. Antigonum ſecuri percutit.
3968	Herodes Ananeli vel Hannaneeli, obſcuro homini, pontificatum tribuit.
3969	mox tamen huic iterum ablatum dat Ariſtobulo, Mariamnes vxoris ſuae fratri.
3970	ſed ſtatim inuidia ductus, ſuffocari quaſi per ludum in aquis iubet iuuenem, corporis dignitate praeſtantiſſimnm.
	Hillel floret Hieroſolymis, & ſectam inſtituit.

Google

A. M.

3973 Hunc annum nobilitauit victoria Actiaca Augusti.

3974 Herodes Hyrcanum ſenem inſidiarum conuictum iubet interfici.

3976 Mariamnem vxorem occidit & ſocrum Alexandram.

3979 Samariam munit, Sebaſtes i. e. Auguſtae nomine deinceps appellandam; itemque turrim Stratonis, & aedes duas in monte Sion aedificat, Caeſaris vnam, alteram Agrippae nomine appellatam; porro Herodiam regiam & vrbem.

3080 amoto a pontificatu Ieſu Phabetis filio, Simonem ſacerdotem Hieroſolymitanum ſubſtituit.

3982 Caeſaream ſplendidiſſimam vrbem condere incipit.

A. M.	
3986	Parat aedificare templum nouum, bonamque partem ſplendidiſſime perficit.
3999	Filios Alexandrum & Ariſtobulum inſidiarum poſtulatos ſtrangulari iubet.
	Ablatum Simoni pontificatum confert Matthiae.
4000	Naſcitur IESVS CHRISTVS.

INDEX GEOGRAPHICVS.

Not. Ea ſaltem hic commemorantur loca, quorum in prioris tomi indice nulla facta eſt mentio.

A

ABEL, vrbs illuſtris in ſeptentrionali parte terrae Iſraelis, *mater* proinde dicta, *2 Sam. XX, 19.* Ceterum tria eius nominis loca fuiſſe notat HADR. RELANDVS, *Palaeſt. lib. III. p. 519.* & obſeruat, vnum eorum, adiecto nomine Bethmaachah ſiue Maecha (qui & ipſe locus eſt in terra Baſan) a reliquis diſtinctum, id quod nobis etiam animaduerſum, p. 157. b.

ALEXANDRIA, celeberrima illa Aegypti vrbs, ab Alexandro M. condita, commemoranda nobis, quod ſedem multis Iudaeorum millibus praebuit, qui ſynagogas hic plures inſtituerunt ſcholasque, vt erat etiam alias vrbs litteris & artibus affluens. In bibliothecam Alexandrinam a Ptolemaeo philadelpho illata dicitur verſio graeca librorum V.T. quam ſeptuagintaviralem vocant. De muſeo Alexandrino dictum p. 902. b. ſeq.

AMALEKITARVM vrbi, de qua p. 42, b. aliud quod nomen fuerit, non conſtare, ibi dictum. De ſedibus autem gentis huius vid. *ind. tomi I.*

ANATHOTH p. 486. b. vrbs erat in tribu Beniamin. HIERONYMVS viculum vocat tribus ab Aelia, i. e. Hieroſolyma milliaribus, & turrim Ieremiae, cuius patria fuit, nomen retinuiſſe. RELANDVS *l. c. p. 562.*

APHEC p. 91. a. vrbs prope Iizreel in tribu Iſſaſchar. Aliam in tribu Aſcher, & finibus Sidoniorum, & aliam inſuper in Syria fuiſſe, refert RELANDVS *p. 572.*

ARIMATHAEA, Ioſephi, qui de ſepultura Chriſti ſolicitus fuit, patria, eadem fuiſſe creditur quibusdam, quae Ramathaim, Samuelis patria, qua de re p. 6. a. & infra voce RAMATHAIM.

ASARAMEL corruptum loci nomen ex חצר כלא *atrium Millo* dictum p. 927. a. b.

B

BAAL PERATZIM, locus Palaeſtinae Philiſtaeorum clade notatus, p. 115. a.

BAALA, vrbs tribus Iudae, dicta alias Kiriathiearim, de qua diſputatur p. 124. b. ſeq. Obſeruat RELANDVS *l. c. p. 609. ſeq.* aliam eſſe etiam huius nominis vrbem in regione auſtrali tribus Iudae, BALAM quoque & BILHAM בלה & בלהה dictam.

BECHAIM בכאים p. 115. a. ſeq. nomen loci videtur factum, cum *moros* ſignificet alioquin.

BEEROTH p. 107. b. vrbs Gibeonitarum, quae poſt Beniamitis ceſſit, de cuius ſitu multa diſputat RELANDVS, *lib. III. p. 618.*

BEROTHAI & BETACH, vrbes Syriae a Dauide direptae p. 117. b. quae *Tipbchath* & *Chozan* aliis nominibus vocantur.

BETHBESSEN Βαιϑβασὶ, vrbs in deſerto Iudae ſita a Maccabaeis communita & defenſa, p. 922. b.

BETHEL, praeter ea, quae *ind. tomi I.* dicta ſunt, ſcholam propheticam hic fuiſſe diſcimus *2 reg. II, 3.* vid. p. 511. ſq.

BETHKAR locus IOSEPHO Κοῤῥαῖοι dictus, nobilitatus clade Philiſtaeorum, p. 14. b.

BETHMAACHA vel MAECHA vid. ABEL.

BETHRECHOBH p. 119. b. Syriae vel Aramaeae vrbs fuiſſe debet.

BETHVLIA, vrbs a Iuditha defenſa vid. p. 494. a. ſeq.

BEZEK, loci nomen, cuius dominus ADONIBEZEK dictus. *Iud. I, 4. 5.* vid. p 28. b.

C

CADYTIS, ab HERODOTO memorata vrbs, quae ab aliis pro Hieroſolymis; pro Kadeſch, vel Gath ab aliis habetur; vid. p. 456. a.

CARMEL p. 77. b. ſeq. mons qui terminus occidentalis eſt tribus Iſſchar, Eliae habitatione celebratus. Deum etiam in hoc monte cultum Carmeli nomine ex Tacito conſtat. RELANDVS *lib. III. p. 695.* vrbem eius nominis in tribu Iudae fuiſſe docet.

CHABOR, quid loci ſit ex BOCHARTO indicatum & CLERICO p. 419. a.

CHALACH, ibidem.

CHAMATHA, Syriae vrbs, quam pro Epiphania haberi dictum p. 118. a. Non videtur id probabile RELANDO, quem vide *lib. I. p. 119. ſeq.*

CHAR-

Google

CHARCHEMISCH, quid loci fuerit, indicatur p. 455. b.

CHELAM p. 120. a. in regione trans Iordanem, vbi Dauid cum Syris conflixit.

CHOVM vid. BEROTHAI.

CHVTA p. 528. a. vrbs vnde Salmanaſſer nouos colonos adduxit, qui Samariam incolerent.

D

DAMASCVS, Syriae quondam metropolis, vnde Syri Damaſceni, a Dauide ſuperati, p. 117. b.

DOTHAN p. 366. a. vrbs non longe a Sichem & Samaria. Graeci vocant interdum Δωθαείν. Locum ex libro *Iudith III. 9.* vbi Dothan ſita dicitur ἀπέναντι τοῦ πρίονος μεγάλου τῆς Ἰουδαίας erudite expendit RELANDVS, *Palaeſt lib III. p. 742. ſeq.*

DVRA, vallis in terra Babylonica quid loci fuerit disputatur p. 628. a.
de vrbe Coeleſyriae huius nominis agit RELANDVS, *lib. III. p. 744.*

E

EBENESER, loci nomen ortum ex monumento victoriae, contra Philiſtaeos reportatae, a Samuele ſtatuto, p. 14. b.

ELCESI p. 484. a. Nahumi prophetae patria in tribu Simeon, iam HIERONYMI aetate *viculus vix ruinis veterum aedificiorum indicans veſtigia*, apud RELANDVM *p. 748.*

ELON TABOR p. 21. b. i. e. quercetum, vel planities in celebri monte, de quo *ind. tomi I.*

ENGEDI p. 72. a. vrbs haud ignobilis in tribu Iudae; vicum praegrandem vocat HIERONYMVS. Vineae Engedi celebrantur *Cant. I, 14.*

EPHES DAMMIM vel PAS DAMMIM vid. p. 50. b.

G

GATH HACHEPHER p. 472. b. Ionae prophetae patria in meditullio Galilaeae ſita, ſi fides HIERONYMO. Falſitatis inde arguitur prouerbium Iudaeorum, de propheta ex Galilaea non prodeunte.

GEHENNA vid. HINNOM.

GEMELACH גי מלח *vallis ſalis* vid. p. 118. b.

GESVRITAE; alii incoluere tractum Aegypto vicinum; alii in regione trans Iordanem dimidiae tribus Menaſſeh; alii, neque tamen

men ab his valde remoti, in Syria, de quibus *2 Sam. XV, 8.* hique intelligendi ſunt *2 chron. III, 2.* vbi Thalmai Geſuritarum regis mentio fit, qui auus fuit Abſolomi. Neque enim probabile eſt, ad alium Geſuritarum regem, quam ad auum ſuum eum profugiſſe. Atque hinc aeſtimanda, quae p. 102. a. de auo Abſolomi dicta ſunt.

GIBBETHON p. 580. a vrbs Philiſtaeorum in regione tribus Dan.

GIBEA DEI גבעת אלהים pro appellatiuo nomine, *collis Dei* habitum a nonnullis, rectius putatur pars Kiriathiearimorum vid. p. 22. a. 125. a. 222. b.

GILBOA p. 91. a. tractus montanus Hermoni finitimus, clade Saulis & Iſraelitarum illuſtratus.

de GILGAL iam actum *ind. tom. I.* hic obſeruamus, ſcholam hic fuiſſe propheticam; vid. p. 511. a.

GITTAIM, vrbs in tribu Beniamin, *Neh. XI, 33.* forte eadem, de qua p. 107. b.

GOZAN, quis fluuius ſit? diſputatur p. 419. a. ſeq.

H

HACHILA, deſertum & tractus montanus, in quo delituit Dauid in fuga p. 83. a.

HAZEK, in tribu Iuda non procul ab Ephes-Dammim fuiſſe videtur, p. 50. b.

HELIOPOLIS, celebris Aegypti vrbs. hic commemoranda ob templum ſacerdotiumque cultus iudaici ab Onia ibi conſtitutum vid. p. 990. a.

Vallis HINNOM גי הנום vnde Gehenna, quid fuerit, explicatur p. 424 a. ſeq. add. de ſitu vallis huius RELANDVS, *Palaeſt. lib. I. p. 353.*

I

IABES p. 26. a. vrbs Gileaditidis, quae EVSEBII tempore vicus fuit praegrandis.

IANNOACH p. 417. a. vrbs in confiniis tribuum Ephraim & Manaſſis.

IERICHO p. 511. a. vrbs celebris in tribu Beniamin ex aduerſo montis Nebo. Palmis & balſamo diues eſt, ſed venenatis etiam ſerpentibus infeſtus ager huius vrbis. Roſarum Ierichuntis mentionem facit *Sirachid. cap. XXIV. 18.* vide probantem iſta omnia RELANDVM, *lib. III. p. 829. ſeq.*

IESIMON p. 72. a. locus in deſerto ad ſiniſtram Maonis prope mare mortuum.

IION p. 296. b. vrbs a Syris Damaſcenis direpta.

IIZ-

IIZREEL p. 91. a. vrbs tribus Iiſſaſchar, vbi palatium Achabi, in campo, qui vocatur, magno, non longe a Dothaim. Tempore HIERONYMI erat | vicina Maximianopoli. Poſt vicus facta nomen *parui Gerini* accepit, campo tamen magno vicino vetus nomen Esdrelonis i. e. Iizreel retinente; vid. RELANDVS, *lib. III. p. 863.*

K.

KEILA p. 69. a. vrbs olim tribus Iudae. EVSEBIVS Κηλὰν vocat, & vicum dicit ad ortum ab Eleutheropoli octo milliaribus remotam.

KIRCHERESCH vel KIRCHARESCHETH, regia Moabitarum vrbs. Perperam enim hocnomen pro appellatiuo haberi dictum p. 552. a. add. p. 579. a.

KIRIATH IEARIM p. III. a. it. 22. a. vrbs in tribu Iudae, alias BAALA dicta. GIBEAM DEI partem eius videri, ſuo loco dictum.

M.

MAACHA; de ABEL BETH MAACHA dictum ſuo loco. *Syria* MAACHA de qua *1 chron. XX, 70*; & nos p. 119. b. pro regione habenda videtur RELANDO, quem vide *lib. I. c. XXIV, p. 112.* contra BOCHARTVM diſputantem.

MACHANAIM p. 100. b. vbi & nominis ratio allegatur, & proprium loci nomen eſſe oſtenditur. Caeterum vrbs haud procul a Iordane ſita fuit e regione Tiberiadis lacus, vbi Iordanes ex eo effluit.

MAON, deſertum p. 72. a. videtur non longe a Carmel & Ziph abfuiſſe. MAON etiam vrbs fuit in tribu Iudae, de qua p. 77. b.

MEGIDDO p. 456. a. vrbs Menaſſitarum, ſed extra regionem tribui illi aſſignatam, clade Ioſiae regis atque obitu nobilitata. Μάγδολος HERODOTO dicta.

METHEG HAAMMA an loci nomen ſit, aut forte & GATH Philiſtaeorum vrbs ita appellata, diſputatur p. 116. a.

MICHMAS p. 31. b. vrbs ad ortum Bethauen, EVSEBII aetate vicus grandis octo milliaribus ab Hieroſolymis, quae tum Aelia dicebatur, prope Rama.

MILLO, locus munitus Hieroſolymis, de quo diſputatur p. 113. b.

MORESCHET p. 482. b. Michae prophetae patria, qui inde *Moraſchti* dicitur. HIERONYMVS vicum ipſum hoc nomine appellat. Hoc & plura obſeruat RELANDVS *l. c. p. 902.*

NEBO

N

NEBO mons, qui & Abarim, contra Ierichuntem ſitus, & morte Moſis illuſtratus eſt. NEBO vrbs Moabitidis; vid. p. 705. a.

NINIVE, de huius metropoleos Aſſyriae magnitudine vid. p 475. a.

NOB, ſacerdotalis vrbs p 63. a.

O

OPHEL, locus munitus Hieroſolymis, de quo p. 7 8. b.

OPHIR, quae regio fuerit disquiritur p. 264. b. ſeq.

OREBITAE fictitii ab ORBO vrbe dicti; vid. p. 306. b. ſeq.

P

PARVAIM, vnde Salomoni aurum venit, quid loci fuerit, disputatur p. 199. a. ſeq.

R

RABBA Ammonitarum ſedes regia p. 120. b.

RAMATHAIM ZOPHIM, vrbs in montanis Ephraim, patria Samuelis. p. 5. a. RELANDVS monet, non confundendam hanc vrbem cum RAMA, nobili hoc tempore Palaeſtinae emporio; quodque putent aliqui, Arimathaeam Ioſephi illius ſenatoris patriam eſſe Ramathaim, id potius de RAMA emporio verum eſſe, *Palaeſt, lib. III, p. 580*, & *965*.

RIMMON ſcopulus p. 36. b fuerunt etiam hoc nomine vrbes duae, in tribu Simeon vna, altera in Zabulon.

S

SABA, vnde regina ad Salomonem venit, quae regio fuerit diſputatur, p. 267. a. ſeq.

SAMARIA שמרון ſiue *Schomron* vrbs Palaeſtinae celeberrima, caput regni Iſraelitici, prout illud a regno Iudae, a Ierobeami inde temporibus fuit ſeparatum. Tractui vicino Samaritidis nomen inde haeſit. Poſt abductos a Salmanaſſere Iudaeos, nouis colonis aucta vrbe, noua inde gens & religio noua orta eſt; vid. p. 528. a. ſeq. Ceterum haec vrbs vaſtata ab Hyrcano, a Gabinio inſtaurata, & *Gabinii vrbs* dicta, ab Herode magis munita & in Auguſti honorem

SEBASTE i. e. *Auguſta* appellata fuit; vid. de his, & de numis Samaritanorum RELANDVS *p. 979. ſeq.* Diligenter etiam de Samaria, Samaritide, Samaritanis antiquis pariter ac hodiernis egit CHRIST. CELLARIVS tum in *collectaneis hiſtoriae Samaritanae*, tum *in exercitatione* de *gentis Samaritanae hiſtoria & caerimoniis*, quorum illa

Ci-

Cizae 1688, haec autem caſtigatior Halae 1707. 4to edita.
SAREPHTA p. 308. a. media inter Tyrum & Sidonem, vini bonitate aliis celebrata; vid. RELAND. l. c. *p. 985. ſeq.*
SEPHARVAIM, vrbs Aſſyriae, vnde coloni deducti Samariam, p. 528. a.
SEBASTE vid. SAMARIA.
SOCHO vel SOCHVS p. 50. b. vrbs in campeſtribus Iudae, *Ioſ. XV, 35.* & alia in montanis, ib. *verſ. 48.* EVSEBII aetate adhuc duo vici, ſuperior alter, alter inferior ita dicti.
SVNEM, p. 91. a. & 354. a. vrbs tribus Iſaſchar non procul a Gilboa monte, Eliae hoſpitio nobilis.
SVSAN, Perſarum regia ad Vlai, id eſt Eulaeum fluuium; vid. quae diſputantur p. 642. a.

T.

TAPHNAE, Aegypti vrbs, vbi Ieremiam interfectum aiunt, p. 487. b.
TARSIS, quo proficiſci conatus eſt Ionas, quis locus, quae regio fuerit, diſquiritur p. 474. a. ſeq.
THECOA, p. 477. b. patria Amoſi, HIERONYMI aetate viculus 6 milliaribus diſtans in meridiem Bethlehemo, in ſolo arido ac ſterili. Plures forte ſunt Thecoae, vna enim in tribu Iudae locatur, neque deſunt qui Beniaminitis, Zabulonitis, Aſcheritis tribuant; vid. RELANDVS *l. c. p. 1028. ſeq.*
TELAIM & TELEM, vna eademque videtur vrbs in auſtrali parte tribus Iudae; vid. p. 42. a. ſeq.
THIPHCHATH vid. BETACH.
THIPHSACH, *Thapſacum*, oppidum & traiectus ad Euphratem, p. 181. b.
THISBE, vrbs Galilaeae tribus Naphthali vnde Elias Thisbites; vid. p. 303. a. ſeq.
THOPHET dicta cur ſit vallis Hinnom; vid. p. 424. b.
TSIPH vid. ZIPH.
de TYRO dictum *indice tomi I.* Hic obſeruanda, quae de diſtinctione neceſſaria Tyri in veterem & nouam dicta p. 574. a. ſeq.

V.

VLAI quid fluminis ſit, diſputatur p. 642. a. ſeq.

Z.

ZAIR, Idumaeae vrbs non confundenda cum Seir, p. 377. b.
ZELZACH, p. 21. a. locus iuxta ſepulchrum Rachelis ad fines Beniaminitarum.
ZEMARAIM montis & vrbis nomen, p. 291. b.
ZICLAG vid. p. 85. a.
ZIPH, p. 18. a. vrbs in tribus Iudae parte auſtrali, item alterius loci nomen eiusdem tribus, non longe a Carmel, vnde ſolitudini nomen, in qua Dauid delituit.
ZOBA, Syriae pars, IOSEPHO Σωφηνη dicta, p. 117. a.

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE S.

QVAE AVT EXPLICANTVR AVT ILLVSTRANTVR.

1 Sam. I, 1. ſeq.	pag. 6. b.	1 Sam. XXV, 22.	78. b.
II, 1.	9. b.	29.	80. a.
VII, 6.	11. b.	XXVI, 7.	83. b.
13.	14. b.	19.	84. b.
VIII, 4. ſeq.	212. b. ſeq.	XXVII, 7.	86. a.
IX, 9.	18. b.	XXVIII, 2.	88. a.
23.	20. a.	7.	243. a.
X, 5.	22. a. & 223. a.	2 Sam. I, 9.	96. b.
22.	25. a.	18. ſeq.	98. a. ſeq.
XIII, 1.	30. b.	II, 10. 11.	100. b.
3 5.	32. a.	15.	101. b.
8.	34. a.	III, 8.	102. b.
XV, 12.	42. b.	22.	104. a.
29.	44. b.	29.	105. a.
XVI, 1.	46. a.	IV, 6.	108. a.
14.	49. a.	V, 6.	111. b.
XVII, 18.	52. a.	23.	115. a.
XVIII, 20.	56. a.	VI, 1. ſeq.	124. a. ſeq.
25.	56. a.	6.	126. a.
XIX, 16.	58. a.	16.	129. a.
18.	59. a.	VII, 12.	190. a.
24.	60. a.	VIII, 2.	116. a.
XX, 5.	61. a.	4.	117. b.
19.	61. b.	13.	118. a.
25.	62. a.	15.	122. b.
XXI, 5.	63. b.	XI, 1. ſeq.	130. a.
13.	65. b.	XII, 1. ſeq.	133. b.
XXIV, 5.	73. a.	8. ſeq.	134. a. & 211. a.
8.	74. b.	30.	120. b.
14.	75. a.	XIII, 1. ſeq.	136. b.

2 Sam.

2 Sam. XIV. 139
XV. 142. b.
XVI. 146
XVII. 147
XVIII. 150
XIX. 153
XX. 156
XXI. 158. b.
XXIII. 194. b.
XXIV. 162 a.
1 reg. I, 1. ſeq. 168
II, 22. 176. a.
26. 177. a.
III. 179. a.
IV. 180. b.
29. 218. b.
31. 187. a.
32. 219. b.
V. 183. b.
VI, 2. ſeq. 198. a.
IX, 26. 263. b.
X, 1. ſeq. 267. a.
16. 260. a.
XI, 1. 270. a.
XII. 276. ſeq.
verſ. 26. ſeq. 279
XIII. 281. a. ſeq.
XIV, 1. ſeq. 286. a.
21. 288. a.
22. 289. b.
XV, 13. 293. a.
XVI, 3. 299. a.
XVII, 3. ſeq. 306
XVIII. 310
XIX. 315
XX. 319
1 reg. XXI. 325. b.
XXII. 330
2 reg. I, 1. ſeq. 339
II. 341
verſ. 20. 346. b.
III. 348
IV. 353 ſeq.
V. 358. b.
VI. 363. b.
VII. 369. b.
VIII. 371. b.
verſ. 16. 376. a.
26. 379. a.
IX. & X. 384. b. ſeq.
XI. 394
XII. 397. b.
XIII. 401
XIV. 405
XV. 409
verſ. 32. 422
XVI. 423
XVII. 417. a.
XVIII. 430
XIX. 435. b.
XX. 437. b.
XXI. 443
verſ. 19. 445
XXII, 14. 448. b.
XXIII, 5. 449. b.

* Loca parallela ex chronicorum libris cum iis, quae ex regum libris adducuntur, ſimul explicari, monere nihil eſt neceſſe. Merentur tamen ſpeciatim etiam annotari ſequentia.

yyyy yyy 2 1 chron.

Digitized by Google

1 chron. III, 15.	458. a.	Ezech. VIII.	701. a. ſeq.
17.	694. b.	Daniel I, 3.	611. a.
VI, 10.	488. a.	4.	696. a.
XVIII, 12.	118. a.	20.	698. b.
XXIX, 29.	186. a.	II.	614. b.
2 chron. XVI, 10. 14.	297. a.	verſ. 2.	698. b.
XVII, 7.	301	III.	626. it. 632. a.
XIX, 2. ſeq.	335. a.	V.	647. ſeq.
XX.	335. b. ſeq.	VI.	656. a.
XXII, 2.	379. a. it. 384. a.	VII.	642. a.
XXIII, 19.	472. a.	IX, 24. ſeq.	672. a.
Eſdr. I.	662. a. ſeq.	X, XI.	664. a.
Nehem. VIII, 7.	735. b.	Ionae I, 3.	473. a.
Pſalm II.	73. b.	Mich. V, 1.	499. a.
LI, 9.	197. a.	Zachar. IX, 9.	770. a.
LX, 2.	118. a.	Hagg. II, 10.	772. b.
Prouerb. XXX, 1.	469. a. ſeq.	Mal. II, 14. 15.	788. b. ſeq.
Ieſa. VII, 14.	498. a. ſeq.	III. IV.	772. a.
VIII, 2.	760. a. ſeq.	1 Maccab. XIV, 41.	949. b.
IX, 6.	498. b.	Baruch. I, 2. ſeq.	693. a.
XIX, 18. 19.	990. b.	Matth. I, 12.	461. a. ſeq.
LIII, 4. 5.	501. ſeq.	XXIII, 2.	963. a.
Ierem. XXII, 30.	461. a.	Marc. II, 26.	63. a.
XXIII, 6.	498. b.	Luc. XI, 45.	963. b.
XLIV, 30.	709. a.	Io. II, 20.	954. a.
XLVI, 25.	709. a.	Act. XXIII, 9.	963. b.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

R. *Iſaac* ABARBANELIS de Ioelis prophetae aetate ſententia, 478. b.
R. ABENDANA notatus, 450. a.
ABIA filius Ierobeami, 286. a.
ABIATHAR, 189. a.
ABIGAIL, 78. b. ſeq.
ABNER, Saulis patruus, 24. a. eius vltima, 102. b. ſeq. an eius opera recte vſus Dauid? 106. a.
ABSALOMVS, 139. ſeq. de eius monumento, 152. a.
ACHABVS, Iſraelis rex, 301. ſeq.
ACHAZIAS, Achabi filius, 339.
ACHAZIAS, Iudae rex, 384.
ACHAZVS, filius Iothami, 422. ſeq.
ACHERON, num ab Accaron? 527. a.
ACHIA propheta, 286. a. 469.
ACHIAS, 189. a.
ACHIS primus rex Philiſtaeorum, 65. a. add. 85. b. & 88. b.
ACHITOPHEL, 147. b.
עקרבים quid? 277. a.
ADAD, nomen regum Syrorum, 117. a.
ADONIA filius Dauidis, 169. a.
ADONIS, Thammuz, 703. a.
ADRAMMELECH, 529. a.
Chriſt. ADRICHOMII de arca federis ſuperſtite ſententia, 505. b.
ADVLETANVM monumentum, 905. a.
ADVLTERAM an ducere poſſit adulter? 132. a.
AEGYPTI ſtatus tempore regni Iſraelitici, 560. a. ſeq. poſt monarchiam Alexandri, 901. a. ſeq.
אלהים addita vox ad intendendam ſignificationem, 475. a.
AESOPVS, 716. a.
AGNI paſchales in templo mactati, 454. b.
AGRICVLTVRAE dignitas, 28. a.
AGVR quis? 469. a.
ALCIBIADIS geſta praecipua, 889. a.
ALCIMVS pontifex Hieroſolymit. 920. 922 a.
ALCMAEONIDAE, 581. a.
ALEXANDER Ariſtobuli regis Iudaei filius, 936. a. b.
ALEXANDER Bala, 923.
ALEXANDER Iannaeus rex Iudaeus, 932. b.
ALEXANDER M. Hieroſolymas venit, 740. a. rerum ab illo geſtarum ſynopſis, 893. b. ſeq.
ALEXANDRA regina Iudae, 9 3. b.
ALEXANDRI polyhiſtoris fragmentum, 559. b.
ALEXANDRINA bibliotheca & muſeum, 902 b. ſeq.
ALMVGINA ligna, 264 b.
ALTINGIVS de ſcholis Ebraeorum notatur, 5 0. b.
AMALEKITA Saulis interfector, 96. a.

Digitized by Google

AMASA, 154. b. a Ioabo interfectus, 157. a.
AMASIS Aegypti rex, 708. a.
AMAZIAS rex Iudae, 404. ſeq.
AMMONITAE a Dauide victi, 120. a. eorum ſtatus ſub regibus reliquis, 579. b.
AMMVNIM qui? 336. a.
AMNON Dauidis filius 136. a.
AMOS propheta, 477. a. pater Ieſaiae alius, 479. b.
ANAXAGORAS, 858. b.
ANGELI cur vigiles dicti, 663. a.
ANNIBAL, 912. b. ſeq.
ANTIGONVS, Ariſtobuli regis Iud. filius, 941. ſeq.
Aſiae & Ponti rex, 900. b.
ANTIOCHI M. cum Iudaeis geſta, 748. a. Epiphanis, 750. Horum pariter ac reliquorum Syriae regum breuis hiſtoria, 905. b. ſeq. add. 996. b. ſeq.
ANTIPATRI Herodiadum auctoris res, 936. ſeq.
אפים an triſtitiam notet? 7. b.
APRIES Aegypti rex, 707. b.
AQVAM & ignem poſcere, 887. a.
ARA ignoti Dei, 585. b. ſeq.
ARAVNA Iebuſaeus, 167. a.
ARCAE federis num locum ſecretum exſtruxerit Salomo? 453 b. quo deuenerit vaſtato templo, 505. a.
ARCVS, quem doceri ſuos vult Dauid, 98. a.
ערירי quid ſignificet? 461. a.
ARISTEAS Proconneſius, 716. b. alius, auctor hiſtoriae de LXX interpretibus, 838. a. ſeq.
ARISTOBVLVS ſcriptor Iudaeus, 906. a.
ARISTOBVLVS rex primus Iudaeorum poſt captiuitatem Babyl. 931. ſeq.
alterius lites cum fratre Hyrcano, 934. ſeq.
ARISTOTELES 866. a. ſeq. coeca eius veneratio, 868. b.
ARMENIAE reges, 1000. b. ſeq.
ARTAXERXES longimanus, 883. a.
mnemon, 884. a.
Ochus 885. a.
ASA, rex Iudaeus, 292. ſeq.
אשימה quid? 529. b.
אשפר quid? 129. b.
ASARIAS rex, 180. b.
R. ASARIAE de arca federis ſententia, 505. b.
ASSAMONAEI ſiue Haſmonaei, 916. a.
אשפים qui? 698. b.
ASSAPH, 188. a. pſalmorum quorundam num auctor? 226. a.
ASSAR HADDON, Aſſaradinus, 567. a.
ASSYRIAE ſtatus tempore regni Iſraelitici, 565. b. ſeq.
ATHALIA, 393.
ATHENIENSIVM res tempore regum Iſraelit. 583. b. ſeq. poſt captiuitatem Babyl. 886. b. ſeq.
AVGVSTI imp. initia, 1006.
αὐτοχειρία an licita? 93. b.
B.
BAALSEBVB, 525. a. ſeq.

BABYLONICI regni ſtatus tempore regni Iſraelitici, 569. a.
P. BAELII iniquae de Dauide ſententiae refelluntur, 82. b, 87. a. 105. b. 129. a.
BAESA, 296. a.
BAGOAS, 885. b.
BARBAM alunt Iudaei, 119. b.
ברך de precibus ad menſam, 19. a.
BARVCHI liber, 522. b.
בת־קול 786. b.
BATSCHEBA, 130. ſeq.
Io. Chr. BECMANNI de IV. monarchiis ſententia, 619. a. & 644. b. ſeq.
BEDAN iudex Iſraelit. 30. a.
BELI Babylonici, & draconis hiſtoria apocrypha, 639. b. de idolo ipſo, 704. a.
BELSATZAR Babyloniae rex, 647. ſeq.
בני־קדם 219. a.
BENHADAD Syrorum rex, 319. eius mors, 375. b. add. 575. a.
בית המרחק 144. a.
Sam. BOCHARTI de mingente ad parietem ſententia, 79. a. de caeſarie Abſolomi, 141. a. de Tarſis, & de piſce Ionae, 474. b. ſeq.
BOCHORIS Aegypti rex, 560. b. ſeq.

C.

כביר quid? 58. a.
Aeg. CAMARTVS de Elia Thisbite, 346. a.
IVL. CAESAR, 1005.
כמרים qui? 449. b.
CAMBYSES Perſarum rex Cyri filius, 879. b. ſeq.
CANDAVLES Lydiae rex, 581. a.
CANON ſcripturae V.T. 804. b. ſeq.
CAPTIVITAS Babylonica, 606. ſeq.
CARANVS Macedonici regni auctor, 597. a.
CARTHAGINIS initia 572. b. vid. *Punica bella.*
Seb. CASTALIO canticum Salomonis profane tractat, 517. b.
CHALDAEORVM doctrina, 698. a.
CHANVN Moabitarum rex, 119. a.
חרטומים qui? 698. b.
CHEOPS Aegypti rex, 251. b.
CHRONICORVM libri a quo & quando ſcripti? 816. a. ſeq.
CHVLDA prophetiſſa, 448. b.
CHVRAMVS artifex egregius, 185. a.
CICERONIS philoſophia, 993. b.
CLEARCHVS Iudaeos propaginem Indorum ſophorum putat, 802. a.
Io. CLERICI de חבל נביאים ſententia, 22. a. de vaſis i. e. genitalibus, 64. a. de ſociis Dauidis, 66. b. de pſalmo II, 73. b. de Dauide Sauli parcente, 76. a. Amalekitam interficiente Saulis interfectorem, 97. b. ſeq. de ארם in ארום mutando 118. b. de caeſarie Abſalomi, 141. a. nimis libertati criticae indulget 161. b.

Digitized by Google

161. b. 450. b. 663. b. de auctore eccleſiaſtis minus praeclare ſentit, 516. a. item de cantico canticorum, 517. b.

Io. COCCEII de prou. XXX, 1. ſententiis, 469. ſeq.

Ant. COLLINVS Salomonem inter libere cogitantes refert, 516. b.

COLONIAE Graecorum, 596. a.

CORINTHI ſtatus tempore regum Iſraeliticorum, 594 b. ſeq.

CORONAE Ammoniticae pondus, 121. a.

CREMARE cadauera non ſolent Iudaei, 94 b.

CROESVS Lydorum rex, 714. a.

CYLON Athenienſis, 583. b.

CYNICI philoſophi, 870. a.

CYRENAICI, 869. b.

CYRI regis initia, 712. b. geſta cum Iudaeis, 661. vltima, 878. b. ſeq.

CYRVS minor, 884. a.

D

Ant. van DALE diſſert. ſuper Ariſtea laudatur, 839 a.

DANIELIS fata, 610. a. ſapientia, donum propheticae, 665. ſeq. add. 700. a.

Io. Andr. DANZIVS laudatur, 122. a. 383. a.

DARIVS Comodannus, 885. b.
  Hyſtaspis, 880. b. ſeq.
  Medus Danielis quis ſit? diſputatur, 653. ſeq.
  nothus 883. b.

DAVIDIS initia, 48. ſeq. contra BAELIVM defenditur, 82. b. 87. a 89. b. 105. b. 121. b. 129 a. 173 a. negant quidam adulterium eius cum Bathſeba, 132. b. nimia eius indulgentia in liberos, 138. a. mors, 171. b. polygamia, 210. a.

DIDO Carthaginis conditrix, 572. b.

DIODORI Siculi locus de magnitudine Niniues, 475. b.

DOEG, 64. b. 67. a. an Amalekita Saulis interfector? 95. ſeq.

DOSITHEANI, 681. b.

DRACO, legislator Athenienſium, 584. b.

E

EBRAEAE linguae vſus an in captiuitate Babyl. amiſſus, 803. a.
  litterae an ab Esdra mutatae? 804. a. ſeq.

ELEATICI philoſophi, 874 b. ſeq.

ELIAKIM, 457. ſeq.

ELIAS Thisbites, 303. ſeq. de coruis Eliae, 307. a. translatio eius in coelum, 341. reditus in terram, 344. b. epiſtola ad Ioramum, 521. b.

ELISAEVS propheta, 303. 318. b. eius miracula, 346. a. ſeq. mors, 403. b. ſeq.

Ἐφημερίαι ſacerdotum. 209. b.

EPICVRI philoſophia, 875. b.

EPIMENIDES, 587. a.

EQVI ſolis apud Perſas, 451. a. ſeq.

ESDRAE ſtudia pro Iudaeis, 728. ſeq. 758. a. de libro Esdrae 817. a. de pſeudepigraphis, 823. a. an ſcripturam ſacram deperditam reſtituerit? 826. b. ſeq. an maſorae, & punctorum vocalium auctor? 831. a. ſeq.
ESSAEI, 984. a. ſeq.
ESTHERAE liber & hiſtoria, 762. a. it. 818. b. ſeq.
ETHAN, 187. a.
EVILMERODACH Babyl. rex, 638. ſeq.
EXCOMMVNICATIONIS eccleſiaſticae origo iudaica, 695. b.
EZECHIAS vel Hiskias, 429. eius morbus, 438. a.
EZECHIEL propheta, 668. b. ſeq. 700. b. ſeq.

G

GAD propheta, 67. a. 186.
GALILAEA prophetae patria contra Iudaeorum adagium, 473. a.
GAVLONITAE num ſecta iudaica? 989. a.
GEHAZI Eliſae famulus, 362. b.
GENEALOGIARVM apud Iudaeos ratio, 6. b.
GERMANIAE ſtatus antiquus, 1002.
GOLIATH, 50. b. ſeq.
GRAECORVM philoſophia & litterae, 857. b. ſeq. res geſtae, 886. b. ſeq.
GRAECANICA eruditio Iudaeis exoſa, 965. b.
Hug. GROTII de Saule a Dauide dimiſſo ſententia, 76. a. de iure, quo Dauid a tribu Iuda electus eſt, 100. a. ſeptuaginta interpretes corrigit, 124. b. textum ebraeum corruptum putat, 142. b. notatur, 433. b. de auctore eccleſiaſtis, 515. a. de cantico canticorum, 517. b.
GYGES 581. b. ſq.

H.

HABACVC propheta, 484. b. de altero illo Danielis obſonatore, ib.
HAGGAI propheta 759. a.
Herm. von der HARDT ſententia de coruis Eliae, 307. a. de IV monarchiis, 617. b. ſeq.
Io. HARDVINI de effuſis Mithſphae aquis ſententia, 12. a.
HASIDAEI, 917. a. 973. ſeq. 982. a. 987. b. ſeq.
HASMONAEI, 916. a.
HAZAEL Syrorum rex, 576. a.
חבל נביאים quid? 22. a.
HEMAN, 187. a.
HELIODORVS a templi direptione repulſus, 750. a.
HELIOPOLITANVM Iudaeorum templum, 990. a. ſeq.
HERODES M. 942. b. ſeq.
HERODIADVM origo, 937. ſeq.
HERODIANORVM ſecta fictitia, 988. b. ſeq.
HERODOTI locus de pugna Nechonis cum Ioſia, 456. a.
HESIODI ex theogonia locus, 532. a. de ipſo diſputatur, 547. b. ſeq. ſpeciatim de theogonia, 549. a.
HIERONYMI haccucinatio 574. a.
HILLEL, 946. a. b.
HINNOM vallis, 424. a.
HIRAM Tyri rex, 113. b 183. b.
Humfr. HODII liber adu. Ariſteam, 839 a. ſeq.

HOMERI aetas, ſcripta &c. 538. b. ſeq. lites in Gallia de illius eruditione, 541. a. ſeq. batrachomyomachia, 546. a.
HOMRI, 298.
HOPHRA rex Aegyptius, idem qui Apries, 727. b. ſeq.
HOSEAS vltimus rex Iſraelis, 417. a.
HOSEAS propheta, 476. b.
HVSAI amicus Dauidis, 145. b. ſeq.
Tho. HYDE de religione vet. Perſar. laudatur, 848. b. ſeq.
HYRCANVS Ariſtobuli regis filius, 942. b.

I.

IABESITARVM laudabile facinus, 96. b.
IADDI pontificis cum Alexandro M. geſta, 740. a.
IASON pontifex Iudaeorum, 751. b. ſeq.
IDVMAEI a Dauide victi, 118. b. deficiunt, 377. b. add. 577. b. ſeq. a Ioanne Maccabaeo ad circumciſionem adiguntur, 930. a.
יעלים quid? 73. a.
IECHONIAS, 460. a.
IEDVTHVN, 188. b.
IEHOACHAZ, 401.
IEHV vates, 335. a.
IEHVS rex Iſraelis, 318. a. & 384. b. ſeq.
IEREMIAS propheta, 486. b.
IEROBEAM, 272. b. 279. idololatriae in gente Iſraelitica auctor, 785. b.
IESAIAS propheta, 479. b. ſeq.
INTERPRETES ſeptuaginta, 833. a. ſeq.
IOAB Abnerum interficit, 104 a. Abſolomum. 151. b. a Benaia interficitur, 177. b.
IOACHAS, 457. ſeq.
IOANNES Hyrcanus, Maccabaeus, 928. ſeq.
IOAS rex Iudae, 396. b.
Iſraelis, 402. b.
IOEL propheta, 478. b.
IOIACHIN, 460. a. an improlis? 461. a.
IOIAKIM 458. b.
IONAS propheta, 472. b.
IONATHAN Maccabaeus, 922. ſeq.
IORAM Iſraelis rex, 348.
Iudae, 376. ſeq.
IOSAPHAT, 301. ſeq.
Fl. IOSEPHVS interpolat hiſtoriam ſacram, 14. a. 16. a. 19. b. 24. b. 29. a. 49. b. 58. a. &c. ridicule ex Nabale facit philoſophum cynicum, 78. a. &c.
IOSIAS, 445. b.
IOTHAM, 421.
ISBOSETH, 100. a. eius vltima, 107. a.
ITHOBALVS Tyri rex, 572. a.
IVDAS Maccabaeus, 917. ſeq.
IVDAEORVM diſperſio per totum orientem, 776. a.
IVDICIA Dei ſiue ordalia, 53. a.
IVDITHAE fabula an hiſtoria? 611. ſq.
Pet. IVRIAEI de אוב ſententia, 244. a. ſeq. de equis & curru ſolis, 452. a. de Baalſebub Plutone, 526. b. ſeq.
IVS regis quid, 213. a.
IZABEL vxor Achabi, 301. eius mors, 589. a.

K

KARAEI, 981. b. ſeq.
קיקיון quid? 476. a.

קוהלת, 514. a.
קורא gallinago, 85. a.
Krethi & Plethi, 123. a.

L

LACEDAEMONIORVM res tempore regum Iſraelit. 591. a. cum Iudaeis cognatio, 745. b. ſeq.
למנצח, 233. b.
R. Sam. LANIADO ab adulterio Dauidem abſoluit, 132. b.
LEMVEL idem qui Salomo, 175. a.
Fort. LICETI infortunium ob Ariſtotelem accuſatum, 868. b.
Phil. a LIMBORCH notatus, 499. a.
LVCERNAE in tabernaculo, 10. b.
LVCIANI locus illuſtratur, 703. b.
Λυχνοκαῖα feſtum LVMINVM, 954 b.
LYCVRGVS, 591. a. ſeq.
LYDORVM regni ſtatus, 581. b.

M.

מעגל, 83. b.
MACCABAEORVM origo & res geſtae, 915. ſeq. libri, 969. a. ſeq.
MACEDONICAE res poſt Alexandrum M. 896. b.
MALACHIAS propheta, 761. a.
MANASSES, 442. oratio eius apocrypha, 523. b.
MARATHONIA pugna, 887. a.
MARDOCHAI, 762. a.
Io. MARSCHAMI ſententia de LXX hebdomadibus Danielis, 689. b.
משל, 219. b. 513. a.
MASORAE origo, 831. a. ſeq.
MATTHATIAS Maccabaeorum auctor, 915. ſeq.
MEDORVM ſtatus, 567. b. ſeq.
MEGARICA ſecta philoſophorum, 869. b.
Marc. MEIBOMIVS, 236. b.
MENACHEM, 415. b.
MENELAVS pontifex, 752. a. ſeq.
MERODACH idolum Babyl. 705. b.
MESSENIVM bellum, 598. a. 888. a.
MICHA propheta, 331. a. alius, cuius ſermones exſtant, 482. a.
MICHALA Dauidis vxor, 56. a. 103. b. 128 b.
MINGENS ad parietem, 286. b.
מפלצת, 293. a.
מריא, quid 127. b.
מישנה, ſuburbium Hieroſolymis, 448. b. ſeq.
MOABITAE a Dauide victi, 116. a. ſtatus eorum ſub reliquis regibus, 558. b. ſeq.
de IV MONARCHIIS Danielis doctorum ſententiae, 617. b. ſeq.
Bern. de MONTFAVCON de Iuditha ſententia, 493. a.
μοσχολατρεία Ierobeami, 279. ſeq.
MVNERA non ſpernebant prophetae, 18. a.
MVSICA in ſacris cur adhibita, 22. b.

eius efficacia in curandis animi paſſionibus, 49. a. a Graecis ad orientales videtur delata, 629. a.

N

NAAMAN, 358. b.
NABAL, 77. b. ſeq.
NABONASSAR a quo aera Nabonasſarea, 569. a.
NABOPOLASSAR Babylon. rex, 570. a. ſeq.
NABOTH, 325. b.
NACHAS, Ammonitarum rex, 26, 119. a.
נבזן, quid? 126. d.
NADAB, 298.
NAHVM propheta, 483. a.
NASIRAEI, 8. a.
NATHAN propheta, 133. b.
נוות vel ניות 59. a.
נציב quid? 32. a.
נביאים, 223. a.
NEBO Babyloniorum idolum, 705. a.
NECHO Pharao, 564. b.
נגינות, 232. a.
NEHEMIAS, vnus an duo? 731. ſeq. add. 758. b. liber Nehemiae, 818. a.
NERGAL, 529. b.
נבחז, 529. b.
NISROCH, Aſſyriorum idolum, 531. a.
NVMAE, apud Romanos inſtituta, 536. b. ſeq. add. 601. b. ſeq.

O

אוב quid? 243. a.
OBADIAE, inprimis propheta, 485. a. ſeq.
OBED EDOM, 127. a.
OCHVS, Perſarum rex, 883. b. ſeq.
OLYMPIADVM origo, 582. a.
OMEN, ſibi conſtituere an & quando liceat, 37. a.
ONIAS I Pontifex iudaicus, 742. b.
II - - 744. b.
III - - 745. a.
alius vir pius, 945. a. ſeq.
templi Heliopolitani conditor, 990. a.
ONKELOS paraphraſtes, 971. b. ſeq.
Ονολατρεία Iudaeis obiecta, 754. a.
OPHIR, 263. b. ſeq.
ORDALIA, 53. a.
OSIRIS, Adonis, Thammuz, 703. a. circa oſſa ſanctorum antiqua ſuperſtitio, 77. a.

P

PALILIA, 601. a.
PARAPHRASES chaldaicae Vet. T. 971. a. b.
PARTHORVM imperium, 1002.
פרוורים, 452. b.
PEKAIAS, rex Iſraelitarum, 416 b.
PELETHAEI & Kerethaei, 123. a.
PELOPONNESIACVM bellum, 889. a. ſeq.
PERIANDER, 594. b.
PHALARIS tyrannus, 717. b.
PHARISAEORVM ſecta, 974. b. ſeq.
PHILIPPVS Macedo, 892. b.

PHILISTAEORVM reſp. 88 b. ſtatus ſub regibus Iſraelit. 580, a.
PHILCNES duo, 967. a.
PISCIS qui Ionam deglutiuit, 474. b.
PISISTRATVS Athenarum tyrannus, 715. b.
PLATO, 862. b. ſeq.
POESIS Ebraeorum veterum quae? 238. a.
POLYGAMIA Dauidis, 210. ſeq. Salomonis, 508. Iudaeorum ſub aduentum Meſſiae, 956. ſeq.
POMPEII M. acta in Iudaea, 935. a. bellum cum Caeſare, 1005.
PONTIFICVM Ebraeorum ſucceſſio dubia, 487. b. ſeq.
PRODITORVM opera in quantum vti liceat? 106. a.
PROPHETARVM munus, 22. b. add. 666. a.
PSALMI Dauidis, 225. a. pſalmus cui perperam Dauidi tribuitur, 241. a.
ψαλτήριον quid? 225. b. pſalterium Salomonis, 519. b.
PSAMMITICHVS Aegypti rex, 564. a.
PTOLOMAEVS Lagi, Hieroſolymas occupat, 741. ſeq. philopator, 747. b. huius & reliquorum Ptolomaeorum breuis hiſtoria, 902. a. ſeq. add. 995. b.
PVNICA bella Romanorum, 912. a. ſeq.
PYGMALION, Tyri rex, 572 b.
PYRRHONII, ſiue ſceptici philoſophi, 875. b. ſeq.
PYTHAGORAS, 871. b. ſeq.

R

RABH, Rabbi, Rabban, 964. b. ſeq.
RAZIAE αὐτοχειρία, 510. a.
RECHABITAE, 510. a.
RECTI liber, 99. a.
REGVM libri a quo, & quando ſcripti, 814. b. ſeq.
REHABEAM filius Salomonis, 275. ſeq.
Adr. RELANDVS de numis Samarit. laudatur, 810. a.
REPRAESENTATIVA bella, 53. a.
רתם, 315. b.
REZIN rex Syrorum, 423.
RIMMON idolum, 530. b.
ראה videns, 18. b.
ROMANORVM antiquiſſima religio, 524. a. origines, 598. a. res durante captiuitate Babyl. 718. b. auctae per eos ſuperſtitionis exempla, 856. b. ſeq res poſt reges exactos, 910. b. ſeq. add. 1003.
ROMVLI res, 601. b.

S

SABACO Aegyptius rex, 561. a.
SACRIFICIVM pro mortuis Iudae Maccabaei, 950. a. b.

SACRVM bellum Graecorum, 892. a.
SADDVCAEI, 978. b. ſeq.
סן quis? 449. a.
SALLVM, 413. alii homonymi, 458. b.
SALMANASSAR, 413. 418 b.
SALOMO, 168. ſeq. eius ſapientia, 179. b. 218. a. lapſus per mulieres, 269. poenitentia & ſalus, 273. b. ſcripta genuina, 513. a. pſalterium, 519. b. & alia pſeudepigrapha, 521. a.
SAMARITANISMI origo, 528 a. hiſtoria, 841. ſeq add. 989. b. de numis Samaritanis, 810. a.
SAMVELIS prophetae patria, 5. nomen 8. b. prima viſio, 10. b. non fuit ſacerdos, 13. b. elogium & ſcriptores de eo, 76. b. an verus Samuel a pythoniſſa euocatus, 245. b. ſeq.
SANBALLATVS, 733. a. alius 739. b.
SAPIENTES VII Graeciae, 551. a. ſeq.
SAPIENTIAE liber, 519. b. 967. a.
SARDANAPALVS, 565. b.
סרים, 372. a. 610. b.
SARTORIVS de hypocriſi gentilium, 858. b.
SAVLIS proſopographia & geſta, 17. a. vltima 92. a.
SCEPTICI philoſophi, 875. b.
שׁבט, 74. b.
SCHESBAZAR, Zorobabel, 757. a.
Seb. SCHMIDIVS laudatur, 124. a. 143. a.
SCHOLAE veterum Ebraeorum, 511. a. a ſynagogis diuerſae, 966. a. b.
SCHVSAKVS Aegypti rex, 290. a.
SCRIBAE, γραμματεῖς Iudaeorum, 962. b. ſeq.
SCRIPTVRAE ſacrae V. T. librorum ordinatio, diſtinctio item, in paraſchas, haphtaroth &c. cui tribuenda, 797. b. ſeq.
SEBA, 156. a.
SELEVCIDARVM breuis hiſtoria, 907. a.
SELAH 233. a.
SEPTVAGINTA interpretes malae fidei accuſantur, 8. a. interpolant textum ebraeum, 108. a. notantur, 130. a. de illis diſputatur ex profeſſo, 833. a. ſeq.
SEPTVAGINTA hebdomades Danielis expenduntur, 672. b. ſeq.
SERAIAH, 122. b.
Nic. SERARII error, 128. a.
Ge. SERPILIVS laudatur, 77. a.
SESAKVS vel Siſakus Aegypti rex, 560. a.
SIMEI, 146. b. 177. b. ſeq.
Rich. SIMONIS de Scripturae V. T. compilatione ſententia, 827. b. ſeq.
SIMON iuſtus pontifex, 742. b. ſeq. Maccabaeus, 926. ſeq.
SIRACHIDES, 767. a. eius liber 825. b.
SMERDES verus & falſus, 880. a.
סוכנת quid? 168. b.
SOCRATES, 859. a.
SOLON legislator Athen. 588. a.

SOPHO-

Digitized by Google

SOPHONIAS propheta, 486. a.
SOS Aegypti rex, 561. b.
SPELVNCARVM in Iudaea multitudo, 73. a.
Io. SPENCERVS notatur, 204. b.
Ben. SPINOZAE impium de Daniele commentum 700. a. de Ezechiele, 700. b. add. 822. a. it. 807. a. ſeq.
STOICI, 1075.
SVCCOTH BENOTH quale idolum, 528. b.
SVLPICIVS SEVERVS notatus, 131. a. 270. b.
SVSANNAE hiſtoria apocrypha, 613. a. 700. b.
SYNAGOGAE an fuerint Eliſaei tempore, 504. b. vera earum origo, 787. b. add. 955. a. 966.
SYNAGOGA magna, 796. a. ſeq.
SYNEDRII magni ſubleſta antiquitas, 794. a. ſeq.
SYNEDRIORVM tria genera, 960. a.
SYRACVSAE a Corinthiis conditae, 595. b.
SYRI a Dauide victi, 117. a. eorum res tempore regum Iſraeliticorum, 575. a. poſt monarchiam Perſicam, 906. b. ſeq. add. 996. b. ſeq.

T

TEMPLVM Salomonis, 198. ſeq. ſecundum, & quinque res quae in eo defuiſſent, 783. b. ſeq. reſtauratio eius ab Herode ſuſcepta, 951. b. ſeq.
TEMPLVM Heliopolitanum Iudaeorum, 990. a.
THALES, 552. b. ſeq.
THAMAR Dauidis filia, 136. b.
THAMMVZ idolum, 702. b.
THARTAK idolum, 530. a.
THEOCRATIA Iſraelitarum an per regnum ſublata? 214. b.
THEOGONIAE & theologiae graecanicae ſpecimina, 521. b ſeq.
THERAPEVTAE, 985. b. ſeq.
Θύειν, 533. a.
TH[illegible]ATICVM bellum, 593. b.
תכיים pſittaci, 266. a.
TIGLATH PILESSER, 417. a.
TITVLI litteratorum apud Ebraeos, 964. b.
TOBIAE fabula an hiſtoria? 489. a.
TOPHET vallis, 424. a.
TYRIORVM res, 571. b. ſeq. 710. a. ſeq.
TYRTAEVS, 594. a.

V

VIRGILII anachroniſmus circa Didonem, 573. a.
VITVLORVM a Ierobeamo inſtitutus cultus, 279. ſeq.
Camp. VITRINGAE de aetate Ioelis ſententia, 479. a. commentarius in Ieſaiam paſſim laudatus.
VNCTIO regis, eſt eius deſignatio, 21. a. ritus eſt antiquiſſimus, 215. b.

Google

215. b. eſt vel ordinaria vel extraordinaria, 216. b.
VOCALIVM punctorum in lingua Ebraea origo, 833. a.
VSIAS rex Iudaeorum, 409.
VVLGATVS interpres ſequitur errorem ſeptuaginta interpretum, 108. a.
VZAE circa arcam foederis peccatum & poena, 126. a.

X

XERXIS res breuiter enarratae, 882. a.

Z.

ZACHARIAS rex Iſraelis, 413. propheta, 399. b. alius, 759. b.
ZADOK, 189. b eius genus & poſteri, 487. b.
צבי ישראל capra Israelis, 99. a.
ZEDEKIA, 462.
ZEPHANIAS propheta, 486. a.
ZIBA, 146. a.
ZIMRI, 298. ſeq.
de ZOROASTRO pluſcula, 848. b. ſeq.
ZOROBABEL, 757. a.

FINIS.

A01 1468331

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google